THOMAE DE VIO CAIETANI ... OPERA OMNIA QUOTQUOT IN SACRAE...

Tommaso De Vio, Josè Maria Fonseca de Evora, ...

Digitized by Google

37
38 G
15

Digitized by Google

K
12 4

16.E.3.91

RR. D. D.

THOMÆ DE VIO
CAIETANI

TITVLI S. XISTI PRESBYTERI
CARDINALIS EMINENTISSIMI,

IN

OMNES AVTHENTICOS
Veteris Testamenti historiales libros, & Iob,

COMMENTARII

NVNC DENVO RECOGNITI, NOTIS
marginalibus tum Rerum, tum Versiculorum exornati, & Indice
Rerum & Verborum illustrati.

TOMVS SECVNDVS.

LVGDVNI,
Sumptibus Iacobi & Petri Prost.

M. DC. XXXIX.

Digitized by Google

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. SIXTI,

In Libros Hiſtoriales veteris Teſtamenti,

COMMENTARII.

ET PRIMVM IN LIBRVM IEHOSVÆ.

CAPVT I.

Verſ. 1.

Tria Auctorē ad exponendum hos libros mouerunt.

ET FVIT.] Tria me mouent poſt expoſitos libros Moſis ad ſcribendum ſuper libros Hiſtoriales veteris Teſtamenti: primum difficultas rei geſtæ, vel quia obſcurè traditur, vel quia ſecùs Interpretes eam reddiderunt: ſecundum, ratio, tum verborum, tum factorum, quæ ambigua videntur, virorum præſertim ſanctorum: tertium, imbecillitas multitudinis legentium ſtudioſè ſacram Scripturam, vt quæ illis minùs clara ſunt, manifeſta fiant.

Poſt mortem Moſis ſerui Domini.] Quanuis in litera non ſcribatur, quanto tempore poſt mortem Moſis; ſubiuncta tamen rectè collata inſinuant, hoc fuiſſe poſt completum luctum mortis Moſis, hoc eſt, ſeptima die menſis primi, vt inferiùs manifeſtabitur.

Quomodo Iehoſua locutus eſt Deus?

Dixit Dominus ad Iehoſuam, filium Nun, miniſtrum Moſis dicendo.] Nomen tetragrammaton habetur, vbi legitur *Dominus*, vt fons eſſendi, Deus Deorum, allocutus ſignificetur Iehoſuam, Principem populi Iſraël. Modus, quo Deus allocutus eſt Iehoſuam, intelligendus eſt modus ille, quo Deus alloquitur Propheras, qui magnam habet latitudinem: multa enim genera reuelandi comprehendit: ſubiuncta autem verba dicta à Deo, inſinuant, quòd locutio iſta fuerit nocturna, vigilando tamen: in eeſtaſi enim quadam oranti Iehoſuæ locutus eſt Deus.

Mortuus eſt Moſes ſeruus meus.] Hoc eſt epitheton Moſis, quo Deus ipſe teſtatur placuiſſe ſibi officia Moſis appellando ipſum *ſeruum ſuum*: imò dicendo: *Moſes ſeruus meus mortuus eſt*. aperit, quòd mortuus eſt ſeruus ſuus; hoc eſt, quòd licèt quandoque peccauerit, & peccando non fuerit ſeruus meus, attamen mortuus eſt in ſtatu ſeruitutis meæ: mortuus eſt ſic, quòd quidquid erat, quicquid operabatur, meum erat: ſeruus enim totum, quod eſt, Domini eſt. Verſ. 2.

Seruus Dei, *epitheton Moſis.*

Surge.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc ſurge, tranſi Iordanem iſtum, tu, & omnis populus hic in terram, quam do filiis Iſrael.* Dicendo, *nunc*, manifeſtat tempus ſupradictum; videlicet triduum ante tranſitum Iordanis, qui fuit decima die menſis primi, vt inferiùs cap. 4. dicitur. Et quia non dicit, *experrectus ſurge*; ſed abſolutè dicit, *ſurge*, vigilantem inſinuat Iehoſuam, à quiete ad motum versùs Iordanem inuitans. Ex hoc autem, quòd dicitur, *tranſi Iordanem iſtū*, collato cū ſubiunctis verbis & factis, colligitur, quòd Deus reuelauit Iehoſuæ, tum tempus, tum modum tranſeundi Iordanem. Et de tēpore quidem manifeſtè teſtatur executio Iehoſuæ ſubiūcta ſtatim: de modo autem teſtatur etiā executio Iehoſuæ in tertio ſcripra cap. abſque aliqua alia reuelatione diuina: alienum ſiquidem à ratione eſt, vt Iehoſua ſtatim, vt ad ripam venit Iordanis, modum tranſeundi Iordanem tam mirabilem publicauerit, niſi certior redditus futuri miraculi ex diuina reuelatione.

Deus reuelauit Iehoſuæ tēpus & modū trāſeundi Iordanem.

Omnem locum, in quo calcauerit planta pedis veſtri, Verſ. 2.

ſtri, vobis dedi: ſicut locutus ſum ad Moſen.]Intelige omnem locum infra terminos ſubſcriptos: non enim Deus omnem locum abſolutè calcandum pede Iudæorum; ſed omnem locum ab eis calcandum infra ſubiunctos terminos dixerat Moſi ſe daturum filiis Iſraël.

A deſerto, & Libano iſto, vſque ad fluuium magnum, fluuium Euphratem, omnis terra Chitæorum vſque ad mare magnum ab occaſu Solis erit terminus veſter.

Verſ. 5. *Nullus poterit vobis reſiſtere.*] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Non ſtabit quiſquam ante te omnibus diebus vitæ tuæ.* promiſſio enim fit ipſi Iehoſuæ duci.

Sicut fui cum Moſe, ero tecum.]Non dicit, quãtum fui, ſed, *ſicut fui*; & rurſus non dicit, ſicut feci Moſi, ſed, *ſicut fui*: ad inſinuandum, quòd eodem modo futurus erat aſſiſtendo miraculis opportunis, & protectione, & pugna, quemadmodum fuerat cum Moſe; non autem quòd parem cum facturus eſſet Moſi.

Non dimittã te, nec derelinquam te.] Præpoſtero ordine legendum cenſeo: nec ſunt hæc ſynonyma: ſed alterum ſignificat retentionem, alterum aſſociationem: promittit ſiquidem Deus, & quòd velut comes indiuiduus non derelinquet eum: & quòd tanquam retinens deuinctum eum ſibi Deo, nõ dimittet eũ ſibiipſi Iehoſuæ. Quod intellige faciente Iehoſua, quod in ſe eſt: quod ideò oportet ſubintelligere; quia, vt inferiùs ſcribitur, ex defectu Iehoſuæ Deus dimiſit ipſum ſibiipſi in fœdere Ghibhonitarum: quia os Domini non conſuluit.

Deus aſſiſtentiam ſuã pollicetur Iehoſuæ.

Verſ. 6. *Confortare, & eſto robuſtus: tu enim ſorte diuides populo huic terram, pro qua iuraui patribus eorum, vt traderem illis.*

Verſ. 7. *Confortare igitur, & eſto robuſtus valdè.*] Bis dixit Deus ad Iehoſuam huiuſmodi verba: ſemel relatiuè ad actiones corporales, ad victoriam, & diſtribuendum ſubactam terram filiis Iſraël: iterum autem relatiuè ad cuſtodiam, & obſeruationem legis præceptæ à Moſe. Et hac ſecunda vice adiunguntur duæ dictiones: nam Hebraïce habetur: *Tantùm confortare te, & robora te valdè ad cuſtodiendum, & faciendum iuxta omnem legem, quam præcepit tibi Moſes ſeruus meus.* Ac ſi apertiùs dixiſſet: Hoc duntaxat à te exigitur, vt erga obſeruationem legis Moſis inualeſcas vniuerſo conatu, & robores magnanimitate teipſum non mediocriter, ſed valdè.

Quare his Deus dixit hæc verba ad Iehoſuam.

Nè declines ab ea ad dexteram, & ad ſiniſtram, vt intelligas in omnibus, ad quæ ieueris.] Ecce fructus obſeruationis legis, donum intelligentiæ in omnibus, ad quæ ibis.

Fructus obſeruationis legis quis.

Verſ. 8. *Non recedat liber legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo die, ac nocte, vt cuſtodias ad faciendũ iuxta omne, quod ſcriptum eſt in eo: tunc diriges viã tuam, & intelliges eam.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quia tunc ſecundabis vias tuas, & tunc intelliges.* Duci exercitus mandat Deus, vt libro legis ſit aſſiduus, tum in ſermonibus, tum in meditationibus, non ad differendum, ſed ad faciendum, quæ ſunt legis: manifeſtando duos fructus, alterum proſperitatis exterioris, alterum intelligentiæ internæ.

Diuina legis obſeruatio duos fructus parit.

Verſ. 9. *Ecce præcipio tibi.*] Iuxta Hebræum habetur: *Nónne præcepi tibi, confortare, & robora te.* Ratio redditur credendi, & ſperandi promiſſos fructus ex efficacia præcipientis Dei: ad huiuſmodi enim efficaciam inſinuandam dicit Deus: *Nónne præcepi tibi?* ac ſi apertiùs dixiſſet: hæſitandum non eſt de ſecundis ſucceſſibus ex hoc ipſo, quòd ego Deus præcepi.

Noli metuere, & noli timere.] Iuxta Hebræum habetur: *Ne frãgaris, & ne terrearis.* Hebræo more, quod pluris eſt, præponitur; quia valdè arduos ſucceſſus promittebat Deus. Fragilitatem propriam penſantem Iehoſuam tertiò confortat, & accendit, præmonendo, ne ab externis terreatur, ne ab interna fragilitate frangatur animus.

Quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus in omnibus, ad quæ ieueris.] Ratio redditur diuina aſſiſtentia ſufficiens, & potentiſſima ad omnia tam interna, quàm externa. Quod autem dicitur, *Dominus Deus tuus*, Hebraïcè habetur: *Iehouah Elohe tuus.* Et ſimiliter intellige in vniuerſo hoc Opere: & niſi aliud dixerimus, appellatione *Domini* intellige ſemper nomen tetragrammaton.

In hoc Opere Dominus, *pro* Iehoua.

Præcepitque Iehoſua Principibus populi dicens: Verſ. 10. *Tranſite per medium caſtrorum, & præcipite populo, dicendo.*] Ecce executio diuini mandati: & ſi conferas obedientiam Iehoſuæ cum verbis diuini præcepti: *Et nunc ſurge, tranſi Iordanem iſtum*, perpendes idem eſſe tempus: hoc eſt, eodem die imperatum à Deo fuiſſe: *& nunc ſurge.* quo Iehoſua ſurrexit ad præcipiendum præfectis populi, vt præpararetur populus ad tranſeundum Iordanem: alioquin non ſurrexiſſet tunc iuxta mandatum Dei.

Præparate vobis cibaria.] Non eſt ſermo de pane (quoniam ex quotidiano manna panem conficiebant,) ſed de reliquis alimentis. Verſ. 11.

Quoniam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem.] Clariùs Hebraïcè habetur: *Quia in adhuc tres dies vos tranſeuntes Iarden, vt intretis ad hæreditandum terram, quam Dominus Deus veſter dat vobis ad hæreditandum eam.* Hinc clarè habentur duo. Alterum, quòd hoc mandatum factum eſt ſeptima die menſis primi: quoniam decima die eiuſdem menſis tranſierunt Iordanem: decimus enim dies fuit terminus extrinſecus trium dierum, inchoando à die ſeptimo. Alterum, quòd mane ſeptimi diei menſis primi promulgatum eſt hoc mandatum, ac per hoc diuina reuelatio eodem die circa auroram facta videtur: alioquin non fluxiſſent tres dies ab hac promulgatione vſque ad tranſitum Iordanis; quos tamen fluxuros ſignificatur dicendo: *Quia in adhuc tres dies ſunt: & vos eritis tranſeuntes Iordanem.* Hæc ſunt enim, quæ collata cum ſupraſcriptis teſtantur, quæ prædiximus: & manifeſtant tempus tranſeundi Iordanem, fuiſſe reuelarum Iehoſuæ.

Quo die Hebræi acceperunt mandatum de tranſeundo Iordane.

Rubenitis quoque, & Gaditis, & dimidiæ Verſ. 12. *Tribui Menaſſis ait Iehoſua dicendo:*

Mementote ſermonis, quem præcepit vobis Verſ. 13. *Moſes, ſeruus Domini, dicendo: Dominus Deus veſter requieſcere vos fecit, deditque vobis terram hanc.*] Recole ex libro Num. cap. 32. Reubenitas, Gaditas & dimidiam Tribum Menaſſis ſortitas fuiſſe habitationes ſuas viuente Moſe: & propterea non erant ſimul cum reliquo populo, ſed ſparſi in ciuitatibus ſuis: ob quam cauſam oportuit, Iehoſuam vocare illos, vt ſeruarent promiſſa ſcripta vbi ſupra, quæ ſubiunguntur ſummariè.

Qui ex Iſraëlitis ſortiti ſunt habitationes ſuas, viuente Moſe.

Vxores veſtræ, paruuli veſtri, & iumenta veſtra Verſ. 14. *manebunt in terra, quã dedit vobis Moſes trãs Iarden:*

den: vos autem transibitis armati ante fratres vestros omnes potentes manu, & adiuuabitis eos:

Vers. 15. *Donec quiescere faciat Dominus fratres vestros, sicut vos, & possideant etiam ipsi terram, quam Dominus Deus vester dat vobis, & reuertemini ad terram possessionis vestræ, & possidebitis eam, quam dedit vobis Moses seruus Domini trans Iarden ad ortum Solis.*

Vers. 16. *Responderúntque ad Iehosuam dicendo: Omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus; & quocunque miseris, ibimus.*

Vers. 17. *Sicut obediuimus in cunctis Mosi, obediemus tibi: tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Mose.*] Sensus est: Ex parte nostra non deerit obedire: hoc duntaxat exigitur, vt fons essendi, gubernator tuus, sit tecum, quemadmodum fuit cum Mose.

Vers. 18. *Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit verbis tuis in omnibus, quæ præceperis ei, moriatur: tantum confortare, & robora te.*] Expone hoc, vt in præcedenti textu: est enim sensus, quòd executioni mandabitur pœnitio inobedientium tibi, dummodo tu ex parte tua inualescas, & robores teipsum magnanimitate.

CAPVT. II.

Vers. 1. *Misit igitur.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et misit Iehosua, filius Nun, de Sittim duos viros exploratores.*] Considera, prudẽs Lector, disparitatem: nã promulgatio præparationis ad transitum Iordanis descripta est, quoad tẽpus, (videlicet, triduũ ante transitũ,) nec est descripta quoad locum: missio verò exploratorũ describitur quoad locũ, (videlicet, de Sittim, in quo erat castra Israël,) nec describitur quoad tẽpus. Verũtamẽ ex subiunctis insinuatur, tũ locus promulgatæ præparationis, tũ tempus, quando missi sunt exploratores: ex eo enim, quòd vna tantũ nocte fuit populus super ripã Iordanis, (vt Hebraica veritas manifestat in capitulo tertio,) habetur, quòd in loco Sittim fuit promulgata præparatio ad transitũ Iordanis, & ibidẽ requisiti Reubenitæ, & Gaditæ: & similiter ex eo, quòd exploratores plusquam tres dies consumpserũt, (nã tribus diebus latitarunt in mõtanis,) patet missos eos fuisse, priusquam promulgaretur præparatio populi. Quot autem diebus fuerint prius missi, incertum est: quanuis certũ sit, quòd fuerũt prius missi. At, si quæris, cur præposteto ordine hæc scripta sint, in prõptu causa est: missio siquidem exploratorũ processit à Iehosua humano cõsilio, promulgatio autem præparationis processit ex diuina reuelatione: par autẽ fuit, vt liber gestorũ Iehosuæ initiũ à diuina dispositione haberet, & quod humano fuerat cõsilio factũ, subiungeretur. Nec propterea intelligas, peccasse Iehosuam mittẽdo exploratores: cum actus ille non sit contra, vel præter rectam rationem, & ad accendendum magis animos populi sciens exterritos Chananæos hoc fecisse credendus est.

Disparitas promulgationis transitus Iordanis, & missionis exploratorum in Iericho.

In abscondito dicens.] Non est vsquequaque clarum, an missio hæc adscribatur clandestina relatiuè ad populum Israël, vel relatiuè ad indumenta, & exteriora signa exploratorum: vtrumque enim potest intelligi.

Quandonam missi sint exploratores à Iosuë.

Ite, considerate terram vrbémque Iericho.] Iuxta Hebræum habetur: *& Iericho.* Quod ideò annotauerim, vt intelligamus duo fuisse exploratoribus mandata; alterum, considerate terram; alterum, considerate Iericho. Et quantùm subiuncta relatio exploratorum insinuat, mandatum est istis, vt viderent terram Chananæam in genere, & Iericho in specie: nam retulerunt de vniuersa terra, & non solùm de Iericho.

Duo exploratoribus mandata.

Qui pergentes ingressi sunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et issierunt, & ingressi sunt.* Quod ideò annotauerim; vt ex diuersitate orationum libertatem habeamus intelligendi, quòd exploratores iuerunt absque impedimento aliquo per terram Chananæam, vsquequò venerunt Iericho, & ingressi sunt domum.

Mulieris meretricis, nomine Rachab.] Non est clarum, an mulier hæc scribatur meretrix, an caupona: Hebraica siquidem dictio anceps dicitur, & argumenta vtrinque fiunt. Nam, quòd fuerit caupona, officium eius testatur: quòd autẽ fuerit meretrix, frequens huius dictionis vsus apud Hebræos insinuat. Siue autem fuerit meretrix, siue non, viduam fuisse apparet ex eo, quòd nulla fit mariti mentio; & puellam virginem exercere officium cauponæ dedecet: præsertim cùm ipsa describatur domina domus, & habens patrem, matrem, fratres, ac sorores in ciuitate.

Rahab an meretrix, an caupona.

Erat vidua.

Et quieuerunt apud eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dormierunt* (seu pòtius, *iacuerunt*) *ibi.* Hinc habetur, quòd nocte illa quiete dormierunt in domo Rachab: & relatio facta Regi Iericho fuit non illa prima nocte, sed sequenti vespere.

Nunciatúmque est Regi Iericho dicendo: Ecce viri venerunt hac nocte de filiis Israel, vt explorent terram.] Vndique manifestatur, quòd vespertina hora venerunt exploratores in Iericho. Vers. 2.

Misitque Rex Iericho ad Rachab dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, & ingressi sunt domum tuam: quia ad explorandum totam terram venerunt. Vers. 3.

Tulitque mulier duos viros, & abscondit eos, & ait: Certè venerunt ad me viri: sed nesciebam, vnde essent. Vers. 4.

Et fuit, dum porta clauderetur, in tenebris viri exierunt, nec scio, quò ierint.] De porta ciuitatis est sermo: & in principio noctis eos recessisse, antequam porta clauderetur, mentita est mulier mendacio officioso. Et hinc clarè apparet, quòd nocte, & die exploratores fuerũt in Iericho absque molestia: ex eo enim, quòd nocturno tẽpore venerant, & in domo mulieris dormierãt, & verem credibilem mulier dixit, quòd recessissent, antequam porta clauderetur, consequens est, quòd non de eadem, qua venerant nocte, est sermo, cùm dicit eos egressos in tenebris, antequam porta clauderetur; sed cùm toto die lustrassent ciuitatem, & redissent vespere ad domum Rachab, nunciatum est Regi ab iis, qui perspicaciùs inspexerunt eos in die, quòd exploratores sunt. Vers. 5.

Abscondit Rahab exploratores.

Persequimini citò, & comprehendetis eos.] Argutia exhortatio ad repellendum eos, ne inquirerent, & scrutarentur domum, an ibi latitarent.

Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuítque eos stipula lini, quæ ibi erat.] Prius describit factum abscõsionis, & posteà describit modum eiusdem; videlicet, quòd super tectum domus sub culmis lini expansi, abscõditi fuerint. Vers. 6.

Ij autem, qui missi fuerant, secuti sunt eos per viã, qua ducit ad vada Iarden: illíque egressi, statim porta clausa est.] Ciuitatis porta, per quam egressi sunt inquisitores exploratorũ, describitur Vers. 7.

clausa egressis illis ad significandũ, quòd nõ patebat exitus exploratoribus per portam ciuitatis.

Vers.8. *Nedum obdormierunt, qui latebant.*] Iunge hanc negatiuam cum affirmatiua prænarrata, videlicet, quòd *dormierunt ibi*: & perpendes, quòd de secunda nocte est sermo in hac negatiua, & de prima in illa affirmatiua: eadem enim dictio habetur hic, & ibi.

Et ecce mulier ascendit ad eos.] Deficit, *super tectum.* plana siquidem sunt tecta domorum regionis illius, quemadmodũ pauimenta sub diuo.

Vers.9. *Et ait eis: Noui, quòd tradiderit vobis Dominus terram: etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ à facie vestra.*

Vers.10. *Audiuimus enim, quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri, à facie vestra, cùm exiretis ex Ægypto, & quæ feceritis duobus Regibus Emoræorum, qui erant trans Iarden, Sichon, & Hog, quos interemistis.*

Vers.11. *Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus à facie vestra: Dominus enim Deus vester est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.*] Vide in muliere ista non solùm timorem, sed fidem, ac manifestam confessionem, quòd Iehouah qui est Elohe Israel, ipse est Elohim in cælo, & terra: & propterea non est mirum si seruata est: quam enim Deus illuminauit intus, & effectu seruatricem electorum suorum, seruauit quoque à clade Iericho.

Timor, & fides Rahab.

Vers.12. *Et nunc iurate, quæso, mihi per Dominum, quia feci vobiscum misericordiam, quod facietis etiam vos cum domo patris mei misericordiam.*] Legendum est vtrobique *gratiam*: est enim illa dictio, quæ quanuis communiter interpretetur *misericordia*: secundùm tamen veritatem Hebraicam diligentiùs perspectam significat *gratiam*: eò quòd non est nomen passionis animi, sed collationis sine merito, quam ratiùs *gratiam* dicimus.

Iuramẽtum, signum veritatis.

Detque mihi verum signum.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et dabitis mihi signum veritatis.* Iuramentum appellat mulier *signum veritatis*: ac si apertius dixisset: Iurate mihi per Iehouah tali modo, vt sit signum futuræ veritatis. Et dixit hoc ad excludendum cauillationes iurãtium, dũ in timore, & necessitate sunt constituti.

Vers.13. *Et saluabitis patrem meum, & matrem meam, & fratres meos, & sorores meas, & omnia, quæ eorum sunt: & eripietis animas nostras à morte.*

Vers.14. *Qui responderunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem; si tamen non prodideris nos.*] Iuxtà Hebræum habetur: *Si non prodideritis verbum nostrum hoc.* Per modum fœderis iurant isti: & quia nesciebant adhuc, se mittendos per fenestram, cauent, ne communicata notitia occultationis eorum patri, & matri, fratribus, & sororibus mulieris manifestentur; ideò sub pacto ponunt: Si non prodideritis rem nostram hanc.

Cùmque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus tecum misericordiam.] Legendum est, *gratiam, & veritatem.* Repetitur enim supradicta dictio & *gratiam* appellant beneficium vitæ: *veritatem* autem fidelitatem seruando promissa.

Gratia est beneficium vitæ, veritas est fidelitas.

Vers.15. *Demisitque eos per funem de fenestra: domus enim eius hærebat muro.*

Vers.16. *Dixitque ad eos: Ad montem pergite, ne occurrant vobis insequentes: ibique latitate tribus diebus, donec redeant, & posteà ibitis per viam vestram.*] Ratio numeri fuit: quia rationabile erat, vt inquisitores discurrendo scrutarentur vias omnes ad Iordanem: ac per hoc triduo opus esset ad eundum, scrutandum & redeundum.

Qui dixerunt ad eam: Innoxii erimus à iuramento tuo hoc, quo nos iurare fecisti.] Supplent tria tacita in fœdere: primum est signum funis alligandi in fenestra illa: secundum, congregatio consanguineorũ in domum illam: tertiũ, occultatio emissionis eorum in montana. Et hæc omnia valdè consona erant pacto, vt pater consideranti. Vers.17.

Tria in fœdere exploratorũ cũ Rahab.

Si ingredientibus nobis terram, signum non fuerit funiculus iste coccineus, & nisi ligaueris eum in fenestra, per quam nos demisisti: & patrem tuum, ac matrem, fratresque, & omnem cognationem tuam congregaueris in domum tuam.] Verbum præteriti temporis, *demisisti nos*, quæstionem parit: quia si iam descenderant de fenestra, non erat commodum, neque tutum colloquium, ne à vicinis audirentur. Et confirmatur hoc: quia post hæc verba subiungit litera, quòd mulier *demisit eos*: antequam ergo descenderent, dicta videntur hęc verba. Sed in oppositum vrget verbum præteriti temporis, *per quam descendere fecisti nos.* Solutio est, quòd quia medium sapit naturam extremorum, induit quãdoque modò rationem vnius extremi, & modò alterius: & propterea vtrunque contrariorum verificat: sicut fuscum modò induit rationem albi, modò nigri, & quod est vtriusque verificat. In hac itaque historia negotium demissionis erat in medio: ita quòd alter iam descenderat, alter tunc erat descensurus: & ille descensurus hæc verba dixit nomine sui, & socij: sic enim verificantur omnia absque aliqua dissonantia: nam relatiuè ad retentionem verificatur, *descendere fecisti nos*: & relatiuè ad integram libertatem verificatur, quòd post hæc verba demisit eos. Vers.18.

Quæstio, an post, vel ante demissionem à fenestra, fœdus hoc ictum sit.

Solutio.

Qui egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput eius, & nos erimus innoxii: cunctorum autem sanguis, qui tecum in domo fuerit, redundabit in caput nostrum, si quis eos tetigerit. Vers. 19.

Si autem nos prodere volueris, & sermonem istum proferre in medium.] Non tot habentur iuxta Hebræum: sed habetur: *Et si prodideris verbum nostrum hoc*: videlicet, quòd nos latitamus in montibus. Vers.20.

Erimus mundi ab hoc iuramento tuo, quo nos iurare fecisti.] Timent enim mulieris instabilitatem: & propterea silentij cutam in ea augere nituntur.

Et illa respondit: Sicut locuti estis, ita fiat. Dimittensque eos vt pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.] Quanuis antiquus Interpres simul demissionem exploratorum, & appensionem funiculi significauerit; Hebraica tamen litera simultatem non significat: quoniam multis orationibus has actiones describit dicendo: *Et dimisit eos, & abierunt: & ligauit filum coccineum in fenestra.* ex his enim verbis non habetur, quando appendit funiculum illum in fenestra: sed dumtaxat, quòd ligauit illum ibi; quod post multos dies fieri potuit & decuit: sed hoc in loco scribitur ad terminandam narrationem gestorum à muliere. Vers.21.

Illi verò ambulantes peruenerunt ad montem, & manserunt ibi tres dies, donec reuerterentur, qui fuerant insecuti: quærentes enim per omnem viam non inuenerunt eos. Vers.22.

Quibus verbum ingressis.] Superfluunt istæ tres dictiones: Vers.23.

Reuersi sunt, & descenderunt exploratores de mõte.] Legendum est: *Et reuersi sunt ambo viri, & descenderunt*

scenderunt de monte. Reuersio manifestat, quòd ad remotiora loca iuerant, vt omnimò tuti essent ab inquisitoribus.

Et transierunt, veneruntque ad Iehosuam filium Nun: & narrauerunt ei omnia, quæ acciderant eis.] Ex hoc, quòd nulla fit mentio Pontificis, nulla mentio tentorum, coniicitur, quòd Iehosua nescientibus aliis miserit hos viros: & similiter, quòd clandestina fuerit relatio.

Vers. 24. *Dixerúntque ad Iehosuam, quod tradidit Dominus in manus nostras omnem terram huius.*] Superfluit, *huius.* Hæc relatio exploratorum insinuat, quòd intrauerant non solum Iericho, sed alias terras Chananæorum. Signum autem, vnde cognouerunt futuram victoriam, fuit ingens, & remotem adhuc gentium tam vehementem, vt tanquàm dissolutis animis iam sint.

Relatio exploratorum.

Et etiam timore dissoluti sunt cuncti habitatores eius.] Legendum est: *Habitatores terræ à facie nostra.* Miserat enim Deus timorem vehementem in Chananæos, relatumque ad præsentiam populi. Itaque

CAPVT III.

Vers. 1. *Quãdo Iosue mouerit castra.*

Gitur *Iehosua de nocte consurgens mouit castra,*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuerunt Iehosuæ mane.* Non dicitur mane immediatè sequenti, (nesciuit enim certus dies, quo reuersi fuissent exploratores) sed Author libri redit ad prosequendam historiam executionis diuini mandati. Narrauerat enim, quòd Deus præcepit Iehosuæ, vt tunc surgeret, & transiret Iordanem; narrauerat & inchoatam executionem quoad duo: & quoad vocationem Reubenitarum, &c. & quoad monitionem populi, vt præpararet se ad transeundum post triduum Iordanem. Narrat modò consequenter, quòd postquam populus præparatus est, surrexit Iehosua: procul ibidò à castris, & quiete sua mane. Et intelligo fuisse mane noui diei mensis primi, vt duos dies ad præparandum alimenta, ad colligendum res suas, disponendumque omnia ad iter habuerit: eodem enim die venerunt de Sittim ad Iordanem, vt subiungitur.

Egressiente autem de Sittim venerunt ad Iordanem ipse, & omnes filij Israel: & morati sunt ibi per tres dies.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dormierunt ibi, antequam transirent.*

Vers. 2. *Et fuit à fine trium dierum, transierunt præfecti per medium castrorum.*] Vide, quantæ diuersitatis sensuum causa est interpretatio iuxta intelligentiã interpretis. Non dicitur in Hebraica Littera, quòd morati fuerint in Iordane dies tres: sed insinuatur oppositum, dicendo: *Et dormierunt ibi, antequam transirent.* Si triduo ibidem fuissent, ridiculum esset scribere, quòd *dormierunt ibi, antequam transirent.* Nunquid ad excludendum tres dies insomnes habuit scribere: *Et dormierunt ibi, antequam transirent?* Hæc absurditas manifesta declarat, quòd ad significandum illos, non statim vt appulerunt, transisse, sed vnicam noctem ibidem peregisse, hæc verba scripta sunt. Descripta autẽ mora vnius noctis iuxta Iordanem ante transitum, describitur verisimile fuisse tempus promulgatum à Iehosua in Sittim: *Adhuc tres dies, & transibitis Iordanem.* Dicendo, *& fuit*, hic hæc pũctus: phrasis est Hebraica dicere absolutè, *& fuit*, vel, *& erit*: & postea subiungere tẽ præteritã, vel futurã. Vnde & hic subditur actio præterita à fine trium dierũ: hoc est, in die 10. mẽsis primi: nã ille

Diuersitas sensuum vnde.

dies erat statim ex fine triũ dierũ prædictorum à Iehosua promulgante in Sittim, *adhuc tres dies, & transibitis Iordanem.* Illo itaque die decimo profecti monuerunt populum, vt sequerentur Arcã: mane enim illius diei facta est hæc monitio.

Vers. 3. *Et præceperunt populo dicẽdo: Quando videritis Arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes Leuitæ portantes eam, mouebimini de loco vestro, & ibitis post illam.*] Quamuis Arca in itinere cõsueuerit præcedere populum, non tamen sic præcedebat, vt esset penitùs prima in itinere, sed multi ibant ante illam: & propterea ad tollendũ in hoc transitu Iordanis talis multitudinis præcellionem, monetur populus, vt nullus præcedat Arcam, sed omnes sequantur eam.

Arca præcedebat populum in itinere: sed non penitùs prima.

Vers. 4. *Sit tamen inter vos, & Arcam spatium circiter duorum millium cubitorum: ut procul magis videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini.*] Iuxta Hebr. habetur: *Non appropinquabitis ei, vt cognoscatis viã, per quã ambuletis.* Si appropinquasset multitudo Arcæ, impedita fuisset visio Arcæ ab vniuersis legionibus populi Iordinatè progredientiũ, occupando magnam terræ latitudinem: sed distante Arca per duo millia cubitorum ab vniuersa multitudine, vniuersa capita progredientium videre poterant, qua via vnicuique incedendum esset, sequendo tempestiuè Arcam.

Cur Arca in transitu Iordanis distabat à populo.

Quia prius non ambulastis per eam.] Iuxta Hebr. habetur. *Quia nõ transgressi estis per viam ab heri, & nudiustertius.* Ratio dictæ cautelæ redditur, disparitas inuisæ viæ, quamuis exiguæ, & aliarum: erant enim ibi fortè ex exuberantia Iordanis multa loca immersibilia: & propterea opus erat, vt præcedente Arcam à longe viderent & eligerent quodlibet vexillum propriam viam inambulem, nec aberrarent à sequela Arcæ. Dicitur itaque censura, quòd diu est, quod per similem viam non ambulastis, quòd ita via non est simulis viæ tollitæ, *ab heri, & nudiustertius*: hoc est, præteritis.

Vers. 5. *Dixitque Iehosua ad populum: Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.*] Ingenuo ordine narrantur gesta: nam die nono Iehosua monuit populum, vt mundent corda sua præparando se ad susceptionem Dei in stupendo miraculo die crastina.

Vers. 6. *Et ait Iehosua ad Sacerdotes: Tollite Arcam fœderis, & præcedite populum. Qui iussa complentes tulerunt Arcam, & ambulauerunt ante populum.*

Vers. 7. *Dixitque Dominus ad Iehosuam: Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel: vt scitã, quòd sicut fui cũ Mose, sic ero tecum.*] Hæc est secunda reuelatio facta Iehosuæ, die decimo primi mensis, quo trãsierunt Iordanem. Nec reuelatur modus trãseundi: quoniã prima reuelatione fuerat ei manifestatus, & ipse iam die nono prædixerat populo: *Cras faciet Dominus mirabilia.* sed reuelatur etiã magnificatio propria corã populo, tũ modus, quo Sacerdotes portãtes Arcã progrederẽtur dicẽdo:

Secunda reuelatio Dei facta Iosue.

Vers. 8. *Et tu præcipies Sacerdotibus, qui portãt Arcã fœderis dicẽdo: Cùm ingressi fueritis partẽ aquæ Iordanis, state in ea.*] Clariùs habetur in Hebræo: *Cũ ingressi fueritis vsque ad extremũ aquæ Iordanis, in Iordãe stabitis.* Ecce modus progrediendi: videlicet, quòd Sacerdotibus portantibus Arcam ingressis extremum nõ solùm aluei sed aquæ Iordanis, ita vt pedes in prima extremitate aquarũ tenerẽt, sisterẽt ibidẽ. Quod intellige, donec aquæ Iordanis, descendentes deficerẽt, & superiores scipsas cõtinerẽt: quod fere statim perfectum est, & Sacerdotes progressi sũt ad mediũ Iordanis locũ iam siccum.

Modus progrediendi Sacerdotũ portantiũ Arcã in transitu Iordanis.

Vers. 9. *Dixitque Iehosua ad filios Israël: Accedite huc, & audite verbum Domini Dei vestri.*] Mane diei decimi fuit hic sermo.

Vers. 10. *Et rursum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et ait Iehosua.* Prius dixit: *Accedite, & audite*: postquàm verò accesserunt, dixit subiuncta, videlicet, quòd videbunt mirabilem effectum, in quo manifestè cognoscent diuinam præsentiam.

In hoc, inquit, scietis, quòd Dominus viuens in medio vestri.] Iuxta Hebræum habetur: *In hoc cognoscetis, quod El viuus in medio vestri: & expellendo expellet a facie vestra Chenahanæum, & Chitthæum, & Hiuæum, & Pherizæum, & Ghirgasæum, & Emoræum, & Iebusæum.*] Nominat Deum, *El*, à fortitudine diuina cognoscenda ad debellandos Chananæos: *viuum* autem, ad differentiam idolorum, quæ colebantur à gentibus: manifesta enim opera viuentis Dei visuri erant.

Deus cur fortis, & viuus nominatur.

Vers. 11. *Ecce Arca fœderis Domini totius terræ transit ante vos in Iarden.*] Non habetur hic aliquod Dei nomen: sed propriè scribitur Domini vniuersæ terræ, ad significandum, quòd ille, qui veneratur in Arca ista, est Dominus, non solùm Israëlis, & terræ Chananæorum: sed omnis terræ.

Deus est Dominus vniuersæ terræ.

Vers. 12. *Parate duodecim viros de duodecim Tribubus Israël, singulos per singulas Tribus.*] Mandat Iehosua, vt ex qualibet Tribu tollatur vir vnus vt sint comites Sacerdotum portantium Arcam Domini, & singillatim videant etiam modum miraculi. Vnde & in Hebræo non dicitur, *parate*: sed dicitur: *Et nunc sellite vobis duodecim viros, virum vnum, virum vnum per Tribum.* decreuit enim, vt tunc assumerentur duodecim viri, tanquàm comites Sacerdotum, & Arcæ vice duodecim Tribuum Israël.

Vers. 13. *Et cum posuerint vestigia pedum suorum Sacerdotes.*] Legendum est: *Et erit, cum quieuerint plantæ pedum Sacerdotum.* Manifestè prædicit modum miraculi: vt diuulgetur in populo, & læti, ac securi proficiscantur laudando Deum.

Portantium Arcam fœderis Domini Dei totius terræ in aquis Iarden.] Iuxta Hebræum nullum Dei nomen habetur: sed Adon, hoc est, Domini, omnis terræ, vt superius dictum est.

Aquæ Iarden deficient, aquæ descendentes desuper & stabunt acerno vno.

Vers. 14. *Et fuit, cum moueretur populus de tentoriis suis ad transeundum Iarden, Sacerdotes portabant Arcam fœderis ante populum.*

Vers. 15. *Ingressique eis Iarden, & pedibus eorum in extremo aquæ tinctis, (Iordanis autem ripas aluei sui tempore messis implebat,)*

Vers. 16. *Steterunt aquæ descendentes in loco vno.*] Ad declarandam Iordanem tunc non carnisse exuberantia aquarum, interponit Author, tantam fuisse abundantiam aquæ in Iordane, vt repleuerit omnes ripas, non impetu vnius diei, sed omnibus diebus messis: comprehendendo sub messe hordeaceam messem, quæ prior est triticea: erat enim tunc tempus messis hordeaceæ, cùm esset decimus dies primi mensis.

Exuberantia Iordanis, quanta fuerit.

Et vsquè montis intumescentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Edom, vsque ad locum Zarthan.] Iuxta Hebræum nihil dicitur de apparentia, (sed Interpres expositoris officio functus est:) sed habetur: *Elongando valdè ab Adam vrbe, quæ ex latere Zarthan.* Describitur siquidem tumor aquarum superiorum, non ad instar montis, sed acerui vnius longi valdè: vtpote ab vrbe Adam, quæ erat iuxta superiorem partem Iordanis: ita quòd sensus est, quòd aceruus, seu tumulus aquarum superiorum extendebatur vsque ad locum Iordanis superiorem, qui erat iuxta vrbem Adam: hoc enim secundùm planum sensum significat litera Hebraïca dicens: *Et steterunt aquæ, quæ descendebant desuper, & steterunt acerno vno, elongando valdè appositum ab Adam vrbe, quæ ex latere Zarthan.* Magna enim elongatio acerui explicatur ex elongatione terminata desuper ad vrbem Adam.

Quæ autem inferiores erant, in mare solitudinis, quod nunc vocatur mare mortuum, descenderunt, vsquequò omninò deficerent.] Patui refert, quòd Hebraicè loco *maris mortui* habetur *mare salis*. In idè enim redit: multis enim nominibus locus ille appellatur, in quo aqua Iordanis absorbetur.

Mare salis, cur mare mortuum appelletur.

Populus autem incedebat contra Iordanem.] Vers. 17. Iuxta Hebræum habetur: *Populus autem transierunt è regione Iericho.* Manifestatur, per quam partem fluminis transierunt ipsum; videlicet, quæ est è regione Iericho.

Et Sacerdotes, qui portabant Arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Iordanis accincti.] Iuxta Hebræum habetur: *In medio Iarden præparando.* Duo hinc habentur: alterum, quòd Sacerdotes portantes Arcam progressi sunt vsque ad medium Iordanis, postquàm aquæ inde sunt: alterum, quòd in medio Iordanis firmiter manserunt, ad reddendam viam per alueum Iordanis siccam, donec vniuersus populus transiret: hoc enim significatur, cùm dicitur præparando:

Et totus Israël transibat per siccum, donec transisset tota gens Iarden.]

CAPVT IV.

VIRVS *transgressis dixit Dominus ad Iehosuam:* Vers. 1.

Elige duodecim viros pro singulas Tribus. Vers. 2.

Et præcipe eis, vt tollant de medio alueo Iarden, vbi steterunt pedes Sacerdotum præparantium duodecim lapides, quos ponetis in loco castrorum, vbi fixeritis nocte tentoria. Vers. 3.

Vocauit ergo Iehosua duodecim viros, quos elegerat de filiis Israel, singulos de singulis Tribubus: Vers. 4.

Et ait ad eos: Ite ante Arcam Domini Dei vestri ad medium Iarden: & portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, iuxta numerum filiorum Israël, Vers. 5.

Vt sit signum inter vos. Et quando interrogauerint vos filij vestri eras, dicentes: Quid sibi volunt isti lapides? Vers. 6.

Respondebitis eis, quòd defecerunt aquæ Iarden ante Arcam fœderis Domini, cùm transiret ipsum: ideò positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israël vsque in æternum. Vers. 7.

Fecerunt ergo filij Israël, sicut eis præcepit Iehosua, portantes de medio Iarden duodecim lapides, vt ei Dominus imperauerat, iuxta numerum Tribuum filiorum Israël, vsque ad locum, in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos. Si isti duodecim viri non essent diuersi ab illis duodecim in præcedenti capitulo electis ante ingressum in Iordanem, nõ decreturus post egressum populi de Iordane: *Tollite è populo duodecim viros.* sed illi comites erãt Sacerdotũ: isti autem iam transierant. Et præcipitur eis, vt eant ad locũ corã Arca Dei, &c. Vers. 8.

Alios

Vers. 9. *Alios quoque duodecim lapides posuit Iehosua in medio Iarden sub loco, vbi steterant pedes Sacerdotum portantium Arcam fœderis, & fuerunt ibi vsque in præsentem diem.* Quoniam Hebraicè scribitur, quòd Iehosua istos duodecim lapides erexit, significatur, quòd non qualitercunque disposuit ibidem lapides istos, sed erectos, simul junctos, ac fixos ibidem locauit, vt perseuerarent ibi ad perpetuam memoriam. quòd ibi steterunt pedes Sacerdotum portantium Arcam Dei. Et hinc consequenter habetur, quòd lapides isti erant longi, ac grandes: & quòd per multos viros fecerit Iehosua portari illos ac erectos simul figi, vt se mutuò tuerentur: & propterea opus hoc in Litera attribuitur, non illis duodecim viris, sed Iehosuæ Principi populi.

Quomodo, & cur positi lapides in Iordane.

Vers. 10. *Sacerdotes autem, qui portabant Arcam fœderis, stabant in medio Iarden, donec omnia complerentur, quæ Iehosue, vt loqueretur ad populum, præceperat Dominus, & dixerat ei Moyses.*] Legendum est: *Donec consummaretur omne verbum, quod præcepit Iehouah ad Iehosuam, vt loqueretur ad populum, sicut omnia, quæ præcepit Moses Iehosuæ.* Aduerbium, *sicut*, refertur ad verbum, *loqueretur*. Et est sensus: Vt Iehosua loqueretur ad populum omnia verba Dei ad ipsum, sicut loquebatur ad populum omnia præcepta Mosis ad ipsum Iehosuam. Et per hoc intelligitur, quòd Iehosua tam secutè loquebatur ad populum diuina ad eum verba, sicut indubie, & securè loquebatur, quæ audierat à Mose: significatur enim clara reuelatio diuina, & indubie percepta ab ipso Iehosua.

Iehosua Deum clarè reuelabat.

Et festinauerunt populus, & transierunt.] Priùs descripsit transitum populi per Iordanem: & modò describit modum transeundi, videlicet, festinanter.

Vers. 11. *Cúmque transissent omnes, trãsiuit & Arca Domini: Sacerdotes quoque pergebant ante populum.*] Legẽdum est. *Et Sacerdotes ante populum.* alia siquidem sententia est describens ordinem progressus populi post transitum Iordanis, videlicet, quòd Sacerdotes portantes Arcam Domini præcedebant populum.

Vers. 12. *Filij quoque Reuben, & Gad, & dimidia Tribus Manasses, armati præcedebant fratres suos filios Israel: sicut locutus fuerat eis Moyses.*] Ad ordinem progrediendi spectat hoc: describitur enim, quòd tam in transitu, quam in progressu Reubenitæ cum Gaditis, & dimidia Tribu Manassis ibant ante populum Israel.

Vers. 13. *Circiter quadraginta millia pugnatorum, per turmas & cuneos incedentes, per plana, atque campestria vrbis Iericho.*] Iuxta Hebræum habetur: *Transierunt ante Dominum ad prælium ad campestria Iericho.* Describitur, quòd illa quadraginta millia armatorum ibant ante Arcam Domini post transitum Iordanis: ita quòd ordo progressus erat, vt primùm isti armati; deinde Arca Domini; & tertiò populus incederet.

Vers. 14. *In die illa magnificauit Dominus Iehosuam coram omni Israel: & timuerunt eum, sicut timuerant Mosen, dum adhuc viueret.*] Iuxta Hebr. habetur: *Omnibus diebus vitæ eius.* Et pronomen, *eius*, demóstrat Iehosuã: significatur enim magnificatio tam efficax, vt populus, quemadmodum Mosen, timeret Iehosuam omnibus diebus vitæ ipsius.

Iehosuæ magnificatio qualis.

Vers. 15. *Dixitque Dominus ad Iehosuam:*

Vers. 16. *Præcipe Sacerdotibus, qui portant Arcam testimonij, vt ascendant ex Iarden.*

Vers. 17. *Qui præcepit eis dicens. Ascendite de Iarden.*] Iam bis in hoc capitulo clarè vides, priùs descriptam fuisse rem gestam, & posteà interiectis nonnullis describi modos rerum gestarum: nam descriptus priùs fuit transitus Arcæ; nunc autem describitur modus, quo Arca transiuit, videlicet, præcipiente Deo Iehosuæ, & ipso Iehosua præcipiente Sacerdotibus.

Vers. 18. *Cúmque ascendissent portantes Arcam fœderis Domini de medio Iarden, & siccam humum calcare cœpissent.*] Non quòd in loco non sicco pedes habuissent, quandiu substiterunt in medio Iordanis: sed terra solita perseuerarè in siccitate significat nomine siccæ, ad differentiam aluei Iordanis soliti manere sub aqua.

Sicca humus, quid.

Reuersæ sunt aquæ in alueum suum, & fluebant, sicut antè consueuerant.

Vers. 19. *Populus autem ascendit de Iarden decima die mensis primi.*] Proculdubiò mensis, in quo celebratur Pascha.

Et castrametati sunt in Ghilgal contra orientalem plagam vrbis Iericho.] Iuxta Hebr. habetur: *In extremo Orientis Iericho.* hoc est, in extrema parte territorij vrbis Iericho versùs Orientem.

Vers. 20. *Duodecim quoque lapides, quos ex Iarden sumpserant, posuit Iehosua in Ghilgal.*

Vers. 21. *Et dixit ad filios Israel: Quando interrogauerint filij vestri cras patres suos, dicendo:*

Vers. 22. *Quid sibi volunt lapides isti? docebitis eos dicẽdo: Per aridam alueum transiuit Israel Iarden istum:*

Vers. 23. *Siccante Domino Deo nostro aquas eius in conspectu nostro, donec transiremus,*

Vers. 24. *Sicut fecerat priùs in mari rubro, quod siccauit, donec transiremus.*

Vers. 25. *Vt discant omnes terrarum populi, fortem esse manum Dei, & vt vos timeatis Deum vestrum cunctis temporibus.*

CAPVT V.

Vers. 1. OSTQVAM *ergo audierunt omnes Reges Emorræorum, qui habitabant trans Iarden ad occidentalem plagam, & cuncti Reges Chananæi, qui erant iuxta mare, quòd siccasset Dominus aquas Iarden coram filijs Israël, donec transirent: dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus timentium introitum filiorum Israel.*] Legendum est, *à facie filiorum Israel.* clarior enim est litera, & sensus planior.

Eo tempore ait Dominus ad Iehosuam: Fac tibi cultros lapideos.] Iuxta Hebræum habetur, *cultros acutos.* Nec sis ita rudis, vt intelligas tunc efficiendos nouos gladios, sed tunc acuendos.

Vers. 2. *Et circuncide secundo filios Israel.*] Iuxta Hebræũ habetur: *Et reuertere, circuncide filios Israel.* Et est sensus: circũcide filios Israel, non omnes simul, sed primùm vnam partem, & secundò alteram partem. Et est ordo literæ: Reuertere secundò, & circuncide filios Israel. In promptu autem ratio est reuertendi secundò ad circuncidendum filios Israel, (non in eisdem, sed diuersis personis,) ne tanta multitudo simul affecta dolore vulneris esset.

Circuncidi secundò, quomodo intelligendum.

Vers. 3. *Et fecit sibi Iehosua cultros acutos: & circuncidit filios Israel in colle præputiorum.*] Collis ille à præputiis denominatus est.

Vers. 4. *Hæc autem est causa secundæ circuncisionis.*] Nõ habetur in Hebr. *secundæ*, sed dũtaxat: *Et hoc, propter quod circuncidit Iehosua.* subiuncta enim causa huius generalis circũcisionis demõstratur.

Totus populus, qui egressus est de Ægypto, masculi omnes viri bellatores mortui erant in deserto in via, quando egressi sunt de Ægypto,

Vers. 5. *Qui omnes circuncisi fuerãt: populus autẽ, qui natus est in deserto, quãdo egressi sunt ex Ægypto, nõ fuerat circũcisus.*] Aduerte, prudens lector, quòd tria masculorũ genera litera manifestat. Primũ egressorũ de Ægypto, qui omnes circũcisi fuerant: sed hoc distinguitur in duo genera; videlicet, in viros bellatores, hoc est, numeratos iuxta montem Sinai à viginti annis, & suprà: & hi omnes mortui erãt tẽpore trãsitus Iordanis, præter Iehosuã, & Chaleb. Aliud verò genus circũcisorũ egressorũ de Ægypto cõtinebat omnes masculos, qui tẽpore numerationis nõ erãt viginti annorũ: qui nõ erãt mortui, sed erant viri perfecti in transitu Iordanis. Tertiũ autẽ genus erat masculorũ natorũ post egressũ de Ægypto: & hos solos oportuit circũcidi; quia non fuerant circũcisi in via. Ratio autẽ, quare non fuerint circũcisi in via, redditur; quia nesciebãt, quãdo columna nubis profectionẽ imperaret; nonnisi enim circũcisis motus nocet.

Tria masculorũ genera.

Circumcisio in via non celebratur.

Vers. 6. *Nam quadraginta annis ambulauerũt filij Israel per desertũ, donec consumeretur omnis generatio virorũ bellatorũ, qui egressi erãt ex Ægypto, qui nõ audierãt vocẽ domini: quibus iurauerat, vt ostenderet eis terrã lacte & melle manantem.*] Falsa est litera nunc iuxta Hebr. habetur: *Quibus iurauit Dominus, quod nõ ostenderet eis terrã, super quam iurauit Dominus patribus eorum, vt daret nobis terrã fluentem lacte & melle.* Cernis hic, prudens lector, quàm contraria veritati sit quandoque vulgata editio: nam oppositum habet Hebraica littera, & sensum quadrantem libris Mosis.

Editio vulgata aliquã do contraria est veritati.

Vers. 7. *Horum filij in locum patrum successerũt, & circuncisi sunt à Iehosua, quia præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat.*

Vers. 8. *Postquam autem omnes circuncisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur.*

Vers. 9. *Dixitque Dominus ad Iehosuam: Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis.*] Iuxta Hebr. habetur: *Hodie reuolui opprobrium Ægypti a vobis.* Et est sẽsus: Hodie reuolui in laudẽ & gloriam vituperationẽ seruitutis, & ignominiæ, quam passi estis in Ægypto. Et similiter Deus hãc reuolutionẽ hodierno die, quo est perfecta circũcisio, nõ ratione solius circũcisionis, sed ratione inchoatæ possessionis terræ promissæ Abrahæ, Isaac & Iacob: profitẽtẽia per circũcisionẽ vniuerso Israele fidem Abrahæ: ita quòd *hodie*, demonstrat diem vtriusque simul, & initij possessionis, & adimplementi promissa Abrahæ, Isaac, & Iacob. Illo die reuolui in laudẽ, & gloriam: oppressio siquidem Israele in Ægypto, exprobrabatur eis gloria, quam diuulgauerant se esse habituros à Deo promissam patribus.

Circumcisionis & inchoata possessio terræ promissæ effectus.

Vocatumque est nomen loci illius, Galgala, vsque in præsentem diem.] Corruptum est vocabulum istius loci: dicendum esset, *Ghilgal*: à reuoluendo siquidẽ locus ille nominatus est: eò quòd Deus dixit tibi: *Hodie reuolui opprobrium, &c.*

Ghilgal, à reuoluendo dictus.

Vers. 10. *Castrametatique sunt filij Israel in Ghilgal, & fecerunt Pascha quartadecima die mensis ad vesperum in campestribus Iericho.*] Hoc est tertium Pascha: nam primum in Ægypto, secundum iuxta montem Sinai, & tertium in Galgalis celebratum est.

Tertium Pascha.

Et comederũt de frugibus terræ die altero, & azymos panes, & polentã eiusdẽ anni.] Legendũ est: *In crastino Paschæ infermentata, & tosta, in ipso die.* Recole legis præceptũ esse, quòd ante oblatum homer granorũ ex spicis, nulli fas erat edere de nouis frugibus terræ: & quia homer granorũ offerebatur Deo in crastino Paschæ, ideò narratur in litera, quòd in crastino Paschæ comederũt de frugibus terræ, tum azymos panes, tum tosta grana, quæ Interpretes appellant polentam: post oblationẽ siquidem factam Deo comederũt hęc.

Vers. 11.

Fruges nouæ quando potuerant edi.

Defecitque man.] Iuxta Hebr. additur: *In crastino.* ita quòd tertio die ab immolato Pascha cessauit manna; hoc est, non prouidit Deus amplius illis manna.

Vers. 12.

Cessatio manna.

Post quam comederunt de frugibus terræ, nec vsi sunt vltrà illo cibo filij Israel, sed comederunt de frugibus terræ Chanaan anno ipso.

Quũ autẽ esset Iehosua in agro ciuitatis Iericho, leuauit oculos, & vidit virũ stantem contra se euaginatũ tenentẽ gladiũ, & arripuit ad cũ.] Vilio corporalis fuit ita, quemadmodũ viderat Moses rubũ ardentẽ. In specie siquidẽ viri armati apparuit Angelus è regione ipsius Iehosuæ stans. Et quia non fit mentio aëris, sed quòd Iehosua iuit ad eum, insinuatur, quòd apparuit stans in terra.

Vers. 13.

Angelus armatus apparet Iosue.

Et ait ei: Noster es, an ex aduersariis?

Qui respondit, nequaquam (inquit) sum ex aduersariis:] *sed sum Princeps exercitus Domini.*] Ex eo, quòd Daniel. 10. dicitur, quòd Michael est Princeps gentis Iudæorum, rationabiliter infertur, quod ille Angelus fuit Michael Archangelus: fatetur enim se esse Principem Israelitici exercitus: quia est exercitus Dei, hoc est, quatenus est exercitus Dei, quatenus diuinis obtemperat mandatis.

Vers. 14.

Daniel. 10.

In Angelus erat Michael Archãgelus.

Et nũc veni. Patui refert, quòd iuxta Hebrẽũ habetur: *Nunc venio.* Procul dubiò in specie sensibili, ad manifestandum spiritualem meam præsentiam afflitentem exercitui Israel.

Et cecidit Iehosua in faciem suam in terram, & adorauit.] Procul dubiò Dei legatum veneratus est, adorando Deum in illo. quemadmodum in Legato Pontificis honoratur Pontifex.

Vers. 15.

Iosue in Angelo Deum adorauit.

Et dixit ei: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? Si hominem Principem, seu Regem, hoc modo sic alloquuntur, multo magis decuit Iehosuæ Angelum Dei sic alloqui.

Solue, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, sanctus est.] Quemadmodum templum, in quo consulebatur Deus, & diuina responsa habebantur, ex hoc ipso erat sanctum: ita locus ille, in quo Iehosua meruit videre Angelum, consulere Deum, & habere reuelationem modi, quo superanda erat Iericho, ex hoc ipso sanctus, seu sanctitas dicitur: & propterea nuditate pedum venerandus. Simile quid fuit mandatum Moysi in apparitione rubi ardentis: simile erat mandatum Sacerdoti ministranti in templo. *Et fecit Iehosua sic.*]

Vers. 16.

Locus cur sanctus, seu sanctitas dicatur, & venereatur.

CAPVT VI.

ERICHO *autem clausa erat, atque munita timore filiorum Israel.*] Patui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et Iericho claudens viros suos, & clausa à facie filiorum Israel: non erat egrediens, nec ingrediens.* Interponitur dispositio vrbis Iericho, antequã narretur, quid dixerit Angelus ad Iehosuã de vrbe Iericho. Narrãtur autem

Vers. 1.

Duæ dispositiones Iericho.

autem duæ dispositiones : altera, quòd omnes viros territorij sui concluserat intra vrbem : altera, quòd vrbs ipsa erat clausa, ita vt nullus egrederetur, aut ingrederetur propter præsentiam filiorum Israel.

Vers. 2. *Dixitque Dominus ad Iehosuam.*] Quanuis Angelus loqueretur, attribuitur tamen Iehouah ista locutio, ad significandum, quòd Angelus in persona Dei locutus est.

Angelus in Dei persona loquitur.

Ecce dedi.] Patui refert, quòd Hebraicè habetur : *Vide, dedi in manum tuam Iericho, & Regem eius, viros fortes.*

Vers. 3. *Circumite ciuitatem, cuncti bellatores, semel per diem. sic facietis sex diebus.*] Ad hoc enim venerat Angelus, vt in persona Dei institueret Iehosuam modum, quo capienda erat ciuitas Iericho ; & ante omnia reddit ipsum attentum ad considerandum, quæ dicit. Et primum victoriam integram manifestat : deinde modum vincendi, subiungendo, quod viri bellatores gyrent ciuitatem sex diebus.

Vers. 4. *Septimo autem.*] Deficit ante hæc verba vna integra clausula, videlicet, *Et septem Sacerdotes tollent septem cornua Iobeleorum ante Arcam.* Disponit namque non solum de bellatoribus, sed etiam de Arca, & præcedentibus septem Sacerdotibus cum tubis septem non argenteis, sed ex cornibus arietum, quibus vtebantur in Iobeleo. Et statim sequitur:

Tubas ex cornibus arietum ferebant Sacerdotes ante Arcam.

Die autem septimo circumibunt ciuitatem septem vicibus : & Sacerdotes clangent tubis.] Disparitas inter præcedentes sex dies, & diem septimum manifesta describitur penes numerum circumitionis.

Vers. 5. *Cumque insonuerit vox tubæ longior, atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione magna.*] Disponitur, quid agendum est die septimo in hac tot circumitionum ; videlicet, quòd in fine vltimi circuitus fiat sonus tubæ corneæ longior, ita quòd ipsa prolixitio sonitus erit signum, quòd populus vociferetur clamore magno. Prædicitque effectum:

Et murus funditus corruent ciuitatis.] Iuxta Hebr. plùs habetur : *Et cadet murus ciuitatis sub ea.* Dicendo, *sub ea*, manifestat, quòd vel in fossam circumcirca, vel maiori miraculo sub terram caturus erat murus : vt Israelitæ non impedirentur à ruinis muri, sed liberum haberent ingressum circumcirca in ciuitatem.

Vers. 6. *Ingrediensque singulis per locum, contra quem steterunt.*

Vocauitque Iehosua, filius Nun, Sacerdotes, & dixit ad eos : Tollite Arcam foederis, & septem alij Sacerdotes tollant septem Iobeleorum tubicinas, & præcedant ante Arcam Domini.] Non est in Hebræo, *alij* (forte enim non erant tunc tot Sacerdotes, vt sufficerent ad vtrumque officium, & portandi Arcam, & vtendi septem tubis, præcedendo Arcam : sed Iehosua Sacerdotibus dicit, vt tollant Arcam per seipsos, vel Leuitas ; & septem Sacerdotes tollant septem tubas auremas : quæ in vulgata editione appellantur, *quarum vsus est in Iobeleo.*

Vers. 7. *Ad populum quoque ait : Ite, & circumite ciuitatem, armati præcedentes Arcam Domini.*] Legendum est : *Transite, & circumite ciuitatem, & armatus transeat ante Arcam Domini.* Præcedens diuinum mandatum manifestat, duo tantum hominũ genera debere conuenire ad gyrandum ciuitatem ; videlicet, omnes viros bellatores, & Sacerdotes cum tubis, & Arca Dei : & propterea intelligendum est, quòd iuxta formam mandati diuini Iehosua mandauerit populo, non vt vniuersus populus ; sed vt vniuersi bellatores circumirent, sic quòd quadraginta millia armatorum ex Tribubus Reuben, Gad, & Menassis transirent ante Arcam, reliqui autem bellatores sequerentur Arcam.

Qui ex Israelitis circuierunt ciuitatem Iericho.

Cumque Iehosua verba finisset ad populum, septem Sacerdotes septem buccinis clangerunt ante Arcam foederis Domini. Vers. 8.

Omnisque populus præcedebat armati exercitus.] Vers. 9.
Iuxta Hebræum habetur : *Et armatus ibat ante Sacerdotes clangentes tubis.* Armati nomen appropriatur Reubenitis, Gaditis & dimidiæ Tribui Menassis : eo quòd ad hoc solum veniebant cum Israel, vt armati essent, & pugnarent ; imò & præcederent filios Israel armati.

Et armatus qui ire significarunt.

Reliquum vulgus Arcam sequebatur.] Iuxta Hebræum habetur : *Et aggregator ibat post Arcam.* Iehosua aggregator virorum bellatorum Israel significatur, quod vsus officio aggregatoris, (hoc est, aggregatis bellatoribus,) sequebatur Arcam. Simili siquidem more Salomon Rex secutus est Arcam, quando in templum portata est.

Ac buccinis omnia concrepabant.] Iuxta Hebræum habetur. *Eundo, & sonando cornibus.* Qualis erat differentia inter tubas corneas Iobeleï, & tubas corneas militum, non inuenio.

Præceperat autem Iehosua populo dicens : Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque vllus sermo ex ore vestro prodibit, donec veniat dies, in quo dicam vobis : Clamate, & vociferamini. Vers. 10.

Circumiit ergo Arca Domini ciuitatem semel per diem, & reuersi sunt ad castra, manseruntque ibi. Vers. 11.

Igitur Iehosue de nocte consurgens.] Legendum est. *Et surrexit Iehosua mane.* procul dubio secundi diei. Vers. 12.

Et tulerunt Sacerdotes Arcam Domini.

Et septem Sacerdotes portantes septem buccinas Iobelei ante Arcam Domini, eundo ibant, & clangebant buccinis : & armatus populus ibat ante eos.] Superfluit dictio, *populus* : & intellige, vt suprà. Vers. 13.

Vulgus autem reliquum.] Iuxtà Hebræum habetur : *Et aggregator ibat post Arcam Domini eundo, & clangendo cornibus.* Et intellige, vt suprà.

Circumieruntque ciuitatem secundo die semel, & reuersi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus. Vers. 14.

Die autem septimo diluculo consurgentes, circuierunt ciuitatem, sicut dispositum erat, septies.] Iuxta Hebræum habetur : *Sicut ratio ista septem vicibus.* Significatur enim, quòd soluto more aliarum gyrationum circumierunt ciuitatem septem vicibus illo die septimo. Et ad hoc magis explicandum subiungitur in Hebræo : *Tantùm in die ipso circumierunt septem vicibus.* Deinde immediatè sequitur : Vers. 15.

Et fuit in septima vice clangerunt Sacerdotes cornibus.] Et est sermo, non de somitu qualicunque, (quoniam in quolibet circumitu Sacerdotes clangebant cornibus ;) sed de sonitu protracto, vt mandauerat Deus pro signo clamandi. Vers. 16.

Et dixit Iehosua ad populum : Vociferamini : tradidit enim vobis Dominus ciuitatem.] Prius narratur res gesta, videlicet, prolixus sonitus editus à Sacerdotibus : deinde ratio rei gestæ, quæ ratio præcesserat ; verba enim hæc Iehosuæ prius fuerunt

runt dicta, quàm Sacerdotes prolixum illum sonitum ederent: sed & tunc quando Sacerdotes actualiter protrahebant sonitum, erant præpositi per exercitum spatij dicentes militibus; *Vociferamini.* Quæ autem sequuntur, dicta proculdubiò fuerant priùs: & nihilominus rationabile est, vt Iehosua disposuerit, vt Primates in ipso ingressu ciuitatis repeterent passim monita hæc.

Vers. 17. *Erítque ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt, Domino: tantum Rachab meretrix viuet cum vniuersis, qui cum ea in domo sunt. abscondit enim nuncios, quos misimus.*

Vers. 18. *Vos autem cauete, ne de iis, quæ prohibita sunt vobis, quippiam contingatis, & sitis prauaricationis rei: & omnia castra Israel sub peccato sint, atque turbentur.*

Vers. 19. *Quicquid autem auri, aut argenti fuerit, & vasorum æreorum, ac ferreorum Domino consecretur, repositum in thesauris eius.*] Alias diximus, quòd dictio interpretata, *anathema*, sonat destructionem. Et est sensus, quòd ciuitas illa erit tanquàm voto destructionis dicata Deo, hoc est, quòd ad honorem Dei destruetur ipsa cum omnibus, quæ in ea sunt, excepta Rachab, & argento, auro, ære, & ferro, quæ in thesauros domus Domini inferentur: ita quòd nulla pars militibus detrahetur; sed totum erit Dei, vel per modum destructionis, vel per modum oblationis, tanquàm primitiæ ciuitatum terræ promissionis. Et meritò: quia solus Deus expugnauit ciuitatem hanc.

Anathema, quid sonet.

Vers. 20. *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox, sonitúsque increpuit, muri illico corruerunt: & ascendit vnusquisque per locum, qui contra se erat,*

Vers. 21. *Et ceperunt ciuitatem, & euerterunt omnia, quæ erant in ea, a viro vsque ad mulierem, ab infante vsque ad senem, & vsque ad bouem, & ouem, & asinum, in acie gladij.*

Vers. 22. *Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Iehosua: Ingredimini domum mulieris meretricis, & educite eam, & omnia, quæ illius sunt, sicut illi iurastis.*

Vers. 23. *Ingressique iuuenes eduxerunt Rachab, & parentes eius, fratres quoque, & cunctam supellectilem, ac cognationem illius.*] Iuxta Hebr. habetur, *Et omnes progenies eius*, comprehendit enim filios, & filias, nepotes, &c. *& extra castra Israel manere fecerunt.* Intellige hoc aliquot diebus, tanquam diebus purgationis, in quibus eorum matres circuncisi sunt, & mulieres ablutæ: deinde habitarunt inter Israelitas, vt proselyti, vt inferius subditur.

Vers. 24. *Ciuitatem autem succenderunt igni: & omnia, quæ erant in ea: aurum, argentum, & æs, & ferrum, vasa area, ac ferrea posuerunt in thesauro domus Domini.*

Vers. 25. *Rachab ergò meretricem, & domum patris eius, & omnia, quæ habebat, fecit Iehosua viuere, & habitauit in medio Israel vsque in præsentem diem: quia abscondit nuncios, quos miserat Iehosua, vt explorarent Iericho. In tempore illo imprecatus est.*] Parui refert, quod Hebraicè habetur: *Et adiurauit Iehosua in tempore illo, dicens.* Significatur enim, quòd non humano voto, sed diuina authoritate, tanquàm adiurans, exècrationem hanc protulit.

Vers. 26. *Maledictus vir coram Domino, qui susceperit, & ædificauerit ciuitatem hanc Iericho. In primogenito suo fundabit eam.*] hoc est, in mortem primogeniti sui iaciet fundamentum.

In primogenito, & in nouissimo liberorum, quid.

Et in nouissimo liberorum.] Quanuis Hebraicè habeatur: *Et in paruo suo statuet portas eius.* Sensus tamen in idem redit. Et est sensus: Et in morte filij sui paruuli statuet portas eius. Et intendit per hoc annullionem omnium filiorum a principio ædificationis, vsque ad clausuram ciuitatis. Diuinam autem fuisse hanc sententiam testatur historia 3. Reg. cap. 16. nam sic euenisse restauratori Iericho ibidem scribitur.

Fuit ergo Dominus cum Iehosua: & nomen eius in omni terra vulgatum est.] Vers. 27.

CAPVT VII.

Vers. 1. *FILII autem Israel prauaricati sunt mandatum, & tulerunt de anathemate: nam Huchan filius Charmi, filij Zabdi, filij Zerach, de Tribu Iehuda, tulit de anathemate.*] Quemadmodum Romano vno aliquid agente consueuit dici: Romani fecerunt hoc ita vno Israelita peccante scribitur, filij Israel prauaricati, seu mentiti sunt: subiungendo tamen nomen peccatoris.

Cur vno peccante Deus iratus sit in omnes

Et iratus est furor Domini contra filios Israel.] Occultæ sunt nobis rationes diuinorum iudiciorum: vnus peccauit, & furor Dei exarduit in populum: huiusmodi enim iustitia non imitanda, sed admiranda proponitur hominibus: homo enim non potest huiusmodi pœnas extendere: quia non est dominus mortis, & vitæ, non subest potestati eius occidere, & viuificare: Deus autem nulli iniuriam facit, etiamsi omnia annihilaret: quia vtitur iure suo.

Vers. 2. *Misitque Iehosua viros de Iericho in Hai, quæ est iuxta Bethauen, ad Orientem Bethel. & dixit eis: Ascendite, & explorate terram. & ascenderunt viri, & exploranerunt Hai.*] Intellige, extrinsecùs: non enim est rationabile, quòd ingredi potuerint ciuitatem tam propinquam, & inimicam.

Vers. 3. *Et reuersi dixerunt ei: Non ascendat omnis populus, sed duo, vel tria millia virorum pergant, & deleant Hai: quare omnis populus frustra exhauritur contra hostes paucissimos?* Viderant enim oppidulum esse: & propterea dicebant, quòd pauci essent.

Vers. 4. *Ascenderunt ergo è populo circiter tria millia virorum: & fugerunt coram viris Hai,*

Vers. 5. *Et percusserunt ex eis viri Hai circiter triginta, & sex viros, & persecuti sunt eos coram porta vsque Sebarim, & cecciderunt per prona fugientes.*] Priùs more solito narrata est res gesta, videlicet, quòd Israelitæ fugerunt, & triginta sex percussi sunt: deinde narratur modus, quo res gesta est, videlicet, quòd persecuti sunt eos intra loci spatiũ, quod erat coram porta ciuitatis, vsque ad locum fractionum. *Sebarim* enim non est nomen proprium, sed appellatiuum: significans *fractiones*: qualitas enim loci perditionis inter scissa saxa significatur. Vnde & Hebraicè non dicitur: *Et ceciderunt per prona fugientes.* sed dicitur: *Et percusserunt eos in pendulo.* in loco enim pendulo illarum fractionum percusserunt eos. *Et liquefactum est cor populi, & fuit vt aquam.*

Sebarim, quid.

Vers. 6. *Iehosua vero scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram Arca Domini vsque ad vesperam, ipse & senes Israel, miseruntque pulueren super capita sua.*

Vers. 7. *Et dixit Iehosua: Heu, Domine Deus.*] Hebraicè

cè habetur: *Heu, Domini mei Iehouah, cur transire fecisti populum hunc Iarden?* Modus reuerenter alloquendi Deum in numero plurali insinuatur solitus, dicendo Deo, *Adonai*, hoc est, Domini mei.

Modus alloquendi reuerenter Deum.

Vt traderes nos in manus Emorei, & perderes.] Secundùm ordinem, quem præseferebat plaga illa, intellige dictum: *Vt traderes nos in manus Emorei.* Et similiter, iuxta eundem ordinem perditionis intellige, quod subiungitur:

Vtinam vt cœpimus, mansissemus trans Iordanem.] Quanuis Hebraïcè habeatur: *Et vtinam voluissemus, & sedissemus trans Iarden.* Verè enim hoc erat eligibilius, quàm euentus, quem præseferebat plaga illa.

Vers. 8. *Mi Domine Deus.*] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Obsecro, Adonai.* Et est aduerbium, *obsecro.* Imperfecta est oratio more stupentis, & dolentis. Vnde & subditur:

Quid dicam.] subaudi, nescio. Et ratio subditur collatio plagæ istius cum pollicitis à te.

Postquam vertit Israel cervicem a facie inimicorum suorum?

Vers. 9. *Audient Chenahanei, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circundabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra.*] Confert Iehosua futurum euentum ex fama talis plagæ: & inde infert:

Et quid facies nomini tuo magno?] Ac si apertiùs dixisset: Quanuis nos deleri parum sit; magnipendenda tamen est fama nominis tui magni, quæ ex huiusmodi effectu multùm lædetur: quia sub vmbra nominis tui venimus possessuri terram hanc.

Vers. 10 *Dixitque Dominus ad Iehosuam: Surge.*] Deficit, *tibi*, hoc est, surge ad tuam cellitudinem.

Supplicatio in afflictione non sufficit.

Cur iaces pronus in terra?] Non ignorantis, aut inquirentis, aut arguentis; sed insinuantis, quòd non sufficit supplicare, sed alio opus esse remedio, est vox ista.

Vers. 11. *Peccauit Israël, & prævaricatus est pactum meum, quod præcepi eis: tuleruntque de anathemate, & furati sunt, atque mentiti, & absconderunt inter vasa sua.*] Considera, prudens lector, quòd Deus pedetentim reuelat peccatum commissum; & primùm quidem in genere dicit: *Peccauit Israel.* deinde descendendo, dicit: *Et etiam prævaricati sunt pactum meum, quod præcepi eis.* præceperat enim, vt Iericho dicaretur penitùs Deo. Posteà ad speciem peccati descendens dicit: *Et etiam abstulerunt de destructione.* & amplius specificando, subiungit: *Et etiam furati sunt.* ad significandum, quòd occultè hoc fecerunt. Et accumulando crimen crimini subiungit: *Et etiam mentiti sunt.* per quod insinuatur, quòd Hachan post commissum furtum mentitus est se innocentem, sicut & reliquos. Rationi siquidem consentaneum est, vt præpositi à Iehosua continuè monuerint, ne aliquis vsurparet sibi quicquam de rebus Iericho, & quòd monuerint post incensam ciuitatem omnes, vt seruarent decretum anathema; & Hachan cum aliis dixerit, se seruasse. Et demum reuelat Deus locum occultati furti, dicendo: *Et etiam posuerunt in vasis suis.* Hebraïco siquidem idiomate valdè generale nomen est vas.

Deus pedetentim peccatum reuelat.

Vers. 12. *Nec poterunt filij Israel stare ante hostes suos, cervicem vertent coram inimicis suis, quia facti sunt in anathemate: non ero vltrà vobiscum, nisi disperdatis anathema è medio vestri.*

Surge, sanctifica populum.] Modus autem subiungitur: Vers. 13.

Et dices sanctificamini in crastinum.] Ipsa monitio populi, vt sanctificet se, appellatur actiua sanctificatio Iosuæ. Qualiter autem populus sanctificauit seipsum pro die crastino, scriptum non est: sed proculdubiò monentur, vt mundent corda sua contritione peccatorum, & sic seipsos præparent diuino examini in crastinum.

Contritio peccatorum sanctificat.

Sic enim dicit Dominus Deus Israel: Anathema est in medio tui, Israel, non poteris stare coram hostibus tuis, donec remoueatis anathema è medio vestri.] Scripta est hæc diuina reuelatio, vt intelligamus, hinc perseuerare diuinam iram, quandiu non purgatur peccatum. Et meritò: quia quandiu non purgatur peccatum, perseuerat materia iustitiæ vindicatiuæ. Et hoc si annotarent, & curarent, vt fieret, Principes, tam sæculares, quàm ecclesiastici, placarent sæpiùs iram Dei.

Peccatum quandiu non purgatur, diuina ira perseuerat.

Accedetisque mane per Tribus vestras: & quancunque Tribum sors inuenerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit Tribus, quam ceperit eam Iehouah.* ita quòd nulla fit mentio sortis, sed Dei capientis Tribum. Et similiter subiungitur de cognationibus, & domibus. Vers. 14.

Accedet per familias: & familia, quam ceperit eam Iehouah, accedet per domos: & domus, quam ceperit eam Iehouah, accedet per viros. Et quicunque deprehensus fuerit in anathemate, comburetur igni cum omni substantia sua.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omne, quod ei.* Quod ideò annotauerim, vt libretur mandatum Dei præcipientis comburi virum, qui accepit de destructione, & omnia, quæ illius sunt, seu & omnes, qui illi sunt. Vers. 15.

Quoniam prævaricatus est pactum Domini, & fecit nefas in Israel.

Surgens itaque Iehosua manè, applicuit Israel per Tribus suas.] Iuxta Hebræum habetur: *Fecit appropinquare Israel per Tribus suas.* Et similiter subiungitur de familiis, & domibus: verùm nescimus modum huiusmodi appropinquationis: & similiter nescimus modum deprehensionis, cùm subiungitur: Vers. 16.

Hachan quomodo deprehensus.

Et fuit deprehensa Tribus Iehuda. Et appropinquare fecit familiam Iehuda.

Et deprehendit familiam Zarchi: & appropinquare fecit familiam Zarchi per viros, & deprehensus est Zabdi. Vers. 17.

Et appropinquare fecit domum eius per viros, & deprehensus est Hachan, filius Charmi, filij Zabdi, filij Zerach, de Tribu Iehuda.] Fortè enim appropinquatio fiebat oblatione Tribuum, familiarum, domorum, virorúmque coram Deo: & diuino aliquo signo deprehendebatur certa Tribus, certa familia, certa domus, certus vir. Vers. 18.

Dixitque Iehosua ad Hachan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël.] Parui refert, quòd Hebraïcè dicitur: *Pone nunc honorem Iehouah Elohe Israël.* Blandè monet Iehosua deprehensum virum, vt quanuis præterito tempore peccauerit, nunc saltem deprehensus ponat in manifestatione veritatis honorem debitum fonti essendi, Iudici Israël. Vers. 19.

Peccator blandè monetur à Iehosua.

Et confitere.] Iuxta Hebræum habetur: *Et da ei laudem*, seu *confessionem.* Declarat in specie, in qua re ponendus sit honor diuinus; videlicet, in confessione, seu laude diuini signi, quo deprehensus est.

Et indica mihi, quid feceris, nec absondas à me.

me.] Ad specialissima descendit : manifestando, quòd indicare mihi, quid feceris, erit ponere honorem Deo, & date confessionem laudis illi.

Vers. 20. *Respondítque Hachan Iehosuæ, & dixit : Verè ego peccaui Domino Deo Israel, & sic & sic feci.*

Vers. 21 *Vidi enim inter spolia pallium coccineum.* Iuxta Hebræum habetur : *Pallium Babylonicum vnum bonum.* Pretiosum, seu singulare aliquid sonat tunc notissimum, nunc autem ignotum.

Et ducentos siclos argenti.] Intellige pecuniam argenteam.

Regulamque.] Iuxta Hebræum habetur : *Et linguam auri vnam ponderis quinquaginta siclorum.*] Sub figura enim linguæ formatum erat aurum illud.

Et concupiui, & abstuli ea : & ecce abscondita sunt in terra contra medium.] Iuxta Hebræum habetur, *in medio tentorij mei.* in ipso enim tentorio significatur occultatum furtum.

Argentúmque fossa humo operui.] Iuxta Hebræum habetur : *Et argentum sub ea.* videlicet, lingua, ac velle.

Vers. 22. *Misítque Iehosua nuncios, & cucurrerunt ad tentorium : & ecce absconditum erat in tentorio eius, & argentum sub eo.*

Vers. 23. *Auferentésque de tentorio, tulerunt ea ad Iehosuam, & ad omnes filios Israël : proiecerúntque ante Dominum.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et statuerunt ea coram Iehouah.*

Vers. 24. *Et tulit Iehosua Hachan, filium Zerach, & argentum, & pallium, & linguam auream, & filios, ac filias eius, bouésque, & asinos, & oues, & tentorium eius, & omnia, quod erat ei, & omnis Israël cum eo.*] Narratur non tolùm ipsum, & res eius, sed etiam filios, & filias ducta fuisse, vel ad supplicium, vel ad videndum supplicium patris.

Hachor, *quid.* *Et duxerunt eos ad vallem Hachor.*] hoc est, vallem conturbationis. *Hachor* siquidem non est nomen proprium, sed est nomen appellatiuum significans turbationem. Et fuit appropriatum (vt in calce huius capituli dicitur) illi valli propter verba Iosuæ.

Vers. 25. *Dixítque Iehosua : Quia turbasti nos, turbabit te Iehouah in die isto.*] Sunt enim verba sententiæ, quam tulit Iehosua aduersùs Hachan.

Lapidauítque eum omnis Israel, & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt.] Iuxta Hebræum habetur : *Et combusserunt eos igni, & lapidauerunt eos lapidibus.* Tria narrantur : primum, quòd omnis Israël lapidauit Hachan : secundum, quòd combusserunt eos igni : & tertium, quòd lapidauerunt eos. Vnde nascuntur multæ difficultates, prima est circa ordinem pœnarum, an priùs fuerit lapidatio, an combustio. Secunda est, an pronomen, *eos*, comprehendat filios, & filias, cùm lege Mosis prohibitum sit occidere filios pro peccatis parentum. Tertia, quare duabus pœnis affectus fuerit, lapidationis, & combustionis. Solutio primæ est, quòd quia Deus in hoc eodem cap. mandauerat, quòd deprehensus in anathemate comburetur igni ; ideò simul, & semel Hachan combustus est, & lapidatus : inter lapidandum enim comburebatur, & inter comburendum lapidabatur. Et similiter intellige de suis demonstratis per pronomen, *eos.* Quod pronomen demonstrare oues, asinos, boues, & reliqua, quæ ipsius Hachan erant, non est dubium : caeterùm siquidem Hebræi neutro genere, vtuntur masculino genere, etiam pro neutro. An autem comprehendantur filiæ, & filij, non est clarum : quia non est certum, an fuerint ætatis adultæ, & participes criminis : & rursus non certum est, an dicente Deo : *Comburetur ipse, & omne, quod ei, seu, & omnes qui ei.* mandauerit comburi ipsum, & filios etiam paruulos. Certum est enim, quòd filij, & filiæ ducti sunt ad locum supplicij : & contextus sonat, quòd fuerunt combusti, & lapidati : sed non humana, sed diuina authoritate in dictis verbis intellecta. Quod enim Interpretes dicunt : *Et omne, quod ei.* Hebraicè potest in numero plurali, & masculino genere sonare : *Et omnes, qui ei.* & hunc sensum, tanquàm magis consonum Literæ, complectendum reor. Duplicis autem pœnæ ratio non rigor iustitiæ, sed clementia potiùs videtur : præceperat siquidem Deus inuentum in hoc crimine comburi, nec fas erat diuinam sententiam præterire : quia tamen Hachan confessus est, dando Deo gloriam, peccatum suum, temperauit Iosua incendium lapidatione : vt confessus, qui absolui non poterat, minùs sentiret tormentum incendij lapidatione, & citiùs, & mitiùs in igne moriens.

Hachan quare duplici pœna affectus.

Erexerúntque super eum aceruum lapidum magnum, qui permanet vsque in præsentem diem, & auersus est Dominus ab ira furoris sui.] Cessante materia vindictæ per punitionem malefactoris, cessauit & Deus irasci ; hoc est, perseuerare in punitione : magna enim punitio erat, non adiuuare illos contra hostes. Vers. 26.

Vocatúmque est nomen loci illius, vallis Hachor, vsque in hunc diem.

CAPVT VIII.

Vers. 1. *DIXIT autem Dominus ad Iehosuam : Non timebis, neque formidabis.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et non te franges.* Purgato anathemate confortat Deus Iosuam, vt non frangatur animo, sed ad pristinam integritatem redeat, & aggrediatur ciuitatem Hai.

Tolle tecum totum populum bellatorem, & surge, ascende in Hai : vide, tradidi in manum tuam Regem eius, & populum, ciuitatémque, & terram.

Vers. 2. *Facíesque Hai, & Regi eius, sicut fecisti Iericho, & Regi eius : tantùm spolia, & animalia eius diripietis vobis.*] Excipit à similitudine tractandi Hai, sicut Iericho, prædam, concedendo ipsam populo.

Pone insidias ciuitati a tergo eius.] Si peccatum esset vti insidiis in bello iusto, non doceret, ac mandaret Deus hoc. *Insidiæ in bello iusto licitæ.*

Vers. 3. *Surrexítque Iehosua, & totus populus bellatorum cum eo, vt ascenderent in Hai : & electa triginta millia virorum fortium misit nocte.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et elegit Iehosua triginta millia virorum potentium fortitudine, & misit eos nocte.*] Non dicit Litera, quòd misit omnes eos, sed dicit : *Et misit eos.* Vt enim paulò inferius patebit, quinque millia duntaxat misit ex electis triginta millibus.

Vers. 4. *Præcepítque eis dicens : Videte, insidiamini ciuitati a tergo iosiu, nec longiùs recedatis.*] Deficit, *à ciuitate valdè.* mandat enim, vt non multùm elongentur à ciuitate Hai.

Et eritis omnes parati.] Deficit, *vos.* Legendum est : *Et eritis omnes vos parati.* alloquitur enim illa quinque millia, quæ mittebat ad insidias.

Ego

Vers. 5. *Ego autem, & tota multitudo, quæ mecum est, accedemus ad ciuitatem.*] Multitudo viginti quinque millium electorum refertur.

Cumque exierint contra nos, sicut antè fecimus, fugiemus ante eos.

Vers. 6. *Donec persequentes à ciuitate longius prætrahantur: putabunt enim nos fugere sicut prius.*] Quemadmodum vti licet insidiis, ita occultare & differre pugnam fugiendo ad trahendum hostes in locum, vbi facilius superentur.

Cautela in bello iusto licita.

Vers. 7. *Nobis ergo fugientibus, & illis persequentibus, consurgetis de insidijs, & capietis ciuitatem: tradetq; eam Dominus Deus vester in manus vestras.*

Vers. 8. *Cumque ceperitis ciuitatem, succendite eam, & sic omnia facietis vt iussi.*] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut verbum Iehouæ facietis, videte, præcepi vobis.*] Monet eos Iosua, vt iuxta imperium Dei incendant ciuitatem.

Vers. 9. *Dimisitque eos, & perrexerunt ad locum insidiarum, sederuntque inter Bethel, & Hai ad occidentalem plagam Hai.*] Nota locum propter eos, quæ paulò post subiunguntur.

Iosua autem nocte illa mansit in medio populi.

Vers. 10. *Surgensque diluculo recensuit populum.*] Iuxta Hebræum habetur *Ordinauit populum*, procul dubiò viginti quinque millium bellatorum.

Et ascendit cum senioribus in fronte exercitus, ducturus auxilio pugnatorum.] Sensus rectè redditur: quanquis Hebraicè habeatur non exercitus, sed populus: esse enim sermonem de populo bellatore, testantur subiuncta verba statim in Hebræo.

Vers. 11. *Et omnes populus bellі, qui cum ipso ascenderunt, & appropinquauerunt, & venerunt contra ciuitatem.*] Hinc enim clarè apparet quòd de populo bellatore est sermo. Præcedebant autem senes, ne viri robusti turpe reputarent fugere, sed senum auctoritate regerentur.

Castrametatique sunt ab aquilone Hai, & vallis erat inter eos & Hai.

Vers. 12. *Quinque autem millia viros elegerat.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et accepit, sicut quinque millia virorum, & posuit eos insidiatores inter Bethel, & inter Hai ab occidente ciuitatis.* Suppletio est explicatiua numeri missorum ad insidias: nam non dicitur, quòd ex triginta millibus gentis reuocauit viginti quinque millia: sed dicitur, quòd accepit procul dubio ex triginta millibus electis quinque millia, & posuit ea mandato ad occidentalem plagam ciuitatis. Et idem penitus locus describitur insidiarum hic, & paulò superius: quò non perrexit Iosua, qui in septentrionali plaga substitit.

Vers. 13. *Omnis verò reliquus exercitus ad Aquilonem aciem dirigebat; ita vt nouissimi multitudinis occidentalem plagam ciuitatis attingerent.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et posuerunt populus omnia castra, quæ erant ab Aquilone ciuitatis, & insidias suas ab occidente ciuitatis.* Repetitur siquidem ad integram simul descriptionem exercitus dispositio vtriusque partis: videlicet, quòd populus cum Iosua erat ad septentrionem, insidiæ autem ad occidens ciuitatis.

Et perrexit Iehosua nocte illa in medium vallis.] Suppletur progressus Iosuæ in vallem: narratum enim fuerat, quòd erat vallis inter ipsos, & ciuitatem: suppletur modo describendo, quòd non tota erat vallis media: quod Iosua cum suis maneret extra vallem; sed vsque ad dimidium vallis progressus fuit: ita quòd media vallis supererat inter Iosuam, & ciuitatem.

Vers. 14. *Quod cum vidisset Rex Hai, festinauit mane, & egressus est cum toto populo ciuitatis: direxitque aciem contra desertum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Ad admirationem in faciem: planities.* Congregatio enim, quæ erat cum Iosua deserebatur: versus enim illam progrediebatur Rex cum populo suo.

Et nesciebat, quod insidiæ essent post a tergo ciuitatis.

Vers. 15. *Iehosua verò, & omnis Israel cesserunt loco simulantes metum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et plagam fecerunt Iehosua, & omnis Israel coram eis, & fugerunt per viam solitudinis.* Sic ad verbum scribitur Hebraicè. Qualis autem fuerit plaga, non narratur: leuissima tamen aliqui ictus creduntur attigisse Israelitas.

Vers. 16. *Et conclamatus fuit omnis populus in ciuitate ad persequendum eos: & persecuti sunt Iehosuam, & euulsi sunt a ciuitate.*

Vers. 17. *Et non remansit vir in Hai, & in Bethel, qui non egressus fuerit post Israel.*] Crediderim ego, Bethel oppidulum valdè propè quam Hai, & tanquam villam fuisse vibis Hai, vnde & prædæ ipsius non fit specialis mentio.

Et reliquerunt aperta oppida.] Iuxta Hebræum habetur: *Et reliquerunt ciuitatem apertam, & persecuti sunt Israel.* Tanquam pro nihilo habeatur Bethel, sola Hai describitur aperta.

Vers. 18. *Dixitque Dominus ad Iosuam: Leua clypeum, qui in manu tua est contra ciuitatem Hai.*] Iuxta Hebræum habetur: *Inclina mucronem tuum in lancea, quæ in manu tua ad Hai.* hoc est, inclina lanceam: versus Hai sublentando eam manu tua. Vnde patet, quod nō in signū victoriæ positus ad insidias, sed in sacramenti in actio ita facta est.

Quoniam in manum tuam tradam eam.

Vers. 19. *Cumque eleuasset clypeum ex aduerso ciuitatis.* Iuxta Hebræum habetur: *Et inclinauit Iehosua lanceam, quæ in manu sua ad ciuitatem.* Ex quibus manifestè patet, quod mysterij gratia tussa est huiusmodi inclinatio lanceæ: quod clarius paulò infernus manifestatur.

Et insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim: & pergentes ad ciuitatem, ceperunt, & succenderunt eam.] Diuina procul dubiò operatione factum est, vt extendente Iosua manum suam versus ciuitatem, insidiæ tum exirent, & ceperint, atque succenderint ciuitatem: Hebraicè enim repetitur inclinatio manus: nam legitur: *Et insidiator surrexit citò è loco suo, & cucurrerunt inclinante Iehosua manum suam, & venerunt ad ciuitatem, & ceperunt eam, & festinauerunt, & succenderunt ciuitatem igni.* Vbi clarè patet, quòd inclinatio manus tanto fuit surgendi: operante Deo simul vtrunque sed mediante inclinatione manus Iosuæ] quòd constituti in insidiis surgerent scilicet ad capiendam ciuitatem.

Extensio manus Iosuæ, quid operata fuerit.

Vers. 20. *Viri autem ciuitatis, qui persequebantur Iehosuam, respicientes post se, & videntes fumum ciuitatis vsque ad cælum conscendere, non potuerunt huc illucque diffugere: præsertim cum illi qui simulauerant metum, & rendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissimè reuertissent.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et populus, qui fugerat in desertum, versus est ad persequentes.* plus enim dicitur, quàm resistere.

Vers. 21. *Videntes quæ Iehosua, & omnis Israel, quòd capta esset ciuitas, & fumus ciuitatis ascenderet, reuersi percusserunt viros Hai.*

Vers. 22. *Siquidem & illi qui ceperant, & succende-*

rant ciuitatem, egressi ex ciuitate contra suos.] Legendum est, *contra eos*, videlicet, viros Hai.

Medios ferire coperunt. Cum ergo ex utraque parte à loco fugæ caderentur, ita vt nullus de tanta multitudine saluaretur,

Vers. 23. *Regem quoque ciuitatis Hai apprehenderunt viuentem, & obtulerunt Iesuæ.*

Vers. 24. *Postquam omnibus interfectis, qui Israelem ad deserta tendentem fuerant persecuti, & in eodem loco gladio consumptis, reuersi filij Israel percusserunt ciuitatem in ore gladij.*] Interfecerunt enim mulieres, & paruulos.

Vers. 25. *Fuerunt autem, qui die illa ceciderunt, à viro vsque ad mulierem, duodecim millia omnes viri Hai.*

Vers. 26. *Iesu siue verò non contraxit manum, quam in hastæ forma porrexerat tenens clypeum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et Iehosua non reduxit manum suam, quam inclinauit cum lancea, vsquequo interfecit omnes habitantes Hai.* Hanc manus hastæ inclinationem, quæ dicitur manus, ac lancea versus ciuitatem diuinam fuisse, ex eo intelligimus, quòd, quemadmodum pugnante Israele contra Hai, dicebatur manus Moysi contra Hai, ita pugnante Israele contra Hai, intelligebatur manus ac lancea Iosuæ contra eandem, ratio scilicet vincendi. Disponit autem Deus intercedentibus huiusmodi signis sensibilibus victoriæ vias, ad clarius manifestandum, quod ipse Deus est author victoriæ: tensa enim manus Iosuæ cum lancea versus Hai, signum erat diuinum diuinæ pugnæ contra ciuitatem illam.

Inclinatio manus Iosuæ contra Hai, donec fuit consummata.

Vers. 27. *Tantum iumenta, & prædam ciuitatis diuiserunt sibi filij Israel, sicut præceperat Dominus Iesu suæ.*

Vers. 28. *Et succendit Iesus Hai: & posuit eam tumulum sempiternum.*

Recem [illegible] vesperi erant: & præcepit Iosue, vt auferrent cadauera eorum de ligno, & proicerent ea vbi ante fores ciuitatis ruinam parauerant, congregatoque ligno, quod in igne succensum in tumulum, permanet vsque in præsentem diem.

Vers. 29. *Iudex autem Israel in altare Domino Deo Israel in monte Hebal,*

Vers. 31. *Sicut Moses seruus Domini præceperat filijs Israel, & Deuteronomij, & scriptum est in volumine legis Mosi:* Exod. 20. *altare ex lapidibus impolitis, quæ ferrum non tetigit, & obtulerunt super illud holocausta Domino, immolauerunt que victimas pacificas.*

Vers. 32. *Et scripsit super lapides.*] Legendum est: *Et scripsit ibi super lapides.* Deuter. 27. mandante Moses non solum ædificari altare in monte Hebal, sed etiam erigi ibidem magnos lapides limendos, calce, vt posset in illis scribi: & propterea huius mandati executio narratur, dicendo: *Et scripsit ibi super lapides.* est siquidem fermo de istis lapidibus magnis limitis calce.

Sacerdotes ad latus arcæ stantes præcepta legis Domini coram filijs Israel scribebant.

Deuteronomium legis Mosi, quod ille describebat.] Iuxta Hebr. habetur: *Secundationem legis Mosi, quam scripsit coram filijs Israel.* Vt Hebræice dicitur intelligatur, sciendum est nomen Deuteronomium à secundus, secunda, secundum: significat enim Hebraica dictio non secundam legem, sed secundi hoc est secundationem. Et hæc litera innuerat, quòd in lapidibus scripta erant præcepta illa, quæ Deut. 6. describuntur Moses, videlicet, de vnitate Dei, & de amore Dei: hæc enim sunt præcipua & præcipuè explicata in secundaria traditione legis, quam fecit Moses, vt doctor legis à Deo traditæ.

Omnis autem Israël, & seniores eius, & Duces, ac Iudices stabant ex vtraque parte Arcæ in conspectu Sacerdotum, Leuitarum portantium Arcam fœderis Domini, tam peregrinus, sic indigena, dimidia pars eorum iuxta montem Gherizim, & dimidia iuxta montem Hebal.] Ordo tacitus in Deuteronomio manifestatur hic: tria enim circa localem dispositionem populi in hoc solenni actu declarantur. Primum, quòd diuisus erat populus in duas partes: alteram à dextris, alteram à sinistris Arcæ. Secundum, quòd ambæ partes erant in conspectu Sacerdotum portantium Arcam: ita quod non erat pars populi post Arcam, & pars ante Arcam: sed omnes erant in prospectu Sacerdotum portantium Arcam. Tertium est, quòd populus erat diuisus in duas medietates, sic quòd vna medietas erat iuxta montem Gherizim. Vers. 33.

Dispositio localis populi sui Iesum.

Sicut præceperat Moses seruus Domini, & primum quidem benedixerat populo Israel.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad benedicendum populo Israel primum.* Lege capitulum vigesimum septimum Deuteron. mihi iuxta Hebraicam veritatem ibi enumeres scriptum à Mose: *Isti stabunt ad benedicendum populum super montem Gherizim.* & intelliges præsentis literæ sensum esse, quòd populus contenerat sic locatus ad benedicendum in primis ipsum Israël populum. Quamuis enim benedictiones, & maledictiones tunc legerentur, ordo tamen hic declaratur, quòd primum legebantur benedictiones.

Benedictiones ante maledictiones legit Iesus.

Post hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis, & omnia, quæ scripta fuerant in legis volumine.] Iuxta Hebræum habetur: *Et postea sic legit omnia verba legis, benedictionem & maledictionem: iuxta omne, quod scriptum est in libro legis.* Prius narrata est, cum localis dispositio populi, quam ordo secundus inter benedicendum, & maledicendum: modò narratur executio, dicendo, quòd post constitutum populi sic locati legit promiscuè ibi à Iosue per Sacerdotes, seu Leuitas, omnia verba legis, appositum benedictionem, & maledictionem, iuxta omne scriptum in libro legis. Interpres enim vulgatæ editionis mutauit, vt voluit. Vers. 34.

Nihil eorum quæ Moses iusserat, reliquit intactum, sed omnia replicauit.] Iuxta Hebr. habetur: *Non fuit verbum ex omnibus, quæ præcepit Moses, quod non legit Iehosua.* Intelligo, vt dictum est, per Sacerdotes. Vers. 35.

Coram omni multitudine Israel, & mulieribus, ac paruulis, & peregrinis, qui inter eos morabantur.]

CAPVT IX.

Vers. 1. (*) Vt audiuit autem, cunctis Regibus, qui erant trans Iordanem in monte, & in planitie, & in omni littore maris magni contra Libanum Cinnaræum, & Euæum, Chenaanæum & Pherezæum, Iebuſæumque. (*) Iebuſæi.)

Vers. 2. *Congregati sunt pariter, vt pugnarent contra Iehosue, & Israel vnanimiter.*

Vers. 3. *Habitatores autem Gabaon audierunt, quod fecerat Iesue, & Israelitæ Hai.*

Vers. 4. *Et ipsi callidè egerunt. Tulerunt enim ipsi cibaria.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecerunt, & legerunt legationem.* Significatur enim, quòd personas Legatorum assumpserunt: fingebant enim se Legatos gentis remotæ regionis, hoc est enim, quòd cum ingenio fecisse describuntur.

Ceperant pa-

Vers. 5. *Ceperúntque sacci veteres, quos asinis imposuerunt, & vtres vinarios scissos, atque consutos.*

Et calceamenta peruetusta, quæ ad indicium vetustatis pittacijs consuta erant, indutis veteribus vestimentis: panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, & in frusta comminuti.] Subiungit signa Legatorum à valdè remotis partibus: videlicet, saccos veteres, & vtres veteres, scissos, & colligatos, calceos similiter veteres, & resarcitos, vestes quoque veteres, & demum panes siccos, & mucidos, quanuis vulgata editio aliter habeat.

Vers. 6. *Perrexerúntque ad Iehosuam ad castra Ghilgal, & dixerunt ei, atque simul omnis Israeli.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et ad virum Israel.*

De terra longinqua venimus, & nunc percutite nobiscum fœdus.] Significatur enim, quòd passim interrogantibus Israëlitis hoc dicebant.

Responderúntque viri Israël ad eos.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad Chiuæum.* Nomen est nationis Gabaonitarum, & eorum ciuitatum.

Vers. 7. *Atque dixerunt: Ne forte in terra, quæ nobis sorte debetur, habitetis, & non possimus fœdus inire vobiscum.*

Vers. 8. *Dixerúntque ad Iehosuam: Serui tui sumus. Quibus Iehosua ait: Quinam estis, & vnde venistis?*

Vers. 9. *Et dixerunt ei: De terra longinqua valde venerunt serui tui in nomine Domini Dei tui.*] Annotabis, prudens lector, quòd profitentur Gabaonitæ se venisse in nomine Iehouah Elohe Israël, vt intelligas iam profiteri se paratos ad cultum summi Dei, qui colitur ab Israël.

Vers. 10. *Audiuimus enim famam eius, & omnia, quæ fecit in Ægypto, & omnia, quæ fecit duobus Regibus Emorræ, qui erant trans Iarden: Sichon Regi Chesbon, & Hog Regi Basan, qui erant in Hastaroth.*] Non taciunt mentionem gestorum contra Iericho, & Hai, ne conuincerentur vicini: gesta enim tempore Mosis poterant sciri etiam à remotis regionibus: nuperrimè autem gesta à Iosua contra Iericho, & Hai, non erant tunc nota, nisi vicinis.

Vers. 11. *Dixerúntque nobis seniores nostri, & omnes habitatores terræ nostræ: Tollite in manibus vestris cibaria pro itinere, & ite in occursum eorum, ac dicite: Serui vestri sumus: & nũc percutite nobiscũ fœdus.*

Vers. 12. *En panes, quando egressi sumus de domibus nostris, vt veniremus ad vos, calidos sumpsimus: & nunc sicci factis sunt, & vetustate nimia comminuti.*

Vers. 13. *Vtres vini nouos impleuimus, nunc rupti sunt, & soluti: vestes, & calceamenta, quibus induimur, & quæ habemus in pedibus, ob longitudinem viæ trita sunt, & penè consumpta.*

Vers. 14. *Susceperunt igitur de cibariis eorum.*] In signum communionis, & pacis sumpserunt Israëlitæ de alimentis Ghabaonitarum.

Signum pacis apud Israelitas.

Et os Domini non interrogauerunt.] Ecce defectus culpaque omissi recursus ad Deum: debebant enim Iosua, & Primates consulere Deum, cum suspicarentur illos Legatos venisse de regione propinqua.

Vers. 15. *Fecitque Iehosua cum eis pacem, & iniito fœdere pollicitus est, quod non occiderentur; Principes quoque multitudinis iurauerunt eis.*

Vers. 16. *Post dies autem tres initi fœderis audierunt, quòd vicini essent sibi, & in medio sui habitarent.*

Vers. 17. *Mouerúntque castra filij Israel.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et profecti sunt filij Israël, & venerunt in ciuitates eorum die tertio: quarum hæc sunt nomina, Ghibbon, & Cephira, & Beeroth, & Ciriath-Iearim.*] Non significatur, quòd transmigrarunt castra populi ex Ghilgal: sed quòd exercitus bellatorum venit die tertio ad ciuitates, (hoc est, ad territoria ciuitatum) Ghabaonitarum: & tunc audierunt, quòd ciuitates illæ erant, cum quibus fecerant fœdus.

Et non percusserunt eos filij Israel, eò quòd iurassent eis Principes multitudinis per Dominum Deum Israël: & murmurauit tota multitudo contra Principes. Vers. 18.

Qui responderunt eis: Iurauimus eis per Dominum Deum Israël: & idcircò non possumus eos contingere.] Primates, qui iurauerant, censuerunt, seruandum esse iuramentum ob reuerentiam diuini nominis. Et meritò: quia, quanuis decepti, debebant tamen admittere Ghabaonitas non induratos in cultu idololatriæ, sed paratos ad cultum summi Dei, & timentes iudicia eius: diuinum enim decretum Exod. 34. & Num. 33. intelligi de obstinatis manifestatur infrà in cap. 11. vbi redditur ratio disparitatis inter Ghabaonitas, & alios populos penes indurationem aliorum, & non indurationem Ghabaonitarum. Iuramentum itaque non fuit aduersùs decreta Dei: & propterea seruandum erat, quanuis errauerint in modo pacificendi: quia os Domini non interrogauerunt. Vers. 19.

Iuramentum seruandum.

Sed hoc faciemus eis: reseruentur quidem, vt viuant, ne contra nos ira Domini concitetur, si peierauerimus.] Iurauerant enim non occidere illos, & propterea integrum seruandum censent iuramentum: ad sedandum autem tumultum militum addicti sunt cuidam publicæ seruituti. Vers. 20.

Sed sic viuant, vt in vsus vniuersæ multitudinis ligna cædant, aquasque comportent, quemadmodum locuti sunt eis Principes.] Sensus est, vice vniuersæ synagogæ Israel erunt, ad incidendum ligna, & ad hauriendum aquam in vsum (vt infrà exprimitur) domus Dei. In fauorem itaque Israël hoc intellige: tenebatur enim populus Israel prouidere de lignis, & aqua domui Dei: & exoneratus est, ac absolutus ab hoc debito per hanc seruitutem Ghabaonitarum, & propterea in bonum populi scribitur hoc pactum, quanuis seruitutis vtilitas directè respiceret domum Dei: & propterea & domus Dei, & populi mentio in litera fit. Vers. 21.

Israelita prouidebant de lignis, & aquæ domui Dei.

Vocauitque eos Iehosua, & locutus est ad eos dicendo: Cur decepistis nos, dicendo: Longinqui sumus à vobis valdè: & vos in medio nostri habitatis? Vers. 22.

Et nunc maledicti estis, (species enim mali seruitus est,) & non deficient de stirpe vestra cædentes ligna, & haurientes aquam domui Domini Dei mei. Vers. 23.

Qui responderunt: Cum indicatum esset seruis tuis omne, quod præcepit Dominus Deus tuus Mosi seruo eius, ad dandam vobis omnem terram, & ad disperdendum omnes habitatores terræ à facie vestra, timuimus valdè animabus nostris à facie vestra, & fecimus hoc.] Et hinc quoque apparet Ghabaonitas timuisse Deum Israël, & non fuisse induratum cor eorum, quemadmodum aliorum populorum. Vers. 24.

Ghabaonitæ timebant Deum.

Nunc autem in manu tua sumus: quod tibi bonum, & rectum videtur, fac nobis. Vers. 25.

Fecit ergo Iehosua, vt dixerat, & liberauit eos de manibus filiorum Israel, vt non interficerentur. Vers. 26.

Vers. 17. *Et nunciatum est Iehosuæ, quòd inuenti essent quinque Reges absconditi in spelunca in Maceda.*

Vers. 18. *Qui dixit socijs.*] Nulla fit in Hebræo mentio sociorum.

Voluite saxa ingentia ad os spelunca: & ponite viros, qui clausos custodiant.

Vers. 19. *Vos autem ne stetis, sed persequimini hostes, & extremos quosque fugientium cædite.*] Hinc patet, quòd in illo die longo fuit hoc gestum, durante adhuc fuga hostium.

Non sinatis eos intrare ciuitates suas: quia tradidit eos Dominus in manus vestras.

Vers. 20. *Cæsis ergo aduersarijs plaga magna, & vsque ad internecionem penè consumptis, q, qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt ciuitates munitas.*

Vers. 21. *Reuersusque est omnis populus ad Iehosuam in Maceda, vbi tunc erant castra.*] Perpende hinc, quòd Iosua priùs venit ad territorium Macedæ cum multitudine militum: & quia ibidem substitit expectando alios, qui longiùs persecuti sunt hostes, ideò scribitur, quòd reuersi sunt ad castra ad Iosuam in Maceda.

Pacis nomine apud Hebr. salus appellatur.

Sam, & integro numero.] Expositio est: nam Hebraicè habetur, *in pace*, Hebræi siquidem pacis nomine salutem appellare consueuerunt. Et ratio pacifici regressus subiungitur dicendo.

Nullus contra filios Israel mutire ausus est.] Circunstantes siquidem ciuitates narrantur continuisse suos intra se, & non exisse contra Israëlitas milites regredientes.

Vers. 22. *Reges quinque suspensi.*

Dixitque Iehosua: Aperite os spelunca, & adducite ad me quinque Reges illos, qui in ea latitant.] Rem hanc fuisse gestam altero die testatur subiuncta litera, narrans Reges hos fuisse suspensos vsque ad vesperam, & cùm occubuit Sol, fuisse depositos de lignis: dies enim ille longus occupatus fuit persequendo hostes, & alio die fuerunt mane suspensi Reges illi: & propterea dicitur, quòd manserunt suspensi vsque ad vesperã.

Vers. 23. *Fecerúntque ita, & adduxerunt ad eum quinque Reges de spelunca: Regem Ierusalaim, Regem Chebron, Regem Iarmuth, Regem Lachis, Regẽ Heglõ.*

Vers. 24. *Cúmque adducti essent ad eum, vocauit omnes viros Israel, & ait ad Principes exercitus, qui cum eo erant: Ite, & ponite pedes vestros super colla Regum istorum: qui accesserunt, & posuerunt pedes suos super colla eorum.*

Vers. 25. *Dixitque ad eos Iehosua: Ne timeatis, & ne formidetis, confortamini, & estote robusti: sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, contra quos pugnatis.*

Vers. 26. *Et post hoc percussit eos Iehosua, & interfecit ipsos, atque suspendit super quinque stipites: fueruntque suspensi vsque ad vesperum.*

Vers. 27. *Cúmque occumberet Sol, præcepit Iehosua, & deposuerunt eos de lignis, & proiecerunt eos in speluncam, in qua se absconderant: & posuerunt super os spelunca saxa ingentia, quæ permanent vsque in præsens.*

Vers. 28. *Eodem die Maceda quoque cepit Iehosua.*] Non est sensus, quòd illomet die, quo gesta sunt hæc prædicta: sed est sensus, quòd vno die, non diuersis diebus cepit Iosua ciuitatem Macedam: explicatur enim, quòd vno solo die fuit occupatus ad capiendum Maceedam. Vnde & Hebraicè habetur:

Et Maceda cepit Iehosua in die ipso.] Eadémque verba repetuntur inferiùs in expugnatione Heglon: vbi vulgata quoque editio habet, *eadem die*. secundùm nanque historiæ veritatem expugnatio Macedæ fuit post illum longum diem, & post suspensos Reges.

Et percussit eam in ore gladij, Regémque illius interfecit, & omnes habitatores eius. Non dimisit in ea saltem paruas reliquias: fecitque Regi Macedæ, sicut fecerat Regi Iericho.

Transiuit autem Iehosua cum omni Israël de Maceda in Libnam, & pugnauit cum Libna. Vers. 29.

Tradiditque Dominus eam in manus Israel, & Regem eius: percussitque eam in ore gladij, & omnes habitatores eius. Non dimisit in ea vllas reliquias: & fecit Regi eius, sicut fecerat Regi Iericho. Vers. 30.

De Libna autem transiuit Iehosua cum omni Israël in Lachis: & exercitu per gyrum disposito oppugnauit eam. Vers. 31.

Tradiditque Dominus Lachis in manus filiorum Israël: & cepit eam die altero.] hoc est, die secũda: vt clarè explicatur in Hebræo. Et est sermo de secunda die ab initio oppugnationis ciuitatis Lachis. Ratio autem, quare secundus adiunctus est dies, subiungitur, quia Rex Ghezer venit in auxilium Lachis. Vers. 32.

Et percussit eam in ore gladij, & omnem animã, quæ erat in ea, iuxta omnia, quæ fecerat Libnæ.

Tunc ascendit Horam Rex Ghezer, vt auxiliaretur Lachis: & percussit eum Iehosua, & populum eius vsque ad internecionem. Vers. 33.

Transiuitque Iehosua, & omnis Israël cum eo de Lachis in Heglon, & circundedit, Vers. 34.

Atque expugnauit eam in eadem die.] hoc est, in vnico die, vt priùs declarauimus. Vers. 35.

Percussitque eam in ore gladij, & omnes animas, quæ erant in ea: iuxta omnia, quæ fecerat Lachis.

Ascendit quoque cum omni Israël de Heglon in Chebron.] Intellige de omni Israël bellatore: non enim vniuersus populus, qui erat in Ghalgalis, sed vniuersi bellatores cum Iosua ascenderunt de Heglon in Chebron, Vers. 36.

Et pugnauit contra ea.

Et cepit, ac percussit eam in ore gladij, & Regem eius. Hinc apparet, quòd nouus Rex successerat in Chebron: nam Regem Chebron suspenderat cum quatuor aliis Regibus Iosua: & illum quidem suspenderat; successorem autem eius gladio occidit, vt hic dicitur.

Et omnia oppida regionis illius.] Parui refert, quòd Hebraicè legitur: *Et omnes ciuitates eius.* Sed hinc patet, quòd non vrbs aliqua, sed omnes vrbes Chebron subactæ fuerunt à Iosua occisis hominibus earum. Quæstio autem, quæ ex cap. 14. & 15. libri huius, & ex 1. cap. Iudic. mouetur circa hanc historiam, Iudic. 1. soluetur. Sat sit hic nosse, rem gestam narrari hîc summariè; ibi verò modum, quo res gesta est. Vers. 37.

Et omnem animam, quæ erat in ea. Non reliquit in ea vllas reliquias: sicut fecerat Heglon, sic fecit & Chebron, cuncta, quæ in ea reperit, consumens gladio.

Et reuersus est Iehosua, & omnis Israel cum eo in Debir, & pugnauit contra eam.] Situs terrarum manifestatur, per reuersionem. Vers. 38.

Cepitque eam, & Regem eius, & omnes ciuitates eius, & percusserunt eos in ore gladij, & interfecerunt omnem animam, quæ erat in ea: non remansit superstes: sicut fecerat Chebron, & Libnæ, ac Regibus earum, sic fecit Debir, & Regi eius. Vers. 39.

Percussit itaque Iehosua omnem terram montanã, & meridianam, ac campestrem, & Asedoth, & omnes Reges eorum: non dimisit vllas reliquias, sed omne, quod spirare poterat, interfecit.] Gaudet Interpres copia vocabulorum: nam Hebraicè habetur: Vers. 40.

habetur: *Et omnem animam interfecit.* Et ne intelligeres etiam animalia bruta interfecta, subiungitur.

Sicut præceperat Iehouah Elohe Israël.] qui homines tantùm præceperat occidi.

Vers. 41. *Et percussit eos Iehoshua a Cades-Barneah vsque ad Hazam.*] hoc est, à territorio olim Cades-Barneah, &c. est enim territorium illud vltra Iordanem: nam ibi fuerunt filij Israël cum Mose.

Et omnem terram Ghosen vsque ad Ghibbon.

Vers. 42. *Et omnes Reges istos, & terram eorum cepit Iehoshua vice vna.*] Vniuersus iste progressus præliorum hactenus recitatorum pro vna vice supputatur.

Quia Dominus Deus Israël pugnabat pro Israël.

Vers. 43. *Et reuersus est Iehoshua, & omnis Israël cum eo ad castra in Ghilgal.*] Consummatio reuersionis scribitur: his enim gestis reuersus est sic, quòd peruenit ad Ghilgal, vbi erat populus cum mulieribus, & paruulis.

CAPVT XI.

Vers. 1. VÆ cùm audisset Iabin, Rex Chazor, misit ad Iobab Regem Madon, ad Regem Simron, & ad Regem Achsaphe.

Vers. 2. *Et ad Reges, qui erant ab Aquilone in monte, & in planitie ad meridiem Chinneroth, & in campestribus, & in Naphoth Dor ab Occidente.*

Vers. 3. *Chenahaeum ab Oriente, & Occidente, & Emoraeum, & Hitheum, & Perizeum Iebuseum in monte: & Heueum sub Chermon in terra Miphe.*

Vers. 4. *Egressique sunt ipsi, & omnia castra eorum cum eis, populus innumerus, sicut arena, quæ est in littore maris: & equi, ac currus multi valdè.*

Vers. 5. *Conuenerúntque omnes Reges isti in vnum ad aquas Merom, vt pugnarent contra Israel.*

Vers. 6. *Dixitque Dominus ad Iehoshuam, ne timeas eos: cras enim eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel.* Iuxta Hebraeum habetur: *Omnes ipsos ego tradam Israel.* Intellige sermonem Dei humano more: Principes enim promittentes sibi victoriam certam, vtuntur tali loquendi modo: Cras debo omnes illos hostes interfectos. ad significandum plenitudinem victoriæ, & non ad significandum, quod reuera omnes illi occidentur: multi enim saluari sunt fugiendo.

Deus humano more loquitur.

Equos eorum subneruabis, & currus eorum combures igne.

Vers. 7. *Venitque Iehoshua, & omnis populus belli cum eo contra eos ad aquas Merom subito.*] Ecce prouidentia Iosuæ, repentina ac improuisa aggressione irruere super hostes.

Vers. 8. *Tradiditque eos Dominus in manus Israël, & percusserũt eos, & persecuti sunt ipsos vsque ad Zidon magnam, & vsque ad Misrephot aquarum, & vsque ad campum Mispe ad Orientem: & percussit eos, ita vt nullus dimitteret ex eis reliquias.*

Vers. 9. *Fecitque eis Iehoshua, sicut dixerat ei Dominus: equos eorum subneruauit, & currus eorum combussit igni.*

Vers. 10. *Reuersúsque est Iehoshua statim, & cepit Chazor, & Regem eius percussit gladio: Chazor enim antea fuit caput omnium regnorum istorum.*] Ad situm vbi erat, spectat reuersio, & prudenter sume absque tẽporis interuallo aggressus est caput, antequam respiraret, & muniret se Rex Chazor, qui excitauerat omnes Reges alios, & fugerat à facie Iosuæ.

Percussitque omnem animam, quæ erat in ea, in ore gladij interficiendo: non remansit in ea anima aliqua, & Chazor combussit igni. Vers. 11.

Et omnes per circumitũ ciuitates, Regésque earũ cepit, percussit, atque deleuit.] Iunge hanc particulã non cum præcedenti verbo, *combussit*, sed cum sequenti verbo, *cepit*: non enim scribitur, quod combussit Chazor, & omnes per circũitum ciuitates; sed, quòd Chazor quidem combusserit; ciuitates autem per circumitum, & Reges earũ cepit. Vnde & Hebraicè habetur: *Et omnes ciuitates Regum istorum, & omnes Reges earũ cepit Iehoshua, & percussit eos, ore gladij interficiendo eos sicut præceperat Moses seruus Domini.*] Hæc est enim Hebraïca litera. Et ad hoc magis explicandum spectat subiuncta litera in vulgata editione corrupta, dicente. Vers. 12.

Absque vrbibus, quæ erant in collibus, & in tumulis sita, cæteras succendit Israel. Nam oppositũ legitur Hebraicè: *Tantùm omnes ciuitates stantes super forte suum non combussit eas Israel: nisi Chazor, solam ipsam combussit Iehoshua.* Vbi clarè vides nullam vrbem istorum Regum combustam, nisi Chazor. Et dicitur, *stantes super forte suum*, ad differentiam ciuitatum, vel absque muris, vel semidirutarum, & huiusmodi. Vers. 13.

Omnemque præda istarum ciuitatum, & iumenta diuiserũt sibi filij Israel: cæteris hominibus interfectis. Vers. 14.

Sicut præceperat Dominus Mosi seruo suo, ita præcepit Moses Iehoshuæ: & sic fecit Iehoshua, ne verbum quidem præterijt ex omnibus, quæ præceperat Dominus Mosi. Vers. 15.

Cepitque Iehoshua omnem terram istam montanam, & meridianam, & omnem terram Ghosen, & planitiem, & campestria: montemque Israel, & planitiem eius.] Suspicor *montem Israel* appellari mõtem illum, quem Iahacob dicit Genes. 48. tulisse de manu Emoræi iure belli: & ideò appellari montem Israël, tanquam proprium ipsius Iahacob, qui vocatus est Israël. Vers. 16. Mons Israël, quis.

A monte Leui, qui ascendit in Sehir vsque Baal Gad in planitie Libani sub monte Chermon. & omnes Reges eorum cepit, percussit, & occidit. Vers. 17.

Multo tempore pugnauit Iehoshua contra Reges istos.] Ne errares putando, tam citò expedita hæc prælia, quemadmodum narratum fuerat priùs aliquas ciuitates captas, aliquas vno die, aliquas secundo die. Vers. 18.

Non fuit ciuitas, quæ se nõ traderet filiis Israël.] Corrupta est litera: legendum est enim absque negatione intermedia: Non fuit ciuitas, quæ se traderet filiis Israël. Vnde & Hebraicè habetur: *Non fuit ciuitas, quæ fecit pacem cum filiis Israël, nisi Chiuæi sedentes Gibbon.* Et statim subditur: *Omnes cepérunt in prælio.* Vers. 19.

Quia à Iehouah fuit ad roborandum cor eorum in occursum belli cum Israel. Clarè narratur in primis quòd soli Ghabaonitæ pepigerunt pacem, & quòd omnes alij prælio superati sunt: vt hinc habeatur ratio belli iusti ex parte Israëlitarum etiam secundùm humanæ legis rationem: ex hoc enim, quòd Chananæi occurrerunt ad prælandum contra Israël, manifesta patet ratio iusti belli Israel cõtra eos: & propterea redditur deinde ratio ex parte Dei roborantis cor eorum ad bellum contra Israël. Quod intelligo, vt in Exodo, de induratione cordis Pharaonis exposi- Vers. 20

Bello iusto pugnabant Israelita.

tum:

situm est: quod enim Interpretes vocant, *indurationem cordis*, Hebraicè appellatur *roborare cor*. Concurrunt siquidem ad effectum istum duo: alterum negatiuum, videlicet, negatio diuinæ gratiæ inclinantis cor ad ea, quæ Dei sunt: alterum positiuum, videlicet, pronitas, firmitásque animi ad obuiandum Israelitis tanquàm hostibus. Et illud quidem à Deo negatiuè: hoc autem fuit à Deo positiuè: omnis enim actio cum omni positiua conditione eius in quocunque peccatore, etiam in Dæmonibus, est à Deo effectiuè.

Ro' ortse cor, idem ac indurare.

Quomodo Deus cor indurat.

Vt caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent sicut præceperat Dominus Mosi.] Hinc clarè habes, quòd si Chananæi petiissent pacem suscipiendo cultum veri Dei, non fuissent deleti; sed induratio eorum meruit deletionem ipsorum. Et hinc, vt prædiximus, habetur sensus decretorum diuinorum circa delendos Chananæos absque vllo fœdere: manifestatur siquidem hinc, quòd de induratis Chananæis decreta loquuntur: & non de pœnitentibus, quales fuerunt soli Ghabaonitæ.

Induratio Chananæorum meruit deletionem ipsorum.

Vers. 21. *In tempore illo venit Iehosua, & excidit Hanacim de monte, de Chebron, de Debir, de Hanab, & de omni monte Iehuda, & de omni monte Israel: ciuitatésque eorum delenit.*

Vers. 22. *Non remanserunt Hanacim in terra filiorum Israel: tantùm in Haza, in Gath & in Asdod remanserunt.*] Ex hoc, quòd apud ciuitates quasdam Philistinorum duntaxat remanserunt gigantes, manifestum redditur, quòd secundùm rei gestæ ordinem Iosua cepit Chebron integrè nullo relicto, tam ibi, quàm alibi in reliqua vniuersa terra promissionis gigante.

Vers. 23. *Cepitque Iehosua omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Mosen, & tradidit eam in possessionem filiis Israel secundùm partes, & Tribus eorum: & terra quieuit à præliis.*] Intellige communibus omni Israël, ad differentiam præliorum particularium aliquarum Tribuum particularium: his enim peractis præliis communibus diuisa est terra Tribubus Israel: & cum bona gratia Iosuæ, & populi redierunt ad propria Reubenitæ, Gaditæ, & dimidia Tribus Menassis: & propterea dicitur, quòd quieuit terra à bello.

CAPVT XII.

Vers. 1. *Hi autem sunt Reges terræ, quos percusserunt filij Israel, & possederunt terram eorum trans Iarden ad ortum Solis: à torrente Arnon vsque ad montem Chermon, & omnem planitiem orientalem.*

Vers. 2. *Sichon Rex Emoræus habitans in Chesbon, dominans ab Haroher, quæ super ripam torrentis Arnon, & medio torrentis, & dimidio Ghilhad, & vsque ad torrentem Iabboc terminum filiorum Ammon,*

Vers. 3. *Et planitiei vsque ad mare Chinneroth ad Oriente, & vsque ad mare planitiei mare salis ad orientem per viam Beth Iesimoth: & ab Austro sub Asdoth Fasgha.*

Vers. 4. *Et terminus Hog Regis Basan de residuo Rephaim, habitantis in Hastaroth & in Edrebi, & dominantis in monte Chermon, & in Salcha, & in toto Basan vsque ad terminum.*

Vers. 5. *Ghesuræi & Mahachathæi: & dimidio Ghilhad termino Sichon Regis Chesbon.*

Vers. 6. *Moses seruus Domini, & filij Israël percusserunt eos: deditque eam Moses seruus Domini in possessionem Reubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Menassis.*

Vers. 7. *Et hi sunt Reges terræ, quos percussit Iehosua, & filij Israel trans Iarden ab occidente à Bahal gad in campo Libani vsque ad montem Lenem ascendentem in Sebir: tradiditque eam Iehosua tribubus Israel in possessionem singulis partes suas.*

Vers. 8. *In monte, & in planitie, & in campestri, & in Asedoth, & in deserto, & in austro, Chitheus, Emoræus, Chenahanæus, Pherizæus, Chiuæus & Iebusæus.*

Vers. 9. *Rex Iericho vnus. Rex Hai, quæ est ex latere Bethel, vnus.*

Vers. 10. *Rex Ierusalaim vnus. Rex Chebron vnus.*

Vers. 11. *Rex Iarmuth vnus. Rex Lachis vnus.*

Vers. 12. *Rex Heclon vnus. Rex Ghezer vnus.*

Vers. 13. *Rex Debir vnus. Rex Gheder vnus.*

Vers. 14. *Rex Chorme vnus. Rex Harad vnus.*

Vers. 15. *Rex Libnæ vnus. Rex Hadullam vnus.*

Vers. 16. *Rex Maccedæ vnus. Rex Bethel vnus.*

Vers. 17. *Rex Tapuach vnus. Rex Chepher vnus.*

Vers. 18. *Rex Aphec vnus. Rex Lassaron vnus.*

Vers. 19. *Rex Madon vnus. Rex Chazor vnus.*

Vers. 20. *Rex Simron meron vnus. Rex Achsaph vnus.*

Vers. 21. *Rex Thabanac vnus. Rex Megiddo vnus.*

Vers. 22. *Rex Cedes vnus. Rex Iochneam in Charmel vnus.*

Vers. 23. *Rex Dor in prouincia Dor vnus. Rex Gentium in Ghilgal vnus.*

Vers. 24. *Rex Thirza vnus: omnes Reges triginta & vnus.*]

In hoc capitulo præter correctionem vocabulorum nihil scribendum occurrit.

CAPVT XIII.

Vers. 1. IEHOSVA *autem senuit, venit in dies: & dixit Dominus ad eum, tu senuisti, venisti in dies, & terra latissima derelicta est, quæ necdum sorte diuisa est.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et terra relicta multa valdè ad hæreditandum eam.* significatur enim, quòd multæ terræ supererant acquirendæ infra terminos terræ promissionis: dixerat enim Deus Mosi, quòd non simul expulsurus esset gentes omnes ex terra promissionis, ne terra maneret inculta, & multiplicarentur bestiæ: quia populus Israël non erat tam multiplicatus, vt sufficeret ad habitandum & colendum vniuersam terram promissionis.

Vers. 2. *Omnis videlicet Galilæa, Philistim.*] Iuxta Hebræum habetur: *Ista terra, quæ relicta est, omnes Prouinciæ Philistinorum, & totus Ghesuræus.*] Describitur enim terra adhuc acquirenda.

Vers. 3. *A fluuio turbido, qui irrigat Ægyptum.*] Iuxta Hebræum habetur: *A Sichor super faciem Ægypti vsque ad terminum Hecron ad Aquilonem Chenahanæo computabitur.* Sichor est nomen fluminis à nigredine sumptum, & est flumen hoc diuidens inter Ægyptum, & terram promissionis, Rinocorula appellatum à ciuitate Rinocorula, per quam transit.

Sichor, nomen fluminis.

Quinque Principes Philistinorum, Hazathæus Hasdodæus, Escaloneus, Ghitteus & Hecroneus, & Hauæus.

Vers.4. *Ab austro omnis terra Chenahanæi, & Mehara, quæ est Zidonis vsque ad Aphec, vsque ad terminum Emoræi.*

Vers.5. *Et terra Ghibli, & totus Libanus ad ortum Solis à Baal Gad sub monte Chermon, donec ingrediaris Chamath.*

Vers.6. *Omnes habitatores montis à Libano vsque ad Misrephoth aquarum, omnes Zidonios ego expellã à facie filiorum Israel: veniat ergo in partem hæreditatis Israel.*] Iuxta Hebræum habetur: *tantùm fac cadere ipsum Israeli in hæreditatem, sicut præcepi tibi.* Quanuis nõ sit acquisita tota terra promissionis, ac per hoc non potes ponere Israelem in possessionem totius; attamen fac duntaxat definitionem omnium partium terræ; ita quòd facias cadere sub sortibus portionum vnius cuiusque Tribus etiam terras acquirendas. Et propterea subditur.

Vers.7. *Et nunc diuide terram istam in hæreditatem nouem Tribubus, & dimidiæ Tribui Manassis.* Noli expectare, vt acquiratur tota, sed diuide nunc terram.

Vers.8. *Cum ea Rubenitæ, & Gaditæ acceperunt partes suas, quas dedit eis Moses seruus Domini trans Iarden ad Orientem, sicut dedit eis Moses seruus Domini.*

Vers.9. *Ab Haroher, quæ est super ripam torrentis Arnon, & ciuitatem, quæ est in medio torrentis: & totam planitiem Medbæ vsque ad Dibon.*

Vers.10. *Et omnes ciuitates Sichon Regis Emoræi, qui regnauit in Ghesbon, vsque ad terminum filiorum Haminon.*

Vers.11. *Et Ghilhad, & terminum Ghesuræi, & Mahachathæi, & totum montem Chermon, & totum Basan vsque Salcham.*

Vers.12. *Omnia regna Hog in Basan, qui regnauit in Hastaroth, & in Edrei: ipse remanserat de reliquiis Rephaim: & percussit eos Moses, & expulit ipsos.*

Vers.13. *Non expulerunt filij Israel Ghesuræos, & Mahachathæos: habitauitque Ghesur, & Mahachath in medio Israel vsque in diem hanc.*

Vers.14. *Tantùm Tribui Leui non dedit hæreditatem: incensum Domini Dei Israel ipsum est hæreditas eius, sicut locutus est ei.*

Vers.15. *Dedítque Moses Tribui filiorum Reuben per familias eorum.*

Vers.16. *Et fuit eis terminus ab Haroher, quæ est super ripam torrentis Arnon, & ciuitas, quæ est in medio torrentis, & tota planities super Medbam.*

Vers.17. *Chesbon, & omnes ciuitates eius, quæ sunt in planitie: Dibon, & Bamoth Baal, & Beth Baal mehom.*

Vers.18. *Et Iahza, & Cedemoth, & Mephahath,*

Vers.19. *Et Cir Iathaim, & Sibma, & Zereth Sahar in monte vallis.*

Vers.20. *Et Bethpehor, & Asdoth Pisgæ, & Beth Iesimoth.*

Vers.21. *Et omnes ciuitates planitiei, & omnia regna Sichon Regis Emoræi, qui regnauit in Chesbon: quem percussit Moses ipsum & Principes Madiam Hui & Recen & Zur, & Chur, & Rebah, duces Sichon habitatores terræ.*

Vers.22. *Et Bilham, filium Beor, diuinatorem, occiderunt filij Israel gladio ad interfectos eorum.*

Vers.23. *Et fuit terminus filiorum Reuben Iarden, & terminus: hæc est hæreditas filiorum Reuben per familias eorum, ciuitates, & villæ earum.*

Vers.24. *Dedítque Moses Tribui Gad, filius Gad per familias eorum.*

Vers.25. *Et fuit eis terminus Iahzer, & omnes ciuitates Ghilhad, & dimidium terræ filiorum Hammon: vsque Haroher, quæ est coram Rabba.*

Vers.26. *Et Achesbon vsque ad Ramath-Mispe, & Betonim: & à Machanaim, vsque ad terminum Debir.*

Vers.27. *Et in valle Beth-Haram, & Beth-Nimre, & Succhoth, & Zaphon residuum regni Sichon, Regis Chesbon, Iarden, & terminus: vsque ad extremum maris Chinnereth trans Iarden ad Orientem.*

Vers.28. *Hæc est hæreditas filiorum Gad per familias eorum: ciuitates, & villæ earum.*

Vers.29. *Dedit quoque Moses dimidiæ Tribui Manassis: & fuit dimidiæ Tribui filiorum Manassis per familias eorum.*

Vers.30. *Fuitque terminus eorum à Machanaim totus Basan, totum regnum Hog Regis Basan, & omnes villæ Iair, quæ sunt in Basan sexaginta ciuitates.*

Vers.31. *Et dimidium Ghilhad, & Hastaroth, & Edrei, ciuitates regni Hog in Basan, filiis Machir, filij Manassis, dimidio filiorum Machir per familias eorum.*

Vers.32. *Hæc est hæreditas, quam diuisit Moses in campestribus Moab trans Iarden contra Iericho ad orientem.*

Vers.33. *Tribui autem Leui non dedit Moses hæreditatem: Dominus eius Israel ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est eis.*]

CAPVT XIV.

Vers.1. ET hæc sunt, quæ hæreditarunt filij Israël in terra Chenahan: quæ hæreditate accipere fecerunt eos Eleazar Sacerdos, & Iehosua filius Nun, & capita patrum Tribuum filiis Israel.

Vers.2. *Per sortem hæreditas eorum: sicut præceperat Dominus per manum Mosis nouem Tribubus, & dimidiæ Tribui.*

Vers.3. *Dederat enim Moses hæreditatem duabus Tribubus, & dimidiæ Tribui trans Iarden: Leuitis autem non dedit hæreditatem in medio eorum.*

Vers.4. *Fuerunt enim filij Ioseph duæ Tribus, Manasses, & Ephraim: & non dederunt partem Leuitis in terra præter ciuitates ad habitandum, & suburbana earum pro iumentis, & pecoribus eorum.*

Vers.5. *Sicut præceperat Dominus Mosi, sic fecerunt filij Israel: & diuiserunt terram.*

Vers.6. *Accesserúntque filij Iehuda ad Iehosuam in Ghilgal, & dixit ad eum Chaleb, filius Iephunnæ Cenizæus: Tu nosti verbum, quod locutus est Dominus ad Mosem virum Dei, de rationibus meis, & rationibus tuis in Cades-Barnea.*

Vers.7. *Filius quadraginta annorum eram, quando misit Moses seruus Domini me de Cades Barnea ad explorandam terram: & retuli ei verbum, sicut cum corde meo.*

Vers.8. *Fratres autem mei, qui ascenderunt mecum, dissoluerunt cor populi: & ego complebi ire post Deum meum.*] In capitulo decimo narrata est debellatio Chebron facta à Iosua: hic autem narratur modus, quo prouocatus est Iosua ad bellum gerendum contra Chebron, videlicet, prouocante eum Chaleb ex inreiusando Mosis, & promissione Dei. Ita quòd secundum ordinem historiæ iste aditus Chaleb ad Iosuam fuit priùs, quàm Iosua aggrederetur Chebron, quanuis sit scriptus posteà: quia scribitur, non quatenus fuit prouocatio ad bellum, sed quatenus fuit donatio Chebron ipsi Chaleb.

Iurauitque

Vers.9. *Iurauitque Moses in die illo dicens: Si non terra, quam calcauit pes tuus, tibi erit in hæreditatem, & filiis tuis in æternum: quia complesti, vt ires post Dominum Deum meum.*] Et hinc clarè apparet, non omnia, quæ dicta sunt, quanuis spectantia ad res gerendas, fuisse scripta à Mose: hæc enim promissio hic primò scribitur, quæ tamen olim à Mose facta est.

Mosen non scripsit omnia gesta.

Vers.10. *Et nunc ecce viuere fecit Dominus me, sicut locutus est istis quadraginta quinque annis ab eo tempore, quo locutus est Dominus verbum hoc ad Mosen, quibus ambulauit Israël per desertum: & nunc ecce sum hodie filius octoginta quinque annorum.*

Vers.11. *Adhuc sum hodie fortis, sicut in die, qua misit me Moses, sicut fortitudo mea tunc, sic fortitudo mea nunc: ad bellum, & ad exeundum, & ingrediendum.*

Vers.12. *Et nunc da mihi montem istum, vt locutus est Dominus in die illa: tu enim audisti in die illa, quòd Hanacim sint ibi, & ciuitates grandes munitæ.*] Hinc conuincitur, quòd iste sermo fuit ante debellationem Chebron factam per Iosuam: ex eo enim, quòd Chaleb dicit, quòd ibi sunt gigantes, & in cap. 11. scriptum est, quòd tunc Iosua excidit gigantes, tam de Chebron, quàm de reliquis terris excepta terra Philistinorum, manifestum est, quòd sermo iste fuit ante historias superiùs recitatas.

Si fortè sit Dominus mecum, & potero delere eos, sicut promisit mihi.] Iuxta Hebr. habetur: *Forte Iehouah mihi, & faciam expelliere eos, sicut locutus est Iehouah.* Non excluditur per hæc verba concursus Iosuæ cum toto exercitu ad debellandum Chebron iuxta superiùs scripta: sed significatur spes diuinæ opis, intuitu ipsius Chaleb, qui fideliter, & constanter adhæserat Deo contra alios exploratores, & rebellem populum.

Vers.13. *Benedixitque ei Iehosua: & dedit Chebron Chaleb filio Iephunnæ in hæreditatem.*

Vers.14. *Propter hoc fuit Chebron Caleb filio Iephunnæ Cenizeo in hæreditatem vsque ad diem hanc: pro eo, quòd complenit, vt iret post Dominum Deum Israël.*] Ecce ratio, quare hoc in loco, quia agitur de diuisione terræ, recitatus est iste aditus Chaleb ad Iosuam.

Vers.15. *Nomen Chebron ante vocabatur Ciriath-Arbah, Adam maximus ibi inter Hanacim situs est.*] Expositoris officio functus est Interpres: & occasio fuit fabellæ, quòd Adam primus parens sepultus est in Chebron: nam iuxta Hebr. habetur: *Et nomen Chebron anteà Ciriath-Arbah, Adam magnus in gigantibus ipse.*] Manifestè Hebraïca litera exponit, quis fuerit Arbah, dicendo; *Adam magnus in gigantibus ipse*: nam *Adam* Hebraïcè dicitur, Latinè *homo*: & significatur, quòd Arbah, à quo Chebron denominata est ciuitas Arbah, fuit homo magnus inter gigantes.

Adam vbi sepultus fuerit.

Et terra cessauit a prælio.] Repetitio huius sententiæ scriptæ in calce vndecimi capituli, facta est ad insinuandū, quòd vniuersus iste sermo fuit ante illas res gestas, post quas scriptum est: *Et terra cessauit à bello.*

CAPVT XV.

Vers.1. ET fuit sors tribui filiorum Iehudæ per familias eorum, ad terminum Edom deserti Zin ad austrum ab extremo austri.

Vers.2. *Fuitque eis terminus ad meridiem ab extremo maris salis, a lingua, quæ respicit ad Meridiem.*

Egredietúrque à meridie ad ascensum scorpionum, & transibit in Zin, & ascendet à meridie in Cades-Barneah: & transibit Chezron, & ascendet in Adar, & circumibit in Carcahah. Vers.3.

Et transibit in Asmon, & egredietur ad torrentem Ægypti, & erunt egressus termini ad occidentem: hic erit vobis terminus meridiana plaga. Vers.4.

Et terminus ad Orientem mare salis vsque ad extremum Iarden: & terminus anguli Aquilonaris à lingua maris, ab extremo Iarden. Vers.5.

Ascendétque terminus in domum Choglæ, & transibit ab Aquilone ad domum Harabæ, & ascendet terminus ad lapidem Bohan filij Reuben. Vers.6.

Ascenderque terminus in Debir a valle Hachor, & ad Aquilonem respiciens ad Ghilgal, quæ est contra ascensum Adummim, qui ab austro torrenti: transibitque terminus ad aquas fontis Solis, & erunt exitus eius ad fontem Rogel. Vers.7.

Et ascendet terminus vallem filij Hinnon ad latus Iebusæi à meridie, hæc est Ierusalem. ascenderque terminus ad verticem montis, qui est super faciem vallis Hinnom ad Occidentem, quæ est in extremo vallis Rephaim ad Aquilonem. Vers.8.

Et descendet terminus a vertice montis ad fontem aquæ Nephthoah, & egredietur ad ciuitates montis Hephron: & descendet terminus ad Baal, ipsa est Ciriath Iearim. Vers.9.

Et circumibit terminus de Baala ad Occidentem ad montem Seir, & transiet ad latus montis Iearim ab Aquilone, ipsa est Chesalon: & descendet in Bethsemes, & transibit ad Thimnam. Vers.10.

Et egredietur terminus ad latus Hecron ad Aquilonem, & descendet terminus in Sicchron, & transibit montem Baalæ, & egredietur Iabneel: erúntque exitus termini ad mare. Et terminus occidentis ad mare magnum, & terminus: Vers.11.

Iste terminus filiorum Iehudæ per circumitum per familias eorum. Vers.12.

Chalebque filio Iephunnæ dedit partem in medio filiorum Iehudæ, sicut præceperat Dominus Iehosuæ, Ciriath Arbah patris Hanac, ipsa est Chebron.] Arbah, quem superiùs descripsit hominem magnum in gigantibus, modò describit patrem gigantum: multi enim gigantes ex eo nati insinuantur, & præcipuæ famæ inter gigantes. Vers.13.

Arbah *pater gigantum.*

Expulitque inde Chaleb tres filios Hanac: Sesai & Achiman & Talmai, natos Hanac.] Quod in cap. 11. attributum fuit Iosuæ, hic attribuitur Chaleb. Et vtrumque est verum: quoniam Iosua debellauit gigantes, tanquàm Imperator exercitus: Chaleb verò tanquàm caput illius aciei, quæ aggressa est Chebron: ipse enim erat vnus Principum & populi & exercitus. Et quia ei fuerat dono data Chebron, ideò ipse primus cum portione exercitus sibi credita aggressus est Chebron, & debellauit eam: & propterea tanquàm speciali capiti illius Cunei attribuitur ei hæc victoria. Vers.14.

Ascenditque inde ad habitatores Debir: & nomen Debir antea fuit Ciriath Sepher, id est, ciuitas literarum. Vers.15.

Dixitque Chaleb: qui percusserit Ciriath Sepher, & ceperit eam, dabo ei Hachsam filiam meam in vxorem.] Hæc verba intelligo dicta à Chaleb, tanquàm à speciali capite illius aciei, & quia res eius agebatur. Vers.16.

Cepitque eam Hothniel filius Cenaz frater Chaleb iunior.] Superfluit, *iunior.* Vers.17.

Et dedit ei Hachsam filiam suam in vxorem.] Non est prohibitum in lege Mosis coniugium inter

Coniugium inter patruũ & neptem in lege Mosis non prohibitum.

inter patruum & neptem, quanuis sit prohibitum coniugium inter amitam, & nepotem: & propterea nihil contra legem Mosis actum est in coniugio isto.

Vers. 18. *Et fuit, cùm ipsa veniret, suasit ei, vt peteret à patre suo agrum, suspirauitque sedens in asino.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et confixit se de super asino.* Motus enim quidam, tanquàm cadentis ex integro, velut languentis de asino significatur: finxit enim mulier per hunc motum se languere, & permisit seipsam cadere coram simul de asino; ita quòd tanquàm confixa fuit in terra: & propterea subditur:

Vers. 19. *Dixitque ei Chaleb: Quid tibi?*] subaudi, accidit; vt sis immobilis in terra, tanquam confixa in terra.

Et dixit: Da mihi benedictionem, quia terram australem, & arentem dedisti mihi, iungo & irriguam.] Iuxta Hebræum habetur. *Da mihi fontes aquarum.* Et statim subditur: *Et dedit ei fontes superos, & fontes inferos.*] Vt vniuersus ager irrigari posset.

Vers. 20. *Ista est hæreditas tribus filiorum Iehudæ per familias eorum.*

Vers. 21. *Fuerúntque ciuitates ab extremo tribus filiorum Iehuda ad terminum Edom in meridie: Cabseel, & & Heder, & Iagur:*

Vers. 22. *Et Cina, & Dimona, & Hadhada.*

Vers. 23. *Et Cedes, & Chazor, & Ithnam.*

Vers. 24. *Ziph, & Telem, & Behaloth.*

Vers. 25. *Et Chazor Chadattha, & Cirioth Chezron, ipsa est Chazor.*

Vers. 26 *Amam, & Semah, & Molada.*

Vers. 27. *Et Chazar Gadda, & Chesmon, & Beth Palet.*

Vers. 28. *Et Chazar Suhal, & Beersebah, & Bizioth ia.*

Vers. 29. *Baala, & Hiim, & Hazem,*

Vers. 30. *Et Itholad, & Chesil, & Chorma.*

Vers. 31. *Et Ziclag, & Madmanna, & Sansanna.*

Vers. 32. *Et Lebaoth, & Silchim, & Hain, & Rimmon: omnes ciuitates viginti nouem, & villæ earum.*

Vers. 33. *In planitie, Esthaol, & Zarha, & Asna.*

Vers. 34. *Et Zanoach, & Hengannim, Thapuach, & Henam.*

Vers. 35. *Iarmuth, & Hadullam, Socho, & Hazeca.*

Vers. 36. *Et Sabaim, & Hadithaim, & Ghedera, & Gederothaim: ciuitates quatuordecim, & villæ earum.*

Vers. 37. *Zenam, & Chadasa, & Migdal gad.*

Vers. 38. *Et Dilham, & Mizpe, & Ioctheel,*

Vers. 39. *Lachis, & Bazecath, & Heglon.*

Vers. 40. *Et Chabbon, & Lachmas, & Chithlis.*

Vers. 41. *Et Gederoth Beth dagon, & Naamma, & Maceda: ciuitates sedecim, & villæ earum.*

Vers. 42. *Libna, & Hether, & Hasan.*

Vers. 43. *Et Iphtach, & Asna, & Nezib.*

Vers. 44. *Et Ceila, & Achzib, & Maresa: ciuitates nouem, & villæ earum.*

Vers. 45. *Hecron, & filiæ eius, & villæ eius.*

Vers. 46. *Ab Hecron, & ad mare, omnes, quæ super manum Asdod, & villæ earum.*

Vers. 47. *Asdod, & filiæ eius, & villæ eius, Haza, & filiæ eius, & villæ eius vsque ad torrentem Ægypti: & mare magnum, & terminus.*

Vers. 48. *Et in monte, Samir, & Iatthir, & Socho.*

Vers. 49. *Et Danna, & Ciriath sanna, ipsa est Debir.*

Vers. 50. *Et Hanab, & Esthemo, & Anim.*

Vers. 51. *Et Gosen, & Cholon, & Gilo: ciuitates undecim, & villæ earum. Arab, & Duma, & Esan.*

Vers. 52. *Et Ianum, & Beth tapuach, & Apheca.*

Vers. 53. *Et Chumta, & Ciriath Arbah (ipsa est Chebron) & Zibor:*

Ciuitates nouem, & villæ earum. Vers. 54.

Maon, Charmel, & Ziph, & Iuta. Vers. 55.

Et Izrehel, & Iocdeham, & Zanoach. Vers. 56.

Cain, Ghibba, & Thimna: ciuitates decem, & villæ earum. Vers. 57.

Chalchul, Beth Zur, & Gedor. Vers. 58.

Et Maharath, & Beth hanoth, & Eltheeon: ciuitates sex, & villæ earum. Vers. 59.

Ciriath Baal (ipsa est Ciriath Iearim) & Harabba: ciuitates duæ, & villæ earum. Vers. 60.

In deserto, Beth harabbe, Middin, & Sechacha. Vers. 61.

Et Nibsan, & ciuitas Salis, & Henghedi: ciuitates sex, & villæ earum. Vers. 62.

Et Iebusæos habitatores Ierusalaim non potuerunt filij Iehudæ expellere: habitauitque Iebuseus cum filiis Iehudæ in Ierusalaim vsque ad diem hunc.] Quæstio occurrit, eò quòd Ierusalem non comprehendebatur sub sorte Iudæ; sed sub sorte Benjamin; & tamen in litera attribuitur Iudæ non valuisse expugnare Ierusalem, & habitasse simul in Ierusalem cum Iebusæis filios Iudæ. Vers. 63.

Ierusalem in duarum Tribuum sortes cecidit.

Solutio est, quòd collatis istis cum scriptis inferiùs cap. 18. apparet, quòd Ierusalem in duarum Tribuum sortes cecidit; videlicet, Iudæ, & Benjamin; non pro indiuiso, sed secundùm diuersas partes eius, propter diuersitatem, vt reor, funiculorum, seu linearum relatiuè ad plagas cæli. Notabilis liquidem disparitas, quæ orietur inter lineas diuisorias, si totus ambitus Ierusalem sub vna comprehensus esset linea diuisoria, occasio videtur fuisse, vt particula quædam Ierusalem in sortem supputata fuerit Iudæ. Dico autem, *particula*, quia principaliter cecidit sub sorte Benjamin: cuius signum est, quia simpliciter & absolutè Ierusalem supputatur in sorte Benjamin: vt clarè patet inferiùs cap. 18. Causa autem, quare filij Iudæ non valuerunt expellere Iebusæos de Ierusalem, sed simul habitauerint in ea, (proculdubio ex condicto,) scripta non est authenticè.

CAPVT XVI.

EXIIT QVE *sors filiis Ioseph à Iarden Iericho ad aquas Iericho ab Oriente desertum ascendens de Iericho in montem Bethel.* Vers. 1.

Et exibit de Bethel in Luz: & transibit ad terminum Archi Ataroth. Vers. 2.

Et descendet ad Occidentem ad terminum Iaphleti vsque ad terminum Bethchoron inferiorem, & vsque ad Ghazer: erúntque exitus eius ad mare. Vers. 3.

Et hæreditauerunt filij Ioseph, Manasses, & Ephraim. Vers. 4.

Et fuit terminus filiorum Ephraim per familias eorum. & fuit terminus hæreditatis eorum ad Orientem Hatroth Addar, vsque ad Bethchoron superiorẽ. Vers. 5.

Et exibit terminus ad mare Michmethath ab Aquilone, & circumibit terminus ad Orientem Thaanath silo. Vers. 6.

Et transibit ipsum ab oriente ad Ianoham. Et descendet à Janoha in Ataroth, & Naharoth: & perueniet in Iericho, & exibit Iarden. Vers. 7.

A Tapuach ibit terminus ad mare torrentis arundinis, & erunt exitus eius ad mare: hæc est hæreditas Tribus filiorum Ephraim per familias eorum. Vers. 8.

Et ciuitates separatæ filiis Ephraim in medio hæreditatis Vers. 9.

hæreditatis filiorum Manassis, omnes ciuitates, & villa earum.] Intelligo non quoad possessionem, sed quoad singulas ciuitates aliquas Ephraimiticas in medio Manassis: non enim ablatæ sunt à Manasse, & datæ Ephraim, sed sitæ describuntur inter terminos Manassis hinc & inde: vt in capitulo sequenti manifestari videtur.

Et non expulerunt Chananæum habitatorem in Gazer: *habitauitque Chananæus in medio Ephraim usque ad diem hanc, & fuit tributo seruiens.*] Author istius libri inuexit gesta post mortem Iosuæ, gestis viuente ipso: hæc enim de tributute sub tributo, post mortem Iosuæ ita factis potest ex eo, quod Iosua non est transgressus diuina præcepta.

Vers. 10. Chananæus habitauit seruiens Ephraimitis in Gazer.

CAPVT XVII.

Vers. 1. SIT *ista sors Tribui Manassæ, quia ipse fuit primogenitus Ioseph. Machir primogenito Manassæ patri Galaad, quia ipse fuit vir bellicosus, & fuit ei Galaad & Basan.*

Vers. 2. *Fuitque filiis Manassæ reliquis per familias eorum filius Abiezer, & filius Helec, & filius Asriel & filius Sechem, & filius Cepher & filius Semidaeh: isti sunt filij Manassæ filij Ioseph masculi per familias suas.*

Vers. 3. *Et Zelophaad filio Cepher, filij Galaad, filij Machir, filij Manassæ non fuerunt filij, sed filiæ: & hæc sunt nomina filiarum eius, Mahala, & Noa, Egla, Melcha, & Thersa.*

Vers. 4. *Et accesserunt coram Eleazar Sacerdote, & Iosue filio Nun, & Principibus dicentes: Dominus præcepit Moysi, vt daret nobis inter fratres nostros hæreditatem.* Iuxta ergo oris Domini præceptum dedit eis inter fratres patris eorum.

Vers. 5. *Et ceciderunt funiculi Manassæ decem præter terram Galaad & Basan, quæ sunt trans Iordanem.*

Vers. 6. *Filiæ enim Manassæ possederunt hæreditatem inter filios eius: & terra Galaad fuit filiis reliquis Manassæ.*

Vers. 7. *Fuitque terminus Manassæ ab Aser Michmethath quæ respicit Sichem, & ibit terminus ad dexteram habitatorum fontis Iaphath.* Manassæ fuit terra Iaphath.

Vers. 8. *Et Iaphath ad terminum Manassæ filius Ephraim.*

Vers. 9. *Descendit quoque terminus ad torrentem arundinis ad meridiem torrentis, ciuitates quoque Ephraim in medio ciuitatum Manassæ, & terminus Manassæ ad septentrionalem plagam exit ad mare.*

Vers. 10. *Ad meridiem Ephraim, & ad Aquilonem Manassæ, & erit mare terminus eius: & in Aser ventilabit ab Aquilone, & in Hasbar ab Oriente.*

Vers. 11. *Fuitque Manassæ Isachar, & in Aser Bethsean & filiæ eius, & Ibleam & filiæ eius, & habitatores Dor, & filiæ eius, & habitatores Endor, & filiæ eius, & habitatores Thanach, & filiæ eius, & habitatores Magedo, & filiæ eius tres prouinciæ.*

Vers. 12. *Et non potuerunt filij Manassæ hæreditare ciuitates istas, eo quod Chananæus habitare in terra illa, & Hæc ad literam verificatur tempore Iosuæ tam etiam scripturæ est superius, quod magis pugnauerint terræ superiorum acquirendæ, postquam cessauit communis bellum. Ideò enim attribuerunt filijs Manassæ non voluisse expellere Chananæum intra terminos terris suæ habitantem: quæ tamen communibus bellis superiùs dicta est vnicuique Tribui sua pars cum cura acquirendi, quicquid intra sortem suam acquirendum superesset.*

Vers. 13. *Postquàm autem conualuerunt filij Israel, fecerunt Chananæum tributarium, & expellendo non expulerunt eum.*] Hoc fuit secundum historiam post mortem Iosuæ: tunc enim etiam filij Manassis ex integro sunt præcepta Dei, non expellendo Chananæos à sorte sua, sed malentes eos sub tributo

Vers. 14. *Locutique sunt filij Ioseph ad Iehosuam dicendo: Quare dedisti nobis hæreditatem funiculi vnius, & partem vnam, & ego populus multus sum, quia quæ benedixit nobis Dominus?*

Vers. 15. *Ad quos Iehosue ait: Si populus multus es, ascende tibi in syluam, & succide tibi ibi in terra Pherezæi, & Raphaim, quia angustus est tibi mons Ephraim.*] Hinc clarè apparet, quòd quæstio erat non de paucitate terræ datæ Ephraim: sed de paucitate terræ habitatæ simul, & acquisitæ: montem enim Ephraim acquisierant, sed quia syluestris erat, non erat tunc habitabilis. & propterea Iosua dicit eis, vt succidant syluas, & reddant terram habitabilem.

Als. Est enim syluestris erat.

Vers. 16. *Dixerunt filij Ioseph, non poterimus ad montana conscendere.* Iuxta Hebr. habetur: *Non sufficiet nobis mons.* Replicant filij Ephraim allegantes duo: alterum, quod mons non sufficiat eis: alterum, quod pars sortis eorum in planitie est valde vsurpata, & sortis suæ potestate Chananæorum habitantium ibidem: nam iuxta Hebraum subiungitur ratum copulatiuè: *Et curruum ferreorum Chananæo habitante in terra vallis, cum Bethsean, & filiabus eius, & eis in valle Iezrahel.* Vnde & Iosua ad vtrumque respondet.

Vers. 17. *Dixitque Iosue ad domum Ioseph, Ephraimo, & Manassæ dicendo: Populus multus es, & fortitudo magna est tibi, non erit tibi sors vna.*] Ex multitudine & fortitudine satisfacere intendit. Ex multitudine quidem contentus, quòd eis non sufficiat sors vna, nisi extendatur ad occupanda finitima acquisitæ, & habitatæ terræ: non enim intendit dare Tribui Ephraim de sortibus aliarum Tribuum, sed contentus, quòd sola sors quoad terram acquisitam & habitandam non sufficiat eis. Hunc enim esse germanum sensum testantur subiuncta, à me diu à Iosua duo. Alterum:

Duæ res adducendæ ad extendendas fines terræ Ephraim.

Scabrosus est ad montem.] Iuxta Hebraum habetur: *Quia mons erit tibi, quia sylua ipse: & succides eam.* Hoc est] tantum remedium ad extendendum sortem, vtique multi, & fortes sunt, redditur montem habitabilem. Alterum est:

Vers. 18.

Et pugnabis Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, & esse fortissimum.] Iuxta Hebraum habetur: *Et erunt tibi exitus eius, quia expelles Chananæum, quòd currus ferreus, quod fortis ipse.* Non est vtique quæque exitum, an per exitus significentur prouentus, seu fructus exeuntes ex monte iam culto, an finitimo libera terminorum tyliæ iam succisæ significentur. Quicquid autem significetur, ad primum spectat remedium: clarum enim est, quòd remedium secundum est futura debellatio Chananæi. Currum enim, quòd habeat curtus ferreos, & sit valde fortis. Et hoc ex fortitudine populi pronuntiat. Ex his autem duobus remediis constitentibus in extentione cultæ terræ, & habitatæ, manifestatur, quo sensu dixerit Iosua Tribui Ephraim: *Non erit tibi sors vna*: hinc enim clarè patet,

Exitus quid significet.

tet, quòd non de numero sortis, sed de quantitate sortis quoad terram habitatam, ac acquisitam est sermo.

CAPVT XVIII.

Vers. 1. CONGREGATIQVE *sunt omnes filij Israel in Silo.*] Plus dicitur iuxta Hebræum: nam tota Synagoga filiorum Israël congregata in Silo describitur. Et significatur, quòd vniuersitas populi cum multitudinibus, & paruulis ex Ghalgalis venerunt in Silo, vt Iosephus dicit anno sexto à transitu Iordanis. Est autem Silo ciuitas in sorte Tribus Ephraim, ex qua Tribu erat ipse Iosua.

Quando filij Israel congregati fuit in Silo.

Ibique fixerunt tabernaculum testimonij.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et fecerunt castrametari ibi tentorium adunationis.* Ad significandum, quòd non militares viri duntaxat, sed vniuersus cœtus populi migrauit in Silo, non qualitercunque, sed summodo tabernaculum Dei ibidem apponuntur haxe: & pax fuit, vt in sorte Principis locaretur diuinus cultus.

Et fuit eis terra subiecta.] Iuxta Hebræum habetur: *Et terra acquisita fuit in facieibus eorum.* Et est procul dubiò sensus, quòd terra iam acquisita erat libere, ac pacifice in potestate eorum: an autem significetur etiam, quòd terra acquisita erat in prospectu existentium in Silo, affirmare non audeo.

Vers. 2. *Remanserántque in filiis Israël, qui non acceperant hæreditatem suam, septem Tribus.*

Vers. 3 *Dixitque Iehosua ad filios Israel: Vsquequò vos pigritamini ad ingrediendum, vt possideatis terram, quam dedit vobis Dominus Deus patrum vestrorum?*

Vers. 4. *Eligite vobis tres viros per Tribum: & mittam, eos, & surgent, ac ambulabunt per terram.*] Duæ Tribus, & dimidia habuerant sortes suas trans Iordanem à Mose: duæ quoque aliæ Tribus, & dimidia (videlicet, Iudæ, Ephraim, & reliqua medietas Manassis) habuerant sortes suas à Iosua. Et istæ impigræ, ac sortes suscipiant ad possidendum sortes suas: septem autem Tribus exclusa Tribu Leuitica, neglexerant ire ad suscipiendam possessionem sortium suarum: & propterea Iosua in Silo castrametatus arguit eas pigritiæ: & disponit, vt ex singulis earum eligantur tres viri ad considerandum, & conferendum partes terræ inter sese, vt diuisio careret iniquitate, nec relinqueretur locus querelæ.

Et describent eam iuxta numerum vnius cuiusque multitudinis, referentque ad me, quid descripserint.] Iuxta Hebræum habetur: *Et describent eam in ore hæreditatis eorum, & venient ad me.* Metaphoricè transfertur os ad hæreditatem, & est sensus, vt diuidendo terram in septem hæreditates, describant cuiusque hæreditatis partes sibimutuò collatentes, vt omnes singulæ hæreditatis partes adsint, tanquam in ore ipsius hæreditatis existentes.

Os transfertur ad hæreditatem.

Vers. 5. *Et diuidite vobis terram in septem partes: Iehuda stabit super terminum suum à Meridie: domus Ioseph stabunt super terminos suos ab Aquilone.*

Vers. 6. *Vos quoque describetis terram in septem partes, & venietis ad me huc, & iactam vobis sortem hic coram Domino Deo nostro.*

Vers. 7. *Non enim est pars Leuitis in medio vestri, quia sacerdotium Domini est hæreditas eorum: Gad autem, & Reuben, & dimidia Tribus Manassis acceperunt hæreditatem suam trans Iarden ad Orientem, quam dedit eis Moses seruus Domini.*

Cumque surrexissent viri, vt pergerent ad describendum terram, præcepit eis Iehosua dicens: Circumite terram, & describite eam, ac reuertimini ad me, & hic iactam vobis sortem coram Domino in Silo. Vers. 8.

Perrexerúntque viri, & transierunt in terram, & descripserunt eam per ciuitates in septem partes in libro: & reuersi sunt ad Iehosuam ad castra in Silo. Vers. 9.

Et iecit eis Iehosua sortem in Silo coram Domino: diuisitque terram filijs Israel in septem partes.] Si quæritur, quomodo seruatum est præceptum diuinum scriptum Num. 26. *Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem.* nam, si partes septem descriptæ erant ab illis mittis ad diuidendum terram, & postea sorte partes illæ datæ sunt, non seruabant diuinum præceptum, vt darent pluribus maiorem partem: ita enim fors maioris partis cadere poterat super pauciores, sicut super plures. Solutio est, quòd quia diuina illa lex pro pace inter Tribus decreta est, potuit de consensu partium absque diuinæ legis iniuria renunciari beneficio illius legis, accedente authoritate Principis: visum est enim Iosuæ, & populo sic expedire communi bono: quia modica erat disparitas secundum multitudinem inter has septem Tribus. non sic autem fuit diuisa terra maioribus Tribubus, Iudæ, videlicet, & Ephraim, vt supra scripta testantur.

Quomodo pluribus maiorem partē, paucioribus verò minorem dedit Iesus. Vers. 10.

Et ascendit sors Tribus filiorum Beniamin per familias eorum: & exiuit terminus sortis eorum inter filios Iehuda, & filios Ioseph. Vers. 11.

Fuitque eis terminus ad latus Aquilonis à Iarden: & ascendit terminus ad latus Iericho ab Aquilone, & ascendes in montem ad mare: egressúsque exitus eius ad desertum Bethauen. Vers. 12.

Et transibit inde terminus in Luz ad latus ad Luz ad Meridiem, ipsa est Bethel: descenderque terminus in Hateroth adar super montem, qui est a Meridie Beth choron inferioris. Vers. 13.

Et descendet terminus, & circumibit ad latus maris ad meridiem a monte, qui est super faciem Beth choron ad meridiem, & erunt exitus eius ad Ciriath Baal, ipsa est ciuitas Iebarim, ciuitas filiorum Iehuda: hoc est latus maris. Vers. 14

Et latus ad meridiem ab extremo Ciriath Iebarim: & exibit terminus ad mare, & exibit ad fontem aquæ Nephtoah. Vers. 15.

Et descendet terminus ad extremum montis, qui est super faciem vallis Benennon, quæ est in valle Raphaim ad Aquilonem: descendéque vallis Hinnom ad latus Iebus ad meridiem: & descendet ad fontem Rogel. Vers. 16.

Et declinabit ab Aquilone, & exibit ad Hensemes (id est, fontem Solis) Vers. 17.

Et exibit ad Gheliloth, quæ sunt contra ascensum Adummim: descendétque ad Even Bohan, (id est, ad saxeum Boën filij Reuben. Et transibit ad latus contra planitiem ad Aquilonem: & descendet in Harabam. Vers. 18.

Et transibit terminus ad latus Beth Hoglæ ad Aquilonem, & erunt exitus termini ad linguam maris salsi ad Aquilonem ad extremum Iarden ad meridiem: iste est terminus meridiei. Vers. 19.

Et Iarden terminabit eum ad latus ad orientem: ista est hæreditas filiorum Beniamin per terminos eius in circuitu per familias eorum. Vers. 20.

Fuerúntque

Vers.11. *Fuerúntque ciuitates tribui filiorum Beniamin per familias eorum: Iericho & Beth hoglæ & vallis Cæsin.*

Vers.22. *Beth haraba, et Zemaraim, & Bethel.*

Vers.23. *Et Hauuim, & Para, & Ophra.*

Vers.24. *Et Chephar Hammonai, & Ophni, & Gaba: ciuitates duodecim & villæ earum.*

Vers.25. *Gibbon, & Rama, & Beeroth.*

Vers.26. *Et Mizpe, & Chephira, & Moza.*

Vers.27. *Et Recem, & Irpeel, & Tarala.*

Vers.28. *Et Zelah, Eleph, & Iebusi (ipsa est Ierusalaim) Ghibbath Ciriath, ciuitates quatuordecim & villæ earum: ista est hæreditas filiorum Beniamin per familias eorum.*

CAPVT XIX.

Vers.1. EGressa est sors secunda Simhoni, *Tribui filiorum Simhonis per familias eorum:*

Vers.2. *Et fuit hæreditas eorum in medio hæreditatis filiorum Iehudæ. Fuitque eis in hæreditatem ipsorum: Beer-sebah, & Sebag, & Molada.*

Vers.3. *Et Chazur-suhal & Bala, & Hazem.*

Vers.4. *Et Eltholad, & Bethul, & Chorma.*

Vers.5. *Et Zic-Lag, & Beth-marchaboth, & Chazar-Susa.*

Vers.6. *Et Beth Lebaboth, & Saruchem: ciuitates tredecim, & villæ earum.*

Vers.7. *Hain Rimmon, & Hether, & Hasan: ciuitates quatuor, & villæ earum.*

Vers.8. *Et omnes villæ per circumitum ciuitatum istarum vsque ad Bahalath Beer Ramath ad meridiem: ista est hæreditas Tribus filiorum Simhonis per familias eorum:*

Vers.9. *In possessione, & funiculo filiorum Iehudæ, quia maior erat.*] Iuxta Hebræum habetur: *De sorte filiorum Iehudæ hæreditas filiorum Simhon: quia fuit pars filiorum Iehudæ multa pra ipsis: & hæreditauerunt filij Simhon in medio hæreditatis eorum.*]Clare enim manifestatur, quòd, quia pars, quam acceperat Tribus Iudæ excedebat necessariam partem ad habitandum filiis Iudæ, ideò ex sorte filiorum Iudæ amputata est hæreditas Simeon. Et hinc dicitur, quòd Simeon non habuit sortem propriam, eò quòd sors eius fuerit intra sortem Iudæ.

Vers.10. *Ascenditque sors tertia filiis Zebulum per familias eorum: & fuit terminus hæreditatis eorum vsque ad Sarid.*

Vers.11. *Et ascendet terminus eorum ad mare, & Mar-Halam, & pertinget ad Dabbaseth: pertingétque ad torrentem, qui est super faciem Iocneham.*

Vers.12. *Et reuertetur de Sarid ad Orientem ad ortum Solis super terminum Chisloth Thabor: exibitque ad Dob Ruth, & ascendet in Iaphiah.*

Vers.13. *Et inde transibit ad Orientem ad ortum ad Ghittam Gepher ad Hitcham Cazin: & exibit Rimmon Gyranem ad Nehah.*

Vers.14. *Et circumibit eis terminus ab Aquilone ad Chanathon: erúntque exitus eius ad vallem Iphthach el,*

Vers.15. *Et Cathath, & Nahalal, & Simron, & Idhala, & Beth Lachem: ciuitates duodecim, & villæ earum.*

Vers.16. *Hæc est hæreditas filiorum Zebulum per familias eorum: ciuitates istæ, & villæ earum.*

Vers.17. *Issachar exiuit sors quarta: filiis Issachar per familias eorum.*

Fuitque terminus eorum Izrehela, & Chesuloth, Vers.18. *& Sunem.*

Et Chaphsaraim, & Lion, & Anacharath. Vers.19.

Et Hasabbith, & Cision, & Abez. Vers.20.

Et Remethz, & Hen Gannim, & Henchadda, Vers.21. *& Beth Pazez.*

Et peruenies terminus in Thabor, & Sachazimam, & Beth Semes, & erunt exitus termini eorum Vers.22. *ad Iarden: ciuitates sedecim, & villæ earum.*

Hæc est hæreditas Tribus filiorum Issachar per Vers.23. *familias eorum, ciuitates, & villæ earum.*

Et exiuit sors quinta Tribui filiorum Aser per Vers.24. *familias eorum.*

Fuitque terminus eorum Chelchath, & Chali, Vers.25. *& Beten, & Achsaph.*

Et Alamelech, & Hamhad, & Mis al: & per- Vers.26. *uenies in Charmel ad mare, & in Sichor Libnath.*

Et reuertetur ab ortu Solis Beth Dagon, & per- Vers.27. *uenies in Zebulum & in vallem Iphtach el ad aquilonem Beth Hemec & Nehel: exibitque ad Chabul a sinistra.*

Et Habron & Rechob, & Chammon, & Canam, Vers.28. *vsque ad Zidon magnam.*

Et reuertetur terminus in Ramam, & vsque ad Vers.29. *ciuitatem munitam Zor: reuertetúrque terminus in Chosam, & erunt exitus eius ad mare à funiculo ad Achzib.*

Et Hummam, & Aphec, & Rechob: ciuitates Vers.30. *viginti duæ, & villæ earum.*

Hæc est hæreditas tribus filiorum Aser per fami- Vers.31. *lias eorum ciuitates istæ, & villæ earum.*

Filiis Naphthali exiuit sors sexta: filiis Naph- Vers.32. *thali per familias eorum.*

Et fuit terminus eorum à Cheleph ab Elon in Vers.33. *Zahananim, & Adami ipsius Neceb, & Iabneel vsque ad lacum: fuitque exitus eius ad Iarden.*

Et reuertetur terminus ad mare Azneth Tha- Vers.34. *bor, & exibit inde ad Chucocam: peruenietque in Zebulum à meridie, & in Aser peruenit ab occidente, & in Iehudam ad Iarden ab ortu Solis.*

Et ciuitates munitæ: Ziddim in Zer, & Cham- Vers.35. *math Raccath, & Chinnereth.*

Et Adama, & Harama, & Chazor. Vers.36.

Et Cedes, & Edrehi, & Henchazor. Vers.37.

Et Iron, & Migdal el, Chorem, & Beth-hanath, Vers.38. *& Beth-semes: ciuitates nouendecim, & villæ earum.*

Hæc est hæreditas Tribus filiorum Naphthali Vers.39. *per familias eorum: ciuitates, & villæ earum.*

Tribui filiorum Dan per familias eorum, exiuit Vers.40. *sors septima.*

Et fuit terminus hæreditatis eorum: Zarha, & Vers.41. *Esthaol, & Hirsemes, id est, ciuitas Solis.*

Et Sahalabbim, & Aialon, & Ithela. Vers.42.

Et Elon, & Thimnata, & Hecron. Vers.43.

Et Elthece, & Zibbethon, & Bahalath. Vers.44.

Et Hud, & Beneberach, & Gath rimmon. Vers.45.

Et aqua Iarcon, & Haracon: cum termino con- Vers.46. *tra Iapho.*

Et exiuit terminus filiorum Dan ab eis: ascen- Vers.47. *derúntque filij Dan, & pugnauerunt cum Lesem, ceperúntque eam, & percusserunt eam in ore gladij, & hæreditauerunt eam, & habitarunt in ea.*] Quando res hæc gesta fuerit (an tempore Iosuæ, an post) certum non est; hoc tamen certum est, quòd isti seruauerint legem interficiendo omnes habitatores Lesem.

Vocantes nomen eius Lesendam.] Corrupta est litera: ita quòd superfluit pronomen, eius: nam Hebraicè habetur: *Et vocauerunt Lesem dan*

in nomine Dan patris sui. Et est casus datiui, *Lesem:* per quem manifestè significatur; quòd nomen Dan impositum fuit ipsi Lesem. Nec ex identitate nominis Dan impositi Lesem, & imposti Lais Iudicum 18. argumentum habetur sufficiens, quòd eadem ciuitas fuerit Lesem. & Lais: non solùm enim nomina sunt diuersa, sed etiam actiones: nam Lais ferbitur combusta à filiis Dan. & rædificata: Lesem autem non fuit combusta; sed, vt hic scribitur, fuit capta, & habitata à filiis Dan, mutato ciuitatis nomine.

Lesem, & Lais non vt eadem ciuitas.

Vers. 48. *Hæc est hæreditas Tribus filiorum Dan per familias eorum, ciuitates istæ, & villæ earum.*

Vers. 49. *Compleuerúntque in hæreditatem diuidere terram per terminos suos: & dederunt filij Israel hæreditatem Iehosuæ filio Nun in medio sui.*] Quemadmodum data fuit absque sorte Chebron Chaleb: ita datur hæreditas Iosuæ absque sorte: Soli enim ipsi superstites erant ex exeentis mulibus numeratis in deserto, & ambo fuerant exploratores, relationem secundùm Deum facientes.

Vers. 50. *Iuxta verbum Domini dederunt ei ciuitatem, quam postulauit, Timnath Serach in monte Ephraim: ædificauitque ciuitatem, & habitauit in ea.*] Quemadmodum non sunt scripta in libris Mosis, quæ fuerunt dicta pro hæreditate Chaleb; ita non est scriptum in eisdem libris huiusmodi verbum diuinum pro hæreditate Iosuæ: sed hîc primò scribitur.

Vers. 51. *Hæ sunt possessiones, quas sorte diuiserunt Elhazar Sacerdos, & Iehosua filius Nun, & Principes familiarum, ac Tribuum filiorum Israel in Silo coram Domino ad ostium tentorij admirationis: & finierunt diuidere terram.*]

CAPVT XX.

Vers. 1. LOCVTVS *est Dominus ad Iehosuam, dicens: Loquere ad filios Israel dicens:*

Vers. 2. *Date vobis ciuitates refugij, quas locutus sum ad vos per manum Mosis.*

Vers. 3. *Vt fugiat illuc homicida, percutiens animam per errorem absque scientia: erúntque vobis in refugium a redemptore sanguinis.*

Vers. 4. *Et fugiet ad vnam ex ciuitatibus istis, stabitque ad ostium portæ ciuitatis, & loquetur in auribus seniorum ciuitatis illius verba sua: recolligéntque eum in ciuitatem ad se, & dabunt ei locum, & habitabit cum eis.*] Mandatis diuinis scriptis Num 35. & Deut. 16. explicando adiungitur modus, quo homicida inuoluntarius confugiens ad ciuitatem refugij recipiendus erat: videlicet, manifestando causam suam senioribus ciuitatis in porta, quæ tunc erat celebriot ciuitatis locus.

Quomodo recipiebatur fugiens ad ciuitates refugij.

Vers. 5. *Et cum secutus fuerit redemptor sanguinis post eum, non tradent homicidam in manum eius: quia ignorans percussit proximum suum, & non odio habuerat eum ab heri, & nudiustertius.*

Vers. 6. *Et habitabit in ciuitate illa, donec steterit ante Synagogam ad iudicium, donec moriatur Sacerdos magnus, qui erit in diebus illis: tunc reuertetur homicida, & veniet ad ciuitatem suam, & ad domum suam, ad ciuitatem, vnde fugerat illuc.*] Summariè tanguntur in supradictis libris scripta: tanguntur enim duo, *donec*: alterum temporis intermedij vsque ad diffinitiuam sententiam inuoluntarij homicidij: alterum temporis fluentis post huiusmodi diffinitiuam sententiam vsque ad mortem summi Sacerdotis: vtroque enim tempore securus erat in ciuitate refugij.

Decreuerúntque Cedes in Ghalil in monte Naphthali, & Sechem in monte Ephraim: & Ciriath Arbah (ipsa est Chebron) in monte Iehuda. Vers. 7.

Et trans Iarden ad orientalem plagam Iericho, statuerunt Pezer in deserto in planitie de Tribu Reuben: & Ramoth in Ghilhad de Tribu Gad, & Gholan in Basan de Tribu Manasses. Vers. 8.

Hæ ciuitates constitutæ sunt cunctis filiis Israël, & aduenis, qui habitabant inter eos, vt fugeret ad eas, qui animam nescius percussisset: & non moreretur in manu redemptoris sanguinis, donec staret ante populum expositurus causam suam.] Vers. 9.

CAPVT XXI.

ACCESSERVNTQVE *Principes patrum Leuitarum, ad Elhazar Sacerdotem, & ad Iehosuam filium Nun: & ad Principes patrum Tribuum filiorum Israel.* Vers. 1.

Locutique sunt ad eos in Silo in terra Chenaban dicendo: Dominus præcepit per manum Mosis, vt darentur nobis ciuitates ad habitandum, & suburbana earum pro animalibus nostris. Vers. 2.

Et dederunt filij Israel Leuitis de hæreditate sua iuxta verbum Domini, ciuitates istas, & suburbana earum. Vers. 3.

Egressaque est sors per familias Cehathitarum: & fuit filiis Aharon Sacerdotis de Leuitis, de Tribu Iehuda, & de Tribu Simbon, & de Tribu Binjamin per sortem ciuitates tredecim.] Et immediatè post, *filijs autem Cehath reliquis.* & paulò inferùs, *& filijs Gerson.* & demum subditur, *filijs Merari.* Ex his colligę, prudens lector ante mentis prospectum, vniuersæ Tribus Leuit ex familias quidem tres (videlicet, Cehathitas, Gersonitas & Merarítas:) partes autem quatuor: quia Cehathitæ diuisi sunt in duas partes, quarum vna constat ex Sacerdotibus, & hæc vocatur filiorum Aharon; altera Leuitico duntaxat gradu contenta fuit, sicut & Gersonitæ, & Merarítæ. Et propterea secundum has quatuor portiones, quatuor sortes in hoc capitulo narrantur.

Tribus Leuitica familia tres partes antè quasuer erant.

Filijs autem Cehath reliquis, de familijs Tribus Ephraim, & de Tribu Dan, & de dimidia Tribu Manasses per sortem ciuitates decem. Vers. 5.

Et filijs Gerson de familijs Tribus Issachar, & de Tribu Aser, & de Tribu Naphthali, & de dimidia Tribu Manasses in Basan per sortem, ciuitates tredecim Vers. 6.

Filijs Merari per familias eorum de Tribu Reuben, & de Tribu Gad, & de Tribu Zebulum ciuitates duodecim. Vers. 7.

Dederúntque filijs Israël Leuitis ciuitates has, & suburbana earum: sicut præcepit Dominus per manum Mosis per sortem. Vers. 8.

Et dederunt de Tribu filiorum Iehuda, & de Tribu filiorum Simbon ciuitates istas, quas vocabit nomine. Vers. 9.

Dederúntque filijs Aharon de familijs Cehathitarum de filijs Leui (eis enim erat sors prima) Vers. 10.

Ciriath Arbah patris Hanac ipsa est Chebron in monte Iehuda: & suburbana eius per circuitum eius. Vers. 11.

Agrum verò ciuitatis, & villas eius dederunt Chaleb Vers. 12.

Ciuitas Chebron fuit Leuitica, & cur.

Chaleb filio Iephunne in possessionem eius.] Quamuis ciuitas Chebron fuerit Chaleb, quia tamen forte contigit, vt esset ciuitas Sacerdotum, oportuit, Chaleb quemadmodum & aliarum Tribuum Principes contentire, vt ciuitas Chebron esset tribus Leuiticæ quoad vsum habitandi. Imò hic consensus fuit ante sortes illas, eo ipso, quòd decreuerunt ciuitatem Chebron esse ciuitatem refugij: quoniam Num. 35 decreuit Deus, vt ciuitates refugij sint Leuitarum: & propterea si prius decretæ sunt ciuitates refugij, prius fuit Chaleb contentus. Verum, vt in litera dicitur, vniuersus ager Chebron cum villis eius apud Chaleb mansit: sola enim ciuitas Chebron cum suburbano fuit vsui Sacerdotum.

Vers. 13. *Et filiis Aharon Sacerdotis dederunt ciuitatem refugij homicidæ, Chebron, & suburbana eius: & Libnam, ac suburbana eius:*

Vers. 14. *Et Iathir, & suburbana eius: Esthemoah, ac suburbana eius:*

Vers. 15. *Et Cholon, & suburbana eius: & Debir, ac suburbana eius:*

Vers. 16. *Et Ain, & suburbana eius: & Iuttam, & suburbana eius: & Beth Semes, ac suburbana eius: ciuitates nouem de duabus tribubus istis.*

Vers. 17. *De tribu vero Beniamin Gibbhon, & suburbana eius: Gebah, ac suburbana eius.*

Vers. 18. *Hanathoth, & suburbana eius: Halmon, & suburbana eius: ciuitates quatuor.*

Vers. 19. *Omnes ciuitates filiorum Aharon, Sacerdotum, tredecim ciuitates, & suburbana earum.*

Vers. 20. *Et familiis filiorum Cehat Leuitarum reliquorum de filiis Cehat: fuerúntque ciuitates sortis eorum de tribu Ephraim.*

Vers. 21. *Et dederunt eis ciuitatem refugij homicidæ Sechem, & suburbana eius in monte Ephraim: & Gbezer, ac suburbana eius:*

Vers. 22. *Et Cibzaim, & suburbana eius: & Beth Choron, ac suburbana eius: ciuitates quatuor.*

Vers. 23. *Et de Tribu Dan Elthece, & suburbana eius: & Ghibbethon, ac suburbana eius.*

Vers. 24. *Aialon, & suburbana eius: Gath Rimmon, ac suburbana eius: ciuitates quatuor.*

Vers. 25. *Et de dimidia Tribu Manasse, Thanach, & suburbana eius: & Ghath Rimmon, ac suburbana eius, ciuitates duæ.*

Vers. 26. *Omnes ciuitates decem, & suburbana earum, data sunt filiis Cehath inferioris gradus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Familiis filiorum Cehath reliquis.* quoniam vltimi Leuitarum sunt Merarites.

Vers. 27. *Filiis quoque Gerson de familiis Leuitarum, de dimidia Tribu Manasse ciuitatem refugij homicidæ, Gholam in Basan, & suburbana eius, & Beelsthrath, ac suburbana eius: ciuitates duæ.*

Vers. 28. *Et de Tribu Issachar Ciriathaim, & suburbana eius: Dabrath, ac suburbana eius:*

Vers. 29. *Jarmuth, & suburbana eius, & Heganim, ac suburbana eius: ciuitates quatuor.*

Vers. 30. *Et de tribu Aser, Masal, & suburbana eius: Habdon, & suburbana eius:*

Vers. 31. *Chelcath, & suburbana eius: & Rechob, ac suburbana eius. ciuitates quatuor.*

Vers. 32. *Et de Tribu Naphthali ciuitatem refugij homicidæ. Cedes in Ghalil, & suburbana eius: & Chamoth Dor, ac suburbana eius, & Charthan, & suburbana eius: ciuitates tres.*

Vers. 33. *Omnes ciuitates Gersonitarum per familias eorum, tredecim ciuitates, & suburbana earum.*

Familiis autem filiorum Merari Leuitarum reliquorum, de Tribu Zebulun Iocneham, & suburbana eius: Carthan, & suburbana eius. Vers. 34.

Dimnam, & suburbana eius Nahalal, ac suburbana eius: ciuitates quatuor. Vers. 35.

Et de Tribu Ruben Bezer, & suburbana eius: & Iahezam, ac suburbana eius. Cedemoth, & suburbana eius: & Mephahath, ac suburbana eius: ciuitates quatuor. Vers. 36.

Et de Tribu Gad ciuitatem refugij homicidæ Ramoth in Ghilhad, & suburbana eius: & Machanaim, ac suburbana eius. Chesbon, & suburbana eius: Iahzer, ac suburbana eius: omnes ciuitates quatuor. Vers. 37.

Omnes ciuitates filiorum Merari per familias eorum residuorum de familiis Leuitarum, ciuitates duodecim. Vers. 38.

Omnes ciuitates Leuitarum in medio possessionis filiorum Israël, ciuitates quadraginta octo, & suburbana earum. Vers. 39.

Erunt ciuitates istæ ciuitas ciuitas, & suburbana eius per circuitum ipsius: sic omnibus ciuitatibus istis. Vers. 40.

Dedítque Dominus Israeli omnem terram, quam iurauit dare patribus eorum.] Quæstio magna oritur circa verificationem huius sententiæ: nam & supernus cap. 13. dictum est, & infernus cap. 23. reperitur, multam adhuc superesse terram non acquisitam; quæ tamen acquirenda supererat cum promissione, quòd Deus disperdet gentes illas: quomodo ergo verificatur: & dedit Iehouah Israëli omnem terram, quam iurauit ad dandum patribus eorum? Et quod sit firmo, quòd dedit cum effectu subiuncta manifestant: Vers. 41.

An Deus dederit Israëlitis omnē terram, quā promiserat patribus eorum.

Et hæreditauerunt ipsam, & habitauerunt in ipsa.] Solutio est, quòd sententia hæc verificatur secundum formam promissionis diuinæ: modus enim, & forma promissionis fuit, vt non simul; sed temporibus congruis daret Deus omnem terram promissionis: expressè enim scribitur Exod. 23. iste modus: & assignatur ratio: quia, si in principio Deus daret eis vniuersam terram illam, cùm ipsi non sufficerent ad habitandum, & colendum eam, multiplicarentur agrestia animalia aduersùs eos. Quia itaque Deus de facto dedit tempore Iosuæ terram sufficientem populo Israël pro tunc, idcò verificatur, quòd dedit Israëli omnem terram, quam iurauit se daturum: subintelligitur enim secundum formam, & modum promissionis.

Non dedit in principio, & cur.

Datæque est à Deo pax in omnes per circuitum nationes.] Iuxta Hebræum plus habetur: *Et requiem dedit Iehouah eis à circuitu, sicut omne, quod iurauit patribus eorum.* Perspicuum est, adimpletum esse hoc, tempore Iosuæ: quoniam terræ non subactæ quiescebant, nec molestæ erant Israëlitis. Vers. 42.

Nullúsque eis hostium resistere ausus est.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non stetit vir in facibus eorum ex omnibus inimicis ipsorum.* Significatur enim non negatio audaciæ ad resistendum, sed negatio subsistentiæ inimicorum, non absolute, sed in facibus Israëlitarum; hoc est, in congressu cum Israëlitis: omnes enim, cum quibus prælium fuit, debellati sunt: cum relictis autem terris non acquisitis, non commisit prælium Israël: & propterea verificatur, quod in facibus eorum nullus inimicorum steterit.

In facibus Israëlitarum no stetisse inimicum, quomodo verificetur.

Sed cuncta in eorum ditionem redacta sunt.] Iuxta Hebræum habetur : *Omnes inimicos eorum dedit Iehouah in manus ipsorum.* Inimici Israëlis appellantur hoc in loco illi, qui egressi fuerant ad bellum contra Israël : omnes enim istos traditos fuisse manibus Israël perspicuum est.

Vers. 43. *Nec vnam quidem verbum, quod illis præstaturum se esse promiserat, irritum fuit: sed rebus expleta sunt omnia.*] Iuxta Hebræum habetur: *Non cecidit verbum ex omni verbo bono, quod locutus est Iehouah domui Israel: omne venit.* Dicitur, *ex omni verbo bono*, ad differentiam diuinorum verborum ad puniendum Israëlitas : huiusmodi enim verbum est ad malum pœnæ inferendum Israëli : & ideò distinguitur à verbo bono, hoc est, collatiuo boni. Multa enim mala comminatus fuerat Deus, quæ non executioni mandauerat : sed bonum omne, quod promisit, venit.

Differentia inter verbum bonum, & verbum diuinum.

CAPVT XXII.

Vers. 1. VOcauit Iehosua Reubenitas, & Gaditas, & dimidiam tribum Menassis.

Vers. 2. *Et dixit ad eos : Vos custodistis omnia, quæ præcepit vobis Moses, seruus Domini, & obedistis voci meæ in cunctis, quæ præcepi vobis.*

Vers. 3. *Non reliquistis fratres vestros iam diebus multis vsque in diem hunc : & seruastis custodiam præcepti Domini Dei vestri.*

Vers. 4. *Et nunc requiescere fecit Dominus Deus vester fratres vestros, sicut locutus est eis : & nunc reuertimini, & ite vobis ad tentoria vestra, ad terram possessionis, quam dedit vobis Moses, seruus Domini, trans Iarden.*

Vers. 5. *Tantum custodiatis attentè, vt faciatis mandatum, & legem, quam præcepit vobis Moses, seruus Domini, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis eius, & seruietis præceptis eius, & adhæreatis ei : & seruatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra.*

Vers. 6. *Benedixitque eis Iehosua : & dimisit eos, abieruntque in tentoria sua.*

Vers. 7. *Dimidiæ autem tribui Manassis dederat Moses in Basan : dimidiæ verò eius dedit Iehosua cum fratribus eorum trans Iarden ad occidentem. Et etiam cum dimitteret eos in tentoria sua, & benediceret eis,*

Vers. 8. *Dixit ad eos : Cum diuitiis multis reuertimini ad tentoria vestra, & cum armento multo valdè, cum argento, & auro, & ære, & ferro, & vestibus multis valdè, diuidite prædam hostium vestrorum cum fratribus vestris.*] Quemadmodum tempore Mosis diuisa fuit præda Madianitarum (vt patet Num. 31.) ex præcepto Dei ; ita quòd medietas fuit pugnantium, & medietas reliqui populi : ita nunc Iosua mandat quadraginta millibus ex Reuben, Gad, & Manasse, vt redeuntes ad propria diuidant prædam cum fratribus suis, qui non venerant ad bellum.

Diuisio prædæ inter quos fieri iussa à Iosua.

Vers. 9. *Reuersique sunt, & abierunt filij Reuben, & filij Gad, & dimidia tribus Manassis à filiis Israel de Silo, quæ est in terra Chanaan : vt intrarent Galaad terram possessionis suæ, quam obtinuerant iuxta imperium Domini in manu Mosis.*

Vers. 10. *Cumque venissent ad tumulos Iordanis.*] Iuxta Hebraeum habetur, *ad voluabra Iarden, quæ in terra Chanaan.* Regio iuxta Iordanem inutilis ad semina ex hoc, quòd inuoluitur Iordanis alluuione, significatur vltra Iordanem eundo à Ierusalem versus Iordanem.

Iordanis alluuione terra redditur inutilis ad semina.

Ædificauerunt iuxta Iarden altare infinitæ magnitudinis.] Iuxta Hebraeum habetur, *altare magnum visu.* vt ex hoc ipso pateret, quòd non ad sacrificandum, sed ad videndum elevatum erat, vt posteà declaratum constructores eius.

Vers. 11. *Quod cùm audissent filij Israël, & ad eos certi nuncij detulissent.*] Interpres expositoris officio fungitur : nam iuxta Hebræum habetur tantummodo.

Et audierunt filij Israël dicere : Ecce ædificauerunt filij Reuben, & filij Gad, & dimidia Tribus Manassis altare in terra Chanaan super Iordanis tumulos contra filios Israel.] Iuxta Hebræum habetur : *E regione terræ Chanaan ad voluabra Iarden, ad transitum filiorum Israel.* Et hinc clarè habetur, quòd altare hoc ædificatum est, non in terra Chanaan, sed in terra Rubenitarum, Gaditarum, & dimidiæ Tribus Manassis ; hoc est, trans Iordanem relatiuè ad Ierusalem : terra enim Chanaan est cis Iordanem relatiuè ad Ierusalem.

Vers. 12. *Audierúntque filij Israel, & conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent contra eos ad pugnam.*

Vers. 13. *Et interim miserunt ad illos in terram Galaad, Pinehas filium Eleazari Sacerdotis,*

Vers. 14. *Et decem Principes cum eo, singulos de singulis tribubus.*] Deest hìc tota sequens clausula : *Et vnusquisque caput domus patrum suorum ipsi in millibus Israel :* manifestatur enim per hoc, quòd Legati isti fuerunt viri primarij, vtpote capita familiarum patrum suorum ; hoc est, Iudæ, Simeonis, Aser, Dan, &c. continentium singillatim multa millia hominum in Israël.

Vers. 15. *Qui venerunt ad filios Reuben, & ad filios Gad, & ad dimidiam Tribum Manassis in terram Galaad : locutique sunt ad eos dicendo:*

Vers. 16. *Sic dixerunt omnis populus Domini : Quæ est ista transgressio, qua reliquistis Dominum Deum Israel, ædificantes altare sacrilegum,*) superfluit, *sacrilegum,*) *& à cultu illius recedentes?*

Vers. 17. *An parum vobis est, quòd peccastis in Beelphegor, & vsque in præsentem diem macula inuitus sceleris in vobis permanet, multique de populo corruerunt?*] Iuxta Hebraeum habetur : *An parum nobis iniquitas Pehor, qua non sumus mundi vsque in diem istum? & fuit plaga in Synagoga Domini?* In prima loquuntur persona, communne agnoscunt, & fatentur peccatum commissum tempore Mosis, allicientibus mulieribus Madianitis, & Moabitis ad cultum Pehor, vt scriptum est Num. 25. Aiunt autem, non esse se mundos adhuc ab illa iniquitate ; vel, quia reliquiæ pœnarum adhuc erant ; vel quod potius credidérim) intelligebant diuinam vltionem esse suspensam.

Diuina vltio aliquando suspenditur.

Vers. 18. *Et vos hodie reliquistis Dominum, & eras in vniuersum Israel ira eius desæuiet.*] Iuxta Hebraeum habetur : *Et vos reuertemini hodie ex post Iehouah : & erit, vos rebellaueritis hodie Iehouah, & eras vniuersa Synagoga Israel super eum.* Sententia clara est, quòd propter peccatum vestrum patiemur omnes simul: huiusmodi

huiusmodi enim tempus significatur per hodie, & cras.

Vers.19. *Quòd si putatis immundam esse terram possessionis vestræ.*] Ratione absentiæ tabernaculi Domini intercedente flumine: cùm secundùm veritatem vniuersa terra filiorum Israël ex tabernaculo Domini in quacunque Tribu moraretur, redderetur munda ad diuinum cultum, & seruanda esset munda à superstitionibus, & iniquitatibus lege prohibitis.

Tabernaculi conferebat mundatiem Tribui, in qua morabatur.

Transite vobis ad terram, in qua tabernaculum Domini est, & habitate inter nos: tantùm à Domino, & consortio nostro non recedatis, ædificando vobis altare præter altare Domini Dei nostri.

Vers.20. *Nonne Hachan, filius Zerach, præteriit mandatum Domini, & super omnem populum Israel ira incubuit: & ipse vir vnus non periit in iniquitate sua?*] Ex recentiori facto scripto superiùs cap.7. probant, quod dixerant; videlicet, quòd vobis peccantibus omnes patiemur.

Vno peccante omnes patiuntur.

Vers.21. *Responderúntque filij Reuben, & filij Gad, & dimidia Tribus Manassis: locutíque sunt ad Principes millium Israel:*

Vers.22. *Fortissimus Dominus Deus Israel ipse nouit, & Israel simul intelligat.*] Iuxta Hebræum habetur: *El Elohim Iehouah, El Elohim Iehouah ipse sciens, & Israël ipse sciet: si in rebellionem, & si in prævaricationem in Dominum, non salvabit nos in die hac.* Inuocant Deum testem, bis nominando eum tribus nominibus pluries declaratis: nominant siquidem Deum ab essentia *Iehouah*; à potentia, seu fortitudine *El*; à iudicio autem, seu gubernatione, *Elohim*: vt integritatem suæ fidei profiteantur: & ad certitudinis exaggerationem eadem repetunt, profitendo, quòd ipse nouit, qua intentione ædificatum est altare illud, & ex eorum verbis sciet omnis Israel intentionem eorum.

Deus tribus nominibus inuocatur.

Vers.23. *Et si ea mente fecimus, vt holocaustum, & sacrificium, & pacificas victimas super ipsum imponeremus: Dominus ipse requirat.*

Vers.24. *Et si non ea magis cogitatione, atque tractatu, vt dicteremus: Cras dicent filij vestri filiis nostris, quid vobis, & Domino Deo Israel,*

Vers.25. *Terminum posuit Dominus inter nos, & vos, ô filij Reuben, & filij Gad, Iarden fluuium, & idcircò partem non habetis in Domino? Et per hanc occasionem auerterent filij vestri filios nostros à timore Domini. Putauimus itaque melius,*

Vers.26. *Et diximus: Extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas,*

Vers.27. *Sed in testimonium inter nos, & vos, & sobolem nostram, vestrámque progeniem, vt seruiamus Domino, & iuris nostri sit offerre holocausta, & victimas, & pacificas hostias.*] Paraphrasis est: nam Hebraicè nihil aliud habetur, nisi, *ad seruiendum seruitutem Iehouah in faciebus eius in holocaustis nostris, & in sacrificiis nostris, & pacificis nostris.* fatentur enim fecisse altare in testem, ad testificandum, quòd ipsi quoque addicti sunt ad exhibendum seruitutem Deo in facie ipsius Dei; hoc est, in tabernaculo Dei ad offerendum coram eo holocausta, &c. Et appellant seruire seruitutem concursum cum aliis ad sumptus, & quæcunque alia necessaria ad diuinum cultum in tabernaculo Dei.

Et nequaquam dicant cras filij vestri filiis nostris: Non est vobis pars in Domino.

Vers.28. *Quod si voluerint dicere, respondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri, non in holocaustum, neque in sacrificium; sed, vt testis sit inter nos, & vos.*

Vers.29. *Absit à nobis hoc scelus, vt recedamus à Domino, & eius vestigia relinquamus, extructo altari ad holocausta, & sacrificia, & victimas offerendas præter altare Domini Dei nostri, quod extructum est ante tabernaculum eius.*

Vers.30. *Quibus auditis, Pinchas Sacerdos, & Principes legationis Israël, qui erant cum eo, placati sunt: & verba filiorum Reuben, & Gad, & dimidiæ Tribus Manassis libentissimè susceperunt.*

Vers.31. *Dixitque Pinchas, filius Eleazari Sacerdotis, ad eos: Nunc scimus, quod vobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis à prævaricatione hac; & liberastis filios Israel de manu Domini.*] Quemadmodum si peccassent Reubenitæ cum sociis, exposuissent populum Israël diuinis flagellis; ita non peccando liberauerunt populum Israël de manu Dei per negationem peccati prouocatiui diuinæ vltionis.

Vers.32. *Reuersúsque est cum Principibus a filiis Reuben, & Gad de terra Ghilhad, ad terram Chenahan, ad filios Israël: & retulerunt eis rem.*

Vers.33. *Placuitque sermo cunctis audientibus: & laudauerunt Deum filij Israël, & nequaquam vltrà dixerunt, vt ascenderent contra eos, atque pugnarent, & delerent terram possessionis eorum.*] Nomen est *Elohim*: significatur enim quòd laudauerunt Deum, vt gubernatorem populi.

Vers.34. *Vocauerúntque filij Reuben, & filij Gad altare, quod extruxerant, testimonium nostrum.*] Iuxta Hebræum habetur duntaxat, *testis*: nominauerunt enim altare, *testis*. Et ratio nominis subiungitur.

Altare vocatur testis.

Quod Dominus ipse sit Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia testis ipsum inter nos, quòd Iehouah ipse Elohim.* Officium altaris declarant testificari, quòd primum essendi principium est Iudex, & gubernator cultus ab eis.

CAPVT XXIII.

Vers. 1. VOLVTO *autem multo tempore, postquàm dederat Dominus pacem Israeli ab omnibus inimicis eius in circuitu, Iehosua senuit, venit in dies.*

Vers.2. *Vocauítque Iehosua omnem Israël, seniores eius, & capita eius, & Iudices eius, ac Præfectos eius.*] Si Iosepho creditur, annis viginti sex præfuit Iosua populo: & quia anno sexto creditur terminasse bella, cùm transtulit tabernaculum in Silo; ideò vigesimo anno post quietem à præliis conuocatio ista fuit: nam expressè in hoc dicitur capitulo, quòd Iosua erat vicinus morti.

Quot annis Iosua præfuerit populo.

Vers.3. *Dixítque ad eos: Ego senui, veni in dies: vósque vidistis omnia, quæ fecit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipse pugnauerit.*

Vers.4. *Et nunc quia vobis sorte diuiserit omnem terram ab orientali parte Iordanis vsque ad mare magnum.*] Aduerte, prudens lector, quòd nullum Interpretem inuenio contextum sequentem reddidisse iuxta Hebraicam veritatem: nam Hebraicè hæc scribuntur in prima persona ex ore Iosuæ: *Videte, feci cadere vobis gentes reliquas istas in hæreditatem Tribubus vestris à Iarden, & omnes gentes, quas feci*

destruere, & habe magnum occasum Solis. Deinde immediatè sequitur:

Vers. 5. *Et Iehouah Elohe vester ipse faciat impellere eas à facie bus vestris, & faciet expellere eas à facie bus vestris: & hæreditabitis terram earum, sicut locutus est Iehouah Elohe vester vobis.*] Hic est contextus literæ iuxta Hebraicam veritatem: in qua Iosua monet primùm, quòd considerent vniuersas partes terræ, quas ipse fecit cadere sub sortibus eorum, distinguendo in tres partes; videlicet, in gentes residuas, hoc est, adhuc non acquisitas: distribuerat enim terras earum sub sortibus Tribuum Israël, vt quando acquirerentur, non esset lis, ad quam Tribum spectaret illa, vel illa pars. Secundo autem loco supputat gentes iam destructas; hoc est, terras earum, quas acquisierant, & actualiter possidebant: & tertiò supputat mare magnum, quod est in parte occidentali terræ promissionis. Et appellat mare mediterraneum *mare magnum*, ad differentiam maris Galilææ, quod etiam Hebraicè vocatur *mare*, quanuis secundùm veritatem sit lacus. Deinde promittit Iosua, quòd gentes, quæ supersunt destruendæ, Deus faciet destruere tempore congruo, quia adimplebit verbum suum, quod locutus est per Mosem vobis.

Monita Iosuæ ad Israelitas ante mortem.

Vers. 6. *Tantùm confortamini, & estote solliciti.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et roboramini valdè ad custodiendum, & ad faciendum omne scriptum in volumine legis Mosis, & non declinetis ab ea ad dexteram, & ad sinistram.* Semper Deus per Prophetas suos apponit pollicitis mandatum seruandi legem: vt intelligeretur, quòd si ipsi ponent obicem pollicitis non seruando legem, sibiipsis imputent non impleri diuinas promissiones.

Deus semper apponit pollicitis obseruantiam legis.

Vers. 7. *Ne postquàm intraueritis ad gentes, quæ inter vos futuræ sunt.*] Iuxta Hebræum habetur: *Non venietis in gentes istas, residuas istas cum vobis.* Prohibetur enim, vt non conueniant cum gentibus residuis adhuc non destructis, sed destruendis iuxta diuinum præceptum, vt nullum ineant fœdus cum gentibus destruendis.

Iuretis.] Ante prohibitionem iuramenti deficit vna clausula, videlicet: *Et in nomine Elohe eorum non facietis recordari.* Deinde sequitur:

Et non iurabitis, & non seruietis eis, & nõ incuruabimini eis.] Quatuor enim prohibentur: primum nomina Deorum gẽtium, nec reuocare in memoriam: deinde, non iurare per eorum nomina, quod spectat ad linguam: posteà non seruire eis, quod spectat ad sacrificia, & opera: & demum non incuruari eis, quod spectat ad signa venerationis.

Quatuor Deus prohibet Israelitis.

Vers. 8. *Sed adhæretis Domino Deo vestro.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd si adhærebitis Iehouah Elohe vestro.* Et sententia est conditionalis pendens vsque ad illam conclusionem: *Vir vnus ex vestris persequetur mille.*

Sicut fecistis vsque in diem istum.] Verificatur hoc de tempore, quo præfuit Iosua: affirmat enim Iosua, quòd toto tempore sui principatus vsque in diem illum populus adhæserit Domino.

Sub Iosua Israelitæ fideles Deo.

Vers. 9. *Et tunc auferet Dominus Deus à conspectu vestro gentes magnas, & robustissimas, & nullus vobis resistere poterit.*] Iuxta Hebræum habetur in præterito: *Et expulit Iehouah à facie bus vestris gentes magnas, & fortes, & vobis non steterit vir in facie bus vestris vsque in diem istum.* Continuatur enim sententia hæc cum immediatè præcedente, videlicet, *sicut fecistis vsque in diem istum.* Declarat siquidem Iosua ab experientia, quòd quia vobis seruantibus legem vsque in diem istum Deus expulit gentes magnas & fortes, & nullus bellantium potuit subsistere in conspectu vestro; scitote, quòd in futuro

Vers. 10. *Vir vnus ex vobis persequetur mille: quia Dominus Deus vester ipse pugnat pro vobis, sicut locutus est vobis.*] Hucusque enim pendet constructio literæ superioris: *Quòd si adhærebitis Iehouah.*

Vers. 11. *Hoc tantùm diligentissimè præcaute, vt diligatis Dominum Deum vestrum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et eritis custoditi valdè animis vestris, ad amandum Iehouah Elohe vestrum.* Quia amor interna est actio, ideò monet magnam valdè adhibendam esse curam animorum propriorum ad amandum fontem essendi, iudicem eorum.

Vers. 12. *Quòd si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd si reuertendo reuertemini, & adhærebitis residuo gentium istarum, residuarum istarum cum vobis.* hoc est, si reuertendo ad peccatum conuenietis cum residuis gentibus, quæ destruendæ supersunt, contra diuinum præceptum. Deinde sequitur:

Et affinitatem contrahetis cum eis, & venietis in eis, & ipsi in vobis.] Mutua enim amicitia, conuersatio, ac communicatio significatur; quanuis minùs congruè Latino sermone.

Vers. 13. *Iam nunc scitote, quòd Dominus Deus vester non eas delebit ante faciem vestram: sed erunt vobis in foueam, ac laqueum, & offendiculum ex lateribus vestris.*] Superfluit, *fouea*: sed adiungitur Hebraicè post laqueum & offendiculum tertio loco: *Et in flagellum in lateribus vestris.* Quòd autem subiungitur:

Et fudes in oculis vestris.] Hebraicè habetur: *Et in rubos in oculis vestris.* Grossiores spinæ significantur infestæ oculis. Et hæc omnia euentus docuit: nam peccantibus Israëlitis, & conuenientibus cum gentibus, impegerunt in idololatrias earum, & capti sunt in seruitutem, & flagellati sunt, & afflicti valde, sicut oculi à spinis cruentati.

Donec vos disperdat de terra hac bona, quam tradidit vobis.

Vers. 14. *Ecce ego hodie ingrediar viam vniuersæ terræ.*] Hinc apparet, quòd circa finem vitæ suæ Iosua hanc monitionem fecit. Quod autem dicit, *hodie*, tanquàm præsentem describit propinquam mortem, senectute iam excludente vitam.

Mori senibus est præsens.

Et cognoscetis toto corde vestro, & tota anima vestra, quòd de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, vnum non præterierit inanissum.] Iuxta Hebræum habetur præcisiùs: *Quòd ex omnibus verbis bonis, quæ locutus est Iehouah Elohe vester super vos, omnia venerunt vobis, non cecidit ex eo verbum vnum.* Vulgata editio quibusdam caret, & bonitatem circumloquitur superfluè: Iosua enim (vt subiuncta testantur) distinguit verba Dei in bona, & mala: & monet eos, vt quemadmodum experientia testatur, quòd verba bona venerunt omnia, sic sciant, quòd venient etiam verba mala, si peccauerint.

Vers. 15. *Et erit, sicut venit super vos omne verbum bonum, quod locutus est Dominus Deus vester vobis,*

sic

sic adducet Dominus super vos omne verbum malum, donec disperdat vos de terra bona ista, quam dedit vobis Dominus Deus vester.

Vers. 16. *Cùm transgressi fueritis pactum Domini Dei vestri, quod præcepit vobis, & ueneritis, & seruieritis Diis alienis, & incuruati fueritis eis: iracscetur furor Domini contra vos, & peribitis citò de terra bona, quam dedit vobis.*

CAPVT XXIV.

Vers. 1. CONGREGAVITQVE *Iehosua omnes Tribus Israël in Sechem: & vocauit seniores Israël, & capita eius, & iudices eius, ac Præfectos eius.*] Non esse alium conuentum istum in Seché à conuétu prænarrato in præcedente capitulo apparet ex eo, quod inferiùs subditur, quòd in Seché proposuit populo præceptũ, & iudiciũ: hæc enim duo perspicuũ est proposuisse Iosuam populo in præcedente cap. Narrantur autẽ tãquã distinctæ vocationes populi hæc, & illa: quia secundùm veritatem fuerunt duæ vocationes diuersis diebus iuxta diuersitatem materiæ; sed conuentus fuit vnus: ita quòd in vno, eodémque conuentu, altero die vocauit eos ad fœdus ineundum de cultu Dei; altero autem die vocauit eosdem monendo eos ad seruandum præcepta legis, & præcipuè ad amandum Deum, proposuitque eis diuina iudicia ad bonum, & malum: vt in præcedenti patet capitulo.

Duæ vocationes populi, sed vnus conuentus fuit.

Steterúntque in conspectu Domini.] Pagnin. refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et statuerunt se in facie Elohim.* Hoc est, statuerunt se versùs vultibus ad faciem tabernaculi diuini, quod erat in Silo. Simile quid habes Num. 19. in cæremoniis vaccæ rufæ, quæ extra castra iugulatur. Iosua siquidem, & omnis populus in suis seniibus capitibus iudicibus & Præfectis congregatus in Sechem, quia longè erant à tabernaculo Domini, statuerunt se versùs anteriorem partem tabernaculi, vt sic supplerent situ, quod distantia locorum impediebat: & propterea dicitur, quòd statuerunt se in conspectu Elohim.

In conspectu Domini quomodo cõueniunt se statuisse.

Vers. 2. *Dixitque Iehosua ad omnem populum: Sic dicit Dominus Deus Israel: Trans fluuium* (proculdubiò Euphratem) *habitauerunt patres vestri ab initio.*] Legendum est, *à sæculo.* Et est sensus, quòd à sæculo patrum vestrorum, ex quo diuisæ sunt linguæ, habitauerunt trans Euphratem.

A sæculo, quid.

Therae, pater Abraham, & Nachor.] Iuxta Hebræum habetur: *Et pater Nachor.* Ita quòd quanuis dixerit, *patres vestri*, non tamen multos, sed vnum duntaxat patrem commemorat: videlicet, dicendo, Therach, pater Abraham, & pater Nachor.

Seruierúntque Diis alienis.] Legendum est, *aliis*: nam Hebraicè habetur, *& seruierunt Elohim aliis.* Non siquidem significatur, quòd seruierunt Diis mutuatis ex aliis gentibus; sed quòd seruierunt Diis aliis à vero Deo. Et dicendo in numero plurali, *seruierunt*, insinuat, quòd non solus Therach, sed etiam aliquis alius auus Israëlitici populi seruiuit Diis aliis: nisi supputetur Nachor inter patres Israëlitici populi, pro quanto fuit patet Ribecæ, ex qua originem habuit vniuersus populus Israël.

Aui Israëlitarum seruierunt Diis aliis à vero.

Vers. 3. *Tulique patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus.*] Iuxta Hebræum habetur, *de trans flumen*, quæ regio Mesopotamia appellatur, eò quòd sit in medio Tigris, & Euphratis.

Et adduxi eum in terram Chanahan.] Iuxta Hebr. habetur: *Et duxi eum in omnem terram Chanahan.*] Lege Genesim, & inuenies, Abraham non solùm venisse in terram Chanahan, sed etiam lustrasse eam.

Multiplicauique semen eius, & dedi ei Isaac. Illique rursum dedi Iahacob & Esau.] Iuxta Hebræum scribitur clarè: *Et dedi Isaac, Iahacob, & Esaü.* Vt non sit opus glosa. Vers. 4.

Et dedi Esaü montem Sehir ad hæreditandum ipsum: Iahacob autem & filij eius descenderunt in Ægyptum.

Misique Mosen, & Aharon, & percussi Ægyptum multis signis, atque portentis.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut feci in medio eius.* Summariè comprehendit omnia gesta à Deo in Ægypto, non explicando signa, aut miracula. Vers. 5.

Eduxíque vos, & patres vestros de Ægypto.] Iuxta Hebræum habetur: *Et posteà eduxi vos. Et eduxi patres vestros de Ægypto.* Quia multi adhuc superstites erant, qui exierant ex Ægypto infantes pueri, vel adolescentes infra vigesimum annum, ideò verificatur quoad illos, *& eduxi vos*: relatiuè autem ad natos in deserto verificatur, *& eduxi patres vestros.* Vers. 6.

Et venistis ad mare: persecutique sunt Ægyptij patres vestros cum curribus, & equitatu vsque ad mare rubrum.

Clamauerunt autem ad Dominum, & posuit tenebras inter vos, & Ægyptios.] Clarè scribitur hic, quod subintelligendum relictum est Exodi 14. videlicet, quòd obscuritas fuit inter Ægyptios, & Israëlitas in transitu maris rubri. Vers. 7.

Adduxítque super eos mare, & operuit eos, & viderunt oculi vestri, quæ fecerim in Ægypto: & habitastis in solitudine diebus multis.

Introduxíque vos in terrã Emorai, qui habitabat trans Iarden: cúmque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras, & possedistis terram eorum, atque interfeciſtis eos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et destruxi eos à faciebus vestris.* Sibiipsi attribuit Deus deletionem Emoræorum. Vers. 8.

Surrexítque Balac, filius Zipor, Rex Moab, & pugnauit contra Israelem.] Quæstio de verificatione huius sententiæ est: quia Deuteronom. cap. 2. narratur, tum inhibitio diuina pugnandi contra Moabitas, & Hammonitas; tum, quòd Moabitæ dederunt Israël transitum, & alimenta: quomodo ergo verificatur, quòd Rex Moabitarum pugnauit contra Israël? Solutio est, quòd Rex Moabitarum pugnauit, hoc est, bellum inchoauit, non ab armis, sed à maledictione prophetica per Bilham: ita quòd subiuncta verba: Vers. 9.

Rex Moabitarum an pugnauerit contra Israël.

Et misit, & vocauit Bilham filium Beor ad maledicendum vos.] intelligenda sunt expositiuè; hoc est, subiuncta ad exponendum bellum, quo pugnauit Rex Moabitarum aduersùs Israël. Non est itaque hic sermo de pugna armati exercitus in executione, sed de pugna inchoata ab attentata maledictione per Bilham: & propterea non aduersantur hæc scriptis in Deuteronomio.

Conciliantur hic scripta cum Deuter. cap. 2.

Et ego nolui audire eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nolui audire Bilham.* Vbi clarè patet animus Bilham ad maledicendum populo Israël promptus, imò supplex: quod in libro Numeri non clarè habetur. Vers. 10.

Benedixitque benedicendo vobis, & liberauit vos de manu eius.

Vers.11. *Transistisque Iarden, & venistis ad Iericho, pugnauerúntque contra vos viri ciuitatis eius.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et pugnauerunt contra vos heri Iericho.* Et statim subditur:

Emoræus, & Perizæus, & Chenahanæus, & Chetheus, & Ghirgaseus, & Chiuæus, & Iebuseus.

De bello post captam Iericho, hic est sermo.

Obscura est litera: & anceps, an sit sermo de pugna post captam Iericho, an etiam de pugna in ipsa Iericho. Et eò amplius augetur difficultas: quia Iericho habebat hetum proprium (Regem, scilicet, quem interfecit Iosua,) nec vnquam Iericho pugnauit contra Israël. Solutio est, quòd sermo est de bello, quo pugnauerunt aduersùs Israël nationes istæ post captam Iericho tanquàm vltores Iericho: hoc enim significatur secundùm planum literæ sensum, dicendo, quòd contra Israël pugnauerunt heri Iericho Emoræus, & Perizæus, &c. est enim sensus, quòd tanquàm heri Iericho pugnauerunt aduersùs Israël. Et per hoc narratur causa moti belli ab istis nationibus contra Israël: videlicet, quia erant tanquàm heri Iericho; quia erant tanquàm patroni causæ Iericho. Et ratio (vt reor) fuit, quia confœderati erant cum Iericho.

Et tradidi eos in manus vestras.

Vers.12. *Misique ante vos scabrones, & eieci eos de locis suis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et misi ante vos vespam, & expulit eos à facibus vestris, duos Reges Emorræi: non in gladio tuo, & non in arcu tuo.* Quod tacitum fuit, tam Num. 21. quàm Deuter. 2. & 3. de istis vespis, suppletur hic. Nec est sēsus, quòd multitudo istarum vesparum hic pugnauerit, vt excluderet gladios filiorum Israël: sed, quòd præcipua ratio victoriæ non fuit gladius, aut arcus militum Israelis, sed multitudo horum animalium, quæ vespæ appellantur, quia similia vespis creduntur.

Vespa pugnauerunt pro Israelitis.

Variis modis Deus pugnauit pro Israelitis.

Variis enim modis monstrauit Deus in diuersis locis se pugnare pro Israël: nam contra Emoræos vespis, contra Iericho sono tubarum, contra exercitum quinque Regum lapidibus grandinum, contra exercitum vero reliquorum Regum mora Solis in cælo se pugnare manifestauit.

Vers. 13. *Dedique vobis terram, in qua non laborastis, & ciuitates, quas non ædificastis, & habitastis in eis: vineas, & oliueta, quæ non plantastis, comeditis.*

Vers. 14. *Nunc ergo timete Dominum, & seruite ei perfecto corde, atque veritate.*] Iuxta Hebræum habetur, *in perfectione, & in veritate.* Duas conditiones exigit seruitutis diuinæ; alteram veritatis, excludendo omnem fictionem, omnemque hypocrisim; alteram perfectionis, excludendo omnem diminutionem, vt integrè seruetur lex diuina quoad omnia.

Duæ conditiones seruitutis diuinæ.

Et auferte Deos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto, & seruite Domino.] Quæritio oritur: quia in præcedenti capitulo dixit Iosua: *Sicut seruistis vsque in diem istum,* loquendo de populi adhæsione ad Deum: si enim omnibus diebus Iosuæ adhæserat populus Deo, incongruè monetur populus, vt separet à se Deos, quibus seruierunt patres eorum in Mesopotamia, & in Ægypto. Solutio est, vel quòd Iosua dubitabat aliquod simulacrum ex Mesopotamia, aut Ægypto occultè seruari apud aliquem: vel est sermo de separatione ab animis, ne sint affecti ad imitandum patres suos quoad cultum Deorum. Cum vtroque autem sensu stat veritas supradictorum verborū, quòd populus, tam communiter, quàm priuatim, non coluit palam, nisi verum Deum toto tempore, quo præfuerat Iosua.

Idolatriam cur non Iosua prohibuerit.

Si autē malū vobis videtur seruire Domino, eligite vobis hodie, cui seruiatis, an Diis, quibus seruierūt patres vestri in Mesopotamia, an Diis Emoræorum, in quorum terra habitatis.] Non ad significandum libertatem licitā, sed ad prouocandum, vt ex libero arbitrio eligant seruire Deo, dicuntur hæc verba. Vers. 15.

Ego autem, & domus mea seruiemus Domino.

Respondítque populus, & ait: Absit à nobis, vt relinquamus Dominum, & seruiamus Diis alienis.] Vers. 16.

Legendū est, *Diis aliis*, proculdubiò à Deo vero.

Quia Dominus Deus noster ipse eduxit nos, & patres nostros de terra Ægypti, de domo seruitutis: fecítque videntibus nobis signa ingentia, & custodiuit nos in omni via, per quam ambulauimus, & in cunctis populis, per quos transiuimus. Vers. 17.

Et eiecit Dominus omnes populos, Emoræum habitatorem terræ, quam nos intrauimus.] Legendum est: *Et Emoræum habitatorem terra à facibus nostris.*] Loco cuius vulgata editio habet, quam nos intrauimus. *Seruiemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster.*] Dictio interpretata, *Deus*, est nomen Elohe: seruiemus, inquiunt, fonti essendi, quia ipse est gubernator noster. Vers. 18.

Dixítque Iehosua ad populū: Non poteritis seruire Domino: Deus enim sanctus, & fortis æmulator est.] Iuxta Hebræum habetur: *Non poteritis seruire Iehouah, quia Elohim sancti ipse: Et æmulator ipse.* In plurali numero scribitur, *Elohim sancti*: & (vt in principio Geneseos diximus, & sæpè Textus Mosis comprobat) modus loquendi venerabiliter ratio fuit appellandi Deum, tam nomine Elohim, quàm nomine Adonai, in numero plurali: sunt enim hæc nomina communia Deo, & creaturis: & consueuerant in plurali numero vti eis, nominando honorabiliter suos Principes. Et iuxta hunc loquendi morem (vtpote, honorabiliorem) nominabant etiam Deum dicendo in numero plurali, quòd ipse est *Elohim sancti*: non intendentes per hoc significare, quòd ipse esset multi Iudices sancti, sed honorabiliter nominare pluraliter, cuius signum est, quòd pronomine vtuntur singulari. Et intendit Iosua per hæc verba proponere populo rationes difficilis perseuerantiæ in cultu summi Dei, tum ex eo, quòd ipse est Iudex mundus, ac per hoc iustitiam exercens contra immundos, tum ex eo, quòd ipse est fortis æmulator, ac per hoc impatiens consortij alterius Dei, & potens ad vindictam propter quod subditur: *Non ignoscet rebellionibus vestris, & peccatis vestris.* Vers. 19.

Modus honorabilior appellandi Deum.

Si dimiseritis Dominum, & seruieritis Deo alieno, conuertes se, & malefaciet vobis, & euertet vos, postquam benefecerit vobis. Vers. 20.

Dixítque populus ad Iehosuam: Non vt loquaris, erit, quia Domino seruiemus. Vers. 21.

Et dixit Iehosua ad populum: Testes estis in vobis, quod vos elegistis vobis Dominum, vt seruiatis ei.] Vers. 22.

Ipsosmet rogat testes in seipsis.

Et dixerunt: Testes. Nunc ergo, ait, auferte Deos alienos de medio vestri.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc facite separare Elohe alienos, qui in medio vestri.* Intellige hoc mādatū propter cautelam, ti aliquod simulacrū occultatū esset, vel potiùs relatiuè ad animos. Vnde & subditur, quòd inclinēt corda ad verū Deum, & nulla subsūgitur responsio, aut executio de eiectione simulacrorū. Signū enim est, quòd de separatione ab animis erat sermo: Vers. 23.

Dij alieni qui.

tuo : alioquin saltem secundo monenti hoc Iosuæ respondissent aliquid de hoc. Et scito, quòd dictio interpretata, *alienos*, non plenè redditur: significat enim alienū in abstracto: ac si diceretur *Deos extraneitatis*. Et simile quid habetur Deut. 32. Et potest intelligi reflexe super ipsos Deos: vt describantur, quòd sunt Dij, non ad proprium hominis bonum, sed ad extraneum a salute humana: & ideò nominantur Elohe extraneitatis, tam à Deo ibi alloquente Mosem, quam à Iosua hic alloquente populum.

Et inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israël.

Vers. 24. *Dixitque populus ad Iehosuam: Domino Deo nostro seruiemus, & voci eius obediemus.*

Vers. 25. *Percussitque Iehosua in die illo fœdus.*] Deficit, *populo*. Ad confirmandum, & renouandum ex parte populi fœdus olim initum cum Deo, fecit hoc Iosua propter instabilitatem populi.

Et proposuit ei præcepta, atque iudicia in Sechem.] Hinc diximus, quòd vocatio scripta in præcedenti capitulo fuit etiam in Sechem: in illa enim, vt declaratum est, proposuit populo præceptum, atque iudicium Dei.

Vers. 26. *Et scripsit Iehosua omnia verba hæc in libro legis Domini.*] Tanquam appendicem memoriam, scripsit Iosua in eōdem volumine, in quo scripta erat lex Domini renouationem huius fœderis: vt quibus communicaretur exemplar legis, simul etiam communicaretur renouatio fœderis.

Tulitque lapidem grandem.] Non sat fuit Iosuæ scribere hanc renouationem fœderis, sed lapidem grandem erexit in testem renouati fœderis, etiam nescientibus legere ad perpetuam rei memoriam.

Posuitque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit erigere eum ibi sub arbore, quæ in fundo Iehouah.* Aduerte aduerbium locale, *ibi*, vt manifestè perpendas, quòd ibi (*proculdubiò in Sechem*) erectus est lapis iste grandis. Nec in litera Hebraica habetur quercus, sed nescio quæ arbor infructuosa: & propterea nomine communi arbor appellatur a nobis: Hebraicè enim habetur *ela*. Et idem nomen scribitur Gen. 35. nominando arborem, sub qua Iahacob suffodit simulacra Deorum: & propterea eandem ego arborem intelligo fuisse hanc, sub cuius vmbra Iosua erexit lapidem istum, & sub cuius terra Iahacob sepeliuit simulacra Deorum: & propterea hanc arborem, quam perspicuum est ex Genesi fuisse in Sechem, nominatam fuisse sanctam Iehouah. Ita quòd ad describendum hanc arborem fuisse illam, quæ sanctificata fuit à Iahacob ad ignominiam Deorum, scribitur, quòd erexit lapidem sub arbore, quæ in sancto Iehouah; hoc est, quæ sanctificata est Iehouah, ob sub ea posita idola

Sub eadem arbore infodit Iosua lapidem, sub qua Iacob simulacra Deorum.

à Iahacob Patriarcha: vt vnus atque idem locus, qui testis erat abdicatorum idolorum tempore Iahacob, esset quoque testis renouati fœderis per filios Israël, quòd penitùs abdicauerint à se cultū idolorū, & elegerint seruire sumino Deo.

Dixitque Iehosua ad totum populum: En lapis iste erit vobis in testimonium, quòd audieritis omnia verba Domini, quæ locutus est vobis, ne forte postea negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro.] Vers. 27. Iuxta Hebræum habetur: *Quia ipse audiuit omnia dicta Iehouah, quæ locutus est nobiscum: & erit vobis in testimonium, ne quando mentiamini in Elohe vestro.* Metaphorico sermone attribuitur lapidi, quòd ipse audiuit dicta Dei ad Iehosuam, & populum. Et est sensus, quòd lapis iste erit testimonium, tanquàm si audisset non solum verba nostra, sed etiam verba Dei nobiscum. Cautè autem locutus est Iosua non dicendo, quòd lapis iste audiuit verba nostra, sed quòd audiunt dicta Dei nobiscum: eò quòd omnes creaturæ obediunt Deo, tanquàm si audirent mandata eius. Lapidem itaque tanquam conscium diuinorum dictorum ratione summæ obedientiæ ad Deum, ac si audiret, accommodat in testimonium.

Quomodo lapis audiuit dicta Dei ad Iosuam, & populum.

Dimisitque Iehosua populum, vnumquemque in hæreditatem suam. Vers. 28.

Et fuit post hæc verba, mortuus est Iehosua filius Nun, seruus Domini, filius centum, & decem annorum. Vers. 29.

Sepelieruntque eum in termino possessionis suæ.] Vers. 30. Legendum est, *hæreditatis suæ*: appositiuè enim adiungitur, *in Thamnath Serach*. Nomen est ciuitatis, quæ olim data fuerat Iosuæ.

Quæ est in monte Ephraim, ab Aquilone montis Gahas.

Et seruiuit Israël Domino omnibus diebus Iehosua, & omnibus diebus senorum, qui longo vixerunt tempore post Iehosuam: & qui nouerant omnia opera Domini, quæ fecit Israeli.] Vers. 31. Annotabis hæc duo tempora (videlicet, Iosuæ, & senum, qui nouerant opera Dei) propter intelligentiam historiarum libri sequentis.

Ossa quoque Ioseph, quæ ascendere fecerant filij Israel ex Ægypto, sepelierunt in Sechem in parte agri, quam emerat Iahacob à filiis Chamor, patris Sechem, centum nouellis ouibus.] Vers. 32. Iuxta Hebræum habetur, *centum nummis*. Quantum autem valeret nummus vnus, nescimus.

Et fuerunt filiis Ioseph in hæreditatem.

Eliazar quoque filius Aharon mortuus est: & sepelierunt eum in Gibbath, Pinchas filij eius, quæ data est ei in monte Ephraim. Vers. 33. Quamuis dictio *Ghibbath* significet *collem*; pro proprio tamen nomine loci dati Pinchas in monte Ephraim hic poni videtur. Et sic finitur liber Iosuæ. Romæ die XXIV. Iunij, M. D. XXXI.

D. D. THOMÆ

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. SIXTI,

IN IVDICES COMMENTARII.

CAPVT I.

Vers. 1. *Quod tempus hic significetur.*

ET *fuit post mortem Iehosue.*] Tempus Senum, qui nouerant opera Dei, significatur: illud enim tempus continuatum fuit tempori Iosuæ, & vtroque tempore (vt in fine præcedentis libri scriptum est) seruiuit populus Israël Deo. Vnde & subditur:

Deum interrogabant Israelitæ per Sacerdotem.

Consuluerunt filij Israel Dominum dicentes.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et interrogauerunt filij Israel in Iehouah, dicendo.* Non dicitur, quòd ipsi interrogauerunt summum Deum, sed quòd interrogauerunt in summo Deo: ad insinuandum, quod more legis interrogauerunt per Sacerdotem, vnctionis, non Prophetiæ; sed confidendo in ipso fonte essendi.

Cur interrogarent, quæ Tribus belli inchoaret.

Quis ascendet ante nos contra Chenahanæum, & erit dux belli?] Expositionis officio fungitur Interpres, & vnam hæc: nam Hebraice habetur: *Quis ascendet nobis ad Chenahanæum in principio ad pugnandum in eum?* Subiuncta exercitio manifestat sensum petitionis: non enim subiungitur, quod vndas fuerit dux belli, imò nullum subiungitur commune bellum, nullus subiungitur communis exercitus sed subiungitur multa particularia bella diuersarum Tribuum, vnicuiusque ad residuum propriæ sortis acquirendum. Et hinc habetur, quod cùm communiter filij Israel deliberassent, vt quælibet Tribus progrederetur ad acquirendum residuum suæ sortis, debellando Chananæos habitatores terræ residuæ, interrogauerunt, vt scirent à Deo, quæ Tribus primum inchoaret huiusmodi bella: res enim communis agebatur, quamuis per singulas Tribus singillatim: & propterea in litera dicitur: *Quis ascendet nobis?* Et magni referebat primos aggressores vincere, vel perdere: quoniam fama primæ victoriæ multùm conferebat aliis Tribubus.

Vers. 2. *Quomodo Deus reuelat Prophetis.*

Dixitque Dominus.] Nomen est tetragrammaton: & quemadmodum in præcedentibus diximus de nominibus diuinis, ita intelligas in vniuersis cõsequentibus: videlicet, quòd vbi nominatur *Dominus*, Hebraicè habetur nomen tetragrammaton: & vbi dicitur *Dominus Deus noster*, seu *Dominus Deus Israel*, vel eiusmodi: Hebraice habetur *Iehouah Elohe noster*, *Iehouah Elohe Israëlis*, & huiusmodi. Modus, quo Deus dixit respondendo, intelligendus est ut dubius aliquis, quo fortius est Deus reuelare Prophetis, vel dormiendo, vel vigilando: incertus est enim nobis in specie modus, quo Deus reuelauit hoc in loco.

Iehuda ascendet: ecce dedi terram in manum eius.] Non est hominis, sed Tribus nomen, Iudas, vt subiuncta testantur.

Vers. 3. *Nomina Tribuum, non Patriarcharum hic significantur.*

Et dixit Iehuda Simeon fratri suo.] Certum est enim, quòd nominibus Patriarcharum significentur hic, non personæ ipsorum, sed Tribus eorum. Et ex hoc, quòd nulla persona, sed Tribus Iudæ proponitur diuina responsione, patet, quod prædiximus, non fuisse petitum à Deo ducem belli; sed, quæ Tribus primum congredi deberet.

Ascende mecum in sortem meam, & pugnabimus contra Chenahanæum, & ibo etiam ego tecum in sortem tuam: & iit cum eo Simhon.] Hinc clarè patet, quòd de particularibus bellis Tribuum ad proprias sortes tractabatur.

Vers. 4. *Ascenditque Iehuda, & tradidit Dominus Chenahanæum, ac Pherezæum in manus eorum: & percusserunt in Bezec decem millia virorum.*

Inuenerúntque

Vers. 5. *Inuenerúntque Adoni Bezec in Bezec, & pugnauerunt cum eo: & percusserunt Chenahanæum, & Perizæum.*

Vers. 6. *Fugitque Adoni Bezec, & persecuti sunt eum: comprehenderúntque eum cæsis summitatibus manuum eius, ac pedum.*] Iuxta Hebræum significatur incisio montis pollicis cum ipso pollice: ex qua incisione manus reddebatur tam impotens, vt ferè ad nihil valeret.

Vers. 7. *Dixitque Adoni Bezec: Septuaginta Reges amputatis manuum, ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus.*] Nomen est Elohim. Agnouit iste diuinum iudicium.

Adduxerúntque eum in Ierusalem, & ibi mortuus est.] Nomine *Ierusalem*, intellige territorium Ierusalem: adduxerunt enim dominum Bezec, cæsis manibus, & pedibus, modo dicto, secum in exercitu ad expugnationem Ierusalem. Vnde sequitur:

Vers. 8. *Et pugnauerunt filij Iehudæ contra Ierusalaim, & ceperunt ipsam, & percusserunt eam in ore gladij.*] Hinc, prudens lector, clarè habes duo: alterum, quòd iste progressus belliceus Iudæ est alter à progressu eiusdem scripto Iosuæ cap. 15. nam in illo progressu clarè dicitur, quòd filij Iudæ non potuerunt delere Iebusæum habitatorem Ierusalem, sed habitauerunt simul in Ierusalem filij Iudæ & Iebusæi: in hoc verò progressu narratur, quòd filij Iudæ prævaluerunt in Ierusalem, & percusserunt habitatores eius in ore gladij, nec habitauerunt cum Iebusæis, sed incenderunt ciuitatem. Et hinc insinuatur alterum; videlicet, quòd Iebusæi Ierosolymitæ defecerant à Tribu Iudæ, & propterea in hoc progressu (tempore Senum) Tribus Iudæ pugnauit contra Ierusalem, tanquàm rebellem: & quam in primo progressu tempore Iosuæ (quia impares se cognoscebant ad vincendum) fuscepserunt vt confœderatam, posteà tempore Senum rebellem trucidarunt. Et quod plus est:

Tribus Iuda expugnat Ierusalem.

Tradentes cunctam incendio ciuitatem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ciuitatem miserunt in igne.* hoc est, & miserunt ignem in ciuitate. Et hæc fuit prima combustio Ierusalem: quòd tamen igne non esse combustum Ierusalem penitùs, ipse modus loquendi innuit, dicendo: *Et miserunt.* Tanquàm ignem accenderint, & recesserint paruipendendo, an ignis crescat, an extinguatur.

Vers. 9. *Et posteà descenderunt filij Iehudæ ad pugnandum contra Chenahanæum, habitantem in monte, & meridie, & planitie.*] Quamuis ad præliandum contra Chananæum habitantem in monte, descendentes tamen describuntur, quia ex sublimiori loco ibant: ex monte enim celsiore, quamuis eatur ad montem alium, descenditur tamen.

Vers. 10. *Pergénsque Iudas contra Chenahanæum, qui habitabat in Chebron.*] Iuxta Hebræum initium est alterius clausulæ: *Et iuit Iehudas ad Chenahanæum habitantem in Chebron, & nomen Chebron fuit antea Ciriath Arbah.* Non dicitur: Et posteà iuit Iudas ad Chananæum habitantem in Chebron. quoniam, vt prædicta diuersitas gestorum in Ierusalem testatur, iste progressus ad Chebron iam fuerat tempore Iosuæ: vt etiam identitas gestorum, quæ subiunguntur hic, & narrata sunt tempore Iosuæ testatur: ex eo, quòd deletio gigantum ex Chebron, & reliqua terra exceptis terris Philistinorum attribuitur Iosuæ in 11. cap. quod non posset verificari, si secundùm historiæ ordinem hæc, quæ subiunguntur circa Chebron, gesta fuissent post mortem Iosuæ tempore Senum. Ex istis igitur duobus testimonis indubiè sentiendum est, historiam hanc Chaleb circa Chebron, & Cir-iath Sepher, & Debir fuisse tempore Iosuæ; repeti autem hic ad magnificandum gesta Tribus Iudæ noua ex similibus, seu maioribus paulò antè gestis tempore Iosuæ ab eadem Tribu: intentio enim Authoris huius libri, (vt manifestæ repetitiones subiunctæ testantur) fuit iungere illa duo tempora (videlicet, tempus Iosuæ, & tempus Senum,) & ferè pro vno tempore supputare: & propterea gesta tempore Senum iungit gestis tempore Iosuæ, tanquam sub vno contextu. Et quoniam subiuncta exposita fuerunt in libro Iosuæ cap. 15. vide ibi: & corrige textum hîc, vt ibi.

Tempus Iosuæ, & tempus Senũ hic iunguntur.

Vers. 11. *Et percusserunt Sesai, & Achiman, & Thalmai.*

Et iuit inde ad habitatores Debir: & nomen Debir fuit antea Cir-iath Sepher, id est, ciuitas literarum.

Vers. 12. *Dixitque Chaleb: Qui percusserit Cir-iath Sepher, & ceperit eam, dabo ei Achsam, filiam meam, in vxorem.*

Vers. 13. *Et cepit eam Hothniel filius Cenam, frater Chaleb, minor eo: deditque ei Achsam, filiam suam, in vxorem.*

Vers. 14. *Quam pergentem in itinere monuit vir eius, vt peteret à patre suo agrum: quæ cùm suspirasset sedens in asino, dixit ei Chaleb: Quid habes?*

Vers. 15. *At illa respondit: Da mihi benedictionẽ: quia terram arentẽ dedisti mihi, da & irrigua aquæ. Deditque ei Chaleb irriguũ superius, & irriguum inferius.*

Vers. 16. *Filij autem Cinæi cognati Mosi.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et filij Ceni, socers Mosi.* Multitudo filiorum insinuat, quòd vniuersa progenies originem habens ex socero Mosis, orta ex Chobab, qui venit cum Mose per desertum (vt colligitur ex Num. 10.) significatur.

Ascenderunt de ciuitate palmarum cum filiis Iehudæ.] Iericho iam destructa appellabatur ciuitas palmarum, & ex illius territorio ascendisse narrantur.

In desertum sortis eius.] Clarè in Hebræo dicitur: *Desertum Iehudæ, quod in meridie Harad.* Et per hæc omnia nihil aliud significatur, nisi quòd isti descendentes à socero Mosis habitauerunt in sorte Iudæ, & cum vniuerso populo Israël quieuerunt: nam vbi vulgata editio habet:

Et habitauerunt cum eo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iuit, & habitauit populus.* hoc est, & habitauit tanquàm pars populi Israël.

Vers. 17. *Et iuit Iehudas cum Simbone fratre suo.*] Ad insinuandum, quòd interiecta sunt hæc (vtpote gesta tempore Iosuæ) redeundo ad inchoatam historiam tempore Senum de progressu Iudæ cum Simeone fratre suo, dicit Author libri: *Et iuit Iudas cum Simeone fratre suo.*

Et percusserunt Chenahanæum habitatorem Zephath: & euerterunt eam, vocatúmque est nomen ciuitatis Horma.] Legendum esset, *Chorma.* Ad quod Interpres exponendum adiecit:

Id est, anathema.] Secundùm tamen vocabuli proprietatem significat destructionem: ex eo enim, quòd destruxerunt illam penitùs, appellata est destructio.

Anathema *quid significet.*

Vers. 18. *Cepitque Iehudas Hazzam cum finibus eius, & Ascelon cum finibus eius: & Hec-ron cum finibus eius.*

Fuitque

Vers. 19. *Fuitque Dominus cum Iehuda, & montem possedit: nec potuit delere habitatores vallis, quia ferreis curribus abundabant.*] Diuina prouidentia fert opem secundùm mensuram suæ dispositionis: & propterea vtrunque dicit scriptura, & quòd fuit Iehouah cum Iuda; & quòd non fuit cum eo ad expellendum habitatores vallis: non enim Hebraice scribitur: Et non potuerunt. sed; *Et fuit Iehouah cum Iuda, & hæreditauit montem, quod non ad expellendum habitatores vallis.* hoc est, fuit Iehouah cum Iuda ad hoc, vt possideret montem, ita quòd non ad expellendum habitatores vallis. Facile siquidem fuisset Deo ferre opem contra secundas causas subiunctas curruum ferreorum.

Deus auxiliatur secundùm mensuram suæ dispositionis.

Vers. 20. *Dederúntque Chaleb Chebron, sicut locutus fuerat Moses: & expulit inde tres filios Hanac.*] Iterum miscet gesta tempore Iosuæ ratione suprædicta.

Vers. 21. *Iebusæum autem habitatorem Ierusalaim non expulerunt filij Beniamin: habitauitque Iebusæus cum filiis Beniamin in Ierusalaim vsque in præsentem diem.*] Transitur à gestis Iudæ ad gesta Tribus Benjamin tempore Senum. Intelligimus enim, quod derelicta Ierusalem à filijs Iudæ, hæreditata est à filijs Beniamin, & Iebusæis simul, qui supererant ex clade facta à filijs Iudæ. Ierusalem enim in sorte Beniamin suppurata est Ios. 18.

Ierusalem fuit in sorte Beniamin.

Vers. 22. *Domus quoque Ioseph ascendit in Beth-hel: & fuit Dominus cum eis.*] Bonum opus nec Ephraïm, nec Menassi, sed domui Ioseph attribuitur: ad insinuandum, vel quòd merito Patriarchæ Ioseph, vel quod imitatoribus Ioseph Deus opem tulit.

Vers. 23. *Et explorare fecerunt domum Ioseph Beth-hel: & nomen ciuitatis fuit ante Luz.*

Vers. 24. *Videruntque exploratores virum egredientem de ciuitate.* Iuxta Hebræum habetur: *Et viderunt custodes virum egredientem de ciuitate* hoc est, custodes viderunt virum egredientem quidem de ciuitate, sed non viderunt, qua parte egressus esset: occulte enim egressus fuerat, nec custodes aliud perpenderunt, nisi quod de ciuitate exierat: & propterea permissi ab apprehensio hominis, vt [illegible] eis, qua parte ipse exierat, vt per eandem ipsi possent introire occulte.

Dixeruntque ad eum: Ostende nobis, quæsumus, introitum ciuitatis: & faciemus tecum misericordiam.] Legendum est, *gratiam*. Iam enim erat captus, & promittunt libertatem non solum ei, sed & familiæ eius vniuersæ: vt testantur subiuncta.

Vers. 25. *Et ostendit eis introitum ciuitatis: & percusserunt ciuitatem in ore gladij; virum autem, & omnem familiam eius dimiserunt.*

Vers. 26. *Ivitque vir in terram Ethim.*] Legendum est, *Chitthim*. Quod ideò annotauerim, quia hinc argumentum habetur, quod *Chitthim* nomen est regionis non multum remotæ à terra promissionis: hoc propter prophetias Balaham.

Chitthim, *quid.*

Ædificauitque ciuitatem, & vocauit nomen eius Luz, quod usque in præsentem diem.

Vers. 27. *Manasses quoque non delevit Beth-sean, & filias eius: & Thanac, & filias eius: & habitatores Dor, & filias eius: & habitatores Iblaam, & filias eius: & habitatores Megiddo, & filias eius: voluitque Chenahanæus habitare in terra ista.*

Vers. 28. *Et fuit cum roboratus est Israel, posuit Chenahanæum tributarium: & expellendo non expulit eum.*

Vers. 29. *Ephraim etiam non expulit Chenahanæum habitantem in Ghazer: habitauitque Chenahanæus in medio eius in Ghazer.*] Malum non attribuitur filijs Ioseph; sed nominibus propriis Menassis, & similiter Ephraim: de ambobus enim dicitur, quòd neuter expulit Chenahanæum habitantem in sua sorte contra mandatum Dei.

Vers. 30. *Zebulum non expulit habitatores Cithron & habitatores Nahalol: habitauitque Chenahanæus in medio eius, & fuit ei tributarius.*

Vers. 31. *Aser non expulit habitatores Haccho, & habitatores Zidon: & Ahlab, & Achzib, & Chelbe, & Aphic, & Rechob.*

Vers. 32. *Habitauitque Aserita in medio Chenahanæi habitatoris terræ: quia non expulit eum.*

Vers. 33. *Naphthali non expulit habitatores Beth-semes, & habitatores Beth-hanath, habitauitque in medio Chenahanæorum habitatorum terræ: & habitatores Beth-semes, & Beth-hanath fuerunt eis tributarij.*

Vers. 34. *Et compulerunt Emorræi filios Dan ad montem: non enim dederunt eis, vt descenderent in vallem.*] Narratis malis culpæ multarum Tribuum inobedientium præceptis diuinis, subiungitur malum pœnæ illatum Tribui Dan. Quo autem peccato hanc pœnam meruerit Tribus Dan, non scribitur.

Peccatum Tribus Dan non scribitur.

Vers. 35. *Habitauitque in monte Cheres (quod interpretatur testatio) in Ahialon & Sahalbim.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et cœpit Emoreus ad habitandum in monte Cheres, in Ahialon, & in Sahalbim.*] Reliqua addidit Interpres: & sententia est manifesta, nisi quòd loca sunt ignota: mons tamen Cheres sonat montem Solis in sorte Ephraim: & consonat subiunctæ obuiationi.

Cheres, *quid*

Et aggrauata est manus domus Ioseph. Iuxta Hebræum habetur: *Et aggrauauit manus domus Ioseph.* Et est sensus, quòd attentantibus Emorræis appropriare sibi montem Cheres cum dictis ciuitatibus, filij Ioseph insurrexerunt aduersùs eos, non delendo eos, sed faciendo eos tributarios: nam iuxta Hebræum subiungitur:

Emorræi subiiciuntur tributo.

Et fuerunt tributarij.] Emorræi enim referuntur subiecti tributo, & non deleti. Et propterea subiunguntur termini terræ, quam habitabant.

Vers. 36. *Et terminus Emorræi ab ascensu scorpionum, à petra, & supra.*

CAPVT II.

Vers. 1. ASCENDITQVE *Angelus Domini de Ghilgal ad flentium.* Postremò gesta tempore Senum describuntur: diuina siquidem benignitas videns tot Tribus Israël præterisse mandata sua tempore Senum quoad duo, videlicet, genres delendas sub fœdere tributi accipere, & aras idolorum non subuertere, antequam ad patria pregrederentur misit Angelum suum, arguentem eos, prouocántemque ad pœnitentiam. Et quia narratur, quòd Angelus de Ghalgalis ascendit ad locum, qui postea appellatus est *locus flentium*; insinuatur, quòd Angelus primò apparuit in Ghalgalis: sed quomodo concurrerit populus ad eum, non est scriptum. Nec est scriptum, an mandauerit populum congregari in loco flentium; an ipse cum populo congregato in Ghalgalis ascenderit ad locum flentium.

Angelus prouocat Israelitas ad pœnitentiam.

Et ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram,

terram, quam iurauí patribus vestris.] Angelus Dei, non tanquàm nuncius, sed in persona Dei loqui se manifestat, dicendo: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, quam iurauí patribus vestris, &c.

Angelus in persona Dei loquitur.

Et pollicitus sum.] Legendum est: *Et dixi: Non soluam pactum meum vobiscum in æternum.*

Vers. 2. *Et vos non ferietis fœdus cum habitatoribus terræ huius.*] Inter beneficia diuina collata populo, commemorat, se affirmasse, quòd non fiuget in sempiternum pactum suum cum eis, & quod ipsi fœdus non inirent, &c.

Duo tantùm peccata commiserant Israëlita.

Et arcas eorum diruetis: & non audistis vocem meam: cur hoc fecisti?] Libra, prudens lector, verba angelica, & prædicta duo tantùm peccata inuenies: ita quòd adhuc non declinauerat populus in idololatriam.

Vers. 3. *Quamobrem nolui delere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & Dij eorum sint vobis in ruinam.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et etiam dixi: Non expellam eos à faciebus vestris: & erunt vobis in laqueos, & Dij eorum erunt vobis in offendiculum.* Commemorat Angelus olim à Deo prædicta: videlicet, quòd non omnes gentes delendas simul deleret, (hoc enim dixerat Deus Exod. 23.) & quòd olim monuerat eos, quòd à gentibus interim relictis cauendum esset, vt à laqueis, & à Diis earum, vt ab offendiculis: hoc enim millies prædictum est.

Vers. 4. *Cúmque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel.*] Hinc clarè apparet conuenisse populum Israël ad Angelum.

Eorum pœnitentia.

Eleuauerunt vocem suam, & fleuerunt.] Ecce pœnitentia populi.

Vers. 5. *Vocauerúntque nomen loci illius, Bochim.*] Ex isto fletu locus ille sortitus est nomen Bochim; hoc est, ploratores.

Et immolauerunt ibi Domino.] Non solis clamore & fletu, sed etiam sacrificio pœnitentiam egerunt. Et ex apparitione Angeli ibidem, licere sibi sacrificare in loco interdicto secundùm legem reputauerunt: nam secundùm legem nullibi fas erat offerre sacrificium, nisi vbi erat tabernaculum Dei.

Vers. 6. *Dimisit ergo Iehosua populum: & abierunt filij Israël vnusquisque in possessionem suam, vt obtinerent eam.*] Patui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et misit Iehosua populum: & ierunt filij Israel, quilibet ad hæreditatem suam ad hæreditandum terram.* Hæc verba sumpta sunt ex calce libri Iosuæ, & est manifesta repetitio; & vt prima fronte apparet extra propositum: sed reuerà non est extra propositum Authoris intendentis ex tribus temporibus summare duo tempora; hoc est, ex tempore Iosuæ, & ex tempore Senum, & ex tempore Iudicum summare duo tempora; alterum Iosuæ, & Senum; alterum Iudicum: eò quòd relatiuè ad cultum Dei tempus Iosuæ, & tempus Senum conuenerunt, vt infra clarè subiungitur. Et similiter vniuersa tempora Iudicum conuenerunt: illa quidem in perseuerantia cultus solius veri Dei: ista autem in alterius diuino cultu, & cultu idolorum: quod etiam infernis clarè subiungitur. Post narrata itaque gesta tempore Senum vniturus Author tempus Iosuæ, & tempus Senum relatiuè ad cultum Dei, resumit extrema Iosuæ.

Ex tribus temporibus duo summantur ab Authore.

Vers. 7. *Seruierúntque populus Domino omnibus diebus Iehosua: & omnibus diebus Senorum, qui longo tẽpore vixerunt post Iehosuam, & qui nouerant omnia opera Domini magna, quæ fecit Israëli.*] Ecce manifestè explicatur conuenientia tẽporis Iosuæ, & tẽporis Senum quoad cultum Dei. Et benè nota, quòd non dicitur, quòd seruauerunt præcepta Domini; sed quod seruierunt populus Iehouah; hoc est, coluerunt ipsum solum omnibus diebus Iosuæ, & omnibus diebus Senum.

Mortuúsque est Iehosua, filius Nun, seruus Domini, filius centum, & decem annorum. Vers. 8.

Et sepelierunt eum in termino hæreditatis eius in Thimnat Cheres in monte Ephraim, ab Aquilone monti Ghahas.] Aduerte, quòd nomen ciuitatis huius variatur hic, & Iosuæ vltimo: nam ibi nominatur Timnath Serach; hic verò Thimnath Cheres: ad insinuandum quòd ciuitas, quæ prius vocabatur prohibitio residui (nescio à quo euentu) vocata fuerit post reædificationem à Iosua prohibitio Solis in memoriam prohibiti à Iosua Solis, ne progrederetur. Thimnath enim prohibitionem, Serach residuum, Cheres verò Solem significat. Vers. 9.

Thimnath Serach, cur Thimnath Cheres appellata.

Omnísque illa generatio congregata est ad patres suos.] Descripturus tempus Iudicum, prænarrat mortem, tam Iosuæ, quàm Senum, vt post mortem Senum manifestior fiat qualitas successorum, de quibus subditur: Vers. 10.

Et surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum, & opera, quæ fecerat eũ Israël.] Iuxta Hebr. plùs habetur: *Et surrexit generatio altera post eos, qui nescierunt Iehouah, & etiam opus, quod fecit Israëli.* Ad differentiam Senum, qui fuerant post Iosuam, describitur ab oppositis conditionibus generatio noua, comprehendens vniuersam generationem tempore Iudicum.

Fecerúntque filij Israël malum in conspectu Domini, & seruierunt Behalim. Vers. 11.

Et dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti, & ierunt post Deos alienos ex Diis populorum, qui erant in circuitu eorum, & adorauerunt eos: & ad iracundiam concitauerunt Dominum. Vers. 12.

Dimiserúntque Dominum, & seruierunt Baal, & Hastaroth.] Perlege subiuncta; & inuenies describi vniuersam generationem tempore Iudicum relatiuè ad diuinum cultum: narratur enim, quòd seruierunt aliis Diis. Et in hoc manifestatur, quòd longè deteriores fuerunt illis, qui fuerunt tempore Senum: nam tempore Senum peccauerunt omissione destruendi, tum gentes, tum aras gentilium: tempore autem posteriore peccauerunt peccato commissionis maximo, colendo Deos alios: imò (quod peius est) reliquerunt Dominũ Deum patrũ suorũ, qui eduxit eos de terra Ægypti. Et in hoc fuerunt peiores Samaritanis: nam Samaritani colebant, & Deum verum, & Deos alios: isti autem sic coluerunt Deos alios, quòd dereliquerunt cultum Dei veri. Hæc enim crimina clarè narrantur in litera. Vers. 13.

Israëlitæ tempore Iudicum deteriores fuerant, quã tempore Senum.

Iratúsque est furor Domini contra Israël.] Narratis criminibus nouæ generationis, narratur punitio eiusdem similiter in genere. Et vt sæpè dictum est, ad similitudinem irati describitur furor Dei punientis Israël. Vers. 14.

Prima punitio Israëlitarum.

Et tradidit eos in manus diripientium.] Ecce prima pœna quoad facultates.

Qui ceperunt eos.] Legendum est.

Et diripuerunt eos.] Executio cum effectu direptionis rerum describitur.

Et vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vendidit eos*

eos in manus inimicorum eorum in circuitu.] De Deo dicitur, quòd vendidit eos: & est sensus, quòd venales eos reddidit sub manibus inimicorum eorum in circuitu. Et per hoc describitur secunda pœna maior priore, quantò seruitus maior est pœna, quàm pati direptionem rerum: fecit enim eos Deus seruos venales in circuitu inimicorum eorum.

Secunda.

Nec potuerunt resistere aduersariis suis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non potuerunt adhuc stare coram inimicis suis.* Tertia siquidem pœna describitur impotentia standi coram inimicis suis, etiam post direptionem, & venalitatem: hoc est, quòd multis direptis, & multis venditis residui adhuc sunt puniti impotentia standi coram inimicis suis. Et hæc impotentia declaratur subiungendo,

Tertia.

Vers. 15. *In omni, quo egressi sunt manus Iehouah, fuit in eis malum.*] Siue egrederentur ad resistendum, siue ad aggrediendum, semper manus Dei fuit eis in malum pœnæ.

Sicut locutus est Dominus, & sicut iurauit Dominus eis: & angustiari fecit eos valdè.] Quanuis pluries Deus legatur comminatus vltionem huiusmodi; iuramentum tamen non apparet alibi scriptum nisi hic, commemorando illud. Nec est dubitandum sic fuisse: multa enim dixit Deus, quæ non sunt scripta in libris Mosis, quæ tamen vel per reuelationem diuinam, vel per traditionem paternam nouerunt, & scripserunt Authores sacræ Scripturæ

Omnia Dei dicta non scripsit Moses.

Vers. 16. *Suscitauitque Dominus Iudices: & liberauerunt eos de manu diripientium eos.*] Tempus Iudicum distinguit Author in tempus peccati, in tempus punitionis, & in tempus diuinæ benignitatis eleuantis Iudicem aliquem ad liberandum populum de manu diripientium eos.

Tempus Iudicum in tria tempora distinguitur.

Sed nec eos audire voluerunt,

Vers. 17. *Fornicantes cum Diis alienis, & adorantes eos: recesserunt citò de via, per quam ambulauerunt patres eorum ad audiendum præcepta Domini, non fecerunt sic.*] Intellige hanc sententiam, vt inferius declaratur: dicitur enim hoc, non ad narrandum, quòd etiam viuentibus Iudicibus populus nollet eos audire: sed ad narrandum instabilitatem populi, quòd non perseuerabat in bono post visam salutem datam à Deo per Iudicem; sed tanquàm si Iudicem non audissent, reuertebantur ad idololatriam citò.

Vers. 18. *Cùmque Dominus Iudices suscitaret*] Ad declarandum proposita ambo, (videlicet, & bonum tempore Iudicis, & malum, quod Iudicem non audiebant,) dicit Author, quòd quando viuebant Iudices, benè res gerebant: mortuo autem Iudice reuertebantur ad vomitum.

Israelita in peccata relabebantur, mortuo Iudice.

In diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium.] Paraphrasis est: nam Hebraicè scribitur: *Et erat Iehouah cum Iudice, & faciebat seruare eos de manu inimicorum eorum omnibus diebus Iudicis: quia pœnitebat Iehouah à clamore eorum, à facie oppressorum eorum, & impulsorum eorum.* Benignitas Dei ad saluandum eos, viuente Iudice, cum ratione benignitatis pœnitentia, scilicet, diuina afflicti populi declaratur. Sed pœnitentiam metaphoricè intellige in Deo, quemadmodum iram: ad instar siquidem pœnitentis, quantum ad effectum describitur, tanquàm motus ad pœnitendum, quòd afflixerit populum à clamore populi oppressi, & continuè ad peiora redacti ab inimicis: diuina enim opera more humano describuntur.

Pœnitentia quæ in Deo attribuitur, metaphorica est.

Postquàm autem mortuus esset Iudex, reuertebantur, & corrumpebantur magis, quàm patres eorum, sequentes Deos alienos, seruiendo eis, & adorando eos: non dimiserunt opera sua, & viam suam duram, per quam ambulare consueuerant. Vers. 19.

Iratúsque est furor Domini in Israël: & ait: Quia transgressa est gens ista pactum meum, quod præcepi patribus eorum, & non obedierunt voci meæ. Vers. 20.

Etiam ego non delebo virum à facie eorum, de gentibus, quas dimisit Iehosua, & mortuus est.] Narrauerat maiorem effectum diuinæ iræ, videlicet, tradere Israëlitas in manus hostium: narrat modò minorem effectum; videlicet, non delere gentes relictas à Iosua: Hebraico enim more à maiore ad minus procedit oratio. Vers. 21.

A maiore ad minus procedit oratio apud Hebræos.

Vt in ipsis experiar Israel, vtrum custodiant viam Domini, & ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non.] Quanuis anceps sit experiendi verbum in Hebræo, an referatur ad Iosuam, an ad Deum; quia tamen mortuus non potest experiri, recte refertur ad Deum. Et quemadmodum pœnitere, & irasci attribuuntur Deo metaphoricè; ita & experiri, seu tentare, pro quanto efficit ad instar tentantis, & experientiam videre volentis. Sicut enim Deus reliquit obiecta tentationum, quibus homines tentantur ad peccata, (putà, delectabilia secundùm sensum, & delectabilia secundum animum, honorem, gloriam, & huiusmodi,) tanquàm ad experientia teste videndum, an homines seruent præcepta diuinæ legis, an non: ita reliquit illas gentes post mortem Iosuæ, vt experientia manifestaret animos Israëlitarum in lege Dei erga illas gentes. Vers. 22.

Experiri, & idem in Deo metaphorica.

Dimisitque Dominus gentes istas, non delendo eas citò: & non tradidit eas in manum Iehosua.] Prædictam rationem reddit Author, quare Deus non deiecit per manus Iosuæ gentes istas. Vers. 23.

CAPVT III.

ISTÆQVE *sunt gentes, quas dimisit Dominus.*] Occasione commemoratarum gentium, quas non subegit Iosua, subiungitur, quæ sint istæ gentes. Vers. 1.

Vt erudiret in eis Israëlem, & omnes, qui non nouerant bella Chananæorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad probandum in eis Israel: omnes, qui nescierunt omnia bella Chenahan.* Alia adiungitur ratio, quare relictæ sint istæ gentes; videlicet, vt Israëlitæ scirent præliari. Et declaratur in litera, quòd est sermo de Israëlitis nescientibus prælia Chanahan; hoc est, qui non interfuerunt prælis contra Chananæos tempore Iosuæ: propterea enim absque coniunctione copulatiua in textu Hebraico subiungitur appositiue, *omnes, qui nescierunt omnia bella Chanahan.* Et ad hoc magis explicandum statim subditur:

Voluit Deus, vt Israëlita scirent præliari.

Tantùm vt scirent generationes filiorum Israël ad docendum eos prælium.] Et declarando pronomen, *eos* statim subditur. *Tantùm qui prius nescierunt ea.* Ratio itaque relictarum gentium istarum fuit, vt Israëlitæ exercerentur ad bellum; ita quòd filij non alerentur à parentibus absque arte militari subsistente causa debellandi gentes istas. Ex quibus iunctis iis, quæ tradidit Moses, triplex ratio colligitur, quare relictæ sunt istæ gentes paulatim delendæ. Prima, quia populus Israël non sufficiebat Vers. 2.

Triplex ratio, cur relictæ sint gentes delendæ ab Israëlitis.

sufficiebat ad habitandum, & colendum terram illam totam: succreuissent enim bestiæ aduersùs eos, si terra fuisset inculta. Secunda, vt exercerentur animi Israëlitarum in iis, quæ religionis, & morum sunt, iuxta se positis gentibus idololatris, & malorum morum. Tertia, vt exercerentur Israëlitarum filij in arte militari, habendo iuxta se delendos hostes. Et omnes istæ rationes concernunt bonum populi Israël: prima enim ad quietam vitam: secunda ad libertum exercitium virtutis, ac meriti: tertia ad effugandam ignauiam, mollitiémque à populo spectat. Et scripta sunt hæc in doctrina sacra, attributaque Deo, vt intelligamus, gratam esse Deo non solùm pugnam aduersus vitia, sed etiam ipsam armatam militiam aduersùs hostes, quam hodie vituperant vitia militum: sed eorum iniquitas, non militia ipsa in culpa est.

Armata militia grata est Deo, non solùm spiritualis.

Vers. 3. *Quinque Principes Philistinorum, omnémque Chenahanæum, & Zidonium, & Chiuæum habitantem in monte Libano: à monte Baal Chermon vsque ad introitum Chamath.*

Vers. 4. *Fuerúntque ad probandum in eis Israelem: ad sciendum, an audirent præcepta Domini, quæ præcepit patribus eorum per manum Mosis.*

Vers. 5. *Et filij Israel habitauerunt in medio Chenahanæi, Hitthæi, & Emorræi, & Pherizæi, & Chiuæi, & Iebusæi:*

Vers. 6. *Acceperúntque filias eorum sibi in vxores, & filias suas dederunt filiis eorum: & seruierunt Diis eorum.*] Epilogat Author statum filiorum Israël post tempus Senum, adiungendo crimini idololatriæ peccata affinitatum inhibitarum in lege: & hic terminatur summarium temporum Iudicum in genere. Vbi, prudens lector, aduerte, quòd ex eò, quòd Author libri, antequàm tractet de singulis Iudicibus, summauit alterna bona, & mala totius temporis Iudicum, manifestè patet, quòd liber iste non est scriptus tempore, quo res gerebantur; sed post tempora Iudicum completa. Ex Annalibus autem Israël credendum est, Authorem libri habuisse notitiam præteritorum gestorum: nescitur enim Author.

Quo tempore scriptus fuerit liber Iudicum.

Vers. 7. *Fecerúntque malum in conspectu Domini, & obliti sunt Domini Dei sui.*] Redit Author ad historiam, narrando, quæ citò subsecuta sunt post tempus Senum: ex tunc enim supputatur tempus Iudicum: & propterea non repetendo, sed ad narrandum in specie generationis illius, quæ immediatè successit tempori Senum peccata, dicit: *Et fecerunt filij Israël malum in oculis Iehouah*, &c. Quòd autem subditur:

Baalim, *quid.*

Seruientes Baalim, & Astaroth.] Iuxta Hebræum habetur: *Et seruierunt Behalim, & quercubus.* Et Behalim quidem nomen est idolorum: quercus autem diuinum cultum exhibitum arboribus consecratis Dæmonibus significant: nam dicitur, quòd seruierunt quercubus.

Vers. 8. *Iratúsque est furor Domini contra Israel.*] Prima afflictio Israëlis tempore Iudicum describitur.

Et tradidit eos.] Iuxta Hebræum habetur, *& vendidit eos.* tum, quia in seruos venales dedit; tum, quia pro pretio alicuius boni operis, quod fecerat subiunctus Rex, dedit eos, iuxta reuelationem factam Ezechieli cap. 29. de mercede Nabuchodonosor.

In manus Chusan Rishathaim Regis Mesopotamiæ.] Iuxta Hebræum habetur, *Regis Aram fluuiorum.* Aram ciuitas est, in qua peregrinatus est Iacob, vnde orta est Rebeca, quæ appellatur Aram fluuiorum, eò quòd sita est inter Tigrim, & Euphratem.

Seruierúntque ei octo annis.] Non solùm effecti sunt venales multi eorum, sed manentes in vrbibus seruierunt Regi.

Vers. 9. *Et clamauerunt filij Israël ad Dominum.*] Tandem ad cor reuersi, ex intimo corde, magno feruore (non oris clamore) inuocarunt fontem essendi.

Suscitauitque Dominus Saluatorem filiis Israel, & liberauit eos: Hothniel filium Cenam, fratrem Chaleb minorem eo.] Hinc apparet, quàm paruum tempus fuerit tempus Senum: nam iste Hothniel fuerat tantæ ætatis tempore Iosuæ, vt primus debellator Cir-iath Sepher fuerit.

Tempus Senum, quàm paruum.

Vers. 10. *Fuítque super eum spiritus Domini.*] Ecce modus, quomodo suscitauit Deus Hothnielem in Saluatorem populi; infundendo, scilicet, spiritum suum in eum, proculdubiò spiritum accensiuum populi ad seruitutem Dei, ad vendicandum se in libertatem, ad bellum.

Deus quomodo suscitauerit Hothnielem in Saluatorem populi.

Et iudicauit Israel.] Primus Iudex Israëlitici populi fuit Hothniel.

Hothniel, primus Iudex Israëlis.

Egressúsque est ad pugnam.] Ecce modus, quo saluauit Israel.

Et tradidit Dominus in manus eius Chusan Rishathaim, Regem Syriæ.] Legendum est, *Regem Aram.* Non intelligo personam Regis, sed exercitum eius traditum in manum Hothnielis. In cuius signum sequitur:

Et oppressit eum.] Iuxta Hebræum habetur *& roborauit manum eius super Chusan Rishathaim.* significatur enim, quòd Deus non solùm dedit victoriam aduersùs exercitum Regis Aram; sed etiam roborauit potentiam Hothnielis super Regem illum. Et hinc describitur effectus:

Vers. 11. *Quieuitque terra annis quadraginta.*] vsque, videlicet, ad mortem Hothnielis.

Et mortuus est Hothniel, filius Cenam.

Vers. 12. *Et addiderunt filij Israël.*] Proculdubiò prioribus peccatis. *Ad faciendū malū in oculis Domini, qui confortauit.*] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et roborauit Iehouah Heg-lon, Regē Moab, contra Israël, propterea quòd fecerant malū in oculis Domini.* Proculdubiò tanquàm instrumento iustitiæ suæ vtendo Rege illo, roborauit & animum, & vires eius ad bellum contra Israël.

Deus punit Israelitas.

Vers. 13. *Et copulauit ei filios Hammō, & Hamalech.*] Nō est perspicuū in textu Hebraïco, an Deo, an Regi attribuatur adunatio ista: nam potest legi, *& adunauit ei*: & tunc significatur Deus. & potest legi, *& adunauit sibi*: & tunc significaretur Rex. Prima tamen lectio magis quadrat, ad significādum modum, quo Deus roborauit Regē Moab; videlicet, adiungēdo illi Hammonitas, & Hamalecitas in fœdus: vt tutus vndique totum robur suū conuerteret aduersùs Israël. Nō enim scribitur, quòd cū Hāmonitis, & Hamalecitis progressus fuerit ad bellum, sed duntaxat, quòd adunati sunt ei. Si quis tamen tanquàm auxiliares milites adunatos hos intellexerit, non errat.

Hammonitæ, & Hamalecitæ quomodo Regi Adoab adunati.

Abiitque, & percussit Israelem, & possederunt ciuitatem palmarum.] Territorium Iericho significatur specialiter possessum, quia in eo collocauit præsidium militare Rex Moab ad continendum Israël sub seruitute.

Vers. 14. *Seruierunt filij Israel Heg-lon, Regi Moab, decem & octo annis.*] Hæc est secunda afflictio Israëlis maior priore: nam prima fuit octo annis, hæc autem decem & octo.

Vers. 15. *Et clamauerunt filij Israël ad Dominum.*] Intellige vt prius clamore cordis.

Suscitauitque Dominus eis Saluatorem nomine Aioth.] Corruptum est vocabulum : nam Hebraïcè vocatur Ehud : sed innumeræ sunt huiusmodi corruptiones.

Iemini, *apud Hebr. significat* Benjamin.

Filium Gheré, filij Iemini.] Non vertitur in dubium apud Hebræos significari Beniamin : in Tribu enim Benjamin supputatur Aioth. Et hinc vniuersaliter intellige, appellatione Iemini intelligi Benjamin.

Qui vtraque manu pro dextera vtebatur.] Iuxta Hebræum habetur, *virum clausum manu dextera sua.* Vbi clarè patet, non significari virum vtentem vtraque manu pro dextera, sed clausum quoad vsum dexteræ manus. Clausa siquidem significatur vis motiua, ne diffunderetur ad naturale robur dexteræ manus : impedimentum enim naturæ appellatur ab Authore clausura. Aiunt tamen Hebræi in hodiernum vsque diem appellari apud eos clausum eum, quem vulgo sinistrum dicimus. Significatur itaque, quòd homo ille similiter erat secundùm vsum manus.

Clausus *apud Hebræos vocatur sinister.*

Mittentque filij Israel per manum eius munus Heglon Regi Moab.

Vers. 16. *Fecitque sibi Ehud gladium ancipitem, habentem in medio capulum.*] Hæ vltimæ quatuor dictiones non habentur in Hebræo.

Longitudinis palmæ manus.] Iuxta Hebræum habetur, *mensura vnius brachij viri longitudo eius.* Duæ conditiones gladij huius describuntur : altera, quod erat duarum acierum : altera, quòd erat longitudinis vnius cubiti.

Et accinctus est eo subter fagum in dextro femore suo.] Speciem pro genere interpres posuit: nam Hebraïcè sub vestibus absque vestis specie describitur.

Vers. 17. *Obtulitque munus Heglon Regi Moab : Heglon autem erat vir crassus valde.*

Vers. 18. *Cumque obtulisset munus dimisit populum, qui detulerat munus.*

Vers. 19. *Et reuersus de Ghalgalis, vbi erant idola.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et ipse reuersus est ab incisionibus, quæ erant Ghalgal.* Et dicto interpretata, *incisionibus*, Hebraïco more figuratè poterit concretum, hoc est, incisa. Quo vocabulo quandoque figurentur simulacra incisionibus figurata : significatæ sunt etiam tabellæ lapideæ decem præceptorum mensæ a Mose : nonnulli autem intelligunt ibidem fuisse lapidicinam. Et quia incisionis nomen commune est, non nisi diuinando definire possem quid in hac litera significetur per incisiones : notissimus siquidem locus videtur significari : & propterea intelligere lapidicinas non abnuo.

Incisiones *apud Hebræos quid significent.*

Et dixit : Verbum secretum est mihi ad te, ô Rex. Et ille imperauit silentium.] Minùs dicitur, & plùs significatur ; videlicet, egressus aliorum.

Egressique sunt ab eo omnes, qui stabant apud eum.

Vers. 20. *Et Ehud ingressus est ad eum.*] hoc est, appropinquauit ad alloquendum eum : non enim sumitur ingredi pro introire, sed pro venire ; vt Hebraïca testatur veritas.

Ingredi *pro venire.*

Ipse autem sedebat in æstiuo cœnaculo solus. Iuxta Hebræum habetur : *Quod ipsi, soli ipsi.* De aula refrigerationis dicitur, quæ ipsi Regi, soli ipsi Regi, erat vsui.

Dixitque Ehud : Verbum Dei habeo ad te, & surrexit de solio.] Nomen Elohim scribitur hic. Et finxit Aioth, relaturum se verbum, tum ex parte Dei iudicantis, & gubernantis, multiplici ratione, tum ex parte ipsius Aioth, vt non genuflexus, sed stans alloqueretur Regem, vt commodiùs posset occidere eum : nuncius enim Dei quanto honore afficeretur, testatur assurrectio Regis. Et hæc fuit præcipua causa huius fictionis, quam comitabatur situs Regis facilior ad hoc, vt vnico ictu vehementiùs percuteretur stans, quàm sedens : necnon quòd dum Rex attendit ad exhibendam Deo reuerentiam, minùs aduertat ad manum percussoris.

Aioth eum finxit se relaturū verbum Dei ad Eglō.

Mittitque Ehud sinistram manum suam, & tulit gladium de dextero femore suo : & infixit eum in ventrem eius, Vers. 21.

Tam validè, vt capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita vt percusserat, reliquit in corpore : & exierunt excrementa. Vers. 22.

Ehud autem clausis per se ostiis cœnaculi, & effirmatis sera.] Iuxta Hebræum habetur, *& claudet*, hoc est, quòd ita clausit ostia aulæ per seipsum, quòd subsecuta est clausio : significatur enim, quòd sera erat sic fabrefacta, vt solo tractu clauderetur ; sic quòd non nisi claue aperiri posset, vt frequentissimò vsu videmus. Vers. 23.

Per posticum egressus est.] Iuxta Hebræum habetur : *Egressus est ad ordinationem.* hoc est, ad locum, in quo ordinariè curiales manere consueuerant : significatur enim, quòd exiuit per ordinaria loca, tanquàm nihil mali egisset, nullam sui suspicionem dans curialibus. Vers. 24.

Egredi ad ordinationē, *quid.*

Seruique Regis ingressi, viderunt clausas fores cœnaculi : atque dixerunt : Forsitan purgat aluum in æstiuo cœnaculo.

Expectantésque diu, donec erubescerent.] Iuxta Hebræum habetur : *Et expectarunt, vsquequò tardaret.* Sententia est clara. Vers. 25.

Et ecce non aperiebat fores cœnaculi : ceperúntque clauem, & aperuerunt : & ecce Dominus eorum ceciderat in terram mortuus.

Ehud autem euasit, dum illi turbarentur.] Iuxta Hebræum habetur, *dum illi tardarent.* expectando dominum suum vt aperiret. Vers. 26.

Et pertransiit locum idolorum, vnde reuersus fuerat : venitque in Sehirath.] Interpres addidit: nam Hebraïce nihil aliud scribitur, nisi quòd *transiit incisiones, & euasit in Sehirath.* Sensus tamen in idem redit, nisi quòd ambiguum est incisionis nomen, vt prædictum fuit.

Et ipse dum veniret, clanxit buccina in monte Ephraim : descenderuntque cum eo filij Israel de monte, ipso ante eos gradiente. Vers. 27.

Dixitque ad eos : Sequimini me : tradidit enim Dominus inimicos vestros Moabitas in manus vestras. Descenderuntque post eum, & ceperunt vada Iarden Moabitis, & non permiserunt quenquam transire.] Præsidium militum Regis Moab ad continendum Israël sub seruitute habitabat in Iericho, quæ est cis Iordanem in terra Chanahan : & propterea prudenter Aioth occupauit vada Iordanis ad Moab (quæ est trans Iordanem) vt regium præsidium concluderetur flumine, & sic interficeretur : vt rei probauit euentus. Vers. 28.

Percusserúntque Moab in tempore illo circiter decem millia virorum, omnes robustos.] Hebraïcè habetur, *pingues, & fortes viros.* describuntur enim decem millia virorum in præsidium, omnes viri non solùm fortes, sed etiam corpulenti. Vers. 29.

Et non euasit qui quam.] Ex his gestis habes,

prudens

Licitè occiditur Tyrannus, qui non est dominus gentis.

prudens lector, quòd licitè occiditur tyrannus, qui non est dominus gentis, non solùm à populo, sed etiam à quolibet populi: tanquam hostis publicus, habens continuè iniustum bellum aduersùs populum, violenter tenendo eum in seruitute.

Vers. 30. *Humiliatúsque est Moab in die illo sub manu Israel, & quieuit terra octoginta annis.*

Vers. 31. *Et post hunc fuit Samgar filius Anat.*] Hic fuit tertius Iudex, qui modico tempore floruisse videtur.

Samgar fuit tertius Iudex.

Qui percussit Philistim sexcentos viros vomere.] Iuxta Hebræum habetur, *in stimulo bouis.* Hebraico more singularis numeri nomine multitudo describitur stimulorum: insurrexit enim hic cum aliis loco gladiorum, & lancearum habentibus stimulos bouinos, & percussit sexcentos Philistinos molestos Israel.

Singulari numero multitudo describitur apud Hebræos.

Et etiam ipse saluauit Israel.] Quanuis vnicum tantùm gestum, ab hoc referatur, inter saluatores tamen Israëlis in textu supputatur: quia eo tempore, quo rexit, seruauit populum ab oppressionibus exterorum.

Samgar cur inter Saluatores Israëlis supputetur.

CAPVT IV.

Vers. 1. DIDERVNTQVE *filij Israel facere malum in conspectu Domini, post mortem Aioth.*] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et Ehud mortuus est.* significatur enim, quòd ipso mortuo reuersi sunt filij Israël ad malum. Et tam paruo tempore rexit Samgar, vt pro nihilo supputetur: & propterea solus Ehud dicitur mortuus.

Vers. 2. *Et tradidit illos Dominus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et vendidit eos Iehouah in manu Iabin Regis Chenahan.* Expone venditionem, vt suprà. Et est hæc tertia afflictio Israël sub potestate Iabin Regis Chanahan.

Qui regnauit in Chazor.] Hæc est ciuitas, quam combusserat Iosua: & reædificata fuit à Chananæis, in qua residebat Iabin Rex.

Et Princeps exercitus eius erat Sisera; ipse autem habitabat in Charoeth gentium.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ipse habitans in sylua gentium.* Pronomen, *ipse*, demonstrat Siseram Principem exercitus. Quis autem locus appelletur sylua gentium, non facilè hodie sciri potest.

Vers. 3. *Clamauerúntque filij Israel ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, & ipse oppressit Israelem vehementer viginti annis.*] Hæc tertia afflictio longior, tam prima, quàm secunda describitur, & meritò: quia peccata multiplicata erant.

Vers. 4. *Erat autem Delbora Prophetes.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et Debora mulier Prophetes, vxor Lapidoth.* Vbi scito, quòd dictio interpretata vxor propriè significat vxorem. Quod ideò annotauerim ne fallaris: erat enim verè vxor viri nomine Lapidoth.

Delbora fuit vxor Lapidoth.

Qua iudicabat Israelem in tempore illo.] Officium Iudicis in mulierem translatum quarto loco describitur, honestando muliebrem sexum dono prophetiæ: hoc enim donum ratio fuit, vt ipsa esset Iudex Israëlis.

Propter prophetiã Delbora fuit Iudex Israelis.

Vers. 5. *Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur.*] Palma, quæ vocabatur *Debora*, significatur: nam Hebraicè nihil aliud scribitur, quam *sub palma Debora inter Ramam, & Beth-el in monte Ephraim.* Multitudo enim palmarum cognominata à Delbora habitatrice loci inferioris palmis significatur.

Et ascendebant ad eam filij Israël ad iudicium.

Quæ misit, & vocauit Barac filium Abinoham de Cedes Naphthali: dixitque ad eum: Nónne præcepit Dominus Deus Israël? Vade, & trahe in montem Thabor, & tolle tecum decem millia virorum de filiis Naphthali, & de filiis Zebulun. Vers. 6.

Et traham ad te ad torrentem Cisón Siseram Principem exercitus Iabin, & currus eius, & multitudinem eius: & tradam eum in manum tuam. Vers. 7.

Dixitque ad eam Barac: Si veneris mecum, ibo: & si non veneris mecum, non ibo. Vers. 8.

Et dixit: Eundo ibo tecum: veruntamen non erit gloria tua tecum in via, qua ambulas; quia in manum mulieris vendet Dominus Siseram. Surrexitque Debora, & iuit cum Barac in Cedes. Vers. 9.

Qui congregauit Zebulum, & Naphthali.] Deficit, *in Cedes*: illic enim congregauit exercitum. Vers. 10.

Et ascendit cum decem millibus pugnatorum.] Iuxta Hebræum habetur, *& ascendit in pedibus suis cum decem millibus virorum.* pedestris enim exercitus significatur ascédisse in monte Thabor.

Ascenditque cum eo Debora.

Haber autem Cineus recesserat quondam à cæteris Cineis fratribus suis filiis Obab cognati Moysi.] Vers. 11.
Iuxta Hebræum habetur: *Et Cheber Cenæus fuit separatus à Cain, à filiis Chobab soceri Mosis, & tetendit tentorium suum vsque ad quercum in Zahanaim, quæ cum Cedes.* Narratur incidenter segregatio istius Cenæi ab aliis, propter subsecutum euentum occisionis Siseræ apud istum. Nomina autem locorum, quorum hìc fit mentio, quia ignota sunt nobis, pertranseo.

Nunciatúmque est Sisera, quòd ascendisset Barac, filius Abinoham in montem Thabor. Vers. 12.

Et congregauit Sisera omnes currus suos, nongentos currus ferreos, & omnem populum, qui erat cum eo: de sylua gentium ad torrentem Cison. Vers. 13.

Dixitque Debora ad Barac: Surge: hæc enim est dies, in qua tradidit Dominus Siseram in manum tuam. Nónne Dominus egressus est ante faciem tuam? & descendit Barac de monte Thabor, & decem millia virorum post eum. Vers. 14.

Et perterruit Dominus Siseram, & omnem currum, ac omnia castra in ore gladij ante faciem Barac.] Vers. 15.
Iuxta Hebræum plusquam terror significatur, videlicet, quòd sic terruit, quòd reddidit eum attonitum, ita vt trucidarentur gladius Israëlitarum, tanquam attoniti versi in fugam. *Terror Siseræ qualis.*

Descendítque Sisera de curru, & fugit pedibus suis.

Barac autem persecutus est currus, & castra vsque ad sylvam gentium: & ceciderunt omnia castra Siseræ in ore gladij, non remansit vsque ad vnum. Vers. 16.

Sisera autem fugit pedibus suis ad tentorium Iahel vxoris Cheber Cenæi: quia erat pax inter Iabin Regem Chazor, & domum Cheber Cenæi. Vers. 17.

Et egressa est Jahel in occursum Siseræ, dixítque ad eum: Declina, domine mi, declina ad me, ne timeas: & declinauit ad eam in tentorium, & operuit eum stragulo. Vers. 18.

Dixítque ad eam: Da bibere mihi, quæso, paululum aquæ: quia sitio. Quæ aperuit vrcem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. Vers. 19.

Dixítque ad eam: Sta ad ostium tentorij: & erit, Si quis venerit, & interrogauerit te, & dixerit: Est-ne hìc quisquam? Vers. 20.

Dices, non. Et cepit Jahel vxor Cheber, clauum Vers. 21.

tentorij,& posuit malleum in manu sua, & ingressa est ad eum clam, & infixit clauum in tempus eius, & confixit se in terram, ipséque soporatus, & lassus mortuus est.

Vers.22. *Et ecce Barac sequens Siseram: egressáque est Iahel in occursum eius,& dixit: Veni, & ostendam tibi virum, quem quaris. Intrauitque ad eam, & ecce Sisera cecidérat mortuus, & clauus in tempore eius.*

Vers.23. *Humiliauitque Deus in die illo Iabin, Regem Chenahan, coram filiis Israël.*] Nomen est *Elohim*. Summo Iudici adscribitur humiliatio Iabin Regis, vtpote iusto iudicio effecta.

Vers.24. *Et ibat manus filiorum Israel eundo, & dura erat contra Iabin Regem Chenahan, donec exciderent eum.*]

CAPVT V.

Vers.1. CECINERVNTQVE *Debora,& Barac, filius Abinoham in die illo, dicendo.*] Præponitur Delbora, tanquàm principalior in constructione huius cantici: ipsa enim dono prophetiæ condidit illud.

Vers.2. *Quia sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum.*] Manca est litera: Hebraicè enim incipit canticum: *In soluendo solutionem in Israël, in esse spontaneum populum, benedicite Iehouah.* Inuitat enim ad laudandum fontem effendi in duobus beneficijs; videlicet, in vltione, quæ significatur per metaphoram solutionis, tanquàm ipsa vltio sit soluto debiti inimicis. Alterum verò beneficium est libertas populi, significata per hoc, quod populus redditus est spontaneus ad pugnandum pro libertate: ac per hoc redditus est liber, ac spontaneus in suis rebus, ac operibus.

In duobus beneficijs laudatur Deus à Delbora, & Barac.

Vers.3. *Audite, Reges; auribus percipite, Principes; ego sum, ego sum, quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.*] Iuxta Hebr. habetur: *Ego Iehouah, ego canam, psallam Iehouah Elohe Israel.* Et est datiui casus *Iehouah*. Sententia est clara.

Vers.4. *Domine, cum exires de Sehir.*] Alludit ad dicta Mosis in principio benedictionis filiorum Israël Deut. 33. ibi enim dicit Moses, quod Dominus ortus est Israëlitis de Sehir: quod ibi declarauimus. Commemorat itaque Delbora miracula facta tempore Mosis: & ipparitiones diuinas in monte Sinai, tanquàm procedentes ex illa plaga cæli, sub qua est mons Sehir, describit, quod in lib. Exodi tacitum est: secundùm enim sensibilem apparitionem dicitur: *Domine, dum exires de Sehir.*

Et transires per regiones Edom.] Legendum est iuxta Hebræum: *Dum ambulares ex agro Edom.* Explanatio est exitus: declaratur enim, quòd exiuit de Sehir ad montem Sinai per modum ambulantis ex regione Idumææ: species enim illa sensibilis, quasi ambulans venit ex plaga cæli supra Idumæam ad locum supra montem Sinai.

Terra mota est.] Iuxta Hebræum habetur: *Terra tremuit.* Ad literam enim mons Sinai tremuit, vt scribitur Exod. 19. iuxta Hebraicam veritatem.

Quomodo sit literæ calorum hic inserenda.

Cælique, ac nubes distillauerunt aquas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tam cæli stillauerunt, etiam nubes stillauerunt aquas.* Nullibi in libris Mosis scriptum est, nubes stillasse aquas: quod autem dicitur de stillatione cælorum, nisi ad mannæ referatur, nullibi etiam legitur, quandiu populus fuit in deserto. Veruntamen, quæ non sunt ibi scripta, hic supplentur: & pluuiæ datæ mirabiliter populo significantur.

Vers.5. *Montes fluxerunt à facie Domini.*] Hoc verificatur (si contextus patereturque) de fluxu aquarum ex petra mirabiliter bis per Mosem effecto: aquæ enim illæ tanquam fluentes ex montibus significantur: vt quemadmodum niues fluunt ex superficie extrinseca montium; ita aquæ illæ ex internis montium fluentes significentur.

Montes fluxisse quid significent.

Et Sinai à facie Domini Dei Israël.] Iuxta Hebræum absque coniunctione habetur: *Iste Sinai à facie Iehouah Elohe Israël.* Et contextus quidem sonat, quòd appositiuè dicitur: *Montes fluxerunt. Iste Sinai.* Veruntamen nescimus, quis fluxus fuerit corporeus in monte Sinaï: nisi metaphoricè applicetur fluxus ad fumum, ignémque, & sonitum buccinæ, quæ apparuerunt in monte Sinaï. Vel (quod contextui huic quadrat) supplemus intelligamus hîc pluuiam tacitam Exod. 20. ita quòd manifesterur hîc, quòd apparente Deo in monte Sinaï, non solùm ignis ardens, & fumus; sed etiam inter tonitrua, coruscationes, ac nubes, cæli per nubes stillauerint aquas pluuiæ, simúlque ex monte Sinaï fluxerint aquæ pluuiales. Hic enim sensus valdè consonat huic contextui; nec dissonat ab Exodo: quoniam perspicuum est ex Deuteronomio fuisse in eo tacita multa: & in descriptis nubibus obscuris cum tonitruis, & coruscationibus insinuatur implicitè pluuia in monte, cuius hic mentio fit. Et hic est apud me sensus literalis.

Fluxus Sinaï quis fuerit.

Vers.6. *In diebus Samgar filij Hanath, in diebus Iahel, cessauerunt semitæ: & ambulantes per vias, iuerunt per semitas tortuosas.*] Post commemorata diuina opera mirabilia tempore patrum priscorum trâsit ad statum populi paulò ante hanc victoriam, vt oppositæ iuxta se positæ magis elucescant: ad hoc enim tempora Samgar commemorat, vt monstret disparitatem inter tempus Samgar, & tempus istius victoriæ. Quare autem iungatur tempus Iahelis, aliunde nescitur: hæc enim litera insinuat, quòd Iahel aliquo tempore concurrerit ad curam populi Israel; nam significatur, quòd in diebus vtriusque (videlicet, Samgar, & Iahel) itinera non erant tuta, sed oportuit itinerantes per tortuosas incedere vias, vt effugerent hostes.

Vers.7. *Cessauerunt fortes in Israël; & quieuerunt, donec surgeret Delbora, surgeret mater in Israël.*] Iuxta Hebræum habetur: *Cessauerunt villæ in Israël, cessauerunt: donec surrexi mater in Israël.* Narrat, quòd non solùm viæ cessauerunt ab officio suo, sed etiam villæ cessauerunt ab habitatione, antequam ipsa regeret: eò quòd nec itinerantes irent tuti, nec in villis secure poterat habitari propter hostes.

Vers.8. *Noua deligebant Dominus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Eliget Elohim nouos.* Quod dixerat: *Donec surrexi Delbora mater in Israël.* modò reperit, sub officio Iudicis, manifestans se electam à Deo. Non tibipsi, sed Deo tribuit hanc nouitatem, quòd mulier sit Iudex in Israël: hoc enim significatur dicendo: *Deus eliget nouos Elohim.* hoc est, nouos Iudices. Et vtitur plurali numero, vel propter adiunctum Barac; vel quia *Elohim* pluralis est numeri, etiam quando ponitur pro singulari. Vtitur autem futuri temporis verbo, non relatiuè ad tempus cantici, sed relatiuè

Quòd Delbora sit Iudex in Israel, tribuit Deo.

ad

ad tempus prætecitatum, quo & villæ, & viæ erant desertæ.

Et portas hostium ipse subuertit.] Iuxta Hebræum habetur: *Tunc oppugnauit portas.* Tempus electionis suæ describit amplius: descripserat enim illud ex hoc, quòd tam vias, quàm villas inuenit desertas: describit modò illudmet ex hoc, quòd vsque ad portas ciuitatum veniebant hostes, ita quòd etiam intra portas ciuitatis existentes Israëlitas oporteret se defendere aduersùs vexatores vsque ad portas discurrentes.

Tempus electionis Delbora.

Clypeus, & hasta si apparuerunt in quadraginta millibus Israel.] Describit adhuc tempus electionis suæ, etiam ex hoc, quòd Israëlitæ erant adeò inermes, vt nec vnus clypeus, aut vna lancea inueniri posset in Israël intra quadraginta millia hominum: ita raritas armorum describitur, vt supputato populo Israel, & supputatis armis, non inuenirentur tot arma, vt quadraginta millibus hominum responderet vnus clypeus, & vna lancea: describuntur enim per hoc Israëlitæ tunc inermes.

Armorum raritas describitur.

Vers. 9. *Cor meum diligit Principes Israel.*] Iuxta Hebræum habetur: *Cor meum ad Scribas Israel.* Descripto tempore, quo electa est, describit remedium; videlicet, quòd videns populum sic angustatum, & inermem, cor suum direxit ad doctrinam legis scriptam à Mose, & Iosua, quos appellat Scribas Israëlis.

Mosen, & Iosua, Scribas Israëlis.

Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia spontaneos se exhibent, in populo benedicite Iehouah.* Et est ordo literæ: Benedicite fonti essendi in populo: quia spontaneos se exhibent, obediendo diuino mandato promulgato per me, vt eant ad bellum contra Siseram.

Vers. 10. *Asinarum albarum equitatores.* *Qui ascenditis super nitentes asinos.*] Iuxta Hebræum habetur: *Equitatores asinarum albarum.* Gens aliqua habens asinas albas inuitatur.

Et sedetis suprà in iudicio, & ambulatis in via.] Iuxta Hebræum habetur: *Habitantes super Middim, & ambulantes in via.* Nomen loci est Middim.

Loquimini.] Magis quadrat, vt legatur, *canite.* inuitantur enim equitatores asinatum habitantes super Middim, & ambulantes per vias ad cantandum. E regione siquidem antedictorum temporum, quibus desertæ erant viæ, & villæ, describuntur viæ, & villæ iam redditæ securitati, & habitationi, viæ quidem inuitando ambulantes in via ad cantandum: villæ autem inuitando ad idem, equitatores asinarum albarum habitantes super Middim.

Vers. 11. *Vbi collisi sunt currus, & hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur iustitiæ Domini, & clementia in sortes Israel.*] Iuxta Hebræum habetur: *A voce sagittatorum inter haustores aquarum, ibi conferãt iustitias Iehouah, iustitias villæ eius in Israel.* Modus, quo Deus pugnauit pro Israël contra exercitum Regis Iabin, describitur præpostero ordine: nam priùs describta est securitas viarum, & villarum, quæ fuit effectus victoriæ, & postea describitur modus vincendi. Et intendit per vocem sagittatorum, tonitrua diuinorum fulminum in locis, vbi hauritur aqua: hoc est, iuxta torrentes, vbi superatus est exercitus Chananæorum: & propterea dicitur, quòd ibi conferent, commemorando iustitias Domini aduersùs Chananæos, & in specie iustitias vindicatiuas villarum suarum in Israël, quæ fuerant desertæ:

Modus, quo Deus pugnauit contra Regẽ Iabin, describitur.

vniuersa enim hæc inuitatio refertur ad habitatores villarum, & viatores. Deinde subditur:

Tunc descendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatum.] Non habetur in Hebræo, *& obtinuit principatum:* sed declarata securitate viarum, ac villarum, declaratur libertas ciuitatum ex eadem victoria secuta: è regione enim eius, quòd dixerat oppugnari olim portas ciuitatum, manifestat redditam libertatem populis Israël eundi ad portas ciuitatum, in quibus sedebant senes, fiebant iudicia, &c.

Exurge, exurge, Debora, exurge, exurge, loquere canticum: surge, Barac, & apprehende captiuos tuos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et apprehende prædam tuam, fils Abinoham.* Non sunt hæc commonentis verba, sed cantantis res gestas cum exultatione narrando, ac si essent in facto. Vers. 12.

Saluata sunt reliquiæ populi.] Iuxta Hebræum habetur: *Tunc dominabitur reliquus in fortibus populi.* Et immediatè sequitur: Vers. 13.

Iehouah dominabitur in potentibus.] Effectus victoriæ describitur, quòd reliquus populus (qui, scilicet, relictus est ab oppressoribus) dominabitur super fortes Chananæos: & resoluendo rationem dominij in Deum, qui erat actor victoriæ, & dominij, subiungitur, quòd Deus dominabitur in potentibus Israëlitis super Chananæos.

Ex Ephraim deleuit eos in Hamalec.] Iuxta Hebræum habetur: *De Ephraim radix eorum in Hamalec.* Narrata victoria cum illius effectu ex diuino auxilio, narrat, qualiter se habuerunt Tribus Israël ad illud bellum: sic tamen, vt aliquas Tribus laudando (non quoad hoc) inferat pro communi lætitia, vt aliunde laudentur, quæ ex hoc facto laude carent. Et incipit à Tribu Ephraim, de qua erat ipsa Delbora: vt testatur habitatio eius scripta in præcedente capitulo. Laudat autem Tribum Ephraim, tanquàm non nouitiam ad huiusmodi opera bellica, eò quòd radix victoriæ bellicæ fuerit Iosua ex Tribu Ephraïm in prælio contra Hamalecitas in egressu de Ægypto. Et nominando radicem, insinuat exortos inde ramos tot victoriarum posteà contra Chananæos eiudem Iosuæ. Ac si apertiùs dixisset: Non est mirum, quòd ex Tribu Ephraïm prodiit hoc bellum: quoniam radix præliorum, & victoriarum ex illa fuit, ex quo cœperunt bella, à primo bello, videlicet, contra Hamalec. Vers. 14.

Laudatur Tribus Ephraim.

Et post eum in Beniamin in populis tuis, ô Hamalec.] Iuxta Hebræum habetur: *Post te, Beniamin, in populis tuis.* Nihilque dicitur de Hamalec. Et commendatur ad literam Tribus Benjamin, ex qua fuit Aioth, qui liberauit populum de manu Moabitarum: & propterea dicitur, *& post te Ephraïm*; hoc est, imitator tui fuit Benjamin in populis tuis liberandis de manu hostium.

Commendatur Tribus Benjamin.

De Machir Principes descenderunt.] Iuxta Hebræum non habetur, *Principes*, sed scribæ: Tribus enim Manassis, ex qua erat Machir, commendatur, quòd scribas produxerit; hoc est, sapientes ad regimen. Et ad literam meminit Machir, eò quòd (vt patet Num. vltimo) filij Machir consuluerunt moderamen legis de nuptiis filiarum hæredum: videlicet, vt nuberent suis propinquis, ne hæreditates sortium confunderentur.

Tribus Manassis Scribas produxit, vnde laudatur. Scriba qui erat.

Et de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et de Zebulun tractores in stylo Scribæ.* Ignotæ nobis histo-

riæ inducunt ad intelligendum, quòd Tribus Zabulon laudetur in arte scribendi, tanquàm aliis præstaret in hoc. Aduerte, prudens lector, quòd hinc habes per modum laudis commemorari à Delbora hæc, quæ impertinentia videntur: ex hoc enim, quòd Tribus Zabulon, quam perspicuum est ad bellum hoc concurrisse, prælaudatur de arte scribendi, insinuatur, quòd reliqua, quæ de aliis Tribubus commemorantur, non nisi laudabiliter commemorentur. Et rationi consentaneum est, vt Delbora Iudex (ac per hoc persona communis vniuerso Israëli) in publica laude illarum trium Tribuum, quæ affuerunt, ne inuidiam excitaret in aliis Tribubus (ac per hoc dissensionem) laudes aliarum Tribuum pro bono pacis inseruerit.

In arte scribendi præstabat Tribus Zabulon.

Delbora cur omnes Tribus laudarit.

Vers. 15. *Duces Issachar fuêre cum Delbora, & Barac vestigia sunt secuti.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et Principes in Issachar cum Debora, & Issachar.* Significatur enim, quòd non tolum Principes Tribus Isachar, sed etiam ipsa Tribus Isachar conuenerunt cum Delbora. Deinde immediatè subiungitur.

Sic Barac in vallem fuit missus in pedibus suis.] Hinc clarè apparet, quòd quando Barac descendit de monte Thabor cum decem millibus ex Nephthalim & Zabulon, concurrerunt in valle Principes Isachar cum multitudine ex Tribu illa: hoc enim significatur dicendo: *Sic Barac missus fuit in vallem.* aduerbium siquidem *sic*, ad conuentum Isachar refertur.

Diuiso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.] Iuxta Hebræum habetur: *In elongationibus Reuben magna scriptiones cordis.* Quia Rubenitæ separabantur flumine ab aliis Israëlitis in terra promissionis, ideò in elongationibus describuntur: & quia viri erant multum meditantes, ideò laudantur, quòd erant magni scriptores in cordibus: figebant enim cordibus propriis cogitationes suas.

Rubenita erãt multum meditantes.

Vers. 16. *Quare habitas inter duos terminos?*] Iuxta Hebræum habetur: *Vt quid habitasti inter confinia? ad audiendos sibilos gregum.* 1 ege 32. caput Numeri; & inuenies, Rubenitas petisse habitationem in confinibus propter multitudinem gregum, quibus pascendis apta erat terra illa: & propterea commemorantur in confinibus ad audiendum sibilos gregum. Nec dicitur, *vt quid*, ad detestandum vanitatem, aut quancunque ignominiam, seu reprehensionem: sed cùm per modum interrogantis dictum fuisset: Vt quid habitasti inter confinia? subiuncta est responsio, ad audiendum sibilos gregum: ratio enim habitandi inter confinia, redditur copia magna animalium; ita quòd ad laudem opulentiæ Rubenitarum hoc spectat.

Multitudo magnum opulenti erant.

Diuiso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.] Iuxta Hebræum habetur: *In elongationibus Reuben magna scrutinia cordis.* Sententia eadem est cum priore: exaggerando enim laudatur Ruben circa cordis meditationes: quod ad laudem consilij spectat.

Vers. 17. *Galaad trans Iordanem quiescebat.*] Legendum est: *Ghilhad trans Iarden mansit.* Ghilhad nomen est filij Machir, filij Manassis, de quo nihil aliud dicitur, nisi quòd trans Iordanem habitauit: iungitur enim cum Rubenitis.

Et Dan vacabat nauibus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Dan quare habitabit in nauibus.* Quasi dicat, non frustrà habitat iuxta mare mediterraneum, & maritimis lucris attendit.

¶ *Aser habitabat in littore maris, & in portubus morabatur.*] Iuxta Hebræum habetur: *Aser habitauit in portu maris, & super fracturas eius castrametabitur.* Fracturas maris appellat collisiones vndarum maris: laudatur enim, quòd negotiatur nauigando, non obstantibus marinis collisionibus.

Aser à negotiatione laudatur.

Zabulon verò, & Nephthalim obtulerunt animas suas morti in regione Meroma.] Iuxta Hebræum habetur: *Zebulum populus dehonestauit animam suam ad moriendum; & Naphthali, super celsitudines campi.* Laudantur istæ duæ Tribus, quòd dehonestationi exposuerunt vitam suam, cùm decem millia ex eis ascenderunt in montem Thabor: est enim sensus, quòd secundùm humanum iudicium non solùm exposuerunt vitam suam morti; sed etiam opprobrio, quòd tam pauci pedites contra tantum exercitum, & tam validum se erigerent. Et ex hoc magis commendantur, tanquàm fidentes diuino auxilio. Vers. 18.

Zebulon, & Nephthali exposuerunt animam suã non morti solùm, sed opprobrio.

Venerunt Reges, pugnauerunt, tunc pugnauerunt Reges Chenahan in Tahanac iuxta aquas Magiddo: & tamen nihil tulêre prædantes.] Vel plurale ponitur pro singulari (eò quòd Iabin Rex virtualiter æquiualebat pluribus Regibus,) vel milites à pluribus Regibus concurrerunt. Vers. 19.

De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Siseram pugnauerunt.] Iuxta Hebræum habetur: *E cælis pugnauerunt stellæ: de gradibus suis pugnauerunt cum Sisera.* Pugna stellarum creditur comiscationibus, grandinibus, & huiusmodi fuisse. Et adiungitur, *de gradibus suis*, hoc est, absque mutatione cursus sui: ne intelligeretur, quòd stellæ passæ fuerint simile aliquid fixioni Solis, & Lunæ, tempore Iosuæ, Vers. 20.

Stellarum pœna cum Sisera quomodo facta.

Torrens Cison traxit eos, torrens Cedumim, torrens Cison.] Et hinc apparet, quòd tanta aduersùs hostes erupit pluuia, vt torrens aqua plenus traxerit cadauera eorum. Nec sis sollicitus de nominibus torrentium, quia ignota sunt nobis. Vers. 21.

Pluuia maxima.

Conculca anima mea robustos.] Iuxta Hebræum habetur: *Diriges anima mea fortitudinem.* Vox est Prophetissæ interponentis desiderium suum, vt semper anima populi dirigat fortitudinem; hoc est, non obliquet fortitudinem à Deo vero in Deos gentium; sed semper fortitudinem suam locet in vero Deo: hoc est enim verè dirigere fortitudinem.

Fortitudinem precatur populo Delbora.

Vngulæ equorum ceciderunt: fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortissimis hostium.] Iuxta Hebræum habetur: *Tunc calcanei equorum fregerunt: à calcationibus, calcationibus fortium suorum.* Describitur enim, quòd fortes Chananæi etiam hac pœna mulctati sunt, quòd calcati sunt à propriis equis, fractique pedibus equorum suorum. Vers. 22.

Equi Chananæos calcarunt.

Maledicite Meroz.] Ex hoc quòd reprehenditur sola terra Meroz, eò quòd non venerit in adiutorium populo Israël, insinuatur, quod supernis diximus; videlicet, quòd non reprehensiuè commemorantur aliæ Tribus Israël in hoc cantico, quæ non scribuntur conuenisse ad bellum hoc. Et ratio diuersitatis videtur esse: quia istæ aliæ Tribus non fuerunt requisitæ; habitatores autem Meroz requisiti, noluerunt opem ferre. Vers. 23.

Dixit Angelus Domini.] Seipsam appellat Delbora

Angelũ Dei ſæpſam vocat Deboram, & cur.

Delbora Angelum Domini, eò quòd tanquam nuncius Dei maledictionem aduersùs Meroz proferebat. Posset nihilominùs intelligi Barac, eò quod fuerit nuncius Dei ad congregandum exercitum pro liberatione populi. In idem autem redit, ſi quis *Angelum Iehouah* intelligit Angelum, qui reuelabat Deboræ agenda. Et hic ſenſus quadrat Hebraicæ literæ, in qua non eſt articulus genitiui caſus *Iehouah*: ſed ſolito more deſcribendi verè Angelos Dei, ſcribitur hic, *Angelus Iehouah*: tanquàm appoſitiuè dicemus, Angelus Deus; hoc eſt, agens pertonam Dei; hoc eſt, Deus in ſuo Angelo; quanuis interpretes communiter vbique transferant, *Angelus Domini.*

Maledicendo maledicite habitatoribus eius: quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia non venerunt in adiutorium Iehouah, in adiutorium Iehouah in fortibus.* Habebant enim habitatores Meroz viros fortes: & quia non venerunt cum fortibus viris, maledictione dignos ſe reddiderunt. Et in hoc tangitur diſparitas inter iſtos, & Tribus Iſraël, quæ non conuenerant: eò quòd apud iſtos eſſent viri fortes potentes ad bellum; apud Tribus autem illas non erant, ſed erant vacantes gregibus alendis, vel maritimis exercitiis, & huiuſmodi aliis: vt in hoc cantico prætercitatum eſt ad excuſandos eos. Reliqua huius capituh correctione aliqua indigerent, ſed quoniam materia valdè tenuis eſt, pertranſeo.

Verſ. 24. *Benedicatur inter mulieres Iahel, vxor Gheber Cinæi inter mulieres in tentorio benedicatur.*

Verſ. 25. *Aquam petenti lac dedit: in phiala Principum obtulit butyrum.*

Verſ. 26. *Manum ſuam ad clauum miſit, & dexteram ſuam ad malleum fabrorum: & percuſſit Siſeram, abſcidit caput eius, & perfodit, & incidit tempus eius.*

Verſ. 27. *Inter pedes eius incuruatus eſt: cecidit, dormiuit: inter pedes eius incuruatus eſt, cecidit, vbi incuruatus eſt, cecidit vaſtatus.*

Verſ. 28. *Per feneſtram reſpiciens vlulabat mater Siſeræ, & de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus eius? Cur tardauerunt pedes quadrigarũ eius?*

Verſ. 29. *Sapientes domicellæ eius reſponderunt ei: etiam ipſa reſpondit verba ſua:*

Verſ. 30. *Forſitan nunc diuidit ſpolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei: veſtes diuerſorum colorum Siſeræ traduntur in prædam, & ſupellex varia ad ornandum collum congeritur.*

Verſ. 31. *Sic pereant omnes inimici tui, Domine: qui autem diligunt te, ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent.*

Verſ. 32. *Quieuitque terra quadraginta annis.*

CAPVT VI.

Verſ. 1. ECCE RVNT *autem filij Iſraël malum in oculis Domini: & tradidit eos Dominus in manum Madian ſeptem annis.* Minus (vt reor) malũ fecerunt, quàm patres eorum: & propterea non dicitur: Et addiderunt ad faciendum malum. ſed *fecerunt malum*: nec dicitur, quòd vendidit eos, ſed *dedit eos Iehouah in manum Madiam.* & tempus pœnæ breuius ſcribitur; videlicet, ſeptem annorum. Et eſt hæc quarta afflictio populi.

Quarta afflictio Iſraelis.

Verſ. 2. *Et inualuit manus Madian ſuper Iſrael: a facie Madian fecerunt ſibi filij Iſrael antra in montibus, & ſpeluncas, & munitiones.*

Verſ. 3. *Et erat, ſi ſerebat Iſraël, aſcendebat Madian, & Amalech: & filij Cedem aſcendebant contra eum.*

Verſ. 4. *Et figebant tentoria contra eos, & ſicut erant in herbis, cuncta conſtabant.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et deſtruebant prouentum terræ vſque ad introitum Hazzæ: & non relinquebant victum in Iſraël non oues, non boues, non aſinos.*

Verſ. 5. *Ipſi enim, & greges eorum aſcendebant cum tentoriis ſuis, veniebantque tanquàm locuſtæ in multitudine, & ipſorum, & camelorum eorum non erat numerus: & veniebant in terram ad deuaſtandum eam.*] Iſti, qui hodie appellantur Arabes diſcurrentes in curribus cum vxoribus & filiis, modò hìc, modò illic, caſtrametantes, & alienas meſſes ſecantes, & cætera, aut ſimiles eis deſcribuntur: viuunt enim alienis ſudoribus, & conculcant omnia, quæ non rapiunt.

Midianitæ Arabibus aſſimilantur.

Verſ. 6. *Humiliatuſque eſt.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et attenuatus eſt Iſrael valdè à facie Madian.* In rebus exterioribus punitus valdè eſt.

Verſ. 7. *Et clamauit ad Dominum, poſtulans auxilium contra Madianitas.*

Verſ. 8. *Qui miſit ad filios Iſrael virum Prophetam.*] Ne intelligeremus Angelum, manifeſtè dicitur virum Propheram, quanuis neſciamus, quis fuerit iſte ſanctus vir veri Dei Propheta.

Verſ. 9. *Dixitque ad eos: Sic dixit Dominus Deus Iſraël: Ego aſcendere feci vos ex Ægypto, & eduxi vos de domo ſeruitutis.*

Et liberaui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium opprimentium vos: expulique eos à facie veſtra, & dedi vobis terram eorum.

Verſ. 10. *Et dixi vobis: Ego Dominus Deus veſter, non timeatis Deos Emorræorum, in quorum terra habitatis: & noluiſtis audire vocem meam.*

Verſ. 11. *Venit autem Angelus Domini.*] Vide benignitatem diuinam: priùs miſit Prophetam ad filios Iſraël, vt præpararet populum ad diuinum beneficium: deinde mittit Angelum ad Gedeonem.

Benignitas diuina notatur.

Et ſedit ſub quercu, quæ erat in Ophra, & pertinebat ad Ioas patrem Hezritarum.] Ex hoc, quòd ſedit, manifeſtè patet, quòd in ſpecie ſenſibili in forma humana apparuit Angelus iſte. Nec ſit tibi cura de proprietate arboris: Hebraicè enim habetur, non quercus, ſed ela.

Angelus apparuit in ſpecie ſenſibili Gedeoni.

Gheddonque filius eius excutiebat frumenta in torculari, vt fugeret Madian.] Legendum eſt, *vt faceret fugere à facie Madian.* Significatur, quòd occultè excutiebat frumenta in torculari, ne caperentur à Madianitis.

Verſ. 12. *Et apparuit ei Angelus Domini, dixitque ad eum.*] Non ſolùm deſcribitur Angelus ſedens ſub ela, etiam quòd fuit viſus ab ipſo Gedeone, & quòd allocutus eſt Gedeonem.

Dominus tecum, virorum fortiſſime.] Iuxta Hebræum habetur: *Vir fortitudinis.* Ita tamen, quòd viri nomine non intelligas virum communiter, ſed virum eximium. Salutatur ſiquidem ab Angelo, tum à coniunctione Dei dicendo, *Iehouah tecum*, tum à præcipua fortitudine, dicendo, *vir fortitudinis.*

Vir fortitudinis, vir eximius.

Verſ. 13. *Dixitque ei Ghedion: Obſecro, mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur ergo apprehenderunt nos hæc omnia?*] Hinc apparet quòd Gedeon cœpit ſuſpicari, quòd Angelus, ſeu Propheta Domini ſalutaſſet eum: & ex ipſa ſalutatione argumentum ſumpſit interrogandi cauſam tantorum malorum, quæ patiebantur à Madianitis. Admirabatur

Deum esse cum Israelitis, & eos mala pati mirabatur Gedeon.

batur enim, quòd starent simul duo hæc; videlicet, Deum esse cum eis, & pati eos tot mala: intellexerat enim verbum Angeli non solùm relatiuè ad personam propriam, sed ad populum: & propterea dicit: *Si Dominus est nobiscum.*

Et vbi sunt omnia mirabilia eius, quæ narrauerunt nobis patres nostri dicendo: Nonne de Ægypto eduxit nos Dominus? nunc dereliquit nos Dominus, & tradidit nos in manum Midian.] Reddit rationem interrogationis suæ ex effectibus contrariis; videlicet, quòd Deus fecit tot mirabilia pro populo, quando erat cum eis; nunc autem dereliquit eos sub potestate Madianitarum.

Vers. 14. *Respexitque ad eum Dominus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et vertit Iehouah ad eum.* Situs mutatio describitur: insinuatur enim, quòd sedens Angelus non secundùm rectæ lineæ prospectum ante faciem suam habebat Gedeonem; sed vel ad dexteram, vel ad sinistram: & propterea scribitur, quòd vertit proculdubiò faciem versùs Gedeonem intuendo ipsum. Et qui priùs nominatus est Angelus, nunc nominatur Iehouah: quia Dei personam agebat.

Cur Angelus nominatus Iehouah.

Et ait: Vade in fortitudine tua ista, & saluum facies Israël de manu Madian.] Non dicit: Vade in fortitudine tua. sed adiungit pronomen, *ista*: ad insinuandum, quòd de fortitudine fiduciæ in Deo, de fortitudine Gedeonis innixa Deo loquitur. Professus enim erat Gedeon, à Deo fuisse salutem patrum, & à Deo fuisse se traditos in manum Madian, & mirari, quòd Deus sit cum eis, & non liberet eos: in hac ergo fortitudine liberaturus dicitur Israëlem.

Scito, quòd miserim te.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *An non misi te?* Interrogatiuè legendum est, ad affirmandum, quòd misi te. Tacitæ siquidem obiectioni, qua authoritate ibo: respondet, quòd ego misi te. Et non dicit, mitto, sed *misi*, ad manifestandum, quòd olim elegerat ipsum & disposuerat, vt iret ad liberandum populum.

Gedeon fuerat olim electus à Deo, ad liberandum populũ.

Vers. 15. *Quis respondens ait: Obsecro, mi Domine.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Adonai, in quo liberabo Israël.* Pensantis seipsum, tum ex qualitate sortis suæ, tum ex propria persona verba sunt.

Ecce familia mea infima est in Manasse.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce millenarius meus pauper in Manasse, & ego paruus in domo patris mei.* Nec sociorum diuitiæ, nec authoritas propriæ personæ suppetit tanto operi. Vt intelligas textum, recole, quòd populus Israël distinctus erat per Tribus duodecim: & quælibet Tribus erat distincta primò per millenos, posteà per centenos, posteà per quinquagenos. Gedeon itaque de Tribu Manassis erat paupertatem sui millenarij, sub quo comprehendebantur, & centeni, & quinquageni.

Tribus Israël quomodo erant distincta.

Vers. 16. *Dixitque ad eum Dominus: Quia ero tecum: percutiesque Madian quasi virum vnum.*

Vers. 17. *Et ait ad eum: Si inuenem gratiam in oculis tuis, da mihi signum, quòd tu sis, qui loqueris ad me.*] Iuxta Hebræum habetur: *Fac mihi signum, quòd tu loquens mecum.* Opinatus Gedeon, illum, qui loquebatur secum diuina authoritate fultum (dicendo: Ego misi te, ego ero tecum, & percuties Madianitas, tanquam virum vnum) esse Angelum, vel Prophetam Dei, quærit fieri certior petens ab eo signum. Vbi, prudens lector, libra verba, & facta. Verba sonant signum non alicuius rei occultæ, sed manifestæ ipsi Gedeoni: videlicet, quòd tu loquens mecum. Non dicit, quòd tu sis Deus, vel Angelus Dei; sed quòd tu loquens mecum. Similiter facta Gedeonis non sonant sacrificium (vt vulgata habet editio, sed munus: subiungitur enim Hebraicè:

Ne, quæso, recedas hinc, donec veniam ad te, & educam munus meum, & ponam coram te.] Hæc enim, vt allata testantur, sonant prandium, non sacrificium. Signum itaque firmi, ac benefici sermonis petit sibi fieri expectando prandium de manu ipsius Gedeonis. Nec dissonat à suspicione (seu etiam opinione) quòd esset Angelus Dei oblatio prandij: quoniam vulgatum erat apud Hebræos, Angelos in domo Abrahæ pransos fuisse: nec Gedeon idiota sciebat tot subtilitates, quòd Angeli non verè comederent, sed in corporibus assumptis exercerent opera similia operibus vitalibus: comedere, bibere, & ambulare, &c. Quemadmodum igitur Angeli apud Abraham, & apud Lot signum familiaris firmi, ac benefici colloquij exhibuerunt facto comedendi & bibendi; ita Gedeon incertus adhuc quis ille esset diuino nomine tanta promittens, petit pro signo familiaris, firmi, ac benefici colloquij, vt expectet prandium de manu sua. Vers. 18.

Qui respondit: Ego præstolabor aduentum tuum.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Ego sedebo, donec reuertaris.* Sicut apparuerat sedens, ita expectaturum se dixit.

Ingressus est itaque Ghidhon, & coxit hædum, & de modio farinæ azymos panes.] Hebraicè habetur: *Et fecit hœdum caprarum, & modium farinæ azymorum.* Subiuncta de iure carnium, manifestant, quòd lixauit hœdum: azymos autem coxit panes, vt celeriùs perficeret. Et hinc habetur, quòd non in sacrificium, sed in prandium parauit hæc: non enim carnes coctæ portabantur ad sacrificandum, sed adeps cremabatur in primis Deo, & deinde coquebantur carnes: hic autem nulla fit mentio adipis; sed duntaxat, quòd carnes elixas, & panem, & ius carnium detulit. Vers. 19.

Carnes posuit in canistro, & ius carnium posuit in olla: & tulit omnia sub quercu, & obtulit ei.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eduxit ad eum sub ela, & appropinquauit.* Et est sensus, quòd ad Angelum sub ela sedentem eduxit ea, & appropinquauit ad eum: ita quòd non significatur, quòd posuerit res illas sub ela: sed quòd ipse accesserit propiùs ad Angelum: rationabile siquidem est, quòd cùm serui, seu ancillis deferentibus res venerit, & ipse propiùs accesserit monstrans prandium paratum.

Cui dixit Angelus Dei.] Iuxta Hebræum habetur, *Angelus Elohim.* Non sine mysterio fuit hæc mutatio nominum, retributurus siquidem quasi mercedem oblati prandij, nomen *Elohim* induit: iustitiæ enim opus est retribuere. Vers. 20.

Nomina cur hic mutãtur.

Tolle carnem, & azyma, & pone ad petram hanc, & ius carnium effunde.

Et fecit sic. Extenditque Angelus Domini.] Hebraicè habetur, *Angelus Iehouah.* Gratiam miraculi à fonte effendi procedere ipsa nominis mutatio significat. Vers. 21.

Summitatem virgæ, quam tenebat in manu sua.] Iuxta Hebr. significatur baculus, quo vtimur ad sustentandũ. Et hinc innuitur, quòd viatoris, vel senis habitũ præ se ferebat Angelus vtẽs baculo.

Tetigitque

Tetigitque carnes, & azyma: & ascendit ignis de petra, & carnem, azymáque consumpsit: Angelus autem Domini euanuit.] Iuxta Hebræum habetur: *Iuit ab oculis eius.* Subiuncta enim manifestant, quòd non repentè euanuit; sed statim agnitus ire cœpit, procuidubiò versus cælum.

Vers. 22. *Vidénsque Gedeon, quòd esset Angelus Domini.*] Rectiùs texitur Hebraice: *Et vidit Ghidhon, quòd Angelus Iehouah ipse.* Ex miraculo ignis ascendentis de petra, & consumentis carnes, & panes, agnouit Gedeon, quòd ille, qui loquebatur secum, erat Angelus Iehouah.

Et dixit Ghidhon: Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Heu me Adonai Iehouah, quod super sic vidi Angelum Iehouah facie ad faciem.* Quia dixerat Deus Mosi: *Non videbit me homo, & viuet.* vulgatum erat, quòd ille, cui apparuisset Deus visibiliter, citrùs moreretur: & propterea Gedeon timens mortem, dixit: *heu me,* (clamando ad Deum,) *quia super sic*; hoc est, quia propterea vt moreter, vidi Deum quasi nuncium facie ad faciem.

Vers. 23. *Dixitque ei Dominus.*] Hebraicè habetur: *Et dixit ei Iehouah: Pax tibi, ne timeas, non morieris.* Illemet Angelus nomen Dei induit: quia à fonte essendi, & vita, & pax nostra procedit. Et hinc habetur, quòd Angelus non penitùs receisserat, statim vt Gedeon agnouit eum: sed timenti mortem locutus est, Hebraico more dicendo: *Pax tibi.* (significant enim pacis nomine sospitatem, salutem, & huiusmodi bonorum collectionem:) timorem exclusit mortis, & sic iuit: ita quòd cùm primùm Gedeon cognouit illum esse Angelum, & Angelus incepit recedere, & Gedeon incepit dolere, & recedendo Angelus consolatus est eum.

Hebraï pacis nomine multorum bonorum collectionem significant.

Vers. 24. *Ædificauitque ibi Ghidhon altare Domino.*] Non insolito Scripturæ more priùs narratur factum, & deinde causa, & modus faciendi: altare siquidem hoc fuit ædificatum non tunc, sed post reuelationem subsequentem: sed ratione nominis prænarratur hîc. Nec dicitur, *& ædificauit tunc*; sed dicitur, *& ædificauit ibi*, videlicet, in lapide illo, ex quo exierat ignis.

Scriptura priùs narrat factum, & deinde causam, & modũ faciendi.

Vocauitque illud, Domini pax.] Hebraicè habetur: *Iehouah pax vsque ad diem hanc.* Ex eo, quòd Deus ibi dixerat ei: *Pax tibi: non morieris.*] ideò altari nomen imposuit à diuina pace.

Altare à Gedeone erectũ vocatur, Domini pax.

Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Hezri.] Iuxta Hebræum habetur: *Adhuc ipse in Hophrat patris Hezritarum.* Non est vsquequaque clarum, an pronomen, *ipse*, demonstret Gedeonem, vt Interpres vulgatæ editionis intellexit; an demonstret altare, vt alij Interpretes intelligunt: contextus enim fauet huic secundo intellectui: eò quòd immediatè subiungitur.

Vers. 25. *Et fuit in nocte ipsa.*] Ex eo enim, quòd nocte immediatè sequente describitur hæc reuelatio, satis manifestatur, quòd Gedeon erat ibidem, nec oportuit dicere, quòd adhuc erat ibi.

Species prophetiæ, audire in somno Deum.

Et dixit ad eum Iehouah.] Nocturna hæc locutio dormiente Gedeone intelligitur: inter species enim prophetiæ non infimum tenet locum, audire in somno alloquentem sibi Deum.

Tolle taurum bouis, qui est patri tuo.] Adiungitur, *bouis*, ad differentiam tauri bubalorum.

Et alterum taurum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et taurum secundum septem annorum.* Subiuncta de vnius duntaxat tauri immolatione mouent me ad intelligendum verba hæc expositiuè: vt non duo tauri, sed vnus duntaxat tollendus præcipiatur, qui appellabatur secundus, & erat annorum septem: suspicor enim, quòd à prosperitate appellatur secundus taurus ille, qui alebatur pro sacrificio prosperitatis iuxta superstitiones Ethnicorum.

Taurus secundus *quid significet.*

Destruésque aram Bahal, quæ est patri tuo; & nemus, quod circa Aram est, succide.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quercum, quæ super ipsam, succides.* Altare enim Bahal erat sub quercu.

Et ædificabis altare Domino Deo tuo.] Priùs narrata fuit ædificatio istius altaris, & modò narratur præceptum ædificandi: nunc ordo rei gestæ scribitur; priùs verò res ipsa sine ordine scripta est. Vers. 26.

In summitate petræ huius, super quam antè sacrificium posuisti.] Iuxta Hebr. perelliptice scribitur: *Super verticem fortitudinis huius in ordinationem.* Facile est intelligere, quid significetur dicendo in ordinationem: mandatur enim, vt ædificetur altare secundùm ordinationem legis Mosis; videlicet, ex terra, seu lapidibus, quos ferrum non tetigit. Sed quod dicitur, *super verticem fortitudinis istius*, non facile patet. Antiquus Interpres intellexit lapidẽ illum, in quo fuerat oblatum sacrificium. Et quia nescimus situm loci illius, & demonstratio fit ad sensum, à ratione alienum non est, vt intelligi possit, quòd lapis, vnde ascendit ignis, rupes erat: & propterea hîc dicitur, *super caput fortitudinis istius*; hoc est, super caput istius rupis, à fortitudine denominatæ; vel, quia durissimus lapis erat; vel, quia arcis fundamentum, seu vices præ se ferebat. Et iuxta hunc sensum mandatur, quòd in summitate illius rupis ædificetur Deo vero altare secundùm ordinem legis.

Super verticem fortitudinis istius, *quid significet.*

Tolléque taurum secundum.] Nulla fit mentio alterius tauri.

Et ascendere facies holocaustum.] Aduerte, prudens lector, quòd Deus præcipit duo contra legem Mosis: alterum ædificari altare extra locum, vbi erat tabernaculum diuinũ: alterum, offerri ibi holocaustũ à non Sacerdote, seu Leuita.

Duo contra legem Mosis præcipit Deus Gedeoni.

Super struem lignorum, quæ de nemore succideris.] Iuxta Hebræum habetur: *In ligni quercus, quam succides.* Super ligna quercus Bahal præcipit offerri holocaustum.

Tulítque Ghidhon decem viros de seruis suis, & fecit, sicut locutus est ad eum Dominus: timens autem familiam patris sui, & viros ciuitatis, in die non fecit, sed in nocte. Vers. 27.

Cúmque surrexissent viri ciuitatis mane, viderunt destructum aram Bahal, quercúmque succisam: & taurum secundum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat. Vers. 28.

Dixerúntque ad inuicem: Quis fecit hoc? Cúmque perquirerent auctorem facti, dictum est: Ghidhon, filius Ioas, fecit hoc. Vers. 29.

Et dixerunt viri ciuitatis ad Ioas: Educ filium tuum, & moriatur: quia destruxit aram Bahal, & succidit quercum, quæ erat iuxta illam. Vers. 30.

Quibus ille respondit: Numquid vltores estis Bahal, vt pugnetis pro eo? Qui aduersarius est eius, moriatur, antequàm lux crastina veniat: si Deus est, vindicet se de eo, qui subuersit aram eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Num vos litigabitis pro Bahal?* Vers. 31.

eos in manus inimicorum eorum in circuitu.] De Deo dicitur, quòd vendidit eos: & est sensus, quòd venales eos reddidit sub manibus inimicorum eorum in circuitu. Et per hoc describitur secunda pœna maior priore, quantò seruitus maior est pœna, quàm pati direptionem rerum: fecit enim eos Deus seruos venales in circuitu inimicorum eorum.

Secunda.

Nec potuerunt resistere aduersariis suis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non potuerunt adhuc stare coram inimicis suis.* Tertia siquidem pœna describitur impotentia standi coram inimicis suis, etiam post direptionem, & venalitatem: hoc est, quòd multis direptis, & multis venditis residui adhuc sunt puniti impotentia standi coram inimicis suis. Et hæc impotentia declaratur subiungendo,

Tertia.

Vers. 15. *In omni, quo egressi sunt manus Iehouah, fuit in eis malum.*] Siue egrederentur ad resistendum, siue ad aggrediendum, semper manus Dei fuit eis in malum pœnæ.

Sicut locutus est Dominus, & sicut iurauit Dominus eis: & angustans fecit eos valdè.] Quanuis pluries Deus legatur comminatus vltionem huiusmodi; iuramentum tamen non apparet alibi scriptum nisi hîc, commemorando illud. Nec est dubitandum sic fuisse: multa enim dixit Deus, quæ non sunt scripta in libris Mosis. quæ tamen vel per reuelationem diuinam, vel per traditionem paternam nouerunt, & scripserunt Authores sacræ Scripturæ

Omnia Dei dicta non scripsit Moses.

Vers. 16. *Suscitauitque Dominus Iudices: & liberauerunt eos de manu diripientium eos.*] Tempus Iudicum distinguit Author in tempus peccati, in tempus punitionis, & in tempus diuinæ benignitatis eleuantis Iudicem aliquem ad liberandum populum de manu diripientium eos.

Tempus Iudicum in tria tempora distinguitur.

Sed nec eos audire voluerunt,

Vers. 17. *Fornicantes cum Diis alienis, & adorantes eos: recesserunt citò de via, per quam ambulauerunt patres eorum ad audiendum præcepta Domini, non fecerunt sic.*] Intellige hanc sententiam, vt inferiùs declaratur: dicitur enim hoc, non ad narrandum, quòd etiam viuentibus Iudicibus populus nollet eos audire: sed ad narrandum instabilitatem populi, quòd non perseuerabat in bono post visam salutem datam à Deo per Iudicem; sed tanquàm si Iudicem non audissent, reuertebantur ad idololatriam citò.

Vers. 18. *Cumque Dominus Iudices suscitaret.*] Ad declarandum proposita ambo, (videlicet, & bonum tempore Iudicis, & malum, quod Iudices non adhibant,) dicit Author. quod quando viuebant Iudices, benè res gerebantur: mortuo autem Iudice reuertebantur ad vomitum.

Israelita in tempore Iudicis.

In diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictionem eorum, & liberabat eos de cæde vastantium.] Paraphrasis est: nam Hebraicè scribitur: *Et erit Iehouah cum Iudice, & faciet seruare eos de manu inimicorum eorum omnibus diebus Iudicis: quia pœnitebit Iehouah à clamore eorum, a facibus oppressorum eorum, & impulsorum eorum.* Benignitas Dei ad saluandum eos, viuente Iudice, cum ratione benignitatis (pœnitentia, scilicet, diuina afflicti populi) declaratur. Sed pœnitentiam metaphoricè intellige in Deo, quemadmodum iram: ad instar siquidem pœnitentis, quantùm ad effectum describitur, tanquàm motus ad pœnitendum, quòd afflixerit populum à clamore populi oppressi, & continuè ad peiora redacti ab inimicis: diuina enim opera more humano describuntur.

Pœnitentia Dei quomodò in eo intelligenda est.

Postquàm autem mortuus esset Iudex, reuertebantur, & corrumpebantur magis, quàm patres eorum, sequentes Deos alienos, seruiendo eis, & adorando eos: non dimiserunt opera sua, & viam suam duram, per quam ambulare consueuerant. Vers. 19.

Iratusque est furor Domini in Israel: & ait: Quia transgressa est gens ista pactum meum, quod præcepi patribus eorum, & non obedierunt voci meæ. Vers. 20.

Etiam ego non delebo virum à facie eorum, de gentibus, quas dimisit Iehosua, & mortuus est.] Vers. 21. Narrauerat maiorem effectum diuinæ iræ, videlicet, tradere Israëlitas in manus hostium: narrat modò minorem effectum; videlicet, non delere gentes relictas à Iosua: Hebraïco enim more à maiore ad minus procedit oratio.

A maiore ad minus procedit oratio apud Hebræos.

Vt in ipsis experiar Israël, vtrùm custodiant viam Domini, & ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non.] Vers. 22. Quanuis anceps sit experiendi verbum in Hebræo, an referatur ad Iosuam, an ad Deum; quia tamen mortuus non potest experiri, recte refertur ad Deum. Et quemadmodum pœnitere, & irasci attribuuntur Deo metaphoricè, ita & experiri, seu tentare, pro quanto efficit ad instar tentantis, & experientiam videre volentis. Sicut enim Deus reliquit obiecta tentationum, quibus homines tentantur ad peccata, (putà, delectabilia secundùm sensum, & delectabilia secundum animum, honorem, gloriam, & huiusmodi,) tanquàm ad experientia teste videndum, an homines seruent præcepta diuinæ legis, an non: ita reliquit illas gentes post mortem Iosuæ, vt experientia manifestaret animos Israëlitarum in lege Dei erga illas gentes.

Experiri, & tentare in Deo metaphorica.

Dimisitque Dominus gentes istas, non delendo eas citò: & non tradidit eas in manum Iehosuæ.] Vers. 23. Prædictam rationem reddit Author, quare Deus non deleuit per manus Iosuæ gentes istas.

CAPVT III.

ITAQVE *sunt gentes, quas dimisit Dominus.*] Occasione commemorationis gentium, quas non subegit Iosua, subiungitur, quæ sint istæ gentes. Vers. 1.

Vt erudiret in eis Israëlem, & omnes, qui non nouerant bella Chananæorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad probandum in eis Israël: omnes, qui nescierunt omnia bella Chenahan.* Alia adiungitur ratio, quare relictæ sint istæ gentes; videlicet, vt Israëlitæ scirent præliari. Et declaratur in litera, quòd est sermo de Israëlitis nescientibus prælia Chanahan; hoc est, qui non interfuerunt prælijs contra Chananæos tempore Iosuæ: propterea enim absque coniunctione copulatiua in textu Hebraico subiungitur appositiue, *omnes, qui nescierunt omnia bella Chenahan.* Et ad hoc magis explicandum statim subditur:

Voluit Deus, vt Israëlita scirent præliari.

Tantùm vt scirent generationes filiorum Israël ad docendum eos prælium.] Et declarando pronomen, *eos*, statim subditur: *Tantum qui prius nescierunt ea.* Ratio itaque relictarum gentium istarum fuit, vt Israëlitæ exercerentur ad bellum; ita quòd filij non alterentur à parentibus absque arte militari subsistente cauta debellandi gentes istas. Ex quibus iunctis iis, quæ tradidit Moses, triplex ratio colligitur, quare relictæ sunt istæ gentes paulatim delendæ. Prima, quia populus Israël non Vers. 2.

Triplex ratio, cur relictæ sint gentes delendæ ab Israëlitis.

sufficiebat

sufficiebat ad habitandum, & colendum terram illam totam: succreuissent enim bestiæ aduersùs eos, si terra fuisset inculta. Secunda, vt exercerentur animi Israëlitarum in iis, quæ religionis, & morum sunt, iuxta se positis gentibus idololatris, & malorum morum. Tertia, vt exercerentur Israëlitarum filij in arte militari, habendo iuxta se delendos hostes. Et omnes istæ rationes concernunt bonum populi Israël: prima enim ad quietam vitam: secunda ad liberum exercitium virtutis, ac meriti: tertia ad effugandam ignauiam, mollitiémque à populo spectat. Et scripta sunt hæc in doctrina sacra, attributaque Deo, vt intelligamus, gratam esse Deo non solùm pugnam aduersùs vitia, sed etiam ipsam armatam militiam aduersùs hostes, quam hodie vituperant vitia militum: sed eorum iniquitas, non militia ipsa in culpa est.

Armata militia grata est Deo, non solùm spiritualis.

Vers. 3. *Quinque Principes Philistinorum, omnémque Chenahanæum, & Zidonium, & Chiuæum habitantem in monte Libano: à monte Baal Chermon vsque ad introitum Chamath.*

Vers. 4. *Fuerúntque ad probandum in eis Israelem: ad sciendum, an audirent præcepta Domini, quæ præcepit patribus eorum per manum Mosis.*

Vers. 5. *Et filij Israel habitauerunt in medio Chenahanæi, Hitthæi, & Emorræi, & Pherizæi, & Chiuæi, & Iebusæi;*

Vers. 6. *Acceperúntque filias eorum sibi in vxores, & filias suas dederunt filiis eorum: & seruierunt Diis eorum.*] Epilogat Author statum filiorum Israël post tempus Senum, adiungendo crimini idololatriæ peccata affinitatum inhibitarum in lege: & hîc terminatur summarium temporum Iudicum in genere. Vbi, prudens lector, aduerte, quòd ex eò, quòd Author libri, antequàm tractet de singulis Iudicibus, summauit alterna bona, & mala totius temporis Iudicum, manifestè patet, quòd liber iste non est scriptus tempore, quo res gerebantur; sed post tempora Iudicum completa. Ex Annalibus autem Israël credendum est, Authorem libri habuisse notitiam præteritorum gestorum: nescitur enim Author.

Quo tempore scriptus fuerit hic liber Iudicum.

Vers. 7. *Fecerúntque malum in conspectu Domini, & obliti sunt Domini Dei sui.*] Redit Author ad historiam, narrando, quæ citò subsecuta sunt post tempus Senum: ex tunc enim supputatur tempus Iudicum: & propterea non repetendo, sed ad narrandum in specie generationis illius, quæ immediatè succedit tempori Senum peccata, dicit: *Et fecerunt filij Israel malum in oculis Iehouah*, &c. Quòd autem subditur:

Baalim, *quid.* *Seruientes Baalim, & Astaroth.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et seruierunt Behalim, & quercubus.* Et Behalim quidem nomen est idolorum: quercus autem diuinum cultum exhibitum arboribus consecratis Dæmonibus significant: nam dicitur, quòd seruierunt quercubus.

Vers. 8. *Iratúsque est furor Domini contra Israel.*] Prima afflictio Israëlis tempore Iudicum describitur.

Et tradidit eos.] Iuxta Hebræum habetur, *& vendidit eos.* tum, quia in seruos venales dedit; tum, quia pro pretio alicuius boni operis, quod fecerat subiunctus Rex, dedit eos, iuxta reuelationem factam Ezechieli cap. 29. de mercede Nabuchodonosor.

In manus Chusan Rishathaim Regis Mesopotamiæ.] Iuxta Hebræum habetur, *Regis Aram fluuiorum.* Aram ciuitas est, in qua peregrinatus est Iacob, vnde orta est Rebeca, quæ appellatur Aram fluuiorum, eò quòd sita est inter Tigrim, & Euphratem.

Seruierúntque ei octo annis.] Non solùm effecti sunt venales multi eorum, sed manentes in vrbibus seruierunt Regi.

Vers. 9. *Et clamauerunt filij Israël ad Dominum.*] Tandem ad cor reuersi, ex intimo corde, magno feruore (non oris clamore) inuocarunt fontem essendi.

Tempus Senum, quàm paruum. *Suscitauitque Dominus Saluatorem filiis Israel, & liberauit eos: Hothniel filium Cenam, fratrem Chaleb minorem eo.*] Hinc apparet, quàm paruum tempus fuerit tempus Senum: nam iste Hothniel fuerat tantæ ætatis tempore Iosuæ, vt primus debellator Cir-iath Sepher fuerit.

Vers. 10. *Fuitque super eum spiritus Domini.*] Ecce modus, quomodo suscitauit Deus Hothnielem in Saluatorem populi; infundendo, scilicet, spiritum suum in eum, proculdubiò spiritum accensiuum populi ad seruitutem Dei, ad vendicandum se in libertatem, ad bellum.

Deus quomodo suscitauerit Hothnielem in Saluatorem populi.

Et iudicauit Israel.] Primus Iudex Israëlitici populi fuit Hothniel.

Hothniel, primus Iudex Israëlis.

Egressúsque est ad pugnam.] Ecce modus, quo saluauit Israel.

Et tradidit Dominus in manus eius Chusan Rishathaim, Regem Syriæ.] Legendum est, *Regem Aram.* Non intelligo personam Regis, sed exercitum eius traditum in manum Hothnielis. In cuius signum sequitur:

Et oppressit eum.] Iuxta Hebræum habetur *& roborauit manum eius super Chusan Rishathaim.* significatur enim, quòd Deus non solùm dedit victoriam aduersùs exercitum Regis Aram; sed etiam roborauit potentiam Hothnielis super Regem illum. Et hinc describitur effectus:

Vers. 11. *Quieuítque terra annis quadraginta.*] vsque, videlicet, ad mortem Hothnielis.

Et mortuus est Hothniel, filius Cenam.

Vers. 12. *Et addiderunt filij Israel.*] Proculdubiò prioribus peccatis. *Ad faciendũ malũ in oculis Domini, qui confortauit.*] Parum refert, quòd Hebraicè habetur: *Et roborauit Iehouah Heg-lon, Regẽ Moab, contra Israël, propterea quòd fecerant malũ in oculis Domini.* Proculdubio tanquàm instrumento iustitiæ suæ vtendo Rege illo, roborauit & animum, & vires eius ad bellum contra Israël.

Deus punit Israelitas.

Vers. 13. *Et copulauit ei filios Hammõ, & Hamalech.*] Nõ est perspicuũ in textu Hebraico, an Deo, an Regi attribuatur adunatio ista: nam potest legi, *& adunauit ei*: & tunc significatur Deus. & potest legi, *& adunauit sibi*: & tunc significaretur Rex. Prima tamen lectio magis quadrat, ad significãdum modum, quo Deus roborauit Regẽ Moab; videlicet, adiungẽdo illi Hammonitas, & Hamalecitas in fœdus: vt tutus vndique totum robur suũ conuerteret aduersùs Israël. Nõ enim scribitur, quòd cũ Hãmonitis, & Hamalecitis progressus fuerit ad bellum, sed duntaxat, quòd adunati sunt ei. Si quis tamen tanquàm auxiliares milites adunatos hos intellexerit, non errat.

Hammonitæ, & Hamalecitæ quomodo Regi Moab adunati.

Abiitque, & percussit Israelem, & possederunt ciuitatem palmarum.] Territorium Iericho significatur specialiter possessum, quia in eo collocauit præsidium militare Rex Moab ad continendum Israël sub seruitute.

Vers. 14. *Seruierunt filij Israel Heg-lon, Regi Moab, decem & octo annis.*] Hæc est secunda afflictio Israëlis maior priore: nam prima fuit octo annis, hæc autem decem & octo.

Licitè occiditur Tyrannus, qui non est dominus gentis.

prudens lector, quòd licitè occiditur tyrannus, qui non est dominus gentis, non solum à populo, sed etiam à quolibet populi: tanquam hostis publicus, habens continuè iniustum bellum aduersùs populum, violenter tenendo eum in seruitute.

Vers. 30. *Humiliatúsque est Moab in die illo sub manu Israel, & quieuit terra octoginta annis.*

Vers. 31. *Et post hunc fuit Samgar filius Hanat.*] Hic fuit tertius Iudex, qui modico tempore floruisse videtur.

Samgar fuit tertius Iudex.

Singulari numero multitudo describitur apud Hebræos.

Qui percussit Philistim sexcentos viros vomere.] Iuxta Hebræum habetur, *in stimulo bouis.* Hebraico more singularis numeri nomine multitudo describitur stimulorum: insurrexit enim hic cum aliis loco gladiorum, & lancearum habentibus stimulos bouinos, & percussit sexcentos Philistinos molestos Israeli.

Samgar cur inter Saluatores Israelis supputetur.

Et etiam ipse saluauit Israel.] Quanuis vnicum tantùm gestum, ab hoc referatur, inter saluatores tamen Israëlis in textu supputatur: quia eo tempore, quo rexit, seruauit populum ab oppressionibus exterorum.

CAPVT IV.

Vers. 1. ADIDERVNTQVE *filij Israel facere malum in conspectu Domini, post mortem Aioth.*] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et Ehud mortuus est.* significatur enim, quòd ipso mortuo reuersi sunt filij Israel ad malum. Et tam paruo tempore rexit Samgar, vt pro nihilo supputetur: & propterea solus Ehud dicitur mortuus.

Vers. 2. *Et tradidit illos Dominus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et vendidit eos Iehouah in manu Iabin Regis Chenahan.* Expone venditionem, vt suprà. Et est hæc tertia afflictio Israel sub potestate Iabin Regis Chanahan.

Qui regnauit in Chazor.] Hæc est ciuitas, quam combusserat Iosua: & reædificata fuit à Chananæis, in qua residebat Iabin Rex.

Et Princeps exercitus eius erat Sisera; ipse autem habitabat in Charoseth gentium.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ipse habitans in sylua gentium.* Pronomen, *ipse*, demonstrat Siseram Principem exercitus. Quis autem locus appellatur sylua gentium, non facilè hodie sciri potest.

Vers. 3. *Clamauerúntque filij Israel ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, & ipse oppressit Israelem vehementer viginti annis.*] Hæc tertia afflictio longior, tam prima, quàm secunda describitur, & meritò: quia peccata multiplicata erant.

Vers. 4. *Erat autem Delbora Prophetes.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et Debora mulier Prophetes, vxor Lapidoth.* Vbi scito, quòd dictio interpretata vxor propriè significat vxorem. Quod ideò annotauerim ne fallaris: erat enim verè vxor viri nomine Lapidoth.

Delbora fuit vxor Lapidoth.

Quæ iudicabat Israelem in tempore illo.] Officium Iudicis in mulierem translatum quarto loco describitur, honestando muliebrem sexum dono prophetiæ: hoc enim donum ratio fuit, vt ipsa esset Iudex Israëlis.

Propter prophetiæ Delbora fuit Iudex Israelis.

Vers. 5. *Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur.*] Palma, quæ vocabatur *Debora*, significatur: nam Hebraicè nihil aliud scribitur, quàm *sub palma Debora inter Ramam, & Beth-el in monte Ephraim.* Multitudo enim palmarum cognominata à Delbora habitatrice loci inferioris palmis significatur.

Et ascendebant ad eam filij Israël ad iudicium.

Quæ misit, & vocauit Barac filium Abinoham de Cedes Naphthali: dixítque ad eum: Nónne præcepit Dominus Deus Israël? Vade, & trahe in montem Thabor, & tolle tecum decem millia virorum de filiis Naphthali, & de filiis Zebulun. Vers. 6.

Et trahaam ad te ad torrentem Cison Siseram Principem exercitus Iabin, & currus eius, & multitudinem eius: & tradam eum in manum tuam. Vers. 7.

Dixítque ad eam Barac: Si veneris mecum, ibo: & si non veneris mecum, non ibo. Vers. 8.

Et dixit: Eundo ibo tecum: veruntamen non erit gloria tua tecum in via, qua ambulas; quia in manum mulieris vendet Dominus Siseram. Surrexítque Debora, & iuit cum Barac in Cedes. Vers. 9.

Qui congregauit Zebulum, & Naphthali.] Deficit, *in Cedes*: illic enim congregauit exercitum. Vers. 10.

Et ascendit cum decem millibus pugnatorum.] Iuxta Hebræum habetur, *& ascendit in pedibus suis cum decem millibus virorum.* pedestris enim exercitus significatur ascēdisse in montē Thabor.

Ascenditque cum eo Debora.

Heber autem Cineus recesserat quondam à cæteris Cineis fratribus suis filiis Obab cognati Moysi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Cheber Cineus fuit separatus à Cain, à filiis Chobab soceri Mosis, & tetendit tentorium suum vsque ad quercum in Zabanaim, quæ cum Cedes.* Narratur incidenter segregatio istius Cinei ab aliis, propter subsecutum euentum occisionis Siseræ apud istum. Nomina autem locorum, quorum hic fit mentio, quia ignota sunt nobis, perttranseo. Vers. 11.

Nunciatúmque est Sisera, quòd ascendisset Barac, filius Abinoham in montem Thabor. Vers. 12.

Et congregauit Sisera omnes currus suos, nongentos currus ferreos, & omnem populum, qui erat cum eo: de sylua gentium ad torrentem Cison. Vers. 13.

Dixítque Debora ad Barac: Surge: hæc enim est dies, in qua tradidit Dominus Siseram in manum tuam. Nónne Dominus egressus est ante faciem tuam? & descendit Barac de monte Thabor, & decem millia virorum post eum. Vers. 14.

Et perterruit Dominus Siseram, & omnem currum, ac omnia castra in ore gladij ante faciem Barac.] Iuxta Hebræum plusquam terror significatur, videlicet, quòd sic terruit, quòd reddidit eum attonitum, ita vt trucidarentur gladiis Israëlitarum, tanquàm attoniti versi in fugam. Vers. 15.

Terror Sisera qualis.

Descendítque Sisera de curru, & fugit pedibus suis.

Barac autem persecutus est currus, & castra vsque ad syluam gentium: & cecidérunt omnia castra Sisera in ore gladij, non remansit vsque ad vnum. Vers. 16.

Sisera autem fugit pedibus suis ad tentorium Iahel vxoris Cheber Cenei: quia erat pax inter Iabin Regem Chazor, & domum Cheber Cenei. Vers. 17.

Et egressa est Iahel in occursum Siseræ, dixítque ad eum: Declina, domine mi, declina ad me, ne timeas: & declinauit ad eam in tentorium, & operuit eum stragulo. Vers. 18.

Dixítque ad eam: Da bibere mihi, quæso, paululum aquæ: quia sitio. Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. Vers. 19.

Dixítque ad eam: Sta ad ostium tentorij: & erit, Si quis venerit, & interrogauerit te, & dixerit: Est-ne hic quisquam?

Dices, non. Et cepit Iahel, vxor Cheber, clauum tentorij, Vers. 20. Vers. 21.

tentorij, & posuit malleum in manu sua, & ingressa est ad eum clam, & infixit clauum in tempus eius, & confixit se interram, ipseque soporatus, & lassus mortuus est.

Vers. 22. *Et ecce Barac sequens Siseram: egressáque est Iahel in occursum eius, & dixit: Veni, & ostendam tibi virum, quem quaris. Intrauitque ad eam, & ecce Sisera cecidérat mortuus, & clauus in tempore eius.*

Vers. 23. *Humiliauitque Deus in die illo Iabin, Regem Chenahan, coram filiis Israël.*] Nomen est *Elohim*. Summo Iudici adscribitur humiliatio Iabin Regis, vtpote iusto iudicio effecta.

Vers. 24. *Et ibat manus filiorum Israël eundo, & dura erat contra Iabin Regem Chenahan, donec exciderent eum.*]

CAPVT V.

Vers. 1. CECINERVNTQVE *Debora, & Barac, filius Abinoam in die illo, dicendo.*] Præponitur Delbora, tanquàm principalior in constructione huius cantici: ipsa enim dono prophetiæ condidit illud.

Vers. 2. *Quia sponte obtulistis de Israël animas vestras ad periculum.*] Manca est litera: Hebraicè enim incipit canticum: *In soluendo solutionem in Israel, in esse spontaneum populum, benedicite Iehouah.* Inuitat enim ad laudandum fontem essendi in duobus beneficiis; videlicet, in vltione, quæ significatur per metaphoram solutionis, tanquam ipsa vltio sit solutio debiti inimicis. Alterum verò beneficium est libertas populi, significata per hoc, quod populus redditus est spontaneus ad pugnandum pro libertate: ac per hoc redditus est liber, ac spontaneus in suis rebus, ac operibus.

In duobus beneficiis laudatur Deus à Delbora, & Barac.

Vers. 3. *Audite, Reges; auribus percipite, Principes; ego sum, ego sum, qua Domino canam, psallam Domino Deo Israel.*] Iuxta Hebr. habetur: *Ego Iehouah, ego canam, psallam Iehouah Elohe Israel.* Et est dativi casus *Iehouah*. Sententia est clara.

Vers. 4. *Domine, cum exires de Sehir.*] Alludit ad dicta Mosis in principio benedictionis filiorum Israel Deut. 33. ibi enim dicit Moses, quod Dominus ortus est Israelitis de Sehir: quod ibi declarauimus. Commemorat itaque Delbora miracula facta tempore Mosis: & apparitiones diuinas in monte Sinai, tanquàm procedentes ex illa plaga cæli, sub qua est mons Sehir, describit, quod in lib. Exodi tacitum est: secundùm enim terribilem apparitionem dicitur: *Domine, dum exires de Sehir.*

Et transires per regiones Edom.] Legendum est iuxta Hebræum: *Dum ambularet ex agro Edom.* Explanatio est exitus: declaratur enim, quòd exiuit de Sehir ad montem Sinai per modum ambulantis ex regione Idumææ: species enim illa terribilis, quasi ambulans venit ex plaga cæli supra Idumæam ad locum supra montem Sinai.

Terra mota est.] Iuxta Hebræum habetur *Terra tremuit*. Ad literam enim mons Sinai tremuit, vt scribitur Exod. 19. iuxta Hebraicam veritatem.

Quomodo stillauit cœlorum vis intelligenda.

Cælique, ac nubes distillauerunt aquis.] Iuxta Hebræum habetur: *Etiam cæli stillauerunt, etiam nubes stillauerunt aquas.* Nullibi in libris Mosis scriptum est, nubes stillasse aquas: quod autem dicitur de stillatione cælorum, nisi ad manna referatur, nullibi etiam legitur, quandiu populus fuit in deserto. Veruntamen, quæ non sunt ibi scripta, hic supplentur: & pluuiæ datæ mirabiliter populo significantur.

Vers. 5. *Montes fluxerunt à facie Domini.*] Hoc verificatur (si contextus pareretur) de fluxu aquarum ex petra mirabiliter bis per Mosem effecto: aquæ enim illæ tanquam fluentes ex montibus significantur: vt quemadmodum niues fluunt ex superficie extrinseca montium; ita aquæ illæ ex internis montium fluentes significentur.

Montes fluentes quòd significent.

Et Sinai à facie Domini Dei Israel.] Iuxta Hebræum absque coniunctione habetur: *Iste Sinai à facie Iehouah Elohe Israel.* Et contextus quidem sonat, quòd appositiuè dicitur: *Montes fluxerunt. Iste Sinaï.* Veruntamen nescimus, quis fluxus fuerit corporeus in monte Sinaï: nisi metaphoricè applicetur fluxus ad fumum, ignémque, & sonitum buccinæ, quæ apparuerunt in monte Sinaï. Vel (quod contextui huic quadrat) suppletam intelligamus hîc pluuiam tacitam Exod. 20. ita quòd manifestetur hîc, quòd apparente Deo in monte Sinaï, non solùm ignis ardens, & fumus; sed etiam inter tonitrua, coruscationes, ac nubes, cæli per nubes stillauerint aquas pluuiæ, simúlque ex monte Sinaï fluxerint aquæ pluuiales. Hic enim sensus valdè consonat huic contextui; nec dissonat ab Exodo: quoniam perspicuum est ex Deuteronomio fuisse in eo tacita multa: & in descriptis nubibus obscuris cum tonitruis, & coruscationibus insinuatur implicitè pluuia in monte, cuius hîc mentio fit. Et hic est apud me sensus literalis.

Fluxus Sinaï quis fuerit.

Vers. 6. *In diebus Samgar, filij Hanath, in diebus Iahel, cessauerunt semitæ: & ambulantes per vias, iuerunt per semitas tortuosas.*] Post commemorata diuina opera mirabilia tempore patrum priscorum trâsit ad statum populi paulò ante hanc victoriam, vt opposita iuxta se posita magis eluceścant: ad hoc enim tempora Samgar commemorat, vt monstret disparitatem inter tempus Samgar, & tempus istius victoriæ. Quare autem iungatur tempus Iahelis, aliunde nescitur: hæc enim litera insinuat, quòd Iahel aliquo tempore concurrerit ad curam populi Israël; nam significatur, quod in diebus vtriusque (videlicet, Samgar, & Iahel) itinera non erant tuta, sed oportuit itinerantes per tortuosas incedere vias, vt effugerent hostes.

Vers. 7. *Cessauerunt fortes in Israël; & quieuerunt, donec surgeret Delbora, surgeret mater in Israël.*] Iuxta Hebræum habetur: *Cessauerunt villæ in Israël, cessauerunt: donec surrexi mater in Israel.* Narrat, quòd non solùm viæ cessauerunt ab officio suo, sed etiam villæ cessauerunt ab habitatione, antequàm ipsa regeret: eò quòd nec itinerantes irent tuti, nec in villis securè poterat habitari propter hostes.

Vers. 8. *Noua bella elegit Dominus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Eliget Elohim nouos.* Quod dixerat: *Donec surrexi Delbora mater in Israël.* modò reperit, sub officio Iudicis, manifestans se electam à Deo. Non libripsi, sed Deo tribuit hanc nouitatem, quòd mulier sit Iudex in Israël: hoc enim significatur dicendo: *Deus eliget nouos Elohim.* hoc est, nouos Iudices. Et vtitur plurali numero, vel propter adiunctum Barac, vel quia *Elohim* plurale est numeri, etiam quando ponitur pro singulari. Vtitur autem futuri temporis verbo, non relatiuè ad tempus cantici, sed relatiuè ad

Quòd Delbora fit Iudex in Israel, tribuit Deo.

ad tempus prærecitatum, quo & villæ, & viæ erant desertæ.

Et portas hostium ipse subuertit.] Iuxta Hebræum habetur: *Tunc oppugnauit portas.* Tempus electionis suæ describit amplius: describserat enim illud ex hoc, quòd tam vias, quàm villas inuenit desertas: describit modò illudmet ex hoc, quòd vsque ad portas ciuitatum veniebant hostes, ita quòd etiam intra portas ciuitatis existentes Israelitas oportebat se defendere aduersùs vexatores vsque ad portas discurrentes.

Tempus electionis Deboræ.

Clypeus, & hasta si apparuerunt in quadraginta millibus Israel.] Describit adhuc tempus electionis suæ, etiam ex hoc, quòd Israelitæ erant adeò inermes, vt nec vnus clypeus, aut vna lancea inueniri posset in Israël intra quadraginta millia hominum: ita rara raritas armorum describitur, vt supputato populo Israel, & supputatis armis, non inuenirentur tot arma, vt quadraginta millibus hominum responderet vnus clypeus, & vna lancea: describuntur enim per hoc Israëlitæ tunc inermes.

Armorum raritas describitur.

Vers. 9. *Cor meum diligit Principes Israël.*] Iuxta Hebræum habetur: *Cor meum ad Scribas Israël.* Descripto tempore, quo electa est, describit remedium, videlicet, quòd videns populum sic angustatum, & inermem, cor suum direxit ad doctrinam legis scriptam à Mose, & Iosua, quos appellat Scribas Israëlis.

Mosen, & Iosua, Scriba Israëlis.

Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia spontaneos se exhibent, in populo benedicite Iehouah.* Et est ordo literæ: Benedicite fonti effendi in populo: quia spontaneos se exhibent, obediendo diuino mandato promulgato per me, vt eant ad bellum contra Siseram.

Vers. 10. *Asinarum albarum equitatores.*

Qui ascenditis super nitentes asinos.] Iuxta Hebræum habetur: *Equitatores asinarum albarum.* Gens aliqua habens asinas albas inuitatur.

Et sedetis supra in iudicio, & ambulatis in via.] Iuxta Hebræum habetur: *Habitantes super Middim, & ambulantes in via.* Nomen loci est Middim.

Loquimini.] Magis quadrat, vt legatur, *canite.* inuitantur enim equitatores asinatum habitantes super Middim, & ambulantes per vias ad cantandum. E regione siquidem antedictorum temporum, quibus desertæ erant viæ, & villæ, describuntur viæ, & villæ iam redditæ securitati, & habitationi, viæ quidem inuitando ambulantes in via ad cantandum: villæ autem inuitando ad idem equitatores asinarum albarum habitantes super Middim.

Vers. 11. *Vbi collisi sunt currus, & hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur iustitiæ Domini, & clementia in fortes Israel.*] Iuxta Hebræum habetur: *A voce sagittatorum inter haustores aquarum, ibi conferẽt iustitias Iehouah, iustitias villæ eius in Israel.* Modus, quo Deus pugnauit pro Israël contra exercitum Regis Iabin, describitur præpostero ordine: nam priùs describta est securitas viarum, & villarum, quæ fuit effectus victoriæ, & postea describitur modus vincendi. Et intendit per vocem sagittatorum, tonitrua diuinorum fulminum in locis, vbi hauritur aqua: hoc est, iuxta torrentes, vbi superatus est exercitus Chananæorum: & propterea dicitur, quòd ibi conferent, commemorando iustitias Domini aduersùs Chananæos, & in specie iustitias vindicatiuas villarum suarum in Israël, quæ fuerant desertæ: vniuersa enim hæc inuitatio refertur ad habitatores villarum, & viatores. Deinde subditur:

Modus, quo Deus pugnauit contra Regem Iabin, describitur.

Tunc descendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatum.] Non habetur in Hebræo, *& obtinuit principatum:* sed declarata securitate viarum, ac villarum, declaratur libertas ciuitatum ex eadem victoria secuta: è regione enim eius, quòd dixerat oppugnari olim portas ciuitatum, manifestat redditam libertatem populis Israël eundi ad portas ciuitatum, in quibus sedebant senes, fiebant iudicia, &c.

Exurge, exurge, Debora, exurge, exurge, loquere canticum: surge, Barac, & apprehende captiuos tuos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et apprehende prædam tuam, fili Abinoham.* Non sunt hæc commonentis verba, sed cantantis res gestas cum exultatione narrando, ac si essent in facto. Vers. 12.

Saluata sunt reliquiæ populi.] Iuxta Hebræum habetur: *Tunc dominabitur reliquus in fortibus populi.* Et immediatè sequitur: Vers. 13.

Iehouah dominabitur in potentibus.] Effectus victoriæ describitur, quòd reliquus populus (qui, scilicet, relictus est ab oppressoribus) dominabitur super fortes Chananæos: & resoluendo rationem dominij in Deum, qui erat actor victoriæ, & dominij, subiungitur, quòd Deus dominabitur in potentibus Israëlitis super Chananæos.

Ex Ephraim deleuit eos in Hamalec.] Iuxta Hebræum habetur: *De Ephraim radix eorum in Hamalec.* Narrata victoria cum illius effectu ex diuino auxilio, narrat, qualiter se habuerunt Tribus Israël ad illud bellum: sic tamen, vt aliquas Tribus laudando (non quoad hoc) inferat pro communi lætitia, vt aliunde laudentur, quæ ex hoc facto laude carent. Et incipit à Tribu Ephraim, de qua erat ipsa Delbora: vt restatur habitatio eius scripta in præcedente capitulo. Laudat autem Tribum Ephraim, tanquàm non nouitiam ad huiusmodi opera bellica, eò quòd radix victoriæ bellicæ fuerit Iosua ex Tribu Ephraïm in prælio contra Hamalecitas in egressu de Ægypto. Et nominando radicem, insinuat exortos inde ramos tot victoriarum posteà contra Chananæos eiudem Iosuæ. Ac si apertiùs dixisset: Non est mirum, quòd ex Tribu Ephraïm prodiit hoc bellum: quoniam radix præliorum, & victoriarum ex illa fuit, ex quo cœperunt bella, à primo bello, videlicet, contra Hamalec. Vers. 14.

Laudatur Tribus Ephraim.

Et post eum in Beniamin in populos tuos, ô Hamalec.] Iuxta Hebræum habetur: *Post te, Beniamin, in populis tuis.* Nihilque dicitur de Hamalec. Et commendatur ad literam Tribus Benjamin, ex qua fuit Aioth, qui liberauit populum de manu Moabitarum: & propterea dicitur, *& post te Ephraïm;* hoc est, imitator tui fuit Benjamin in populis tuis liberandis de manu hostium.

Commendatur Tribus Benjamin.

De Machir Principes descenderunt.] Iuxta Hebræum non habetur, *Principes*, sed scribæ: Tribus enim Manassis, ex qua erat Machir, commendatur, quòd scribas produxerit; hoc est, sapientes ad regimen. Et ad literam meminit Machir, eò quòd (vt patet Num. vltimo) filij Machir consuluerunt moderamen legis de nuptiis filiarum hæredum; videlicet, vt nuberent suis propinquis, ne hæreditates sortium confunderentur.

Tribus Manassis Scribas produxit, vnde laudatur. Scriba qui erat.

Et de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et de Zebulun tractores in stylo Scriba.* Ignotæ nobis histo-

riæ inducunt ad intelligendum, quòd Tribus Zabulon laudetur in arte scribendi, tanquàm aliis præstaret in hoc. Aduerte, prudens lector, quòd hinc habes per modum laudis commemorari à Delbora hæc, quæ impertinentia videntur: ex hoc enim, quòd Tribus Zabulon, quam perspicuum est ad bellum hoc concurrisse, prælaudatur de arte scribendi, insinuatur, quòd reliqua, quæ de aliis Tribubus commemorantur, non nisi laudabiliter commemorentur. Et rationi consentaneum est, vt Delbora Iudex (ac per hoc persona communis vniuerso Israëli) in publica laude illarum trium Tribuum, quæ affuerunt, ne inuidiam excitaret in aliis Tribubus (ac per hoc dissensionem) laudes aliarum Tribuum pro bono pacis inseruerit.

In arte scribendi præstabat Tribus Zabulon.

Delbora cur omnes Tribus laudauerit.

Vers. 15. *Duces Isachar fuêre cum Delbora, & Barac vestigia sunt secuti.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et Principes in Isaschar cum Debora, & Isaschar.* Significatur enim, quòd non solùm Principes Tribus Isachar, sed etiam ipsa Tribus Isachar conuenerunt cum Delbora. Deinde immediatè subiungitur.

Sic Barac in vallem fuit missus in pedibus suis.] Hinc clarè apparet, quòd quando Barac descendit de monte Thabor cum decem millibus ex Nephthalim & Zabulon, concurrerunt in valle Principes Isachar cum multitudine ex Tribu illa: hoc enim significatur dicendo: *Sic Barac missus fuit in vallem.* aduerbium siquidem *sic*, ad conuentum Isachar refertur.

Diuiso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.] Iuxta Hebræum habetur: *In elongationibus Reuben magna scriptiones cordis.* Quia Rubenitæ separabantur flumine ab aliis Israëlitis in terra promissionis, ideò in elongationibus describuntur: & quia viri erant multum meditantes, ideò laudantur, quòd erant magni scriptores in cordibus: figebant enim cordibus propriis cogitamina sua.

Rubenitæ erãt multùm meditantes.

Vers. 16. *Quare habitasti inter duos terminos?*] Iuxta Hebræum habetur: *Vt quid habitasti inter confinia? ad audiendos sibilos gregum.* Lege 32. caput Numeri; & inuenies, Rubenitas petiisse habitationem in confinibus propter multitudinem gregum, quibus pascendis apta erat terra illa: & propterea commemorantur in confinibus ad audiendum sibilos gregum. Nec dicitur, *vt quid*, ad denotandum vanitatem, aut quancunque ignominiam, seu reprehensionem: sed cùm per modum interrogantis dictum fuisset: Vt quid habitasti inter confinia? subiuncta est responsio, ad audiendum sibilos gregum: ratio enim habitandi inter confinia, redditur copia magna animalium; ita quòd ad laudem opulentiæ Rubenitarum hoc spectat.

Rubenitæ inter gregum opulenti erant.

Diuiso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.] Iuxta Hebræum habetur: *In elongationibus Reuben magna scrutinia cordis.* Sententia eadem est cum priore: exaggerando enim laudatur Ruben circa cordis meditationes: quod ad laudem confilij spectat.

Vers. 17. *Galaad trans Iordanem quieuerat.*] Legendum est: *Ghilhad trans Iarden habitauit.* Ghilhad nomen est filij Machir, filij Manassis, de quo nihil aliud dicitur, nisi quòd trans Iordanem habitauit: iungitur enim cum Rubenitis.

Et Dan vacabat nauibus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Dan quare habitabit in nauibus.* Quasi dicat, non frustrà habitat iuxta mare mediterraneum, & maritimis lucris attendit.

¶ *Aser habitabat in littore maris, & in portubus morabatur.*] Iuxta Hebræum habetur: *Aser habitauit in portu maris, & super fracturas eius castrametabitur.* Fracturas maris appellat collisiones vndarum maris: laudatur enim, quòd negotiatur nauigando, non obstantibus marinis collisionibus.

Aser à negotiatione laudatur.

Zabulon verò, & Nephthalim obtulerunt animas suas morti in regione Meromæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Zebulum populus dehonestauit animam suam ad moriendum; & Naphthali, super celsitudines campi.* Laudantur istæ duæ Tribus, quòd dehonestationi exposuerunt vitam suam, cùm decem millia ex eis ascenderunt in montem Thabor: est enim sensus, quòd secundùm humanum iudicium non solùm exposuerunt vitam suam morti; sed etiam opprobrio, quòd tam pauci pedites contra tantum exercitum, & tam validum se erigerent. Et ex hoc magis commendantur, tanquàm fidentes diuino auxilio.

Vers. 18.

Zebulon, & Nephthali exposuerunt animam suã non morti solùm, sed opprobrio.

Venerunt Reges, pugnauerunt, tunc pugnauerunt Reges Chenahan in Thanac iuxta aquas Magiddo: & tamen nihil tulêre prædantes.] Vel plurale ponitur pro singulari (eò quòd Iabin Rex virtualiter æquiualebat pluribus Regibus,) vel milites à pluribus Regibus concurrerunt.

Vers. 19.

De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Siseram pugnauerunt.] Iuxta Hebræum habetur: *E cælis pugnauerunt stellæ: de gradibus suis pugnauerunt cum Sisera.* Pugna stellarum creditur coruscationibus, grandinibus, & huiusmodi fuisse. Et adiungitur, *de gradibus suis*, hoc est, absque mutatione cursus sui: ne intelligeretur, quòd stellæ passæ fuerint simile aliquid fixioni Solis, & Lunæ, tempore Iosuæ.

Vers. 20.

Stellarum pœna cum Sisera quomodo facta.

Torrens Cison traxit eos, torrens Cedumim, torrens Cison.] Et hinc apparet, quòd tanta aduersùs hostes erupit pluuia, vt torrens aqua plenus traxerit cadauera eorum. Nec sis sollicitus de nominibus torrentium, quia ignota sunt nobis.

Vers. 21.

Pluuia maxima.

Conculca anima mea robustos.] Iuxta Hebræum habetur: *Diriges anima mea fortitudinem.* Vox est Prophetissæ interponentis desiderium suum, vt semper anima populi dirigat fortitudinem; hoc est, non obliquet fortitudinem à Deo vero in Deos gentium; sed semper fortitudinem suam locet in vero Deo: hoc est enim verè dirigere fortitudinem.

Fortitudinem precatur populus Delbora.

Vngulæ equorum ceciderunt: fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortissimis hostium.] Iuxta Hebræum habetur: *Tunc calcaueï equorum fregerunt: à calcationibus, calcationibus fortium suorum.* Describitur enim, quòd fortes Chananæi etiam hac pœna mulctati sunt, quòd calcati sunt à propriis equis, fractique pedibus equorum suorum.

Vers. 22.

Equi Chananæi calcarunt.

Maledicite Meroz.] Ex hoc quòd reprehenditur sola terra Meroz, eò quòd non venerit in adiutorium populo Israël, insinuatur, quod superius diximus; videlicet, quòd non reprehensiuè commemorantur aliæ Tribus Israël in hoc cantico, quæ non scribuntur conuenisse ad bellum hoc. Et ratio diuersitatis videtur esse: quia istæ aliæ Tribus non fuerunt requisitæ; habitatores autem Meroz requisiti, noluerunt opem ferre.

Vers. 23.

Dixit Angelus Domini.] Seipsam appellat Delbora

Angelũ Dei seipsam vocat Deborа, & cur.

Delbora Angelum Domini, eò quòd tanquam nuncius Dei maledictionem aduersùs Meroz proferebat. Posset nihilominùs intelligi Barac, eò quòd fuerit nuncius Dei ad congregandum exercitum pro liberatione populi. In idem autem redit, si quis *Angelum Iehouah* intelligat Angelum, qui reuelabat Deboræ agenda. Et hic sensus quadrat Hebraicæ literæ, in qua non est articulus genitiui casus *Iehouah*: sed solito more describendi verè Angelos Dei, scribitur hic, *Angelus Iehouah*: tanquàm appositiuè dicremus, Angelus Deus; hoc est, agens personam Dei; hoc est, Deus in suo Angelo; quanuis Interpretes communiter vbique transferant, *Angelus Domini.*

Maledicendo maledicite habitatoribus eius: quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia non venerunt in adiutorium Iehouah, in adiutorium Iehouah in fortibus.* Habebant enim habitatores Meroz viros fortes: & quia non venerunt cum fortibus viris, maledictione dignos se reddiderunt. Et in hoc tangitur disparitas inter istos, & Tribus Israel, quæ non conuenerant: eò quòd apud istos essent viri fortes potentes ad bellum; apud Tribus autem illas non erant, sed erant vacantes gregibus alendis, vel maritimis exercitiis, & huiusmodi aliis: vt in hoc cantico prætercitatum est ad excusandos eos. Reliqua huius capituli correctione aliqua indigerent, sed quoniam materia valde tenuis est, pertranseo.

Vers. 24. *Benedicatur inter mulieres Iahel, vxor Gheber Cinei inter mulieres in tentorio benedicatur.*

Vers. 25. *Aquam petenti lac dedit: in phiala Principum obtulit butyrum.*

Vers. 26. *Manum suam ad clauum misit, & dexteram suam ad malleum fabrorum. & percussit Siseram, abscidit caput eius, & perfodit, & incidit tempus eius.*

Vers. 27. *Inter pedes eius incuruatus est: cecidit, dormiuit: inter pedes eius incuruatus est, cecidit, vbi incuruatus est, ibidem vastatus.*

Vers. 28. *Per fenestram respiciens vlulabat mater Sisere, & de cancello loquebatur: Cur moratur regredi currus eius? Cur tardauerunt pedes quadrigarũ eius?*

Vers. 29. *Sapientes domicellæ eius responderunt ei: etiam ipsa respondit verba sua:*

Vers. 30. *Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei: vestes diuersorum colorum Sisere traduntur in pradam, & supellex varia ad ornandum collum congeritur.*

Vers. 31. *Sic pereant omnes inimici tui, Domine: qui autem diligunt te, sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent.*

Vers. 32. *Quieuitque terra quadraginta annis.*

CAPVT VI.

Vers. 1. ECERVNT autem filij Israel malum in oculis Domini: & tradidit eos Dominus in manum Madian septem annis. Minus (vt reor) malũ fecerunt, quàm patres eorum: & propterea non dicitur: Et addiderunt ad faciendum malum. sed *fecerunt malum*: nec dicitur, quòd vendidit eos, sed *dedit eos Iehouah in manum Madiam.* & tempus pœnæ breuius scribitur; videlicet, septem annorum. Et est hæc quarta afflictio populi.

Quarta afflictio Israelis.

Vers. 2. *Et inualuit manus Madian super Israel: a facie Madian fecerunt sibi filij Israel antra in montibus, & speluncas, & munitiones.*

Vers. 3. *Et erat, si serebat Israel, ascendebat Madian, & Hamalech: & filij Cedem ascendebant contra eum.*

Vers. 4. *Et figebant tentoria contra eos, & sicut erant in herbis, cuncta deuastabant.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et destruebant prouentum terræ vsque ad introitum Hazze: & non relinquebant victum in Israel non ouem, non boues, non asinos.*

Vers. 5. *Ipsi enim, & greges eorum ascendebant cum tentoriis suis, veniebantque tanquàm locustæ in multitudine, & ipsorum, & camelorum eorum non erat numerus: & veniebant in terram ad deuastandum eam.*] Isti, qui hodie appellantur Arabes discurrentes in curribus cum vxoribus & filiis, modò hìc, modò illic, castrametantes, & alienas messes secantes, & cætera, aut similes eis describuntur: viuunt enim alienis sudoribus, & conculcant omnia, quæ non rapiunt.

Midianitæ Arabibus assimilantur.

Vers. 6. *Humiliatusque est.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et attenuatus est Israel valdè à facie Madian.* In rebus exterioribus punitus valdè est.

Vers. 7. *Et clamauit ad Dominum, postulans auxilium contra Madianitas.*

Vers. 8. *Qui misit ad filios Israel virum Prophetam.*] Ne intelligeremus Angelum, manifestè dicitur virum Prophetam, quanuis nesciamus, quis fuerit iste sanctus vir veri Dei Propheta.

Vers. 9. *Dixitque ad eos: Sic dixit Dominus Deus Israël: Ego ascendere feci vos ex Ægypto, & eduxi vos de domo seruitutis.*

Et liberaui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium opprimentium vos: expulique eos à facie vestra, & dedi vobis terram eorum.

Vers. 10. *Et dixi vobis: Ego Dominus Deus vester, non timeatis Deos Emoræorum, in quorum terra habitatis: & noluistis audire vocem meam.*

Vers. 11. *Venit autem Angelus Domini.*] Vide benignitatem diuinam: prius misit Prophetam ad filios Israël, vt præpararet populum ad diuinum beneficium: deinde mittit Angelum ad Gedeonem.

Benignitas diuina notatur.

Et sedit sub quercu, quæ erat in Ophra, & pertinebat ad Ioas patrem Hezritarum.] Ex hoc, quòd sedit, manifestè patet, quòd in specie sensibili in forma humana apparuit Angelus iste. Nec sit tibi cura de proprietate arboris: Hebraicè enim habetur, non quercus, sed ela.

Angelus apparuit in specie sensibili Gedeoni.

Ghidhonque filius eius excutiebat frumenta in torculari, vt fugeret Madian.] Legendum est, *vt faceret fugere a facie Madian.* Significatur, quòd occultè excutiebat frumenta in torculari, ne caperentur à Madianitis.

Vers. 12. *Et apparuit ei Angelus Domini, dixitque ad eum.*] Non solùm describitur Angelus sedens sub ela, etiam quòd fuit visus ab ipso Gedeone, & quòd allocutus est Gedeonem.

Dominus tecum, virorum fortissime.] Iuxta Hebræum habetur: *Vir fortitudinis.* Ita tamen, quòd viri nomine non intelligas virum communiter, sed virum eximium. Salutatur siquidem ab Angelo, tum à coniunctione Dei dicendo, *Iehouah tecum*, tum à præcipua fortitudine, dicendo, *vir fortitudinis.*

Vir fortitudinis, vir eximius.

Vers. 13. *Dixitque ei Ghidhon: Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur ergo apprehenderunt nos hæc omnia?*] Hinc apparet quòd Gedeon cœpit suspicari, quòd Angelus, seu Propheta Domini salutasset eum: & ex ipsa salutatione argumentum sumpsit interrogandi causam tantorum malorum, quæ patiebantur à Madianitis. Admirabatur

Deum esse cum Israelitis, & eos mala pati mirabatur Gedeon.

batur enim, quòd starent simul duo hæc; videlicet, Deum esse cum eis, & pati eos tot mala: intellexerat enim verbum Angeli non solùm relatiuè ad personam propriam, sed ad populum: & propterea dicit: *Si Dominus est nobiscum.*

Et vbi sunt omnia mirabilia eius, quæ narrauerunt nobis patres nostri dicendo: Nónne de Ægypto eduxit nos Dominus? nunc dereliquit nos Dominus, & tradidit nos in manum Midian.] Reddit rationem interrogationis suæ ex effectibus contrariis; videlicet, quòd Deus fecit tot mirabilia pro populo, quando erat cum eis; nunc autem dereliquit eos sub potestate Madianitarum.

Vers. 14. *Respexitque ad eum Dominus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et vertit Iehouah ad eum.* Situs mutatio describitur: insinuatur enim, quòd sedens Angelus non secundùm rectæ lineæ prospectum ante faciem suam habebat Gedeonem; sed vel ad dexteram, vel ad sinistram: & propterea scribitur, quòd vertit; proculdubiò faciem versùs Gedeonem intuendo ipsum. Et qui priùs nominatus est Angelus, nunc nominatur Iehouah: quia Dei personam agebat.

Cur Angelus nominatus Iehouah.

Et ait: Vade in fortitudine tua ista, & saluum facies Israel de manu Madian.] Non dicit: Vade in fortitudine tua. sed adiungit pronomen, *ista:* ad insinuandum, quòd de fortitudine fiduciæ in Deo, de fortitudine Gedeonis innixa Deo loquitur. Professus enim erat Gedeon, à Deo fuisse salutem patrum, & à Deo fuisse se traditos in manum Madian, & mirari, quòd Deus sit cum eis, & non liberet eos: in hac ergo fortitudine liberaturus dicitur Israëlem.

Scito, quòd miserim te.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *An non misi te?* Interrogatiuè legendum est, ad affirmandum, quòd misi te. Tacitæ siquidem obiectioni, qua authoritate ibo: respondet, quòd ego misi te. Et non dicit, mitto, sed *misi*, ad manifestandum, quòd olim elegerat ipsum & disposuerat, vt iret ad liberandum populum.

Gedeon fuerat olim electus à Deo, ad liberandum populũ.

Vers. 15. *Quæ respondens ait. Obsecro, mi Domine.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Adonai, in quo liberabo Israël.* Pensantis seipsum, tum ex qualitate sortis suæ, tum ex propria persona verba sunt.

Ecce familia mea infima est in Manasse.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce millenarius meus pauper in Manasse, & ego paruus in domo patris mei.* Nec sociorum diuitiæ, nec authoritas propriæ personæ suppetit tanto operi. Vt intelligas textum, recole, quòd populus Israël distinctus erat per Tribus duodecim: & quælibet Tribus erat distincta primò per millenos, posteà per centenos, posteà per quinquagenos. Gedeon itaque de Tribu Manassis citat paupertatem sui millenarij, sub quo comprehendebantur, & centeni, & quinquageni.

Tribus Israël quomodo erant distincta.

Vers. 16. *Dixitque ad eum Dominus: Quia ero tecum: percutiesque Madian quasi virum vnum.*

Vers. 17. *Et ait ad eum: Si inuenì gratiam in oculis tuis, da mihi signum, quòd tu sis, qui loqueris ad me.*] Iuxta Hebræum habetur: *Fac mihi signum, quod tu loqueris mecum.* Opinatus Gedeon, illum, qui loquebatur secum diuina authoritate fultum (dicendo: Ego misi te, ego ero tecum, & percuties Madianitas, tanquam virum vnum) esse Angelum, vel Prophetam Dei, quærit fieri certior petens ab eo signum. Vbi, prudens lector, libra verba, & facta. Verba sonant signum non alicuius rei occultæ, sed manifestæ ipsi Gedeoni: videlicet, quòd tu loquens mecum. Non dicit, quòd tu sis Deus, vel Angelus Dei; sed quòd tu loquens mecum. Similiter facta Gedeonis non sonant sacrificium (vt vulgata habet editio, sed munus: subiungitur enim Hebraicè:

Ne, quæso, recedas hinc, donec veniam ad te, & educam munus meum, & ponam coram te.] Hæc enim, vt allata testantur, sonant prandium, non sacrificium. Signum itaque firmi, ac benefici sermonis petit sibi fieri expectando prandium de manu ipsius Gedeonis. Nec dissonat à suspicione (seu etiam opinione) quòd esset Angelus Dei oblatio prandij: quoniam vulgatum erat apud Hebræos, Angelos in domo Abrahæ pransos fuisse: nec Gedeon idiota sciebat tot subtilitates, quòd Angeli non verè comederent, sed in corporibus assumptis exercerent opera similia operibus vitalibus: comedere, bibere, & ambulare, &c. Quemadmodum igitur Angeli apud Abraham, & apud Lot signum familiaris firmi, ac benefici colloquij exhibuerunt facto comedendi & bibendi; ita Gedeon incertus adhuc quis ille esset diuino nomine tanta promittens, petit pro signo familiaris, firmi, ac benefici colloquij, vt expectet prandium de manu sua. Vers. 18.

Qui respondit: Ego præstolabor aduentum tuum.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Ego sedebo, donec reuertaris.* Sicut apparuerat sedens, ita expectaturum se dixit.

Ingressus est itaque Ghidhon, & coxit hœdum, & de modio farinæ azymos panes.] Hebraicè habetur: *Et fecit hœdum caprarum, & modium farinæ azymorum.* Subiuncta de iure carnium, manifestant, quòd lixauit hœdum: azymos autem coxit panes, vt celeriùs perficeret. Et hinc habetur, quòd non in sacrificium, sed in prandium parauit hæc: non enim carnes coctæ portabantur ad sacrificandum, sed adeps cremabatur in primis Deo, & deinde coquebantur carnes: hic autem nulla fit mentio adipis; sed duntaxat, quòd carnes elixas, & panem, & ius carnium detulit. Vers. 19.

Carnes posuit in canistro, & ius carnium posuit in olla: & tulit omnia sub quercu, & obtulit ei.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eduxit ad eum sub ela, & appropinquauit.* Et est sensus, quòd ad Angelum sub ela sedentem eduxit ea, & appropinquauit ad eum: ita quòd non significatur, quòd posuerit res illas sub ela: sed quòd ipse accesserit propiùs ad Angelum: rationabile siquidem est, quòd cum seruis, seu ancillis deferentibus res venerit, & ipse propiùs accesserit monstrans prandium paratum.

Cui dixit Angelus Dei.] Iuxta Hebræum habetur, *Angelus Elohim.* Non sine mysterio fuit hæc mutatio nominum. retributurus siquidem quasi mercedem oblati prandij, nomen *Elohim* induit: iustitiæ enim opus est retributio. Vers. 20.

Nomina cur hic mutẽtur.

Tolle carnem, & azyma, & pone ad petram hanc, & ius carnium effunde.

Et fecit sic. Extenditque Angelus Domini.] Hebraicè habetur, *Angelus Iehouah.* Gratiam miraculi à fonte effendi procedere ipsa nominis mutatio significat. Vers. 21.

Summitatem virga, quam tenebat in manu sua.] Iuxta Hebr. significatur baculus, quo vtimur ad sustentandũ. Et hinc innuitur, quòd viatoris, vel senis habitũ præ se ferebat Angelus vtẽs baculo.

Tetigitque

Tetigitque carnem, & azyma: & ascendit ignis de petra, & carnem, azymáque consumpsit: Angelus autem Domini euanuit.] Iuxta Hebræum habetur: *Iuit ab oculis eius.* subiuncta enim manifestant, quòd non repentè euanuit; sed statim agnitus ire cœpit, proculdubiò versus cælum.

Vers. 22. *Vidénsque Gedeon, quòd esset Angelus Domini.*] Restitùs texitur Hebraice: *Et vidit Ghidhon, quòd Angelus Iehouah ipse.* Ex miraculo ignis ascendentis de petra, & consumentis carnes, & panes, agnouit Gedeon, quòd ille, qui loquebatur secum, erat Angelus Iehouah.

Et dixit Ghidhon: Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Heu me Adonai Iehouah, quod super sic vidi Angelum Iehouah facie ad faciem.* Quia dixerat Deus Mosi: *Non videbit me homo, & viuet.* vulgatum erat, quòd ille, cui apparuisset Deus visibiliter, citiùs moreretur: & propterea Gedeon timens mortem, dixit: *heu me,* (clamando ad Deum,) *quia super sic*; hoc est, quia propterea vt morerer, vidi Deum quasi nuncium facie ad faciem.

Vers. 23. *Dixitque ei Dominus.*] Hebraïcè habetur: *Et dixit ei Iehouah: Pax tibi, ne timeas, non morieris.* Illemet Angelus nomen Dei induit: quia à fonte essendi, & vita, & pax nostra procedit. Et hinc habetur, quòd Angelus non penitùs recesserat, statim vt Gedeon agnouit eum: sed timenti mortem locutus est, Hebraico more dicendo: *Pax tibi.* (significant enim pacis nomine sospitatem, salutem, & huiusmodi bonorum collectionem:) timorem exclusit mortis, & sic iuit: ita quòd cùm primum Gedeon cognouit illum esse Angelum, & Angelus incepit recedere, & Gedeon incepit dolere, & recedendo Angelus consolatus est eum.

Hebræi pacis nomine multorum bonorum collectionem significant.

Vers. 24. *Ædificauitque ibi Ghidhon altare Domino.*] Non insolito Scripturæ more priùs narratur factum, & deinde causa, & modus faciendi: altare siquidem hoc fuit ædificatum non tunc, sed post reuelationem subsequentem: sed ratione nominis prænarratur hic. Nec dicitur, *& ædificauit tunc*; sed dicitur, *& ædificauit ibi*, videlicet, in lapide illo, ex quo exierat ignis.

Scriptura priùs narrat factum, & deinde causam, & modũ faciendi.

Vocauitque illud, Dominus pax.] Hebraïcè habetur: *Iehouah pax vsque ad diem hanc.* Ex eo, quòd Deus ibi dixerat ei: *Pax tibi: non morieris.*] ideò altari nomen imposuit à diuina pace.

Altare à Gedeone erectũ vocatur, Domini pax.

Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Hezri.] Iuxta Hebræum habetur: *Adhuc ipse in Hophrat patris Hezritarum.* Non est vtiquaque clarum, an pronomen, *ipse*, demonstret Gedeonem, vt Interpres vulgatæ editionis intellexit; an demonstret altare, vt alij Interpretes intelligunt: contextus enim fauet huic secundo intellectui: eò quòd immediatè subiungitur.

Vers. 25. *Et fuit in nocte ipsa.*] Ex eo enim, quòd nocte immediatè sequente describitur hæc reuelatio, satis manifestatur, quòd Gedeon erat ibidem, nec oportuit dicere, quòd adhuc erat ibi.

Species prophetiæ, audire in somno Deum.

Et dixit ad eum Iehouah.] Nocturna hæc locutio dormiente Gedeone intelligitur: inter species enim prophetiæ non infimum tenet locum, audire in somno alloquentem sibi Deum.

Tolle taurum bouis, qui est patri tuo.] Adiungitur, *bouis*, ad differentiam tauri bubalorum.

Et alterum taurum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et taurum secundum septem annorum.* Subiuncta de vnius duntaxat tauri immolatione mouent me ad intelligendum verba hæc expositiuè: vt non duo tauri, sed vnus duntaxat tollendus præcipiatur, qui appellabatur secundus, & erat annorum septem: suspicor enim, quòd à prosperitate appellatur secundus taurus ille, qui alebatur pro sacrificio prosperitatis iuxta superstitiones Ethnicorum.

Taurus secundus *quid significet.*

Destruésque aram Bahal, quæ est patri tuo; & nemus, quod circa Aram est, succide.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quercum, quæ super ipsam, succides.* Altare enim Bahal erat sub quercu.

Et ædificabis altarè Domino Deo tuo.] Priùs narrata fuit ædificatio istius altaris, & modò narratur præceptum ædificandi: nunc ordo rei gestæ scribitur; priùs verò res ipsa sine ordine scripta est. Vers. 26.

In summitate petræ huius, super quam antè sacrificium posuisti.] Iuxta Hebr. parcissimè scribitur: *Super verticem fortitudinis huius in ordinationem.* Facile est intelligere, quid significetur dicendo in ordinationem: mandatur enim, vt ædificetur altare secundùm ordinationem legis Mosis; videlicet, ex terra, seu lapidibus, quos ferrum non tetigit. Sed quod dicitur, *super verticem fortitudinis istius*, non facilè patet. Antiquus Interpres intellexit lapidẽ illum, in quo fuerat oblatum sacrificium. Et quia nescimus situm loci illius, & demonstratio fit ad sensum, à ratione alienum non est, vt intelligi possit, quòd lapis, vnde ascendit ignis, rupes erat: & propterea hîc dicitur, *super caput fortitudinis istius*; hoc est, super caput istius rupis, à fortitudine denominatæ; vel, quia durissimus lapis erat; vel, quia arcis fundamentum, seu vices præ se ferebat. Et iuxta hunc sensum mandatur, quòd in summitate illius rupis ædificetur Deo vero altare secundùm ordinem legis.

Super verticem fortitudinis istius, *quid significent.*

Tollésque taurum secundum.] Nulla fit mentio alterius tauri.

Et ascendere facies holocaustum.] Aduerte, prudens lector, quòd Deus præcipit duo contra legem Mosis: alterum ædificari altare extra locum, vbi erat tabernaculum diuinũ: alterum, offerri ibi holocaustũ à non Sacerdote, seu Leuita.

Duo contra legem Mosis præcepit Deus Gedeoni.

Super struem lignorum, quæ de nemore succideris.] Iuxta Hebræum habetur: *In lignis quercus, quam succides.* Super ligna quercus Bahal præcipit offerri holocaustum.

Tulitque Ghidhon decem viros de seruis suis, & fecit sicut locutus est ad eum Dominus: timens autem familiam patris sui, & viros ciuitatis, in die non fecit, sed in nocte. Vers. 27.

Cumque surrexissent viri ciuitatis manè, viderunt destructam aram Bahal, quercúmque succisam: & taurum secundum impositum super altare, quod tum ædificatum erat. Vers. 28.

Dixerúntque ad inuicem: Quis fecit hoc? Cúmque perquirerent authorem facti, dictum est: Ghidhon filius Ioas, fecit hoc. Vers. 29.

Et dixerunt viri ciuitatis ad Ioas: Educ filium tuum, & moriatur: quia destruxit aram Bahal, & succidit quercum, quæ erat iuxta illam. Vers. 30.

Quibus ille respondit: Nunquid vltores estis Bahal, vt pugnetis pro eo? Qui aduersarius est eius, moriatur, antequàm lux crastina veniat: si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Num vos litigabitis pro Bahal?* Vers. 31.

Bahal vnum vos facietis saluare eum? Qui litigabit in eum, moriatur vsque mane: si Elohim ipse, litigabit in eum, quia destruxit altare eius.] Tria dicit ad retrahendum homines ab impetitione filij: primum, quòd non spectat ad eos vindicare Bahal: deinde imprecatur mortem actori criminis infra breuissimum tempus: & demum authorem mortis imprecatæ implorat ipsum Bahal. Et quoniam hæc verba sedarunt impetum populi, intelligenda sunt affectu condolentis dicta, & reuerenter reseruantis causam vindictæ ipsi Bahal; at si apertiùs promisisset, quòd Bahal faciet vindictam celerrimè.

Tribus rationibus impetum populi repressit Ioas.

Vers. 32. *Et vocauit eum in die illa Ieroboal.*] Legendum esset, *Ierubbahal dicendo.* Et ratio nominis compositi in litera subditur sententia patris: componitur enim nomen hoc ex *lite*, & *Bahal*: dixerat enim pater; *Litigabit in eũ Bahal, quia diruit altare eius.* hoc est, pugnabit aduersùs eũ Bahal, &c.

Vers. 33. *Igitur omnis Mid-ian, & Hamalec, & orientales populi congregati sunt simul: & transeuntes Iordanem.*] Interpres addidit, *Iordanem*, pro claritate literæ: ingressi enim significantur terram promissionis.

Castrametati sunt in valle Iezrael.] Legendum esset, *Izrehel.* Nomen est proprium.

Vers. 34. *Spiritus Domini quomodo induit Gedeonem.*

Spiritus autem Domini induit Ghidhon.] Describitur spiritus diuinus instar indumenti Gedeonis, ad significandum, quòd exterioribus signis apparuit Gedeon, tanquàm actus, & motus a diuino Spiritu: reluxit siquidem in eo diuinus Spiritus, quemadmodum in induto veste regia relucet regius fauor.

Et clanxit tuba, & congregata est domus Abiezer post eum.

Vers. 35. *Misitque nuncios in totum Menassem, qui & ipse secutus est eum, & nuncios misit in Aser, & in Zeoulum, & in Naphthali, qui ascenderunt in occursum eorum.*

Vers. 36. *Dixitque Ghidhon ad Deum.*] Nomen est Elohim, eò quòd ad Deum tanquàm ad gubernatorem recurrit.

Si saluas per manũ meam Israel, sicut locutus es:

Vers. 37. *Ecce ego statuo vellus lanæ in area: si ros fuerit ad vellus tantum, & super totam terram fuerit siccitas, sciam, quòd saluum facies Israel per manum meam, sicut locutus es.*] Quòd non pro seipso, sed pro populo petiit Gedeon huiusmodi signum, (& propterea non peccauit, nec tentauit Deum: sed pro vtilitate populi, vt securus sequeretur illum ad bellum, petiit signum,) infinuatur in primis ex eo, quòd fuit petitio signi congregato iam exercitu: deinde, quòd ipse Gedeon reperit indubiè Deum hoc dixisse: non ergo vt ipse nosset, (qui iam nouerat,) sed vt populus sciret, signum petiit.

Cur signum petierit Gedeon, & an peccauerit.

Vers. 38. *Et fuit ita, & surrexit in crastino, & expresso rore de vellere, concham impleuit aqua.*

Vers. 39. *Dixitque Ghidhon ad Deum.*] Nomen est Elohim ob dictam rationem.

Ne irascatur furor tuus in me, & loquar tantùm semel.] Et hinc tertiò apparet, quòd humiliter petebat, quemadmodum Abraham: & quòd charitate motus erga populum, petebat secundum signum futuræ victoriæ.

Tentabo, obsecro, tantum semel in vellere: sit, obsecro, siccitas ad vellus tantùm, & super totam terram sit ros. Ad satisfaciendum populo experimentum iterum in vellere petit: fortè enim opponebant aliqui, quòd casu acciderat primum signum.

Cur secundum signum petierit.

Vers. 40. *Fecitque Deus sic in nocte illa: & fuit siccitas ad vellus tantum, & super totam terram fuit ros.*

CAPVT VII.

Vers. 1. SVRREXIT *Ierubbahal (ipse est Ghidhon) & totus populus, qui erat cum eo: & castrametati sunt iuxta fontem Charod: castráque Mid-ian erant ei ab Aquilone à colle More in valle.*

Vers. 2. *Dixitque Dominus ad Ghidhon: Multus est populus, qui tecum est, ad dandum me Mid-ian in manum eorum: ne glorietur contra me Israel dicendo: Meis viribus liberatus sum.*

Vers. 3. *Et nunc loquere ad populum, & cunctis audientibus predica: Qui formidolosus, & timidus est, reuertatur.*] Hoc fuit secundùm legem Mosis.

Recesserúntque de monte Galahad.] Iuxta Hebræum habetur: *Qui timens & tremens, reuertetur, & diluculabit è monte Ghilhad.* Sed quæstio oritur, quomodo verificatur reuersio de monte Galahad, cùm non ibi essent: nam mons Galahad est vltra Iordanem eundo à Ierusalem versùs Iordanem: Gedeon autem erat citra Iordanem in terra promissionis, vt subiuncta testantur. Solutio est, quòd multi venerant ad exercitum Gedeonis ex regione vltra Iordanem: vt patet ex eo, quòd in cap. præcedenti scribitur, quòd misit Gedeon nuncios in omnem Menassem, qui secutus est eum: perspicuum est enim, quòd dimidia Tribus Menassis habitabat trans Iordanem: imò (vt Num. 32. scribitur) mons Galahad datus est à Mose Machir, filio Menassis. Quia itaque conuenerant ad exercitum multi ex regione trans Iordanem, clamatum est voce præconum, vt quilibet timidus vndecunque esset etiam ex monte Galahad reuertatur, ita quòd mons Galahad nõ nominatur vt terminus à quo reuersionis, sed vt extensio patriarum, vnde venerant. Et meminit specialiter montis Galahad ad insinuandum, tum quòd etiam remotissimi, tum quòd etiam contribules Gedeonis reuerterentur, si timerent.

Quomodo Israëlita reuersi sint de monte Galahad, cum ibi nõ essent.

Et reuersa sunt de populo viginti duo millia, & decem millia remanserunt.

Vers. 4. *Dixitque Dominus ad Ghidhon: Adhuc populus multus est, fac descendere eos ad aquas, & ibi probabo illos.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et purificabo eum tibi ibi.* Ad similitudinem purificantis discretum se promittit populum, separando magnam ab eo partem.

Et de quo dixero tibi, vt tecum vadat, ipse pergat: quem verò ire prohibuero, reuertatur.

Vers. 5. *Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Ghidhon: Qui lingua lãbuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsùm: quos autẽ curuatis genibus biberint, in altera parte erunt.*

Vers. 6. *Fuit itaque numerus eorum, qui manu sua ad os lambuerant, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.*

Vers. 7. *Et ait Dominus ad Ghidhon: In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manum tuam Mid-ian: omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum suum.*

Vers. 8. *Sumptis itaque prouisionibus ciborũ, & tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit in tentoria sua: & ipse cum trecentis viris sè certaminis dedit.*] Iuxta Hebræum habetur, *& in trecentis viris fecit robur.* Vniuersum enim exercitus robur constituit in trecentis viris.

Castra

Castra autem Mid-ian erant ei subter in valle.

Vers. 9. *Eademque nocte dixit Dominus ad eum.*] Nocturnum tempus allocutionem in somno insinuat. Ad quod etiam facit, quod dicitur: *Surge.* iacenti enim dicitur, surge.

Vers. 10. *Et descende in castra, quia tradidi ea in manum tuam.*

Vers. 11. *Et si formidas solus descendere, descendat tecum Pura puer tuus.*

Et cum audieris, quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & fortior ad hostium castra descendes.] Ad suauem diuinæ gubernationis dispositionem spectat confortare animos hominum ex sensibilibus signis: inter quæ supputantur ab hominibus sumptá omnia: nam magnificabant apud priscos huiusmodi omnia, tanquàm à Superis data.

Descenditque ipse & Pura puer eius in partem castrorum, vbi erant armatorum vigiliæ.

Vers. 12. *Mid-ian autem, & Hamalec, & omnes orientales populi fusi iacebant in valle, vt locustæ in multitudine: cameli autem eorum innumerabiles erant, sicut arena, quæ iacet in littore maris.*

Vers. 13. *Cumque venisset Ghidhon, narrabat vnus somnium proximo suo: & in hunc modum referebat, quod viderat. Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Mid-ian descendere.*] Rectiùs legitur: *Et ecce tremor panis hordeorum voluentis se in castra Mid-ian.* Hebraïca dictio interpretata, *tremor*, quanuis non significet propriè tremorem; quia tamen ad tremorem pertinet, nominatur *tremor*, ob penuriam nominum: significatur enim ad literam, quòd commotio quædam terribilis apparuit panis hordeacei voluentis se. Et ex eo, quòd describitur, *voluentis se*, insinuatur, quòd huiusmodi panis erat orbicularis figuræ. Hæc enim figura ad motum reuolutionis valdè est habilis. Nec intelligo per panem, panem vnum, sed multitudinem panis: quemadmodum, & per tentorium non significatur tentorium vnicũ; sed vniuersitas tentoriorum, cũ subiungitur:

Multitudo panũ, & tentoriorum hîc est intelligenda per panẽ, & tentoriũ.

Et venit vsque ad tentorium, & percussit illud, & cecidit, & voluit illud in supra, & cadet tentorium.] Ita iacet in Hebræo: describitur enim multitudo panum terribili motu voluentium se in castra Madian: ita quòd venerunt, non solùm ad loca excubiarum, sed etiam vsque ad ipsa tentoria; & percusserunt tentoria, & ceciderunt. Stratimque subiungitur modus percussionis, & modus casus: modus quidem percutiendi, dicendo: *Et voluit ipsum in supra*: hoc est, non solùm percussit, verùm vertit partes inferiores in superiores. Et hoc modo secutus tentoriorum casus describitur in futuro relatiuè ad motum huiusmodi percussionis.

Vers. 14. *Respondit que is, cui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Ghidhonis, filij Ioas, viri Israelitæ: tradidit enim Dominus in manum eius Mid-ian.*] Nomen est *Elohim*: Deus, quatenus gubernat, significatur. *Et omnia castra.*] Hinc apparet, verum esse, quod diximus; videlicet, somniantem vidisse omnia tentoria percussa.

Vers. 15. *Cumque audisset Ghidhon somnium, & interpretationem eius, adorauit.*] gratias agendo Deo de huiusmodi omine dato.

Et reuersus est ad castra Israël, & ait: Surgite: tradidit enim Dominus in manus vestras castra Mid-ian.

Vers. 16. *Diuisitque trecentos viros in tres partes.*] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *in tria capita*: tres siquidem Centuriones instituit.

Et dedit tubas in manum omnium eorum, lagenásque vacuas, & lampades.] Rectiùs legeretur, *& torres in medio lagenarum.* ligneæ siquidem fàces optimè ardentes intelliguntur.

Vers. 17. *Et dixit ad eos: Quod me facere videbitis, hoc facite: ingrediar partem castrorum.*] Legendum est, *in extremum castrorum, & erit, sicut faciam, sic facietis.*

Vers. 18. *Clangámque tuba, & omnis, qui erit mecum: & clangetis tubis etiam vos per circuitus omnium castrorum, & dicetis Domino, & Ghidhon.*

Vers. 19. *Ingressúsque est Ghidhon, & trecenti viri, qui erãt cum eo, in partem castrorum.*] Iuxta Hebræum habetur, *in extremũ castrorum.* Quod autẽ sequitur:

Incipientibus vigilibus nottis mediæ.] Iuxta Hebræum habetur, *caput custodiæ mediæ.* Antiquus Interpres retulit hoc ad tempus: Litera autem anceps est, an referatur ad locum, quo venit Gedeon, (videlicet, quòd venit ad angulum castrorum caput custodiæ mediæ,) an quòd venerit in principio vigiliæ mediæ.

Et custodiens suscitauit.] Iuxta Hebræum habetur, *tantùm surgendo fecerunt surgere custodes.* Et est dictum, quòd non attentauerunt aliquid facere aduersùs Madian; sed duntaxat excitare custodes, proculdubiò facto aduentus.

Et clanxerunt tubis, & collisserunt inter se lagenas, quas habebant in manibus suis.

Vers. 20. *Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & lagenas confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades.*] Iuxta Hebræum habetur, *roborauerunt in manu sinistra sua torres, & in manu dextera sua tubas clangendo.* Ex tali siquidem robore apparet, quòd faces ligneæ erant: quæ motu robortantur ad ardendum, & ad apparendum in maiori multitudine.

Vers. 21. *Clamauerúntque, gladius Domino, & Ghidhoni.*

Steterúntque quisque in loco suo per circuitũ castrorum: & omnia castra turbata sunt.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *& cucurrerunt omnia castra.* Velox motus timentium describitur.

Et vociferantes, ululantesque fugerunt.] Rectiùs legeretur, *& clanxerunt, & fugerunt.* ita quòd clangere intelligatur actio Hebræorum; fugere verò Madianitarum. Deinde immediatè sequitur:

Vers. 22. *Et sonuerunt trecenti cornibus.*] Exponit, quod dixerat, *& clanxerunt*, explicando numerum clangentium.

Immisitque Dominus gladium in omnibus castris: & mutua se cæde truncabant.

Vers. 23. *Fugientes vsque ad Bethsitte in Zeradath, vsque ad Labrum Abel-mechole super Tabath.*] Quali occæcatione mentis Deus hoc fecerit, scriptum non est.

Conclamantes autem viri Israël.] Iuxta Hebræum habetur. *Et fuit adunatus vir Israel de Naphtali, & Aser, & toto Menasse, & persecuti sunt Mid-ian.* Ex eo, quòd subiungitur, Gedeonem misisse nuncios in montem Ephraim, insinuatur, quòd misit similiter nuncios ad Neptalim, Aser, & Menassem, vt persequerentur Madianitas. Meminit autem in specie nunciorum ad Ephraim: quia istis mandata est specialis cura præueniendi transitus aquarum, ne euadere possent Madianitæ.

Nunciorũ ad Ephraim cur hoc fiat tantũ mentio.

Vers. 24. *Misitque Ghidhon nuncios in omnem montem Ephraim dicens: Descendite in occursum Mid-ian, & capite eis aquas vsque ad Beth-bare, & Iar-*

den. Et congregatus est omnis vir Ephraïm, & ceperunt aquas vsque ad Beth-bare, & Iarden.

Vers. 25. *Et comprehenderunt duos Principes Mid-ian, Horeb, & Zeeb: & interfecerunt Horeb in petra Horeb, & Zeeb occiderunt in torcular Zeeb.*] Non est ista petra Choreb, ex qua Moses eduxit aquas in deserto: sed est quædam petra in terra promissionis denominata petra Horeb à cæde Regis Horeb ibidem; sicut & torcular Zeeb denominatum est à cæde Regis Zeeb ibi.

Et persecuti sunt Mid-ian: capútque Horeb, & Zeeb attulerunt ad Ghidhon trans Iarden.] Author libri ad terminandum gesta Ephraim iam inchoata, narrat ea, quæ posteà gesta sunt: priùs enim Gedeon persecutus est vltra Iordanem alios duos Reges, & victoriam habuit integram; & posteà gestum est hoc, quod modò narratur: videlicet, quòd viri Ephraïm portauerunt capita Horeb, & Zeeb ad Gedeonem trans Iordanem. Sed (vt dictum est) ad continuandum gesta Ephraïm prænarratio ista fit.

CAPVT VIII.

Vers. 1. DIXERVNTQVE *ad eum viri Ephraim Cur hoc fecisti nobis, vt non vocares nos, cùm pergeres ad pugnandum contra Midian? iurgantes fortiter, & propè vim inferentes.*] Superfluunt quatuor vltimæ dictiones. Elati siquidē viri Ephraïm tumebant aduersùs Gedeonem Principē exercitus, & caput tantæ victoriæ.

Vers. 2. *Dixitque ad eos: Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis:*]Iuxta Hebræum legendum potiùs est: *Quid feci nunc, sicut vos?* Magnificat gesta ab eis, vt sic elatos mitiget.

Nónne melior est racemus Eph-raim vindemia Abihezer?]Ipse enim erat ex progenie Abihezer.

Vers. 3. *In manum vestram dedit Dominus Principes Mid-ian, Horeb, & Zeeb, quid potui facere sicut vos? Quod cùm locutus esset, requieuit spiritus eorum, quo tumebant contra eum.*

Vers. 4. *Cúmque venisset Ghidhon ad Iarden, transiuit eum, & trecentos viri, qui cum eo erant.*]Redit ad ordinem historiæ: iste enim transitus fuit prior antedicto iurgio Ephraïm.

Et præ lassitudine fugientes persequi non poterant.]Iuxta Hebræum habetur, *fessi, & sequentes.*

Vers. 5. non enim substiterant præ lassitudine.

Dixítque viris Succhoth: Date, obsecro, panes populo, qui mecum est: quia lassi sunt, & ego persequens

Vers. 6. *Zebach, & Zalmunnah Reges Midian.*

Dixerúntque Principes Succhoth: Forsitan palmæ manuum Zebach, & Zalmunnah nunc in manu tua sunt, & idcircò postulas, vt demus exercitui tuo panes. Hinc clarè apparet, quòd Principes in culpa fuerunt. Succhoth autem ciuitas erat trans Iordanem in loco, vbi Iacob ædificauit sibi domum, & gregi suo fecit tabernacula Genes. 33.

Succhoth vbi sita erat.

Vers. 7. *Quibus ille ait: Idcirco cùm tradiderit Dominus Zebach, & Zalmunnah in manum meam, conteram carnes vestras cum spinis, tribulísque deserti.*

Vers. 8. *Et inde conscendens venit in Pennel, locutúsque est ad viros loci illius similia.*] Penuël est locus vbi Iacob luctatus est cum Angelo Genes. 32.

Penuël quis locus.

Cui & illi respondérunt, sicut responderant viri Succhoth.

Vers. 9. *Dixítque eis: Cùm reuersus fuero victor in pace, diruam turrim hanc.*

Vers. 10. *Zebach autem, & Zalmunnah erant in Carcor cum exercitu suo: ex eis enim quindecim millia virorum remanserant ex omnibus turmis orientalium populorum, cæsis centum, & viginti millibus virorum educentium gladium.*] Hinc coniici potest, quàm ingens fuerit multitudo orientalium discurrentium: erant enim inter eos tot millia bellatorum.

Vers. 11. *Ascenditque Ghidhon per viam eorum, qui in tentoriis morabantur, ab oriente Nobach, & Iogbehe: & percussit castra, quæ secura erant, & nihil aduersi suspicabantur.*

Vers. 12. *Fugerúntque Zebach, & Zalmunnah: quos persequens Ghidhon comprehendit turbato omni exercitu eorum.*

Vers. 13. *Et reuersus est Ghidhon, filius Ioas, de bello ante Solis ortum.*] Anceps est Hebraïca litera: nam legi potest, *ab ascensu Solis*; vel, *ante ascensum Solis.* Vtrouis autem modo legatur, insinuatur, quòd nocte aggressus est Reges istos: ita quòd reuersus est ante meridiem: tunc enim completur Solis ascensus, & tunc verificatur adhuc ascensus Solis.

Vers. 14. *Cepitque puerum de viris Succhoth, & interrogauit eum nomina Principum, & seniorum Succhoth: & descripsit sibi septuaginta septem viros.*

Vers. 15. *Venítque ad homines Succhoth, & ait: En Zebach, & Zalmunnah, & de quibus exprobrastis mihi dicentes: Forsitan manus Zebach, & Zalmunnah nunc in manu tua sunt: & idcirco postulas, vt demus viris tuis lassis panes.*

Vers. 16. *Tulit ergo seniores ciuitatis, & spinas deserti, ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Succhoth.*] Iuxta Hebræum habetur, *& fecit cognoscere in eis viros Succhoth.* afflictio siquidem Principum Succhoth cum spinis, & rubis, siue per modum flagellationis, siue alio modo) describitur per experimentalem cognitionem, qua senserunt in propriis carnibus spinas, & rubos, vt promiserat Gedeon: nam dixerat: teram carnes vestras spinis, & rubis.

Quomodo Gedeon carnes seniorum Succhoth triuerit spinis, & rubis.

Vers. 17. *Turrim quoque Penuël diruit, occisis habitatoribus ciuitatis.*] Mirum est, quòd Principes Succhoth non occidit; viros autem ciuitatis Phanuël occidit. Crediderim ego, disparitatem hanc ortam ex eo, quòd viri Succhoth redeunti Gedeoni humiles se exhibuerunt, (cuius signum est, quòd solum colloquium inter Gedeonem, & eos describitur:) viri verò Phanuel confidentes in turri non se humiliauerunt: & propterea Gedeon non solùm turrim destruxit, (vt comminatus fuerant,) sed etiam viros ciuitatis vtpote adhuc resistentes occidit.

Vers. 18. *Dixítque ad Zebach, & Zalmunnach, quales viri fuerunt, quos interfecistis in Thabor? Qui respondérunt: Similes tibi, & vnus ex eis quasi filius Regis.*

Vers. 19. *Et ait: Fratres mei, filij matris meæ, erant. Viuit Dominus.*] Patui refert, quòd Hebraicè habetur, *viuus Iehouah si seruassetis eos, non vos occiderem.* Modus erat iurandi afferendo vitam Dei in testimonium dicti.

Vers. 20. *Dixítque Iether primogenito suo: Surge, interfice eos, & non eduxit puer gladium suum: timebat enim, quia adhuc puer erat.*

Vers. 21. *Dixítque Zebach, & Zalmunnah: Surge tu, & occide nos: quia iuxta ætatem robur est hominis: surrexítque Ghidhõ, & interfecit Zebach, & Zalmunnah, tulítque lunulas, quæ erant in collis camelorum eorum.*

Vers. 22. *Dixerúntque viri Israël ad Ghidhonem: Dominare nobis, tu, & filius tuus, & filius filij tui, quia liberasti*

liberasti nos de manu Madian.

Vers. 23. *Quibus ille ait: Non dominabor vobis, nec dominabitur filius meus vobis, dominabitur vobis Dominus.*] Reiecit Gedeon dominatum, deferens Domini nomen Deo: & propterea inter Iudices suppuratur quintus.

Gedeon quintus Iudex suppuratur.

Vers. 24. *Dixitque ad eos Ghidhon: Unam petitionē postulo à vobis. Date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim aureæ erant eis; quia Ismaelitæ erant.*

Vers. 25. *Et dixerunt: Dando dabimus. & extenderunt pallium, & proiecerunt ibi quisque inaures spoliorum suorum.*

Vers. 26. *Et fuit pondus inaurium auri earum, quas postulauerunt, mille & septingentorum aureorum: præter lunulas, & monilia, & vestes purpureas, quæ erant super Reges Madian, & præter torques, quæ erant in colles camelorum eorum.*

Vers. 27. *Fecitque ex eo Gedeon Ephod.*] Parui refert, quod Hebraicè habetur: *Et fecit illud Ghidhon in Ephod, & fecit manere ipsum in ciuitate sua in Hophra, & fornicati sunt omnis Israel post ipsum ibi: & fuit Ghidhoni, & domui eius in offendiculum.* Quæ anceps est sensus, textum, vt iacet, afferendum censui. Nomen, *Ephod*, significat indumentum superhumerale ex quacunque materia sit: non enim est nomen proprium indumenti sacerdotalis, sed commune cuilibet tali indumento. Vnde & mater Samuëlis fecit Samuëli puero Ephod lineum: & Dauid deducendo Arcam Domini, accinctus erat Ephod lineo, vt patet 2. Reg. 6. Et quantùm coniecere possum, erat indumentum tegens humeros, & pectus, apertè in vtroque latere, nó tegens brachia: quale videmus in militibus, quod vulgati Italico *Zorneam* appellant. Lineo autem Ephod vtuntur vsque in hodiernum diem Clerici Germaniæ.

Ephod quid

Clerici Germania Ephod vtuntur.

Hæc ideò dixerim, vt appareat, quòd ex proprietate nominis non significatur, quòd Gedeon fecerit Ephod pontificale; sed duntaxat, quòd fecerit Ephod. Et si materia considerata fuerit, apparebit, quòd non fecit Ephod sacerdotale: quoniam clarè in Textu dicitur: Et fecit illud in Ephod. Materia ergo Ephod facti à Gedeone fuit aurum: sacerdotalis autem vestis appellata Ephod, non erat aurea, sed de auro, hyacintho, purpura, cocco, & byssо,) & erat rexta opere polymitario: vt patet Exod. 28. Manifesta siquidem disparitas est secundùm materiam: quia superhumerale pontificium textum erat ex filis aureis, lineis, & laneis ad minus: superhumerale autem factum à Gedeone erat ex auro; hoc est, ex auro ductili, quale erat aurum inaurium: hoc enim significat Litera. Et huic sensui consonant subiuncta verba: *Et fecit ipsum manere in ciuitate sua.* nullius enim vsus huius vestis aurex describitur, nisi quòd fecit manere ipsam in ciuitate sua: erat enim velut loriea non ferrea, sed aurea, stans in seipsa.

Gedeon quid Ephod fecerit.

Fornicatio autem subiuncta: quia communis scribitur Gedeoni, & toti Israël, dicendo: *Et fornicati sunt omnes Israel post eum ibi.* non est intelligenda fornicatio idololatriæ: nam Gedeon semper fidelis perstitit in cultu vnius Dei, vt testantur subiuncta in calce istius capituli: sed superstitio aliqua commissa, & ab ipso Gedeone in illo superhumerali, & a toto Israel exemplo Gedeonis: & propterea dicitur, *post eum.*

Quomodo Gedeō, & Israelita fornicati sint.

Qualis autem fuerit huiusmodi superstitio, scriptum non est. Potest tamen facilè intelligi, quòd exaltauit vestem illam, vt memoriam perpetuam suorum gestorum: & consequenter conueniebant ibidem offerendo sacrificia pacifica Deo vero: sed hoc erat superstitionis, quòd tanquàm honorando signum illud, sacrificabant: præter hoc, quòd extra locum, vbi erat tabernaculum diuinum, immolabant. Sed ratione primi dicuntur fornicari: vnde scriptum est, quòd hoc superhumerale fuit in offendiculum casus, & ipsi, & domui eius. Et de casu quidem culpæ, non est dubium. cùm fornicati scribantur: de casu autem pœnæ, quoad domum eius, patet in sequenti capitulo: quoad ipsum verò nihil aliud scriptum est; sed potest intelligi, quòd mors filiorum fuit iniuria irrogata patri: vt in calce sequentis capituli scribitur.

Culpa, & pœna in hoc peccato Gedeonis reperitur.

Humiliatusque est Madian coram filiis Israël, & non addiderunt, vt eleuarent caput suum: & quieuit terra quadraginta annis in diebus Ghidhon. Vers. 28.

Abiit itaque Ierubbahal, filius Ioas, & habitauit in domo sua. Vers. 29.

Habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de femore eius eo quod plures haberet vxores. Vers. 30.

Concubina autem eius, quam habebat in Sechem, peperit ei etiam ipsa filium: & posuit nomen eius Abimelech. Vers. 31.

Mortuusque est Ghidhon, filius Ioas, in senectute bona: & sepultus est in sepulcro Ioas, patris sui, in Hophra, patris Hezritarum. Vers. 32.

Postquam autem mortuus est Ghidhon, reuersi sunt filij Israël, & fornicati sunt post Behalim: percusserintque cum Baal fœdus, vt esset eis in Deum.] Hinc apparet, quòd quandiu vixit Gedeon, populus Israel coluit Deum. Vers. 33.

Nec recordati sunt filij Israel Domini Dei sui, qui eripuit eos de manu omnium inimicorum eorum per circuitum. Vers. 34.

Nec fecerunt misericordiam.] Legendum esset: *Et non fecerunt gratiam cum domo Ierubbahal, iuxta omnia bona, quæ fecerat cum Israel.* ingrati siquidem describuntur erga domum Gedeonis. Vers. 35.

CAPVT IX.

ABIIT *autem Abimelech, filius Ierubbahal, in Sechem ad fratres matris suæ: & locutus est ad eos, & ad omnem familiam domus patris, matrisque suæ dicendo.*] Superfluit coniunctio, *que*: est enim sermo de domo genitoris matris eius. Vers. 1.

Loquimini, obsecro, ad omnes Heros Sechem: Quid vobis est melius, vt dominentur vobis septuaginta viri (omnes filij Ierubbahal) an, vt dominetur vobis vnus vir? mementote, quòd os vestrum, & caro vestra sum. Vers. 2.

Et locuti sunt fratres matris eius de eo ad omnes Heros Sechem omnes sermones istos: & inclinatus est cor eorum post Abimelech: dixerunt enim: Frater noster est. Vers. 3.

Dederintque ei septuaginta argēteos è domo Baal Berithi, quos conduxit sibi ex eis viros inopes, & vagos.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *viros vacuos, & festinos.* otiosos enim, & veloces ad agma conduxit. Nec alienum est, vt festinatio referatur ad animum: & significentur viri præcipites. quales sunt iuuenes, qui mercede currunt ad bellum. Vers. 4.

Et secuti sunt eum.

Et venit in domum patris sui in Hophram, & interfecit fratres suos, filios Ierubbahal, septuaginta viros super lapidem vnum: remansitque Iotham filius Ierubbahal, paruus, quia fuit absconditus. Vers. 5.

Vers. 6. *Congregati sunt autem omnes Heri Sechem, & omnes familiæ vrbis Mello.*] Legendum est, *& omnis domus Millo.* Nomen est proprium.

Abimelech non fuit Rex. & cur.

Abieruntque, & constituerunt Regem Abimelech.] Aduerte, quòd non fuit ab vniuerso Israële, nec etiam à tota vna Tribu, sed duntaxat à Sechemitis, & Millonitis constitutus Rex Abimelech: & propterea non supputatur in catalogo Regum Israël tanquàm primus Rex: sed honor iste attribuitur Sauli, qui ab vniuerso populo electus fuit Rex primus.

Elon, *quæ arbor, & cur fixa.*

Iuxta quercum, quæ stabat in Sechem.] Iuxta Hebræum habetur, *in Elon fixa, quæ in Sechem.* Non significatur quercus, sed arbor, cuius sæpè mentio facta est: & describitur *fixa* ad differentiam arborum, quas licitum erat incidere, & eradicare: hæc enim arbor perseuerabat semper, tanquàm res immobilis, & diuina. Et ipsa est, sub qua Iacob suffodit idola, & Iosua posuit lapidem magnum in testem. Arbitrantur tamen quidam, *Elon* significare non arborem, sed planitiem: & quia in illa planitie fixa manebat statua, vel columna aliqua, ideò appellari planitiem fixam à signo ibidem fixo: & hanc dicunt esse veram literam Hebraicam.

Elon *significat planitiem, apud quosdam.*

Vers. 7. *Quod cùm nunciatum esset Iotham, iuit, & stetit in vertice montis Gherizim, eleuatáque voce clamauit, & dixit: Audite me, Heri Sechem, sic vt audiat vos Dominus.*] Iuxta Hebræum habetur, *& audiet vos Elohim.* Imprecando diuinam vltionem dicit hæc verba, cupiendo, vt attendat iniquitati eorum Deus iustus iudex.

Vers. 8. *Euntdo ierunt ligna, vt vngerent super se Regem: dixerúntque oliuæ, regna super nos.*] Parabola hæc quorsum tendat, manifestatur clarè in litera; videlicet, ad imprecandum malum inter Abimelech & Sechemitas, ac Millonitas. Meminit autem oliuæ, heus & vitis respuentium regnum, ad insinuandum ternario numero vniuersos viros probos, qui fuerunt iudices in Israël, non aspirasse ad regnum: vel ad insinuandum, quòd reliquiti Gedeon, filius eius, & filius filij respuerunt regnum, vt patet in capitulo præcedente) tanquam viri optimi. Abimelech autem, tanquam sentes, non solùm pungens, sed emittens ignem, ambiuit tam crudeliter regnum.

Parabola arborum quò tendat.

Viri probi iudices in Israël noluerunt aspirare ad regnum, nec ac ipsamus.

Vers. 9. *Dixítque eis oliua: An deseram pinguedinem meam, quæ & Deum vtuntur, & homines?*] Iuxta Hebræum habetur, *quam in me honorabunt Elohim, & homines.* Literalis ratio, tam huius dicti, quàm subiuncti de vino, quod lætificat Elohim, & homines, non est quærenda alia, quàm hyperbole iuxta consuetas Poëtarum fabellas.

Quòd vinũ lætificet Deũ, hyperbole est.

Et vadam, vt promouear super ligna?

Vers. 10. *Dixerúntque ligna ad ficum: Veni tu, regna super nos.*

Vers. 11. *Quæ respondit eis: An deseram dulcedinem meam, & fructum meum bonum, & vadam, vt promouear super ligna?*

Vers. 12. *Dixerúntque ligna ad vitem: Veni tu, regna super nos.*

Vers. 13. *Quæ respondit eis: An deseram mustum meum, quod lætificat Deum, & homines, & vadam, vt promouear super ligna?*

Vers. 14. *Dixerúntque omnia ligna ad rhamnum: Veni tu, regna super nos.*

Vers. 15. *Quæ respondit eis: Si in veritate vngitis me in Regem super vos, venite, & requiescite sub vmbra mea: & si non, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.*

Vers. 16. *Et nunc si in veritate, & simplicitate fecistis, & regnare fecistis Abimelech: & si bene egistis cum Ierubbahal, & cum domo eius, & si secundum retributionem manuũ eius fecistis ei, qui pugnauit pro vobis,*

Vers. 17. *Et animam suam dedit periculis, & liberauit vos de manu Madian:*

Vers. 18. *Et vos surrexistis contra domum patris mei hodie, & interfecistis filios eius septuaginta viros super lapidem vnum: & regnare fecistis Abimelech filium ancillæ eius super Heros Sechem, quia frater vester est.*

Vers. 19. *Et si in veritate, & simplicitate egistis cum Ierubbahal, & cum domo eius die hac, lætamini in Abimelech, & lætetur etiam ipse in vobis.*

Vers. 20 *Et si non, egrediatur ignis de Abimelech, & deuoret Heros Sechem, & domum Millo: egrediatúrque ignis de Heris Sechem, & de domo Millo, & deuoret Abimelech.*

Vers. 21. *Quæ cum dixisset Iotham fugit, & abiit in Beer: & mansit ibi a facie Abimelech fratris sui.*

Vers. 22. *Regnauit itaque Abimelech super Israel tribus annis.*] Quanuis a Sechemitis, & Millonitis duntaxat fuisset electus Rex Abimelech, tyrannidem tamen sua imperauit super Israel annis tribus.

Vers. 23. *Misítque Dominus spiritum pessimum.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et misit Elohim spiritum malum inter Abimelech, & Heros Sechem.* Deus iustus iudex misit, vel Dæmonem, qui est spiritus malus, ad efficiendam discordiam inter Abimelech, & Sechemitas: vel per spiritum malũ significatur malus affectus mutuus inter Abimelech, & Sechemitas. Vtrouis autem modo intelligas, verificatur, quòd Deus misit, tanquàm author, efficiendo quicquid positiuum entis fuit in hoc malo: permittendo autem malum culpæ.

Spiritus discordiæ mittitur a Deo inter Abimelech, & Sechemitas, quomodo.

Qui cœperunt eum detestari.] Iuxta Hebræum habetur, *& mentiti sunt Primates Sechem in Abimelech.* Rebellio scribitur Primatum contra fidem datam Regi suo.

Vers. 24. *Et scelus interfectionis septuaginta filiorum Ierubbahal, & effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum, & inter cæteros Sichimorum Principes, qui eum adiuuerunt.*] Interpres mutauit etiam sensum: quoniam iuxta Hebræum non significatur actio Sechemitarum reuciens scelus in Abimelech: sed significatur, quorsum Deus miserit spiritum malum cum subsecuto effectu rebellionis, dicendo:

Cur miserit Deus spiritũ malum rebellionis.

Vt veniret iniuria septuaginta filiorum Ierubbahal: & sanguis eorum ad ponendum super Abimelech fratrem eorum, qui occidit eos, & super Heros Sechem, qui roborauerunt manus eius ad occidendum fratres suos.] Sententia est clara, explicans finem, ad quem Deus ordinauit spiritum malum; videlicet, ad vltionem occisorum fratrum, tam contra Abimelech, quam Sechemitas.

Vers. 25. *Posuerúntque ei Heri Sechem insidias super cacumina montium, & prædabantur omnes, qui transibant iuxta eos per viam, & nunciatum est Abimelech.*] Rebellio Sechemitarum, abiente Abimelech facta, describitur (quanuis non describatur causa rebellionis) & effectus: videlicet, quod Sechemitæ constituerunt insidias in cacuminibus montium ad occidendum Abimelech venturum.

Rebellio Sechemitarũ contra Abimelech

Vers. 26. *Venit autem Gbabal, filius Hebed, & fratres eius, & transierunt in Sechem: speraueruntque in eo Heri Sechem.* Nõ inuenio, quis fuerit iste Gabal.

Vers. 27. *Et egressi sunt in agrum.* Proculdubiò describuntur

buntur Sechemitæ animæquiores effecti ex præsentia Ghahal, ita quòd publicè manifestarunt rebellionem suam egrediendo in agrum.

Vastantes vineas, vuasque calcantes.] Iuxta Hebræum habetur, *& vindemiarũt vineas suas, & calcauerunt, & fecerunt lætitias.* Quia erat tempus vindemiarum, calcatio rectè refertur ad vuas, vt antiquus intellexit Interpres: ita quòd etiam vuas calcauerunt cum lætitia in torcularibus.

Vines in torcularibus calcata sunt à Sechemitis.

Et ingressi sunt domum Dei sui, & comederunt, ac biberunt, & maledixerunt Abimelech:

Clamante Ghahal, filio Hebed,] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit Ghahal, filius Hebed.* Nihil dicitur de clamore: sed videns Ghahal populum apertè contra Abimelech loquentem: oblata occasione maledicentium manifestauit ambitionem suam. Vers. 28.

Quis est Abimelech, & quæ est Sechem, vt seruiamus ei? Nonne filius Ierubbahal.] Comparationem facit inter Abimelech, & Sechem: indignum asserens, vt Sechem seruiat Abimelech. Et dicendo, *vt seruiamus ei*, significat, se esse Sechemitam. Ratio autem indignitatis subiungitur: quia Abimelech est filius Ierubbahal non præferendi Sechemitis.

Et constituit Principem Zebul seruum suum super viros Chamor patris Sechem.] Longè aliter habetur Hebraicè: *Et Zebul præpositus eius.* Exaggerando indignitatem, adiungit, *& Zebul præpositus eius*: quia indignius est seruire duobus, quam vni. Deinde sequitur:

Indignius est seruire duobus, quàm vni.

Seruite viris Chamor patris Sechem, & quare seruiemus ei nos?] Suadet populo, vt seruiant, non filio Ierubbahal, sed viris ex Sechem. Ex antiquitate generis Chamor patris Sechemitarum (cuius mentio fit Genes. 34.) indignum declarat, vt populus ciuitatis, quæ gloriatur in tam antiquo patre, seruiat ciui alterius ciuitatis. Et simul captat beneuolentiam omnium Sechemitarum: de quorum numero se esse manifestat, dicens: *Et quare nos seruiemus ei?* Et quia Zebul creditur quoque Sechemita, ex his verbis non offendit eum dicendo in genere: *Seruite viris Chamor*, non dicit, *mihi*, aut *illi*.

Et quis dabit populum istum in manu mea.] Cautè loquitur: non dicit: Quis faciet me Regem, aut Dominum? sed, quis faciet me ducem populi ad bellum. Vers. 29.

Vt auferrem de medio Abimelech.] Iuxta Hebræum habetur: *Et removebo Abimelech?* Non promittit se occisurum Abimelech, sed ablaturum principatum eius super Sechem, si ipse Ghahal fieret dux populi.

Dictúmque est Abimelech: Congrega exercitus multitudinem: & veni.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit ad Abimelech: Auge exercitum tuum, & egredere.* Sensus est: Et Ghahal dixit insultando & irridendo ad Abimelech absentem, vt consueuerunt confidentes in suis viribus ad ostentationem sui, & despectionem inimici absentis iactanter dicere.

Zebul enim Princeps ciuitatis auditis sermonibus Ghahal filij Hebed.] Legendum est. *Et audiuit Zebul Princeps ciuitatis verba Ghahal filij Hebed.* Non redditur ratio antedicti, sed accumulatur causæ mouendi Abimelech ad bellum: priùs enim narratum est, quòd nunciatum fuit Abimelech de insidijs positis. Vers. 30.

Et iratus est valdè.] Vel ira ista fuit simulata contra Abimelech, vel si fuit vera, fuit occulta. Primus tamen sensus quadrat subiuncto familiari colloquio Ghahal cum Zebul.

Et misit clàm.] Iuxta Hebræum habetur: *Et misit nuncios ad Abimelech in dolo dicendo.* Ex hoc, quòd in dolo misit nuncios, insinuatur Zebul simulasse amicitiam cum Ghahal: nam dolus relatiuè ad Ghahal scribitur. Vers. 31.

Amicitia simulata Zebul.

Ecce Ghahal filius Hebed, & fratres eius venerunt in Sechem, & oppugnant aduersùm te ciuitatem.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et angustant ciuitatem super te.* Accusat eos, eò quòd angustam redderent ciuitatem regimini ipsius Abimelech, paucos relinquentes illi beneuolos.

Surge itaque nocte cum populo, qui tecum est, & latita in agro. Vers. 32.

Et primo mane, oriente Sole, irrue super ciuitatem: illo autem egrediente contra te cum populo suo, fac ei, quod poteris. Vers. 33.

Surrexitque Abimelech cum omni exercitu suo nocte, & tetendit insidias iuxta Sechem in quatuor locis.] Hebraicè habetur, *quatuor capitibus.* Siue significétur capita locorum, siue capita militum. Vers. 34.

Egressúsque est Ghahal, filius Hebed, & stetit in introitu portæ ciuitatis: surrexítque Abimelech, & omnis exercitus cum eo de insidiarum loco. Vers. 35.

Cúmque vidisset populum Ghahal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo descendit. & ait ad eũ Zebul: Vmbram montiũ vides quasi homines. Vers. 36.

Rursúmque Ghahal ait: Ecce populus de umbilico terra descendit, & Dux vnus venit per viam, quæ respicit quercum. Vers. 37.

Cui dixit Zebul: Vbi est nunc os tuum, quo dicebas: Quis Abimelech, vt seruiamus ei? Nónne hic est populus, quem despiciebas? egredere, obsecro, nunc, & pugna contra eum.] Hinc clarè apparet, quòd hactenus simulauerat amicitiam Zebul cũ Ghahal. Vers. 38.

Abiit ergo Ghahal, expectante Sichimorum populo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et exiuit Ghahal in facibus Herorum Sechem.* hoc est, exiuit ante Heros Sechem, tanquàm Dux belli, ita quòd Primates Sechem secuti sunt eum. Vers. 39.

Et pugnauit contra Abimelech.

Et persecutus est eum Abimelech, & fugit à facie eius: & ceciderunt vulnerati multi vsque ad introitum portæ. Vers. 40.

Et mansit Abimelech in Rabama.] Legendum est, *in Aruma.* Nomen est proprium loci. Vers. 41.

Et expulit Zebul Ghahal, & fratres eius ex Sechẽ.

Et fuit, sequenti die egressus est populus in campum.] Expulso Ghahal credidit populus Sechem quietè se viuere sub Zebul præposito ab Abimelech, & exiuit in agrũ, vel ad prosequendas vindemias, vt Iosephus dicit, vel ad ruralia opera: sed malè successit propter spiritum malum Abimelech erga Sechemitas. Vers. 42.

Et nunciatum est Abimelech.

Et cepit populum, & diuisit eos in tres turmas, & insidiatus est in agro: vidénsque, quòd egrederetur populus de ciuitate, surrexit contra eos, & percussit eos. Vers. 43.

Et Abimelech cum turmis, quæ erant cum eo, grassatus est, & stetit ad introitum portæ ciuitatis: duæ autem turmæ grassatæ sunt contra omnes, qui erant in agro, & percusserunt eos. Vers. 44.

Et Abimelech pugnauit contra ciuitatem tota die illa, & cepit ciuitatẽ, & populum qui erat in ea interfecit: diruítque ciuitatẽ, & seminauit in ea sal. Vers. 45.

Et audierunt omnes Heri turris Sechem.] Hinc habetur, quòd turris Sichimorum distabat à ciuitate Sechem. Vers. 46.

Et ingressi sunt fanum Dei sui Berith.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venerunt ad locum altum domus El Berith.* Sæpè dictum est, quòd *El* significat Deum, quatenus est fortis: Berith autem significat fœdus: ita quòd est sensus: Venerunt in excelsum locum, vbi erat domus Dei fœderis, tanquàm esset Deus fortis ad seruandũ fœdera.

El, & Berith, *quid significent.*

Vers. 47. *Abimelech quoque, cum audisset omnes Heros turris Sechem congregatos,*

Vers. 48. *Ascendit in montem Zalmon cum toto populo suo: & arrepta securi præcidit arboris ramum, & posuit super humerum suum: dixitque ad populum, qui erat cum eo: Quod vidistis, feci: festinate, facite sicut ego.*

Vers. 49. *Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur Ducem: quos circumdantes præsidium succendierunt.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et posuerunt super locum celsum, & combusserunt super eos locum celsum in igne.* Non apparet perspicuè modus applicandi ignem: eò quòd dicitur, quòd posuerunt ramos arborum super locum celsum: sonant enim verba, quòd super tectum illius templi posuerunt ligna, & apposito igne combusserunt & domum, & existentes in ea: verùntamen modus, quo huiusmodi ligna posuerunt super domum, non scribitur. Posset tamen intelligi apposita fuisse ligna super locum altum, hoc est, super latera illius loci excelsi: & sic redditur facilis intellectus literæ.

Itaque factum est, vt fumo, & igne mille homines necarentur.] Iuxta Hebræum nihil habetur de fumo: sed statim subiungitur:

Et mortui sunt etiam omnes homines turris Sechem, circiter mille viri, & mulieres.] Ex quibus apparet, quòd etiam Zebul mortuus est cum reliquis Sechemitis.

Vers. 50. *Abimelech autem inde proficiscens iuit ad Thebez: & castrametatus est contra Thebez, & cepit ipsam.*] Insinuatur, quòd hoc oppidum non obediebat Abimelech.

Vers. 51. *Erat autem turris fortis in medio ciuitatis, ad quam confugerant omnes viri, & mulieres, & omnes Heros ciuitatis clausa firmissimè ianua: & ascenderant super tectum turris.*

Vers. 52. *Et venit Abimelech vsque ad turrim, & pugnabat contra eam: appropinquauitque vsque ad ostium turris, vt combureret illud igni.*

Vers. 53. *Et proiecit mulier vna fragmen molæ super caput Abimelech: & confregit cerebrum eius.*] Non fiat vis in verbo, cerebrum: quia dictio Hebraïca sonat confusè vniuersas capitis partes.

Vers. 54. *Qui vocauit cito armigerum suum, & ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus sim: qui iussa perficiens interfecit eum.*

Vers. 55. *Illóque mortuo, omnes, qui cum eo erant de Israël, reuersi sunt in sedes suas.*

Vers. 56. *Et reddidit Deus malum Abimelech.*] Nomen est Elohim, quadrans vltioni.

Quod fecerat contra patrem suum, interficiens septuaginta fratres suos.] Ecce, quid habetur mali pœnæ illati Gedeoni ex peccato Ephod.

Vers. 57. *Et omne malum hominum Sechem reddidit Deus in caput eorum: & venit super eos maledictio Iotham filij Ierubbahal.*] Propterea siquidem narrata est superiùs in hoc eodem cap. parabola huius Iotham, vt monstraretur verificata.

CAPVT X.

Vers. 1. *Qvam dicatur, quòd surrexerit Dux in Israel.*

Post Abimelech surrexit dux in Israel.] Iuxta Hebr. habetur: *Surrexitque post Abimelech ad faciendum saluare Israël.* Nullus titulus Ducis, aut Principis, sed officium saluandi describitur. Significantiùs autem dicitur, quòd surrexit, ad differentiam missorum à Deo, & electorum à populo: nec scribitur modus, quo ambiuit officium Saluatoris.

Tholah.] Hic est sextus Iudex Israël.

Filius Pue patrui Abimelech.] Non habetur in Hebræo, patrui Abimelech: sed legitur: *filius Pue, filij Dodo, viri de Issachar: & ipse habitans in Samir in monte Ephraim.* Nulla consanguinitas ad Abimelech ratio huius principatus innuitur: imò ex alia Tribu describitur, habitans tamen in monte Ephraïm.

Vers. 2. *Et iudicauit Israel viginti & tribus annis.*] Hinc inter Iudices supputatur.

Mortuúsque est, ac sepultus in Samir.] Nullum præclarè gestum ab hoc recitatur.

Vers. 3. *Huic successit.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexit post eum Iair Ghilhadites.* Hinc insinuatur, & quòd iste ambiuit principatum, & quòd fuerit de Tribu Menassis: ex illa, videlicet, dimidia Tribu, quæ erat trans Iordanem: nam Ghalahad erat Machir, filij Menassis.

Qui iudicauit Israël viginti, & duobus annis. Septimus ergo Iudex fuit iste Iair.

Vers. 4. *Qui habuit triginta filios equitantes super triginta pullos asinarum.*] Superfluit, *asinarum*: pulli enim equorum intelligendi potiùs sunt: quoniam pro gloria patris hæc referuntur.

Et principes triginta ciuitatum, quæ ex nomine eius sunt appellata Chauoth-Iair (id est, oppida Iair) vsque in præsentem diem, quæ erant in terra Ghilhad.

Vers. 5. *Iair nihil præclarum fecit.*

Mortuúsque est Iair, & sepultus in Camon.] Nec ullius Iudicis præclarum aliquid scribitur pro populo factum.

Vers. 6. *Filij autem Israel peccatis veteribus iungentes noua fecerunt malum in conspectu Domini, & seruierunt Behalim, & Hastharoth, & Diis Syria.*] Iuxta Hebræum habetur, non Syria, sed Aram, quæ est in Mesopotamia.

Et Diis Zidonis, & Diis Moab, & Diis filiorum Hammon, & Diis Philistim: dereliquerúntque Dominum, & non seruierunt ei.

Vers. 7. *Iratúsque est furor Domini contra Israël: & tradidit eos.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et vendidit eos in manum Philistim, & in manum filiorum Hammon.* Hoc est, venales eos effecit sub manu Philistinorum, & Hammonitarum.

Vers. 8. *Afflictique sunt, & vehementer oppressi.*] Omittitur in vulgata editione vna clausula; videlicet: *Et contuderunt, & fregerunt filios Israel in anno ipso.* Narratur, quòd vno, eodémque anno Philistini, & Hammonitæ non solùm contuderunt, sed etiam fregerunt filios Israël: & hoc quidem narratur in genere sub metaphora contusionis, & fractionis: deinde distinguendo per partes narrantur subsecuta, & gesta.

Decem & octo annis omnes filios Israël, qui erant trans Iarden in terra Emoræi, quæ est in Ghilhad.] Incipit à parte Israëlis, quæ erat trans Iordanem, narrando, quòd annis decem, & octo oppressa fuit pars illa.

In

Vers. 9. *In tantum, vt filij Hammon Iordane transirent ad pugnandum contra Iudam, & contra Ieptha.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et transierunt filij Hammon Iarden ad præliandum, etiam contra Iehudam, & contra Beniamin, & cõtra domum Ephraim: & angustiatus est Israel valdè.* Altera pars Israëlis, quæ erat in terra promissionis afflicta narratur etiam ab Hammonitis: afflicta autem in potentioribus Tribubus, vt ex his intelligerentur magis afflictæ aliæ Tribus. Et quamuis præfatum fuerit, Israëlitas oppressos fuisse etiam à Philistinis; nihil tamen in specie subiungitur de Philistinis, quia Hammonitæ erant principales: & subiunctus Saluator, contra Hammonitas bellum suscepit. Et hæc est quinta afflictio populi Israël.

Vers. 10. *Clamauerúntque filij Israel ad Dominum dicendo: Peccauimus tibi, quia dereliquimus te Dominum Deum nostrum, & seruiuimus Baalim.*

Vers. 11. *Quibus dixit Dominus: Nónne Ægyptij, & Emoræi, & filij Hammon, & Philistiim,*

Vers. 12. *Et Zidonij, & Hamalec, & Maon oppressérunt vos, clamastísque ad me, & eripui vos de manu eorum:*] Modus, quo locutus est, & similiter, per quem locutus est Deus filijs Israel latet nos.

Vers. 13. *Et vos dereliquístis me, & seruístis Dijs alienis: idcircò non addam, vt vltrà vos liberem.*] Diuina hæc verba intelligenda sunt secundùm præsentem iustitiam: non enim merebantur liberari.

Vers. 14. *Ite, & inuocate Deos, quos elegístis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ vestræ.*] Non mandantis, sed exprobrantis sunt verba.

Vers. 15. *Dixerúntque filij Israel ad Dominum: Peccauimus: fac tu nobis, secundum quod bonum est in oculis tuis, tantùm libera nos, quæsumus, in die hac.*

Vers. 16. *Et proiecerunt de finibus suis omnia alienorum Deorum idola, & seruierunt Domino.*] Veræ pœnitentiæ opus demonstratur, relinquendo idololatriam, & colendo verum Deum.

Qui doluit super miseriis eorum.] Iuxta Hebræum habetur: *& decurtata est anima eius in labore Israel.* Tristitiæ est retrahere animũ, quemadmodum lætitiæ est animum extendere: & propterea ad instar tristati describitur Deus vtendo similitudine decurtati animi humano siquidem more describitur Deus condolens Israëli afflicto: vt non Israëlis merito, sed diuinæ misericordiæ attribuatur secuta liberatio populi.

Tristitia, & lætitia effectus. Deus humano more describitur.

Vers. 17. *Conclamauerúntque filij Hammon.*] proculdubiò tubis, & huiusmodi.

Et castrametati sunt in Ghilhad: contra quos congregati filij Israel, castrametati sunt in Mizpa.] Congregatio Israelitarum in Mizpa post aduentum Iepthæ intelligenda est: narratur enim more solito priùs res gesta; & deinde causa, seu modus rei gestæ. Vnde statim subiungitur modus, quo habitus est dux exercitus, subiungendo concilium Galahaditarum, contra quos directè tendebat bellum: & fuit conclusio concilij, quòd caput exercitus esset Princeps in regione Ghalahad.

Scriptura priùs rem gestam, deinde causam, & modum narrat.

Vers. 18. *Dixerúntque Principes Ghilhad quilibet ad proximum suum: Quicunque cœperit pugnare contra filios Hammon, erit dux omnibus habitatoribus Ghilhad.*

CAPVT XI.

Vers. 1. VIRQVE *illo tempore Iipthach Ghilhadites vir fortis, filius mulieris meretricis: quis natus est de Galahad.*] Legendum esset, *& genuit Ghilhad Iipthach.* Et est sensus, quòd de muliere illa meretrice genuit Galahad Ieptham: corruptis tamen nominibus istis vtor propter consuetudinem. Et scito, quòd Galahad nomen est æquiuocum: nam & est nomen proprium patris Iepthæ, & est nomen proprium loci.

Galahad, nomen est æquiuocum.

Vers. 2. *Habuit autem Ghilhad vxorem, de qua suscepit filios: qui, postquàm creuerunt, eiecerunt Iphthae, & dixerunt ei: Hæres in domo patris nostri esse non poteris: quia de adultera matre natus es.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quia filius mulieris alterius tu.* Nihil dicitur de adulterio: sed duntaxat, quòd mater eius esset mulier alia. Et est sensus, quòd erat mulier, neque vxor, neque concubina patris: concubinæ enim erant veræ vxores, quantùm ad thorum: quamuis non quantùm ad dignitatem: & filij earum inter hæredes supputabantur, nisi pater aliter disposuisset, vt fecit Abraham: nam filij Iacob omnes fuerunt hæredes. Sed iste Ieptha natus erat ex muliere, quæ non erat mulier patris Iepthæ: & propterea dicitur mulier alia, hoc est, mulier aliena à patre eorum: vtpote nullo vinculo illi iuncta, sed fornicario duntaxat coitu.

Mulier altera, quæ sit, explicatur.

Filij concubinarum inter hæredes numerabantur ab Hebræis, aliquando.

Vers. 3. *Quos ille fugiens habitauit in terra Tob, congregatíque sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes.*] Iuxta Hebræum habetur, *viri vacui.* Nihil dicitur de latrocinio, sed de paupertate: erant enim vacui opibus.

Et egressi sunt cum eo.

Vers. 4. *Et fuit post aliquot dies pugnauerunt filij Hammon contra Israel.*] Redit Author ad ordinem historiæ.

Vers. 5. *Quibus acriter instantibus.*] Non habetur hoc in Hebræo: *Et fuit, cùm pugnarent filij Hammon contra Israël, perrexerunt seniores Ghilhad, vt tollerent Iphthach de terra Tob.*

Vers. 6. *Dixerúntque ad eum: Veni, & esto Princeps noster, & pugna contra filios Hammon.*

Vers. 7. *Quibus ille respondit: Nónne vos estis, qui odistis me, & eiecistis de domo patris mei: & cur venistis ad me, cùm angustia est vobis?*] Hinc apparet, quod Senum authoritate expulsus fuerat Ieptha è domo patris sui, publico mandato, ita vt fugere illum oportuerit.

Ieptha publico mandato è domo patris sui eiectus.

Vers. 8. *Dixerúntque seniores Ghilhad ad eum: Ob hanc causam nunc reuersi sumus ad te, vt proficiscaris nobiscum, & pugnes contra filios Hammon, túque dux omnium, qui habitant in Ghilhad.*] Fatentur tenes ob suam angustiam, quam patiebantur ab Hammonitis, reuersos se ad Ieptham. Et aiunt: *Reuersi sumus ad te.* non quòd bis venerint, sed quòd animum denuò verterint ad ipsum, quemadmodum priùs bonum habuerant erga ipsum animum, antequàm expellerent eum.

Vers. 9. *Dixítque Iphthach ad eos: Si reuerti facitis me ad pugnandum contra filios Hammon, tradiderit. que eos Dominus coram me, ego ero vobis in ducem?*

Vers. 10. *Qui respondérunt ei: Dominus, qui hæc audit, ipse mediator, ac testis est, quòd nostra promissa faciemus.*] Patui refert, quòd Hebraicè habetur: *Iehouah erit audiens inter nos inuicem, si non secundùm verbum tuum sic faciemus.* Deum testem ac iudicem inuocant, si non fecerint secundùm verbum Iepthæ.

Vers. 11. *Iitque Iphthach cum senioribus Ghilhad, posuítque eum populus super se caput, & ducem: locutúsque est Iphthach omnes sermones suos coram Domino in Mizpa.*] De verbis Iepthæ habitis

cum populo, quando constitutus est Princeps, est sermo: narratur enim deuotio eius erga verum Deum in assecutione principatus: & hoc in Mizpa ciuitate sua.

Vers. 12. *Et misit Iephthach nuncios ad Regem filiorum Hammon dicendo*] Quia Hammonitæ inferebant bellum aduersùs Ghalahaditas, optimo officio Principis incipit fungi Ieptha interrogando causam belli.

Optimũ officium Principis, quod.

Quid mihi, & tibi, quòd venisti ad me, vt pugnes contra terram meam?] Interrogantis sunt, quid commune vtrique sit causa belli.

Quibus ille respondit:

Vers. 13. *Quia tulit Israël terram meam, quando ascendit ex Ægypto, ab Arnon vsque ad Iabboc, & vsque ad Iarden, & nunc redde eam cum pace.*] Hinc apparet, quòd Rex iste erat etiam Rex Moab: nam terra, quam repetebat, Moabitarum olim fuerat: vt scribitur Num. 21.

Vers. 14. *Addidit autem adhuc Iephthach: & misit nuncios ad Regem filiorum Hammon. Et imperauit eis, vt dicerent Regi Hammon.*

Vers. 15. *Hæc dicit Iephthach: Non tulit Israël terram Moab, & filiorum Hammon.*

Vers. 16. *Sed cùm ascenderent ex Ægypto, ambulauit Israël per solitudinem vsque ad mare rubrum, & venit in Cades.*

Vers. 17. *Misitque Israël nuncios ad Regem Edom dicendo: Dimitte, obsecro, vt transeam per terram tuam: qui noluit acquiescere precibus eius. Misit quoque ad Regem Moab: qui & ipse transitum prabere noluit.*] Intellige hanc legationem missam anno secundo egressionis ex Ægypto: & perpende tacitam fuisse à Mose huiusmodi legationem ante regressum exploratorum. *Mansitque Israel in Cades. Ambulauitque per desertum.*

Vers. 18. *Et circumiuit terram Edom, & terram Moab, venitque ab ortu Solis terræ Moab, & castrametati sunt trans Arnon: nec intrauerunt terminum Moab: Arnon enim est terminus Moab.*

Vers. 19. *Misitque Israel nuncios ad Sehon Regem Emorræum, Regem Chesbon: & dixit ei Israël, transeam obsecro per terram tuam vsque ad locum meum.*] Hoc est, vsque ad terram promissionis.

Vers. 20. *Qui & ipse Israël verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos suos.*] Honestiùs narrat Hebraïca litera: *Et non credidit Sehon Israelem transire per terminum suum.* Diffidentia scribitur ratio negati transitus.

Sed infinita multitudine congregata egressus est contra eum in Iasa, & fortiter resistebat.] Iuxta Hebræum habetur; *& congregauit Sehon totum populum suum, & castrametati sunt in Iahza: & pugnauit cum Israel.*] Bellum offensiuum ex parte Regis Seon describitur aduersùs Israëlem.

Vers. 21. *Tradidítque eum Dominus in manus Israel cum omni exercitu suo.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et dedit Iehouah Elohe Israelis Sehon, & omnem populum eius in manum Israël, & percusserunt eos.* Summus Deus, tanquam proprius Deus Israëlis, donator victoriæ significatur.

Deus est donator victoriæ.

Et possedit Israel omnem terram Emoræi habitatoris terræ illius.

Vers. 22. *Et possederunt omnem terminum Emoræi ab Arnon vsque ad Iabboc, & a solitudine vsque ad Iarden.*

Vers. 23. *Et nunc Dominus Deus Israël expulit Emorræum, pugnante contra illum populo suo Israel.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *a facie populi sui Israel.* Deum largitorem illius terræ probat ex eo, quòd expulit Emorræum ad præsentiam filiorum Israël.

Et tu possidebis eum?

Nónne quæ possedit Chamos Deus tuus, tibi iure debentur.] Iuxta Hebræum habetur: *Nónne quòd faciet possidere te Chemos Elohe tuus, illud possidebis? Et quicquid possidere fecit Dominus Deus noster à facie nostra, illud possidebimus?*] Confirmat rationem à simili, seu pari secundùm opinionem Deorum. Vers. 24.

Et nunc an melior es Balac, filio Zipor, Rege Moab?] Accumulat rationes ex parte illius Regis, qui regnabat in Moab, tempore, quo Israëlitæ acceperunt terram illam. Vers. 25.

Aut docere potes, quòd iurgatus sit contra Israël, & pugnauerit contra eum?] Iuxta Hebræum habetur: *Num litigando litigauit cum Israel? nũ pugnando pugnauit contra eos?* Sẽtẽtia est clara.

Quando habitauit Israël in Chesbon, & in filiabus eius, & in Haroer, & in filiabus eius, & in omnibus ciuitatibus, quæ sunt super terminos Arnon, per trecentos annos.] Intellige, consueto loquendi modo dixisse Ieptham trecentos annos: quia parum deerat temporis à possessione illius terræ ad trecentesimum annum. Vers. 26.

Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentasti?] Iuxta Hebræum habetur: *Et quare non eecisti eruere in tempore ipso?* Sed sententia in idem redit.

Egóque non peccaui tibi, & tu facis mihi malum, pugnando contra me: iudicet Dominus arbiter huius diei.] Iuxta Hebræum habetur: *Iudicabit Iehouah, iudicans hodie inter filios Israël, & inter filios Hammon.* Remisit causam in iudicium diuinum demonstrandum victoria partis habentis ius. Et honorat Deum verum officio iudicandi, dicens, quòd hodie (hoc est, in præsenti tempore) inter filios Israël, & filios Hammon iudicabit summus Deus iudicans; hoc est, ad quem spectat iudicium. Vers. 27.

Iudicium diuinum demonstratur victoria partis habentis ius.

Noluitque acquiescere Rex filiorum Hammon verbis Iephthach, quæ miserat ad eum. Vers. 28.

Factus est ergo super Ieptham spiritus Domini: & circumiens Ghalahad, & Menasse, Maspha quoque Ghalahad, & inde transiens ad filios Hammon.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et fuit super Iephthach spiritus Iehouah, & transiuit Ghilhad, & Menassem: & transiuit Mizpe Ghilhad, & de Mizpe Ghilhad transiuit ad filios Hammon.* Effectus diuini Spiritus manifestè significatur transitus Iepthæ ad filios Hammon; qui describitur in litera primò, quoad regiones pertransitas, dicendo: *Et transiuit Ghilhad, & Menassem*: deinde quoad viam, dicendo, quòd transiuit Mizpe Ghilhad, & de Mizpe Ghilhad transiuit ad filios Hammon. Et dicit Mizpe Ghilhad ad differentiam alterius Mizpe, quæ est in Tribu Iudæ, cuius fit mentio 1. Reg. 7. Vers. 29.

Votum Iephthe non profectum fuit à Spiritu Domini.

Votũ vouit Domino dicẽs.] Iuxta Heb. habetur: *Et vouit Iephthach votum Iehouah dicendo.* Quod ideò annotauerim, vt ab omnibus sciatur, aliam esse orationem in contextu Hebraïco: ne sumatur argumentum ex contextu, quòd hoc votum profectum est à Spiritu Domini: nam ex contextu efficacia huius argumenti non apparet, nec etiam contextus excludit hoc argumentum. Vers. 30.

Si tradendo tradideris filios Hammon in manum meam,

Quicunque primus fuerit egressus è foribus domus Vers. 31.

mus mea, in occursum meum, cùm reuersus fuero in pace a filiis Hammon.] Non est in Hebræo dictio, *primus*, quanuis subintelligatur: alioquin vouisset sacrificare omnes è domo sua egredientes obuiam reuertenti.

Erit holocaustum offeram Domino.] Plùs habetur Hebraicè, *& erit Iehouah, & offeram eum holocaustum.* ita quòd duo vouet: & quòd egrediens sibi obuiam erit fonti effendi, (hoc est, dicabitur summo Deo,) & offeret eum in holocaustum, quod totum crimabatur Deo. Et hæc annotabis, vt librare possis varia dicta de isto voto.

Duo vouit Iephte.

Vers. 32. *Transiuitque Iephthach ad filios Hammon, vt pugnaret contra eos: & tradidit eos Dominus in manum eius.*

Vers. 33. *Et percussit eos ab Haroher, vsquequo venias in Minnith viginti ciuitates, & vsque ad Abel vineatum, plaga magna valde: humiliatique sunt filij Hammon a facie filiorum Israel.*

Vers. 34. *Veniitque Iephthach in Mizpam ad domum suam: & ecce filia eius egrediebatur in occursum eius cum tympanis, & choris: & tantum ipsa sola, non erat ei ex se filius, vel filia.*

Vers. 35. *Quam visa scidit vestimenta sua, & ait: Heu me, filia mea, decepisti me,* Iuxta Hebræum habetur, *genuflectendo fecisti genuflectere me.* Et est sermo metaphoricus: est enim sensus, quòd humiliasti me ad instar genuflexi. Genuflexio enim species est humiliationis, tum secundùm situm corporalem, tum secundùm affectum animi, tum secundùm robur: ex eo enim, quod vniuersum semen suum se amittere ex hoc occursu perpendebat, valde humiliatum se dolet.

Genuflexio est species humiliationis.

Et ipsa decepta es.] Iuxta Hebræum habetur, *& in fuisti inter conturbantes me.* Vbi credidisti lætificare me, conturbasti me, quoad animum.

Aperui enim os meum ad Dominum, & non potero reuocare.

Vers. 36. *Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quicquid pollicitus es, concessa tibi victoria de hostibus tuis, de filiis Hammon.*

Vers. 37. *Dixitque patri suo: Hoc solum mihi præsta: dimitte me duobus mensibus, vt circumeam montes.*] Patui refert, quod Hebraice habetur, *& ibo, & descendam super montes.* Nonnulla vagandi species describitur: nisi credamus dicentibus, quòd dictio interpretata, *descendam*, interpretanda est, *lamentabor.* Et hæc interpretatio magis quadrat materiæ.

Et flebo super virginitatem meam ego, & sodales meæ.

Vers. 38. *Cui ille respondit: Vade. dimisitque eam duobus mensibus: cumque abiisset cum sociis, ac sodalibus suis.*] Iuxta Hebræum habetur, *& iuit ipsa, & sodales eius.* Nihilque dicitur de sociis.

Et fleuit super virginitatem suam in montibus.

Vers. 39. *Et fuit circa finem duorum mensium, reuersa est ad patrem suum, & fecit ei, sicut vouerat.*] Iuxta Hebræum clarius habetur, *& fecit ei votum suum, quod vouit.* Recole, quòd vouit, *& erit Domino, & offeram eum holocaustum:* & clarè scribi cognosces, quòd nō solùm dicauit eam Deo, sed etiam obtulit eam in holocaustum: alioquin non verificaretur Scriptura, dicens: *Et fecit ei votum suum, quod vouit.* De quæstione autem, an benè, vel malè fecerit, adimplendo sic votum, nihil certi habeo: quoniam potest intelligi, quòd ex Spiritu diuino, qui fuit super eum, fecit huiusmodi votum, & adimpleuit: in cuius signum in epistola ad Hebræos supputatur Iephtha in catalogo Sanctorum. Et potest intelligi, quòd ex mala intelligentia legis Mosis promulgatæ Leuit. vlt. (vt ibi diffusè declarauimus) adimpleuit votum hoc: vt sic Iephtha excusetur, non à toto, sed à tanto. Videtur enim, quòd hac ignorantia laborauerit, non ipse solus; sed etiam Sacerdos illius temporis: nam, cùm ipse esset Princeps, & duobus mensibus prorogata fuerit executio voti iam in publicum deducti, rationi consentaneum est, vt nec summus Sacerdos sciuerit declarare sensum legis: supposito, quòd Spiritu Dei hoc non fecerit; sed arbitratus se obligari ad votum ex lege.

An Iephte benè, vel malè fecerit adimplendo votum suum.

Et ipsa non cognouit virum. Exinde mos increuit in Israel.] Iuxta Hebræum habetur, *& fuit statutum in Israel.* Plusquam mos, aut consuetudo scribitur.

Vt post anni circulum.] Legendum est, *annatim.* quod clarius sonat perpetuitatem. Vers. 40.

Conuenient in vnum. Iuxta Hebræum habetur: *Ibunt filiæ Israel.* & nihil dicitur de conuentu.

Ad plangendum filiam Iephthach Ghilhaditæ, quatuor diebus in anno.]

CAPVT XII.

Vers. 1. *Ecce autem in Ephraim orta est seditio.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit congregatus vir Ephraim, & transiuit ad septentrionem.* Et est sermo de congregatione cum sono tubarum: significatur enim congregatio exercitus, malusque animus Ephraitarum erga Iephtham describitur.

Dixerúntque ad Iephthach: Quare transisti ad pugnandum cum filiis Hammon, & nos non vocasti, vt pergeremus tecum? Domum tuam incendemus.] Deficit, *super te.* minantur enim incendere, & ipsum, & domum eius.

Vers. 2. *Quibus ille respondit: Disceptatio erat mihi, & populo meo contra filios Hammon vehemens.*] Populum Ghalahaditem appellat populum suum.

Vocauique vos.] Plus habetur Hebraicè, *& clamaui ad vos.* Vnde patet, mentitos fuisse Ephraitas, dicendo se non fuisse vocatos.

Et non saluasti me de manu eorum.

Vers. 3. *Quod cernens posui animam meam in manibus meis.*] Metaphoricus est sermo, significans, quòd exposui vitam meam periculo pugnæ, quæ fit per manus.

Transiuique ad filios Hammon, & tradidit eos Dominus in manum meam: quid commerui, vt aduersum me consurgatis hodie ad prælium?

Vers. 4. *Vocatis itaque ad se cunctis viris de Ghilhad, pugnauit contra Ephraim: percussérúntque viri Ghilhad Ephraim, quia dixerat: Fugitiui estis Ghilhad de Ephraim, & habitat in medio Ephraim, & Manassis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Euasi de Ephraim vos Ghilhad, in medio Ephraim in medio Manassis.* Ad explanandum Hebraicam dictionem huximus participium passiuum, *euasi:* ignominia siquidè affecti fuerant Ghalahaditæ, tanquàm fugitiui ex Ephraim, tanquàm fugaces reputati, tam à Tribu Ephraim, quam à Tribu Manassis, cuius pars erat Ghalahad. Cur autem hanc ignominiam protulerint, liquidam occasionem nescimus: cùm nulla occurrat historia tradens de Ghalahaditis aliquid huiusmodi.

Ghalahaditæ ignominia affecti sunt à Tribubus Ephraim, & Manassis.

Occupauerúntque

Vers. 5. *Occupauerúntque viri Ghilhadite vada Iarden, per quæ Ephraim reuersurus erat: & fuit, quando dicebant fugitiui Ephraim, transibò, dicebant ei viri Ghilhad: Au tu es Ephrateus? & dicebat non.* Vers. 5.

Vers. 6. *Dicébántque ei:* [*Dic ergo Sciboleth, quòd interpretatur spica: qui respondebat Cheboleth, eadem littera spicam exprimere non valens.*] Iuxta Hebræum habetur: *Scibholeth: & dixit Siboleth, & non faciet dirigere ad loquendū sic.* Interpres enim antiquus expositoris officium assumpsit. Quòd autem dicitur in futuro tempore de Ephraïta, *& non faciet dirigere linguam suam ad loquendum sic*, relatiuè ad interrogationem describitur. Ex vsu autem loquendi Ephraïtarum defectus iste proferendi accidisse videtur eis: quemadmodum experimur in Italia, aliquam nationem loco corui proferre *crouum*. Vers. 6.

Defectus loquendi vnde contigerit Ephraïtis.

Statimque apprehensum iugulabant in ipso transitu Iarden: & ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.

Vers. 7. *Iudicauitque Iephthach Ghilhadites Israelem sex annis.*] Octauus Iudex fuit Iepthaïta quòd relatiuè ad Ghalahad fuit dominus; relatiuè verò ad Israël fuit Iudex.

Et mortuus est, ac sepultus in ciuitate sua Ghilhad.] Superfluit, *sua*: non enim explicatur, in qua ciuitate sepultus fuerit: sed duntaxat, quòd sepultus est in ciuitatibus Ghalahad. Forte in loco communi pluribus ciuitatibus sepultus fuit: & propterea scribitur sepultus in ciuitatibus Ghalahad.

Vers. 8. *Post hùnc.*] Tres Iudices (videlicet, nonus, decimus, & vndecimus) subiunguntur sine præclaris gestis.

Iudicauit Israelem Ibzan de Beth-lechem.

Vers. 9. *Qui habuit triginta filios, & totidem filias: quas emittens foras maritis dedit, & eiusdem numeri filios suis accepit vxores, introducens eas in domum suam: iudicauitque Israelem septem annis.*

Vers. 10. *Et mortuus est Ibzan, ac sepultus in Bethlechem.*

Vers. 11. *Cui successit Elon Zebulonites: iudicauitque Israelem decem annis.*

Vers. 12. *Et mortuus est Elon Zebulonites, ac sepultus in Aialon in terra Zebulun.*

Vers. 13. *Post hùnc que iudicauit Israelem Habdon, filius Hillel, Pir-hathonites:*

Vers. 14. *Qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes equitantes super septuaginta pullos asinarum.*] Superfluit, *asinarum*: pulli enim equorum ad eorum gloriam significantur.

Asinarum pulli equi significantur.

Et iudicauit Israelem octo annis.

Vers. 15. *Mortuúsque est Habdon, filius Hillel Pir-hathonites: & sepultus est in Pir-hathon in terra Ephraim in monte Hamalecitarum*

CAPVT XIII.

Vers. 1. RVRSVMQVE *filij Israel fecerunt malum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et addiderunt filij Israel ad faciendum malum in oculis Domini.* Progressus de malo in peius describitur.

Tradiditque eos Dominus in manum Philistinorum quadraginta annis.] Sexta est hæc afflictio populi Israël & diuturnior reliquis supradictis post ingressum in terram promissionis.

Sexta afflictio Israëlitarum diuturnior reliquis.

Vers. 2. *Fuitque vir vnus de Zar-ha de familia Danitarum, & nomen eius Manoach: & vxor eius sterilis, & non pepert.*

Apparuitque Angelus Domini mulieri, & dixit ei: Ecce nunc sterilis es, & non peperisti: Concipies autem, & paries filium. Vers. 3.

Cane ergo, ne bibas vinum, & siceram, & ne immundum quicquam comedas. Vers. 4.

Quia concipies, & paries filium, & nouacula non ascendet super caput eius: quia erit Nazaraus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero.] Non habetur in Hebræo, *ab infantia sua*: sed duntaxat, *quia Neziraus Elohim erit puer ab vtero.* Lege capitulum sextum Numeri, & inuenies legem Nazaræorum. Sed sat est hic nosse, quòd ratio inhibendi matri, quæ inhibita sunt Nazaræis, redditur in litera, vt puer incipiat Nazaræatum suum ex materno vtero: quia enim puer in vtero alitur ex sanguine matris, ideò abstinentia matris ab inhibitis Nazaræo, imputatur filio. Vers. 5.

Cur matri Samsonis inhibita cadē quæ Nazaræi.

Et ipse incipiet liberare Israelem de manu Philistinorum.] Significanter non dicit, liberabit; sed, *incipiet liberare*: quia Samson non liberauit, sed incepit liberare Israëlem à Philistinis.

Quæ cùm venisset ad maritum suum, dixit ei: Vir dei.] Iuxta Hebræum habetur: *Vir Elohim venit ad me.* Et hinc clarè apparet, quòd in specie viri apparuit Angelus. Vers. 6.

In specie viri terribilis apparuit Angelus, & cur.

Hàbens vultum angelicum.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et aspectus eius sicut aspectus Angeli Elohim, terribilis valdè.* Dictio interpretata, *terribilis*, sonat potius *formidatum*. Non apparuit sub specie viri amabilis; sed timendi: quia mulieri iuueni apparebat: nec decebat eam trahere ad sui amorem, sed reuerentiam: & propterea aptiùs interpretaretur, *reuerendus valdè*: vt etiam ipsa verba vxoris eximerent maritum ab omni suspicione noui amoris in vxore.

Zelotypia cauēda est vxoribus.

Quem cùm interrogassem, quis esset, & vnde venisset, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non interrogaui eum, quo ab isto ipse, & nomen suum non indicauit mihi.* Manifestat mulier se nihil aliud scire de conditionibus Angeli, qui apparuit, quia nescit nomen illius, & non interrogauit, quòd iret à loco isto, & per hoc manifestat, quòd nescit, vbi habitet, aut quo diuerterit.

Dixítque mihi: Ecce concipies, & paries filium: cauè, ne vinum bibas, & siceram, & ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer Neziraus Dei ab infantia sua ex vtero matris sua.] Iterum habetur, *Elohim*: nec habetur, *ab infantia sua*; sed *ex vtero*. Vers. 7.

Perpetuitas Nazaræatus Samsonis singularis.

Vsque in diem mortis sua.] Perpetuitas Nazaræatus Samsonis prænunciatur: quæ res fuit valdè singularis: nam secundùm legem, Nazaræatus erat ad tempus, & non per totam vitam hominis, vt patet Numeri 10.

Orauit itaque Manoach ad Dominum, & ait: Obsecro, Domine.] Nomen est, *Adonai*: blande precantem manifestans. Vers. 8.

Vt vir Dei, quem misisti, veniat iterum, & doceat nos, quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est.] Dictio interpretata, *Dei*, est nomen, *Elohim*: existimabat enim Angelum, qui apparuerat vxori, esse virum iustum, timentem Deum ac Prophetam: & propterea appellauit ipsum virum Elohim.

Exaudiuitque Deus deprecationem Manoach.] Et hic Deus nominatur Elohim, consonans gubernationi: iteruntque idem nomen repetitur subiungendo apparitionem Angeli Domini: appellatur enim Angelus Elohim ab officio gubernandi. Vers. 9.

Et

Et apparuit rursum Angelus Domini vxori eius sedenti in agro, & Manoach vir eius non erat cum ea.

Vers. 10. *Quæ festinauit, & cucurrit ad virum suum: & nunciauit ei dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem antè videram.*

Vers. 11. *Qui surrexit, & iuit post vxorem suam: veniénsque ad virum dixit ei: Tu es, qui locutus es mulieri? Et ait: Sum.*

Vers. 12. *Dixitque Manoach: Quando sermo tuus fuerit expletus, quid vis, vt faciat puer, aut à quo se obseruare debebit?*] Iuxta Hebræum habetur, *quod erit iudicium pueri, & opus eius?* Iudicium appellat decretum de vita pueri, & specialiter operis eius.

Iudicium quid significet.

Vers. 13. *Et dixit Angelus Domini ad Manoach: Ab omnibus, quæ locutus sum mulieri, caueat.*

Vers. 14. *De omni, quod ex vite nascitur, ne comedat; & vinum, & siceram non bibat; & nihil immundum comedat; omne, quod ei præcepi, custodiat.*] Scito, prudens lector, quòd non referuntur hæc verba Angeli ad puerum, sed ad vxorem: quia in Textu Hebraico omnia hæc verba tertiæ personæ (*cauebit, comedet, bibet, custodiet*) sunt fœminini generis. Quanuis enim Manuè interrogauerit de puero; Angelus tamen secundum hæc scripta distinctiùs respondet de vxore: de puero autem quid dixerit, non est scriptum, sed ex his perpendendum Author libri reliquit: putà, quòd erit Nazaræus vsque ad mortem: & quòd incipiet liberare populum à Philistinis.

Vers. 15. *Dixit itaque Manoach ad Angelum Domini: Obsecro te, vt acquiescas precibus meis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Retinebimus, obsecro, te, & faciemus tibi hœdum caprarum.* Prandium, seu cœnam volebat ei præparare.

Vers. 16. *Cui respondit Angelus Domini: Si retinueris me, non comedam de pane tuo; si verò feceris holocaustum, offer illud Domino: quia nesciebat Manoach, quod Angelus Domini esset.*

Vers. 17. *Dixitque ad eum: Quod est nomen tuum, quia veniét sermo tuus, & honorabimus te?*

Vers. 18. *Cui ille respondit: Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?*] Hebraica dictio, quanuis interpretari quoque possit occultum, subiunctis tamen quadrat, vt interpretetur *mirabile*; quadrat etiam gestis Samsonis admiratione dignis, quem annunciare venerat.

Mirabile nomen cur se dicat habere Angelus.

Vers. 19. *Tulitque Manoach hœdum caprarum, & libamenta.*] Iuxta Hebræum habetur, *& munus.* De quo diffusè scriptum est in Leuitici capitulo secundo: significat enim florem farinæ cum oleo, &c.

Et obtulit super petram Domino, qui facit mirabilia.] Iuxta Hebræum habetur, *& mirando ad faciendum: Manoach autem, & vxor eius intuebantur.* Describitur siquidem ad literam, quòd Manuè posuit super petram hœdum, & munus ad offerendum summo Deo: & ipse non obtulit Deo; sed rogauit Angelum, qui appellatur mirandus, vt faceret holocaustum: & ipse & vxor eius intuebantur Angelum facientem holocaustum. Hinc in primis habes, quòd nomen Angeli interpretandum est mirabile: nam inde author libri nominat ipsum admirandum. Habes deinde, quod hœdus non coctus delatus est: quia in holocaustum offerendus portabatur, iuxta mandatum Angeli respuentis comedere, & monentis, vt offerret holocaustum. Habes tertiò, quòd Angelus officium Sacerdotis exercuit faciendo quæcunque erant secundùm legem holocausti. Nec mutatur sensus, si legatur actiuè, *facienti mirari ad faciendum.* Nam etiam sic significatur, quòd Angelo facienti mirari dedit ad faciendum holocaustum. Siue ergo legatur Hebraica dictio actiuè, siue passiuè, in idem redit sententia.

Angelus sacerdotis officium exercet.

Cúmque ascenderet flamma supra altare in cælum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit.] Vers. 20. Quia nulla fit mentio lignorum, nulla fit mentio ignis delati, sed solius flammæ (non qualiscunque, sed ascendentis in cælos:) insinuatur implicitè flammam illam subitò ex lapide erupisse angelico ministerio.

Manoach autem, & vxor eius intuebantur, & ceciderunt super faciem suam in terram.

Et vltrà non apparuit eis Angelus Domini: túncque intellexit Manoach Angelum Domini esse. Vers. 21.

Dixitque ad vxorem suam: Morte morietur, quia vidimus Dominum.] Vers. 22. Nomen est Elohim: & sæpè dicta est ratio similis timoris.

Cui respondit vxor eius: Si Dominus nos vellet occidere, non suscepisset de manibus nostris holocaustum, & libamenta.] Vers. 23. Legendum est, *& munus*, vt suprà expositum.

Nec ostendisset nobis omnia hæc: neque ea, quæ ventura sunt, dixisset.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sicut tempus non facit audire nos sicut hoc.* Obscura sunt verba, sensus tamen est, quòd non fecisset nos audire, tum spectantia ad tempus futurum, tum spectantia ad talia futura: videlicet, abstinentiam meam à vino, &c. Nazaræatum pueri nascituri, & alendi: arguit enim mulier, tum ex gratia susceptæ holocausti, tum ex beneficio visus, tum ex beneficio auditus. Et hinc, prudens lector, ex hoc, quòd mulier asserit, Deum suscepisse holocaustum, & munus de manu eorum, confirmatur, quòd sensibili signo erumpentis ignis de petra viderant holocaustum susceptum fuisse à Deo.

Peperitque mulier filium, & vocauit nomen eius Simson: creuitque puer, & benedixit ei Dominus.] Vers. 24. Benedicere Dei est benefacere: ac per hoc, beneficium augmenti omni ex parte perfectum significatur.

Benedictio Dei est benefacere.

Cœpitque spiritus Dei agitare eum.] Vers. 25. Dictio interpretata, *agitare*, significat, *agitare*, seu aliquid simile, putà concutere: sed, quia bonum significatur, rectiùs exprimitur per agitare. Quo autem, vel quali signo sensibili cœperit hæc agitatio, non est scriptum.

In castris Dan inter Zorham, & Esthaol.] Locus, in quo diuinus spiritus cœpit commouere Samsonem describitur, non ciuitas, sed castra Dan: quia inter tentoria hic effectus apparuit.

CAPVT XIV.

DESCENDITQVE *Simson in Thimnath: & vidit mulierem in Thimnath de filiabus Philistinorum.* Vers. 1.

Ascenditque, & nunciauit patri suo, & matri Vers. 2. *suæ dicens: Mulierem vidi in Thimnath de filiabus Philistinorum, & nunc accipite eam mihi in vxorem.*

Cui dixerunt pater, & mater eius: An non est in Vers. 3. *filiabus fratrum tuorum, & in toto populo meo mulier, quòd tu vadis, vt accipias vxorem de Philistinis incircuncisis? Dixitque Simson patri suo: Eam accipe mihi, quia placuit in oculis meis.*

Parentes autem eius nesciebant, quòd res à Do- Vers. 4.

mino

mus fieret, & quæreret occasionem contra Philistinos.] Iunge dicta in calce præcedentis capituli, quòd spiritus Dei incepit commouere Samsonem, & quòd petiit vxorem Philistinam, vt quæreret occasionem aduersùs Philistinos, cum ignorantia parentum eius, quòd res ista procederet à Deo: & perpendes, quòd Samson motus spiritu Dei, sciens & prudens petiit huiusmodi coniugium; quanuis contra legem Mosis: ideò enim, non Samsonem, sed parentes eius, latere diuinum consilium scribitur.

Cur Samson acceperit vxorem Philistinam contra legem Mosis.

Eo enim tempore Philistini dominabantur Israëli.] Ad reddendam rationẽ iustæ occasionis quæsitæ à Samsone aduersùs Philistinos, adiungitur hîc dominium Philistinorum supra Israël: contra tyrannos enim iustè quæritur occasio lædendi.

Contra tyrannos iustè quæritur occasio lædendi.

Vers. 5. *Descendit itaque Simson cum patre suo, & matre in Thimnath: venerúntque ad vineas Thimnath: & ecce catulus leonum fauus & rugiens.*] Iuxta Hebræum habetur, *clamans in occursum eius*; nec dicitur aliquid de fæuitia.

Vers. 6. *Irruit autem spiritus Domini in Simson.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecundauit super eum spiritus Iehouah.* Si liceret dicere, legendum esset, & *prosperauit*: nam successum prosperum in Samsone diuini spiritus significat, vt effectus subsecutus testatur.

Et dilacerauit eum quasi hœdum in frusta decerperet: nihil omninò habens in manu sua: & non indicauit patri suo, & matri, quod fecerat.] Hinc clarè habetur, quòd Samson declinauerat à via, qua incedebant parentes eius, & extra viam occurrit ei catulus leonis.

Vers. 7. *Descenditque, & locutus est mulieri: & placuit in oculis Simson.*

Vers. 8. *Et reuersus est post aliquot dies, vt acciperet eam: declinauitque, vt videret cadauer leonis: & ecce examen apum erat in corpore leonis, & mel.*

Vers. 9. *Quod cum sumpsisset in manibus, iuit eundo, & comedendo, veniénsque ad patrem suum, & matrem dedit eis partem, & comederunt, & non indicauit eis, quòd de corpore leonis tulisset mel.*

Vers. 10. *Descendit itaque pater eius ad mulierem: & fecit ibi Simson conuiuium; sic enim iuuenes facere consueuerant.*

Vers. 11. *Cúmque ciues loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta, qui essent cum eo.*] Nisi Samsonis persona præ se tulisset virũ robustum & procerum, non redderetur pro causa datorum triginta sodalium aspectus eius: dati liquidem videntur sub specie conuiuarum; ad cauendum tamen ne quid mali ex Samsonis robore proficisceretur.

Cur triginta sodales dati sint Samsoni.

Vers. 12. *Quibus dixit Simson: Proponam vobis problema, quod si solueritis mihi intra septem dies conuiuij, dabo vobis triginta syndones, & totidem tunicas:*

Vers. 13. *Si autem non potueritis soluere, vos dabitis mihi triginta syndones, & triginta tunicas. Qui respondérunt ei: Propone problema, vt audiamus.*

Vers. 14. *Dixitque ei: De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Nec potuerunt per tres dies propositionem soluere.*

Vers. 15. *Cúmque adesset dies septimus, dixerunt vxori Simson: Suade viro tuo, vt indicet tibi, quid significet problema, ne comburamus te, & domum patris tui igni: vt spoliaret nos vocasti nos nonne?*

Vers. 16. *Fleuitque vxor Simson iuxta eum, & ait: Profectò odis me, & non diligis; idcirco problema, quod proposuisti filius populi mei, non vis mihi exponere. Cui ille respondit: Patri meo, & matri non indicaui, & tibi indicabo?*

Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum: Vers. 17. *tandémque die septimo, cum ei esset molesta, exposuit.*] Literalis quæstio subnitur: quoniam paulò superiùs dictum est; tum, quòd per tres dies soluere non potuerunt ænigma; tum, quòd isti sodales die septimo requisiuerunt vxorem Samsonis: quomodo ergo nunc dicitur, quòd fleuit vxor septem diebus conuiuij? Solutio est, quòd secundùm ordinem historiæ triduo studuerunt ad soluendum ænigma: quarto autem die ad vxorem Samsonis recurrerunt simpliciter: septimo autem die adiecerunt minas incendendi ipsam, & domum patris: vxor autem Samsonis quatuor diebus vltimis molesta erat ipsi Samsoni, inquirendo veritatem ænigmatis: & Samsone renuente vsque ad diem septimum, tándem septimo die vicit improbitas mulieris. Sensus autem literæ huius non est, quòd diebus septem vniuersis fleuerit, sed quòd infra illos dies septem conuiuij fleuit: ad librandum enim, quòd tempore conuiuij nuptialis illa fleuerit, scriptum est, quòd flebat septem diebus conuiuij; hoc est, non obstante, quòd duraret septenarius numerus dierum conuiuij nuptialis.

Quomodo intelligendum sit, vxorem Samsonis fleuisse septem diebus.

Quæ si statim indicauit ciuibus suis.

Et illi dixerunt ei die septimo ante Solis occubitum: Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Qui ait ad eos: Si non arassetis in vitula mea, non inuenissetis propositionem meam. Vers. 18.

Irruit itaque in eum spiritus Domini.] Iuxta Hebræum repetuntur supradicta verba. *Et prosperatus est super eum spiritus Iehouah, descenditque in Ascelon, & percussit ex eis triginta viros, quorum ablatas vestes dedit his, qui problema soluerant.*] Prosperior successus describitur ad percutiendum triginta Philistinos, quàm fuerat ad discerpendum leonem. Si miraris, diuinum spiritum inter hos iuueniles ludos admiscere opus suum, recole, quòd Angelus annunciator Samsonis dixit: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Et hoc oportet præ oculis habere in subiunctis Samsonis factis, quæ sunt mirabiliora. Vers. 19.

Spiritus diuinus inter iuueniles ludos admiscet opus suum.

Iratúsque est furor eius, & ascendit in domum patris sui.

Exitque vxor Simson sodali eius, qui societatem fecerat ei.] Vers. 20.

CAPVT XV.

ET fuit post dies aliquot in diebus messis triticeæ, visitauit Simson vxorem suam cum hœdo caprarum, dixitque: Ingrediar ad vxorem meam in cubiculum. Et non permisit ei pater eius, vt intraret. Dixitque ei pater eius: Vers. 1.

Putaui, quòd odisses eam.] Quia Samson iratus recesserat à domo socri, (vt in calce dicitur præcedentis capituli,) & vxor proditrix illius fuerat, ideò socer dicit: *Putaui, quod odisses eam.* verè enim digna erat odio Samsonis. Vers. 2.

Et ideo tradidi illam amico tuo: sed habet sororem, quæ iunior, & pulchrior illa est: sit tibi pro ea vxor.

Cui Simson respondit: Ab hac die non erit culpa in me contra Philistinos: faciam enim eis malum. Vers. 3.

Perrexítque, & cepit trecentas vulpes: caudísque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio.] Iuxta Hebræum habetur, & *posuit facem vnam inter duas caudas in medio.* describit enim Vers. 4.

particulariter

particulariter numerũ: videlicet, quòd binas iunxit vulpes in caudis cum face in medio duarum caudarum. Ligneas autem crediderim faces priùs ligatas, & deinde accensas statim emittendo combinationem illam: non enim dicitur quòd omnes simul emiſit.

Vers.5. *Quas igne succẽdens dimisit, vt hùc, illùcque discurrerent, quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum: quibus succensis, & comportata iam fruges, & adhuc stantes in stipula concremata sunt in tantum, vt vineas quoque & oliueta flamma consumeret.* Iuxta Heb. habetur. *Et succendit ignem in facibus, & misit in segetes Philistinorum: & fecit comburere ab acerno vsque ad segetem, & vsque ad vineam, & oleam.* Vbi clarè patent quatuor damna: quorum prima fuerunt granorum, tum aceruatim adhuc manentium in agris, tum manentium in culmis inexpertis mellorum falcem.

Vers.6. *Dixeruntque Philistiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Samson gener Thimnitæ, quia tulit vxorem eius, & dedit eam sodali eius. Ascenderúntque Philistiim, & combusserunt eam, & patrem eius igni.*

Vers.7. *Quibus ait Samson: Licèt hoc feceritis, tamen adhuc ex vobis expectam vltionem, & tunc quiescam.*] Iuxta Heb. habetur, *si facietis sicut istam? quia si vindicans in vos, & posteà cessabo?* Obscura valdè sententia est. Nec occurrit mihi magis consonus sensus, quàm iste: videlicet, *An facietis, sicut istam?* quasi dicat, non: hoc est, an facietis de socero, & de vxore. Et explicando negatiuam, subiungit: An, quia vindicauit in vos, & posteà cessabo? hoc est, signum, quòd non facietis iustitiam, est, quòd ratio facti vestri? quam interrogatiuè proponit, an, quia vindicauit in vos, & posteà cessabo? ratio, inquam, mouens animum vestrum, non est iustitia, sed spes, quòd ego cessabo à vindicta: quia vindicauit in vos, comburendo segetes. Vniuersa ergo sententia ad duo capita pertinet: nam prima interrogatiua sententia negationem iustitiæ in illis; secunda autem spem quietis Samsonis post huiusmodi duas vindictas, (alteram ab ipso, alteram à Philistinis) affirmat. Et per hæc manifestat, nullum in ipsis esse zelum iustitiæ: propter quod subiungitur.

Vers.8. *Percussitque eos ingenti plaga, ita vt stupentes suram femoris imponerent.* Sæpè Interpres expositoris officium vsurpat: nam iuxta Hebræum habetur: *Et percussit eos tibia super coxam percussione magna.* Sed to tamen, quòd non est certus casus dictionis interpretata, *tibia*, an sit accusatiui, an ablatiui. Potest enim legi in casu accusatiuo: & sic significaret rem percussam: & potest legi in casu ablatiuo: & sic significaret instrumentum percutiendi. Et quidem, si percussa res significatur, intelliguntur nomine tibiæ, pedites; nomine coxæ, equites: quia illi super tibias, isti super crura sustinentur. Si verò instrumentum percutiendi intelligitur, mirabilis percutiendi modus significatur; videlicet, quòd pede percusserit femora eorum. Et hic sensus quadrat negotio: nam isti Philistini loquentes cum Samsone, aduenerant, vt Samson agnita combustione soceri, & vxoris, facta ab eis cessaret à vindicta, nec erat multitudo magna: & propterea facilè potuit Samson monstrata imustitia eorum, contra ipsos insurgere pede percutiendo femora eorum, & fugientium posteriores partes: vtræque enim partes significantur dicendo *super coxam*. Et quoniam vehementes erant ictus, ideò dicitur plaga magna.

Tibia super coxam, quid significet.

Descendénsque habitauit in spelunca petræ Etam.] In Tribu Iudæ rupes hæc erat: vt testantur subsecuta gesta à Philistinis contra Iudam, & ab ipsis Iudæis.

Vers.9. *Ascenderúntque Philistiim, & castrametati sunt in Iehuda in loco, qui postea vocatus est Lechi, id est, maxilla.*

Vers.10. *Dixerúntque ad eos viri de Tribu Iehudæ; Cur ascendistis contra nos? Qui responderunt: Vt ligemus Simson, ascẽdimus ad faciendũ ei, sicut fecit nobis.*

Vers.11. *Descenderúntque tria millia virorum de Iehuda ad specum silicis Etam: & dixerunt ad Simson: Nonne nosti, quod Philistiim nobis imperant? cur hoc fecisti nobis? quibus ille ait, sicut fecerunt mihi, sic feci eis. Dixerúntque ei:*

Vers.12. *Ad ligandum te descendimus, vt demus in manus Philistinorum. Quibus dixit Simson: Iurate mihi, quòd non occidetis me.*] Iuxta Hebr. habetur, *quòd non aduersabimini mihi vos.* Nolebat Samson contra Iudæos præliari, & propterea petit, vt ipsi Iudæi non pugnarent contra eum.

Vers.13. *Dixerúntque ei: Non te occidemus, sed vinctum trademus: & ligauerunt eum duobus nouis funibus, & ascendere fecerunt eum de petra Etam.*] Intelligo eum ligatum sponte tradentem se eis sub fide non aliter lædendi eum: huc enim tetendit totum colloquium habitum cum Samsone.

Vers.14. *Quis cum venisset ad locum Maxillæ, & Philistini vociferantes occurrissent ei, irruit spiritus Domini in eum.*] Iuxta Hebr. habetur, *prosperatus est super eum spiritus Iehouah.* Longè maior prosperitatis successus describitur, & penè incredibilis.

Et sicut patent ad ardorem ignis lina consumi; ita vincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt, & soluta.

Vers.15. *Inuenítque maxillam asini.*] Iuxta Hebræum additur, *recentem*: paulò antè siquidem mortuus fuerat asinus.

Misítque manum suam, & accepit eam, & percussit in ea mille viros.

Vers.16. *Et ait Samson.*] cantando Canticum.

In maxilla asini asini acerorum, in maxilla asini percussi mille viros.] Sic iacet in Hebræo: nisi quòd multi Hebræi *asinum* secundò nominatum intelligunt *aceruum*, & legunt, aceruum aceruorum. Et intelligo referri capita cantici: vt primùm quòd sola maxilla asini; deinde quòd aceruos virorum fugauerit; & demum quòd mille viros percusserit, cecinerit diffuse. Non est autem diffusè scriptum Samsonis Canticum, sicut Canticum Delboræ: quia nihil Deo attribui in hoc Cantico, hæc tria capita recitata restantur. Propter quod non irrationabiliter Iosephus Samsonem elatum gloria vana describit: in cuius signum sacra Scriptura, nec introducendo Samsonem incipientem Canticum, nec describendo finisse Canticum dicit, quòd cecinit Domino: sed duntaxat, quòd Samson locutus est, nullam mentionem Dei, aut Domini faciendo.

Cur Samsonis Canticũ non fuit diffusè scriptũ.

Vers.17. *Cúmque compleuisset loqui, proiecit maxillam de manu sua: & vocauit locum illum Ramath-Lechi, quod interpretatur eleuatio maxillæ.*

Vers.18. *Sitiénsque valdè, clamauit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc magnam, & nunc morior siti, incidámque in manus incircumcisorum.*

Vers.19. *Et rupit Deus molarem dentem, qui erat in maxilla, & egressa sunt ex eo aquæ, quibus hausis reuersus est spiritus eius, & vixit: ideòque vocauit nomen*

nomen eius fons inuocantis, qui erat in maxilla, vsque in præsentem diem.

Vers. 20. *Iudicauitque Israël in diebus Philistim viginti annis.*] Duodecimus Iudex Samson scribitur; dominantibus tamen super Israël Philistinis. Et hinc clarè habes, quòd Iudices Israël, quanuis essent primi in populo; non tamen habebant dominium, sed officium iudicandi duntaxat.

Iudices Israel non habebant dominium, sed tantùm officium iudicandi.

CAPVT XVI.

Vers. 1. ABIIT *quoque Simson in Hazzam: viditque ibi mulierem meretricem, & ingressus est ad eam.*

Vers. 2. *Cumque dictum esset Hazzitis: Simson venit huc, circumdederunt eum, positis in porta ciuitatis custodibus, quibus tota nocte cum silentio præstolarentur, vt facto mane occiderent.*

Vers. 3. *Dormiuit autem Simson vsque ad medium noctis, surrexitque media nocte, & apprehendit fores portæ ciuitatis cum duobus postibus, & sera: impositásque humeris suis portauit ad verticem montis, qui respicit Chebron.*

Vers. 4. *Et fuit post hæc, dilexit mulierem in valle Sorec: & vocabatur Dalila.*] Nescitur, an mulier ista fuerit Hebræa, an Philistina: ex eo tamen, quòd non scribitur Philistina, innuitur, quòd non erat alienigena, sed Hebræa. Parui autem refert, quòd Hebraicè legitur, *in torrente Sorec.* Et quoad nomen mulieris legendum esset *Delila.*

Dalila an fuerit Hebræa, an Philistina.

Vers. 5. *Venerúntque ad eam Principes Philistinorum, & dixerunt ei: Decipe eum, & vide, in quo sit fortitudo eius magna, & quomodo eum superare valeamus, & vinctum affligere: quod si feceris, dabimus tibi singuli mille, & centum argenteos.*] Quot fuerint isti Satrapæ Philistinorum, non est scriptum: quia tamen quinque erant Philistinorum ciuitates præcipuæ, creduntur fuisse quinque: & tum authoritate, dominabátur enim Philistini Hebræis,) tũ magnitudine pecuniæ, tum leuitate mali, quod comminabantur inferre Samsoni, (non enim eum emebãt ad occidendum, aut vulnerandum; sed ad affligendum;) facilè muliebrem animum corruperunt.

Dalila corrupta fuit à quinque Satrapis Philistinorum.

Vers. 6. *Dixítque Delila ad Simson: Indica, quæso, mihi, in quo est fortitudo tua magna; & quid sit, quo ligatus erumpere nequeas.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *& quo ligeris ad affligendum* &c. in idem enim redit sententia.

Vers. 7. *Dixítque ei Simson: Si septem neruiceis funibus, necdum siccis, & adhuc humentibus.*] Iuxta Hebræum habetur, *funibus recentibus, quæ non fuerunt siccata, ligatus fuero, infirmus ero, & vt cæteri homines.* Incerta est materia horum funiculorum: quanuis certum sit, quòd inuenitur quandoque sicca, & quandoque recens. Et, si libratum fuerit recens cõtra exiccatum, apparebit, quòd recens ponitur pro viridi: & significantur funiculi ex virgultis viridibus.

Recens ponitur pro viridi.

Vers. 8. *Attulerúntque ad eam Satrapæ Philistinorum septem funes, vt dixerat: quibus vinxit eum,*

Vers. 9. *Latentibus apud eum insidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus. Dixítque ad eum: Philistim super te, Simson.*] Aduerte, prudens lector, quod mulier non studebat ad hoc, vt occideretur Samson, (facilè enim fuisset dormientem à latétibus in aula occidi,) sed laborabit, vt vinctus traderetur Philistinis affligendus: & propterea interpres pro claritate historiæ apposuit finem rei expectantibus. Ligato enim Samsone, & dicente mulieri: *Philisthim super te, Samson.* tentabatur, an ex huiusmodi incussione timoris tanquam superuenientium Philistinorum Samson præualeret vinculis: vt si præualeret, incussisse timorem iocando fingeret mulier: si autem non præualeret, proditent latentes in cubiculo Philistini, & caperent eum. Et hoc modo intellige singulis vicibus repetita vincula, & repetitas comminationes, seu excitationes: *Philisthim super te, Samson.* cum latentibus insidiis.

Dalila quid intenderet ligando Samsonem.

Et rupit funes, sicut rumpitur filum stupæ, quando odorat ipsũ ignis: & non est cognita fortitudo eius.

Vers. 10. *Dixítque Delila ad Simsõ: Ecce illusisti mihi, & falsum locutus es: nunc indica, quæso mihi, quo ligari debeas.*

Vers. 11. *Cui ille respondit: Si ligaueris me nouis funibus, quibus non est factum opus, infirmus ero, & aliis hominibus similis.*

Vers. 12. *Quibus rursum Delila vinxit eum, & dixit ei: Philisthim super te, Simson. insidiæ autem manebant in cubiculo: & rupit eos de brachiis suis, sicut filum.*

Vers. 13. *Dixítque Delila ad eum: Vsquequò decipies me, & falsum loqueris: indica mihi, quo ligari debeas. Dixítque ad eam: Si septem crines capitis mei licio texueris, & clauum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero.*] Aiunt capillos Samsonis duitos fuisse in septem partes quasi septem cincinnos, & propterea scriptum esse septé crines: quia tamen hoc non est certum, ritius est per septem crines intelligere crines vniuersos; erat enim Nazaræus, habens longos crines, & septenario numero vniuersitatẽ significari perspicuum est.

Quid per septem crines Samsonis significetur.

Vers. 14. *Quod cum fecisset Delila, dixit ad eum: Philisthim super te, Simson. qui consurgens de somno, extraxit clauum cum crinibus, & licio.*

Vers. 15. *Dixítque ad eum Delila: Quomodo dicis, quòd ames me, cum animus tuus nõ sit mecũ? iam ter illusisti mihi, & non indicasti mihi, in quo sit fortitudo tua magna.*

Vers. 16. *Et fuit, cùm coarctaret eum verbis suis omnibus diebus, & molestaret eum, lassata est anima eius vsque ad mortem.*] Cerne, quanta est vis intimi amoris muliebris: & hyperbolico sermone describitur lassitudo animi vsque ad mortem.

Vis insani amoris mulierum.

Vers. 17. *Indicauítque ei totum cor suum, & dixit ei: Nouacula nunquam ascendit super caput meum, quia Nazræus Dei sum ab vtero matris meæ.* Iuxta Hebr. habetur nomen *Elohim.*

Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, & ero, sicut cæteri homines.] Hinc clarè apparet, quòd fortitudo Samsonis agnoscebatur ab ipsomet, non ex naturalibus viribus, sed speciale donum Dei: capilli enim non conferunt vires: & consequenter Samson non perdit vires naturales.

Samsonis fortitudo erat Dei donum.

Vers. 18. *Vidénsque Delila, quòd indicasset sibi totum cor suum, misit, & vocauit Principes Philistinorum dicẽdo: Ascendite adhuc semel, quia nunc indicauit mihi totum cor suum. Qui ascenderunt, assumpta pecunia, quam promiserant.*

Vers. 19. *At illa dormire eum fecit super genua sua, vocauítque tonsorem, & rasit septem crines eius.*] Intellige hæc, vt suprà

Vers. 20. *Et cœpit abigere eum.*] Iuxta Hebr. habetur, *& cœpit affligere eum, & recessit fortitudo eius ab eo.*

Dixítque: Philistim super te, Simson. Qualis fuerit afflictio, non est scriptum: opinetur quisque, vt sibi videtur: veruntamen perpendat, quod duo simul parauit mulier: nam & facto afflixit eum, & verbo excitauit eum solita comminatione:

natione: *Philisthim super te, Samson.* & vtrunque ad tentandum, si vere recessisset ab eo fortitudo eius. Vnde & subditur, quòd expergefactus proposuit facere, sicut alias vicibus fecerat.

Samson cur vsq; ibi dicitur, quod se scire prædixerat.

Qui dormiebat in, vrgens dixit in animo suo: Egrediar, sicut antè feci, & excutiam me. nesciens, quod recessisset ab eo Dominus.] Mirum est, quòd nescisse dicatur, quod se scire prædixerat, dicendo: *Si rasa fuero, recedet a me fortitudo mea.* Solutio est, quod expergefactus non animadvertit ad caput suum ratum, sed animum applicauit ad vtendum solito robore: in repentinis enim operamur secundùm præexistentem habitum: & propterea dicitur nescions quoad actualem notitiam in illa excitatione. Sigismundus autem dicitur, quòd *Iehouah recessit a super eum*: tum ad minuendum propriam causam fortitudinis Samsonis fuisse Deum manentem super Samsonem: manentem autem non localiter, sed secundum speciale donum affistendi ad vtendum membris Samsonis ad opera tantæ fortitudinis: tum ad insinuandum, spiritum diuinum super Samsonem fuisse gratiam gratis datam ad externas actiones fortitudinis: ideò enim scribitur non solùm quòd recessit ab eo fortitudo eius; sed etiam, quòd recessit ab eo Iehouah.

Vers. 21. *Quem cum apprehendissent Philisthim.*] Comperto per experientiam, quòd Samson perdiderat fortitudinem suam, vocati à muliere Philistini in aula latentes comprehenderunt eum.

Philisthini violãt fidem Dalila. *Statim eruerunt oculos eius.*] Superfluit, *statim.* Sed violauerunt fidem effodiendo oculos Samsonis: nam promiserant mulieri ligare eum duntaxat ad affligendum.

Et deduxerunt eum in Hazzam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.] Iuxta Heb habetur, *& ligauerunt ipsum in compedibus ferri, & fuit molitor in domo vinctorum.* Sententia est clara.

Vers. 22. *Iamque capilli eius renasci cœperant.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et cœpit capillus eius germinare, sicut fuit prius.* Et est sensus, quòd raso capite non fuit priuatus Samson germine capilliorum; sed iuxta solitum naturæ cursum cœperunt capilli crescere. Et scribitur hoc, ad significandum regressum Nazaræatus in Samsone; iuxta legis enim sanctionem, si Nazaræus infra tempus Nazaræatus fuisset ratus, oportebat iterum incipere Nazaræatum, vt patet Num. 10.

Regressus Nazaræatus in Samsone per crines denuò crescentes significatur.

Vers. 23. *Et Principes Philisthinorum congregati sunt ad sacrificandum sacrificium magnum Dagon Deo suo, & ad lætitiam: dixerúntque: Tradidit nobis Deus noster in manum nostram Simson, inimicum nostrum.*

Vers. 24. *Quod etiam videns populus laudabat Deum suum: dicebat enim: Tradidit Deus noster in manus nostras inimicum nostrum, & delentem terram nostram, & qui occidit plurimos.*

Vers. 25. *Et fuit, cum iucundum esset cor eorum, dixerunt: Vocate Simson, & faciat ludere nos: qui adductus de carcere ludebat ante eos, fecerúntque eum stare inter columnas.*

Vers. 26. *Dixitque Simson ad puerum, qui tenebat manum eius: Duc me, & fac me tangere columnas, super quas domus firmatur, & innitar eis.*

Vers. 27. *Domus autem erat plena virorum, ac mulierum, & ibi erant omnes Principes Philisthinorum: & super tectum circiter tria millia virorum, & mulierum, qui spectabant, cum luderet Simson.*

Vers. 28. *At ille inuocato Domino ait: Domine Deus meus, memento mei.*] Iuxta Hebræum habetur: *Adonai Iehoua memento mei quæso.* Supplicantis blandis nominibus sunt preces.

Et robora me obsecro, tantum hac vice Elohim.] Tertium adnexit diuinum nomen, primum *Domine mi*; deinde fontem essendi; & denique gubernatorem ac iudicem vniuersorum inuocat. Nec confingit in auctis capillis, qui obtexerat supplex pro robore hic vtet.

Et vlciscar vltione vna de duobus oculis meis de Philisthinis.] Quamuis Philisthim Deos suos laudarent; nihil tamen scribitur zeli diuini in Samsone; sed duntaxat amor vindicandi oculos proprios: vt intelligamus, Philisthinos quidem ex sua idololatria meruisse occidi; Samsonem autem perstitentem in cultu veri Dei obtinuisse à Deo robur ad vltionem propriam, quam Deus ordinabat ad vltionem quoque diuinam.

Samson ex merito vlciscitur.

Vers. 29. *Et apprehendens Simson duas columnas medias, quibus innitebatur domus, alteram que earum dextera, & alteram læua tenens.*

Vers. 30. *Ait: Moriatur anima mea cum Philisthim.*] Anima pro vita corporali sumitur Hebraïco loquendi more: elegisse siquidem se mori simul cum Philisthinis manifestat: quemadmodum Princeps exercitus prostratus hostes, mortem propriam concomitantem non respuit. Non eligitur in huiusmodi casibus mors propria in se ipsa: sed per se eligitur mors hostium, & concomitans propria mors toleranda admittitur propter bonum vltionis. Perspicuum est autem, humanas actiones morales iudicandas esse bonas, vel malas moraliter ex per se obiecto consono, vel dissono à ratione recta, quicquid sit de concomitantibus: vt patet de hominem iniquum occidente, se defendendo, quamuis iniqui concomitetur æterna mors in Inferno: quia defendens hæc non intendit quamuis cognoscat; sed intendit defendere se, ad quod sequitur, & mors corporis, & animæ alterius.

Anima, pro vita.

Vnde humanæ actiones iudicandæ sint bonæ, vel malæ.

Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat: pluresque interfecit moriens, quàm antè viuus interfecerat.

Vers. 31. *Descenderunt autem fratres eius, & tota domus patris eius, & tulerunt eum, & ascenderunt, & sepelierunt eum inter Zorham, & Esthaol, in sepulcro Manoach patris eius: iudicauitque Israel viginti annis.*]

CAPVT XVII.

Vers. 1. VIRque vir de monte Ephraim, cuius nomen erat Micha-Iehu.

Vers. 2. *Qui dixit matri suæ: Mille, & centum argentei, quos separaueras.*] Iuxta Hebræum habetur, *qui fuerunt ablati à te.* Fuerat enim furtiuè ablati.

Et super quibus me audiente iuraueras.] Iuxta Hebræum habetur, *& tu iurasti maledicendo, & etiam dixisti in auribus meis.* Inuocauerat enim Deum imprecando malum, vt consueuerunt mulieres amissis rebus execrationes dicere.

Mulieres ob sua rerum execrationes dicere amissis rebus.

Ecce ego habeo eos, & apud me sunt.] Iuxta Heb. habetur, *ecce argentum mecum est, ego accepi ipsum.* Fatetur filius se abstulisse argentum illud, & adhuc esse apud se.

Et dixit mater eius: Benedictus filius meus Domino.] Nomen est tetragrammaton. Et mirum est, quòd mulier idololatra verum Deum inuo-

erat ad opus idololatriæ: ideò enim benedicit filio, quia adimpleturam se iam videt votum suum ad faciendum idola: vt testantur subiuncta. Solutio est, quòd isti arbitrabantur, obsequium se præstare Deo vero, venerando idola quædam nullius speciali Dei nomine insignita. Coniectura autem huius habetur; tum ex eo, quòd pluries in hoc negotio repetitur nomen Domini Tetragrammaton, quod est nomen proprium veri Dei; tum, quòd idola absque aliquo nomine proprio alicuius Dei, aut animalis scribuntur in litera. Vnde & mater subiungit, se sanctificasse argentum hoc Domino: & est nomen Tetragrammaton, clare significans obsequij sui votum directum vero Deo.

Quomodo mulier verũ Deũ iuno at ad opus idolatriæ.

Vers. 3. *Et reddidit mille, & centum argenteos matri suæ: dixitque mater eius: Sanctificando sanctificaui argentum Domino de manu mea, filio meo, ad faciendum sculptile, atque conflatile: & nunc trado illud tibi.*] Iuxta Hebr. habetur, *& nunc reddam ipsum tibi.* Litera Hebraico more texitur: priùs narrando factum (videlicet, quòd filius restituit matri argentum), deinde narrando verba matris ad filium interiecta, antequàm restitutio fieret, (videlicet, quòd sanctificauerat argentum illud Deo; intercedente tamen executione filij; & propterea reddet illud filio ad exequendum votum,) & demum repetendo restitutionem.

Vers. 4. *Reddiditque argentum matri suæ: quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario.*] Intellige eam dedisse per filium.

Et fecit ex eis sculptile, atque conflatile, quod fuit in domo Micha-iehu.

Vers. 5. *Vtroque Micha fuit domus Dei.*] Nomen est *Elohim*; quod est nomen commune vero Deo, & Dijs secundum opinionem.

Et fecit Ephod, & Theraphim.] Quod autem sequitur, *(id est, vestem sacerdotalem & idola,*) interpres addidit. Et Ephod significat vestem superhumeralem, qua vtebantur in sacris: Theraphim autem obscuræ est significationis: certum tamen est, & ex Gen 31. & hinc, quod nomen est simulacrorum: nam quæ prius dixerat sculptile, & conflatile, modò appellat Theraphim: aiunt autem, Theraphim esse nomen officij; ita quòd statuæ ad officium diuinandi appellabantur Theraphim: & si hoc est verum, explicauit Author, quorsum hæc simulacra (alterum incisione, alterum fusione facta) culta fuerint.

Theraphim, quid.

Implere manum, quid.

Implenitque vnius filiorum suorum manum, & fuit ei in Sacerdotem.) Sæpe legitur actus iste implendi manum ad constituendum Sacerdotem, sed adhuc non comperi quid esset, suspicari licet, quòd implebant manus oleo, tanquàm consecrando illius manus: vel quòd implerentur manus aliquo offerendo primùm Deo. Crediderim tamen ego, quòd *implere*, sumitur pro *perficere*. & est sensus, perfecit munus perfectione requisita ad manus sacerdotales: quod est vngere manus mixtura ex oleo, & sanguine, vt in vnctione Sacerdotum legalium apparet. Et hæc sufficiant pro expositione similium, vbi reperiuntur.

Vers. 6. *In diebus illis non erat Rex in Israel: sed vnusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.*] Non dicitur: Non erat Iudex: & propterea incertum restat tempus, quo hæc gesta fuerunt, quæ narrantur ab hoc capitulo vsque ad finem huius libri: Iudices enim non dominabantur, quemadmodum Reges dominantur: & propterea dicendo: *Non erat Rex*, significatur, quod non erat aliquis dominus, non erat aliquis habens potestatem coërcendi inuitos, & puniendi, &c. & propterea vnusquisque suo arbitrio regebatur.

Non erat Rex, quemodo intelligendum.

Fuitque in tempore illo adolescens de Beth-lechem Iehuda, ex cognatione eius.] Clariùs scribitur Hebraicè, *de familia Iehuda: eratque ipse Leuita, & peregrinabatur ibi.* Mirum est, quòd iste simul scribitur, & Leuita, & de familia Iudæ: cùm Tribus Leui, & Tribus Iudæ essent diuersæ Tribus. Cessat autem admiratio, intelligendo Leuitam maternum genus ex Tribu Iudæ; paternum verò ex Tribu Leui duxisse. Vers. 7.

Abiitque vir de ciuitate Beth-lechem Iehuda ad peregrinandum, vbicunque sibi commodum inuenisset: venitque in montem Ephraim vsque ad domum Micha, faciens iter suum. Vers. 8.

Dixitque ei Micha: Vnde venis? Et dixit ei Leuita: Ego sum de Beth-lechem Iehuda, & vado ad peregrinandum, vbicunque inuenero. Vers. 9.

Dixitque ei Micha: Mane apud me, & esto mihi in patrem, ac Sacerdotem, & dabo tibi decem argenteos annuatim, ac vestem duplicem.] Parui refert, quòd Heb. habetur, *& ordinationem vestium.* integra siquidem prouisio vestium promittitur. Vers. 10.

Et victum tuum. Acquieuitque.] Iuxta Heb. habetur, *& iuit Leuita.* Deinde sequitur: Vers. 11.

Et voluit Leuita manere cum viro.] Insinuatur, quòd extra domum colloquium hoc fuerit: & quòd his auditis Leuita iuit domum, & vidit eã, & quòd visis omnibus placuit ei manere ibidem.

Et fuit adolescens ei sicut vnus ex filiis eius. Implenitque Micha manum Leuitæ.] Expone vt suprà. Vers. 12.

Et fuit ei adolescens in Sacerdotem: fuitque in domo Micha. Dixitque Micha:

Nunc scio, quòd benefaciet mihi Dominus, quia est mihi Leuita in Sacerdotem.] Dictio interpretata, *Dominus*, est nomen tetragrammaton: vt hinc etiam coniiciamus, quòd arbitrabatur Micha in cultu illo obsequium se præstare vero Deo. Vers. 13.

CAPVT XVIII.

IN diebus illis non erat Rex in Israël: & in diebus illis Tribus Danitarũ quærebat sibi hæreditatem ad habitandum: non enim acceperat vsque ad diem illũ in medio Tribuum filiorum Israël hæreditatem.] Quia incertum est nobis tempus, de quo est sermo, tutum est intelligere de sorte sufficiente ad habitandum præsentibus tunc Danitis. Et nisi negligentia Danitarum interceßisset, nequaquam Scriptura diceret, quòd vsque ad diem illum non acceperat hæreditatem suam Tribus Dan. Vers. 1.

Miseruntque filij Dan de familia sua quinque viros de extremo suo viros filios fortitudinis de Zorha, & de Esthaol ad explorandum terram, & considerandum eã, & dixerunt eis: Ite, considerate terrã: Venerunt ig. in montẽ Ephraim vsque ad domũ Micha, & mãserũt ibi. Iptique existentibus apud domũ Micha, Vers. 2.

Agnouerunt vocem adolescentis Leuitæ.] Alium fuisse modum proferendi apud Ephraim, & alium apud Iudam, ipsa agnitio vocis testatur. Vers. 3.

Declinauerunt itaque illuc, & dixerunt ei: Quis huc te adduxit? Quid hic agis, & quid est tibi hic?

Dixitque ad eos: Hæc, & hæc præstitit mihi Micha, & me mercede cõduxit, vt sim ei in Sacerdotẽ. Vers. 4.

Dixerũtque ei: Consule, quæsumus, Deũ, an secundabit viã nostrã, per quã ambulamus. Dictio interpretata, *Deum*, est nomen, *Elohim*. Parua istis cura fuit, an verũ Deum, an opinatos Deos cõsuleret. Vers. 5.

Dixitque

Vers.6. *Dixitque eis Sacerdos: Ite in pace. Dominus respicit viam vestram, & iter, quo pergitis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Iehonah in fronte viæ vestræ, per quam ambulatis.* Verum Deum respondet Leuita præcedere eos ad prosperum iter.

Vers.7. *Abierunt igitur quinque viri, & venerunt in Lais: viderúntque populum, qui erat in medio eius, habitantem considenter, iuxta consuetudinem Zidoniorum quietum & securum, nullo ei penitus resistente.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et non faciens pudere verbo, in terra hæres coactor.* Et est sensus, quòd nullus erat vexans eos verbis comminatoriis, nullus vexans eos iure hæreditatis tanquàm hæres dominij super eos, nullius demum vexans eos facto bellico. Deinde immediatè sequitur:

Et distantes ipsi à Zidoniis, & verbum non eis cum homine.] Recole tamen, quòd apud Hebræos *verbum* sumitur quandoque pro re, & significatur ad literam, quòd ciuitas ista nullam rem habebat communem cum aliis.

Vers.8. *Venerúntque ad fratres suos in Zorham, & Esthaol: & dixerunt eis fratres eorum: Quid vos? Qui responderunt:*

Vers.9. *Surgite, & ascendamus ad eos: videmus enim terram, & ecce est bona valdè: nolite negligere; nolite cessare.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et vos tacentes?* Arguentis verba sunt. Deinde immediatè sequitur:

Ne pigritabimini ad eundum, vt ingrediamini ad hæreditandum terram.] Hinc clarè apparet negligentia Danitarum, ob quam non acceperant hæreditatem; ponendo obicem executioni diuinæ promissionis.

Negligentia Danitarum arguitur.

Vers.10. *Quando intrabitis, venietis ad populum securum, & terram latam manibus, quia tradidit eam Deus in manus vestras: locum, in quo non est defectus alicuius rei, quæ est in terra.*] Dictio interpretata *Deus*, est nomen *Elohim*.

Vers.11. *Profectique sunt inde de familia Danitarum de Zorha, & Esthaol, sexcenti viri accincti armis bellicis.*

Vers.12. *Et ascenderunt, & castrametati sunt in Cariath Iearim in Iehuda.*] hoc est, iuxta ciuitatem illam, vt subiuncta testantur.

Propter quod vocauerunt locum illum, castra Dã, vsque ad diẽ hanc, & est post Cariath Iearim.

Vers.13. *Transierúntque inde in montem Ephraim: & venerunt vsque ad domum Micha.*

Vers.14. *Locutique sunt quinque viri, qui iuerant ad explorandam terram Lais, & dixerunt fratribus suis: Nostis, quòd in domibus istis sit ephod.*] Iuxta Hebræum habetur: *Num nostis, quod in domibus istis Ephod, & Theraphim, & sculptile, & conflatile?* Aduerte, prudens lector, contextum cum coniunctionibus copulatiuis: quoniam hinc argumentum sumitur, quòd Theraphim distinguitur contra sculptile, & conflatile. Dici tamen potest, quòd procul dubiò distinguitur, tanquam nomen officij contra nomina artium; hoc est, tanquàm officium contra res, in quibus exercebatur officium illud.

Theraphim distinguitur contra sculptile.

Et nunc videte, quid faciatis.

Vers.15. *Declinauerúntque illuc, & venerunt ad domum adolescentis Leuitæ, domum Micha: & salutauerunt eum pacificè.*

Vers.16. *Et sexcenti viri accincti armis bellicis suis stabant ad ostium portæ, qui erant de filiis Dan.*

Vers.17. *Et ascendentes quinque viri, qui iuerant ad explorandum terram, ingressi sunt illuc ad tollendum sculptile, & Ephod, & Theraphim, & conflatile: Sacerdósque stabat ad ostium portæ, & sexcenti viri accincti armis bellicis.*

Vers.18. *Et isti ingressi sunt domum Micha, & tulerunt sculptile, & Ephod, & Theraphim, & conflatile: dixitque ad eos Sacerdos: Quid vos facitis.*

Vers.19. *Qui responderunt ei. Tace, & pone manum tuam super os tuum, & veni nobiscum, & sis nobis in patrem, & Sacerdotem: quid est melius, esse te Sacerdotem domus viri vnius, aut esse te Sacerdotem Tribus, & familiæ in Israel?*

Vers.20. *Et iucundum fuit cor Sacerdotis: tulitque Ephod, & Theraphim, & sculptile, & ingressus est medium populi.*

Vers.21. *Verterúntque se, & abierunt: & posuerunt parvulos, ac iumenta, & pretiosa ante se.*] Ne intelligas res raptas ex domo Michæ: sed, quia cum vxoribus, & filiis, & vniuersa supellectili sexcenti isti viri profitebantur ad nouas sedes, timentes, quod euenit, (videlicet, quòd homines de familia Michæ congregarentur aduersùs eos pro furto idolorum,) præmiserunt cautè pueros, & reliqua ante se, ne lætio aliqua inferretur eis à familiaribus Michæ.

Vers.22. *Ipsi longè erant a domo Micha: & viri, qui erant in domibus, qua erant apud domum Micæ, congregati sunt, & persecuti sunt filios Dan.*

Vers.23. *Clamauerúntque ad filios Dan: qui verterunt facies suas, & dixerunt ad Micham: Quid habes, quòd congregatus es?*

Vers.24. *Qui respondit eis: Deos meos, quos feci, tulistis, & Sacerdotem, & abistis.*] Idola illa, quæ Theraphim appellata sunt, vocat Deos suos.

Et omnia, quæ habeo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quid mihi vltrà?* Non conqueritur, quòd Danitæ acceperint omnia, quæ habebat: sed quòd ea, quæ acceperant, (videlicet, Deos, & Sacerdotem,) tanti pendebat, vt illis perditis nihil sibi superesse videretur.

Et dicitis mihi, quid tibi est.

Vers.25. *Dixerúntque ei filij Dan: Cane, ne vltrà loquaris ad nos, ne veniant ad te viri animo concitati, & ipse cum domo tua pereas.*

Vers.26. *Abierúntque viri Dan in viam suam: videns autem Micha, quòd fortiores se essent, vertit se, & reuersus est in domum suam.*

Vers.27. *Et ipsi acceperunt, quæ fecerat Micha, & Sacerdotem, qui fuerat ei: venerúntque in Lais ad populum quietem, & securum, & percusserunt eos in ore gladij, & ciuitatem succenderunt igni.*] Quæstio, an hæc ciuitas sit illamet, cuius mentio facta est Iosuæ 19. tractata est ibidem conferendo scripta hic cum scriptis ibi.

Vers.28. *Et non fuit liberator, quia longinqua erat à Zidone, & cum Syris non erat ei cum homine, & ipsa erat in valle, quæ erat Beth-rechob: ædificauerúntque ciuitatem, & habitauerunt in ea.*

Vers.29. *Vocauerúntque nomen ciuitatis, Dan, in nomine Dan patris eorum, qui natus est Israel: & quidem Lais nomen ciuitatis erat in principio.*

Vers.30. *Posuerúntque sibi sculptile.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecerunt sungere sibi filij Dan sculptile.* Intellige hæc verba de filiis Dan, qui habitabant, siue ibi, siue alibi: vt intelligamus, quòd non solum isti sexcenti Danitæ, sed communiter filij Dan erexerunt sibi sculptile.

Et Iehonatham, filius Gherson, filij Mosis.] Varia est lectio: antiqui codices Hebræorum habent, *filij Mejeh*: moderni habent *Menasseh*. Et legendo *Meseh*, intelligunt Mosem

quanuis nusquam alibi sic scribatur Moses) vel quòd auus Ionatham vocabatur Menasses. Deinde immediatè subiungitur.

Ipse, & filij eius fuerunt Sacerdotes Tribui Dan vsque ad diem captiuitatis terræ.] Ex eo, quòd dicitur, Tribui Dan, trahor ad intelligendum hæc de Tribu Dan communiter: quod facile verificari potest non multiplicando sculptilia, & Sacerdotes: nam potest intelligi, quòd vniuersa Tribus Dan concurrebat ad hoc sculptile, & vtebatur hoc Sacerdote. Et dicit, vsque ad diem captiuitatis terræ, non vniuersæ, sed illius: sed hoc ad durationem istorum Sacerdotum duntaxat refertur: vt contextus ipse sonat. Deinde immediatè sequitur:

Vers. 31. *Et posuerunt sibi sculptile, quod fecit Michas, omnibus diebus, quibus fuit domus Elohim in Silo.*] Vide disparitatem: Sacerdotium Ionathan in filiis duravit vsque ad captiuitatem terræ: sculptile autem Michæ duravit, quandiu domus Domini fuit in Silo. Et domus quidem Domini, quanuis quoad ipsum tabernaculum sine termino certo fuerit in Silo; quoad officium tamen domus Domini desijt esse in Silo in morte Heli Sacerdotis: & de duratione quoad officium intellige literam hanc. An autem Ionathan sit nomen proprium illius Leuitæ, qui ex domo Michæ perrexit cum ipsis sexcentis viris, quanuis non explanetur in litera: consentaneum tamen rationi est, vt quemadmodum explicatur in calce, quòd sculptile Tribus Dan erat sculptile, quòd fecit Michas ita explanetur nomen Sacerdotis sæpè repetiti absque nomine proprio.

Disparitas inter sacerdotium Ionathan, & sacerdotium Michæ.

An sacerdotium duraverit vsque ad diem captiuitatis terræ.

Vna tamen superest quæstio, de duratione sacerdotij vsque ad diem captiuitatis terræ: quia captiuitas terræ fuit post tempora Dauidis: tempore autem Dauidis ordinatum fuit sacerdotium, nec in Tribu aliqua permisit Dauid huiusmodi abusus. Crediderim ego, propter hanc rationem, quòd non est sermo de captiuitate terræ, quæ facta post tempora Dauidis; sed de aliqua alia particulari captiuitate illius terræ facta prius: non enim omnia sunt scripta.

CAPVT XIX.

Vers. 1. FACTVM *est in diebus illis, non erat Rex in Israel: & vir quidam vir Leuita peregrinans in latere,*] Iuxta Hebræum habetur, *in pedibus montis Ephraim*: ima pars montis significatur.

Qui accepit vxorem.] Iuxta Hebræum habetur, *mulierem concubinam.* Vxor significatur quoad thorum: sic enim prisci patres appellabant concubinas, quæ quoad thorum duntaxat erant vxores.

Concubina quæ olim.

Vers. 2. *De Beth-lechem Iehuda.*] ad differentiam alterius Beth-lechem in Zabulon.

Et reuersa est cum.] Deest ante hanc clausulam vna clausula, videlicet, *Et fornicata est super eum concubina eius.* Hæc est causa, quare recessit à marito, quia fornicata est. Deinde sequitur:

Et recessit ab eo ad domum patris sui in Beth-lechem Iehudæ: & fuit ibi apud eum quatuor mensibus.] Iuxta Hebræum habetur, *annum quatuor menses.* Quanuis dictio interpretata, *annum*, interpretari possit, *dies*: & sic legendum esset, *dierum quatuor mensis.* Elige, lector, quem malueris sensum.

Vers. 3. *Surrexitque vir eius, & iuit post eam, vt loqueretur ad cor eius: ad reducendum eam, & puer eius erat cum eo, & par asinorum: quæ introduxit eum in domum patris sui, & vidit eum pater puellæ, & lætatus est in occursu eius.*

Vers. 4. *Et amplexatus est eum socer eius pater puellæ, & mansit cum eo tribus diebus: comederúntque, & biberunt, & manserunt ibi.*

Vers. 5. *Et fuit die quarta, surrexerunt mane, & surrexit, vt abiret: dixitque pater puellæ ad generum suum: Fulci cor tuũ buccella panis, & posteà ibitis.*

Vers. 6. *Sederúntque, ac comederunt ambo simul, & biberunt: dixitque pater puellæ ad virum: Quæso, vt hodie maneas, & lætetur cor tuum.*

Vers. 7. *Surrexitque vir, vt abiret: & compulit eum socer eius, & remeauit, & mansit ibi.*

Vers. 8. *Surrexitque mane die quinta, vt abiret: & dixit ei pater puellæ: Fulci, quæso, cor tuum, & remoratus est cùm vsque ad inclinationem diei.*] Non est verisimile, quòd hæc verba dixerit mane, sed post prandium ad euitandum calorem meridianum.

Comederúntque ambo.

Vers. 9. *Surrexitque vir, vt abiret cum concubina sua, & puero: & dixit ei socer eius pater puellæ: Ecce nunc dies ad occasum tendit, mane, quæso, etiam hodie hic, & lætetur cor tuum, crastique surgetis in viam vestram, & ibis in tentoria tua.*

Vers. 10. *Noluitque vir manere: sed surrexit, & abiit, & venit contra Iebus, ipsa est Ierusalem: ducens secum duos asinos onustos, & concubinam.*

Vers. 11. *Ipsis existentibus iuxta Iebus, dies inclinatus erat valdè: dixitque puer ad Dominum suum, veni, obsecro, & declinemus ad ciuitatem hanc Iebusæorum, & maneamus in ea.*

Vers. 12. *Cui respondit Dominus eius: Non declinemus ad ciuitatem gentis alienæ, quæ non est de filijs Israel.*] Hinc sumitur argumentum, quòd historia hæc fuit tanquam Ierusalem esset tam Iudæ, quàm Beniamin. Dici tamen posset, quòd historia hæc fuit medio tempore; videlicet, post combustionem illam Ierusalem, quæ facta est à Tribu Iudæ, antequàm habitaret Beniamin in ea cum Iebusæis.

Ierusalem cuius Tribus erat tempore huius historiæ.

Sed transeamus vsque ad Gibbham:

Vers. 13. *Et cùm illuc peruenerimus, manebimus in ea, aut certè in Rama.*

Vers. 14. *Transiitque, & abierunt: & occubuit eis Sol iuxta Gibbham, quæ est in Tribu Beniamin.*

Vers. 15. *Diuertérunt que ad eam, vt manerent ibi: quò cùm introissent, sedebant in platea ciuitatis, & nullus eos recipere volebat hospitio.*

Vers. 16. *Et ecce vir senex venit ab opera sua ex agro in vesperum: qui & ipse de monte erat Ephraim, & peregrinabatur in Gibbaa; homines autem loci illius erant filij Iemini.*] hoc est, filij Beniamin: describitur enim, quòd non solùm ciuitas erat in sorte Beniamin, sed habitatores erant filij Beniamin: ille autem, qui hospitalitati vacauit, peregrinus erat, vipote de Tribu Ephraim.

Vers. 17. *Eleuatis que oculis suis vidit senem sedentem in platea ciuitatis suis viatorem.*] Iuxta Hebræum habetur: *Virum viatorem.* Et ad hoc clarificandum Interpres addidit, *eius finibus suis.* hoc enim in Textu non habetur: sed ad explanandum, quomodo cognouerit illum esse viatorem, adiunctum est.

In platea ciuitatis: & dixit ad eum: Quo vadis, & vnde venis?

Vers. 18. *Qui respondit: Transiimus de Beth-lechem Iehudæ vsque ad pedes montis Ephraim, vnde sum, & perreximus vsque ad Beth-lechem Iehudæ, ad dominumque Domini vado.*] Nomen est tetragrammaton:

maton : domus siquidem Dei tunc erat in sorte Ephraim.

Et non est vir colligens me in domum.

Vers.19. *Palea, & fœnum est asinis nostris, & etiam panis, & vinum est mihi & ancillæ tuæ, & puero cum seruo tuo:nullius rei indigemus, nisi hospitio.*

Vers.20. *Cui respondit senex: Pax tibi sit:ego præbebo omnia, quæ necessaria sunt:tantùm in platea ne maneas.*

Vers.21. *Introduxitque eum in domum suam, & pabulum asinis præbuit: & lauerunt pedes suos, comederúntque, ac biberunt.*

Vers.22. *Illis epulantibus, ecce venerunt viri ciuitatis viri filij Belial, id est, absque iugo.*] Optime Interpres addidit, *id est, absque iugo:* virtutem liberi ad malum tanquam sine lege significantur. *Viri libere ad malum sine lege sunt.*

Et circumdantes domum, pulsauerunt ad ostium: dixerúntque ad virum dominum domus senem dicendo: Educ virum, qui ingressus est domum tuam, vt abutamur eo.] Quamuis Hebraice habetur: *Et cognoscemus eum.* cognitio tamen pro actu venereo ponitur: vt subiuncta senis verba manifestè testantur. *Cognitio pro actu venereo ponitur.*

Vers.23. *Egressúsque est ad eos senex, & ait: Non, fratres mei, nolite facere malum hoc, quia ingressus est vir iste domum meam:cessate ab hac stultitia.*] Legendum esset, *ignominia.* fuisset enim ignominia magna.

Vers.24. *Habeo filiam virginem, & hic vir habet concubinam:educam eas ad vos, humilietis eas, & vestram libidinem compleatis.*] Iuxta Hebræum honestiùs habetur: *Et facite eis bonum in oculis vestris.* Sic enim locutus fuerat etiam Lot:vbi disputauimus de peccato offerentium filias. Vide ibi.

Tantùm, obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et viro isti non facietis rem ignominiæ huius.* circumloquitur enim abusum viri.

Vers.25. *Et nolebant acquiescere sermonibus eius: quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam, & eis tradidit illudendam.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et apprehendit vir in concubina sua, & fecit exire ad eos foras: & cognouerunt eam, & abusi sunt ea tota nocte vsque mane, dimiserúntque eam in ascensu auroræ.* Mirum est, quòd non acquiescentes verbis senis offerentis concubinam hospitis, & propriam filiam, acquieuerint facto hospitis concedentis eis solam concubinam. Solutio est, quod multa alia intercesserunt, quæ hic tacentur:nam inferiùs Leuita iste refert coram senioribus Israel, quòd viri isti quærebant occidere ipsum Leuitam: quod hic tacetur. Secundum igitur rei gestæ ordinem viri isti primum quæsierunt abuti Leuita illo, nec acquieuerunt precibus senis; deinde vel difficultate, vel ira, vel nescio qua occasione mutati, ad occidendum Leuitam se verterunt: quo se tuente cum alijs, qui domi erant, tandem ad hoc deuentum est, vt dum illis concubina Leuitæ defenderent à vexatione domus: & sic Leuita quasi violenter apprehendit concubinam propriam, & compulit illam ad exeundum foras. Hic ordo quadrat scriptis vtrobique: diuinate enim oportet. *Leuita tradendo concubinam, liberauit se à vexatione.*

Sed tunc occurrit antiqua quæstio, quomodo liceat Leuitæ flagitium flagitio repensare: ipse enim facto dedit vxorem suam illis. Solutio est, quòd flagitium flagitio repensare nunquam licet: sed repensare passionem inferendam sibi ex vno alieno flagitio altera passione inferenda ex minore alieno quoque flagitio, nullum peccatum est. In proposito autem Leuita pati mortem propriam repensauit supplicio vxoris: ita, quòd non consensit in adulterium vxoris, sed in supplicium, quo affligenda erat à tot vexatoribus secundum actus venereos: & quemadmodum vxor inuita passa est, (& ideò excusatur:) ita Leuita inuitus vxoris supplicium pertulit, vt vitam propriam seruaret, non credens vxorem inde morituram. Sed restat quæstio, an liceuerit vito passionem propriam repensare passione vxoris inuitæ? Solutio est, quòd excusatur à tanto (eò quòd vxor est aliquid viri) sed non à toto: quia non subditur vxor viro quoad hoc. *Flagitium flagitio an repensare liceat.* *Passionem propriam repensare passione vxoris inuita an liceuerit.*

Et mulier recedentibus tenebris venit ad ostium domus, vbi erat dominus eius, & ibi corruit. Vers.26.

Manéque facto surrexit Dominus eius, & aperuit ostium domus, & egressus est, vt iret in viam suam: & ecce concubina eius iacebat ante ostium, & manus eius erant super limen. Vers.27.

Et dixit ad eam: Surge, & eamus: Vers.28. *qua nihil respondente intelligens, quòd esset mortua, tulit eam, & imposuit asino, reuersúsque est in domum suam.*

Quam cum esset ingressus, accepit gladium: & cadauer vxoris cum ossibus eius in duodecim frusta concidit, & misit vt omnes terminos Israel.] Fortè duo misit in Tribum Manassis, quia media trans flumen habitabat Iordanis: & fortè etiam ad ipsam Tribum Beniamin misit suam partem, ne non requisita videretur. Vers.29.

Quod cum vidissent singuli, conclamabant.] Parui refert, quòd aliter introducitur Hebraïcè: *Et erit omnis videns, & dicet. Non fuit. & non fuit visum, sicut hoc, a die, quo ascenderunt filij Israel è terra Aegypti vsque ad diem hanc: ponite vobis super hoc, consulite, & loquimini.* Verùm, quoniam sententia in idem redit, transeo huiusmodi leuia. Vers.30.

CAPVT XX.

GRessíque *sunt omnes filij Israël, & congregatus est cœtus tanquam vir vnus a Dan vsque ad Beersabee, & terra Galaad.*] Meminit specialiter terræ Ghalahad: quia erat extra terram promissionis. Et appellatione Ghalahad venit vniuersa regio trans Iordanem, in qua erant duæ Tribus, & dimidia. Vers.1.

Ad Dominum in Maspha.] Optimum principium conuenire ad supplicandum Deo. Et est sermo de Malpha, quæ erat in Tribu Iudæ.

Steterúntque anguli totius populi omnium Tribuum Israel.] hoc est, Principes totius populi, quos capitaneos milites appellant. Vers.2.

In ecclesia populi Dei, quadraginta millia virorum peditum pugnatorum.] Dictio interpretata, *Dei*, est nomen *Elohim*, descripto enim loco, vbi conuenerunt; describitur vnitas populi colentis vnum Deum, vt zelus Dei ratio conueniendi declaretur.

Et audierunt filij Beniamin, quòd ascendissent filij Israel in Maspham: dixerúntque filij Israel: Loquimini, quomodo fuit malum hoc. Vers.3.

Respondítque vir Leuita maritus mulieris occisæ, & ait: Veni in Gabbam Beniamin cum vxore mea ad hospitandum. Vers.4.

Et surrexerunt aduersùm me heri Gibbæ: & circumdederunt nocte domum, in qua manebam volentes me occidere.] Ecce ex relatione Leuitæ apparet, quod tacitum fuit in præcedente capitulo. Vers.5.

Vxorémque meam vexarunt, & mortua est.

Quam arreptam in frusta concidi, misíque eam Vers.6.

in omnes terminos possessionis vestræ.] Iuxta Hebræum habetur, *hæreditatis Israel.* Et statim sequitur:

Quia fecerunt fornicationem, & ignominiam in Israel.] Et statim sequitur:

Vers. 7. *Ecce omnes vos, filij Israel, date vobis verbum & consilium hîc.*] Modus loquendi variatur; sententia autem in idem redit: & propterea in huiusmodi leuibus pertransimus.

Vers. 8. *Surrexitque totus populus, tanquàm vir vnus, dicendo: Non recedemus in tentoria nostra, nec in suam domum quisque declinabit.*

Vers. 9. *Sed hoc contra Ghibbam in sorte faciemus.*

Vers. 10. *Decem viri accipiantur è centum ex omni Tribu Israël, & centum de mille, & mille de decem millibus, vt comportent exercitui cibaria, vt possimus pugnantes contra Ghebah Beniamin reddere ei, quod pro scelere meretur.*

Vers. 11. *Congregatúsque omnis vir Israël in ciuitatem, tanquàm vir vnus socij.*] Quanuis non explicetur nomen ciuitatis; subiuncta tamen insinuant, quòd in ciuitatem Maspha venerint: explicatum enim fuerat nomen ciuitatis: nam in capitulo vltimo clarè dicitur, quòd in Maspha iurauerint, quòd non darent filias suas filijs Beniamin: hoc autem iuramentum fuit post negatam iustitiam à Beniamitis.

Vers. 12. *Miserúntque Tribus Israël nuncios ad totam Tribum Beniamin, dicendo: Quod malum hoc, quod factum est in vobis?*

Vers. 13. *Et nunc tradite homines de Ghibba, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Israel.*] Non fuerat in culpa vniuersa Tribus Benjamin: & propterea tota Tribus requiritur ad opus iustitiæ, ad vindictam malefactorum.

Vers. 14. *Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israël vocem audire:*

Sed congregati sunt filij Beniamin è ciuitatibus in Ghibbam, vt exirent ad bellum contra filios Israël.

Vers. 15. *Inuentáque sunt de Beniamin vigintiquinque millia.*] Corrupta est litera: legendum est, *viginti, & sex millia virorum: educentium gladium.* sic enim habet Hebraica veritas.

Præter habitatores Gabaa.

Vers. 16. *Qui septingenti erant, viri fortes ita sinistra, vt dextera præliantes.*] Oppositum habetur Hebraicè: nam legitur, *vir electus, clausus manum dexteram suam.* De quolibet istorum septingentorum dicitur clausus manum dexteram suam, quia sinistra vtebantur pro dextra: vt latiùs declaratum fuit superiùs, cùm de Aioth idem scriptum fuit.

Clausus manum dexteram, *quid.*

Omnes isti funda iaciebant lapides ad capillum, & non deficiebant.] Hyperbolicus est sermo.

Vers. 17. *Virorum quoque Israël præter filios Beniamin inuenta sunt quadringenta millia educentium gladios, & parattum ad pugnam.*

Vers. 18. *Qui surrexerunt & venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo.*] Iuxta Hebræum habetur, *& ascenderunt in Beth-el.* Sed Interpres exposuit, hoc est, in Silo. Verè venerunt in domum Dei: ita quòd Beth-el non est nomen proprium loci, sed sunt duæ dictiones: *Beth* enim significat domum, & *El* significat Deum: testantur enim subiuncta, quòd de domo Dei, hoc est, de tabernaculo, vbi erat Arca fœderis, & summus Sacerdos, est sermo.

Beth-el, *quid.*

Consuluerúntque Deum.] Nomen est Elohim, cuius est iudicia vindictæ decernere.

Atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis?] Similis accidit hîc varietas ei, quæ commissa est in principio huius libri: nam Hebraïcè habetur: *Quis ascendet nobis in principio ad bellum contra filios Beniamin?* Non petitur dux exercitus: sed, quæ Tribus primam aciem habebit.

Quibus respondit Dominus: Iudas sit dux vester.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehuda erit in principio.* Caput totius exercitus decernitur Tribus Iudæ: vt, videlicet, sit prima ad pugnandum.

Surrexerúntque filij Israël mane, & castrametati sunt contra Ghibbam. Vers. 19.

Et egressi sunt viri Israël ad prælium contra filios Beniamin: & direxerunt viri Israel contra eos prælium ad Ghibbam. Vers. 20.

Egressíque filij Beniamin de Ghibba, prostrauerunt de filijs Israel die illo viginti duo millia virorum. Vers. 21.

Et confortatus est populus virorum Israël: & addiderunt, vt disponerent prælium in loco, in quo disposuerant die prima. Vers. 22.

Ascenderúntque filij Israel, & fleuerunt ante Dominum vsque ad vesperam: & interrogauerunt in Domino dicendo: Addam vltrà procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratris mei, an non? Quibus respondit Dominus: Ascendite ad eum. Vers. 23.

Accesserúntque filij Israël ad filios Beniamin die secunda. Vers. 24.

Et egressus est Beniamin in occursum eorum de Ghibba die secunda: & prostrauerunt de filijs Israël adhuc decem & octo millia virorum educentium gladium.] Mirus euentus: Deo siquidem approbante, imò dante eis caput, aggressi sunt iustissimum bellum, & tamen bis cæsi sunt, & tanta multitudo perempta cum turpi fuga. Occulta sunt nobis iudicia Dei quoad eorum rationes in specie: in genere autem scimus, quòd iusta sunt: in litera siquidem nulla innuitur ratio, nisi quòd tertia duntaxat vice fit mentio maioris humilitatis, ac deuotionis in Deum Israelitarum, narrando quòd tunc non aliqui, sed omnes filij Israël venerunt ad domum Dei, & quod non solùm fleuerunt, (vt secunda vice,) sed etiam, quòd ieiunauerunt; & tertiò, quòd obtulerunt holocausta & pacifica: & demum fit mentio, qui erat ibi Arca Dei, & Phinees Pontifex stabat ante Arcam & quòd per ipsum consuluerunt Deum. Hæc tamen duo vltima de Arca, & de Phinees non aderant ad tertiam vicem: quorum expresse veritas Hebraica habet, quòd Arca erat ibi in diebus illis; & similiter Phinees in diebus illis: per hoc enim insinuatur, quòd non tantum illa tertia vice, sed in illis diebus, quibus fuit bellum, erat ibi & Arca, & Pontifex. Nulla itaque ex hac Scriptura habetur ratio ex parte Dei, quare prima, & secunda vice Israelitæ succubuerunt; tertia autem victores fuerunt, nisi quia tertia vice fuit concursus totius populi, & adiunctum est ieiunium cum holocaustis, & pacificis. Dico autem, *ex parte Dei*, ad differentiam humanæ industriæ, quæ adhibita fuit non prioribus vicibus, sed tertia: videlicet, de ordinata simulatione fugæ ad educendum Beniamitas longè a ciuitate, & diuidendum eos in diuersas vias, & ordinatis simul in-

Occulta iudicia Dei in specie, non in genere.

sidiis, tum ad comburendum ciuitatem, tum ad perimendum euadere volentes.

Vers. 26. *Ascenderúntque omnes filij Israel, & totus populus, & venerunt in domum Dei: fleuerúntque, ac manserunt ibi coram Domino, & ieiunauerunt die illa vsque ad vesperam: & obtulerunt holocausta, & pacifica coram Domino.*

Vers. 27. *Interrogauerúntque filij Israël in Domino: & ibi erat arca fœderis Dei in diebus illis.*] Nomen est Elohim, consonans fœderi tabularum, quæ erant in Arca.

Vers. 28. *Et Phinchas, filius Eleazari, filij Aharon, stabat ante eam in diebus illis dicendo: Addam vltrà egredi ad prælium contra filios Beniamin, fratris mei, an cessabo?*] Hinc patet, rem hanc gestam fuisse viuente adhuc Phinees.

Vers. 29. *Dixítque Dominus: Ascendite, quia cras dabo eum in manum tuam.*

Vers. 30. *Posuítque Israel insidias contra Ghibbam per circuitum.*

Ascenderúntque filij Israel ad filios Beniamin die tertia, & disposuerunt ad Ghibbam, sicut semel, & iterum.

Vers. 31. *Egressíque filij Beniamin in occursum populi, euulsi sunt à ciuitate: & cœperunt percutere de populo fugiente, sicut semel, & iterum per duas semitas.*] Arte fugiebant per diuersas vias, vt diuiderent persecutores.

Quarum vna ascendebat in Bet-hel.] Duæ sunt dictiones, vt prædictum est.

Et altera in Ghibbam.] Iuxta Hebræum adiungitur, *in campo:* & deinde sequitur, *circiter triginta viros in Israël.* Scito, quòd Ghabaha quandoque est nomen proprium: vt hactenus ciuitas, in qua commissum fuit tantum scelus vocata est Ghabaha: quandoque verò est nomen appellatiuum, & significat collem: & sic sumitur hîc: propter quod adiungitur, in campo. Discerne ergo, prudens lector, quando est nomen proprium, & quando appellatiuum.

Ghabaha quid.

Vers. 32. *Putauerunt enim filij Beniamin eos fugere, sicut priùs: filij autem Israël dixerunt: Fugiamus, & euellamus eos ex ciuitate ad semitas.*

Vers. 33. *Omnes itaque viri Israël surgentes de loco suo struxerunt aciem in Baalthamar: insidiæ* Vers. 34. *Israël paulatim se aperire cœperunt, Et ab occidentali ciuitatis parte procedere. Et venerunt contra Ghibbam decem millia virorum electorum de Israel, & prælium aggrauatum est: illíque non intellexerunt, quòd ex omni parte ipsis instaret interitus.*

Vers. 35. *Percussítque eos Dominus in conspectu filiorum Israel.*] Summo Deo attribuit Scriptura victoriam.

Et interfecerunt filij Israël de Beniamin in die illa viginti quinque millia, & centum viros, omnes bellatores, & educentes gladium.] Hîc quidem describitur numerus occisorum Beniamitarum, quantùm ad tempus, videlicet, illo die: inferiùs autem describitur idem numerus in tres diuisus partes; quia describitur quoad locum: & horum decem & octo millia in loco vno, quinque millia verò alibi, & duo millia demum vltrà tendentia occisa sunt.

Vers. 36. *Filij autem Beniamin cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere, quod cernentes filij Israel dederunt eis ad fugiendum locum, vt ad præparatas insidias deuenirent, quas iuxta ciuitatem posuerant.*

Vers. 37. *Quæ cum repente de latibulis surrexissent, & Beniamin terga cedentibus daret, ingressi sunt ciuitatem, & percusserunt eam in ore gladij.*

Signum autem dederant filij Israël iis, quos in insidiis collocauerant, vt postquam ciuitatem cepissent, ignem accenderent: vt ascendente in altum fumo captam ciuitatem demonstrarent. Vers. 38.

Verterúntque se filij Israel in prælio: filij autẽ Beniamin putauerunt eos fugere, & instantiùs persequebantur cæsis ex exercitu Israel circiter triginta viris. Vers. 39.

Combustio autem cœpit ascendere è ciuitate, vt columna fumi: respexitque Beniamin post se, & ecce ascendebat combustio ciuitatis ad cælum. Vers. 40.

Viri autem Israël reuerterunt se: quod cùm vidissent filij Beniamin, in fugam versi sunt. Vers. 41.

Et ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos aduersariis persequentibus: & ij, qui ciuitatem succenderant, occurrerunt eis. Vers. 42.

Atque ita factum est, vt ex vtraque parte ab hostibus cæderentur, & sine quiete conculcarentur vsque ad orientalem plagam ciuitatis Ghibba. Vers. 43.

Ceciderúntque de Beniamin decem & octo millia virorum: & omnes ij erant viri fortes. Vers. 44.

Quod cùm vidissent, qui remanserant de Beniamin, verterunt se, & fugerunt in solitudinem ad petram Rimmon, in qua fuga occisa sunt in semitis quinque millia virorum: & persecuti sunt filij Israël Beniamin vsque ad Ghibbon, & percusserunt ex eo duo alia millia virorum. Vers. 45.

Fuerúntque omnes, qui ceciderunt de Beniamin in diuersis locis viginti quinque millia virorum, educentium gladium in die illa.] Non aduertatur hæc summa priùs scriptæ summæ viginti quinque millium, & centum: subintelliguntur enim centum taciti. Vers. 46.

Remanserunt itaque de omni numero Beniamin, qui euadere potuerant, & fugere in solitudinem, sexcenti viri: manserúntque in petra Rimmon quatuor mensibus.] Supputando filios Beniamin superiùs scriptos, perspicuum est, fuisse viginti sex millia, & septingentos; mortuos autem ex his viginti quinque millia, & centũ: residui igitur fuerunt mille & sexcenti: quo itaque pacto verificatur ista litera narrans, quòd residui fuerunt sexcenti viri? Solutio est, quòd mille viri occisi in primis duobus congressibus subticentur: nulla enim in litera fit mentio de Beniamitis occisis in primis duobus prælijs: sed narrando demum remansisse duntaxat sexcentos, insinuat, quòd mille occiti fuerant in primis prælijs. Vers. 47.

Regressi autem viri Israel ad filios Beniamin, omnes reliquias ciuitatis à viris, vsque ad iumenta, gladio percusserunt: cunctásque ciuitates, quas inuenta sunt, vorax flamma consumpsit.] Magna appareret crudelitas sæuire in mulieres ac infantes ex Tribu Beniamin, nulli ætati, nullíque sexui parcendo: nescio quo iure hoc fecerint, cùm in lege Mosis clarè inhibeatur occidere filios pro peccatis parentum. Suspicor autem ab exemplo maiorum didicisse, quòd quandocunque domus, vel ciuitas decerneretur anathema (siue alieni, siue Israëlitici generis,) tunc interimebant omnes sine discretione: & propterea tales censuerunt tunc filios Beniamin. Et mos iste fultus est authoritate legis Deuteron. 13. vbi decernitur, quòd ciuitas Israëlita declinans ad idololatriam puniatur sic. Similiter fultus est à iudicio Iosuæ, qui Hachan cum suis omnibus obruit. Vers. 48.

Apud Israëlitas in ciuitate decreta anathema, omnes & sine discretione interimebantur.

CAPVT

CAPVT XXI.

Vers. 1. VRAVERANT *autem filij Israel in Mizpa dicendo : Nullus ex nobis dabit filiam suam Beniamin in vxorem.*] Hinc clarè habes, quòd in Maspha existentes filij Israël acceperant responsum negatæ iustitiæ à filiis Beniamin : nam post negatam iustitiam iurauerunt, se non tradituros illis filias suas in vxores.

Vers. 2. *Venerúntque omnes ad domum Dei in Silo.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et venit populus Bethel, & sederunt ibi vsque ad vesperam in conspectu Elohim : leuauerúntque vocem suam, & fleuerunt fletu magno.*] Commiseratio populi respectu tribus Beniamin describitur.

Vers. 3. *Ac dixerunt : Quare Domine Deus Israël,*] Solita sunt nomina, *Iehouah Elohe Israel.* implorant enim summi Dei, ac gubernatoris eorum consilium.

Angustia Israelitarum propter Tribù Beniamin.

Erit hoc in Israël, vt deficeret hodie ex Israel vna Tribus ?] Angustiæ erant vndique : nam dare residuis in vxores proprias filias, erat periurium ; admittere autem mulieres finitimas, erat contra legem.

Vers. 4. *Altera autem die diluculo consurgentes extruxerunt altare : obtulerúntque ibi holocausta, & pacifícas victimas.*] Mirum est, quòd ibi (videlicet, in loco domus Dei) ædificauerint altare, propterea quòd altare holocaustorum erat ibi secundum legis decretum. Solutio est, quod altare factum à Mose non erat sufficiens ad sacrificia populi : & propterea in supplementum ædificatum est nouum altare, vel antiquum illud altare passum ruina fuerat; ignoramus enim gesta illius temporis.

Quomodo altare extructum sit, cùm tam ibi esset.

Vers. 5. *Dixerúntque filij Israel:*

Quis non ascendit in exercitum Domini de vniuersis Tribubus Israel ? magno enim iuramento se constrinxerant, cùm essent in Mizpa, interfici eos, qui defuissent.] Et alterum iuramentum (videlicet, interficiendi Iliaëlitas, qui deessent huic communi bello, factum narratur in Maspha.

Vers. 6. *Et dicta pœnitentia filij Israel erga fratrem suum Beniamin dixerunt : Abiuta est hodie Tribus vna de Israël.*

Vers. 7. *Vnde accipient, qui remanserunt vxores ? omnes enim in commune iurauimus per Dominum, non daturos nos eis filias nostras in vxores.*

Vers. 8. *Idcircò dixerunt : Quis est de omnibus Tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Mizpam? & ecce inuenti sunt habitatores Iabes-Ghilhad in illo exercitu non fuisse.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et ecce non venit vir ad castra ex Iabes-Ghilhad ad congregationem.* Narratur factum; videlicet, quòd Iabitæ non venerant ad congregationem castrorum.

Vers. 9. *Eo quoque tempore cùm essent in Silo, nullus ex eis ibi repertus est.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et numeratus est populus, & ecce non ibi vir ex habitatoribus Iabes-Ghilhad.* Prius narratum est, quòd non interfuerunt Iabitæ: nunc narratur modus, quo compertum est, quòd Iabitæ non interfuerunt, videlicet, recensendo populum, qui interfuit exercitui.

Vers. 10. *Miserunt itaque decem millia.*] Legendum est: *Miseruntque illuc congregationem duodecim millium virorum fortium.* sic enim habet Hebraica veritas.

Et præceperunt eis dicendo : Ite, & percutite habitatores Iabes-Ghilhad in ore gladij, & mulieres, & parvulos.

Vers. 11. *Et hoc est, quod obseruare debetis : omnem masculum, & omnem mulierem, quæ cognouit virum, interficite.*] Ecce iterum sæuitia in innocentes Israëlitici generis: & certè non ob magnum scelus, sed ob negligentiam maiorum.

Vers. 12. *Inuenerúntque sunt de habitatoribus Iabes-Ghilhad quadringenta puellæ virgines, quæ non nouerant viri thorum, & adduxerunt eas ad castra in Silo in terra Chenahan.*] Dicitur in terra Chanahan, quia Iabes Ghalahad erat trans Iordanem, vbi erant duæ Tribus, & dimidia, nec erat pars terræ promissionis, quæ appellatur terra Chanaham.

Vers. 13. *Misitque tota congregatio, & locuta est ad filios Beniamin, qui erant in petra Rimmon : & vocauit eos in pace.*

Vers. 14. *Et reuersus est Beniamin in tempore illo, & dederunt eis mulieres, quas viuificauerant ex mulieribus Iabes-Ghilhad, & non sufficerunt eis sic.*

Vers. 15. *Totúsque Israël valdè doluit, quia fecit Dominus fracturam in Tribubus Israel.*

Vers. 16. *Dixerúntque seniores congregationis : Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt vxores ? omnes enim de Beniamin fœmina conciderunt.*

Vers. 17. *Et dixerunt : Opus est, vt sit hereditas iis, qui euaserunt de Beniamin, vt non deleatur vna Tribus ex Israel.*

Vers. 18. *Non possumus dare eis vxores de filiabus nostris : constricti iuramento, quo diximus ; Maledictus, qui dederit vxorem Beniamin.*

Vers. 19. *Et dixerunt : Ecce solennitas Domini est in Silo annuersaria, quæ sita est ad Septentrionem vrbis Beth-el ad orientalem plagam viæ, quæ de Beth-el tendit ad Sichimam, & ad meridiem oppidi Lebona.*] Interpres expositoris officio fungitur : nam Hebraicè habetur: *Quæ a Septentrione ad Beth-el ad Orientem via ascendens à Beth-el ad Sechem, & à meridie ad Lebonam.* Sic describitur in textu Hebræo situs huius festiuitatis : festiuitas enim ista erat quidem festiuitas Domini in ciuitate Silo, vbi erat Arca Dei : sed extendebatur quasi processio festiua vsque ad certum locum extra ciuitatem, cuius loci situs describitur relatiuè ad tres cœli plagas.

Vers. 20. *Præceperúntque filiis Beniamin dicendo : Ite, & latitate in vineis.*

Vers. 21. *Cúmque videritis filias Silo ad ducendos choros exire procedere, exite repentè de vineis, & rapite vobis vnusquisque vxorem suam de filiabus Silo: & pergite in terram Beniamin.*] Duplex quæstio occurrit : altera, an senes isti periurium incurrerint, prouidendo Beniamitis de filiabus suorum in vxores ; vniuersi enim iurauerant : altera, an & senes, & Beniamitæ peccauerint peccato raptus. Solutio primæ est, quòd ipsi, qui iurauerant, (scientes formam iuramenti, interpretati sunt iuramentum fuisse vinculum singulorum; videlicet, quòd nullus propriam filiam daret Beniamitis in vxorem : & propterea non fuerunt periuri, tam tradendo illis filias Iabes, quàm tradendo filias Silonitti enim senes neutrius erant ciuitatis. Solutio secundæ est, quòd cùm voluntate, & proposito malefícia distinguantur, & in hac actione nulla fuerit voluntas rapiendi, non est commissum peccatum raptus formaliter, sed raptus duntaxat materialiter: non enim tendebatur ad iniuriam inferendam parentibus, & cõsanguineis, aut puellis, (vt patet: sed ad supplendum impotentiam parentum ob iuramentum: vt per hanc materialiter rapinam adimpleretur

Periurium an senes Beniamita incurrerint.

An raptus peccato peccauerint.

voluntas

voluntas parentum, si liberi à vinculo iuramenti fuissent: vt rei probauit euentus.

Vers. 22. *Cumque venerint patres, vel fratres earum ad litigandum ante nos, dicemus eis: Miseremini eorum: non enim rapuerunt eas iure bellantium, atque victorum; sed rogantibus, vt acciperent, non dedistis, & à vestra parte peccatum est.* | Iuxta Hebræum longe aliter habetur: *Quia non accepimus cuilibet vxorem suam in bello: quia non vos dedistis eis, sicut tempus culpabimini.* Integrant senes ex duobus capitibus excusationem rapinæ. Alterum est, quia non prouidimus in bello contra Iabes Ghalahad cuilibet filiorum Benjamin vxorem suam: defecerunt enim ducentæ: & in capite hoc tangitur, tum necessitas vxorum, tum communis deliberatio prouidendi eis de vxoribus, tum seniorum authoritas concurrens ad hanc rapinam. Alterum est, quòd hoc modo sine culpa vestra, sine violatione periurij, adimpletum est, quod omnes desiderabamus: quia non vos dedistis ipsis vxores, quod fuisset contra iusiurandum, quemadmodum tempus imputasset vobis periurium: durabat siquidem tempus, quo culpati fuissent, si ipsi dedissent filias suas Beniamitis: sic autem non vos dedistis, & ipsi habent vxores filias vestras absque hoc quod possitis culpari. Et hinc patet, quòd ad supplendum impotentiam parentum ad dandum proprias filias, ordinabatur directè hæc actio.

Ex duobus capitibus senes se excusant.

Fecerúntque ita filij Beniamin; & tulerunt vxores iuxta numerum suum de his, quæ ducebant choros, quas rapuerant: abierúntque, & reuersi sunt in hereditatem suam, ædificauerúntque ciuitates, & habitarunt in eis. Vers. 23.

Abierunt quoque inde filij Israël in tempore illo, vnusquisque ad Tribum suam, & familiam suam: exierúntque inde quilibet ad hereditatem suam. In diebus illis non erat Rex in Israel: sed vnusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Vers. 24.

Et sic finitur liber Iudicum. Romæ die XXIII. Iulij, M. D. XXXI.

D. D. THOMÆ

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. SIXTI,

IN LIBRVM RVTH ANNOTATIONES.

Quatuor in hoc libro annotanda sūt.

IN ER Ruth scriptus noscitur ad texendam genealogiam Dauidis Regis: & h storia est tam clara, vt expositione non egeat. Quædam tamen annotanda sunt. Primum in capitulo primo, quòd etiam mulierculę scribebant, legem scriptam Deuter. 25. de suscitando semine fratris defuncti, intelligi de fratribus carnalibus etiam vterinis: hoc enim manifestè testantur verba Noëmi ad nurus suas dicendo, quòd *ipsa est inepta ad generandum filios, qui sint maritis earum*, &c.

Etiam mulierculæ intelligebant legē scriptā.

An Noëmi hortata fuerit Ruth ad idololatriā.

Secundum, in eodem capitulo quæstiuncula non caret. quomodo Noëmi hortata est Ruth post reuersam alteram nurum dicendo: *Ecce reuersa est fratria tua ad populum suum, & ad Eloha suos; reuertere post eam.* hæc enim exhortatio sonat reuersionem ad idololatriam: nam Moabitæ idololatræ erant. Solutio est, quòd hoc intercueniebat per accidens relatiuè ad intentionem Noëmi: ipsa siquidem nihil aliud intendebat, nisi consolationem nurus, vt nuberet, & quiesceret: vnde & non dixit: Reuertere ad Eloha tuos: sed, *reuertere post fratriam tuam*: quæ reuertà amore nuptiarum reuersa fuerat.

Deus nominatur Sadai

Tertium, de diuinis nominibus dicendum esset, quia bis in hoc primo capitulo *Deus* nominatur *Sadai*: nisi alibi hoc idem nomen in libris Mosis tractassemus.

Quando, & quis hunc librum Ruth scripserit.

Demum in calce libri genealogia à Phares vsque ad Dauidem scripta testatur, libellum hunc scriptum fuisse, non solùm post natum Dauidem; sed etiam, postquam Dauid factus est Rex: hoc enim insinuatur ex hoc, quòd solus Dauid hìc nominatur filius Isai. Quis autem fuerit Author libri huius, nescitur. Plura non occurrunt scribenda circa libellum hunc.

LIBRI RVTH CAP. I.

FIT *fuit in diebus, quando iudicabant Iudices, fames in terra: abiitque vir de Beth-lechem Iehuda, vt peregrinaretur in regione Moab, ipse, & vxor eius, & duo liberi eius.* Vers. 1.

Nomenque viri Elimelech, & nomen vxoris eius Noëmi. & nomen duorum filiorum eius Machlon, & Chil-ion Eph-rathæi de Beth-lechem Iehuda: ingressique sunt regionem Moab, & fuerunt ibi. Vers. 2.

Et mortuus est Elimelech vir Noëmi: & remansit ipsa, ac duo filij eius. Vers. 3.

Acceperuntque sibi vxores Moabitidas, nomen vnius Horpa, & nomen alterius Ruth: & manserunt ibi circiter decem annos. Vers. 4.

Et mortui sunt etiam ambo ipsi, Mach lon, & Chil-ion: remansitque mulier orbata duobus liberis, ac marito. Vers. 5.

Surrexitque ipsa, & nurus eius, & reuersa est ex regione Moab: audierat enim in regione Moab, quod visitasset Dominus populum suum, dando eis panem. Vers. 6

Et egressa est è loco, in quo erat, & duæ nurus eius cum ea: abierantque per viam redeundo ad terram Iehuda. Vers. 7.

Dixitque Noëmi duabus nuribus suis: Ite, redite vnaquæque in domum matris suæ: faciat Dominus vobiscum misericordiam, sicut fecistis cum mortuis, & mecum. Vers. 8.

Det Dominus vobis, vt inueniatis requiem vnaquæque in domo viri sui: & osculata eas, leuauerunt que vocem suam, & fleuerunt. Vers. 9.

Dixerúntque ei: Tecum pergemus ad populum tuum. Vers. 10.

Quibus illa respondit: Reuertimini filiæ meæ: cur venitis

venitis mecum? num vltrà habebo filios in vtero meo, vt vires ex me sperare possitis?

Vers. 12. *Reuertimini, filia mea, ite: tam enim nimis senui, vt sim viro: si dicerem, est mihi spes, etiamsi essem hac nocte cum viro, & etiam parerem filios:*

Vers. 13. *An eos expectabitis, donec crescant? an ligabimini ab esse viris? Non filia mea: quia amaritudo esset mihi valdè magis, quam vobis: quia egressa est in me manus Domini.*

Vers. 14. *Leuauerúntque vocem suam, & rursum fleuerunt: osculatúsque est Heorpa socrum suam. Ruth verò adhæsit ei.*

Vers. 15. *Et dixit: Ecce reuersa est fratria tua ad populum suum, & ad Deos suos, reuertere post eam.*

Vers. 16. *Dixitque Ruth: Noli rogare me, vt relinquam te, vt recedam à te: quocunque enim perrexeris, pergam; & vbi morata fueris, morabor: populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus.*

Vers. 17. *Vbi morieris, moriar, & ibi sepeliar: sic faciat Dominus mihi, & sic addat, vt sola mors inter me, & te faciet diuisionem.*

Vers. 18. *Videns itaque, quòd indurata esset ad eundum secum, & cessauit loqui ad eam.*

Vers. 19. *Et perrexerunt ambæ, donec venirent in Beth-lechem: & fuit cùm ingressæ sunt Beth-lechem, commota est tota ciuitas super eas, & dixerunt; An hæc est Nahomi?*

Vers. 20. *Quibus ait: Ne vocetis me Nahomi, (id est, pulchram:) vocate me Marà, (id est, amaram:) quia amaritudine replenit Omnipotens me valdè.*

Vers. 21. *Ego plena abij, & vacuam reduxit me Dominus: cur vocatis me Nahomi, quam Dominus humiliauit, & afflixit Omnipotens?*

Vers. 22. *Et reuersa est Nahomi, & Ruth Moabitis, nurus eius, cum ea, reuersa est ex regione Moab: & venerunt in Beth-lechem, in principio messis hordeacea.*

CAPVT II.

Vers. 1. RAT autem Nahomi cognoscens maritum eius, vir potens, & magnarum opum de familia Elimelech, & nomen eius Bohaz.

Vers. 2. *Dixitque Ruth Moabitis ad Nahomi: Ibo nunc in agrum, & colligam spicas in agro illius, in cuius oculis inuenero gratiam. Et dixit ei: Vade, filia mea.*

Vers. 3. *Abiit itaque, & venit, & collegit in agro post messores: acciditque, vt pars agri esset ipsius Bohaz, qui erat de familia Elimelech.*

Vers. 4. *Et ecce Bohaz venit de Beth-lechem, dixitque messoribus: Dominus vobiscum: Qui respondérunt ei: Benedicat tibi Dominus.*

Vers. 5. *Dixitque Bohaz puero suo, qui præerat messoribus: Cuius est puella hæc?*

Vers. 6. *Cui respondit puer: Hæc est Moabitis, quæ venit cum Nahomi de regione Moab,*

Vers. 7. *Et rogauit, vt spicas colligeret post messores: & à mane vsque nunc stat in agro, & nec ad momentum quidem domum reuersa est.*

Vers. 8. *Et ait Bohaz ad Ruth: Audi, filia mea, ne vadas in alium agrum ad colligendum, nec transeas ab hoc loco, sed hic adhærebis puellis meis.*

Vers. 9. *Oculi tui erunt in agro, quem messuerint, pergéque post eas: non mandaui pueris, vt non tangant te, & si sitieris, perge ad vasa, & bibe de his, quæ hauserint pueri.*

Vers. 10. *Et cecidit in faciem suam, & incuruauit se in terram: dixitque ei: Vnde inuenigratiam in oculis tuis, vt cognosceres me, quæ sum alienigena?*

Cui ille respondit: Nunciata mihi sunt omnia, Vers. 11. *quæ fecisti socrui tuæ post mortem viri tui, & reliquisti patrem tuum, & matrem tuam, & terram nassitatis tuæ, & venisti ad populum, quem non nouisti ab heri & nudiustertius.*

Reddat tibi Dominus pro opere tuo: & plenam Vers. 12. *mercedem recipias à Domino Deo Israel, ad quem venisti, & sub cuius alas confugisti.*

Et dixit: Inueniam gratiam in oculis tuis, Domi- Vers. 13. *ne mi: quia consolatus es me, & quia locutus es ad cor ancillæ tuæ; & ego non ero, sicut vna ancillarum tuarum?*

Dixitque ei Bohaz: Tempore cibi accede huc, & Vers. 14. *comede de pane, & intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ex latere messorum, & porrexit ei polentam, comedítque, & satiata est, & superfluit.*

Surrexitque ad colligendum: & præcepit Bohaz Vers. 15. *pueris suis dicendo: Etiam inter manipulos colligat, & non pudore afficiatis eam.*

Et etiam dimittendo dimittetis ei de manipulis: Vers. 16. *relinquétísque, & colliget, & non increpabitis eam.*

Et collegit in agro vsque ad vesperam: excussit- Vers. 17. *que, quod collegerat, & fuit circiter Epha hordeorum.*

Portauítque, & ingressa est ciuitatem, & vidit Vers. 18. *socrus eius, quod collegerat: & protulit, dedítque ei, quod superfuerat cibi de saturitate sua.*

Dixítque ei socrus eius: Vbi collegisti hodie, & Vers. 19. *vbi operata es? sit cognoscens te benedictus. Et indicauit socrui suæ, cum quo operata erat, & ait: Nomen viri, cum quo operata sum hodie, est Bohaz.*

Dixitque Nahomi nurui suæ: Benedictus ipse Vers. 20. *Domino, qui non reliquit misericordiam suam cum viuentibus, nec cum mortuis. Et ait ei Nahomi: Coniunctus nobis est vir, de propinquis nostris est.*

Dixítque ei Ruth Moabitis. Etiam dixit mihi: Vers. 21. *Pueris, qui sunt mihi, adhærebis, donec complentur totam messem, quæ est mihi.*

Et ait Nahomi ad Ruth nurum suam: Bonum Vers. 22. *est, filia mea, quòd exeas cum puellis eius, & non obuiabunt tibi in agro alio.*

Et adhæsit puellis Bohaz ad colligendum, donec Vers. 23. *finiretur messis hordeorum, & messis frumentorum: reuersáque est ad socrum suam.*

CAPVT III.

DIXITQVE ei Nahomi socrus eius: Filia Vers. 1. *mea, nonne quæram tibi requiem, vt bene sit tibi?*

Bohaz iste, cui puellis in agro iunctа es, propin- Vers. 2. *quus noster est: & in hac nocte arcam hordei ventilat.*

Lauare igitur, & ungere, & induere vestimentis Vers. 3. *tuis, ac descende in aream: non te videat vir, donec esum, potúmque finierit.*

Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum, Vers. 4. *in quo dormiet, & venies, & discooperies à parte pedum eius, & accumbes: ipséque indicabit tibi, quid facias.*

Et dixit ad eam: Omnia, quæ dixeris mihi, fa- Vers. 5. *ciam.*

Descenditque in aream: & fecit iuxta omnia, quæ Vers. 6. *præceperat ei socrus eius.*

Cúmque comedisset Bohaz, ac bibisset, & factus Vers. 7. *esset hilarior, issétque ad dormiendum in extremo acerui, venit abscondité, & discooperuit à parte pedum, & accubuit.*

Vers. 8. *Et fuit media nocte, expauit vir, & inclinauit se: & ecce mulier dormiebat ad pedes eius.*

Vers. 9. *Et ait illi: Quæ es? Illáque respondit: Ego sum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum super ancillam tuam, quia propinquus es.*

Vers. 10. *Et dixit: Benedicta tu Domino, filia mea, & priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta iuuenes, siue pauperes, siue diuites.*

Vers. 11. *Et nunc, filia mea, ne timeas, omnia quæ dixeris faciam tibi: scit enim tota ciuitas populi mei, quòd vxor virtuosa es.*

Vers. 12. *Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior.*

Vers. 13. *Quiesce hac nocte, & facto mane, si te voluerit propinquitatis iure retinere, benè retineat: si autem ille noluerit, ego suscipiam te, viuit Dominus: dormi vsque mane.*

Vers. 14. *Dormiuit itaque ad pedes eius vsque mane; surrexítque, antequàm homines cognoscerent se mutuò: & dixit: Non sciatur, quòd venerit mulier ad aream.*

Vers. 15. *Et dixit: Affer linteum, quod est super te, & tene illud. & tenuit illud: mensúsque est sex hordei mensuras, & posuit super eam: & ingressa est ciuitatem.*

Vers. 16. *Et venit ad socrum suam, quæ dixit ei: Quid egisti, filia mea? Narrauitque ei omnia, quæ sibi fecerat vir.*

Vers. 17. *Et ait: Sex hordei mensuras has dedit mihi: dixit enim mihi: Non reuerteris vacua ad socrum tuam.*

Vers. 18. *Dixítque: Expecta, filia, donec cognoscas, quem exitum res habeat: quia non quiescet vir, donec compleuerit rem hodie.*

CAPVT IV.

Vers. 1. ASCENDITQVE *Bohaz ad portam, & sedit ibi: & ecce propinquus transiens, de quo locutus fuerat Bohaz, & dixit: Declina, sede hîc talis vidue. Qui declinauit, & sedit.*

Vers. 2. *Tulítque decem viros de senioribus ciuitatis, & dixit: Sedete hîc, & sederunt.*

Vers. 3. *Et dixit propinquo: Partem agri, quæ erat fratris nostri Elimelech, vendidit Nabomi, quæ reuersa est de regione Moab.*

Vers. 4. *Egóque dixi: Aperiam aurem tuam dicendo: Acquire coram habitatoribus, & coram senioribus populi mei: si vis esse propinquus, esto propinquus: & si non vis esse propinquus, indica mihi, & sciam, quod non est præter te, vt sit propinquus, & ego sum post te. Et dixit: Ego propinquus ero.*

Vers. 5. *Et dixit Bohaz: In die, qua acquisieris agrum de manu Nabomi, Ruth quoque Moabitidem vxorem defuncti acquires, ad suscitandum nomen defuncti in hæreditate eius.*

Dixítque propinquus: Non possum esse propinquus, ne deleam hæreditatem meam: si tu propinquus propinquitate mea, quia non possum esse propinquus. Vers. 6.

Hoc autem erat antiquitùs in Israël in propinquitatis cessione ad confirmandam totam rem, soluebat vir calceamentum suum, & dabat proximo suo: & hoc erat testimonium in Israël. Vers. 7.

Dixítque propinquus ad Bohaz: Acquire tibi. & soluit calceamentum suum. Vers. 8.

Et dixit Bohaz ad seniores, & totum populum: Testes estis hodie, quòd acquisiuí omnia, quæ erant Elimelech, & omnia, quæ erant Chilion, & Machlon, de manu Nabomi. Vers. 9.

Et etiam Ruth Moabitidem vxorem Machlon acquisiui mihi in vxorem, ad suscitandum nomen defuncti in hæreditate eius; & non excidetur nomen defuncti à fratribus eius, & à porta loci eius: testes estis hodie. Vers. 10.

Et dixerunt totus populus, qui erat in porta, & seniores: Testes sumus: det Dominus mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachelem, & sicut Leam, quæ ædificauerunt domum Israel, & faciat virtutem in Ephratha, & celebre nomen in Bethlechem. Vers. 11.

Sítque domus tua, sicut domus Perez, quem peperit Thamar Iehudæ: de semine, quod dederit Dominus tibi de puella hac. Vers. 12.

Tulítque Bohaz Ruth, & fuit ei in vxorem, & ingressus est ad eam, & dedit ei Dominus conceptum, & peperit filium. Vers. 13.

Dixerúntque mulieres ad Nabomi: Benedictus Dominus, qui non cessare fecit tibi propinquum hodie: & vocabitur nomen eius in Israël. Vers. 14.

Et erit tibi ad quiescendum animum, & ad alendum senectutem tuam: quia nurus tua, quæ diligit te, peperit eum, quæ est melior tibi, quàm septem filij. Vers. 15.

Cepítque Nabomi infantem, & posuit eum in sinu suo: & fuit ei in nutricem. Vers. 16.

Et vocauerunt ei vicinæ nomen, dicendo: Natus est filius Nabomi, vocauerúntque nomen eius Hobed, ipse est pater Iisai patris Dauid. Vers. 17.

Et hæ sunt generationes Perez: Perez genuit Chezron. Vers. 18.

Chezron autem genuit Ram: & Ram genuit Hamminadab. Vers. 19.

Hamminadab autem genuit Nachson: & Nachson genuit Salman. Vers. 20.

Salman autem genuit Bohaz: & Bohaz genuit Hobed. Vers. 21.

Hobed autem genuit Iisai: & Iisai genuit Dauidem. Vers. 22.

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. SIXTI, IN LIBROS REGVM COMMENTARII.

Et primùm in eum, qui SAMVELIS inscribitur.

CAPVT I.

Vers. 1. T *fuit vir vnus*] Titulus, tam libri huius, quàm sequentis, apud Doctores Hebraeos est Samuel; tum, quia initium eius de Samuele tractat; tum, quia Author primæ partis libri creditur Samuel: periculum est enim, quòd gesta post mortem Samuelis non scripsit ipse.

Quis huius Libri Author fuerit.

Ramathaïm, *quid.* *De Ramathaim Zophim de monte Ephraim.*] Aiunt, *Ramathaim*, significare duas Ramah; sed ratione antepositæ præpositionis significare alteram duarum Ramah: ita quòd sensus est: *Et fuit vir vnus de altera Ramah*, duas enim fuisse ciuitates appellatas Ramah, autumant: alteram in Ephraim, de qua est sermo, (nam subiungitur, de monte Ephraim:) alteram in Benjamin. Dictio quoque *Zophim* est pluralis numeri: sed non loci nomen creditur, & significat speculantes, seu speculatores. Quare autem ista Ramah cognominata sit Ramah speculatorum; non est vsquequaque certum, an ex habilitate loci ad videndum procul circumcirca; an ex officio speculatorum ibidem deputatorum tempore belli: an ex multitudine Prophetarum contemplationi vacantium. Vndecunque autem cognomen hoc acceperit, appellatur à Iosepho Ramaha, quæ Hebraïcè, vt dictum est, vocatur Ramah.

Cur Ramah cognominata sit Ramah Zophim.

Et nomen eius Elcana.] Vt scribitur, primi Paralip. 6. hic fuit Leuita de stirpe Coræ: ita quòd non fuit de Tribu Ephraim, sed de Tribu Leui habitans in monte Ephraim: erat enim Tribus Leuitica dispersa per omnes Tribus Israël.

Elcana: quis fuerit.

Filius Ierocham, filij Elihu, filij Tochu, filij Zuph Eph-rathæus.] Quemadmodum Iudic. 13. Leuita ille, qui habitauit cum Micha, suppuratus est in familia Iudæ, & descriptus est Leuita, & ex familia Iudæ: ita Elcana Leuita de monte Ephraïm describitur quoque Eph-rathæus, (hoc est, Bethlechemita;) quia maternum genus ex Bethlechem traxerat. Sunt tamen nonnulli putantes, non esse patrium nomen Eph-rathæus: sed esse nomen appellatiuum: significatéque Hebraïcè, quòd Latinè diceremus, augustus: nam ab augmento deriuatur: ita quòd describitur Elcana vir non communis; sed augustus, ab augmento (vt creditur) opum, & honoris. Et hic sensus literalis videtur: minùs nanque quadrat, vt post descriptam patriam cum tot circunstantiis, póstque descriptum genus non breui genealogia, subiunctum sit alterius patriæ cognomen: sed optimè quadrat, vt eximia qualitas viri subiuncta sit. Elige tamen, quod vis.

Eph-ratæus, *quid.*

Vers. 2. *Et ei erant duæ vxores, nomen vnius Channa, & nomen secundæ Peninna: erántque Peninna liberi, Channa autem non erant liberi.*

Vers. 3. *Et ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus.*]

diebus.] Iuxta Hebræum habetur, *annuatim ad adorandum, & sacrificandum.* Et sic non explicatur, quòd pluries in anno; sed duntaxat, quòd annuatim ascendebat ad duo officia exhibenda Deo; videlicet, adorare, & sacrificare. Dico autem, *& sic*: quia apud Hebræos anceps est sensus ad singulos annos, vel ad singula tempora: hoc est, de tempore in tempus: & sic litera sonaret, quòd temporibus singulis ibat Elcana in Silo: non enim est ratio excipiendi vnum tempus magis, quàm aliud. Tempora autem eundi in domum Dei secundùm legem erant tria: Pascha, Pentecoste, & festum tabernaculorum.

Anceps est sensus Hebræorum, ad singulos annos, vel ad singula tempora.

Iehouah exercituum, *Deus, quẽ de primò cognominatus.*

Domino exercituum.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah exercituum in Silo.* Et hic est locus, in quo primùm Deus cognominatus est Iehouah exercituum. Et quia Iehouah est nomẽ essentiæ, Author huius libri ex Genesi sumpsisse videtur hãc appellationem: nam Gen. 2. Deus, creator vniuersorum exercituum cælorum, & terræ scribitur: inde siquidem Iehouah exercituum (hoc est, fons essendi dans esse omnibus exercitibus, tam spiritualibus, quàm corporeis) dicitur. Et hunc sensum retine: ne oporteat sæpè repetere, dum sæpè in Scriptura deinceps Deus appellatur Dominus exercituum.

Et ibi erant duo filij Heli (Cophni, & Pinehas) Sacerdotes Domino.

Vers. 4. *Venit ergo dies, & immolauit Elcana: dedítque Peninnæ vxori suæ, & omnibus filiis eius, & filiabus eius partes.*

Vers. 5. *Channa autem dedit partem vnam.*] De parte victimæ pacificæ est sermo: distribuebat enim eam proportionaliter: & propterea Peninnæ, & filiis, ac filiabus dedit partes multas, Annæ autem carenti prole dedit vnam.

Victima pacifica quomodo distribuebatur.

Tristis, quia Channam diligebat, & Dominus conclusérat vuluam eius.] Dictio interpretata, *tristis*, iuxta Hebræum sonat *furores*, vel *iracer.* Et quoniam sine omni, tam articulo, quam præpositione, dictio hæc scribitur, varias sortitur expositiones: nam à quibusdam refertur ad virum dantem partem: & mutantes furoreṁ in tristitiam, dicunt, quòd dedit tristis partem vnam, eò quòd voluisset ei dare partes multas, hoc est, voluisset Annam habere filios, vt occasionem dandi ei multas partes haberet. Ab aliis verò referentibus quoque ad virum, dicitur, quod Elcana dedit partem vnam; sed facie benigna, quia Annam diligebat: ita quòd defectum multarum partium suppleuit iucunditate vultus. Qui autem referunt hanc dictionem, non ad virum, sed ad partem vnam, quam dabat, legunt, dedit partem vnam faciei, hoc est, partem vnam gratiolam, seu dignam aspectu, quia Annam diligebat. Quancunque autem elegeris expositionem, aduerte, quòd in litera ratio partis vnius redditur; quia Deus concluserat vuluam eius: ratio autem, siue tristitiæ, siue iucunditatis, siue honorabilis partis, redditur: quia Annam diligebat.

Vox, tristis, ad quem referatur.

Vers. 6. *Affligebat quoque eam amula eius, & vehementer angebat, in tantum vt exprobraret, quod conclusisset Dominus vuluam eius.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et contristabat eam angustatrix eius etiam ita, vt faciat irasci eam: quia clausit Iehouah vuluam eius.* Vbi vides, describi Phenennam tactam inuidia maioris amoris, quem vir ostendebat Annæ, tendentem ad addendum afflictionem afflictæ: ita quod etiam excandescebat aduersus eam, vt maiorem ei tristitiam inferret, improperando sterilitatem non qualitercunque, sed inflictam à Deo.

Phenenna tacta inuidia laborat.

Vers. 7. *Sicque faciebat per singulos annos a tempore, quo ascendebat ipsa in domum Domini, sic irritabat eam.*] Vide disparitatem, vel explanationem: disparitatem quidem, si superiùs legitur, quòd Elcana ascendebat in Silo de tempore in tempus: nam ipse quidem ascendebat ad domum Dei omnibus temporibus decretis à lege: ipse verò cum familia sua ascendebat semel in anno: clarè enim hìc describitur, quòd sic faciet annuatim.

Illa verò flebat, & non comedebat.

Vers. 8. *Dixítque ei Elcana vir eius: Channa, cur fles, & cur non comedis, & cur affligitur cor tuum? nónne melior sum tibi, quàm decem filij?*] Communi modo loquendi vtitur consolando eam: proponendo enim magnitudinem amoris proprij erga illam, optimè reuocat ab amore filiorum, quibus caret, etiamsi decem haberet. Nec falsum dixit: quia contingit meliorem esse mulieri maritum valdè diligentem ipsam, quàm decem filios: vt experientia quandoque, & fortè sæpè restatur.

Maritus valdè diligens vxorem melior est, quàm decem filij.

Vers. 9. *Surrexítque Channa, postquam comederat, & biberat.*] Iuxta Heb. habetur, *post comedere in Silo, & post bibere.* ita quòd imperfectaliter describitur, *comedere, & bibere.* Nec ex ista litera habetur, quòd ipsa comedit, aut bibit: sed, quòd non surrexit è medio prandio; sed post finitum prandium. Rationabile tamen est, vt quamuis prius fleuerit, & non comederit, post consolationem tamen mariti comederit, & biberit: cuius signum est, quòd ipsa ad Heli existimantem illam ebriam non dixit: Sum ieiuna, sed dixit, quòd non bibit aliquid inebriatiuum.

Anna an comederit, aut biberit.

Et Heli Sacerdos sedebat super sellam iuxta postes templi Domini.

Vers. 10. *Et ipsa erat amaro animo: orauítque ad Dominum, & flendo flebat.*

Vers. 11. *Vótumque vouit, & ait: Domine exercituum, si videndo videris afflictionem ancillæ tuæ, & recordatus fueris mei, & non fueris oblitus ancillæ tuæ, dederísque ancillæ tuæ semen virile, dabo illud Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius.*] Non vouet Nazaræatum filij perpetuum quoad omnia spectantia ad Nazaræatum; sed quoad exemptionem capitis à ratorio gladio.

Anna non vouit Nazaræatum filij quoad omnia.

Vers. 12. *Et fuit, cùm diu oraret, coram Domino, Heli observabat os eius.*

Vers. 13. *Channa autem loquebatur in corde suo: tantùm labia illius mouebantur, & vox eius non audiebatur: existimauítque eam Heli temulentam.*] Clarè scribitur Hebraicè, *ebriam*: humana enim vitia est coniectura.

Vers. 14. *Dixítque ad eam Heli: Quousque ebria eris? digere paulisper vinum, quo madet.*

Vers. 15. *Respondítque Channa, & ait: Non domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Mulier dura spiritu ego: vinumque, & siceram non bibi; sed effudi animam meam coram Domino.* Ad instar rei duræ, quæ non cedit tangenti, quæ nec flectitur, sed perseuerat in suo rigore, describit proprium spiritum circa prolem generandam. Et est sensus, quòd spiritus meus non cedit consolantibus, nec flectitur diuturnitate temporis; sed perseuerat desiderando prolem; & propterea effudi animam meam (hoc est, vniuersos affectus meos) coram summo Deo.

Vers. 16. *Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus*

liabus Beli-iahal.] Aliàs dictum est, quòd Beliiahal significat absque iugo: & applicatur ad omne vitium, pro quanto describit personam tanquàm sine lege agentem.

Beli-iahal, *quid.*

Quia ex multitudine doloris.] Iuxta Hebræum habetur: *Qua ex multitudine eloquij mei.* proculdubiò interni.

Et mœroris mei locuta sum vsque in præsens.

Vers. 17. *Respondítque Heli, & dixit: Vade in pace: & Deus Israel det tibi petitionem, quam rogasti eum.*] Iuxta Hebr. habetur, *& Elohe Israel dabit petitionem tuam.* An imprecantis, an prophetantis fuerint verba, nescitur.

Vers. 18. *Et illa dixit: Inueniat ancilla tua gratiam in oculis.*] Cupientis gratiam Sacerdotis summi, vt intercedat pro ea apud Deum, verba sunt.

Abiitque mulier in viâ suâ, & comedit: & vultus illius non sûnt amplius in diuersa mutati.] Quanuis Hebraicè non tot scribatur, sententia tamè rectè redditur: refocillata siquidem, tum animo ex oratione propria, & verbo Pontificis, tum corpore ex sumpto cibo conuenienti, non est passa amplius mutationem vultus, qualis accidere solet turbatis animo, & minus refectis corpore.

Vultus Annæ non sunt amplius in diuersa mutati, quomodo.

Vers. 19. *Et surrexerunt manè, & adorauerunt coràm Domino: & reuersi sunt, & venerũt ad domum suam in Ramam. cognouitque Helcana Chamam vxorem suam, & recordatus est eius Dominus.*] Post regressum in propriam domum scribitur visus coniugij, ad insinuandum, quòd abstinuerunt ab illo diebus, quibus fuerunt in Silo.

Abstinentia ab vsu coniugij notatur.

Vers. 20. *Et fuit post circulum dierũ concepit Channa, & peperit filium: vocauitque nomen eius Samuel.*] Legendum esset, *Semuel, eò quod a Domino postulasset.* Et est Semuel nomen compositũ ex integro, & corrupto: hoc est, ex *El*, quod est nomen Dei, & *semo* deducto à postulatione; vt litera ipsa testatur reddendo nominis rationem.

Samuël, *quid.*

Vers. 21. *Ascendit autẽ vir Elcana, & tota domus eius, vt immolaret Domino hostiã solennẽ.*] Iuxta Hebr. habetur, *sacrificium dierum, & votum suum.* hoc est, sacrificiũ congruum tempori. & præter hoc solitum sacrificium ad persoluendum votum suum, quod tacitũ fuerat: insinuatur enim, quòd voto vxoris addidit maritus aliquod proprium votum, ad quod persoluendum describitur veniisse.

Vers. 22. *Et Channa non ascendit: dixit enim viro suo: Non ascendam, donec ablactetur infans, & adducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi vsque in sæculum.*

Vers. 23. *Et ait ei Elcana vir eius: Fac, quod bonum est in oculis tuis: mane, donec ablactes eum, precorque, vt impleat Dominus verbum suum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Tantùm firmet Iehouah verbum suum.* Incertum est, an verbum Heli Pontificis ad Annam, (*dabit tibi Deus petitionem tuam,*) appelletur verbum Iehouah; an votum vxoris, quia directè tendebat in Deum, appelletur verbum Iehouah, an aliqua reuelatio diuina de Samuele præcesserit, & fuerit narrando tacita, (quemadmodum & votum ipsius Elcanæ hactenus fuit tacitum,) & nunc commemorando manifestetur. Et hic tertius sensus amplectendus videtur: quoniam sæpe in sacra Scriptura multa tacentur narrando, quæ postea supplentur commemorando.

Verbum Iehouah, *quid hic significet.*

Mansitque mulier, & lactauit filium suum, donec ablactaret eum.

Vers. 24. *Et adduxit eum secum, postquàm ablactauerat.*] Hebraicè habetur, *quando ablactauit eum.* Nisi fuisset consuetudo, vt puelli trium annorum dicati Deo (saltem Leuitici generis) in domo Domini manerent, nequaquam fuisset oblatus, & receptus Samuel trienuis.

Puelli dicati Deo in domo Domini manebant apud Israelitas.

In vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & amphora vini.] Iuxta Hebræum vnicus tantùm modius farinæ scribitur, *& adduxit eum ad domum Domini in Silo: puer autem erat adhuc infantulus.* Sententia rectè redditur: quanuis Heb aicè habeatur, *& puellus puellus.* idem enim puericiæ nomen repetitur.

Et immolauerunt vitulum: & adduxerunt puerum ad Heli. Vers. 25.

Vers. 26. *Et dixit: Obsecro, domine mi, viuit anima tua.*] Deficit, *domine mi.* repetitur enim hoc à muliere. Et sunt verba iurantis, ad affirmandum se esse illam mulierem olim ibi orantem pro prole, &c. quemadmodum hodie frequenter iuratur per vitam, vel meam, vel filij mei, vel patris mei, & huiusmodi.

Viuit anima tua, modus iurandi.

Ego sum mulier, quæ steti tecum hic, orando ad Dominum.

Pro puero isto orani, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam petij ab eo. Vers. 27.

Vers. 28. *Et etiam ego commodaui eum Domino, omnibus diebus, quibus fuit ipse commodatus Domino. Et incuruauit se ibi Domino.*] Aduerte, prudens lector, vt fiat punctus post verbum, *fuit*: nam explanatio est temporis coæui. Et est sensus: Cunctis diebus, quibus fuit Samuël, ipse cõmodatus est Domino. Nec mireris, quòd non dixit, quibus erit, sed aduerte, quòd commodatio præsupponit esse: & hoc significat præteritum, *fuit*, tel istuc ad commodatum. Quanuis possit etiam hoc referri ad tunc præteritum: explanando, quòd non nunc incipio dicere ipsum Deo; sed ex quo Samuel fuit etiam in meo vtero, fuit commodatus Deo.

Samuel fuit dicatus Deo, statim ac fuit in vtero Annæ.

Et orauit Channa, & ait.] Verè hinc incipere deberet capitulum secundum: sequens itaque Canticum oratio appellatur, quia vere fuit eleuatio mentis in Deum ad gratias agendum.

Canticum sequens verè est oratio.

CAPVT II.

Vers. 1. *EXVLTAVIT cor meum in Domino, exaltatum est cornu meum in Domino, dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salute tua.*] Materia huius Cantici est dispositio humanarum actionum, & rerum, non secundùm rationes humanas, sed secundùm rationes diuinæ prouidentiæ, & fortitudinis: hæc est materia, quæ diffuse tractatur in Cantico hoc. Occasionalis autem materia eiusdem Cantici est diuina prouidentia beneficia ipsi Annæ, concedendo ei fœcunditatem, & filios: ac per hoc deprimendo elationem Phenennæ, improperãtis Annæ, quòd Deus concluserat vuluam eius. Ab hac itaque occasione inchoat Canticum, manifestando, tũ proprij cordis gaudium in Deo, tum proprij posse exaltationem in Deo, (exaltata siquidem est potentia eius generatiua: consueuerunt enim Hebræi potentiam appellare cornu,) tum dilatationem proprij oris ad loquendum super inimicos suos. hoc est, Phenennam: prius enim flebat, & tacebat; genito autem filio materiam habent loquendi pleno ore. Et omnium trium rationem reddit: *Quia lætata sum in salute tua.* donum siquidem filij appellat salutem sibi

Materia huius Cantici quæ.

collatam à Deo: saluauit siquidem eam Deus per hoc à malo sterilitatis cum lætitia non solùm prolis, sed primogeniti matis.

Vers. 2.

Deus laudatur à sanctitate, à Deitate, & à fortitudine.

Non est sanctus, vt Dominus: quia non est præter te: & non est fortis sicut Deus noster,] ex manifestata dispositione propria ascendit ad diuinas laudes, tũ quoad sanctitatem, tum quoad Deitatẽ, tum quoad fortitudinem: sic enim ordinantur in litera: quia secunda laus affertur, vt ratio primæ. Sed secundum rectum ordinem secundæ debetur primus locus: primùm enim est, quòd Iehouah est solus: solus enim est sic, quòd deesse nulla ratione potest: & hinc sequitur, quòd non est sanctus, sicut Iehouah: hoc est, non est mundus aliquis, sicut fons essendi, quia ipse solus est actus purus mundus ab omni potentialitate: reliqua enim omnia immunditiæ aliquid habent, eò quòd admixtum habent aliquid potentialitatis. Tertium autem (videlicet, quòd non est fortis, sicut Elohe noster) ad fortitudinem potestatis manifestè spectat: quod ex primis perspicuum est consequi.

Vers. 3.

Mundani homines multiplicant verba propriæ celsitudinis.

Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.] Parum refert, quòd Hebraicè habetur: *Non multiplicabitis, loquemini celsitudinem celsitudinem.* Vtrique materiæ verba hæc congruunt: nam & Phenenna multiplicabat quotidiè verba celsitudinis propriæ; & filij huius sæculi multiplicauerunt, ac multiplicant verba propriæ celsitudinis, & vt subiungitur, fortitudinis, confidentes in celsitudinibus, & fortitudinibus propriis. Et negatio repetita subintelligitur: *Non multiplicabitis, non loquemini.*

Celsitudo & fortitudo, materia iactantiæ.

Recedant vetera.] Quanuis legi possit, *exibat vetustas*: magis tamen contextui quadrat, vt legatur, *Exeat fortitudo de ore vestro.* quadrat enim, vt reprehensos de sermone propriæ celsitudinis reprehendat quoque de sermone propriæ fortitudinis: hæc enim duo, videlicet, celsitudo, & fortitudo, hoc est, potentia concurrunt communiter ad hoc, vt sint materia iactantiæ.

Ratio, cur iactantia vitanda sit.

Quia Deus scientiarum Dominus est.] Iuxta Hebræum habetur, *quia El scientiarum Iehouah.* Ratio redditur vitandæ iactantiæ vtriusque: quia fons essendi est Ei scientiarum; hoc est, est tantùm fortis ad diligendum & faciendum omnia, quæ fieri possent, vel est El scientiarum, hoc est, fortitudine propria superat omnes scientias. Et est sermo de scientiis practicis, hoc est, de rationibus rerum agendarum: hoc enim directè tollit iactantiam humanam tam propriæ celsitudinis, quam fortitudinis. Vnde & apposite subditur:

Opera directa sunt reseruata Dei, & quæ illa sint.

Et ipsi præparantur cogitationes.] Iuxta Hebræum enim habetur, *& non fuerunt directa opera.* Quanuis etiam legi posse dicant Hebræi, *& ipsi directa opera.* veruntamen prima lectio scripta est Hebraicè, secunda autem secundùm nescio quam regulam sustinetur. Et sensus quidem secundæ lectionis non est alienus à proposito: nam significatur, quòd Deo reseruata sunt directa opera: quia enim solus est El scientiarum; ideò ei propria sunt directa opera, hoc est, opera, quæ adimplentur secundùm directionem intendentis. Et dicitur hoc, ad differentiam hominum multa dirigentium secundùm intentionem propriam, quæ longè aliter eueniunt. Prima verò lectio sonat defectum humanorum agentium; penes hoc, quòd eorum opera non eueniunt secundùm directionem præcedentium: rationum. Et tu, prudens lector, facilè cernere potes ambas lectiones in eandem resolui sententiam. Ratio igitur vitandæ iactantiæ humanæ integratur, & ex hoc, quòd Deus est El scientiarum; & ex hoc, quòd directio operum non adimpletur secundùm rationes humanas.

Homines multa intendunt aliter euenientia.

Vers. 4.

Tripliciter declaratur, quamodo non fuerint directa opera Dei. Primò, quoad opera roboris.

Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.] Hebræo more ab vltimo inchoatur: declaratur siquidem hoc vltimum (videlicet, *& non fuerunt directa opera,*) tripliciter. Primò, quoad opera roboris corporalis dicendo: *Arcus fortium fracti, & qui cespitabant accincti sunt robore.* Perpende, in istis non fuisse euentum secundùm rationes humanas, sed potiùs contrarium: nam arcui fortium secundùm humanam rationem non respondet fractio: & cespitantibus non respondet robur.

Vers. 5.

Secundò, quoad opera spectantia ad victum.

Repleti prius, pro panibus se locauerunt, & famelici fatuati sunt.] Simile quoque perpende in operibus spectantibus ad victum: repletis enim, seu fatuatis opibus, non respondet secundum humanam rationem euentus tam miser, vt locent seipsos pro pane habendo: & similiter inopibus, vsque adeò vt sint famelici, non respondet euentus vitæ tam opulentæ, vt cessent à labore: nam vbi vulgata editio habet, *saturati sunt*, Hebraica veritas habet, *cessauerunt*, proculdubio à quæstu & labore.

Tertiò, quoad opera partis vegetatiuæ.

Domus sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.] Iuxta Hebræum habetur: *Vsque quo sterilis genuit septem, & multa filiorum fuit infecta.* Et est sensus, quòd opera humana non esse directa, non solùm apparet in operibus fortitudinis, & in euentibus opulenti, & inopis; sed etiam extenditur vsque ad opera partis vegetatiuæ; vsque, scilicet, ad hoc, quòd sterilis genuit septem, & multiplicata in filiis facta est: rationi siquidem sterilis non respondet generatio septem aliorum: & similiter multiplicatæ in filiis non respondet orbatam se inuenire filiis. An autem hoc vltimum dixerit Anna propter seipsam, & æmulam suam, an in genere; litera ipsa parum videtur, videlicet, quòd in genere hoc dixit, quemadmodum & alia duo præcedentia. Nam clarè inducitur sterilis, quæ genuit septem: & periculum est, quòd ipsa Anna non genuit septem, sed quinque, vel ad summum tres, vt infrà ibidem à rectantur. Rursus Scriptura non dicit, Phenennam orbatam fuisse filiis, nec etiam cessasse à generatione aliorum filiorum. In genere itaque hæc tria dicta intelligenda sunt, quemadmodum etiam & ea, quæ subiunguntur:

Vers. 6.

Deus facit opera contraria rationi rerum.

Dominus mortificat, & viuificat.] Tractato vltimo, tractat primum, videlicet, El scientiarum Iehouah. Tractat autem manifestando Deum facere contraria, non solùm inter se, puta, mortem, & vitam, diuitias, & paupertatem, & alia eiusmodi, sed etiam facere hæc contra rationes rerum, puta, depositum ad viuere mortificat; & è conuerso depositum ad mortem viuificat: & similiter pauperem facit diuitem; & è conuerso, & sic de reliquis. Ex his enim directè manifestatur, quòd solus Deus est El scientiarum, quòd prouidentiæ eius dispositione cõtraria omnia fiũt.

Fouea, hic nec Infernũ, nec sepulcrũ significat.

Deducit ad Inferos, & reducit.] Iuxta Hebræum habetur: *facit descendere in foueam, & facit ascendere.* Ex eo, quòd verbo præteriti temporis dicitur, *& fecit ascendere*, cogor nomine *foueæ*, nec Infernum, nec sepulcrum, sed carcerem intelligere:

intelligere: à principio nanque mundi vsque ad tempus Annæ nullus ascenderat ex Inferno, nullus surrexerat a mortuis: sed multos liberos, & innocentes fecerat Deus descendere in carcerem, & vinctos multos fecerat inde ascedere.

Vers.7. *Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & sublevat.*

Vers.8. *Suscitat de pulvere pauperem, è stercore elevabit mendicum, vt sedeant cum Principibus, & solium gloriæ teneant: Domini enim sunt cardines terræ.*] Parum refert, quòd Hebraicè habetur, *fortitudines* (seu *vires*) *terræ, & posuit super eas orbem.* Interpretes enim cardines metaphoricè apposuerunt. Et hoc pro ratione affertur irreprehensibilis dispositionis diuinæ circa res humanas: ex eo enim, quod ipsius Dei sunt omnes vires terræ, & super eas effecit habitabiles partes mundi, quas orbem Interpretes appellant, nullus potest conqueri: vtitur enim omnium Dominus iure suo, distribuendo, vt vult.

Dispositio diuina circa mundum est irreprehensibilis.

Vers.9. *Pedes Sanctorum suorum seruabit.*] Iuxta Hebræum habetur: *Pedes misericordium suorum custodiet.* Hactenus de dispositione rerum humanarum præter rationes humanas tractauit, ad confundendum humanam iactantiam de celsitudine, & fortitudine: nunc contra eandem superbiam humanam tractat de diuina prouidentia in specie erga bonos, & malos, relatiue ad vitam æternam: vbi propterea incipit a discretione inter bonos, & malos, penes diuinam custodiam, dicendo, quòd etiam pedes misericordium suorum custodiet Deus: siue per pedes intelligas affectus, siue extremam corporis partem, vt à fortiori custodiam reliqui corporis intelligamus.

Prouidentia diuina circa bonos, & malos.

Et impij in tenebris conticescent.] Iuxta Hebræum habetur, *erunt taciti*, seu *inerti*. Relatiuè ad futuram vitam hæc verificantur: in qua obmutescent priuati lumine gratiæ, & gloriæ, & inciti erunt ab vniuersis bonis impij. Vnde & aptissimè ratio subditur: *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir*, nullus enim ex propriis viribus saluabitur.

Vers.10. *Dominum formidabunt aduersarij eius.*] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah, frangentur litigatores eius super eum.* Et est vocatiui casus Iehouah: apostrophat enim ad ipsum summum Deum, confitendo, quòd aduersantes Deo frangentur super eum, hoc est, super quemlibet ipsorum. Et hoc iuxta contextum literæ ad futuram quoque vitam spectat, in qua hoc adimplebitur manifestè. Vnde & aptissimè subditum in Hebraico, *in cælos faciet frangere eos.* Modus autem, quo faciet Deus in cælis frangere eos, subiungitur, dicendo.

Deo aduersantes frangentur super eum.

Dominus iudicabit fines terræ.] quod perspicuum est futurum esse in die iudicij, iuxta prophetata per Iob.

Et dabit imperium Regi suo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabit fortitudinem Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.* Adhuc non erant instituti Reges in Israël: & propterea de Rege Messia dicit, quòd Deus dabit ei fortitudinem, & sublimabit potestatem eius. Messias enim Hebraicè ab vnctione dicitur: à qua etiam Græce dicitur Christus: pertinuum autem est, quòd tempore iudicij veniet Christus in fortitudine, & celsitudine maxima. Et per hoc manifestatur, quòd homo erit, qui iudicabit fines terræ, iuxta propheti am Iob. Et hic est quartus textus, in quo clarè Messias prænunciatur: primum enim tempore Abrahæ; deinde tempore Iacob; & tertiò tempore Mosis; & quartò tempore Samuelis prænunciatus legitur: præter scripta in libro Iob.

Messias ab vnctione dictus est.

Et abiit Elcana in Ramam ad domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.] Ne intelligas Samuelem in tam tenella ætate ministrasse Domino, sed describi ipsum in ætate, qua poterat ministrare. Vers.11.

Filij autem Heli, filij Belı-tahal, non cognoscebant Dominum.] De scientia practica (quæ est ratio agendi) est sermo: nesciebant enim notitia electiua Deum, vt rationem agendi. Vers. 12.

Et officium.] Legendum est: *Et iudicium Sacerdotum cum populo.* hoc est, ius inter Sacerdotes, & populum. Vers.13.

Omni viro sacrificante sacrificium veniebat puer, quando coquebatur caro, & fuscinula tridens erat in manu eius.

Et mittebat eam in concham, vel in ollam, vel in lebetem, vel in cacabum, & omne, quod levabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi: sic faciebant vniuerso Israëli, venientibus illuc in Silo.] Primum peccatum filiorum Heli scribitur tollere ex sacrificiis pacificis absque discretione: secundùm enim legem determinata erat pars Sacerdotis. Vers.14.

Etiam antequam adolerent adipem.] Secundum peccatum scribitur quoad tempus, quia secundum legem primùm cremari debebat Deo adeps. Vers.15.

Venitbat puer Sacerdotis, & dicebat viro immolanti: Da carnem, vt coquam.] Iuxta Hebræum habetur, *ad assandum Sacerdoti.* Et similiter cùm subiungitur:

Et non accipiet à te carnem coctam.] Iuxta Hebræum habetur, *carnem elixatam.* adiungitur enim malum malo: videlicet, præuentioni temporis diuersitas modi, per quem tollebatur à parte Sacerdotis ratio sacrificij, quod fiebat lixando.

Sed crudam.] Iuxta Hebræum habetur, *sed viuam.* aiunt enim Hebræi, non aliter in lingua sua significari crudum, quàm per viuum. Quod ideò annotauerim, vt magis capaces reddantur lectores expositi sensus verborum scriptorum Gen. 9. *Carnem in anima eius, sanguinem eius non comedetis.*

Dicebatque ad eum vir: Adoleatur primùm iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi, sicut desiderat anima tua. Et dicebat: Nequaquam, sed nunc dabis, & si non dederis, accipiam vi. Vers.16.

Eratque peccatum puerorum magnum valdè coram Domino: quia detrahebant homines a sacrificio Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia abominabantur homines munus Iehouah.* Peccatum Sacerdotum, & ministrorum eorum grande valdè apud Deum describitur ex eo, quòd causabant in alios abominationem diuinorum sacrificiorum. Vers.17.

Samuel autem ministrabat coram Domino.] Repetitur hoc ad narrandum, Samuelem exemptum fuisse ab huiusmodi peccato. Vers.18.

Puer accinctus ephod lineo.] Hinc clarè patet, superhumeralem vestem communem fuisse Leuitis: loco cuius hodie omnes Clerici in templo Dei vtuntur lineo amictu, quem vocant vulgò *cottam.*

Vestis superhumeralis, Ephod, erat communis Leuitis.

Et tunicam parvam faciebat ei mater eius, & afferebat ei statutis diebus.] Iuxta Hebræum habetur, *annuatim.* Onus vestiendi puerum Deo dicatum, apud parentes manebat. Vers.19.

Parentes vestiebant puerum dicatum Deo.

Quando ascendebat cum viro suo ad immolan-

dum hostiam solennem, & votum suum.] Iuxta Hebræum habetur, *hostiam diserum*; hoc est, congruam tempori.

Vers. 20. *Et benedixit Heli Elcanæ, & uxori eius, & dixit: Ponat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore, quod commodasti Domino.*] Iuxta Hebræum habetur, *pro commodato, quem commodauit Domino.* eò quòd ad vsum datus erat Samuël.

Et abierunt in locum suum.

Vers. 21. *Quia visitauit Dominus Channam, concepit, & peperit tres filios, & duas filias.*] Si præter Samuëlem supputatur, sex proles edidit Anna: si autem ipse in hoc numero clauditur, edidit duntaxat quinque.

Quot proles Anna mater Samuëlis ediderit.

Et magnificatus est puer Samuel apud Dominum.] Iuxta Hebræum habetur, *& grandiit puer Samuel cum Iehouah.* Augmentum non solùm corporis, sed animi versus Deum fuisse significatur.

Vers. 22. *Heli autem erat senex valdè: & audiuit omnia, quæ faciebant filij eius toti Israeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus.*] Tertium peccatum fornicationis, seu adulterij, manifestè describitur.

Quæ obseruabant ad ostium tentorij aduationis.] Dictio interpretata, *quæ obseruabant*, participium est præsentis temporis, deductum ab exercitu, & est numeri pluralis: ita quòd significantur mulieres per modum exercitus conuenientes ad ostium tabernaculi. Per quod intelligo mulieres, quæ gregatim veniebant ad ostium tabernaculi.

Mulieres per modum exercitus conueniebant ad ostium tabernaculi, vt cũ filiis Heli dormirent.

Vers. 23. *Et dixit ad eos: Quare facitis res istas, quas ego audio, res malas à toto populo isto.*

Vers. 24. *Non, filij mei, ita faciatis: quia non est fama bona, quam audio, vt transgredi faciatis populum Domini.*] Hoc refertur ad malè gesta circa sacrificia: faciebant enim populum transgredi, quia faciebant ipsum abominari sacrificia diuina. Vnde & aptissimè subiungitur:

Vers. 25. *Si peccauerit vir in virum, placari potest ei Deus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Si peccauerit vir in virum, iudicabit eum Elohim.* Deinde immediatè sequitur:

Et si Iehouah peccabit vir, quis orabit ei?] Ex eo quòd peccatum in Deum proculdubiò iudicabit Deus, trahor ad intelligendum nomine *Elohim* non Deum, sed Iudices: nam sic saluatur distinctio inter peccatum in hominem, & peccatum in Deum, penes hoc, quòd peccatum in hominem expiatur per hominem, saltem per Iudices facientes repensari homini læso: peccatum autem in Deum non potest per hominem repensari, nisi forte supplicando: sed quis inuenitur tam sanctus, tam amicus Dei, vt audeat intercedere in causa contra Deum? Loquitur enim Heli humano more: tatus enim inuenitur tam amicus humani Principis, vt in causa alterius contra Principem audeat apud Principem intercedere.

Distinctio inter peccatum in Deum, & peccatum in hominem.

Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.

Vers. 26. *Puer autem Samuel ambulabat, & crescebat: & placebat tam Deo, quam hominibus.*

Vers. 27. *Venit autem vir Dei ad Heli.*] Nescitur, quis fuerit iste vir Dei, & nominatur Deus Elohim.

Et ait ad eam: Sic dicit Dominus: Nonne manifestando manifestatus sum me domui patris tui, cum essem in Ægypto in domo Pharaonis?] Lege Exodum: & inuenies, pluries Deum manifestasse se Aaron.

Vers. 28. *Et elegi eum ex omnibus Tribubus Israël mihi in Sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum, ad adolendum incensum, & portandum coram me Ephod.*] Ephod. *quid hoc loco.* Sæpè dictum est, Ephod sonare vestem superhumeralem in genere: sed hic sumitur pro habitu pontificali.

Et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis.] Iuxta Hebræum habetur, *omnia incensa filiorum Israël.* Lege Leviticum: & inuenies differentiam inter incensa, & victimas pacificas, eundaque incensa fuisse Sacerdotum.

Vers. 29. *Quare calce abiecisti victimam meam, & munus meum, quæ præcepi, vt offerrentur in templo.*] Ad instar calcitrantis in sacrificia, describitur peccatum filiorum Heli in supra scriptis malis officiis erga victimas Domini.

Et magis honorasti filios tuos, quàm me.] Hinc clarè apparet peccatum Heli, præponendo honorem filiorum honori diuino. Et hoc intelligo non secundùm intentionem explicitam; sed secundùm factum, & affectum: quia vsque adeò affectus fuit filiis, vt non efficacem curam adhiberet circa ea, quæ erant diuini honoris.

Quomodo Heli præposuit honorem filiorum, honori diuino.

Vt comederetis primitias omnis sacrificij Israël.] Iuxta Hebræum habetur, *ad saturandum vos de primitiis omnis muneris Israel populi mei.* Et referuntur hæc verba ad antecedentia ante prædictam sententiam: *Quare calcitrabitis.* ita quòd iunguntur hæc diuina verba cum illa sententia: *Et dedi domui patris tui omnia incensa.* adiungit enim Deus, quòd dedit etiam eis primitias oblationum totius populi Israël.

Vers. 30. *Propterea dixit Dominus Deus Israël, dicendo: Dixi: domus tua, & domus patris tui ministrabit in conspectu meo vsque in sæculum.*] Cerne etiam hic, prudens lector, commemorando manifestari dicta olim, quæ tamen priùs narrata non fuerunt in Scriptura: nunquam enim hactenus scriptum est, Deum reuelasse, vt domus Heli ministraret ei in sæculum; & tamen hic commemorando asseritur.

Et nunc dicit Dominus: Absit à me, quia honorantes me honorificabo.] Non mutauit Deus consilium suum, sed sententiam, quam protulerat reuelando, quòd domus Heli ministraret illi in pontificatu: hanc, inquam, sententiam se mutare dicit, propter honorem diuinum contemptum ab Heli, & filiis eius: vt hinc intelligamus, Deum sæpè mutare sententiam iuxta meritorum humanorum mutationem, quanuis nunquam mutet consilium suum.

Deus sæpè mutat sententiam, non consilium.

Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.] Iuxta Hebræum habetur, *contemnentur.* repetitur enim idem verbum. Et vide differentiam: nam ait: *honorantes me honorificabo.* & non subiungit, contemnentes me contemnam: vt propensior ad nostrum bonum Deus describatur, quàm ad malum pœnæ.

Deus propensior est ad bonum nostrum, quàm ad malum pœnæ.

Vers. 31. *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.*] Iuxta Hebræum habetur, *præcidam fortitudinem tuam, & fortitudinem domus patris tui, ab esse senem in domo tua.* Clara est pœna; videlicet, diminutio vitæ, vt non perueniatur ad senectutem: ipsa enim materia cogit, vt intelligamus de fortitudine vitali esse sermonem: ad literam enim dicit Deus, se præcisurum fortitudinem vitalem domus Heli, vt nullus siat senex: vt Hebraica sonat hæc litera, & subiuncta contestantur. Verum appellatione domus Heli intelligendam

Diminutio vitæ, vt non perueniatur ad senectutẽ, pœna fuit domus Heli.

telligendam esse, non solùm originem trahentes ab ipso, sed etiam originem trahentes à patre Heli, patet: nam in litera dicitur: *Præcidam fortitudinem tuam*, (proculdubiò in filiis,) *& fortitudinem domus patris tui* ab hoc; videlicet, ab esse senem in domo tua: hinc enim insinuatur, quòd domus patris Heli cognominata est domus Heli, eò quòd Heli fuerit iudex annis quadraginta, (vt inferiùs subditur,) & ab ipso tanquam à præcipuo denominata est domus patris eius: ita quòd dicendo ab esse senem in domo tua, intelligitur domus Heli, comprehendens etiam domum patris eius.

Vers. 32. *Et videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israël.*] Hebraicè habetur: *Et videbis angustatorem habitaculum, in omni, quod benefaciet cum Israël.* Ita iacet in Hebræo: & ad literam prædicitur tempus opulenti habitaculi in domo Dei tempore Salomonis, videndum ab ipso Heli in filiis suis, non ad lætitiam, sed ad angustiam. Et hæc est secunda pœna Heli. Ita quod sensus literæ est: Et videbis in semine tuo tanquam angustatorem habitaculum in domo Domini refertum omni re, de qua benè agitur cum Israël: hoc est, omni re vtili, & delectabili, & honorabili in Israel.

Et non erit senex in domo tua omnibus diebus.] Hebraico more primùm describuntur summariè ambæ pœnæ, deinde tractantur distinctiùs. Prima itaque pœna tractatur, declarando perpetuitatem pœnæ: ita quòd in perpetuum non erit senex in domo tua: & aiunt Hebræi in hodiernum vsque diem verificari.

Hebræi primò summariè, deinde distinctius describunt.

Vers. 33. *Et virum non excidam penitus ab altari meo, vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua.*] Secunda pœna tractatur, declarando illam particulam, *& videbis angustiæ habitaculum.* declaratur enim modus; videlicet, vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, videndo tantam opulentiam, & te priuatum illa. Nec est dubium, quòd hæc dicuntur ad Heli non in persona propria, sed in persona seminis eius.

Et pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit.] Iuxta Hebræum habetur, *& omnis faciens surgere domum tuam, morientur homines.* Dictio interpretata, *homines*, significare dicitur *homines ætatis robustæ*: declaratur siquidem ampliùs prima pœna, non quòd magna pars; sed quòd omnes, qui essent dispositi ad subleuandum domum Heli, morientur iuuenes, seu quasi iuuenes. Vnde clare apparet, quòd ad literam in istis pœnis Heli, senex est nomen ætatis: & dicunt Hebræi, nullum de domo Heli transire annum ætatis quinquagesimum.

Nullus de domo Heli transit 50. annos.

Vers. 34. *Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Cophni, & Pinchas: in die vna morientur ambo.*] Quia comminatæ pœnæ futuræ erant, nec videndæ ab ipso Heli in propria persona, datur illi signum veritatis futurorum mors vtriusque filij tempore ipsius Heli futura vno, eodémque die: vt viso hoc signo non dubitetur de veritate prædictorum. Et verificatum est hoc signum, vt inferiùs scribitur cap. 4.

Vers. 35. *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.*] Amplùs explanatur secunda pœna, declarando transferendum pontificatum à domo eius in aliam domum. Et Sacerdos iste ad literam fuit Sadoc, qui à Salomone, electo Abiathar, ex stirpe Heli, subrogatus est in Pontificem: & clare textus 3. Reg. 2. dicit hoc factum fuisse ad adimplendum verbum propheticum, quod hic refertur: Sadoc enim non fuit ex stirpe Heli, qui descendit ex Ithamar, filio Aharon, sed ex stirpe Eleazari successoris Aharon.

Sadoc à Salomone subrogatus est in Pontificem, electo Abiathar ex stirpe Heli.

Et ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo omnibus diebus.] Cùm adhuc non essent Reges in Israël, prophetatur hoc adimplendum esse tempore, quo erunt Reges in Israël: & ad literam significatur Salomon: vt rei manifestant euentus.

Vers. 36. *Et erit omnis, qui remanserit in domo tua, veniet, vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Veniet ad orandum pro nummo argenteo, & buccella panis: & dicet: Iunge me, obsecro, ad vnam partem sacerdotalem ad comedendum frustum panis.* Ex eo, quòd scribitur, *& dicet: Iunge me, obsecro.* insinuatur, quòd ad orandum Pontificem veniet: nam Pontifici dicet: iunge me, obsecro, vni parti sacerdotali. Explanatur itaque ampliùs secunda pœna, declarando indigentiam seminis Heli in hoc, quod reliquæ semina Heli cogente inopia venient ad Pontificem illum ad orandum, vt habeant aliquid pecuniæ, & aliquid panis: hoc enim ipsum explanatur per istorum verba precis. Et explicantur hæc nomina, videlicet, buccella panis, & nummus argenteus, ad declarandum eorum indigentiam magnam.

CAPVT III.

Vers. 1. PVer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli.] Tertio repetitur ministratio Samuelis ad narrandum perseuerantiam eius in officio sancto.

Samuel erat perseuerans in officio.

Et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta.] Non venalis significatur sermo Domini, sed charus, quemadmodum pretiosa non vilipenduntur, sed sunt nobis chara. Ratio autem, quare sermo Domini erat tunc temporis charus, subiungitur: *Quia non erat visio manifesta.* Et hinc habes, quod de sermone propheticò dicitur, quòd erat charus, & non de sermone doctrinæ: nam vilio manifesta ad propheticam spectat. Erant itaque tunc temporis, & apparitiones in somnis, & reuelationes in vigilia, & inspirationes internæ, sed non visiones tales, quæ essent manifestæ reuelationes diuinæ.

Quare sermo tunc temporis charus, & quis.

Vers. 2. *Et factum est in die quadam, Heli accumbebat in loco suo: & oculi eius caligauerant,* iuxta Hebræum habetur, *& oculi eius cœperant caligare.* Non plena obscuritas, sed inchoata oculorum obscuratio significatur.

Nec poterat videre lucernam.] Quia litera ista diuersimodè contexitur, referenda est, vt iacet in Hebræo.

Vers. 3. *Non poterit ad videndum, & lucernam Elohim ante extinguetur, & Samuel iacebat in templo Iehouah, in quo erat Arca Dei.*] Libra, prudens lector, tot coniunctiones copulatiuas, & quòd lucerna nullum articulum demonstrantem, cuius casus sit, habet: & deinde cæge, quam maluerit constructionem. Mihi quidem videtur, quòd ad explicandum, qualis fuerit caligatio oculorum Heli, tunc dictum sit: *Non poterat ad videndum* (pro,) *etiam lucernam Elohim ante extinguetur*: hoc est, cum esset prope extinctionem ita quòd quàuis posset videre lucernã Elohim plenè ardentem,

Caligatio oculorum Heli explicatur.

ardentem, & lucentem; non tamen poterat videre eam minùs ardentem, minúsque lucentem, cum propinqua erat extinctioni. Et hic sensus nihil habet superflui: & ad differentiam subiungendæ in capitulo quarto obscurationis oculorum eiusdem Heli in fine vitæ eius, narratur.

Quomodo Samuel in templo dormierit.

Quòd autem dicitur, Samuëlem dormisse in templo, non significat, quòd intra tabernaculum Dei iaceret; sed intra habitaculum, quod erat iuxta templum: in ipsum enim templum nefas erat etiam ingredi Leuitas.

Vers. 4. *Vocauitque Dominus Samuel: qui respondens ait; Ecce ego.*

Vers. 5. *Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: quia vocasti me. Qui dixit, non vocaui te, reuertere, & dormi. Et abiit, & dormiuit.*

Vers. 6. *Et adiecit Dominus vocare rursum Samuel; consurgénsque Samuel abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego: quia vocasti me. Qui respondit: Non vocaui te, fili mi; reuertere, & dormi.*] Ex eo quòd non discernebat Samuel, vnde vocaretur, insinuatur, quod dormiens vocabatur, & ipsa vocantis voce non ine proprio excitabatur a somno. Et quia ad Heli ibat, vt vocantem, insinuatur, quod vox diuina sonabat Heli vocantem.

Vers. 7. *Porrò Samuel nondum nouerat Dominum, neque reuelatus fuerat ei sermo Domini.*] Adiicit hoc Author libri, tum ad declarandum quòd ista fuit prima reuelatio diuina facta Samuëli: tum ad reddendum rationem, quare Samuel fallebatur, putans se vocari ab Heli. Nescire autem Dominum, intellige notitia experientiæ: non enim expertus fuerat Dominum alloquentem, quanuis audisset, & crederet Deum alloquutum fuisse Mosem, & Prophetas. Et ratio huiusmodi inscitiæ subiungitur: quia sermo diuinus adhuc non erat ei manifestatus.

Samuel quomodo nondùm nouerat Dominum.

Vers. 8. *Adiitque Dominus vocare Samuelem tertiò: qui consurgens abiit ad Heli,*

Vers. 9. *Et ait: Ecce ego: quia vocasti me, & intellexit Heli, quod Dominus vocaret puerum. Et dixit Heli ad Samuel: vade, & dormi: & si dormierit vocauerit te, dices: Loquere, Domine: quia audit seruus tuus.*] Ex eo, quod non dicit, & si dormierit vocauerit te, insinuatur, quod Heli, quod intellexit, manifestauit Samueli: videlicet, quòd Deus vocauerat eum: & propterea dicit: *Si dormierit vocauerit te.*

Abiitque Samuel, & dormiuit in loco suo.

Vers. 10. *Venitque Dominus, & stetit.*] Nisi tribus vicibus vocasset per modum transeuntis, nequaquam hac quarta vice deterriberetur fieri.

Et vocauit, sicut vocauerat secundo.] Iuxta Hebræum habetur, *& vocauit, sicut vice in vicem*, hoc est, sicut qualibet priore vice. Et significatur per hoc modus vocandi similis prioribus, videlicet, quòd vocauit eum per modum excitantis a somno: sic enim vocauerat eum prioribus vicibus. Deinde immediatè sequitur:

Samuel, Samuel.] Quanuis modus vocandi fuerit similis prioribus; conduplicatio tamen proprij nominis propria est huic quartæ vocationi.

Et dixit Samuel: Loquere, quia audit seruus tuus.] Non solum ex modo vocandi simili prioribus; sed etiam ex hac Samuelis obedientia exequentis præceptum Heli, insinuatur, quòd vigilans Samuel respondit Deo si eum dormisset, earundet arbitrio libero respondendi, vt Heli iusserat. Expergefactus itaque Samuel, sensibili voce dixit: *Loquere, quia audit seruus tuus.*

Vigilans Samuel respondit Ego.

Vers. 11. *Et dixit Dominus ad Samuel.*] Quia' inferiùs in hoc eodem capitulo diuinus ille sermo appellatur visio: ideò hoc diuinum dicere internum fuit: ita, quòd vigilanti Samueli non exteriore voce, non sensibili sermone; sed interna apparitione Deus locutus est: quemadmodum apparet nobis dormientibus aliquis loquens. Et hinc perpendimus, à quanta excellentia prophetiæ inceperit Samuelis gratia prophetica: celsus enim prophetiæ gradus est, vigilantem hominem videre, & audire intùs Deum loquentem sibi.

Deus apparuit Samueli interna apparitione.

Ecce ego facio verbum in Israël.] Propter propinquam executionem vtitur præsenti tempore.

Quod quicunque audierit, tinnient amba aures eius.] Ob stuporem rei auditæ.

Vers. 12. *In die illo suscitabo aduersus Heli omnia, quæ locutus sum super domum eius.*] Per virum Dei, quem misi ad Heli.

Incipiam, & complebo.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *incipiendo, & finiendo.* vt intelligeretur, quòd non solùm citò exequeretur incipiendo, sed quòd etiam prosequeretur vsque ad finem.

Vers. 13. *Prædixi enim ei, quòd iudicaturus essem domum eius in æternum propter iniquitatem eius: eò quod nouerat indignè agere filios suos.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et iudicabo eum, quòd ego iudicans domum eius in seculum: in iniquitate, quam scirent, quia blasphemantes eis filij eius.* Sacrilegia filiorum superius scripta circa diuinas victimas appellantur, *blasphemia.* Pronomen autem, *eis*, demonstrat propriè Sacerdotes; irrogabant enim ignominiam magnam quasi blasphemiam Sacerdotibus omnibus.

Sacrilegia sunt blasphemia.

Et non corripuit eos.] Hebraïca dictio significat, *prohibere*, posthabita ratione honoris eius, cui fit inhibitio. In hoc enim peccauit Heli, quòd quanuis arguerit filios, non tamen sic, vt honorem Dei præposuerit honori filiorum: noluit enim confundere filios; vt superiùs dicta per Prophetam ad Heli testantur.

Vers. 14. *Et iccirco iuraui domui Heli, si expiabitur iniquitas domus Heli sacrificio, & munere vsque in sæculum.*] Ad manifestandum immobilitatem diuinæ tententiæ scribitur iuramentum.

Cur iurat Deus.

Vers. 15. *Dormiuit autem Samuel vsque mane, aperuitque ostia domus Domini.* Intellige ostia atrij, in quo erat altare holocaustorum: hæc enim ostia aperiêda erant, vt iuge sacrificiũ mane celebraretur.

Et Samuel timebat indicare visionem Heli.] Sic etiam Hebraice habetur: & præscripta reuelatio facta Samueli appellatur visio.

Vers. 16. *Vocauitque Heli Samuelem, & dixit: Samuel, fili mi. Qui respondens dixit: Ecce ego.*

Vers. 17. *Et dixit: Quis est sermo, quem locutus est ad te? oro te, ne celaueris me: hæc faciat tibi Deus, & hæc addat.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Sic faciet tibi Elohim, & sic addet, si absconderis à me verbum ex omni verbo, quod locutus est ad te.* Interpres enim sæpissimè mutat *si* in *hæc*: & sunt verba adiurantis cum imprecatione, vt consueuerunt homines dicere.

Adiurantis verba cum imprecatione, sic, & hęc.

Vers. 18. *Indicauitque ei Samuel omnia verba, & non abscondit ab eo: cui ille respondit: Dominus est.*] Hebraice habetur: *Iehouah ipse, bonum in oculis suis faciet.* Verba optimæ patientiæ sunt: agnoscit enim ipsum esse fontem omnis esse: & humiliter sustinendum fatetur, quicquid bonum censetur diuino iudicio.

Patientiæ optima verba.

Crenius

Vers. 19. *Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo: & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.*] Narrato initio propheticæ gratiæ in Samuele, narrat consequenter Author libri gratiam propheticam in eodem, postquàm creuit: & summarie describit, & Deum fuisse cum ipso, & verba eius prophetica fuisse impleta, & effectum subsecutæ gloriæ; videlicet:

Vers. 20. *Et cognouit totus Israel à Dan vsque Beer-sebah, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.*] Clarius habetur Hebraicè, *quòd fidelis Samuel in Prophetam Iehouah.* in casu datiuo. Ad differentiam Prophetarum fallacium, loquentium ex parte Dei, dicitur, quòd Samuel agnitus est fidelis in officio Propheticæ, relatiuè ad summum Deum; hoc est, quòd non fallebat dicendo, se habere reuelationem diuinam, quæ verè non esset diuina; hic enim effectus profectus est ex eo, quòd omnes prophetiæ Samuelis adimplebantur.

Samuel erat fidelis in officio Prophetæ.

Vers. 21. *Et addidit Dominus, vt appareret in Silo.*] Non de vna sola superueniente visione dicitur; sed summariè multiplicatæ apparitiones diuinæ factæ in Silo scribuntur. Et dicitur, *in Silo*, ad differentiam aliarum visionum, quas habuit Samuel, postquàm recessit à Silo.

Quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo.] Simul manifestatur, cui apparuit Deus in Silo, (videlicet, Samueli;) & ratio cogniti Samuelis ab vniuersis: *quia*, &c.

In verbo Iehouah.] Ex eo enim, quòd nihil prophetabat Samuel, quod non euenirèt, agnoscebatur Samuel loquens in verbo Domini: dederat enim Deus in Deuter. signum Propheticæ non sui, si Propheta ille dixisset aliquid falsum.

Et euenit.] Iuxta Heb. habetur, *& fuit verbum Samuelis vniuerso Israeli.* Ad quos extensus est sermo propheticus Samuelis describitur.

CAPVT IV.

Vers. 1.  GRESSVS *est autem Israel in occursum Philisthim ad bellum, & castrametati sunt iuxta lapidem adiutorij.*] Hoc est, locum illum, qui postèà appellatus est lapis adiutorij.

Philisthim autem castrametati sunt in Aphec.

Vers. 2. *Et struxerunt aciem Philisthim contra Israel, & inito certamine casus est Israel coram Philisthim: & percusserunt in acie in agro circiter quatuor millia virorum.*

Vers. 3. *Et venit populus ad castra, dixerúntque seniores Israel: Cur percussit nos Dominus hodie coram Philisthim? accipiamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum.*] Deuota intentio, ac commendanda spes, si facta respondissent intentioni, ac spei. Fiducia enim in Arca Domini, quamuis in se bona, ac sancta sit; insufficienstamen est, nisi bonis operibus comprobetur. Recurrerunt isti ad exteriorem cæremoniam, omittentes internam pœnitentiam peccatorum suorum: & in hoc peccauerunt, relinquentes veram causam percussionis eorum.

Fiducia in Deo insufficiens sine bonis operibus.

Vers. 4. *Missitque populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum.*] Iam dictum est, quòd Hebraicè habetur: *Iehouah exercituum, sedentis super Cherubim.* Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *sedentis Cherubinorum*, ad literam: quia propitiatorium, quod erat in templo, velut sedes Dei, sustentabant duo Angeli aurei, ideò appellatur Deus sedès Cherubinorum. Verùm ex his figuris Moses docuit, quòd Deus regnat quietè super omnes Cherubinos, & Seraphinos, & vniuersam cæli militiam: & propterea quoad significatum optimè dicitur sedens (hoc est, quietè regnans) in omnibus supernis spiritibus per Cherubinos insinuatis.

Deus quare sedens Cherubinorum.

Erántque ibi duo filij Heli cum Arca fœderis Domini, Cophni, & Pinchas.

Vers. 5. *Cúmque venisset Arca fœderis Domini in castra, vociferatus est totus Israel vociferatione magna: & personuit terra.*

Vers. 6. *Audieruntque Philisthim vocem vociferationis, & dixerunt: Quæ est vox vociferationis huius magnæ in castris Hebræorum? & cognouerunt, quod Arca Domini venisset in castra.*

Vers. 7. *Timuerúntque Philisthim: quia dixerunt: Venit Deus in castra.*] Nomen est Elohim: quod in subiunctis Philisthinorum verbis, bis repetitur.

Vers. 8. *Et dixerunt: Væ nobis: quia non fuit, sicut hoc heri, & nudiustertius. Væ nobis: quis nos saluabit de manu Deorum fortium istorum? Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto.*] Manifesti apud Philisthinos timoris verba sunt propter fortitudinem Elohim Israël, quam confitentur ex percussione Ægyptiorum in deserto; hoc est, in mari rubro persequentibus Ægyptiis Israëlem euntem in desertum.

Vers. 9. *Confortamini, & estote viri, Philisthim, ne seruiatis Hebræis, sicut ipsi seruierunt nobis: estote viri, & bellate.*] Potest ista vox esse eorundem timentium: vt timor ipse, qui est pater consilij, induxerit eos ad exhortandum omnes ad viriliter agendum contra tam fortem inimicum, ex quo præliari oportebat, nè seruirent Israëlitis. Potest nihilominùs vox hæc esse aliorum Philisthinorum arguentium timentes quosdam Philisthinos, qui dixerant: *Væ nobis*, &c.

Timor pater est consilij.

Vers. 10. *Pugnauerúntque Philisthim, & casus est Israël, & fugit vnusquisque in tentorium suum: & facta est plaga magna valdè, & ceciderunt de Israël triginta millia peditum.*

Vers. 11. *Et Arca Dei capta est.*] Nomen scribitur Elohim, vt iusto Dei iudicio scribatur capta Arca

Duóque filij Heli mortui sunt, Cophni, & Pinchas.] Ecce adimpletum signum datum Heli de morte filiorum vno die.

Vers. 12. *Cucurrítque vir de Beniamin ex acie, & venit in Silo in die illa: & vestes eius scissæ erant, & terra super caput eius.*

Vers. 13. *Cúmque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam speculans: erat enim cor eius pauens pro Arca Dei.*] Rectè redditur sensus, & eius ratio; tremor, videlicet, cordis solliciti pro Arca Elohim, ne euenirèt, quod euenit.

Et vir venit annunciando ciuitati: & vlulauit tota ciuitas.

Vers. 14. *Et audiuit Heli vocem clamoris, & dixit: Quæ est vox tumultus huius? Vir autem festinauit, & venit, & nunciauit Heli.*

Vers. 15. *Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat.*] Iuxta Hebræum habetur, *& oculos suos finiuit, & non poterat ad videndum.* Vide disparitatem: superiùs dixerat, *& oculi eius inceperant caligare* modò dicit, *& oculos suos finiuit.* Et cõsequenter superiùs dixerat, *& nõ poterat ad videndum etiã lucerna ante extinctionẽ:* modò dicit, *& non poterit ad vidẽdum*, absolutè:

Heli erat pœnitùs primæua visu.

absolutè : vt intelligamus, quòd erat penitùs priuatus visu.

Vers. 16. *Dixítque vir ad Heli : Ego venio ex acie, & ex acie fugi hodie. Et dixit : Quæ sunt res, fili mi?*

Vers. 17. *Respondítque nuncians, & dixit : Fugit Israel coram Philisthim, & etiam plaga magna facta est in populo, & etiam duo filij tui mortui sunt, (Chophni, & Pinchas), & Arca Dei capta est.*] Nomen est *Elohim*, & similiter cùm subiungitur:

Vers. 18. *Cúmque ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta locum porta, & confractum est occiput eius, & mortuus est : senex enim erat vir, & grandæuus.*] Vbi etiam aduerte sanctam mentem Heli, in hoc, quòd, nec audita ruina populi, nec audita morte filiorum motus est : sed audita Arca Dei capta, vsque adeò commotus est, vt rueret retrò, & fracto occipite ; seu, vt alius placet, fracta iunctura) mortuus est.

Sancta mens erat Heli.

Et ipse iudicauit Israel quadraginta annis.] Non solùm Pontificis, sed etiam Iudicis functus est officio.

Vers. 19. *Nurus quoque eius vxor Pinchas prægnans ad pariendum, audito nuncio, quòd capta esset arca Dei.*] Et hic quoque nomen est Elohim.

Et mortuus esset socer eius, & vir eius, incuruauit se, & peperit : irruerant enim in eam dolores eius.

Vers. 20. *In ipso autem momento mortis eius.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et sicut tempus mortis eius.* Non scribitur mortua ; sed quasi mortua ; sed ac si moreretur : nam subiuncta testantur, quòd tunc non est mortua ; subiungitur enim, quòd ipsa non respondit, nec animaduertit : ita quod, nec intus, nec extra tunc aduerterit circa filium : & cùm hoc subiungitur, quòd nominauit filium Ichabod : ergo redit ad se ipsam, & nomen imposuit filio : non igitur tunc mortua fuit.

Locutæ sunt, quæ stabant iuxta eam : Ne timeas, quia filium peperisti. Illa non respondit, nec animaduertit.

Vers. 21. *Et vocauit puerum Ichabod.*] Hoc est, vbi honor; seu, non honor : alterum enim horum sonat Hebraica dictio : quæ tamen nomen propriam illius viri, qui postea fuit Sacerdos, erit.

Vers. 22. *Translata, ita dicta est gloria Domini de Israel.*] Iuxta Hebræum habetur : *Reuolutus est honor ab Israel.* Ratio nominis impositi filio redditur. Et quadrat ratio vtrique scilicet nam reuolutio honoris ex Israël, ferunt & migrationi significatæ, *vbi honor*; & negationi significatæ, *non honor.*

Nomen Ichabod quàm apte impositum.

Quia capta est Arca Dei. Iuxta Hebraica hæc, (videlicet, capta arca, & soceri, & mariti, simul ordinantur in casu accusatiuo immediatè post illa verba, *reuolutus est honor de Israel* : ita quod subiungitur : *Ad esse captam Arcam Elohim, & ad socerum suum, & maritum suum.* Et est sensus, quòd imposuit hoc nomen relatiuè ad hæc tria. Deinde immediatè subiungitur: *Et dixit : Reuolutus est honor ab Israel : quia capta est Arca Elohim.* Duo dixerat mulier: alterum est, *Ichabod*; alterum est, *reuolutus est honor ab Israel.* & in hoc declaratur, ad quid retulit mulier ambo. Prius enim declaratur, quid nomen infantis retulit ad tria: ad Arcam, ad socerum, & ad maritum: modò declarat, quòd reuolutionem gloriæ retulit ad Arcam Elohim captam.

CAPVT V.

Vers. 1. ET Philisthim autem tulerunt Arcam Dei : & *asportauerũt eam a lapide adiutorij, in Asdod.*

Vers. 2. *Tulerúntque Philisthim Arcam Dei, & intulerunt eam in domum Dagon : & statuerunt eam iuxta Dagon.*] An causa honorandi Arcam, an causa honorandi Dagon posuerint Arcam Dei iuxta Dagon, incertum est : vtrunque enim intelligi potest. Primum tamen magis insinuatur ex situ; videlicet, quòd ad latus Dagon iuxta Hebraicam veritatem posuerunt eam. Secundum autem magis quadrat elatæ victoriæ, vt Arcam tanquam trophæa posuerint coram Dagon Deo eorum.

Quo fine Philistim posuerint Arcam iuxta Dagõ.

Vers. 3. *Surrexerúntque Asdodij in crastino : & ecce Dagon ceciderat in faciem suam in terram coram Arca Domini.*] Verè Deus semper vtitur malis ad bonum.

Deus semper vtitur malis ad bonum.

Et tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.

Vers. 4. *Et surrexerunt mane in crastino : & ecce Dagon ceciderat in faciem suam in terram coram Arca Domini.*] Verè monstrat Deus Israel non fuisse se victum à Deo Philisthinorum hoc manifesto miraculo.

** Deus se non fuisse victum demonstrat.*

Caputque Dagon, & dua palmæ manuum eius abscisſæ erant ad limen.

Vers. 5. *Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo.*] Iuxta Hebræum habetur, *tantùm Dagon relictus est super ipsum.* Considera, prudens lector, quòd hac secunda vice Dagon cecidit in faciem suam ad terram, coram Arca; & quòd caput, & manus incisæ super limen fuerunt : & sic intelligetur istum sonare, non quòd Dagon truncus relictus fuerit in loco suo, (iam enim dictum est, quòd cecidit in terram super faciem suam ;) sed sonare, quòd in ipso idolo non remansit nisi Dagon ; hoc est, forma piscis : apud Hebræos siquidem Dagon sonat piscem. Et ad hoc videtur illud fuisse idolum hominis mixti piscis : ita quod caput, & manus erant hominis, reliquum vero corpus erat piscis. Et hoc videtur quærere literæ Hebraicæ, clarè sonantes: *Tantùm Dagon relictus fuit super ipsum.* absciſſis enim membris humanis, tantùm piscis relictus est in ipso, prolixè coram Arca Dei.

Dagon apud Hebræos quid sit, & eius figura.

Propter hanc causam non calcãt Sacerdotes Dagõ, & omnes, qui ingrediuntur domum Dagon, super limen Dagon in Asdod, vsque in præsentem diem. Ex vsu deinceps ingredientium templum Dagon in ciuitate Azoti, manifestat seruari memoriam tanti miraculi.

Vers. 6. *Aggrauata est autem manus Domini super Asdodios, & commouit eos, & percussit eos mirabilibus, Asdod, & fines eius.*] Primùm percussit Deus Philisthinorum Deum : deindè percutit homines ciuitatis Azoti.

Et exhalauerunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures : & facta est confusio mortis magna in ciuitate.] Vniuersa hæc clausula superflua est : nam in Hebræo non habetur.

Vers. 7. *Videntes autem viri Asdodij huiusmodi plagam, dixerunt : Non maneat Arca Dei Israel apud nos.*] Nomen est Elohe Israël, & idem nomen repetitur in subsequentibus ter.

Vers. 8. *Quia dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum.*

Miserúntque

Vers. 8. *Miserunt quæ, & congregauerunt omnes Satrapas Philisthinorum ad se, & dixerunt: Quid faciemus Arcæ Dei Israel? Responderuntque Gethæi: Circumducatur Arca Dei Israel, & circumduxerunt Arcam Dei Israel.*

Vers. 9. *Et fuit, postquàm circumduxerunt eam, fuit manus Domini super singulas ciuitates.*] Iuxta Hebræum habetur, *in ciuitatem contritione magna valde.* Verum, an sit termo de sola ciuitate Geth; an, vt Interpres intellexit, de singulis ciuitatibus, non est perspicuum: nam & interius, vbi vulgata editio habet:

Et percutiebat viros vniuscuiusque vrbis. Iuxta Heb. habetur, *& percussit viros ciuitatis a paruo vsque ad magnum.* Iuxta tamen ordinem literæ ciuitas Geth significari videtur ex eo, quòd subiungitur millio Arcæ ad Hec-ron.

Et computrescebant prominentes extales eorum.] Iuxta Heb. habetur, *& fuerunt abscondita eis matrices.* Ad interiora corporis retracta plaga matricum describitur. Quod autem subditur in vulgata editione:

Interiùrque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pellicea.] superfluum est: nam in Hebræo non habetur: sed statim subditur:

Vers. 10. *Et miserunt Arcam Elohim in Hec-ron.* Idémque Elohim nomen repetitur in aduentu Arcæ in Hec-ron. Cum verò dicitur, *circumduxerunt ad me Arcam Dei Israel*, nomen est Eloin: & similiter cum subditur, *Dimittite Arcam Dei*, &c.

Cúmque venisset Arca Dei in Hec-ron, exclamauerunt Hec-ronitæ dicendo: Circumduxerunt ad me Arcam Dei Israel ad interficiendum me, & populum meum.

Vers. 11. *Miserantque, & congregauerunt omnes Satrapas Philisthæorum, & dixerunt: Dimittite Arcam Dei Israel, & reuertatur in locum suum, & non interficiat me, & populum meum.*

Vers. 12. *Erat enim pauor mortis in omni ciuitate.*] Iuxta Hebræum scribitur pallio quædam, quâ homines fiunt attoniti: & scribitur hæc pallio non qualicunque, sed mortalis, ita quòd in qualibet ciuitate multi morerentur hic.

Et grauissima valdè manus Domini Dei. Iuxta Heb. habetur: *Aggrauauit valdè manus Elohim ibi.* hoc est, in qualibet ciuitate.

Et viri qui non fuerunt mortui, percussi sunt matricibus: ascenditque clamor ciuitatis in cœlum.]

CAPVT VI.

Vers. 1. [ ] Vt autem *Arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus.*] Vide, quòd à principio cœpit Deus percutere Philisthinos, inchoando à Dagon eorum Deo, & prosequendo in populis.

Vers. 2. *Vocauerunt que Philisthini Sacerdotes, & diuinos dicendo.*] Postremum consilium fuit hoc.

Arcam &c. cur Philisthini, eo se summo Dei.

Quid faciemus Arcæ Domini: Nomen tetragrammaton hic scribitur nominatum à Philisthinis: ita quòd fatentur, Arcam illam esse Arcam summi Dei, qui est fons essendi. Nec quærunt: Quid faciemus de Arca, sed, *quid faciemus Arcæ*: decreuerant enim mittere ipsam in locum suum in terram Israel, & petunt, quid exhibendum sit Arcæ. Vnde & subiungitur:

Indicate nobis, in quo mittemus eam ad locum suum. sic enim habet Hebraica veritas. Et quicquid intellexerint dicendo, in quo mittemus, perspicuum tamen est, quòd deliberauerunt mittere; sed petunt, an vehenda curru ab hominibus, & cum quo honore.

Qui dixerunt: Si remittitis Arcam Dei Israel.] Vers. 3. Nomen est Elohe.

Non dimittite eam vacuam, sed quod debetis ei, reddite pro peccato.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *quia restituendo restituetis ei Asam.* hoc est, pro delicto. In Leutico dictum est, quod Chatah significat, quod offertur pro peccato, Asam verò significat, quod offertur pro delicto, & de hoc est termo in proposito.

Tunc curabimini, & scietis, cur non recedat manus eius a vobis.] Duo promittunt; videlicet, sanitatem corporis, & notitiam diuinæ animaduersionis.

Et dixerunt: Quod est Asam, quod restituemus ei? & dixerunt: Vers. 4.

Iuxta numerum prouinciarum.] Iuxta Hebr. habetur, non prouinciarum, sed, *dominorum Philisthinorum.* erant enim quinque Principes Philisthinorum. Vers. 5.

Quinque matrices aureæ, & quinque mures aurei.] Hic primum memini Scriptura alterius plagæ illatæ à Deo per mures. Qualis autem fuerit plaga hæc, Scriptura subiungit:

Quia plaga vna est omnibus illis, & Satrapis vestris. Iuxta Hebr. habetur, *& dominis vestris.* Fortè Satrapæ vocantur domini.

Facietisque imagines matricum vestrarum, & imagines murium vestrorum, qui demolitis sunt terram.] Iuxta Hebr. habetur, *& disperdentium terram.* Ecce plaga ex muribus.

Et dabitis gloriam Deo Israel.] Nomen est Elohe: & aiunt, non gloriam, sed honorem significare: sed in idem redit, quia honor redudat in gloriam.

Si forte releuet manum suam a vobis, & a Dijs vestris, & a terra vestra.] Tria percussa coniungunt: videlicet, homines, Deum eorum, & terram. Et hinc habetur quòd Sacerdotes illi, & diuini accesserint ad dandum consilium, non erat Philisthini, sed alienæ gentis: loquuntur enim ad Philisthinos in secunda persona: *Super vos, super Elohe vestrum, super terram vestram.* Et subiungunt:

Et quare aggrauabitis cor vestrum, sicut aggrauauerunt Ægyptus, & Pharao cor suum?] Alienigenæ ergo erant ipsi exempti ab huiusmodi plagis, a Philisthinorum populo, Deo, & terra. Monitio autem hæc non iudicandi cor, respicit ad id, quod dixerant: *Date honorem Elohe Israel.* nisi enim difficiles existimassent, aut vidissent Philisthinos ad hanc humilitatem, vt darent nomen Elohe Israel: nequaquam monuissent eos, ne imitarentur Ægyptios, & Pharaonem. Vers. 6.

Nonne postquam peracta fuit.] Vertit Interpres actiuam in passiuam: quia actiua vox accepta est ad, *peractus est*, vel, *illusit*, seu, *irrisit eum*, proculdubiò Ægyptus.

Dimiserunt eos, & abierunt? Et si legitur, *operatur est*, de operibus diuinis patratis in Ægyptios est termo. Si verò legitur, *illusit*, eædem diuinæ operationes significantur sub specie illusionis, pro quanto Deus (vt etiam Moses scripsit) ad instar illudentis Pharaoni differebat educere Israelem de Ægypto, inferendo tot plagas, vt ibi declarauimus.

Et nunc tollite, & facite plaustrum nouum vnum, Vers. 7. *& duas vaccas lactantes, quibus non est impositum iugum, & iungite vaccas in plaustro, & reducite filios earum, qui sunt post eas in domum.*

Tollentique Arcam Domini. Nomen est tetragrammaton: fatentur siquidem & isti alienigenæ, Arcam illâ esse, Arcam summi Dei fontis essendi. Vers. 8.

Et ponite eam in plaustro, & vasa aurea, quæ restituistis ei pro delicto, ponetis in capsella à latere eius: & dimittite eam, vt vadat.

Vers. 9. *Et aspicite, si via finium suorum ascenderit in Bethsemes, ipse fecit nobis hoc malum magnum: & si non, sciemus, quòd non manus eius tetigit nos, sed accidens fuit nobis.*] Connumerant Sacerdotes, ad diuini seipsos patientibus ratione amicitiæ: & d uino factum est nutu, vt humana præsumptione statuerent sibi ipsis signum discernendi authorem plagarum illarum, an fuerit Deus Israel, an casu euenerint illæ plagæ simul cũ Arca Dei.

Vers. 10. *Fecerunt itaque viri sic: & tulerunt duas vaccas lactantes, & ligauerunt in plaustro, & filios earum reclusérunt domi.*

Vers. 11. *Et posuerunt Arcam Dei super plaustrum: & capsellam, & mures aureos, & imagines mustarum suarum.*

Vers. 12. *Et direxerunt se vaccæ in viam, quæ ducit Bethsemes, & itinere vno ibant eundo, & mugiendo; & non declinauerunt ad dexteram, & ad sinistram: & Satrapæ Pelisthinorum ibant post eas vsque ad terminum Bethsemes.*

Vers. 13. *Porrò Bethsimsita metebant triticum in valle: & cùm eleuassent oculos suos, viderunt Arcam, & gauisi sunt, cùm vidissent.*] Legendum est, *ad videndum.* Peccatum describitur Bethsemitarum, non quòd primùm viderint Arcam Dei, sed quòd lætati sint ad videndum eam: nunquam enim secundùm legem populus videbat Arcam Dei: imò & Leuitæ non nisi inuolutam à Sacerdotibus videbant eam, cùm vecturi essent illam, vt patet Numer. 4. vbi clarè mors scribitur imminere, si aliter viderint eam. Lætitia itaque ad videndum, quæ & perseuerantiam, & concursum ad videndum Arcam Dei insinuat, culpatur.

Populus secundum legem nunquam Arcam videbat: imò nec Leuitæ.

Vers. 14. *Et plaustrum venit in agrum Iesuæ Bethsimsita, & stetit ibi, & ibi erat lapis grandis: cecideruntque ligna plaustri, & vaccas immolauerunt in holocaustum Domino.*

Vers. 15. *Et Leuitæ deposuerunt Arcam Domini.*] Quamuis errauerint cæca vilionem, non errauerunt tamen circa factum: verum & hic, quia nimi dicitur de arbitrio velamine, Leuitarum quoque peccatum, omittendo velare Arcam, non caret suspitione.

Et capsellam, quæ erat cum ea, in qua erant vasa aurea; & posuerunt super lapidem grandem: homines autem Bethsimsitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino.

Vers. 16. *Et quinque Satrapæ Pelisthinorum viderunt: & reuersi sunt in Hecron in die illa.*

Vers. 17. *Hi autem sunt mures aurei, quos reddiderunt Pelisthim pro delicto Domino. pro Asdod vna, pro Hazazæ vna, pro Ascalon vna, pro Geath vna, pro Hecron vna.*

Vers. 18. *Et mures aurei secundum numerum ciuitatum Pelisthim quinque prouinciarum:*] Legendum est, *quinque dominorum à ciuitate munita vsque ad villam absque muro.* Et est sensus, quòd licèt mures aurei fuerint quinque, numerus tamen murium fuit longè maior: quia erant iuxta numerum non solùm ciuitatum, sed erant iuxta numerum villarum, quas possidebant quinque Principes Pelisthinorum. Declarando autem, vsque ad quem terminum extenderentur istæ villæ, subaungitur:

Abel, quid apud Hebræos.

Et vsque ad Abel magnum, super quem posuerunt Arcam Domini, vsque in diem hanc in agro Iehosue Bethsimsitæ.] Dicitur, *Abel*, apud Hebræos sonat *luctum*, vel *planitiem*. Et in quidem legitur, *planities*, sensus est, quòd numerus murium fuit iuxta numerum etiam villarum, quæ erant vsque ad planitiem magnam, super quam posuerunt Arcam Domini: ita quòd à quatuor describitur, vbi posita est Arca: primùm, à lapide magno, tanquàm loco proprissimo: deinde, ab agro Iosue, tanquàm loco prædicti lapidis: tertiò, à magna planitie, tanquàm loco communi, cuius pars erat ille ager: & demum à ciuitate Bethsemes, tanquàm à proprietate territorij. Si autem legeretur, *luctus*, non posset legi, vt luctus est nomen appellatiuum: quia discordaret in genere cum adiectiuo *magnum*: nam Hebraicè adiectiuum hoc est fœminini generis: sed oporteret legere *luctum*, vt nomen proprium ciuitatis: ita quòd ipsa Bethsemes appelletur luctus grandis, propter subsecutum in ea magnum luctum, & ad differentiam alterius Abel paruæ, ex qua clamauit mulier ad Ioab. Prima tamen expositio quadrat literæ: nec eget hac adinuentione noui nominis ciuitatis Bethsemes; elige tamen, quod malueris.

Bethsemes appellata luctus grandis, cur.

Percussit autem de hominibus Bethsemes, eò quòd vidissent Arcam Domini. Nihil refert, quòd Hebraicè habetur: *Quia viderunt in Arca Iehouah.* significatur enim, non quòd viderint interiora Arcæ sed quòd curiosè inspexerint in ea, quę elaborata erant ab artificibus, tempore Motis in ea. Vers. 19.

Et percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.] Iuxta Hebræum legendum est, *& percussit in populo septuaginta viros quinquaginta millia virorum.* Nec habetur, quod aliqui fuerint ex plebe, & aliqui ex populo: sed minor numerus sæpè præponitur maiori: sicut consueuimus dicere, septuaginta virós supra quinquaginta millia virorum.

Luxitque populus. Quia percussit Dominus populum plaga magna.

Et dixerunt viri Beth-semes: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius?] Iuxta Hebræum habetur, *in conspectu Iehouah Elohim sancti huius?* Nominant Deum, primùm nomine proprio, deinde nomine iudicis, & demum à munditia, videntes iudicia eius profecta à summa munditia: quia tanquam indignos tanta munditia percussit populum. Et verè indigni erant, vt viderent Arcam tam sanctam, & veluti rem profanam tractauerunt eam, concurrendo ad videndam eam. Vers. 20.

Iudicia Dei profecta à summa munditia.

Et ad quem ascendet à nobis?

Mittentesque nuncios ad habitatores Ciriath Iearim, dicendo.] Nomen est ciuitatis, sonans Latinè, *ciuitatē syluarum*: & est in sorte Tribus Iudæ. Vers. 21.

Ciriath Iearim, *quid.*

Reduxerunt Pelisthim Arcam Domini, descendite, facite à cendere eam ad vos.

CAPVT VII.

Vers. 1. [I]Esiruxt *ergo viri Ciriath Iearim, & ascendere fecerunt Arcam Domini, & introduxerunt eam in domum Abinadab in Gabaa.*] Alias diximus, quòd Ghibha quandoque est nomen proprium, & quandoque est nomen appellatiuum significans collem. Hic autem est nomen appellatiuum: nisi enim ciuitatis vna pars fuisset collis, altera planities, non diceretur in colle: sed ad describendum, in qua parte ciuitatis erat domus Abinadab, dicitur, quòd introierunt eam in domum Abinadab in colle. Et hoc est ratione habilius, quàm intelligere collem

Ghibha, *quid significet.*

collem esse, suburbanum ciuitati: minùs enim fuisset honorata Arca: quoniam secundùm legem Mosis debebat esse in medio populi. Et tu, prudens lector, aduerte, quòd in hoc loco fuit Arca Dei, postquàm ex Beth-semes translata est: fuit, inquam, & primò, & vltimò, vsquequò Dauid Rex transtulit eam: manifestè siquidem Scriptura testatur vtrunque: nam & hîc narrat de Beth-semes deductam in Cir-iath Iehatim in domum Abinadab in colle: & 2. Reg. 6. & 1. Paral. 13. clarè dicitur, quòd ex hoc loco transtulit ipsam Dauid. An autem in medio tempore fuerit Arca Dei alibi, alia quæstio est, tractanda, vbi fiet mentio de Arca alibi existente. Aduertant tamen studiosi in sacra Scriptura, nullam post hanc legi translationem Arcæ ante translationem factam à Dauide: quanuis legatur Arca semel deducta in castra tempore Saulis, 1. Reg. 14.

Arca debebat esse in medio populi.

Ex domo Abinadab Arcam Dauid transtulit.

Semel tamen interè deducta est in castra.

Et Elhazarum filium eius sanctificauerunt, vt custodiret Arcam Domini.] Leuiticæ sturpis fuisse Abinadab, ex officio custodiendi Arcam Domini insinuatur: ritus autem sanctificandi scriptus est in Leuitico.

Abinadab, cuius Triuus fuit.

Vers. 2. *Et fuit à die, qua mansit Arca in Cir-iath Ieharim, multiplicati sunt dies: erat quippe tam annus vigesimus.*] Iuxta Hebræum habetur, *multiplicati sunt dies, & fuerunt anni viginti.* hoc est, à die, quo fuit Arca in Cir-iath Iehatim, transierunt multi dies, ita quòd fuerunt anni viginti. Et significatur tempus subiunctarum actionum populi, & Samuelis: quòd, videlicet, fuerint infra viginti annos à die mansionis Arcæ in Cir-iath Iehatim: hic enim sensus quadrat rebus gestis, & sollicitudini, ac bonæ famæ Samuelis: vt, quàm primùm potuerit, postquàm cessant clades Beth-semitarum, per viginti annos non destiterit vacare iis, quæ ad salutem erant populi.

Et requieuit.] Iuxta Hebræum habetur, *& luxerunt omnis domus Israel post Iehouah.*] Ecce prima actio populi infra istos viginti annos: & est actio pœnitentiæ propter offensum Deum: ab hac enim incipit Samuel conuertere populum peccatorem.

Vers. 3. *Ait autem Samuel ad vniuersam domum Israel, dicendo: Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, & Hastharoth; & præparate cor vestrum Domino, & seruite ei soli, & liberabit vos de manu Philisthinorum.*] Ecce secunda actio in illis annis. Et verè consequenter se habet hæc secunda ad primam: vera enim pœnitentia non esset, nisi abicerent Deos alienos.

Vera pœnitentia in quo consistat.

Vers. 4. *Abstulerunt ergo filij Israel Behalim, & Hastharoth: & seruierunt Domino soli.*] Hinc clarè apparet, quòd infecti erant idololatria multiplici filij Israel.

Filij Israel erant idololatræ.

Vers. 5. *Dixitque Samuel: Congregate vniuersum Israel in Mizpam.*] Ecce tertia actio in illis annis: & est procul dubiò sermo de Maspha in Tribu Iudæ.

Vt orem.] Iuxta Hebræum habetur, *& orabo pro vobis ad Dominum.* finis enim huius congregationis (vt subiungitur) non fuit oratio Samuelis, sed communis, ac publica abrenunciatio idololatriæ cum confessione, & satisfactione. Dicendo autem, *& orabo pro vobis ad Iehouah*, non Pontificis officium vsurpat: tum, quia Prophetæ erat, & vt Propheta oraturus erat ad Iehouah: tum, quia non fiebat hæc oratio in templo Dei; nam tabernaculum Dei erat in Silo, & Arca erat in Cir-iath Iehatim: hæc autem congregatio habebat in Maspha, vbi nunquam Scriptura tradit fuisse Arcam, aut tabernaculum.

Samuel Pontificis officium non vsurpauit orans pro populo.

Et congregati sunt in Mizpam, & hauserunt aquã, & effuderunt in conspectu Iehouah. Noua est hæc cæremonia, ad significandum sensibili signo totalem abdicationem idololatriæ: ad hoc enim haustam aquam publicè effuderunt coram Deo: vt quemadmodum aqua sic abiicitur, quòd nihil eius remanet in vase, (non color, non odor, non sapor:) ita monstrabant se sic abdicare idololatriam, vt nihil eius in ipsis remaneret. Quod autem dicitur, *in conspectu Iehouah*, ad testimonium spectat, quòd in veritate ita intus se habebant, quemadmodum foris effundendo aquam significabant: ac si dictum fuisset, quòd effuderunt aquam inuocando Deum testem, seu tanquam in præsentia Dei inspicientis corda.

Vers. 6. *idololatriam quo ritu Israelitæ abdicauerint.*

In conspectu Iehouah, quia necess.

Et ieiunauerunt die illo, & dixerunt ibi: Peccauimus Iehouah.] in casu datiuo. Collige has actiones: & perpende confessionem dicendo: *Peccauimus Iehouah.* satisfactionem verò ieiunando: signum autem veræ contritionis effusionem aquæ in conspectu Dei. Et hic fuit finis congregationis istius in Maspha: fuit enim consummatio veræ pœnitentiæ, & confirmatio populi sub iudicio Samuelis: propter quod subiungitur:

Pœnitentia perfecta Israelitarum.

Iudicauitque Samuel filios Israel in Mizpa.] Ex qua sententia habes, tum, quòd Samuel fuerit Iudex; tum, quòd à Samuele, tanquàm Propheta inductus est populus ad hanc publicam professionem pœnitentiæ; tum, quòd exinde incepit esse Iudex, qui priùs erat duntaxat Propheta: ad hoc enim insinuandum scribitur officium Iudicis in Samuele primùm in Maspha, congregato ibidem populo ad professionem pœnitentiæ.

Et audierunt Philisthim, quòd congregati essent filij Israel in Mispam, & ascenderunt Satrapæ Philisthim ad Israel.] Suspicantes congregationem Israëlis parituram rebellionem, parauerunt se ad prælium.

Vers. 7. *Audieruntque filij Israel, & timuerunt à facie Philisthim.*

Et dixerunt filij Israel ad Samuel: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthim.] Confidebant in Samuelis oratione: quia Propheta Domini erat.

Vers. 8.

Tulitque Samuel agnum lactis vnum, & obtulit illum holocaustum totum Domino.] Certè vides, Samuelem, non Sacerdotem, sed Leuitam, (Prophetam tamen; & offerre holocaustum, & extra locum tabernaculi Domini; videlicet, in Maspha.

Vers. 9. *Samuel non Sacerdos offert holocaustum extra tabernaculum.*

Et clamauit Samuel ad Dominum pro Israel.] Non exterioris vocis sono, sed magna cordis deuotione.

Et exaudiuit eum Dominus. Iuxta Hebræum habetur, *Et respondit ei Dominus.*] Fortè tamen, *respondere*, pro *exaudire* ponitur: nam Hebræi nullum verbum habent significans propriè exaudire.

Vers. 10. *Et fuit, cùm Samuel offerret holocaustum Domino, Philisthim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus.*] Cerne hîc, quantùm valeat oratio Prophetæ ad debellandos hostes.

Oratio Prophetæ quantùm efficax.

Fragore magno.] Hebraicè habetur, *in voce grandi in die illa super Philisthim.* Magna tonitrua sonasse aduersùs Philisthinos significatur: effectus autem eorum subiungitur:

Et exterruit eos: & cæsi sunt à filiis Israel.] Iuxta Textum Hebræum habetur, *& reddidit eos*

eos attonitos, & fuerunt mortificati in conſpectu Iſraelis. Deus pugnauit primùm tonitruis, cum efficacia reddendi Peliſthinos attonitos, & mortificandi eos. Et hinc conficitur non fuiſſe tonitrua pura, ſed etiam fulmina.

Fulminibus pugnat Deus pro Iſraelitis.

Verſ. 11. *Egreſſique ſunt homines Iſraël de Mizpa, & perſecuti ſunt Peliſthinos.*] Hinc apparent duo: alterum, quòd Peliſthini prælium inierant aduersùs ipſam ciuitatem Maſpha: alterum, quòd Iſraëlitæ videntes Peliſthinos reiectos à Deo, egreſſi è ciuitate perſecuti ſunt fugientes.

Et percuſſerunt eos uſque ad locũ, qui eſt ſub Bethchar.] Primæ duæ percuſſiones fuerunt à Deo: hæc autem tertia fuit humanis manibus effecta.

Verſ. 12. *Tulit autem Samuel lapidem unum, & poſuit eum inter Mizpam, & inter Sen; & vocauit nomen eius lapis adiutorij: dixitque: Hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus.* Hic eſt locus, cuius mentio facta eſt ſuperiùs 4. & 5. cap. ſub hoc nomine, quod modò impoſitum eſt à Samuële.

Verſ. 13. *Et humiliati ſunt Peliſthim, & non addiderunt vltrà, vt venirent in terminos Iſrael: & fuit manus Domini contra Peliſthim, omnibus diebus Samuelis.*] Geſta meritis Samuelis à Deo, ſupputantur in illis viginti annis.

Verſ. 14. *Et redierunt ciuitates, quas tulerant Peliſthim ab Iſraël ad Iſraëlem ab Hec-ron uſque Gath, & terminum earum, liberauit Iſraël de manu Peliſthinorum, fuitque pax inter Iſraël, & inter Emoreum.*] Nec tempore Samſonis, nec tempore Heli tantum beneficium collatum legitur Iſraëli.

Verſ. 15. *Iudicauitque Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ.*] Hinc apparet, quòd, quanuis creatus fuerit Saül Rex; non tamen depoſitus eſt Samuel à dignitate, & authoritate iudicis; quanuis non exerceret officium iudicis propter ſenectutem, ob quam creauit Regem. Tempore autem, quo exercebat officium, ob commoditatem populi, (vt in litera ſubiungitur,) annuatim ad tria ſe conferebat loca ad exercenda iudicia: reſidentia tamen eius ordinaria erat in Rama, vbi natus eſt.

Samuel erat Iudex tam Saule regnante, & quamdo.

Verſ. 16. *Et ibat per ſingulos annos, & circumibat Beth-el, & Ghilhal, & Mizpam: & iudicabat Iſraelem in omnibus locis iſtis.*

Verſ. 17. *Reuertebatúrque in Ramam, (quia ibi erat domus eius,) & ibi iudicabat Iſraelem: & ædificauit ibi altare Domino.*] Nec Arca Dei, nec tabernaculum Dei legitur aliquando fuiſſe in Rama; & tamen ibi ædificauit Samuel altare Domino.

Altare extra tabernaculũ ædificatũ eſt quandoque.

CAPVT VIII.

Verſ. 1. ACTVM *eſt autem, cùm ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos Iudices ſuper Iſrael.*

Verſ. 2. *Et fuit nomen filij eius primogeniti Ioel, & nomen ſecundi Abi-ia, Iudicum in Beerſebah.*] Locus, in quo filij Samuelis iudicabant, deſcribitur.

Verſ. 3. *Et non ambulauerunt filij eius in viis illius; ſed declinauerunt poſt auaritiam: acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium.*] Peccatum filiorum Samuelis circa iudicium deſcribitur rectiſſimo ordine triplex; videlicet, interna cupiditas rerum, exterior acceptio munerum, & vtriuſque effectus iniuſtum iudicium.

Filiorum Samuelis triplex peccatum.

Verſ. 4. *Congregatique ſunt omnes ſeniores Iſrael: & venerunt ad Samuelem in Ramam.*

Verſ. 5. *Et dixerunt ei: Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in viis tuis, nunc conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos, ſicus omnes gentes.*

Diſplicuitque ſermo in oculis Samuelis, quo dixerunt: Da nobis Regem, vt iudices nos. & *orauit Samuel ad Dominum.*] Quanuis humana ratione & paſſione diſplicuerit Samueli huiuſmodi petitio, (quia redundabat in abiectionem; & ipſius, & filiorũ,) attamen Deum conſulere non eſt oblitus.

Verſ. 6.

Abiectione ſui, & ſuorũ Samuel non offenſus eſt.

Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus, quæ dicent tibi. Mandat Deus fieri Regem petente populo: quia bonum abſolutè petebant conſonum legi; quanuis non petierint bonum, ſtante diſpoſitione diuina de ſeipſo Rege Iſraëlis.

Verſ. 7.

Quia non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Verba hæc diuina conſolatoria ſunt Samuelis humano more: declarat ſiquidem Deus Samueli, quòd hæc petitio non eſt directè contra ipſum Samuelem, quia ipſe Samuel non eſt Rex: ſed potiùs eſt contra ipſum Deum regnantem ſuper Iſraël. Vnde & Hebraicè habetur: *Quia non te abominati ſunt, quia me abominati ſunt à regnare ſuper eos.* Lege decimumnonum capitulũ Exodi: & inuenies inter alia pollicita populo à Deo: *Et vos eritis mihi regnum Sacerdotum.* Regem ergo Iſraëlis Deus ſeipſum exhibere dignatus eſt, eo ipſo, quòd promittit, ſi benè egerint, quòd erunt ipſi Deo regnum: regnum enim ad Regem refertur: & propterea à nunc dicit, quòd Iſraëlitæ petendo Regem hominem, abominati ſunt ipſum Deum Regem, tanquàm non ſufficeret ipſe Deus Rex. Et intelligè hæc non ſecundùm intentionem, ſed quoad factum, & quoad rationem affectus: non enim intendebant abiicere Deum Regem, ſed ſub ipſo habere Regem hominem: veruntamen ipſum factum excludebat ab ipſis Iſraëlitis rationem regni relatiuè ad Deum, vt Regem. Ratio quoque affectus ſi fuiſſet, quia lex diſpoſuit populum poſſe habere Regem, irreprehenſibilis fuiſſet: ſed non legalis, ſed & ethnica ratio affertur, dicendo, ſe velle habere Regem ad inſtar aliarum gentium: hinc enim manifeſtè apparet, eos paruipendiſſe ſingulare priuilegium Dei, quo præſtabant cæteris gentibus in hoc, quòd ipſi erant electi, & erecti in regnum, cuius Rex eſſet Deus. Et propterea aſſimilat Deus hoc factum populi aliis olim factis ab egreſſu ex Ægypto aduersùs ipſum Deum.

Iſraëlita petendo Regem, abominati ſunt Deum.

Iuxta omnia opera quæ fecerunt, à die, quo aſcendere feci eos ex Ægypto, vſque ad diem hanc, & dereliquerunt me, & ſeruierunt Diis alienis: ſic ipſi faciunt etiam tibi.] Priùs conſolatus eſt Samuelem, quòd quantùm ad titulum regium non contra ipſum Samuëlem, ſed contra Deum agunt: modò conſolatur eũdem quoad abiectionem ipſius Samuëlis, (ad quam ſuapte natura tendit petitio Regis,) ex ſimili facto contra ipſum Deum, dicendo, quòd quemadmodum reliquerunt colere me Deum, & ſeruierunt aliis Diis, ſic faciunt tibi, relinquentes te, & volentes Regem, qui iudicet eos.

Verſ. 8.

Deus Samuelem conſolatur.

Et nunc audi vocem eorum: veruntamen conteſtando conteſtare eis. Verè benignus erga populum Deus, mandando adimpleri petitionem populi, prædeclarando ipſi populo omnis generis oppreſſionem futuram eis à Rege; ne poſteà pœnitentes citarent ſe neſciſſe huiuſmodi oppreſſiones futuras.

Verſ. 9.

Et indica eis ius Regis.] Iuxta Hebræum habetur; *Iudicium Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.*

eos. Et attentè annota, quòd dicendo ius, siue iudicium Regis, diminuendo rationem iuris, & iudicij dicitur: ita quòd limitatur iudicium conditione etiam diminuente: & non est sensus, quòd infrascripta sint iuris, sed iuris Regis; hoc est, erunt iuris, quia Rex volet esse ius.

Vers. 10. *Dixitque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petebant ab eo Regem.*

Vers. 11. *Et dixit: Hoc erit iudicium Regis, qui regnaturus est super vos: filios vestros tollet, & ponet sibi in curribus suis, faciétque eos equites, & præcursores curruum suorum.*

Vers. 12. *Et constituet sibi Principes millenarios, & Principes quinquagenarios: & aratores agrorum suorum, & messores segetum suarum, & fabros armorum, & curruum suorum.*

Vers. 13. *Filiásque vestras tollet, in unguentarias, & coquinarias, & panificas.*

Vers. 14. *Et agros vestros, & vineas vestras, & oliueta vestra bona tollet: & dabit seruis suis.*

Vers. 15. *Et semina vestra, & vineas vestras addecimabit, & dabit Eunuchis suis, & seruis suis.*

Vers. 16. *Seruos etiam vestros, & ancillas vestras, & iuuenes vestros bonos, & asinos vestros tollet: & ponet in opere suo.*

Vers. 17. *Pecora vestra addecimabit: & eritis ei serui.*

Vers. 18. *Et clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegeritis vobis: & non exaudiet Dominus vos in die illa.*

Vers. 19. *Et renuit populus audire vocem Samuel: & dixerunt: Non, sed Rex erit super nos.*

Vers. 20. *Et erimus etiam nos sicut omnes gentes: iudicabitque nos Rex noster: & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra.*

Vers. 21. *Audiuitque Samuel omnia verba populi: & locutus est ea in auribus Domini.* Pertinacis populi sententiam circa habendum Regem refert Samuel ad Deum, iterum consulendo ipsum: in hoc ostendés, se nolle recedere à diuina voluntate.

Vers. 22. *Dixitque Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & constitue super eos Regem: & ait Samuel ad homines Israel: ite vnusquisque in ciuitatem suam.* Minùs scribitur, & plùs significatur, videlicet, quòd congregabit populum in Maspha pro electione Regis: misit enim eos lætos, (vtpote exauditos,) sed ad propria sine Rege; quia non pro tunc commodum erat instituere Regem.

CAPVT IX.

Vers. 1. TEVIT *vir de Beniamin, nomine Cis, filius Abiel, filij Zeror, filij Bechorath, filij Aphiach, filij viri Iemini.* Alias diximus, Iemini poni pro Beniamin: explicatur nanque, quòd paternum genus duxit ex Beniamin.

Iemini pro Beniamin.

Vers. 2. *Fortis robore.* Ad ipsum Cis refertur hoc.

Et ei erat filius nomine Saül, electus. Non est hic sermo de electione ad cælestem patriam, sed de electione ad humanas actiones: erat enim non vir gregarius, sed inter electos, vtpote prudens & strenuus.

Electus fuit Saul à Deo ad humanas actiones.

Et bonus, & non erat vir de filiis Israël melior illo. Non solum commendatur à sensu & militia, sed etiam à bonitate tanta, vt subiungatur, quòd etsi haberet pares; non tamen haberet meliorem in Israël. Et si sic, vt sonat Littera, intelligatur, vel hyperbolica est locutio, vel quoad actiones ciuiles relatiuè ad cõmunem populum intelligitur. Dico autem ad cõmunem populum: quia Samuel erat melior illo. Et dixi, *si sic, vt sonat Littera:* quia Hebraica dictio, quanuis *bonitatem* sonet, pro *pulchritudine* tamen ponitur: extenditur enim apud Hebræos boni nomen, & ad lætum, & ad pulchrum. Vnde crediderim, sensum literalem esse: Et non erat pulchrior illo in Israël. in cuius signum absque coniunctione aliqua subiungitur:

Quomodo Saul melior fuit omnibus filiis Israel.

Ab humero suo, & sursum celsior omni populo. hoc enim ad manifestandam illius pulchritudinem spectat: exigitur enim ad pulchritudinem hominis magnitudo corporis: nam parui benè proportionati, specioſi, non pulchri sunt. Et ex hoc iuncto præcedenti dicto, quòd non erat pulchrior illo, habetur, quòd huiusmodi procerita Saülis erat cum proportione membrorum: alioquin non fuisset pulcher.

Boni nomine latum, & pulchrum significatur apud Hebræos.

Parui homines. specioſi sunt non pulchri. Saul erat pulchar cum proceritate membrorum.

Vers. 3. *Perierant autem asinæ Cis, patri Saül: dixitque Cis ad Saul filium suum: Tolle, quæso, tecum vnum de pueris, & surge, vade, quære asinas.*

Vers. 4. *Et transiuit in montem Ephraim, & in terram Salisa, & non inuenerunt: transierúntque in terram Sabalim, & non erant: & transiuit in terram Iemini, & non inuenerunt.*

Vers. 5. *Ipsi venerunt in terram Zuph: & Saul dixit puero, qui erat cum eo: Veni, & reuertamur: ne forte dimiserit pater meus asinas, & sollicitus sit pro nobis.* De dimissione curæ est sermo, vt testatur Hebraica veritas sonans: *Ne quando cessare it pater meus ab asinis;* hoc est, à cura asinarum. Et est sensus, ne maior sollicitudo de nobis excludat à patre meo sollicitudinem de asinis: rationabiliter enim verebatur ingerere patri maiorem sollicitudinem ex nimia mora.

Vers. 6. *Et dixit ei: Ecce, obsecro, vir Dei est in ciuitate ista.* Nomen est Elohim.

Vir nobilis. Iuxta Hebræum habetur, *vir honoratus.*

Omne quod loquetur, veniendo veniet: nunc eamus illuc, si forte indicet nobis viam nostram, per quam ambulauimus. hoc est, fructum intentum per viam nostram.

Vers. 7. *Dixitque Saul puero suo: Ecce ibimus, & quid afferemus viro?* Non ad pretium, sed ad honorem hoc refertur: nam non vendebat Samuel prophetiam: nec viri boni (in quorum numero erat Saül) offerebant Prophetæ munuscula; vt pretium; sed quemadmodum offerunt Deo, causa veneratiõnis.

Prophetiam Samuel non vendebat.

Quia panis defecit de vasis nostris, & sportulam non habemus. Iuxta Hebræum habetur, *& munus non est.* Et hinc patet, quòd non pretium, sed munus intendebat offerre.

Munus, non pretium dare volebat Saul Samuëli.

Vt afferamus viro Dei. Nomen est Elohim. Et ratio offerendi tangitur dicendo, *viro Elohim:* vice enim Dei offerebant Prophetæ.

Nec quicquam aliud. Parui refert, quòd Hebraicè habetur. *Quid cum nobis?* Quasi dicat: Nihil quod offerre valeamus.

Vers. 8. *Rursúsque puer respõdit Sauli, & dixit: Ecce inuenitur in manu mea quarta pars sicli argenti:* Iuxta Hebr. habetur *quarta pars secli argenti, quã dabo viro Dei, & indicabit nobis viam nostram.* Sæpè in libris Mosis facta est mẽtio *secli,* quod corruptè dicitur *sicli:* habebat siquidẽ iste nũmum argenteum quinque obolorũ, dãdũ viro Elohim.

Siclus *corruptè pro secto, quot obolorum erat.*

Vers. 9. *Olim in Israel.* Interponitur hoc ad intelligentiam subsequentium, in quibus non nominabitur vir Elohim; sed Videns: & quòd Author, licèt verba Saulis, & famuli inter

sese referat sub appellatione viri Dei, ipsi tamen vtebantur nomine Videntis.

Sic dicebat vnusquisque vadens consulere Deum.] Nomen est Elohim.

Venite, & eamus vsque ad Videntem: Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.

Vers. 10. *Dixitque Saul ad puerum suum: Bonus est sermo tuus, veni, eamus. Et ierunt in ciuitatem, in qua erat vir Dei.*] Nomen est Elohim.

Vers. 11. *Cumque ascenderent cliuum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam: & dixerunt eis: Num hic est Videns?*

Vers. 12. *Que responderunt, & dixerunt: Est, ecce ante te.*] hoc est, ecce obuius erit tibi.

Festina nunc: hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia sacrificiū diei populo in Bama.* Est hæc quoque dictio quandoque nomen appellatiuum tonans *excelsum*, quandoque nomen proprium loci est. Crediderim ego hic esse nomen appellatiuum: & in excelso sacrificium offerri, etiam à viris sanctis, hic patet. Et appellatur *sacrificium diei*: quia non durabat nisi vno die: ad differentiam sacrificiorum, quibus vacabant diebus multis, continuando diem diei, & sacrificium sacrificio.

In excelso à viris etiam sanctis sacrificia offerebantur.

Sacrificium diei, *quid.*

Vers. 13. *Cum ingressi fueritis ciuitatem, statim inuenietis eum, antequam ascendat excelsum ad vescendum: non enim comedet populus, donec ille veniat, quia ipse benedixit hodie.*] Iuxta Hebræum habetur: *Benedicit sacrificium, & posteà comedent, qui inuitati sunt.* Res sacrificata, quæ comedenda erat, appellatur sacrificium benedicendum, antequam comedant inuitati.

Sacrificium benedicendum, *quid.*

Et nunc ascendite: quia hodie reperietis eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia cum, sicut hodie, reperietis eum.* hoc est, quia occurret vobis, sicut occurrit vobis hic dies. Certitudinem occursus manifestare intendunt puellæ ex similitudine occursus hodierni diei.

Vers. 14. *Et ascenderunt in ciuitatem: cumque peruenissent in medium ciuitatis, ecce Samuël egrediebatur in occursum eorum, vt ascenderet in excelsum.*

Vers. 15. *Dominus autem reuelauerat aurem Samuelis die vna, antequam veniret Saul dicendo.*

Vers. 16. *Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te.*] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut tempus erat, mittam tibi virum de terra Beniamin, & vnges eum in ducem super populum meum Israel, & saluabit populum meum de manu Philistinorum: respexi enim populum meum, quia venit clamor eius ad me.* Et est, *cras*, genitiuus casus: nullaque fit mentio horæ, sed duntaxat temporis diei crastini. Et est sensus, quando erit tempus diei crastini, mittam tibi virum, &c.

Vers. 17. *Cumque aspexisset Samuël Saülem, Dominus allocutus est eum: Ecce ille quem dixi tibi, iste dominabitur populo meo.*

Vers. 18. *Accessit autem Saul ad Samuëlem in medio porta.*] Paulo ante narrauit, quod Saul, & famulus eius erant in medio ciuitatis, Samuele occurrente obuium: modo vero dicitur, quòd appropinquauit Saul ad Samuelem in medio portæ, procul dubio ciuitatis: aduersus liquidem tibimuicem hæc videntur. Solutio est, quòd Interpretes curarint tantam ambiguitatem, quia Hebraica dictio interpretata, *in medio*, interpretanda erat, *in porta*. narrauit liquidem primo, quòd iam intrauerant ciuitatem, quando Samuël domum erat, & obuius fuit eis: narrauit modo, vsque ad quam partem ciuitatis ingressi appropinquauerunt Samuëli, videlicet, ad medium portæ, hoc est, plateæ, quæ erat iuncta portæ ciuitatis.

Interpretes euasum aliquando ambiguitatem in Scriptura.

Et dixit: Indica oro mihi, vbi est hic domus Videntis.

Et respondit Samuël Saüli dicendo: Ego sum videns, ascende ante me in excelsum, & comedetis mecum hodie, & dimittam te mane; & omnia, quæ sunt in corde tuo, annunciabo tibi.] Quando adimpleuerit hoc Samuël, non est scriptum: potest tamen intelligi hoc adimplesse, quando locutus est ei super tectum. Vers. 19.

Et de asinabus, quas perdidisti nudiustertius, ne sollicitus sis; quia inuentæ sunt: & cui erunt optima quaque Israël, nónne tibi, & toti domui patris tui?] Non potest se continere Samuël à prænunciando Saüli futurum regnum Israël. Vers. 20.

Respondítque Saul, & dixit: Nónne filius Iemini sum de minima Tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter omnes familias Tribus Beniamin? & cur locutus es mihi sermonem istum?] Admirationis, & humilitatis verba sunt argumentantia à Tribu, & à familia. Recole tamen, quòd carent superlatiuis Hebræi, quibus vtitur Interpres: Hebraïcè enim positiua nomina paruitatis scribuntur. Vers. 21.

Superlatiuis carent Hebræi.

Assumpsit autem Samuël Saülem, & puerum eius, & introduxit eos in triclinium. & dedit eis locum in capite eorum, qui erant inuitati, qui erant circiter triginta viri.] Hospitibus siquidem honorem exhibuit. Vers. 22.

Hospites honorandi sunt.

Dixítque Samuel coquo: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, vt reponeres apud te. Vers. 23.

Leuauítque coquus armum.] Deficit, & *super eum*. vel, vt alij putant, & *caudam*. Prima tamen lectio magis quadrare videtur: & significare pectusculum, quod est super armum. Vers. 24.

Et posuit ante Saul: dixítque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede, quia de industria seruatum est tibi, quando populum vocaui.] Rectè totus hic sensus redditur, & longè clariùs, quàm legebatur Hebraicè. Et hinc apparet, quòd incertus erat die hesterno Samuël de hora, qua venturus esset ille homo ex Beniamin, qui vngendus erat in ducem Israël: ideo enim, quando vocauit populum, seruandam tulit hanc portionem: quia nesciebat, an hora conuiuij futurus esset præsens: & propterea dicit, quòd de industria seruata est illa portio tibi, quamuis adhuc ignoto in particulari.

Portio conuiuij seruata est Saüli adhuc ignoto.

Et comedit Saül cum Samuële in die illa.

Descenderúntque de excelso in ciuitatem: & locutus est cum Saulem solario.] Iuxta Hebræum habetur, *super tectum*. Quid autem locutus fuerit, non est scriptum: sed creditur, quòd tunc indicauit Saüli, quicquid erat in corde eius, vt promiserat. Vers. 25.

Strauítque Saul in solario, & dormiuit.] Clausula hæc superflua est, eò quòd in Hebræo non habetur.

Surrexerúntque mane: & cùm dies illucesceret, vocauit Samuel Saülem in solarium.] Iuxta Hebræum habetur, *ad tectum dicendo*. Locus, ad quem vocabatur Saül, describitur: significatur enim, quod ascenderet ad ipsum Samuëlem ad tectum. Vers. 26.

Surge, & dimittam te: surrexítque Saul, & egressi sunt ambo, ipse & Samuël) foras.

Cumque descenderent in extrema parte ciuitatis, Samuel dixit ad Saul. Dic puero, vt ante edat nos Vers. 27.

nos, & transeat.] Iuxta Hebræum habetur, *& transiuit famulus antecedendo eos.*

Tu autem subsiste paululum, vt indicem tibi sermonem Domini.] Iuxta Hebræum habetur, *& tu sta sicut hodie, & audire faciam te verbum Elohim.* Et est sensus, & tu sta feliciter, sicut hodie est dies felicitatis tuæ. Non desunt tamen, qui transpositam legunt similitudinem, ordinantes eam cum sequenti sententia: ita vt sensus sit: & sicut hodie audire te faciam verbum Elohim, hoc est, ita certum, sicut est hodiernus dies. Elige, quam malueris constructionem.

CAPVT X.

Vers. 1. VLIT *autem Samuël lenticulam olei, & effudit.*] Iuxta Hebræum habetur, *& colauit.* quod minus est, quàm effundere.

Super caput eius, & osculatus est eum, & ait: Ecce vnxit te Deus.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *An non, quia vnxit te Iehouah super hereditatem suam in ducem?* Et est sensus, quia non alia ratione fit ista collatio: nisi quia summus Deus vnxit te super hæreditatem suam in ducem.

Et liberabis populum eius de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt: & hoc tibi signum, quia vnxit te Dominus in Principem.] Vniuersa hæc superflua sunt: vtpote, quæ in Hebræo non habentur: sed immediatè sequitur:

Vers. 2. *In ire tuo hodie à mecum, reperies duos homines iuxta sepulcrum Rachel in termino Beniamin in Zelzach.*] Sententia est clara.

Dicentque tibi: Inuenta sunt asinæ, quas ieras quæsitum, & ecce dimisit pater tuus negotium asinarum, & timet vobis dicendo: Quid faciam de filio meo?] Legendum est in casu dativo. *filio meo.* Sollicitudo enim significatur erga filium quasi perditum recuperandum.

Vers. 3. *Cúmque abieris inde, & vltrà transieris, & veneris ad quercum Thabor.* Iuxta Hebræum habetur, *Elon Thabor.* Alias diximus arborem significari, quam Interpres sæpè quercum appellat.

Elon, *quid.*

Inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Beth-el. Iuxta Hebræum habetur, *ad Elohim Beth-el.* Non est enim sermo de loco appellato Beth-el; sed de domo Dei, quæ tunc erat in Silo: ascendebant enim isti cum oblationibus ad Deum in domo Dei.

Vnus portans tres hœdos, & vnus portans tres tortas panis, & vnus portans lagenam vini.

Vers. 4. *Et salutabunt te cum pace: dabuntque tibi duos panes, & accipies de manu eorum.*

Vers. 5. *Postea venies ad collem Dei, vbi est statio Philisthinorum.*] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Vbi Præfecti Philisthinorum.* nihil enim aliud significari videtur, quàm præsidium, quod ibi habebant Philisthini: in hodiernum siquidem vsque diem retinent Principes aliquas arces munitas, quarum restituant ciuitates: & sic intelligimus Philisthinos, & restituisse ciuitates tempore Samuelis, & tamen tenuisse præsidia in aliquibus arcibus.

Philisthini retinebant sibi aliquas arces munitas, licèt regi redderent ciuitates.

Et cum ingressus fueris ibi vrbem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit, sicut venerit tempus illuc ad ciuitatem, obuium habebis cœtum Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos erunt lyra, & tympanum, & tibia, & cithara.* Ante ingressum in ciuitatem prænunciatur obuiaturus cœtus Prophetarum descendentium de excelso cum instrumentis musicis quatuor ante eos. De nominibus autem instrumentorum non oportet sollicitari: quia ignota sunt nobis, quæ illo tempore vsui erant.

Et ipsi prophetantes.] hoc est, diuinas laudes canentes. Vers. 6.

Et insiliet in te spiritus Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et proficiet super te spiritus Iehouah.* Ad instar proficientis describitur diuinus spiritus in homine secundùm nouum donum operans: eò quòd tanquàm priùs existens in homine progreditur de bono in melius: non proficit itaque spiritus Dei in seipso, sed in homine.

Et prophetabis cum eis: & verteris in virum alterum.] Discerne effectus spiritus diuini: facit enim exteriùs prophetare cum aliis, (hoc est, cantare diuinas laudes, quas priùs nesciebat,) & intùs mutat hominem in virum alterum.

Spiritus diuini effectus.

Quando ergo venerint signa ista tibi, fac, quæcunque inuenerit manus tua.] Iuxta Hebræum habetur: *Fac tibi, quod inueniet manus tua: quia Elohim tecum.* Significanter dicit, *fac tibi*, & non dicit absolutè, *fac*: quia adhuc non erat promulgatus Rex; sed in iis, quæ ad eum spectabant, liberam manifestat facultatem in quocunque occurrenti negotio, quia Deus est gubernator eius. Vers. 7.

Et descendes ante in Ghilgbal.] Hæc verba præsupponunt multa in Scriptura tacita; videlicet, quòd congregato populo promulgabitur Rex: nam hoc mandatum descendendi in Ghalghala, ad tempus post promulgationem Regis referri testantur scripta infrà in cap. 15. Vers. 8.

Ego quippe descendam ad te, vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ecce ego descendens ad te, ad faciendum ascendere holocaustum, ad sacrificandum sacrificia pacificorum.* Hoc est primum officium, ad quod se venturum promittit Samuël. Deinde immediatè subiungitur:

Septem diebus expectabis vsque venire meum ad te.] Ex scriptis quoque in eodem capitulo manifestum est, sic esse legendum: ita, quòd septem dies referuntur ad expectationem: clarè siquidem ibidem dicitur, Saülem expectasse septem dies secundùm tempus, quod dixerat Samuel.

Et ostendam tibi, quid facias. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et faciam scire te, quæ facies.* Et hoc est alterum officium, quod promittit Samuël: post, videlicet, oblata sacrificia indicare Regi id, quod erat facturus ipse Rex, proculdubiò relatiuè ad regnum: quod magnum fuisset beneficium, si adimpletum fuisset. Et tu, prudens lector, siste, & diligentiùs confer subiuncta omnia vsque ad tertiumdecimum capitulum: & videbis sensum quidem verborum Samuëlis esse, quem diximus; sed aliò tendere quam ad scripta in cap. 13. nam, quod ibi scribitur, longè post fuit gestum: & ante illud gestum in Ghalghalis, priùs conuenerunt in eisdem Ghalghalis Samuel, & Saul cum vniuerso populo, cum magna lætitia innouando regnum, vt scribitur infrà cap. 11. post superatos Hammonitas. Non ergo ad conuentum illum referuntur hæc Samuëlis verba: sed, cùm audissent Nahas Regem Hammonitarum præparare bellum aduersùs Israelem, & propterea (vt in cap. 12. manifestatur) Israëlitæ petiissent Regem, co-

Que hoc loco referuntur, longè post gesta sunt.

gitauit prudenter Samuël, quòd promulgato Rege conueniendum esset in Ghalghalis, loco propinquo Iordani: ac per hoc idoneo ad tuendum Israël ab Hammonitis, qui erant trans Iordanem: & propterè àmandat ex nunc Saüli, vt cùm fuerit promulgatus Rex, descendat ante ipsum in Ghalghala expectaturus ipsum septem diebus, (quibus populus congregandus erat cum victualibus.) promittendo, quòd ipse sequetur ad duo prædicta officia; hoc est, ad sacrificia, & ad indicandum ei, quid facturus esset ad tuendum Israëlem ab Hammonitis. Sed superueniente inopinato nuncio ex labes Ghalahad, non potuit seruari mandatum hoc: repentino enim opus fuit remedio, vt manifestè subiungitur in cap. 11. Et hic sensus, tanquàm literalis, complectendus est: vtpote rationi, & contextui rerum scriptarum, ac gestarum consonus, & nihil habens obstaculi. Nisi aliquis putauerit dari à Samuële Sauli mandatum generale, vt quoties opus fuerit congregare populum, præueniat per septem dies in Ghalghalis: quia ipse Samuël subsequetur ad dicta duo exercenda officia.

Cur Samuël miserit Saulem in Galgala.

Vers. 9. *Et fuit, cùm vertisset humerum suum, vt abiret à Samuël, immutauit ei Deus cor aliud.*] Nomen est Elohim. Vide benignitatem Dei: non expectauit tempus prædictum à Samuële; sed statim, vt à Samuële abiit Saül, immutauit ei cor.

Benignitas Dei notatur.

Et venerunt omnia signa hæc in die illa.

Vers. 10. *Venerúntque ad prædictum collem.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et venerunt illuc ad collem.* proculdubiò collem Elohim: sed nescimus, quare fuerit appellatus *collis Elohim.* Præmittitur autem aduerbium locale, ad manifestandum, quòd venerunt ad illum locum, quem designauerat Samuel.

Et ecce cuneus Prophetarum in occursum eius: & insiluit super eum spiritus Dei.] Iuxta Hebræum habetur, *& prosecit super eum spiritus Elohim.* Intellige hanc sententiam iuxta priùs declarata, cùm prædixit eam Samuël. Et similiter, quod subiungitur:

Et prophetauit in medio eorum.] cantauit enim cum Prophetis laudes diuinas, quas fortè nunquam audiuerat.

Vers. 11. *Videntes autem omnes, qui nouerant eum ab heri, & nudiustertius, quòd cum Prophetis prophetaret, dixerunt adinuicem: Quænam res accidit filio Cisæ? num & Saul inter Prophetas?*

Vers. 12. *Respondítque vir inde, & dixit: Et quis pater eorum?*] Ad augmentum admirationis scribitur huiusmodi colloquium: quidam enim admirabantur considerantes ipsum Saulem; quidam autem spectantes ad patrem: quoniam nec ex parte ipsius, nec ex parte patrum videbant rationem prophetandi in Saüle: nulla siquidem erat eis communio cum Prophetis.

Propterea versum est in proverbium: Num & Saul inter Prophetas?

Vers. 13. *Cessauit autem prophetare.*] Verè ad mensuram dat Deus spiritum.

Et venit in excelsum.] Iuxta Hebræum habetur, *& venit in Bamam.* Nomen proprium loci significari puto.

Vers. 14. *Dixítque patruus Saul ad eum, & ad puerum eius: Quo abiistis? Et dixit: ad quærendum asinas, quas, cùm non inuenissemus, venimus ad Samuelem.*

Vers. 15. *Et dixit patruus Saul: Indica, quæsò, mihi, quid dixit vobis Samuël.*

Vers. 16. *Dixítque Saül ad patruum suum: Indicando indicauit nobis, quòd inuenta essent asinæ: verbum autem regni non indicauit ei, quod dixerat Samuël.*

Vers. 17. *Et conuocauit Samuël populum ad Dominum in Mizpam.*] Quare hunc locum pro electione Regis elegerit Samuel, non est scriptum. Et dicitur congregasse *in Maspha ad Dominum*, quia sub titulo diuino fiebat congregatio: quemadmodum, etiam Iudic. 20. congregatus quoque scribitur populus ad Dominum in Maspha. Quod ideò annotauerim, ne hinc sumatur argumentum, quòd Arca Dei fuerit tunc in Maspha: nam tempore Iudicum, quo congregati sunt ad Dominum in Maspha, perspicuum est, non fuisse ibidem Arcam Dei. Verùm congregatio ista Samuëlis ea ratione dicitur ad Dominum: quia ad audiendum, & exequendum verbum Domini fiebat: vnde & Samuël à verbis diuinis incipit alloquí populum: subditur enim:

Cur congregatus Samuël dicatur, ad Dominum.

Vers. 18. *Dixítque ad filios Israël: Sic dixit Iehouah Elohe Israel.*] Sic habetur Hebraicè: *Ego ascendere feci Israël de Ægypto, & eripui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regnorum, & eorum, qui affligebant vos.*

Vers. 19. *Vos autem hodie projecistis Dominum Deum vestrum.*] Iuxta Hebræum habetur, *abominati estis Elohe vestrum.* quod intellige, vt suprà expositum est.

Qui saluat vos ab omnibus malis vestris, & angustiis vestris, dixistísque: Nequaquam, sed Regem constitue super nos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixistis ei, quòd Regem ponet super nos.* Hinc habes, quòd Samuël nunciauerat populo petenti Regem prima vice, non solùm protestationem iuris Regis, sed etiam verba Dei dicta ad ipsum Samuelem; videlicet, quòd Israëlitæ abominati sunt ipsum Deum Regem, & cætera: hæc enim modò Samuël commemorat, explicando pertinaciam Israëlitarum relatiuè ad Deum, quam superiùs explicauerat relatiuè ad ipsum Samuelem: talem enim pertinaciam commemorat referendo, *& dixistis ei*, (proculdubiò Deo,) *quod Regem ponet super nos.*

Et nunc state coram Domino.] Religiosus vsus sortium significatur per *state coram summo Deo*: vt non ex casu, sed ex diuina prouidentia expectarent effectum sortis, eleuatis mentibus in Deum, & deuotè commendando causam Deo.

Religiosus sortium vsus significatur.

Per Tribus vestras, & per familias.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *Et per millia vestra.* amplas enim familias à remotissimis auis significat, comprehendentes multas magis speciales familias.

Vers. 20. *Et applicuit Samuel omnes Tribus Israel.*] Modus huius sortis nòn est scriptus: & propterea nobis ignotus.

Et cecidit sors super Tribum Biniamin.] Iuxta Hebræum habetur, *& capta fuit Tribus Biniamin.* tali enim loquendi modo vtitur Hebraïca litera. Nec meminit sortis; sed similiter subiungit, quòd fuit capta familia, & quòd fuit captus Saül: & certum est, quòd non significatur capta corporaliter persona Saülis, (cùm esset absens,) & multò minùs nec sic capta Tribus, aut familia: sed modus ignotus est nobis, quia ignota est nobis qualitas sortium.

Quemodo sit captus Saül in Regem, ignotum est.

Vers. 21. *Et applicuit Tribum Biniamin per familias eius, & capta est familia Matri: & captus est Saul, filius Cis, quæsierúntque eum, & non est inuentus.*

Et

Vers.22. *Et consuluerunt post hæc Dominum.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et interrogauerunt adhuc in Iehouah.* Nota, prudens lector, aduerbium, *adhuc*: quoniam relatiuè ad inquisitionem per sortes, dicitur, *& interrogauerunt adhuc in Iehouah* : vt intelligamus, quòd illa per sortes inquisitio futuri Regis fuit celebrata in Iehouah.

Vtrumnam venturus esset illuc.] Iuxta Hebræum habetur : *Si venit adhuc huc vir.* Non interrogant futurum : sed præteritum extensum vsque ad præsens, an hactenus huc venit Saül. Et est præteriti temporis, *venit.*

Dixitque Dominus : Ecce absconditus est domi.] Iuxta Hebræum habetur : *Ecce ipse, & absconditus in vasis.* Præsens erat, & propterea respondit Deus : *Ecce ipse.* Et quia absconderat se inter multitudinem vasorum, vel in domo vasorum, ideò dicit : *& absconditus in vasis.* Nec est tutum diffinire genus vasorum : quoniam apud Hebræos vatis nomen communissimum est : & propterea non irrationabiliter creditur, quòd appellatione vasorum significentur hîc res populi, qui conuenerat, repositæ alicubi : inter illas siquidem quasi sarcinas populi occultauerat se Saül, humilitatis spiritu actus, ad indignum se regno profitendum.

Vasorum appellatione quid significetur apud Hebræos.

Vers.23. *Cucurrerúntque, & tulerunt eum inde : stetitque in medio populi, & altior fuit toto populo ab humero suo, & supra.*

Vers.24. *Et ait Samuel ad totum populum : Nónne vidistis quem elegit Dominus, quòd non est similis ei in toto populo ? Clamauítque totus populus, & ait : Viuat Rex.*

Vers.25. *Locutúsque est Samuel ad populum iudicium regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino.*] hoc est, in tabernaculo Domini prope locum, vbi positum erat volumen legis scriptæ à Mose.

Et dimisit Samuel totum populum, vnumquemque in domum suam.

Vers.26. *Et etiam Saul iuit in domum suam in Ghibham : & ierunt cum eo fortes, quorum tetigerat Deus cor.*] Nomen est Elohim.

Vers.27. *Filij verò Beli-iabal dixerunt : Quid saluabit nos iste ? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera : ille autem dissimulabat se audire.*] Iuxta Hebræum habetur, *& fuit sicut tacens.* hæc enim tacendi prudentia respondet tribus iniuriis : videlicet, verborum, (*Num saluabit nos iste ?*) & contemptus, & non oblati munusculi : quibus omnibus respõdet dissimulatio audiendi.

Tres iniurias dissimulat Saul.

CAPVT XI.

Vers.1. ET *factum est quasi post mensem.*] Superflua sunt hæc, sumpta ex Iosepho : nam iuxta Hebræum habetur : *Et ascendit Nachas Hammonites.* Primum præclarè gestum à Saule Rege narratur : & si Iosepho creditur, fuit hoc vno mense post electionem Saülis in Regem.

Iabes-Ghilhad, qua ciuitas

Vers.2. *Et castrametatus est contra Iabes-Ghilhad.*] Ciuitas vltra Iordanem remota à nouem Tribubus Israël, est.

Dixerúntque omnes homines Iabes ad Nachas : Feri nobiscum fœdus, & seruiemus tibi.

Et dixit ad eos Nachas Hammonites : In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrùm oculos dexteros, ponámque vos opprobrium in vniuerso Israel.

Et dixerunt ad eos seniores Iabes : Concede nobis septem dies, vt mittamus nuncios ad omnes terminos Israël, & si non fuerit, qui defendat nos, egrediemur ad te. Vers.3.

Venerúntque nuncij in Ghibham Saülis, & locuti sunt verba in auribus populi : & leuauit totus populus vocem suam, & fleuit. Vers.4.

Et ecce Saül veniebat post boues ex agro.] Vers.5. Quanuis electus Rex, quia tamen adhuc regnare non cœperat, rurali operi incumbebat.

Rex Saül rure laborabat.

Et dixit Saül : Quid habet populus, quòd ploret ? & narrauerunt ei verba virorum Iabes.

Et insiluit spiritus Domini in Saül.] Iuxta Hebræum habetur : *Et prosperatus est spiritus Elohim super Saül, cùm audisset verba hæc.* Assimilatur prosperitati donum hoc spiritus diuini ; tum, quia velut successus prosper erat relatiuè ad præterita, & expectata ; tum, quia ad prosperitatem regni tendebat noua hæc commotio spiritus Saülis à spiritu diuino ; qui aptè nominatur spiritus Elohim, eò quòd erat spiritus Dei, quatenus gubernat. Vers.6.

Prosperitati assimilatur donum spiritus diuini.

Et iratus est furor eius valdè.] Eccè effectus internus motus animi ad iram. Et hinc habes, quòd diuinus spiritus mouet quandoque animum hominis ad iram : & consequenter, quòd ira est instrumentum virtutis, si moderatè assumitur : mouebat enim Spiritus sanctus animum Saülis ad vindictam : & ideò congruum fuit, vt faceret ipsum excandescere

Diuinus spiritus mouet quandoque hominem ad iram. Ira est instrumentum virtutis.

Et assumpsit vtrumque bouem.] Clariùs dixisset, vt habetur Hebraicè : *Et accepit par boum.* ne videretur significari, quòd duos tantùm boues habuerit. Vers.7.

Et in frusta concidit illud : misítque in omnes terminos Israël per manum nunciorum, dicendo : Qui non exierit post Saül, & Samuel, sic fiet bobus eius.] Hinc coniicitur, verum esse, quod diximus ; videlicet, quòd inter Saülem, & Samuelem habitus fuerat sermo de exercitu congregando ad occurrendum Hammonitis : hoc enim innuunt Saülis verba, ex improuiso sonantia, quòd populus egrediatur ad bellum sequendo ipsum Saülem, & Samuelem.

Inuasit ergo timor Domini populum :] Parui refert, quòd Hebraicè habetur : *Et cecidit timor Iehouah super populum.* Non timor perdendi boues, sed timor Dei narratur mouens populum : vt verè comprobetur prosperitas spiritus mouentis Saülem.

Prosperitas spiritus mouentis Saülem.

Et egressi sunt tanquàm vir vnus.

Et recensuit eos in Bezec : fuerúntque filiorum Israël trecenta millia, & virorum Iehuda triginta millia. Vers.8.

Et dixerunt nunciis, qui venerant : Sic dicetis viris Iabes-Ghilhad : Cras erit vobis salus, cùm incalueris Sol.] Vide, quàm celeriter fuerit congregatio tantæ multitudinis & facta, & ducta ad locum idoneum ; hoc est, ad Iordanis ripam. Vt reor, sic deceptus est Nahas Rex Hammonitarum, putans eos non posse tam citò occurrere. Vers.9.

Venerúntque nuncij, & nunciauerunt viris Iabes, & lætati sunt.

Et dixerunt viri Iabes : Manè exibimus ad vos, & facietis nobis omne, quod bonum est in oculis vestris. Vers.10.

Et fuit, cùm venisset dies crastinus, disposuit Saül populum in tres partes.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *in tria capita.* in idem enim redit sententia. Vers.11.

Et

Et ingressus est media castra.] proculdubiò Hammonitarum.

In vigilia matutina.] Hoc est, in custodia matutina, quæ est vltima custodia noctis. Et hîc apparet prudentia Saulis: nocte siquidem magnum iter peregerunt, vt ex improuiso aggrederentur hostes dormientes: semper enim similis celeritas peperit victoriam.

Prudentia Saulis demonstratur.

Celeritas parit semper victoriam.

Et percussit Hammon, vsquequò incalesceret dies: qui autem remanserunt, dispersi sunt, & non remanserunt ex eis duo simul.

Vers. 12. *Dixitque populus ad Samuel: Quis est iste, qui dixit: Saul non regnabit super nos?*] Sententia recte redditur: quanuis Hebraicè interrogatiuè scribatur absque negatione: *Date viros, & interficiemus eos.*

Vers. 13. *Dixitque Saul: Non morietur quisquam die hac: quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.*] Hinc clarè apparet, quòd Saul, & Samuel simul erant in die victoriæ.

Vers. 14. *Dixit autem Samuel ad populum: Venite, & eamus in Ghilghal, & innouemus ibi regnum.*] Suauem elegit Samuel modum ad confirmandum regnum Saulis de consensu omnium, absque punitione eorum, qui despexerant Saülem: vt sic illi pœnitentes concurrerent vnanimiter cum reliquis ad regnum Saülis.

Samuel suauiter confirmauit Saulem in regno.

Vers. 15. *Et perrexit totus populus in Ghilghal, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in Ghilghal.*] Iuxta Hebræum habetur, *& fecerunt regnare ibi Saul in conspectu Iehouah in Ghilghal.* Regem siquidem priùs fecerant; sed modò fecerunt eum regnare: hoc est, regalem statum assumere, & officium exercere in conspectu Domini; hoc est, cum ea reuerentia diuina, perinde ac si astarent coram Deo.

Et immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino.] Ecce Saül, & Samuel simul in Ghalghalis sacrificantes Deo absque vlla dissensione, vt hinc perpendamus, verum esse, quod diximus in præcedenti capitulo, verba illa Samuelis ad Saülem: *Descendes ante me in Ghalghala*, aut esse mandatum generale, aut fuisse mandatum de descensu in Ghaghala ante prælium contra Hammonitas, quod angustia temporis nõ permisit impleri.

Et lætatus est ibi Saul, & omnes viri Israel nimis.] Iuxta Hebræum habetur, *vsque valde.* Magnitudo lætitiæ non excessiua, sed vsque ad lætitiam maximam describitur.

CAPVT XII.

Vers. 1. DIXIT *autem Samuel ad vniuersum Israel: Ecce audiui vocem vestram in omnibus, quæ dixistis mihi, & constitui super vos Regem.*] Hæc Samuelis verba ad populum, coram Saule Rege ibidem (hoc est, in Ghalghalis) innouato regno intellige dicta: tunc enim iudicio se suppoluit Regis, si quis aliquid aduersùs eum haberet.

Vers. 2. *Et nunc ecce Rex graditur ante vos, egóque senui, & incanui, & filij mei ecce sunt vobiscum: & ego ambulaui coram vobis ab adolescentia mea vsque ad diem hanc.*] Liberam proponit facultatem populo petendi iustitiam aduersùs filios suos, & aduersùs se; diuersimode tamen, quoniam circa filios non se extendit; sed sat esse censuit, obtulisse eos iudicio: de seipso autem diffusè prosequitur. Vnde & subiungitur:

Samuel exponit se, & filios iudicio populi.

Ecce adsum, loquimini de me coram Domino, Vers. 3.
& coram Christo eius.] Et Hebraicè habetur, *testificamini in me coram Iehouah, & coram vncto eius.* Et hinc apparet, quòd Saul fuit publicè vnctus in Regem: nisi enim publicè vnctus fuisset in Maspha, quando creatus est Rex, & forte iterum in Ghalghalis, quando fecerunt ipsum regnare, non dixisset Samuel publicè, *& coram vncto eius.*

Saul fuit publicè vnctus in Regem.

Vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum.] Iuxta Hebr. habetur, *fraudaui.* Quod autem subditur:

Si oppressi aliquem.] Iuxta Hebræum habetur, *si complacui.* Et est sermo de violatione iudicij ad placendum alicui.

Si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud hodie.] Iuxta Hebræum habetur, *& faciam celare oculos meos in eo.* est enim pars inchoatæ clausulæ de muneribus: præmittitur enim iuxta Hebræum, *& de manu cuiusquam accepi pretium.* statimque subditur, *& faciam celare oculos meos in eo.* Et est sensus: si accepi quancunque rem pretio æstimabilem, vt celarem oculos meos à prosequenda iustitia ob ipsum pretium. Et solito more futurum, *faciam*, respicit præteritum, *accepi.* Deinde immediatè sequitur:

Et restituam vobis.] Plenè exponit se iudicio, & satisfactioni.

Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti.] Iuxta Hebræum habetur: *Non fraudasti nos, & non complacuisti nobis.* repetuntur enim supradicta verba. Vers. 4.

Neque tulisti de manu alicuius quippiam. Dixitque ad eos:

Testis est Dominus aduersùm vos, & testis Christus eius in die hac, quòd non inueneritis in manu mea quippiam: & dixit: Testis. Vers. 5.

Et ait Samuel ad populum.] Iustificato ipso Samuele à populo coram Deo, & Rege, manifestat Samuel populo, quòd populus ipse non est iustificatus relatiuè ad Deum tempore regiminis ipsius Samuelis, sed peccauit petendo Regem. Vers. 6.

Dominus, qui fecit Mosen, & Aharon, & qui ascendere fecit patres vestros ex Ægypto, adest.] In Hebræo non est verbum, *adest*: verùm congruè subintelligitur, vt declaret Samuel præsentiam summi Dei subiunctis verbis, tanquàm ex diuino instinctu procedentibus: intendit enim loqui vt Propheta.

Samuel loquitur vt Propheta.

Et nunc state, vt iudicio contendam aduersùm vos coram Domino.] Iuxta Hebræum habetur, *& iudicabor vobiscum in conspectu Iehouah.* Et est sensus, quòd agam personam partis vnius, & vos personam alterius tanquàm in iudicio coram Deo: vtraque enim pars (accusator, videlicet, & reus) comparent in iudicio, vt iudicandi: & propterea dixit, *& iudicabor vobiscum.* Vers. 7.

De omnibus misericordiis Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *De omnibus iustitiis Iehouah, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris.* Beneficia diuina collata, & ipsis, & patribus appellat iustitias summi Dei, secundùm effectum: quia reddebant eos debitores secundùm iustitiam Deo: huiusmodi enim debita sunt materia causæ, quæ proponitur in hoc iudicio.

Quomodo ingressus est Iacob in Ægyptum: & clamauerunt patres vestri ad Dominum, misitque Dominus Mosen, & Aharon, & eduxerunt patres vestros ex Ægypto, & habitare fecerunt eos in loco hoc. Incipit commemorare Vers. 8.

in specie huiusmodi iustitias Dei.

Vers. 9. *Et obliti sunt Dominum Deum vestri : tradidítque eos in manum Sisarę Principis militię Chazor, & in manum Philisthinorum, & in manum Regis Moab, & pugnauerunt cum eis.*] Non ordinatè scribuntur historiæ : nam (vt patet in libro Iudicum) prior fuit oppressio à Rege Moab, quàm à Rege Chazor, & demum fuit oppressio à Philistinis.

Historia non ordinatè narrantur in Scriptura.

Vers. 10. *Clamauerúntque ad Dominum, & dixerunt: Peccauimus, quia dereliquimus Dominum, & seruiuimus Baalim, & Hastaroth : & nunc líbera nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi.*

Vers. 11. *Misitque Dominus Ierubbahal, & Bedan.*] Quis fuerit iste Bedan, in libro Iudicum non legitur sub hoc nomine : aiunt autem ipsum esse Samsonem.

Bedam fuit Samson.

Et Iephthach, & Samuel : & liberauit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidenter.

Vers. 12. *Et vidistis, quod Nahas Rex filiorum Hammon venit contra vos.*] Vsque in locum hunc distulit Author libri scribere alteram causam, quæ mouit populum ad petendum Regem ; videlicet, quod quia viderunt Nahas Regem Hammonitarum præparasse bellum, imò venisse contra Israël, petierunt Regem : ex eo enim, quòd apertè littera sonat venisse, intelligendum est, quòd inceperat venire, quando petierunt Regem : sed obsidio Iabes-Ghalahad posteà superuenit.

Quare Israelitæ Regem petierūt.

Vers. 13. *Et dixistis mihi, nequaquam.*] manebimus, vt hactenus.

Sed Rex regnabit super nos, cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis.] Pertinacia populi superius narrata, vnico verbo, negatione, *nequaquam*, describitur cum ratione culpæ ; videlicet, paruipentione tanti beneficij, quod Iehouah Elohe vester esset Rex vester : sic enim habetur Hebraicè :

Et nunc ecce Rex, quem elegistis, & petistis: & ecce dedit Dominus Regem super vos.

Vers. 14. *Si timebitis Dominum, & seruietis ei, & audietis vocem eius, & non exasperabitis os Domini.*] Iuxta Hebræum habetur, *& non rebellabitis ori Iehouah.* Sententia est clara.

Eritis & vos, & Rex, qui regnauerit super vos, sequentes Dominum Deum vestrum.

Vers. 15. *Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperabitis sermonem Domini.*] Iuxta Hebræum habetur, *rebellabitis ori Iehouah*, contemnendo præcepta eius.

Erit manus Domini super vos, & super patres vestros.] hoc est, Reges vestros, qui debent vestri patres esse : e regione enim prius dicit, *& vos, & Rex vester* ; dicit modò, *in vos, & in patres vestros.*

Reges debent esse patres.

Vers. 16. *Et etiam nunc state, & videte rem hanc grandem, quam Dominus facit in oculis vestris.*

Vers. 17. *Nonne messis tritici est hodie? Inuocabo Dominum, & dabit voces,* (hoc est, tonitrua,) *& pluuiam : & scitote, & videte, quòd grande malum feceritis vobis in conspectu Domini.*] Iuxta Hebræum habetur, *quod malum vestrum magnum, quod fecistis in oculis Iehouah petendo vobis Regem.* Perpende moderamen : contestatur enim, & quòd peccauerunt grauiter petendo Regem : & præmittit, quòd ex quo factus est Rex, in facultate eorum est, vt benè, vel malè succedat : si enim timuerint Deum, & obedierint ei, benè succedet : sin autem, erit manus Domini super eos. Ratio autem peccati petendo Regem, in litera redditur : quia Deus erat Rex eorum. Intellige, prudens lector, quòd quamuis petere Regem nullum peccatum sit ex proprio genere ; peccatum tamen sit præsupposita dispositione diuina, qua ordinauerat seipsum Regē Israël : ita quòd eleuauerat Israëlem in regnum peculiare ipsi Deo. Et ex hac circumstantia peccatum fuit, & graue, petere Regem : & propterea Samuel hanc rationem repetit : & ad hoc affert diuinum testimonium per pluuiam, ac tonitrua, tempore insolito : vt populus agnoscat peccatum suum, & interna pœnitentia deleat illud.

Cur peccauerint petendo Regem, in litera redditur.

Samuël probat, quæ dicit, per pluuiam, ac tonitrua, tempore insolito.

Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluuiam in die illo. Vers. 18.

Et timuit totus populus valdè Dominum, & Samuelem.] Ecce effectus intentus in populo diuinus, videlicet, timor cum agnitione peccati, quod commiserant, petendo Regem.

Dixitque totus populus ad Samuelem : Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur : addidimus enim omnibus peccatis nostris malum petendo nobis Regem. Vers. 19.

Dixit autem Samuel ad populum : Ne timueritis, vos feciſtis totum malum hoc.] Timorem mortis corporalis formidatæ ex fulminibus excludit ab eis : ita tamen, vt eos dedisse occasionem huic malo affirmet. Vers. 20.

Verùntamen nolite recedere à tergo Domini.] Iuxta Hebræum habetur : *Tantum ne recedite ex post Iehouah*, quamuis petendo Regem peccauerit is, (vt diuino videtis testimonio,) hoc tamen duntaxat à vobis exigitur, vt non cesletis sequi Iehouah.

Sed seruite Domino in toto corde vestro.

Et nolite declinare post vana.] Iuxta Hebræum habetur : *Et non declinabitis post mania.* Vniuersa simulacra appellat inania, eò quòd vacua secundùm veritatem sunt Deitate, quę illis attribuitur. Vers. 21.

Quæ non proderunt, nec liberabunt, quia vana sunt.] Hebraicè habetur : *quia inania ipsa.* eadem enim dictio repetitur.

Non enim derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum : quia iurauit.] Iuxta Hebræum habetur : *Quia voluit facere vos sibi in populum.* & nihil dicitur de iuramento. Vers. 22.

Absit etiam a me, vt peccem Domino cessando orare pro vobis : docebóque vos viam bonam, & rectam.] Vide iustitiam Samuelis Prophetæ : peccare se fatetur coram summo Deo, si cessaret orare pro populo : debitorem siquidem se agnoscit, tum ad orandum pro populo, tum ad docendum eos viam bonam, ac rectam. Et dixit hoc ad tollendum à populo suspicionem vindictæ : hoc est, quòd Samuel, tanquàm vltor iniuriæ sibi illatæ à populo volendo Regem, qui iudicaret eos, desineret intercedere pro ipsis ad Deum. Vers. 23.

Samuël non cessat orare pro populo contemnente se.

Igitur timete Dominum.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur : *Tantum timete Iehouah, & seruite ei in veritate in toto corde vestro.* Tertiò repetit necessitatem timoris diuini : nec aliud ab eis exigit, quam timere summum Deum, & seruire illi in veritate ex toto corde. Vers. 24.

Vidistis enim magnificia, quæ in vobis gesserit Dominus.] Iuxta Hebræum habetur : *Videte enim, quæ fecit grandescere vobiscum.* Ad instar rerum gran

grandescentium describit beneficia diuina collata populo, eò quòd fiebant quotidie maiora accumulatione beneficiorum.

Vers. 25. *Quòd si perseuerauerit in malitia.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et si malignando malignabimini.* vt primũ referatur ad animum, alterum ad opus. *Et vos, & Rex vester peribitis.*

CAPVT XIII.

Vers. 1. IESVS *vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset.*] Iuxta Hebræum ad verbum habetur: *Filius anni Saul in regnare suo.* hoc est, ad instar filij anni vnius innocens regnabat Saul: describitur siquidem qualitas regnandi, & nihil dicitur de initio regnandi.

Quot annis Saul regnauerit.

Et duobus annis regnauit super Israel.] Occurrit statim quæstio de veritate horum verborum: quoniam perspicuum est, Saulem tot bella gessisse, quæ infrà narrantur, multò plures annos regni eius contestantia: & Paulus Apost. Act. 13. clarè dicit Saulem regnasse annis quadraginta: quanuis Iosephus in calce libri 6. de Antiquitatibus, dicat, Saulem regnasse annis viginti, ac decẽ & octo, viuente Samuele, & duos mortuo Samuele. Solutio est, quòd hic non supputantur regni Saülis anni absolutè, sed annî antedictæ qualitatis regnandi: descriptus enim fuerat Saül regnans, tanquam filius vnius anni: subiungitur consequenter, quanto tempore durauit tale regnare, & dicitur, quòd duobus annis regnauit (subaudi, tanquam filius vnius anni) super Israël.

Vers. 2. *Et elegit sibi Saul tria millia de Israel.*] Electio ista facta videtur tunc, quando erant in Ghalgalis post victoriam contra Hammonitas: nam subiungitur, quod reliquum populum remisit ad propria. Oportuit autem habere iugiter tria millia virorum electorum in promptu, propter Philisthinos adhuc retinentes præsidia in pluribus locis Israëlitarum.

Et erant cum Saul duo millia in Machmas, & in monte Beth-el, & mille erant cum Ionathan in Gabaa Beniamin: & cæterum populum remisit, vnumquemque in tentoria sua.

Vers. 3. *Et percussit Ionathan statione Philisthinorum, quæ erat in Gabaa.*] Iuxta Hebræum habetur, *præfectum Philisthinorum, qui in Ghebah.* Sed sensus in idem redit: quoniam percussum intelligitur præsidium Philisthinorum cum suo præfecto, quod in Ghebah, quæ corruptè dicitur Ghabaa.

Quod cum audissent Philisthim.] Rectiùs contexitur Hebraicè, *& audierunt Philisthim.* explosum, videlicet, fuisse præsidium eorum ex Ghebah. Deinde immediatè sequitur:

Et Saul tenuit cornu in omni terra dicendo: Audient Hebræi.] Duos effectus subiecutos (alterum, apud Philisthinos, alterum apud Saulem, & Hebræos) narrat: videlicet, vtrobique auditam fuisse percussionem Præsidis Philisthinorum.

Vers. 4. *Et totus Israel audiuit huiusmodi famam, percussit Saul præfectum Philisthinorum: & erexit se Israel aduersus Philisthim.*] Iuxta Hebræum hîc legitur, *& etiam (ab)horruerunt Israelem Philisthæi.* Altera causa ex parte Israëlitarum subiungitur: vt intelligamus, quòd subiuncta populi congregatio orta est, tum ex percussione Præsidis Philisthinorum facta à Ionathan, tum ex (ab)horrore Philisthinorum.

Clamauit ergo populus post Saul in Ghalgala.] Iuxta Hebræum habetur, *& congregatus est populus post Saül in Ghilgbal.* quod corruptè dicitur Ghalghala. Dictio interpretata, *congregati*, significat congregationem cum clamore, seu sono: ad sonum enim buccinæ congregatos fuisse significatur.

Vers. 5. *Et Philisthim congregati sunt ad præliandũ contra Israel triginta millia curruum, & sex millia equitum, & populus, sicut arena, quæ est in littore maris in multitudine.*] Ecce effectus subsecutus apud Philisthinos ex percussione sui præsidij audita.

Ascenderúntque, & castrametati sunt in Michmas ad orientem Beth auen.

Vers. 6. *Quod cùm vidissent viri Israel se in arcto positos.*] Iuxta Hebræum contextus est clarus: *Et viri Israel viderunt, quòd angustia esset, quia fuit oppressus populus.* Consideratio futuri euentus conferendo Israelem exercitui Philisthinorum describitur: multi enim videntes tantum Philisthinorum exercitum benè armatum, &c. Israelem verò absque vllo gladio, aut lancea, (vt infrà subiungitur,) censuerunt, populum angustari, & opprimi à Philisthinis: & propterea timuerunt.

Et abscondit se populus in speluncis, & in abditis.] Iuxta Hebræum habetur, *& in scissuris.* montium.

In petris quoque.] Rectiùs diceretur, *& in rupibus.* hoc enim quadrat & antecedentibus, & sequentibus.

Et in antris] Iuxta Hebræum habetur, *& in acutis.* Loca siquidem inhabitabilia in acutis summitatibus describuntur.

Et in cisternis.

Vers. 7. *Hebræi autem transierunt Iordanem.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et Hebræi transierunt Iarden in terram Gad, & Ghilhad.* Et est tensus, quòd multi Hebræi transierunt ex terra promissionis in terram Tribus Gad, & Tribus Manassis, cuius erat terra Ghalahad. Cerne, in quot partes scissus est populus Israël, qui erat cum Saüle.

Cùmque adhuc esset Saul in Ghilgbal.] Quantis prius descripta fuerit spartio populi sequentis Saulem; non tamen fuit priùs dispersio populi, quam fuerit res, quæ subiungitur, gesta: sed, vt subiuncta restantur) Saüle existente in Ghalgalis, & expectante Samuelem, prænarrata spartio populi facta est. Et scribitur Saul adhuc in Ghalghalis, ad insinuandum, tum locum, vbi expectant Samuelem; tum quòd ipso Saule præsente ibidem, vbi congregatus fuerat populus pro bello contra Philisthinos, prædicta gesta sunt: ne putaretur, quòd hæc gesta fuerint Saüle recedente ex Ghalghalis ad collem Beniamin, quasi absentia, vel abitus Regis fuerit occasio dispersionis.

Totus populus pertremuit, qui sequebatur Saulem.] Ecce initium dispersionis populi congregati, internus timor, seu tremor, vt Hebræa sonant.

Vers. 8. *Et expectauit septem diebus iuxta placitum Samuelis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et expectauit septem dies ad tempus, quod dixit Samuel.* Pondera testimonium sacræ Scripturæ, asserentis, quod Saul expectauit septem dies, quos dixerat Samuel. Aduerte quoque, quòd in hîc ad literam commemoratur dictum Samuelis cap. 10. oportet consequenter fateri, quòd illud mandatum fuerit mandatum generale: nam res hæc, quæ modò narratur gesta in Ghalgalis, gesta est post biennium à regno Saulis: vt patet ex eo, quod

quòd modò in hac re Saül peccauit, ita vt mereretur deiici à regno: per biennium autem sine crimine regnauit. Et si illud non fuit generale mandatum, hic primum per modum commemorationis narratur, Samuelem dixisse ex parte Dei Sauli similia verba illis, quæ scripta sũt c. 10.

Saul per biennium sine crimine regnauit.

Et non cessauit Samuel in Gal: hal: dixitque ad eum: Hæc est populus ab eo.] Ecce, quando dispersio supranarrata facta est.

Vers. 9. *Atque Saul: Afferte mihi holocaustum, & pacificos: & obtulit holocaustum.* Intelligo iuxta solitũ loquendi morem in Scriptura, quòd Saul obtulit holocaustum, non vt Sacerdos, sed vt laicus: nam & de Elcana patre Samuelis scriptum est in primo huius libri capitulo, quòd Elcana immolauit: & tamen non intelligitur, quòd Sacerdotis officium vsurpauerit: sed quòd immolauerit, vt laicus: & de Salomone scriptum est, quod obtulit super altare in holocaustum mille hostias, 3. Reg. 3. & tamen non intelligitur, quòd obtulerit, vt Sacerdos, sed vt laicus. Cùm ergo scribitur, quòd Saul obtulit holocaustum, intelligendum est, quòd obtulerit, vt laicus secundùm ritum legis scriptum in Leuitico, & non quòd vsurpauerit Sacerdotis officium: videns enim Samuelem non venisse iussit afferri ad se animalia, quæ præparauerat offerenda, tam in holocaustum, quàm in hostiam pacificorum, vt secundùm ritum legis fũgeretur officio laici offerẽtis.

Quomodo Saul obtulit holocaustum.

Vers. 10. *Cùmque complesset offerre holocaustũ, ecce Samuel venit: & egressus est Saul obuiã ei, vt salutaret eum,*

Vers. 11. *Et dixit Samuel: Quid fecisti? Dixitque Saul: Quia vidi, quòd dilaberetur populus à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, & Philisthim congregati erant in Machmas.*

Vers. 12. *Dixi: Nunc descendent Philisthim ad me in Ghilghal, & faciem Domini non placaui.*] Iuxta Hebræum habetur, *non precatus sum.* insinuatur enim hinc, quòd holocaustum obtulerat ad supplicandum Deo, vt reuelaret, quid esset agendum.

Et necessitate compulsus obtuli holocaustum.] Iuxta Hebræum habetur: *& roboraui me, & obtuli holocaustum.* Roboraui, inquit, me; hoc est, animæquiorem me reddidi ad consulendum Deum te absente.

Vers. 13. *Dixitque Samuel ad Saul: Stultè egisti.*] Iuxta Hebræum habetur, *desipuisti.* arguitur enim interna imprudentia: deinde externæ inobedientiæ.

Nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Non custodisti mandatum Iehouah Eloke tui, quod præcepit tibi.* Asserit enim, Deum præcepisse mandatum, quod Saül violauit. Et communis hinc quæstio oritur, quod est illud præceptum Dei violatum à Saule: teste namque Scriptura, ipse expectauit dies septem, & se expectasse dies septem dixit Samueli: nec Samuel de hoc ipsum reprehendit. At si dicatur, mandatum Saüli fuisse, vt expectaret Samuelem ad consulendum Dominum, absurdum videtur, quòd expectatio huiusmodi non esset demissa ad certum tempus, putà septem dierum: alioquin prorogaretur in infinitum. Solutio est, quòd hoc mandatum diuinum violatum à Saule non fuit mandatum legis, sed mandatum particulare, per Samuelem nunciatum Sauli. Et quantum coniicio, mandatum hoc fuit, vt Saul expectaret dies septem Samuelem ad cõsultandum Deum intercedẽte holocausto: vt sic Deus reuelaret Samueli, quid agendum esset, & Samuel indicaret Regi, quid esset acturus circa bellum: hæc enim colligo ex scriptis hîc, & in cap. 10. Violatio autem Saulis consistere videtur in hoc, quòd non expectauit septimum diem integrum: ita quòd & verificatur Scriptura, quòd expectauit dies septem, quoniam etiam aliquanta parte diei septimi expectauit: & verificatur promissio Samuelis scripta, tã cap. 10 quàm hic insinuata, videlicet, quòd veniret infra septem dies: impleſſe siquidẽ promissionem suã Samuelem significat Scriptura, narrando, quòd in fine oblationis holocausti venit Samuel: manifestans per hoc, quòd si Saül per vnam, vel duas horas ampliùs expectasset, non obtulisset holocaustum sine Samuele. Igitur, quia in non expectatione horarum inobedientia fuit, concludendum est, violatam esse expectationem septimi diei integri ad consulendum Deum per holocaustum præsente Samuele, vt dictum est. Nec ex istis inferas, inhibitum fuisse vniuersaliter Sauli offerre holocausta, aut consulere Deum absque Samuele: sed hoc fuit speciale mandatum pro illa vice, vel fuit generale mandatum, quotiescunque vniuersus populus congregabatur à Rege ad bellũ.

Quòd si non fecisset, tam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum.

Sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget.] Vers. 14. Iuxta Hebræum habetur: *Quia nunc fecit dirigere Iehouah regnum tuum super Israël vsque semper. Et nunc regnum tuum non firmabitur.*] Duo dicit: alterum, præteritum iunctum præsenti, dicendo: *quia nunc fecit*: alterum futurum iunctum similiter præsenti, dicendo: *Et nunc non firmabitur.* Insinuatur enim per hæc, quòd tam *fecit dirigere*, quàm *firmabitur*, pendent ex nunc: hoc est, ex præsenti merito. Et est sensus, quòd Deus secundùm præsens meritum, si fuisset meritum obedientiæ, ordinauit regnum tuum in sæculum, & secundum præsens meritum inobedientiæ regnum tuum non firmabitur. Nec tu, lector, rationem quæras huius diuinæ ordinationis: quoniam verba Prophetæ sunt, ex mera diuina voluntate pendentia.

Quæsiuit Dominus sibi virum secundùm cor suum.] Vide reuelationem propheticam: & dicit, *quæsiuit*, quia ad similitudinem quærentis inter tot Israëlitas elegit Dauidem, tanquàm virum secundùm cor suum.

Et præcepit ei, vt sit dux super populum suum.] Pronomen, *ei*, demonstrat Dauidem, qui hic dicitur vir secundùm cor Dei. Et dicitur, *præcepit ei*, & non dicitur, *nunciauit ei*, quia præceptũ quidem decreuit; sed præceptum non promulgauit: nihil enim sciebat Dauid de huiusmodi dispositione diuina. Et hinc habes, prudens lector, quòd multo tempore regnauerat Saul, quando hæc gesta sunt, vel Dauid puerulus erat: quod minùs quadrat laudi Dauidis, scilicet, quòd etat vir secundùm cor Dei.

Quia non seruasti, quod præcepit tibi Dominus.

Surrexit autem Samuel, & ascendit de Ghilghal in Ghibbam Biniamin: & reliqui populi ascenderũt post Saul obuiam populo, qui expugnabant eos veniẽtes de Ghalgalis in Ghabaa in colle Biniamin.] Vers. 15. Vniuersa hæc vltima clausula de ascensu populi in Ghabaa, superflua est: nam in Hebræo non habetur: sed statim post narratum ascensum Samuelis in collem Beniamin subiungitur:

Quod peccatum commiserit Saul, nõ expectando Samuelem.

Et recensuit Saul populum inuentos cum eo, sicut sexcentos viros.] Perpende, quòd recesserant à Saule non solùm, qui conuenerant in Ghalgha-la; sed etiam tria millia, quæ prius elegerat: ita quod ex omnibus non nisi sexcenti remanserunt cum eo, & Ionatha.

Vers. 16. *Et Saul, & Ionathan, filius eius, & populus, qui inuentus est cum eis, manebant in Ghebah Beniamin.*] In eundem itaque locum tutum iuerunt Samuel & Saul, ac Ionathas.

Philisthim autem castrametati erãt in Michmas.

Vers. 17. *Et egressi sunt ad prædandum de castris Philisthinorum tres cunei.*] Iuxta Hebr. habetur, *& exiuit vastator de castris Philisthinorum in tria capita.* Describitur, quòd congregatus exercitus Philisthinorum, quum non haberet, cum quo prælium committeret, ad officium vastandi Israelitas secutus diuisus est in tria capita per tres vias.

Caput vnum vertebat se ad viam Ephraim ad terram Saul.] Corrupta est litera: legendum est, *ad viam Ophrah ad terram Suhal.* Nomina sunt propria.

Vers. 18. *Et caput vnum vertebat se ad viam Beth-choron: & caput vnum vertebat se ad viam termini respicientis super vallem Zeboim ad desertum.*

Vers. 19. *Fabérque ferrarius non inueniebatur in tota terra Israel: dixerant enim Philisthim: Ne forte faciant Hebræi gladium, aut lanceam.*

Vers. 20. *Descendebátque omnis Israël ad Philisthim, vt acueret vnusquisque vomerẽ suum, & ligonem suũ, & securim suum, & sarculum suum.* Clare hinc apparet, quòd quanuis Israëlitæ haberent Regem: tanta tamen seruitute opprimebantur à Philisthinis, vt nec faber inueniretur in Israël. Nec sis solicitus de nominibus instrumentorum ad colendum terram, quæ in litera numerantur: quoniam vna est ratio omnium.

Israëlitæ quantum à Philisthinis opprimerentur.

Vers. 21. *Retusa itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentium, & securium, vsque ad stimulum corrigendum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit multiplicatum os vomeribus, & ligonibus, & securibus: & ad rectificandum stimulum.* Duplexque sensus potest esse: alter, vt significetur effectus subsecutus ex percussione pia fidij Philisthinorum acta à Ionatha: videlicet, quòd ex tunc Israelitæ, tanquàm rebelles Philisthinis, non ausi sunt ire ad terram Philisthinorum ad acuendum huiusmodi instrumenta agriculturæ: & propterea narratur, quòd in huiusmodi instrumentis effecta sunt ora multa, quod nos diceremus, effectos in eis dentes multos. Alter sensus est, vt significetur remedium adinuentum in tali necessitate; videlicet, quòd vtebantur lima ad acuendos vomeres, ligones, & stimulos: lima enim infinita habet ora: & significatur verbo futuri temporis relatiuè ad præteritum, quod contigerat. Primus tamen sensus complectendus videtur ad literam: tum, quia magis quadrat gestis à Ionatha: tum, quia tanta multitudo limarum permissa Israëlitis, minùs quadrat priuationi præmissæ: tum, quia contextus defectus narrat subsecutos ex priuatione fabrorum: & primùm narrat multiplicatum os in instrumentis agriculturæ; deinde eodem stylo immediatè subiungit:

Duplex sensus huius loci enodatur.

Vers. 22. *Et erit in die belli, & non fuit inuentus ensis, & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saul, & cum Ionathan: & inuentus est Sauli & Ionathan filio eius.*] Sed admiratione non caret, quòd ante istum conuentum populi in Ghalgha-lis ad bellum præcesserat victoria contra Hammonitas: mirum enim videtur, quòd ex tanta victoria non retulerint Israëlitæ multitudinem ensium, & lancearum ex Hammonitis: iam enim habebant Regem ad respirandum contra Philisthinos.

Egressa est autem statio Philisthinorum ad transitum Michmas.] Ne sæpè oporteat idem repetere, vbicunque in hoc tractatu de Philisthinis in vulgata editione legitur, *statio*, legendum esset, *Præfectus*, seu *Præfes*.

Vers. 23.

Statio, pro Præfectus, seu Præfes.

CAPVT XIV.

Vers. 1. ET ACCIDIT *in quadam die.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et fuit dies.* Fortè enim significatur dies proximus aduentui eorum in collem Beniamin.

Et dixit Ionathan filius Saul ad puerum armigerum suum: Veni, & transeamus ad Præfectum Philisthinorum, qui est trans locum illum. Patrique suo non indicauit.

Vers. 2. *Et Saul manebat in extrema parte Ghibhe sub malogranato, quod est in Migron: populúsque, qui erat cum eo, erat circiter sexcentorum virorum.*

Vers. 3. *Et Achiah filius Achitub, fratris Ichabod, filij Phinees, filij Heli Sacerdotis Domini in Silo.*] Pronepos erat iste Heli: fuit enim filius Achitub, filij Phinees, filij Heli: quia Achitub frater fuit Ichabod posthumi. Hinees mortui in bello, quo capta est Arca Dei.

Portabat ephod.] hoc est, sacerdoralem habitum secum habebat ad sacerdotio fungendum.

Populúsque ignorabat, quòd abiisset Ionathan.

Vers. 4. *Et inter transitus, quibus quærebat Ionathan transire ad Præfectum Philisthim, erat dens petræ à transitu hinc, & dens petræ à transitu inde: nomenque vnius Bozez, & nomen alterius Seneh.*

Vers. 5. *Dens vnus stabat ab Aquilone contra Michmas: & alter à meridie contra Ghebah.*

Vers. 6. *Dixitque Ionathan ad puerum armigerum suum: Veni, & transeamus ad Præfectum incircumcisorum istorum: fortè faciet Dominus nobis, quoniam non est Domino difficile saluare, vel in multis, vel in paucis.*] Iuxta Hebræum habetur, *quoniam non Iehouah retentor ad saluandum in multo, vel in pauco.* Et est sensus: quoniam nullus est, qui retineat Dominum Deum à saluando in multo, vel in pauco. Magna fiducia, sed non imitanda: euentus siquidem testatur diuinitùs fuisse inspiratam.

Fiducia magna, non imitanda.

Vers. 7. *Dixitque ei armiger eius: Fac totum, quod est in corde tuo: perge, quò cupis: ecce sum tecum secundùm cor tuum.*

Vers. 8. *Et dixit Ionathan: Ecce nos transimus ad viros, & aperiemur eis.*

Vers. 9. *Si ita dixerint nobis: Expectate, donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos.*

Vers. 10. *Et si sic dixerint: Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manus nostras: & hoc erit nobis signum.*] Et decernere sibi hoc omen sine diuina inspiratione, illicitum quoque fuisset: nam fuisset nonnullum diuinationis peccatum; sicut & illud fuisset tentare Deum.

Diuinare, & tentare Dei, sunt peccata.

Vers. 11. *Apparuerúntque ambo Præfecto Philisthinorum: & dixerunt Philisthini: Ecce Hebræi egrediuntur de cauernis, vbi absconderant.*

Locutíque sunt viri præfecti ad Ionathan, & armigerum eius, & dixerunt: Ascendite ad nos, & ostendemus.

oſtendemus vobis rem. Mos loquendi, in confuſo ſignificans, quod clarè intelligitur, ratione materiæ, de qua agitur.

Et dixit Ionathan ad armigerum ſuum: Aſcende poſt me; quia tradidit eos Dominus in manum Iſrael.

Verſ. 13. *Aſcendit autem Ionathan reptans manibus, & pedibus, & armiger eius poſt eum.*] Quamuis verum ſit, Ionathan ſic aſcendiſſe; non tamen dicitur, quòd ſic aſcenderit, videntibus Peliſthinis: rationi enim conſentaneum eſt, quòd aſcenderint per viam inopinatam à Peliſthinis: hoc enim inſinuat deſcripta via immeabilis: & propterea à more quadrupedum à Ionathan pertranſita.

Itaque cùm vidiſſent faciem Ionathan, alij cadebant ante Ionathan, alios armiger eius interficiebat ſequens eum.] Iuxta Hebræum habetur, *& ceciderunt in faciebus Ionathan & armigeri eius interficientis poſt eum.* Poteſt tamen legi in caſu nominatiuo, *& armiger eius interficiens poſt eum*: ita vt caſus Peliſthinorum attribuatur Ionathæ; mors autem etiam armigero. Modus, quo res hæc geſta eſt, humanus non apparet: quamuis Iotephus dicat, quòd Peliſthini exiſtentes in præſidio dormientes occiſi ſunt. Sed factæ Scripturæ textui hic modus non quadrat, dum narratur, quòd ceciderunt in facie Ionathæ: contextui autem quadrat, vt diuinitùs redditi attoniti ceciderint ante faciem Ionathæ: nam ſubiungitur, quod Deus immiſit tremorem in caſtra Peliſthinorum: hinc enim inſinuatur, quòd tremor iſte incepit in illo præſidio, & extentus eſt ad caſtra Peliſthinorum, &c.

Modus, quo Ionathas cũ armigero interfecit triginta Peliſthæos, non fuit humanus.

Verſ. 14. *Et fuit plaga prima, qua percuſſit Ionathan, & armiger eius, circiter viginti viros, velut in dimidia parte iugeri terræ.*] Non tàc fuit narratæ numerum occiſorum, ſed etiam deſcribitur quantitas terræ, in qua iſti percuſſi ſunt: ad inſinuandum, quòd non ſunt progreſſi vltrà Ionathas, & armiger eius ad percutiendum iſtos viginti: vt hinc appareat magnitudo facti, quòd non vagè, longéque ſparſos iſtos viginti occiderint, ſed in tam paruo ſpatio terræ, vt eſſent quaſi ſimul.

Et factum eſt miraculum in caſtris, & per agros.] Iuxta Hebræum habetur:

Verſ. 15. *Et fuit tremor in caſtris, in agro, & in toto populo.* Deinde immediatè ſequitur: *Præfectus, & vaſtator tremuerunt etiam ipſi: & tremuit terra, & fuit in tremorem Elohim.*] Vide, quantùm differt vulgata editio ab Hebraïca veritate: deſcribitur cauſa ſubiunctæ victoriæ tremor diuinitùs immiſſus, & in caſtra Peliſthinorum, & in ſparſos Peliſthinos per agros, & in omnem populum eorum, nec ſolùm in vulgus, ſed etiam in præfectos, & in vaſtatores ſuperiùs deſcriptos, diſtinctos in tres cuneos: & demum manifeſtatur, quòd tremuit terra. Et quoniam diſtinctè hominum ſpecies narrauerat tremuiſſe, adiungédo tremorem terræ ſignificare videtur corporalem tremorem ipſius terræ: vt intelligamus, fuiſſe tremorem, & internum in animis hominum, & externum in ipſa terra in qua erant: ita quòd tremor terræ externus fuerit cauſa tremoris interni.

Quantùm vulgata editio differat ab Hebræa.

Verſ. 16. *Et reſpexerunt ſpeculatores Saul in Ghibha Beniamin.*] Narratur modus, quo quæ gerebantur inter Peliſthinos, innotuerunt Saulı.

Et ecce multitudo proſtrata, & huc, illúcque diffugiens.] Iuxta Hebr. habetur: *& ecce tumultuans liquefactus eſt, & iuit, & fregit ſe.* Et eſt ordo literæ, quòd tumultuans turba fuit, & fregit ſe, & fuit liquefacta: Hebræi ſiquidem maius præponunt minori. Diſperſi itaque Peliſthini viſi ſunt tanquàm ea, quæ liquefiunt.

Hebræi maius præponunt minori.

Et ait Saul populo, qui erat cum eo: Quærite, & videte, quæſo, quis abierit ex nobis. Cúmque quæſiſſent, inuentum eſt non adeſſe Ionathan, & armigerum eius. Verſ. 17.

Et ait Saul ad Achiam.] Recto graditur ordine, conſulendo Deum per Sacerdotem. Verſ. 18.

Applica Arcam Domini.] Legendum eſſet: *Applica te ad Arcam Elohim.* Sæpè enim Hebraïca litera omittit præpoſitionem.

Hebræi ſæpè omittunt præpoſitionem.

Erat enim ibi.] Non habetur in Hebræo, *ibi.* Quod ideò annotauerim, vt intelligamus, quòd Arca Elohim non erat allata, vt eſſet ibi; ſed vt eſſet cum exercitu filiorum Iſraël: ad hoc enim inſinuandum Hebraïca veritas habet: *Quia fuit theca Elohim in die illo, & filij Iſraël.* Ratio itaque præſentiæ Arcæ fuit concomitantia filiorum Iſraël, quorum duntaxat remanſerant ſimul ſexcenti viri cum Rege: reliqui enim diſperſi erant, vt in præcedenti cap. ſcriptum eſt.

Cúmque loqueretur Saül ad Sacerdotem, tumultus magnus exortus eſt in caſtris Peliſthinorum, creſcebátque paulatim, & clariùs reſonabat.] Iuxta Hebr. habetur: *Et fuit, vſquequò locutus eſt Saul Sacerdoti, & tumultus, qui in caſtris Peliſthinorum, & iuit eundo, & multiplicando: & dixit Saül Sacerdoti: Congrega manum tuam.* Conferendo hæc vltimò dicta verba ad Sacerdotem, apparet, quòd dum loqueretur Saül Sacerdoti ad conſulendum Dominum, audiuit Saul (vel per ſeipſum, vel per nuncios, aut ſpeculatores) tumultum in caſtris Peliſthinorum magis ac magis augeri: & quòd Sacerdos, vacante Saüle ad percipiendum argumentum hoc tumultus, incepit extendere manus ſecundùm ritùm conſuetum ad ſupplicandum Deo: & quòd Saül percipiens Deum iam facto reſpondiſſe, dixit Sacerdoti, vt deſiſteret à conſulendo Deum, volens tunc progredi ad perſequendos Peliſthinos. Sed quæſtio oritur, quo pacto verificantur hæc duo, videlicet, quòd ſpeculatores viderunt Peliſthinos frangere ſe, & liquefactos; & quòd poſteà tumultus in caſtris magis ac magis creuerit. Solutio eſt, quòd vtrunque eſt verum reſpectu diuerſorum: quædam enim multitudo viſa eſt frangens ſe, & iens quaſi liquefieret: animæquiores autem in caſtris manſerunt tumultuantes, & horum tumultus deſcribitur auctus. Verſ. 19.

Hebræi exiſtẽtes manũ ſupplicaturi Deo.

Quomodo fracti Peliſthini, & tamen tumultuantes.

Conclamauitque Saul, & totus populus, qui erat cum eo.] Dictio interpretata, *conclamauit*, ſignificat congregationem cum clamore, ſeu ſonitu buccinæ ad congregandum populum. Verſ. 20.

Et venerunt vſque ad prælium: & ecce erat gladius vnuſcuiuſque in proximum eius, & cædes magna nimis.] Iuxta Hebræum habetur, *attonitio magna valdè.* Fingere licet vocabulum attonitionis ad manifeſtandum Hebraïcam veritatem. Ratio ſiquidem redditur, quare Hebræi percutiebant Peliſthinos: quia erant attoniti valdè: Deus enim fecit eos attonitos: ex tremore enim ſuperiùs deſcripto effecti ſunt attoniti.

Deus attonitos fecit Peliſthinos.

Et Hebræi qui fuerant cum Peliſthim, ſicut heri & nudiuſtertius, aſcenderántque cum eis in caſtra.] Deficit, *in circuitu*: inſinuatur enim per hoc, quòd Hebræi venerant cum Peliſthinis non pugnaturi, ſed ſeruituri vehendo opportuna Verſ. 21.

ad victum exercitus: & propterea dicitur, quòd erant in circuitu castrorum, tanquàm ad commoditatem omnium. Et ne putares, istos Hebræos fuisse transfugas ex Israël ad Philisthinos, describuntur Hebræi Philisthinorum, *sicut heri, & nudiustertius*; hoc est, soliti seruire Philisthinis, qui videlicet, habitabant inter Philisthinos.

Etiam ipsi reuersi sunt, vt essent cum Israël, qui erat cum Saul, & Ionathan.

Vers. 22. *Et omnes viri Israël, qui se absconderant in monte Ephraim, audierunt, quod fugerent Philisthim: & persecuti sunt etiam ipsi eos in prælio, & erant cum Saul quasi decem millia virorum.*] Superfluæ sunt istæ vltimæ octo dictiones: nam in Hebræo non habentur.

Vers. 23. *Et saluauit Dominus Deus in die illa Israëlem.*] Explicatur causa tantæ salutis summus Deus.

Pugnáque transiuit Beth-auen.

Vers. 24. *Et viri Israel sociati sunt sibi in die illa.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et vir Israel oppressus fuit in die illo.* More solito priùs summariè narratur res gesta, & deinde subiungitur modus, quo res est gesta: describitur siquidem priùs populus oppressus fame à Saule Rege; & deinde qualiter Saul afflixit populum fatigatione, & inedia.

Scriptura solet narrare rē gestam, deinde modum.

Adiurauitque Saul populum dicendo: Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, & vindicabor de inimicis meis. Et non gustauit totus populus panem.] More Imperatorum exercitus pœnam maledictionis valdè grauem apud Hebræos apponit comedenti vsque ad vesperam; non vt prohibeat refectionem, sed ne impediatur persecutio hostium tunc exequenda. Nihilque inordinati præceptum istud in se continet: quoniam recti ordinis ratio exigit, vt præsentanea persecutio hostium tam necessaria præponeretur cibo illius diei: pro minoribus siquidem cauſis indictus quandoque ieiunium vsque ad vesperam.

Ieiunium à Saule præceptum iustum fuit.

Vers. 25. *Et tota terra venit in syluam: erátque mel super faciem agri.*

Vers. 26. *Ingressúsque est populus syluam, & apparuit fluens mel: & nullus applicuit manum suam ad os suum; timebat enim populus iuramentum.*

Vers. 27. *Ionathan autem non audierat, quando adiurauerat pater eius populum, misítque extremitatem virgæ, quam habebat in manu sua, & intinxit in fauum mellis: conuertítque manum suam ad os suum, & illuminata sunt oculi eius.*] Præ labore multo debiles effecti spiritus refocillati sunt, ita vt sensibiliter immutatio appareret in oculis, tanquàm restauratus fuerit vitus.

Vers. 28. *Respondítque vir de populo, & dixit: Adiurando adiurauit pater tuus populum dicendo: Maledictus vir, qui comederit panem hodie. defecerat autem populus.*] Iuxta Hebræum habetur, *& fatigatus est populus.* Ecce modus, quo oppressus est populus; fatigatione, videlicet, cum inedia.

Vers. 29. *Dixítque Ionathan: Turbauit pater meus terram.*] Ab effectu experto in seipso, & effectu, quem videbat in populo, cernit Ionathas præceptum patris turbasse populum.

Videte ipsi.] Iuxta Hebræum habetur: *Videte, obsecro.* vel nunc. Testes inuocat populum.

Quòd illuminati sunt oculi mei, quia gustaui paululum mellis huius.

Vers. 30. *Quantò magis si comedendo comedisset hodie populus de præda inimicorum suorum, quam reperit, nónne maior facta fuisset plaga in Philisthim?* Verum dicit, si mora comedendi non fuisset impedimento præsentaneæ persecutioni. Iuuenilis sententia videtur.

Vers. 31. *Percussérúntque in die illa Philisthim à Michmas vsque ad Aialon: & fatigatus est populus nimis.*] Legendum est, *valdè*. Terminus diei describitur, in quo comedere concessum est.

Vers. 32. *Et versus est populus ad prædam, & tulerunt oues, & boues, & filios boum, & mactauerunt in terra, comedítque populus cum sanguine.*

Vers. 33. *Nunciauerúntque Sauli dicendo: Ecce populus peccauit Domino comedendo cum sanguine.*] Ad sensum patet, quòd si iuguletur animal in terra, non perfectè purgatur à sanguine: oportet enim iugulum pendere, ad hoc, vt sanguis totus defluat: & propterea hinc factum est, vt populus comederet cum sanguine; hoc est, carnes non plenè purgatas à sanguine. Et quia hoc erat contra legem Mosis, ideò scribitur populum peccasse.

Quomodo populus Israël comedit cum sanguine.

Et dixit: Preuaricati estis, voluite ad me hodie lapidem grandem.

Vers. 34. *Dixítque Saül: Dispergimini in populum, & dicetis eis: Afferte ad me vnusquisque bouem suum, & vnusquisque pecus suum, & macta bitis hìc, & vescemini, & non peccabitis Domino comedendo cum sanguine.*] Cerne zelum boni Regis: authoritatem præsentiæ suæ interponit ad hoc, vt efficax sit monitio, ne iugulent animalia in terra; sed veniant iugulaturi super lapidem grandem: vnde possint animalium iugula pendere, & sic totus sanguis effluere.

Zelus Saulo commendatur.

Adduxítque totus populus vnusquisque bouem suum in manu sua vsque ad noctem.] Iuxta Hebræum habetur, *nocte*, *& mactauerunt ibi.* Pars enim noctis significatur occupata iugulando animalia super lapidem.

Vers. 35. *Et ædificauit Saül altare Domino.*] Intellige non ædificasse duntaxat altare, sed etiam sacrificasse super illud summo Deo: non enim frustrà ædificauit altare, sed altaris vsum.

Tímeque primum capit.] Iuxta Hebræum habetur, *ipsum incepit ædificare altare Domino.* Declaratur illud altare fuisse primum altare ædificatum à Saule Rege: sacrificia siquidem, quæ priùs obtulerat, super altaria ab aliis constructa obtulerat.

Vers. 36. *Et dixit Saul: Descendamus post Philisthinos nocte, & vastemùs eos, donec illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum.*] Sumpto cibo hæc dixit.

Et dixerunt: Omne, quod bonum est in oculis tuis, fac: & ait Sacerdos.] Nec in tam celeri persecutione defuit Sacerdos.

Accedamus huc ad Elohim.] Regem inuitat ad appropinquandum ad altare ad consulendum Deum.

Vers. 37. *Et consulsit Saül in Deo: An persequar Philisthim? an trades eos in manum Israël?*] Dictio interpretata *Deum*, est nomen Elohim.

Et non respondit ei in die illa.

Vers. 38. *Dixítque Saül: Accedite huc omnes anguli populi.*] hoc est, vniuersa capita populi, tanquàm per angulos distincti.

Et scitote, & videte, in quo sit hoc peccatum hodie. Indubiè putabat Saül, Deum non respondisse propter peccatum aliquod illo die commissum.

Vers. 39. *Quia viuit Dominus saluans Israëlem.*] Modus iurandi illo tempore est.

Quòd

Quod si fuerit illud in Ionathan filio meo, absque retractatione morietur.] Iuxta Hebræum habetur, *moriendo morietur.* Præceps fuit hoc iuramentum fundatum super falsum: nam, neque peccatum oportuit esse occasionem negatæ responsionis diuinæ: & esto, quod fuisset peccatum, non oportuit fuisse peccatum morte dignum: vt rei probauit euentus.

Præceps iuramentum Saulis, & fundatum super falsum.

Ad quod nullus contradixit ei.] Iuxta Hebræum habetur, *& non respondens ei ex omni populo.*] quod plus est, quàm non contradicere.

Vers. 40. *Et ait ad vniuersum Israel: Vos eritis in parte vna: & ego, ac Ionathan, filius meus, erimus in parte altera. Respondit que populus ad Saul: Quod bonum est in oculis tuis, fac.*

Vers. 41. *Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel: Da iudicium.*] Iuxta Hebræum habetur, *da perfectum.* Reliqua autem quæ subiunguntur in vulgata editione dicta à Saule Deo, videlicet: *Quid est, quòd non responderis seruo tuo hodie? si in me, aut in Ionathan filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem,* superflua sunt: nam in Hebræo non habentur: sed immediatè post illa verba, *da perfectum,* subiungitur: *Et deprehensus est Ionathan, & Saul.* Petendo autem, *da perfectum,* supplicat, vt opus inquisitionis huius ad debitam perfectionem deducatur, vt nulla ex parte deficiat, vt nihil illi desit.

Da perfectum, *quid.*

Et deprehensus est Ionathan, & Saul: populus autem exiuit.

Vers. 42. *Et ait Saul: Mittite sortem.*] Sensus rectè redditur: verùm Hebraïcè scribitur: *Facite iacere inter me, & inter Ionathan, filium meum.* Quid autem esset illud iaciendum, non scribitur:

Et captus est Ionathan.

Vers. 43. *Dixitque Saul ad Ionathan: Indica mihi, quid feceris? Et indicauit ei Ionathan, & ait: Gustando gustaui in summitate virga, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.*] Patui refert, quòd Hebraïcè habetur, *ecce ego moriar.* Et sunt verba non affirmantis, sed conquerentis, quòd pro tam leui causâ sit occidendus.

Vers. 44. *Dixitque Saul: Sic faciat mihi Deus, & sic addat, quia moriendo morieris, Ionathan.*] Dictio interpretata, *Deum,* est nomen *Elohim.* Inexcusabile est hoc nouum iuramentum per execrationem: quia cognita iam causâ non solùm leuissima, sed etiam absque peccato vllo, (quoniam nesciens paternum præceptum sumpserat Ionathas parum mellis,) abstinere debebat à comminata morte in genere.

Iuramentum Saulis inexcusabile.

Vers. 45. *Dixitque populus ad Saul: An Ionathan morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israël? hoc nefas est.*] Iuxta Hebræum habetur: *Absit, viuit Dominus, si ceciderit de capillo capitis eius in terram.* Ad tuendum innocentem excitatus est populus, tum propter beneficium magnum ab eo susceptum; tum,

Quia cum Deo operatus est hodie.] Rectiùs legeretur, *quia cũ Elohim fecit diẽ istum.* Et est sensus, quòd non solum fecit nobis saluté magnam; sed etiam cum Deo summo Iudice, gubernatoréque nostro fecit hunc diẽ salutarẽ; & propterea tanquã minister & cooperator Dei seruãdus est.

Liberauit ergo populus Ionathan, vt non moreretur.] Iuxta Hebræum habetur, *& redemerunt populus Ionathan, & non est mortuus.* Tanquam redemptio censetur officium populi pro Ionatha: quia Ionathæ iniustam vexationem à Rege redemerunt iureiurando, ac ratione duplici.

Sed oritur quæstio, quonam pacto verificatur Ionathæ innocentia: nã hinc & inde verificatur deprehensio Ionathæ diuino testimonio: si enim innocẽs fuisset Ionathas, nequaquã Deus petenti Regi, ob cuius culpã negata responsio fuisset, Ionathan demõstrasset: nã indicatio Ionathæ, responsiua fuit petitioni Regis, quis fuisset in culpa. Solutio est, qbòd Ionathas fuit quidé innocẽs sumendo mel, inscius paternæ maledictionis: sed peccauit audito mandato regio, probando factũ propriæ comestionis, arguens patrem, qui præceperat. Fuit itaque Ionathas dupliciter in culpa: primùm sumendo mel: & sic non fuit in culpa secundùm animũ; sed secũdùm damnatam operationem: deinde secundùm probationem facti, & secundùm animũ, & secundùm verba peccauit: vnde meritò diuino testimonio deprehensus est peccasse. Verùm minùs intelligentes diuinum testimonium, & Saũl, & Ionathas, & populus, librauerunt duntaxat factum dãnatæ comestionis: vt clarè sonat Litera, & propterea tanquã innocens iniustè vexatus redẽptus est à populo.

Ionathas an innocens fuerit.

Vers. 46. *Ascenditque Saũl de retrò Philisthim: & Philisthim abierunt in loca sua.*

Vers. 47. *Et Saul, cõfirmato regno super Israël, pugnauit per circumitum contra omnes inimicos suos: contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & Reges Zobah, & Philisthinos.*] Sũmariè colligũtur præclara Saũlis gesta deinceps: quoniam Author libri non intendit scribere gesta Saũlis in particulari, sed ad Dauidẽ properat: propter quod illa tantùm gesta Saũlis subiungũtur inferiùs, quæ relationẽ habẽt admixtam ad ea, quæ sunt Dauidis: quale est bellum contra Hamalec, cuius occasione reprobatus est Saũl, & vnctus Dauid: & simile quid inuenitur in subiunctis bellis cum Philisthinis.

Et quocunque se vertebat, superabat.] Iuxta Hebræum habetur, *& in omnibus, ad quæ vertet, faciet iniquare.* Et est sensus, faciet pati pœnam iniquitatis suæ: dixerat enim, quòd Saũl pugnauit cum quinque nationibus: subiungit consequenter, quòd omnes hostes fecit pati pœnam iniquitatum suarum. Ad explicandum autem Hebraicam dictionem finximus verbum, *iniquare,* tanquàm deductum à nomine *iniquus,* ad significandum vsum iniquitatis. Sed hic significatur iniquitatis vsus non actiuè, sed passiuè. Saũl enim vincendo eos, fecit eos iniquos quoad pœnam. Et scriptum est hoc, ad manifestandum bella prædictorum hostium Israël fuisse iniqua.

Bella hostium Israël fuerunt iniqua.

Vers. 48. *Congregatáque exercitu.*] Iuxta Hebræum habetur, *& fecit fortitudinem.* hoc est, congregauit gentẽ fortem: describitur enim mediũ, quo Saũl vicit tot nationes. Et deinde immediatè sequitur:

Et percussit Hamalec.] Ad differentiam aliarum supradictarum nationum, (quæ non fuerunt deletæ à Saũle,) dicitur specialiter, quòd percussit Hamalec, delendo eos.

Et eruit Israël de manu vastatorum eius.] Ecce fructus victoriarum Saũlis, non subactio hostium, sed liberatio Israëlis à vastatoribus eius.

Fructus victoriarum Saulis.

Vers. 49. *Fuerunt autem filij Saulis, Ionathas, & Iesui, & Melchisuah: & nomina duarum filiarum eius, nomẽ primogenitæ Merab, & nomẽ minoris Michal.*

Vers. 50. *Et nomen vxoris Saul, Achinoham, filia Achimam: & nomen Principis militiæ eius Abiner, filius Ner patrui Saul.*

Vers. 51. *Et Cis pater Saul: & Ner pater Abner, filius Abiel.*

Vers. 52. *Fuitque bellum forte contra Philisthinos omnibus diebus Saulis: nam quencunque viderat Saul virum fortem, & aptum ad bellum, sociabat eum sibi.*] Ecce modus, quo Saul congregauit gentem fortem.

Quomodo Saul congregauit gentem fortem.

CAPVT XV.

Vers. 1. ET DIXIT *Samuel ad Saul: Me misit Dominus, vt vngerem te in Regem super populum eius, super Israel; nunc ergo audi vocem verborum Domini.*

Vers. 2. *Sic dicit Dominus exercituum: Recensui.*] Iuxta Hebræum habetur, *recordatus sum.* hoc est, ad instar recordati me habui: quemadmodum enim metaphoricè dicitur Deus iratus; ita dicitur recordatus secundùm similitudinem effectus, siue loquendo, siue faciendo, quemadmodum recordatus homo facit, seu loquitur.

Metaphoricè dicitur Deus recordari.

Quæ fecit Hamalec Israeli, quomodo restitit ei in via.] Iuxta Hebræum habetur: *Quæ posuit ei in via, cum ascenderet ex Ægypto.* Lege 17. capitulum Exodi, & 25. Deuter. & inuenies res gestas ab Hamalec contra Israëlem in via ex Ægypto venientem.

Vers. 3. *Nunc vade, & percute Hamalec, & demolieminí omnia, quæ sunt eius, & non parcas ei: & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid.*] Superfluæ sunt hæ vltimæ septem dictiones.

Sed interficies a viro vsque ad mulierem, à parvulo vsque ad lactentem, à bone vsque ad agnum, à camelo vsque ad asinum.

Vers. 4. *Præcepit itaque Saul populo.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et congregauit Saul populum.* Executio siquidem narratur diuini præcepti.

Et recensuit eos quasi agnos.] Iuxta Hebræum habetur, *& numerauit eos in agnis ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iehuda.* Non desunt tamen dicentes, dictionem interpretatam *agnis*, esse nomen proprium loci, in quo Saul recensuit congregatum populum: & legunt, *in Telaim.* Et hic sensus quadrat rationi: nam legendo *in agnis*, sensum aiunt esse, quòd ad euitandam numerationem populi, singuli detulerunt singulos agnos: vt sic ex numero agnorum sciretur numerus populi; & tamen non essent numerati in seipsis, sed in agnis: hoc enim minùs rationi consentaneum est: nec in lege prohibita est numeratio populi conuenientis ad bellum; sed numeratio vniuersi populi à viginti annis, & suprà, pili, &c.

Vbi, & quomodo Saul numerauit milites, iuxta aliquos.

Vers. 5. *Et venit Saul vsque ad ciuitatem Hamalec: tetenditque insidias in torrente.*

Vers. 6. *Dixitque Saul ad Cenæum: Ite, recedite, descendite de medio Hamalecitarum, ne disperdam te cum eo.*] Natio ista Cenæorum ex socero Mosis originem traxerat, & benignè se habuerat cum Israelitis: & propterea Saul gratus beneficiis receptis monet, vt recedendo se saluet.

Saul gratus erga benefactores sibi, & Israelitas.

Et tu fecisti misericordiam.] Legendum est, *gratiam cum omnibus filiis Israel, quando ascenderunt ex Ægypto.*] Hæc gratia innuitur Num. 10.

Et recessit Cenæus de medio Hamalec.

Vers. 7. *Percussitque Saul Hamalec à Cauila, donec venias in Sur, quæ est super faciem Ægypti.*

Vers. 8. *Cepitque Agag Regem Hamalec vinum: & totum populum interfecit in ore gladij.*] Ecce iam armatus est ibus populus Israel, cuius paulò antè nullus habebat ensem, aut lanceam, præter Saulem, & Ionatham.

Vers. 9. *Et pepercit Saul, & populus Agag, & bonis ouibus, & bobus.*] Directè contra mandatum Dei misericordia ista fuit, vt suprascripta testantur.

Misericors Saul ergà Agag contra Dei mandatum.

Et vestibus.] Iuxta Hebræum habetur, *& pinguibus, & arietibus.* nullaque fit mentio vestium.

Et vniuersis, quæ pulchra erant.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *& omni bono.* clausula enim generalis est, comprehendens quicquid boni inuentum fuit, non fuisse destructum: sed seruatum; ad differentiam rerum vilium, vt subiungitur:

Et non voluerunt disperdere ea: quidquid verò vile fuit, & reprobum, disperdiderunt.

Vers. 10. *Fuitque verbum Domini ad Samuel dicendo:*

Vers. 11. *Pœnitet me, quòd constituerim Saul Regem.*] Metaphoricè attribuitur Deo pœnitere, pro quanto ad instar pœnitentis hominis reuelat, aut operatur.

Pœnitentia metaphoricè Deo attribuitur.

Quia dereliquit me.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Quia reuersus est ex post me*; hoc est, quia auersus est à sequendo me.

Et verba mea non implenit: contristatúsque est Samuel.] Iuxta Hebræum habetur, *& iratus est Samuel.* Tanta significatur Samuelis tristitia, vt excanduerit: quemadmodum excandescere soliti sunt ministri Principis, cùm audiunt à Principe, displicere illi opus factum ab ipsis ministris de mandato eiusdem Principis: apprehenditur siquidem hoc à ministro, tanquam redundans in ipsius ministri dedecus.

Tristitia Samuelis illum ad iram impulit.

Et clamauit ad Dominum tota nocte.] non voce sensibili, sed cordis magno desiderio supplicans pro regno Saulis.

Et surrexit Samuel de nocte.] Aurora potiùs quàm nox significatur.

Vers. 12. *Vt iret ad Saul mane: nunciatúmque Samueli dicendo: Venit Saul in Charmel: & erexit sibi fornicem triumphalem.*] Iuxta Hebræum habetur, *& ecce faciens stare sibi manum*, vel *locum.* Et dicitur *manum*, vel *locum*, quia Hebraica dictio anceps est ad manum, vel locum. Et si legitur *locum*, sensus est, quòd Saul statuit sibi in Charmelo locum certum in memoriam tantæ victoriæ: si verò legitur *manum*, declaratur, quale signum tantæ victoriæ in monte Charmeli statuerit; videlicet, figuram manus, eò quòd manu valida deleuerit Hamalec.

Saül quomodò sibi erexerit fornicem triumphalē.

Et reuersus transiuit.] Iuxta Hebræum habetur, *& circumiit; & transiuit, & descendit in Ghilghal.* hoc est, in Ghalghala, vbi inuenit eum Samuel.

Et Saul offerebat holocaustum Domino de initijs prædarum, quas attulerat de Hamalec.

Vers. 13. *Et cùm venisset Samuel ad Saul.*] Totum hoc superfluum est: nam in textu Hebraïco non habetur: in quo sequitur immediatè: *Venítque Samuel ad Saul, & dixit ei Saul: Benedictus tu Iehouah,* (in casu datiuo. & nulla fit mentio sacrificij,) *implenī verbum Domini.*

Vers. 14. *Dixítque Samuel: Et quæ est vox ouium harum in auribus meis, & vox boum, quam ego audio?*

Vers. 15. *Et ait Saul: Ex Hamalecitis adduxerunt eas: quia pepercit populus bonis ouibus, & bobus ad immolandum Domino Deo tuo: reliqua verò occidimus.*

Vers. 16. *Dixítque Samuel ad Saul: Permitte, & indicabo tibi, quæ locutus est Dominus mihi nocte: Et dixit ei: Loquere.*

Et

Vers. 17. *Et ait Samuel: Nónne cùm parvulus esses in oculis tuis, caput Tribuum Israël factus es, unxítque te Dominus in Regem super Israel?*] Pensende, quantum placeat Deo humilitatis virtus: & simul intelige, quòd à virtute humilitatis receßerat Saul, cui dicitur: *Cum esses parvulus in oculis tuis.*

Humilitas quantum Deo placeat.

Vers. 18. *Et misit te Dominus in viam, & ait: Vade, & interfice peccatores Hamalec.*] Iuxta Hebræum habetur: *Vade, & facies destruere peccatores Hamalec.* Prius enim fuerant nominati destruendi Hamalecitæ: modò declaratur ratio, quare destruendi sunt, quia sunt peccatores, vt iustitia præcepti manifestetur.

Peccatores Deus punit.

Et pugna contra eos vsque ad internecionem eorum.

Vers. 19. *Et cur non audisti vocem Domini; sed versus es ad prædam, & fecisti malum in oculis Domini?*

Vers. 20. *Dixitque Saul ad Samuel: Imò audiui vocem Domini, & ambulaui in via, per quam misit me Dominus, & adduxi Agag Regem Hamalec, & Hamalec interfeci.*

Vers. 21. *Tulit autem populus de præda oues, & boues, primitias perdendorum, ad immolandum Domino Deo tuo in Ghilgal.*] Sibiipsi attribuit Saul, quod fuit obedientiæ: minùs aduertens, quòd non constat sibiipsi, immiscendo, quòd adduxit Agag Regem Hamalec: fuerat enim præceptum, vt interficeret eum. Populo autem attribuit, quod fuit inobedientiæ; excusando tamen populum prætextu religionis: tanquàm quæ seruata sunt, fuerint seruata, quasi primitiæ offerendæ Deo. Et ad placandum Samuelem vtitur pronomine, *tuo*, dicendo, *Iehouah Elohé tuo.*

Saul non sibi constat in excusatione ad Samuelem habita.

Vers. 22. *Et ait Samuel: Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas; & non potius vt obediatur voci Domini?* Si nosse vis textum, vt iacet in Hebræo:

An voluntas Iehouah in holocaustis & sacrificiis, sicut audire in voce Iehouah? Per quæ manifestatur, quòd non placent Deo holocausta & sacrificia, quemadmodum obedire diuinæ voci. Deinde immediatè sequitur:

Obedientia Deo placet pra holocaustis.

Ecce audire pra sacrificio bonum, & auscultare pra adipe arietum.] Prius dixerat, quòd non æquantur sacrificia obedientiæ: modò amplius declarando dicit, quòd obedientia præstat sacrificio, & incenso adipi, qui erat singularissima pars dicata Deo. Deinde immediatè sequitur:

Vers. 23. *Quia peccatum diuinandi, rebellio, & iniquitas, & Theraphim cogere.*] Postquàm confutauit rationem Saulis ex parte religionis, manifestat exaggerando, quàm graue fuerit peccatum inobedientiæ: assimilando rebellionem superstitioni diuinandi, & assimilando oblationem, quæ fit Deo, quasi inuito, peccato iniquitatis; & venerantiú Theraphim, hoc est, simulacra. Nã cogere significat cogere eũ, cui offertur munus, ad suscipiendũ illud: quemadmodũ de Iacob scriptũ est, quòd coëgit Hesaũ ad suscipiendũ munus: simile enim quid declarauit Samuel accidere Sauli, & populo, offerentibus Deo prædam Hamalecitarum, quam Deus nolebat: perinde enim agebant, ac si cogere vellent Deum ad suscipiendum eorum munera. Et per hæc manifestat Samuel eorum peccatum, tum inobedientiæ, tum irreligiositatis, offerendo Deo, quod illi displicet: vt omni ex parte confutet excusationem allatam.

Rebellio Deo facta assimilatur idolatriæ.

Pro eo, quòd abiecisti verbum Domini abiecit te Dominus, vt sis Rex.

Dixitque Saul ad Samuel: Peccaui, quia transgressus sum os Domini, & verba tua.] Non ex integro corde confitetur peccatum suum, qui falsam apponit causam sui peccati, subiungendo: Vers. 24.

Saul falsò se excusans.

Quia timui populum, & obediui voci eorum. Ipse enim Saul præcipua causa fuerat seruandi ea, quæ seruata sunt.

Sed porrò, quæso.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc leua, quæso, peccatum meum.* sed Hebræi *leuare peccatum*, vocant ignoscere peccatum. Vers. 25.

Leuare peccatum, quid.

Et reuertere mecum.] Ecce ratio, qua mouebatur Saul ad confitendum peccatum, vt Samuel iret cum eo placatus. Et dicit, *reuertere mecum*: quia occurrerat illi obuiam, vt reuertenti comes esset.

Et adorabo Dominum.

Et ait Samuel ad Saul: Non reuertar tecum: quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus, ne sis Rex super Israel. Vers. 26

Vertítque se Samuel, vt abiret: ille autem apprehendit oram pallij eius, & scissa est. Vers. 27.

Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israël à te hodie, & tradet proximo tuo meliori te.] Interpretatus est Samuel, scissionem sui pallij, signum esse scissionis regni à Saule decretæ à Deo. Vers. 28.

Scisso pallij Samuelis signum scissionis regni Saulis.

Porrò triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur: non enim homo est, vt agat pœnitentiam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et etiam fortitudo Israelis non mentietur, & non pœnitebit: quia non homo ipse ad pœnitendum.* Deum appellat fortitudinem Israëlis; non solùm, quia ipse est verè fortitudo populi Israël; sed potius ad significandum, quòd is, qui est summa fortitudo, nullam in se comparitur mutabilitatem, qualis est in mendace, & in pœnitente. Et vt hoc melius perciperetur, dicit, naturam Dei longè distare à natura hominis, cuius est pœnitere. Vers. 29.

Deus cur fortitudo Israelis appellatus.

Et dixit: Peccaui.] Et hanc quoque confessionem non proficisci ex integra agnitione peccati coram Deo, testatur adiuncta petitio honoris mundi huius. Vers. 30.

Nunc honora me, quæso, coram senioribus populi mei, & coram Israël: reuertérque mecum, & adorabo Dominum Deum tuum.

Et reuersus est Samuel post Saulem: & adorauit Saul Dominum. Vers. 31.

Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag Regem Hamalec: & oblatus est ei Agag pinguissimus tremens.] Iuxta Hebræum habetur, *& iuit ad eum Agag delicatarum*, vel *catenarum*. Dictio Hebraïca anceps est ad delicias, vel catenas, an significetur Agag delicioßus, vel vinctus catenis. Vers. 32.

Eadem dictione Hebræi significant catenas, & delicias.

Et dixit Agag: Sicciné separat amara mors?] Iuxta Hebræum habetur: *Certè separauit amaritudo mortis.* Videns se ductum ad mortem violentam, dicit se iam mortuum separatione amaræ mortis ab hac vita.

Dixítque Samuel: Sicut orbauit mulieres gladius tuus, sic orbabitur præ mulieribus mater tua: & in frusta concidit eum.] Iuxta Hebræum habetur, *& scidit Samuel Agag coram Domino in Ghilgal*, nihilque dicitur de frustis. Vers. 33.

Abiitque Samuel in Ramam: Saul verò ascendit ad domum suam in Ghibeam.] Deficit, *Saulis.* Describitur domus Saulis in colle Saulis. Vers. 34.

Et non vidit Samuel vltrà Saul.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non addidit Samuel ad videndum Saulem vsque ad diem, quo mortuus est.* Annotabis, Vers. 35.

notabis, prudens lector, non scribi, & non vidit; sed scribi, & *non addidit ad videndum*: quoniam hinc soluitur quæstio, quæ mouetur ex gestis scriptis inferiùs, cap. 19. videlicet, quòd Saul prophetauit coram Samuele. Aliud est enim addere ad videndum, & aliud est videre: vidit siquidem post hæc hîc scripta Samuel Saulem ante diem mortis suæ; sed non addidit ad videndum Saülem: quia nunquam iuit ad videndum eum, vt priùs sæpè fecerat: hoc enim significatur dicendo; *Et non addidit Samuel ad videndum Saulem*. cum qua veritate stat, quòd tanquam casu acciderit, Saülem videri à Samuele, vt contigit in iis, quæ narrantur cap. 19.

Addere ad videndum, & videre, discrepant.

Veruntamen luxit Samuel Saulem: quoniam Dominum pœnitebat.] Iuxta Hebr. habetur, *& Iehouah pœnituit, quod regnare fecisset Saulem super Israel.* Non habetur coniunctio, *quoniam*, sed coniunctio, *&*: narrantur siquidem duo: alterum, quòd Samuel, quanuis non iret ad videndum Saulem; lugebat tamen eum, & quòd summum Deum pœnituit, quòd fecit regnare Saülem super Israel.

CAPVT XVI.

Vers. 1. DIXITQVE *Dominus ad Samuelē: Vsquequò tu luges super Saul, cùm ego proiecerim eum.*] Iuxta Hebræum habetur, *& ego abominatus sum eum à regnando super Israel?* non enim reprehendit Deus Samuelem perseuerantem in luctu, tanquàm agentem contra diuinam definitionem: sed reuelat imponendum esse terminum huiusmodi tristitiæ: quia diffinita est reprobatio Saulis à regno.

Imple cornu tuum oleo, & veni, mittam te ad Iisai Beth-lechemitem: prouidi enim in filiis eius mihi Regem.] Quis subrogandus sit Rex, atque ab ipso Samuele vngendus, aptissimè reprobato Saüle reuelatur Samueli ad consolandum eum.

Vers. 2. *Et ait Samuel: Quomodo vadam.*] Timentis sunt verba interrogatiuè legenda, ad consulendum Deum de periculo imminentis sibi mortis ex huiusmodi obedientia.

Audiet enim Saul, & interficiet me. Dixitque Dominus: Vitulum bouis tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni.] Docet Deus Samuelem, vt tacita causa principali itineris sui, manifestet duntaxat minùs intentam: vt hinc discamus, nullum esse peccatum; cùm simile quid homines sæpe faciunt.

Nullum est peccatum dissimulare.

Vers. 3. *Et vocabis Iisai ad sacrificium: & ego ostendam tibi, quid facturus sis, vngésque mihi, quem monstrauero tibi.*

Vers. 4. *Fecitque Samuel, quod locutus erat Dominus, & venit in Beth-lechem, & admirati sunt seniores.*] Iuxta Hebræum habetur, *& tremuerunt senes ciuitatis ad occursum eius.* Tremor internus significatur ex inopinato aduentu Samuelis: timendo, ne fortè fugeret à facie Saülis Regis, & ciuitas angustaretur, hinc Samuele, inde Saule instantibus.

Vers. 5. *Et dixerunt: Pacificúsne est ingressus tuus? Et dixit: Pacificus: ad immolandum Domino veni: sanctificamini.*] Inuitat ad sacrificium senes ciuitatis, qui occurrerant ei; volentes tamen interesse sacrificio.

Samuelis Leuita non licebat sacrificare quod tamen facit

Et venite mecum.] Iuxta Hebræum habetur, *& venietis mecum ad sacrificium.* Samuel enim non erat Sacerdos, sed Leuita: & sine dispensatione non licebat ei sacrificare exercendo Sacerdotis officium, de quo nihil in litera scribitur.

Et sanctificauit Iisai, & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.] Specialis mentio fit Isai: quia propter filios eius principaliter venerat: & propterea non solùm Isai, tanquàm senex, sed & filij eius sanctificari narrantur à Samuele, proculdubiò secundùm ritum legis ab eo mundari, sicut & alij inuitati sacrificio affuturi.

Cùmque ingressi essent.] Iuxta Hebræum habetur, *& fuit venientibus eis.* Proculdubiò filiis Isai: insinuant siquidem hæc collata cum subiunctis, (videlicet, quòd Isai vocabat singillatim filios ad Samuelem,) rem gestam fuisse hoc ordine: videlicet, quòd in aulam, in qua erat Samuel, ingressus est primùm Isai cum primogenito suo: & facta reuelatione diuina ad Samuelem, quòd non esset ille futurus Rex, Isai vocabat alium filium: & sic successiuè introduxit omnes filios ad Samuelem. Talem autem ordinem Samuelem disposuisse, ex hoc insinuat litera, quòd non omnes simul introduxit pater; qui tamen omnes ingressi aulam Samuelis, non singillatim exibant; sed manebant in ea: quemadmodum testatur vnctio Dauidis in medio fratrum subiuncta. Vers. 6.

Quomodo Samuel processerit in creando secundo Rege Israel.

Vidit Eli-ab, & dixit: Num coram Domino est Christus eius?] Iuxta Hebræum habetur, *tantùm coram Iehouah vnctus eius.* Et sunt verba interrogantis quidem Deum; declinantis tamen in partem affirmatiuam, proponendo, quod ille duntaxat sit, quem vnxerit Deus: in cuius declinationis signum respondetur à Deo, non esse spectandum aspectum illius, & altitudinem staturæ: hæc enim inuitauerant Samuelem ad suspicandum, quòd ille electus esset in Regem.

Aspectū, & aliam staturam non spectat Deus.

Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius.] Legendum est, *ad aspectum eius, & ad altitudinem staturæ eius, quia reprobaui eum: quia non iuxta intuitum hominis iudico: homo enim videt, quæ patent oculis, Deus autem intuetur cor.* Vers. 7.

Et vocauit Iisai Abinadab, & adduxit eum coram Samuel: & dixit: Etiam hunc non elegit Dominus. Vers. 8.

Adduxitque Iisai Sammam: & dixit: Etiam hunc non elegit Dominus.] Ex his autem clarè habetur progressus diuinæ reuelationis de nouo Rege: nam primùm reuelatum fuit Samueli, quòd Deus translaturus erat regnum in virum meliorem Saüle: deinde reuelatum est illi, quòd vir ille esset vnus filiorum Isai Bethlehemitæ, sed non est ei reuelatum, quis ex filiis Isai esset: & demum reuelatum est ei, quòd vir ille esset Dauid. Vers. 9.

Adduxit itaque Iisai septem filios suos coram Samuele.] Quæstio oritur de numero filiorum Isai: eò quòd in 1 Paral. cap. 2. septem duntaxat supputantur filij Isai, comprehenso Dauide. Solutur communiter, dicendo, quòd tam hic, quàm in sequenti cap. supputantur octo filij Isai, eò quòd Ionathan filius adoptiuus connumeratur inter filios Isai: in lib. verò Paral. supputantur filij naturales duntaxat. Vers. 10.

Quos filios Isai, pater Dauid, habuerit.

Et dixit Samuel ad Iisai: Non elegit Dominus ex istis. Hinc apparet, quòd Samuel secretò communicauerat Isai diuinam reuelationem sibi factam de vno filiorum eius electo à Deo: alioquin non dixisset ei: *Non elegit Dominus ex istis.*

Dixitque Samuel ad Iisai: An finiti sunt pueri? Et dixit: Adhuc reliquus est paruulus, & ecce pascit Vers. 11.

Quemodo ſimul edebant Iſraëlita.

ſcit vnes. Et dixit Samuel ad Iiſai: Mitte, & tolle eum, nec enim diſcumbemus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia non circumibimus.* hoc eſt, circulariter conſedebimus: modus ſiquidem, quo tunc commenſales ſimul edebant, deſcribitur.

Donec veniat huc.

Verſ. 12. *Miſitque, & venire fecit eum: erat autem rufus, & pulcher aſpectu, decorque facie.*] Iuxta Hebræum habetur, *& ipſe rubeus, cum pulchritudine oculorum, & bonitate aſpectus.* Commendatur enim ſpecialiter de pulchritudine oculorum.

Dauid erat pulcher oculis.

Verſ. 13. *Et ait Dominus: Surge, vnge eum, quia hic ipſe. Tulitque Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius.*] Nulla verba dixit Samuel vngendo Dauidem, quemadmodum dixerat vngendo Saülem: ita quòd in duobus differunt iſtæ vnctiones: primum, quòd ſuper caput Saulis effudit, ſeu colauit oleum; Dauidem vero vnxit: deinde, quòd ibi declarauit Deum vnxiſſe Saülem in ducem, &c. hîc autem nullum profert verbum: timebat enim manifeſtare, quorſum fieret illa vnctio tot perſonis, ne peruenirent ad aures Saulis. Quocirca fratres Dauidis, quanuis præſentes vnctioni; neſcierunt tamen, ad quòd vngeretur: nec fortè patri manifeſtatum eſt, quòd vngeretur in Regem, ſed in electum à Deo. Putare autem facilè poterant, quòd vngeretur in electum à Deo, in Prophetam.

Saulis, & Dauidis vnctiones in Regem, in quo differant.

Vnctionem Dauidis occultauit Samuel propter Saulem.

Et directus eſt ſpiritus Domini.] Iuxta Hebr. habetur, *& proſperatus eſt ſpiritus Iehouah in Dauid à die illa, & deinceps.*] Internum donum diuini impulſus, appellatur ſpiritus Iehouah, proſperos habens ſucceſſus in Dauide à die illa, & deinceps.

Spiritus Iehouah, quid.

Surrexitque Samuel, & abiit in Ramam.

Verſ. 14. *Spiritúſque Domini receſſit à Saul.*] Similiter diuini impulſus donum internum ſcribitur receſſiſſe à Saüle: ſubtraxit ſiquidem Deus huiuſmodi gratuitum donum, Saüle reddente ſe indignum illo ob ſuperbiam & inobedientiam.

Et exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *& terruit eum ſpiritus malus a Iehouah.* Quemadmodum ſpiritus bonus in Dauide, non ſignificat Angelum ſanctum, ſed gratuitum donum interni diuini impulſus; ita ſpiritus malus in Saule non ſignificat Dæmonem, ſed ſpiritum melancholicum impellentem ad malum terrendo Saülem. Vbi interueniebat duplex paſſio immiſſa à Deo: altera corporis, in motu ſpiritus melancholici mali; hoc eſt, nocium: altera animi; quoniam ex motu ſpiritus melancholici formabantur in internis ſenſibus apparitiones exterrentes Saülem. Et vtraque paſſio eſt ægritudinis naturalis: ſed Deo attribuitur; tum, quia opus naturæ eſt opus Dei; tum, quia ſubtrahente Deo gratuitum donum interni impulſus diuini compeſcentis huiuſmodi paſſionem in Saüle, inualuit ſpiritus melancholicus terrens, & impellens ad malas actiones: nam, vt infrà ſubiungitur, impellebat eum ad occidendum Dauidem.

Spiritus malus exagitans Saulem, qualis erat.

Melancholicus ſpiritus Saulis quid in eo operabatur.

Verſ. 15. *Dixerintque ſerui Saul ad eum: Ecce ſpiritus Domini malus exagitat te.*] Iuxta Heb. habetur, *ecce nunc ſpiritus Elohim malus terret te.* Cognouerunt ſerui eius ſpiritum melancholicum eſſe terrificum, vel referente ipſo Saule terrores, quos patiebatur in imaginatione: vel ex exterioribus verbis, aut factis: vt ſæpè perpendimus, huiuſmodi melancholicos terreri ex iis, quæ dicunt, aut faciunt, dum terrentur.

Dicat, obſecro, Dominus noſter, & ſerui tui, qui coram te ſunt, quarent virum ſcientem pſallere in cithara.] Ne oporteat ſæpè repetere, in toto hoc tractatu intellige pſallere, & pſallentem, pro ſonare, & ſonantem: ſic enim Hebraice habetur. Verſ. 16.

Pſallere, quid hic ſignificet

Vt quando arripuerit te ſpiritus Dei malus, pſallat manu ſua, & leuius feras.] Iuxta Hebræum habetur, *& erit exiſtente ſuper te ſpiritu Elohim malo: & ſonabit manu ſua, & bene tibi.* Prædicunt iſti, non ſolùm leuiùs tolerare, ſed etiam quod bene erit ei.

Et ait Saul ad ſeruos ſuos: Prouidete ergo mihi aliquem bene pſallentem, & adducite ad me. Verſ. 17.

Et reſpondit vnus è pueris, & dixit: Ecce vidi filium Iiſai Beth-lechemita ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore. Carent ſuperlatiuo Hebræi: & rectiùs circunloqui videntur Hebraicum transferentes, *potentem robore, & virum belli, & prudentem in verbis, & virum pulchrum.* Nec vlla iſtarum cõmendationum fuit falſa: nam omnes iſtæ conditiones verificantur de Dauide proportionaliter intellectæ iuxta ætatem illius. Verſ. 18.

Cõmendatur Dauid puer.

Et Dominus eſt cum eo.

Miſit ergo Saul nuncios ad Iiſai, & dixit: Mitte ad me Dauid, filium tuum, qui eſt cum ouibus. Verſ. 19.

Tulit itaque Iiſai aſinum plenum panibus, & lagenam vini.] Iuxta Hebræum habetur, *aſinum panis, & vtrem vini, & hædum caprarum vnum.* clarè enim ſignificatur aſinus onuſtus pane. Verſ. 20.

Et miſit per manum Dauid filij ſui Sauli.

Et venit Dauid ad Saul, & ſtetit coram eo: & ille dilexit eum nimis.] Interpres ſæpè vtitur nimis, pro valdè. Verſ. 21.

Nimis, *pro valdè.*

Fuitque ei armiger.

Miſitque Saül ad Iiſai dicendo: Stet, obſecro, Dauid in conſpectu meo: quia inuenit gratiam in oculis meis. Verſ. 22.

Igitur quandocunque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit exiſtente ſpiritu Elohim malo in Saule.* Quod ideò annotauerim, ne extrinſeca operatio ſignificata intelligatur. Verſ. 23.

Tollebat Dauid citharam, & pſallebat manu ſua: & refocillabatur Saül.] Iuxta Hebræum habetur, *& dilatabitur Sauli.* Dilatatio cordis ex muſica deſcribitur.

Muſica dilatat cor.

Et leuius habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus.] Iuxta Heb. habetur, *& bene ipſi, & recedet ex ſuper eum ſpiritus malus.* Non eſt mirum, quòd muſica non ſolum mitiget, ſed etiam penitùs ſedet commotionem ſpiritus melancholici: quum ægritudo corporalis ſit redundans in phantaſiam, & proportionata melodia delectet animum, tranquillitatémque reddat turbatis motibus, & animi, & corporis: nam, quemadmodum paſſiones corporis redundant in animum, ita è conuerſo paſſiones animi redundant in corpus: vt quotidiana experientia teſtatur. Hæc quoque litera conteſtatur, quod prior inſinuauit, videlicet, ſpiritum hunc malum fuiſſe ſpiritum impulſus melancholici: alioquin non ſcriberetur recedere ex muſica: hæc enim ſola cauſa in litera redditur.

Muſica mitigat, & tranquillat animum.

Nec prætereas ordinem effectuum in Saüle ex muſica: primus enim effectus erat dilatatio cordis, directè contraria melancholico motui; nam melancholicus motus reſtrictiuus eſt ſpirituum, lætitia autem dilatatiua eſt: & hinc conſequebatur benè ſe habere Saülem; & demum liberari

Naturalia agentia paulatim effectum operantur.

liberari ab illa melancholica vexatione pro illa vice : paulatim enim effectum operantur naturalia agentia.

CAPVT XVII.

Vers.1. CONGREGAVERVNT *autem Philisthim agmina sua ad prælium, & congregati sunt in Socho Iehudæ : & castrametati sunt inter Socho, & Hazecam, in finibus Dammim.*

Vers.2. *Saül verò, & filij Israël congregati sunt in valle Elah : & disposuerunt prælium in occursum Philisthim.*

Vers.3. *Et Philisthim stabant super montem hinc, & Israel stabat super montem ex altera parte : vallisque erat inter eos.*

Vers.4. *Et egressus est vir spurius.*] Iuxta Hebræum habetur : *Vir de medio de castris Philisthinorum.* Et describitur per hoc, quòd non egressus est ex latere vno, vel altero ; sed ita egressus est ex castris Philisthinorum, quòd egressus est è medio castrorum : ad insinuandum, quòd de consensu exercitus Philisthinorum egressus est.

Ghol-iath nomen eius de Ghat, altitudo eius sex cubitorum, & palmi.

Vers.5. *Et galea aerea super caput eius, & lorica hamata induebatur.*] Iuxta Hebræum habetur, *& lorica squamarum ipse indutus.* fabrefacta siquidem describitur lorica laminis æreis ad similitudinem squamarum piscis : ita quòd induebatur lorica squamosa: hoc est, lamina laminam contegente, sicut squama squamæ iungitur in pisce.

Lorica squamosa, quomodo.

Pondúsque loricæ quinque millium siclorũ æris erat.

Vers.6. *Et ocreas aereas habebat in cruribus.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et lamina aeris super pedes eius.* Ad instar laminæ protegentis frontem, aiunt has laminas super pedes fuisse.

Et clypeus aereus tegebat humeros eius. Iuxta Hebræum habetur, *& spiculum chalybis inter humeros eius.* Significatur teli paruuli missilis ex chalybe fabrefacti gestatio inter humeros.

Vers.7. *Hastéque lanceæ eius, sicut licinatorum texentium : & ferrum lanceæ eius sexcentorum siclorum ferri : & armiger eius.*] Iuxta Hebræum habetur, *& gestator scuti vadens ante eum.* daturus scutum ei, cùm ad pugnam veniret.

Vers.8. *Stetítque, & clamauit ad acies Israël, & dixit eis : Cur existis ad disponendum prælium ? Nonne ego Philisthæus, & vos serui Saül ? Eligite vobis virum, & descendat ad me.*

Vers.9. *Si potuerit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis serui : si autem ego potuero in eum, & percussero eum, eritis nobis serui, & seruietis nobis.*

Vers.10. *Dixítque Philisthæus : Ego exprobraui aciebus Israël hodie : Date mihi virum, & pugnabimus simul.*

Vers.11. *Audiuit autem Saül, & totus Israël sermones Philisthæi hos : & stupuerunt.*] Iuxta Hebræum habetur, *& fracti sunt, & timuerunt valdè.* Fracti animo, & consequenter valdè metuentes describuntur.

Vers.12. *Dauid autem filius viri Eph-rathæi.*] Similis dictio hîc scribitur ei, quæ scripta est in principio huius libri de Elcana patre Samuelis : & videtur in simili sensu interpretanda, vt patet Dauidis vir angustus describatur : nam patria clarè subiungitur ex Bethlehem Iudæ.

Pater Dauidis vir angustus describitur.

De quo suprà dictum est.] Iuxta Hebræum habetur : *Iste ex Bethlehem Iehudæ.* Ad differentiam alterius Bethlehem in Tribu Zabulon.

Et nomen eius Iisai, & ei octo filij.] Connumerato adoptiuo, vt prædictum est.

Et vir in diebus Saülis, senex venit inter homines.

Abierunt autem tres filij Iisai maiores, abierunt post Saul ad bellum : & nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eli-ab primogenitus, & secundus eius Abinadab, & tertius Samma. Vers.13.

Dauidque erat minimus : & tres maiores abierunt post Saül. Vers.14.

Dauid verò abiit, & reuersus est à Saül : ad pascendum oues patris sui in Beth-lechem.] Ratio, quare Dauid à Saüle reuersus est ad pascendum oues patris sui, redditur trium maiorum fratrum egressus ad bellum cum Saüle. Vers.15.

Accedebat autem Philisthæus mane, & vesperi : & stetit quadraginta diebus. Vers.16.

Dixit autem Iisai ad Dauid filium suum : Accipe, quæso, fratribus tuis Ephan polentæ huius, & decem panes hos.] Nomen est mensuræ aridorum Epha : polenta autem pro granis tostis sumitur. Vers.17.

Et curre in castra ad fratres tuos.

Et decem formellas caseï has deferes Tribuno : fratresque tuos visitabis, si rectè agant.] Iuxta Hebræum habetur, *in pace :* pacis enim nomine Hebræi bona cuncta significabant. Vers.18.

Pax apud Hebr. bona cuncta significat.

Et cum quibus ordinati sunt, discet.] Iuxta Hebræum habetur, *& pignus eorum tolles.* hoc est, redimes quicquid in pignus dederint pro debito aliquo : subintelligitur enim, quòd Isai dederit pecuniam Dauidi ad redimendum pignora fratrum suorum, si opus esset.

Saül autem, & ipsi, & omnes viri Israël erant in valle terebinthi.] Iuxta Hebræum habetur, *Ela.* Nomen est arboris, vt aliàs dictum est. *pugnantes cum Philistæis.* Vers.19.

Ela, nomen arboris.

Surrexit Dauid manè, & reliquit oues cura custodis, & onustus abiit, sicut præceperat ei Isai : & venit ad locum Maghala.] Iuxta Hebræum habetur, *ad circulum.* hoc est, ad vallum, seu fossam circularem cingentem exercitum, vt moris est. Vers.20.

Et ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine.] Iuxta Hebræum habetur, *& gens fortitudinis egrediens ad aciem, & vociferati sunt in prælio.* Narratur accidens tunc commotio ad prælium hinc, & inde.

Disposuerátque Israël, & Philisthæus, aciem in occursum aciei. Vers.21.

Dereliquitque Dauid vasa, quæ secum attulerat, in manu custodis sarcinarum, & cucurrit in aciem : & venit, & interrogauit, si omnia ergà fratres suos rectè agerentur.] Interpres iterum exponit : nam in Hebræo habetur duntaxat, *Et interrogauit fratres suos in pace.* vt suprà diximus. Vers.22.

Cumque adhuc loqueretur cum eis, apparuit vir ille spurius.] Iuxta Hebræum habetur, *& ecce vir medij ascendens (Gol-iath Philisthæus nomen eius de Ghath) de aciebus Philisthinorum.* repetuntur enim suprædicta. Vers.23.

Locutus est iuxta verba hæc : & audiuit Dauid.

Omnes autem viri Israël, cùm vidissent virum, fugerunt a facie eius, & timuerunt valdè. Vers.24.

Et dixit vir Israel : Num vidisti.] Iuxta Hebræum habetur : *Num vidistis virum ascendentem hunc, quòd ad exprobrandum Israëli ascendit?* Non dirigitur sermo ad solum Dauidem. Vers.25.

Et erit, virum qui percusserit eum, attollet Rex diuitijs magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patrij eius faciet absque tributo.] Iuxta Hebræum habetur, *Liberam in Israel.* quod plus est quam absque tributo.

Et

Vers. 26. *Et ait Dauid ad viros stantes secum dicendo: Quid fiet viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & remouerit opprobrium ab Israel?*] Certiorem reddi ipsum quærebat Dauid de præmio, quod audierat.

Quis est enim hic Philisthæus incircumcisus, quod exprobrauit aciebus Dei viuentis?] Iuxta Hebræum habetur, *Elohim viuorum?* Et est proculdubiò sermo de vero Deo: hinc enim clarè colligimus, consuetum fuisse apud Hebræos nominare Deum honoris gratia in numero plurali: & propterea à nominando Deum *Elohim*, consequenter nominauit eum, *viuos*: nam Elohim est numeri pluralis. Nec præterit eas diuinum impulsum apparentem in Dauide, dum refert iniuriam illatam Israel in iniuriam Dei: vt hinc perpendamus, quòd ipsum Dei agebatur Dauid ad congrediendum cum Philisthino.

Vers. 27. *Dixitque ei populus secundum hunc sermonem dicens: Sic fiet viro, qui percusserit eum.*

Vers. 28. *Et audiuit Eliab, frater eius maior, cum loqueretur ad homines: iratusque est contra Dauid, & ait: Cur huc descendisti, & cuius curæ reliquisti paucas oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam, & malitiam cordis tui, quoniam, vt videres prælium, descendisti.*] Parui refert contumelias has discutere, quæ ex irato pectore non absque inuidia proficisci videntur.

Vers. 29. *Et dixit Dauid: Quid feci? Nunquid non verbum est?*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Quid feci nunc, an non verbum ipsum?* Subaudi, liberum est: hic enim sensus quadrat dicenti, *Quid feci nunc?* loquendo, & audiendo? an non liberum est loqui, an ipsum quod feci, est aliud quàm verbum?

Vers. 30. *Et declinauit paululum ab eo ad alium.*] Interpres addidit, *paululum.*

Dixitque eundem sermonem: & respondit ei populus verbum, sicut prius.

Vers. 31. *Audita sunt autem verba, quæ locutus est Dauid: & nunciata sunt in conspectu Saul, & tulit eum.*

Vers. 32. *Dixitque Dauid ad Saul: Non concidat cor cuiusquam in eo: seruus tuus ibit, & pugnabit cum Philistæo isto.*] Pronomen, *eo*, demonstrat Philisthinum: hortatur enim Dauid Regem, & astantes, ne cuiquam animus cadat propter Philisthinum illum. Et rationem subdit: *Quia ipse pugnabit aduersus eum.*

Vers. 33. *Et ait Saul ad Dauid: Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum.*] Iuxta Hebræum habetur, *non valebis ad eundum ad Philisthæum istum, ad pugnandum cum eo.* Hæc est litera Hebraica: & sententia clara est.

Vers. 34. *Quia puer es, & ipse vir bellator ab adolescentia sua.*

Dixitque Dauid ad Saul: Pastor erat seruus tuus patri suo in ouibus: & veniebat leo, vel vrsus.] Iuxta Hebræum habetur, *leo, & vrsus*, cum coniunctione copulatiua.

Et tollebat arietem de medio gregis.] Iuxta Hebræum habetur, *agnum de grege.* nec aliud dicitur.

Vers. 35. *Et persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum: & suffocabam, interficiebámque eos.*] Legendum est in numero singulari.

Et enim post eum, & percussi eum, & feci euadere de ore eius: & surrexit super me, & inualui in mentum eius, & percussi eum, & occidi eum.] Hæc est litera Hebraica, in qua explicatur modus, quo congressus fuerat Dauid, tam cum leone, quam cũ vrso: subiungit enim vtrunque se percussisse.

Nam leonem, & vrsum interfeci.] Legendum Vers. 36.
est, *percussit seruus tuus*, nã sic habetur in Hebræo.

Eritque Philistheus iste incircumcisus, tanquam vnus ex eis.] Vnde quo Dauid ad diuina confugit: nam prius ad negatam Philisthino circumcisionis gratiam spectat.

Quis auferet me de manu huius Philistæi?] Iuxta Hebr. habetur, *quia vituperauit aciem Elohim viuorum.* Deinde intorquet iterum Dauid iniuriam in Deum: vt certiores simus, quod ipsum Dei agebatur, vnde & fiduciam suam in solo Deo se habere subiungit.

Spiritus Dei agebatur Dauid contra Goliath.

Et ait Dauid: Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi, ipse me eripiet de manu Philistæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid: Vade, & Dominus tecum sit.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *& Dominus erit tecum.* Hebræi enim nullum habent futurum, nisi indicatiui modi. Vers. 37.

Hebræi habẽt tantum futurum indicatiui.

Et induit Saul Dauidem vestimentis suis, & posuit galeam æream super caput eius: & induit eum lorica. Vers. 38.

Et accinxit Dauid gladium suum super vestes suas, & voluit ire, quia non habebat vsum: dixitque Dauid ad Saul: Non possum cum istis incedere: quia nec habeo vsum. Et remouit ea Dauid à se. Vers. 39

Et tulit baculum suum in manu sua: & elegit sibi quinque limpidissimos.] Iuxta Hebræum habetur, *lenes lapides de torrente.* vt habiles essent, vt iacerentur funda. Vers. 40.

Et posuit eos in vase pastorali, quod habebat, & in pera, & funda eius erat in manu eius: & processit ad Philistheum.

Ibat autem Philistheus eundo, & appropinquando ad Dauidem: & armiger eius.] Legendum est, *& gestator scuti ante eum*, vt supra. Vers. 41.

Aspexitque Philistæus, & vidit Dauidem, & despexit eum: quia erat puer, & rufus.] Legendum est, *rubeus*, vt suprà. Vers. 42.

Et pulcher aspectu.

Et dixit Philistheus ad Dauid: An ego sum canis, quod veris ad me cum baculis? *Maledixitque Philistheus Dauid per Deos suos.*] Significatur autem despectiua maledictio. Et scribitur hoc, vt vtrumque causa Dei appareat: nam ex parte Philisthini inuocatio suorum Deorum, ex parte verò Dauidis fiducia in solo Deo describitur. Vers. 43.

Dixitque Philistheus ad Dauid: Veni ad me, & dabo carnem tuam volatilibus cæli, & bestiis campi. Vers. 44.

Dixit autem Dauid ad Philistheum: Tu venis ad me cum gladio, & lancea, & clypeo.] Iuxta Hebræum habetur, *& in speculo* quod prænarratum est gestari inter humeros Philisthini. Vers. 45.

Et ego venio ad te in nomine Domini exercituum Dei castrorum Israel, quibus exprobrasti. Dictio interpretata, *Dei*, est nomen *Elohe*: manifestat, quòd tanquàm Dei causam agens procedit aduersus eum.

Die hac tradet te Dominus in manum meam, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philistiim die hac volatilibus cæli, & animantibus terræ: & sciet omnis terra, quod est Deus Israel. Nomen est *Elohim*. Et aptè ad rem faciendum vniuersorum iudicem gubernare Israelem, daturum victoriam spondet. Vers. 46.

Et sciet tota congregatio ista, quòd non in gla-dio, Vers. 47.

gladio, & lancea saluat Dominus: ipsius enim est bellum. Iuxta Hebr. habetur, *quia Iehouah bellum.* Et potest esse duplex sensus: alter, quia bellum infertur ipsi summo Deo: alter, quia in potestate summi Dei consistit bellum, & non in vi lanceæ, & gladij. Et hic secundus sensus quadrat modo loquendi Hebræorum, & tam antecedentibus, quàm sequentibus.

Bellum in potestate Dei consistit.

Et tradet vos in manus nostras.

Vers. 48. *Cumque surrexisset Philistheus, & veniret, & appropinquaret in occursum Dauid, festinauit Saul, & occurrit ad pugnam ex aduerso Philisthei.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et occurrit in aciem in occursum Philisthini.* Sententia clara est: & ratio cursus fuit, vt maior esset vis iactus fundæ.

Vers. 49. *Et misit Dauid manum suam ad vas, & tulit inde lapidem, & funda secit, & percussit Philistheum in fronte eius: transiitque lapis in fronte eius, & cecidit super faciem suam in terram.*

Vers. 50. *Praualuitque Dauid aduersus Philistheum in funda, & lapide: percussitque Philistheum, & interfecit eum: gladius autem non erat in manu Dauid.*

Vers. 51. *Cucurritque Dauid, & stetit super Philistheum, & tenuit gladium eius, & eduxit eum e vagina sua, & interfecit eum, & præcidit eum eo caput eius.*] Ex hoc duello non licet ab exemplo Dauidis sumere certum duellum ab altero: quia singularis spiritus diuinus in Dauide, ex antedictis creditur mouisse Dauidem ad hoc duellum.

Duellum illicitum ejt.

Videntesque Philisthæi, quod mortuus esset fortis eorum, fugerunt.

Vers. 52. *Surrexerúntque viri Israël, & Iehuda, & vociferati sunt, & persecuti sunt Philistheos, vsquequò venias in vallem, & vsque ad portas Hec-ron: & ceciderunt occisi Philisthæi in via Saarim, & vsque ad Gath, & vsque ad Hec-ron.*

Vers. 53. *Et reuersi filij Israël a persequendo Philisthæos, diripuerunt castra eorum.* Iuxta Hebræum habetur: *Et diripuerunt castra eorum.* quod plus est quam mirabere.

Vers. 54. *Cepitque Dauid caput Philisthæi, & attulit illud in Ierusalem.*] Hoc præmaturatur hic ad complendam illius rei gestæ: non quod tunc attulerit caput Philisthæi in Ierusalem, sed post ea, quæ inferius subiungentur, quando Saul triumphans venit in ferutatem.

Et arma eius posuit in tentorio suo.] Sic etiam habetur in Hebræo: nisi, quod in plurali numero, vt in quibusdam codicibus antiquis scribitur, *in tentoriis eius.* Quocirca duplex quæstio subnascitur: altera, an hic sermo de tentoriis Dauidis, an de tentoriis Ierusalem: altera, quomodo hæc verificentur, quum inferius cap. 21. gladius Goliath in tabernaculo Domini in ciuitate Nobæ reconditus scribatur.

Solutio primæ videtur, quòd sit sermo de tentoriis Ierusalem: quia in numero pluralis tentoria significantur: Dauid autem non habebat tentoria nullo tempore tanquam Saulis. Solutio verò secunda est, vel quòd hic non est sermo de armis omnibus Philisthæi, sed de armis eiusdem excepto gladio, qui obiatus fuit in tabernaculo Domini in memoriam concessæ victoriæ: vel quod post triumphum ex Ierusalem translatus est gladius in Nobe in tabernaculum Domini.

Vers. 55. *Quando autem egressus Saul Dauidem egredientem in occursum Philisthæi, dixit ad Abner Principem militiæ: De qua stirpe descendit iste adolescens?*] Iuxta Hebræum habetur, *filius cuius est iste puer Abner?* Non de stirpe, sed de patre inquirit.

Dixitque Abner: Viuit anima tua, Rex, si noui eum? Modus loquendi Hebraicus est, interrogatiuè significans negationem: ita quòd sensus est, non noui. hanc enim negationem asserit, adhibito iuramento per vitam Regis.

Hebraei interrogatiuè significant negationem.

Et dixit Rex: Interroga tu, cuius filius sit iste adolescens. Vers. 56.

Quando autem reuersus est Dauid à percutiendo Philistheum, tulit eum Abner, & adduxit eum ante Saul: & caput Philisthæi erat in manu eius. Vers. 57.

Dixitque ad eum Saul: Cuius filius es, adolescens? Et dixit Dauid: Filius serui tui Isai Bethlechemitæ.] Subditur hîc quæstio, quomodo Dauidem non agnoscebat Saul, qui fuerat cum eo, & sonuerat citharæ, fueratque armiger eius dilectus ab eo: vt superiùs narratum est cap. præcedente. Solutio est, quòd mutatio de pueritia in adolescentiam magna plerunque fit, ita vt non agnoscatur adolescens, qui cognitus erat puer: transitus enim ad pubertatem cum augmento notabili staturæ (interueniente præsertim magnitudine barbæ) valdè magnam parit mutationem in aliorum aspectu: & propterea non est mirum, quòd Saul non agnouerit Dauidem mutatum in adolescentem tempore, quo fuit absens ab eo.

Vers. 58. *Quomodo non agnoscebat Saul Dauidem, qui fuerat armiger eius.*

Mutatio de pueritia in adolescentiam magna plerunque fit.

CAPVT XVIII.

FACTVM *cum complesset loqui ad Saul, anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid: & dilexit eum Ionathan, sicut animam suam.* Vers. 1.

Tulitque eum Saul in domum suam in die illa: & non concessit ei, vt reuerteretur in domum patris sui. Vers. 2.

Icerunt autem Dauid, & Ionathan fœdus.] Vers. 3. procul dubiò vnanimitatis fraternæ.

Diligebat enim eum, sicut animam suam. Vers. 4.

Expoliauitque se Ionathan pallio, quo erat indutus, & dedit ipsum Dauidi: & vestes suas, & vsque ad gladium suum, & vsque ad arcum suum, & vsque ad balteum suum.] Ad tollendam admirationem, quòd Regis filius fœdus iniisset cum Dauide, subiungitur pro ratione facti ingens amor Ionathæ erga Dauidem, tanquam seipsum. In cuius signum vestitui eum, tanquam seipsum, dum proprias exuit vestes & arma, deditque Dauidi.

Ingens amor Ionathæ erga Dauidem.

Egrediebatque quoque Dauid, in omnibus, ad quæ mittebat eum Saul, prudenter se gerebat, posuitque eum Saul super viros belli: & acceptus erat in oculis totius populi, maximèque in conspectu.] Iuxta Hebræum habetur, *& etiam in oculis seruorum Saul.* narratur enim gratia Dauidis, tam in oculis populi, quam in oculis curialium Regis. Vers. 5.

Porrò cum reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, & ferret caput eius in Ierusalem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit venientibus eis, reuertente Dauide a percutiendo Philisthinum, & egressæ sunt mulieres de omnibus ciuitatibus Israel cantantes, & choros ducentes, in occursum Saulis Regis.*] Sic habetur in Hebræo: quamuis vulgata editio & subtraxerit, & addiderit. Author libri huius distulit hanc historiam, eò quòd intendebat eam scribere, vt initium odij Saulis erga Dauidem: narrauit enim hactenus Dauidem placuisse, & Sauli, & Ionathæ, & Abner, & Curialibus, & omni populo: subiungit modò, vnde initium habuit odium Saulis versus Dauidem: & dicit, *ve-*

Vers. 6. *neruntibus*

nientibus eis (videlicet, Rege, & Principibus exercitus) proculdubiò triumphandò ob victoriam habitam contra Philisthinos.

Cum tympanis lætitiæ.] Parui refert, quòd Hebr. habetur, *cum tympanis in lætitia.* describuntur enim instrumenta musica, describitur & gaudium personarum.

Tertium, *instrumentum musicum.*

Et cum sistris.] Iuxta Hebr. habetur, *& cum tertijs.* Instrumentum musicum trium chordarum valde differens à sistro, significatur.

Vers. 7.

Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicebant.] Iuxta Hebr. habetur: *Et respondebant mulieres ridentes, & dixerunt.* Modus, quo cantabant, describitur: videlicet, vt chorus choro responderet; ita quòd alter proponebat: alter respondebat: & chorus respondentium cum risu cecinit subiuncta.

Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.] Parui refert, quòd Hebraice vtrobique additur pronomen: *Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in myriadibus suis.* sic enim ad verbum iacet in Hebræo.

Vers. 8.

Iratus est autem Saul valdè, & displicuit in oculis eius sermo iste: & dixit: Dederunt Dauidi myriades, & mihi dederunt millia: quid ei superest, nisi solum regnum?

Vers. 9.

Non rectus ergo oculis Saul aspiciebat Dauidem.] Circunlocutio est dictionis Hebraicæ sonantis, si dici licet, oculator, ita quòd legendum esset: *Et fuit Saul oculator Dauidis à die illo, & deinceps.* Inuidia ergo initium odij describitur.

Vers. 10.

Et fuit in crastino, inuasit spiritus Dei malus Saul.] Iuxta Hebræum habetur: *Et profecit spiritus Elohim malus in Saule.* Dictio interpretata, *profecit*, est illamet, quæ interpretata est superiùs, *Et properauit spiritus Dei in Dauide*: quoniam in idem redit significatio verbi; sed magis quadrat profectus, quàm prosperitatis nomen in malis. Vexatio itaque maior significatur dicendo, *& profecit spiritus* (hoc est, impulsus internus) in Saule, iusto Dei iudicio malus: vtpote & nociuus, & ad malum.

Magis quadrat in malis nomē profectus, quàm prosperitatis.

Et prophetabat in medio domus suæ.] hoc est, & insinuat ad similitudinem prophetantium aliena à communi ratione agentium, & dicentium: & hoc erat primum nocumentum consequens commotionem spiritus melancholici.

Et Dauid psallebat manu sua, sicut consueuerat per singulas dies: & lancea erat in manu Saul.

Vers. 11.

Iaculatusque est Saul lanceam, putans, quod configere posset Dauid cum pariete.] Iuxta Hebræum habetur, *& dixit: Percutiam in Dauid, & in parietem.* Et hoc annotandum duxi, vt perpendamus, quòd quanuis Saul tunc insaniret; in ipsa tamen insania odium suum exequebatur: vel quia quemadmodum in repentinis homo operatur secundùm præexistentem habitum; ita Saul à vehementi passione melancholiæ actus, ad præconceptum odium exequendum impellebatur: vel, quia non penitùs absorbebatur rationis vsus, quanuis vehementer perturbaretur: ita quòd & ad gestus & verba insanorum impellebatur in medio domus suæ.

Saul insaniens odium suum exequebatur.

Et declinauit Dauid à facie eius secundo.] Iuxta Hebræum habetur, *& vertit Dauid à facie eius duabus vicibus.* Quia nusquam antea Saul fecerat similem actum contra Dauidem, oportet secundum plenum literæ tenorem intelligere, quod duabus vicibus ante ea, quæ inferius subiungentur, Saul iaculatus fuerit lanceam ad percutiendum Dauidem, & vtraque vice Dauid auertit se à facie Saulis. An autem istæ duæ vices fuerint in vna, eademque insania, an in duabus, Scriptura non dicit: sed rationi consentaneum est, quòd fuerint in diuersis insaniæ diebus: tum, quia, dum furor in cursu est, prudentis viri est cedere furori: tum, quia subiuncta gesta insinuant, quòd Saul rediens in seipsum aiebat se non iaculatum esse ex industria lanceam in Dauidem, sed extra se positum id fecisse, & sic Dauid credulius reuertebatur ad Saulem.

Prudens vir cedit furori.

Et timuit Saul à facie Dauidis: quia Dominus erat cum eo, & à Saule recesserat.] Non timuit Saul malum inferendum à Dauide personæ suæ, sed priuationem successionis in regno inferendam ex eo, quod Deus erat cum Dauide. Vers. 12.

Amouit ergo eum Saul a se, & posuit eum sibi Tribunum mille virorum.] Ista amotio fuit post secundam vicem: ita quòd expertus bis, quòd Dauidē non perculsisset in insania positus, verentem (vt rationabile est) Dauidem redire ad domesticum obsequium Regis, ne tertiò se exponeret huiusmodi periculo, amouit Saul à domesticis obsequiis, & fecit eum Tribunum militum. Vers. 13.

Et egrediebatur, & ingrediebatur ante populum.] Hebræo more per *egredi*, & *ingredi* vniuersa officia alicui congrua significantur. Egredi, & ingredi, quid.

In omnibus quæ vias suas Dauid prudenter se gerebat: & Dominus erat cum eo. Vers. 14.

Videtque Saul, quod prudens esset nimis.] Aliàs dictū est, quòd Interpres vertit *nimis*, pro valde. Vers. 15. Nimis, pro valde.

Et cœpit cauere eum.] Iuxta Hebræum habetur, *& timuit à facie eius.* Superiùs dictum est, quòd timuit eum adhuc domesticum: modò dicitur, quòd timuit eum etiam Tribunum.

Totus autem Israel, & Iehouah diligebat Dauid: ipse autem.] Legendum est, *quia ipse egrediebatur, & ingrediebatur ante eos.* Ratiō redditur, quare omnis Israel, & Iuda amabat Dauidem. Vers. 16.

Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merab, ipsam dabo tibi in vxorem, tantummodò esto vir fortis.] Iuxta Hebræum habetur: *Tantum esto mihi in filium fortitudinis, & præliare bella Domini.* Verba quidem bona, & pulchra; sed veneni plena: quod venenum manifestatur à Scriptura subiungente machinationem Saulis: vt, videlicet, occideretur Dauid à Philisthinis. Vers. 17.

Sub verbis bonis Saul machinatur necem Dauidis.

Saul autem dicebat: Non sit manus mea in eum: sed sit in eum manus Philisthinorum.

Dixit autem Dauid ad Saul: Quis ego sum; & quæ vita mea, aut cognatio patris mei Israel, vt sim gener Regis? Vers. 18.

Et fuit, tempore, quo danda erat Merab filia Saul Dauidi, data est Hadrieli Mecholathitæ in vxorē. Vers. 19.

Dilexit autem Michal, filia Saul, Dauidem, nunciatúmque est Sauli, & placuit verbum in oculis eius. Vers. 20.

Dixitque Saul: Dabo eam ei, vt sit ei in scandalum.] proculdubiò supradictum: videlicet, vt ratione affinitatis exponeret se periculis mortis aduersùs Philisthinos, & sic occideretur: hoc enim clare subiungitur. Vers. 21.

Et sit in eum manus Philisthinorum: dixitque Saul ad Dauid: In duabus gener meus eris hodie.] hoc est, in duabus filiabus affinitatem mecum hodie contrahes: nam priùs contraxerat ratione maioris, & modò ratione minoris.

Et præcepit Saul seruis suis: Loquimini ad Dauid eum dicendo: Ecce places Regi, & omnes serui eius diligunt te: nunc ergo esto gener Regis. Vers. 22

Vers. 23. *Et locuti sunt serui Saul in auribus Dauidis verba hæc. dixitque Dauid: Num parum vobis videtur, generum esse Regis, & ego sum vir pauper, & despectus?*

Vers. 24. *Et nunciauerunt serui Saul ei dicendo: Huiusmodi verba locutus est Dauid.*

Vers. 25. *Dixit autem Saul: Sic dicetis ad Dauid: Non habet Rex sponsalia necesse.*] Iuxta Hebræum habetur: *Non voluntas Regi in dote.* Mos antiquus insinuatur, vt gener Regis dotem daret. Ambigo tamen, an de dote tota sit sermo: vt sat existimarent eleuari in Regis generum: & propterea vxorem dotaret gener.

Gener Regis dote dabat apud Hebræos.

Sed in contumeliam præputij Philistinorum, vt fiat vltio de inimico Regis, porro Saul cogitabat facere occidi Dauid per manum Philisthæi.

Vers. 26. *Nunciauerintque serui eius Dauidi verba hæc, & placuit sermo in oculis Dauid, vt fieret gener Regis:*

Vers. 27. *Et post paucos dies.*] Iuxta Hebræum habetur, *& non impleuerunt dies.* Certum insinuatur tempus constictum, vel decretum à die sponsalitium, vtique ad diem nuptiarum: & antequam complerentur dies illi, Dauid ducentos Philisthinos occidit. Deinde sequitur:

Surrexitque Dauid, & iuit, ipse, & viri eius, & percussit ex Philisthæis ducentos viros: & attulit Dauid præputia eorum, & impleuerunt ipsa Regi ad conterraneandum affinitatem cum Rege.] Adimpletio promissionis factæ significatur in duplo.

Et dedit ei Saul Michal, filiam suam, in vxorem.

Vers. 28. *Vidit que Saul, & cognouit, quòd Dominus esset cum Dauid: & Michal filia Saul diligebat eum.*

Vers. 29. *Et Saul magis cœpit timere Dauid* Iuxta Heb. habetur: *Et adiecit Saul ad timendum a facie Dauid adhuc.* Nec affinitas minuit, sed auxit timorẽ.

Factique est Saul.] Iuxta Hebræum habetur, *& fuit Saul inimicans Dauid cunctis diebus.* Ecce penitus timore, inimicitiæ odium.

Vers. 30. *Et egressi sunt.*] procul dubiò ad bellum.

Principes Philisthinorum: & fuit a tempore egressionis eorum prudenter se gessit Dauid præ omnibus seruis Saul, & celebre factum est nomen eius valdè.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur verbum significans argumentum rei charæ, seu pretiosæ, tanquàm diceretur: Et magnipensum est nomen eius valdè.

CAPVT XIX.

Vers. 1. LOcvtvs est autem Saul ad Ionathan, filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid. Iuxta Hebræum habetur, *ad faciendum mori Dauid.* Ecce inimicitiæ odium non valens amplius latere in animo Saulis, patent filio, & domesticis: nec dicitur eis, vt occidant Dauidem; sed manifestat eis, procurandam esse mortem Dauidis.

Et Ionathan filius Saul diligebat Dauidẽ valdè.

Vers. 2. *Nunciauitque Ionathan Dauidi dicendo: Quærit Saul pater meus occidere te.*] Hinc patet, quod Saul proposuerat, inquirendum esse modum aliquem, quo moreretur Dauid.

Quapropter cane tibi, quæso, mane, & manebis in abscondito, & absconderis.

Vers. 3. *Ego autem egrediar, & stabo ad latus patris mei in agro, vbicunque fueris.*] Iuxta Hebræum habetur, *in quo tu ibi.* Certus significatur ager vtrique notus.

Et ego loquar de te ad patrem meum, videbóque, quid respondeat, & nunciabo tibi.

Locutus est ergo Ionathan de Dauid bonum ad Saul patrem suum: dixitque ad eum: Ne peccet Rex in seruum suum in Dauid: quia non peccauit tibi, & quia opera eius sunt bona tibi valdè. Vers. 4.

Et posuit animam suam in manu sua.] Iuxta Hebræum habetur, *in manu sua.* Modus est loquendi illius temporis: significabant enim exponere se manifesto periculo mortis, similitudine ponentis animam (hoc est, vitam) suam in manu sua, quasi prompti ad perdendum eam. Vers.

In manu sua ponere animam suam, quid.

Et percussit Philisthæum, fecitque Dominus salutem magnam toti Israeli: vidisti, & lætatus es, cur ergo peccas? Legendum est, *peccabis in sanguinem innocentem.* futurum enim significatur peccatum.

Interficiendo Dauid, qui est absque culpa.] Iuxta Hebræum habetur, *gratis?* hoc est, absque merito: non enim meruerat mortem Dauid.

Audiuitque Saul vocem Ionathan: & iurauit Saul: Viuit Dominus, si morietur. Vers. 6.

Vocauit itaque Ionathan Dauidem, & nunciauit ei omnia verba hæc: & adduxit Ionathan Dauidem ad Saul, & fuit ante eum, sicut heri, & nudiustertius. Vers. 7.

Motum est autem rursus bellum, egressúsque est Dauid, & pugnauit cum Philisthæis, percussitque eos plaga magna, & fugerunt a facie eius. Vers. 8.

Fuit autem spiritus Domini malus super Saul: erátque in domo sua sedens, & habens lanceam suam in manu sua.] Non describitur prophetans in medio domus suæ gestibus, & verbis; sed sedens, ne Dauid timeret insanientem. Vers. 9.

Dauid autem psallebat manu.

Quæsiuitque Saul percutere lancea Dauidem, & parietem, & declinauit a facie Saul, & percussit lancea parietem: & Dauid fugit, & euasit nocte illa. Vers. 10.

Misit autem Saul nuncios ad domum Dauid, vt custodirent eum, & occiderent ipsum mane: nunciauitque Dauidi Michal, vxor eius, dicendo: Nisi saluaueris animam tuam nocte, cras morieris. Vers. 11.

Descenderúntque per Michal Dauidem per fenestram, & abiit, & fugit, & saluatus est. Vers. 12.

Tulit autem Michal statuam.] Scitò, quòd Hebraicè habetur, *theraphim.* vt hinc clarè cognoscamus theraphim significare simulacrum. Vers. 13.

Theraphim *significat simulacrum.*

Et posuit in lecto, & pellem pilosam.] Iuxta Hebræum habetur, *& puluinar caprarum posuit sub capite eius.* procul dubio ad mentiendum capillatum caput simulacri.

Et operuit veste.

Misit autem Saul apparitores, qui raperent eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et misit nuncios ad tollendum Dauidem. Et dixit Michal: Ægrotus ipse.* Vers. 14.

Misitque Saul nuncios ad videndum Dauidem dicens: Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur. Vers. 15.

Venerúntque nuncij: & ecce theraphim in lecto, & puluinar caprarum sub capite eius. Vers. 16.

Dixitque Saul ad Michal: Cur sic decepisti me, & dimisisti inimicum meum, & saluatus est? Et dixit Michal ad Saul: *Ipse dixit mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te.* Vers. 17.

Dauid autẽ fugit, & euasit, & venit ad Samuelem in Rama, & nunciauit ei omnia, quæ fecerat ei Saul, abiitque ipse, & Samuel, & morati sunt in Naioth. Vers. 18.

Et nunciatum est Sauli dicendo: Ecce Dauid in Naioth in Rama.] Hinc insinuatur, quòd Naioth locus quidẽ erat in territorio ciuitatis Ramę. Vers. 19.

Naioth, *quis locus.*

quæ

quæ erat ciuitas Samuelis in monte Ephraim, vt in principio huius libri patet: aiunt autem Naioth fuisse habitaculum amœnum cum horto, seu pomario.

Vers. 20. *Misitque lictores, vt raperent Dauid.*] Corrige, vt suprà: & lege, *nuncios ad tollendum Dauid.*

Viderúntque cuneum Prophetarum prophetantium, & Samuelem stantem super eos.] Iuxta Hebræum habetur, *& Samuelem stantem præsidentem super eos.*] Iuxta Hebræum habetur, *& Samuelem stantem præsidentem super eos.* Vide disparitatem. Congregatio Prophetarum prophetabat, hoc est, cantabant, saltabant, seu choreas ducebant: Samuel autem stabat, & præsidebat illis prophetantibus, dirigendo, proponendóque fortè diuinarum laudum materiam, aut carminis metrum, vel exhortando.

Samuel Prophetis præsidebat.

Et fuit super nuncios Saul spiritus Dei.] Nomen est *Elohim.*

Et prophetare cœperunt etiam ipsi.] Simili modo prophetasse istos nuncios, quemadmodum prophetabant alij, intelligimus.

Vers. 21. *Quod cum nunciatum esset Sauli, misit alios nuncios, & prophetauerunt etiam ipsi: addiditque Saul, & misit tertios nuncios, & prophetauerunt etiam ipsi.*

Vers. 22. *Et iratus iracundia Saul.*] In Hebræo non habetur, *& iratus iracundia Saul:* sed duntaxat:

Et ira: etiam ipse in Ramam.] Prius describitur terminus ad quem, quàm medium: de quo subiungitur:

Et venit vsque ad cisternam magnam, quæ est in Socchoth.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *vsque ad puteum magnum, qui est in Secho.* Locus medius cuneò Prophetarum describitur: vt demonstratio respondentium subiuncta testatur, dicendo:

Vers. 23. *Et interrogauit, & dixit: Vbi est Samuel, & Dauid? Dictumque est: Ecce in Na-ioth in Rama.*] demonstrantis enim locum verba sunt.

Et iuit illùc ad Na-ioth in Rama: & fuit super eum etiam spiritus Dei.] Nomen est *Elohim.* Nec est dubium, quòd de spiritu bono sit sermo: gratuitum siquidem donum internum diuini impulsus ad actus & verba prophetica; describitur in istis omnibus.

Et ambulabat ingrediens.] Iuxta Hebræum clariùs habetur, *& iuit eundo, & prophetando, vsquequò veniret in Na-ioth in Rama.* Gesta Saulis à puteo magno vsque in Na-ioth referuntur: videlicet, quòd in illo itinere ibat prophetando, vt intelligamus plus collatum ei, quàm nũciis eius.

Nuncijs Saulis plus collatum est quam illis.

Vers. 24. *Et expoliauit etiam seipse vestimentis suis.*] Hęc expoliatio facta fuit in Na-ioth: & dicêdo, *etiam ipse*, insinuat, quòd similiter nuncij eius expoliauerant se vestes suas, quando prophetauerunt.

Et prophetauit cum cæteris coram Samuele.] Iuxta Heb. habetur, *& prophetauit etiam ipse coram Samuele.* Dicendo, *etiam ipse*, significat, quòd cum aliis prophetantibus prophetauit coram Samuele præsidente prophetantibus: & hoc non aduersari scriptis in cap. 15 declaratum ibidem est.

Et cecidit nudus.] Iuxta Hebr. habetur, *& cecidit nudus tota die illa, & nocte.* Non narratur, quòd cantauerit; sed, quòd ceciderit, nudúsque permanserit prostratus tota die illa, & tota nocte: disponente hoc Deo ad dandum tempus Dauidi, vt abiret tutus, & saluaret se. Nec nudum intelligas absque omni operimento; sed absque summis vestibus: puta, cum sola camisia, vel huiusmodi: nam simili modo expoliati describuntur nuncij Saulis.

Quomodo nuditas Saul intelligenda.

Vnde exiuit prouerbium: Num & Saul inter Prophetas? Superiùs in cap. 10. eadem sententia habita est: verùm ibi nouitas, hîc autem contrarietas metitorum, ratio prouerbij fuit.

CAPVT XX.

EVGIT *autem Dauid de Na-ioth in Rama:* Vers. 1.
venitque, & dixit coram Ionathan: Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum coram patre tuo, quod quærit animam meam?

Qui dixit ei: Absit, non morieris: ecce non faciet Vers. 2.
pater meus rem magnam, vel rem paruam, quam non reuelabit auri mea: & cur abscondet à me pater meus rem hanc, & non illam?] Hinc apparet, quòd Ionathas absens fuerat: quando Saül misit ad apprehendendum Dauidem, vt occideretur: si enim fuisset præsens, sciuisset gesta illa: & similiter absens fuerat Ionathas, quando Saul misit ter viros ad tollendum Dauidem ex Na-ioth.

Et iurauit adhuc Dauid.] Ionathan iurasse intelligimus ad confirmandum vltima verba, nequaquam erit istud: videlicet, quòd me inscio pater meus quæret te occidere. Intelligitur autem iurasse, non promittendo factum alienum, scilicet, patris sui, sed factum proprium, scilicet, adhibiturum se tantum studium, quòd sciet paternam voluntatem. Hebræa tamen litera sonat, quòd Dauid adhuc iurauit; hoc est, non solùm asseruit, sed etiam iuramento firmauit, quæ dixerat; & iterum subiuncta, quòd, videlicet, quærebat Saul ipsum occidere. Vnde in Hebr. subiungitur: *Et ait.* & non, vt vulgata habet editio: Vers. 3.

Et ille ait.] superfluit enim, *ille.*

Sciendo sciuit pater tuus, quòd inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: Nesciat hoc Ionathan, ne dolore afficiatur: Et certè viuit Dominus, & viuit anima tua: quia vno tantùm, vt sta dicam, gradu ego, morsq; diuidimur.] Iuxta Hebræum habetur, *quod, sicut passus inter me, & inter mortem.* Minima distantia mortis ab ipso exprimitur ex distantia vnius passus, vt intelligat Ionathas periculum, in quo fuit.

Et ait Ionathan ad Dauid: Quicquid dixerit Vers. 4.
mihi anima tua, faciam tibi.

Dixit autem Dauid ad Ionathan: Ecce Calendæ sunt crastinæ, & sedendo sedere soleo ad vescendum iuxta Regem.] Iuxta Hebræum habetur, *cum Rege:* non enim significatur, quòd solitus esset sedere immediate post Regem. Vers. 5.

Dimitte ergo me, vt abscondar in agro vsque ad vesperam tertiæ diei.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dimittes me: & ego absconditus in agro vsque ad vesperam tertiam.* Tria hinc habentur: vnum, quòd Dauid non intendebat ire in Beth-lechem; sed occultare se in agro vsque ad vesperam tertij diei: ita quòd abiconsio continuanda erat vsque ad vesperam tertij diei: hoc enim significat clarè litera. Alterum, quòd tertia vespera erat tertia, inchoando à vespera non illius diei, quo loquebantur Dauid, & Ionathas: quia, quamuis non dicatur vsque ad vesperam tertiam à Calendis; sed dicitur absolutè vsque ad vesperam tertiam; subiuncta tamen in hoc eodem capitulo (quòd, videlicet, post secundũ diem mẽsis mane iuit Ionathas ad faciendũ sagittas) testãtur, quòd vsque ad vesperã tertij diei mensis perseueraturus erat Dauid in occulto. Et dicitur vsque ad vespertinã horam

Tria ex hoc Textu intelliguntur. Primum.

Secundum.

horam: quia nesciebant, si commoditas affutura erat die tertio mensis ante prandium, seu mane Ionathæ ad exercendum se ad iaciendum sagittas. Et hinc insinuatur tertium: quòd celebritas illa duobus duntaxat durabat diebus, primo, videlicet, & secundo die mensis: nam die præcedente Calendas fuit hoc colloquium, (vt in Textu clarè dicitur,) & vsque ad transactum secundum diem mensis mora Dauidis occulta decernitur.

Tertium.

Vers. 6. *Si requirendo requisierit me pater tuus, dices ei: Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Beth-lechem, ciuitatem suam; quia victima solennes sunt ibi omnibus contribulibus suis.*] Iuxta Hebræum habetur, *quia sacrificium dierum ibi totis familiæ.* Officiosum mendacium docuit dicere: sacrificium autem voluum, vel potiùs conuictum ab vniuersa familia paternæ domus ad certos dies, appellatur sacrificium dierum.

Officiosum mendacium docuit Dauid Ionathan.

Sacrificium dierum quid.

Vers. 7. *Si sic dixerit: Bene. pax erit seruo tuo: si autem irascendo fuerit iratus, scito, quòd completa est malitia eius.*

Vers. 8. *Fac ergo misericordiam cum seruo tuo: quia in fœdus Domini fecisti venire seruum tuum tecum: & si est in me iniquitas, interfice me tu, & vsque ad patrem tuum ne introducas me.*

Vers. 9. *Et ait Ionathan: Absit hoc à me.*] Iuxtà Hebræum habetur, *absit à te.* videlicet, vt incidas in manus patris mei.

Neque enim fieri potest, vt si certè cognouero completam esse patris mei malitiam contra te, non annunciem tibi.

Vers. 10. *Dixitque Dauid ad Ionathan: Quis renunciabit mihi, si quid responderit pater tuus duri?*

Vers. 11. *Et ait Ionathan ad Dauid: Veni, & egrediamur in agrum.*] Aliqua insinuatur commoditas colloquendi in agro, quæ non erat in loco, vbi erant.

Et egressi sunt ambo in agrum.

Vers. 12. *Dixitque Ionathan ad Dauid: Domine Deus Israel.* Legendum est, *Dominus Deus Israel.* sunt enim iurantis verba. Quemadmodum enim iurabant, *Viuit Dominus*, ita ille iurat, *Iehouah, Iehoe Israelis.* subauditur enim verbum substantiuum: & quemadmodum Iehoua Elohe Israelis est, ita inuocatur testis subiunctorum.

Iurantis verba apud Hebræos.

Si vsquequaquam scierero sententiam patris mei, crastino, vel perendie. Non redditur sensus Hebraici termini nobis minus clari.

Sciat tempus cras vel tertia.] hoc est, crastini, vel tertij diei, quod dixit interpres cras, vel perendie.

Et ecce bonum ad Dauid, & non tunc misero ad te, & rectum tibi fecero:

Vers. 13. *Hæc faciat Deus Ionathan, & hæc augeat.*] Corrupta est lectio: legendum esset: *Sic faciet Iehouah Ionathan, & sic addet.* Modus iurandi est per execrationem: adiungatur enim hic alter iurandi modus priori.

Modus iurãdi per execrationẽ quæm.

Si autem perseuerauerit patris mei malitia contra te, reuelabo aurem tuam, & dimittam te, vt vadas in pace; & sit Dominus tecum.] Iuxtà Hebr. habetur, *& erit Iehouah tecum, sicut fuit cum patre meo.* Prædicentis regnum verba sunt, quòd Deus faciet te Regem, quemadmodum fecit patrem meum, per electionem à populo.

Vers. 14. *Et si vixero, faciesmihi misericordiam Domini, & non moriar. Si vero mortuus fuero,*

Vers. 15. *Non auferes misericordiam tuam a domo mea in sempiternum: nec si non fecero, quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid vnumquemque de terra, auferat Dauid Ionathan de domo sua.*] Scito, quòd in litera Hebraïca valdè obscurè scribuntur hæc, & subiuncta: sed quoniam sensus in idem redit cum iis, quæ vulgata habet editio, non immorandum puto. Verba tamen illa, *aut si non fecero*, non habentur in Hebræo: & similiter verba illa, *auferat Dauid Ionathan de domo sua*, non habentur in Hebræo. Et propterea sententia hæc mutata est: & legendum esset:

Et nec faciente abscindere Iehouah inimicos Dauid, vnumquemque è superficie terræ.] nihil enim aliud in Hebræo habetur. Et est sensus, quòd nec etiam quando Deus abscindet inimicos Dauid, tollet Dauid gratiam suam à domo mea: explicat enim, quòd licèt iusto Dei iudicio exercenda occurret vindicta contra domum Saùlis inimicam Dauidi, non tamen propterea Dauid tollet gratiam suam à domo mea. Deinde immediatè sequitur:

Et pepigit fœdus Ionathan cum domo Danidis.] Vers. 16. proculdubiò super prædictis. Et significanter dicitur, *cum domo Dauidis*, vt intelligamus, Dauidem pro se, & sua domo pepigisse fœdus cum Ionatha, & domo eius. Deinde immediatè sequitur:

Et requiret Iehouah de manu inimicorum Dauidis.] Vnde patet vulgatam editionem bis hanc clausulam habere, & finxisse nescio quæ. Verùm obscura est intentio huius clausulæ: crediderim tamen ego, hîc, sicut & alibi apud Hebræos transpositam esse hanc clausulam, & esse partem verborum Ionathanea quòd ordo literæ sit, & requiret Dominus de manu inimicorum Dauid: & nec faciente abscindere Domino inimicos Dauidis, vnumquenque è superficie terræ. Et sic planus esset contextus. At si, vt iacet in loco, in quo posita est clausula, hæc intelligitur, sensus est, & quæret Iehouah vltionem aduersùs Dauidem: quia per inimicos Dauidis intelligitur ipse Dauid: vt patet ex simili in c. 25. Mos enim erat nominare inimicos, & significare ipsum Principem in huiusmodi execrationibus: ne malum sonaret omen imprecatio malorum sub proprio nomine Principis, cui imprecabatur malum, si non adimpleretur dictum: & sic similiter sunt hæc verba Ionathæ, honorabiliter imprecantis mala Dauidi, si non adimplet fœdus. Et hic sensus quadrat manifestè modo loquendi inferius in c. 20.

Mos execrãdi apud Hebræos qualis.

Et addidit Ionathan deierare. hoc est, valdè iurare super ea, quæ dixerat amoris sui erga Dauidem. Vers. 17.

Eò quòd diligeret eum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum.

Dixitque ad eum Ionathan: Cras sunt Calendæ, & requireris. Vers. 18.

Requiretur enim sessio tua. Et vsque perendie.] Vers. 19. Iuxta Hebr. habetur verbum significans, si dici licet, tertiare: ita quòd legendum esset: *Et tertiabis te.* hoc est, in tertium vsque diẽ te seruabis.

Descendet festinus.] Iuxta Heb. habetur, *descendes valdè.* hoc est, non parum, sed in locum valdè imum descendes: antrum enim profundum insinuatur ibi.

Et venies in locum, vbi celandus es in die, quando operari licet.] Iuxta Hebræum habetur, *& venies ad locum, in quo fuisti absconditus tibi in die operis.* Commemoratur idem locus, in quo aliàs fuerat absconditus Dauid, iuxta ea, quæ scripta sunt in cap. 19. Et dicitur, *in die operis*, hoc est, in die, quo ego operatus sum apud patrem meum, vt non occiderer te: vt in prædicto patet capitulo.

Et

Et sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Ezel.] Iuxta Hebræum habetur, *viatorium.* mandat enim, vt in loco illo, vbi alias latuerat, quiescat prope lapidem viatorium: qui, scilicet, monstrat viam itei agentibus.

Vers. 20. *Et ego tres sagittas iaciam ad latus eius: iaciam quasi exercens me ad signum.*

Vers. 21. *Et ecce mittam puerum dicens ei: Vade, inueni sagittas.*

Vers. 22. *Si dicendo dixero puero: Ecce sagitta à te, & infra sunt: tape eum, & veni, quia pax est tibi, & nihil est mali, viuit Dominus. Si verò sic dixero puero: Ecce sagitta à te, & vltrà sunt. vade, quia misit te Dominus.*] Nesciens Ionathas, si in tali euentu commoditas dabitur alloquendi Dauidem, dicit, quòd hoc signo audito non expectet eum amplius, sed vadat.

Vers. 23. *Verbum autem, quod locuti sumus ego, & tu, ecce Dominus inter me, & inter te vsque in seculum.*

Vers. 24. *Abscondit us est ergo Dauid in agro: & fuerunt Calendæ, & sedit Rex ad comedendum panem.*

Vers. 25. *Sedítque Rex super cathedram suam, sicut consueuerat super cathedram iuxta parietem: & surrexit Ionathan, & sedit Abner ex latere Saul, vacuúmque apparuit locus Dauid.*] Nescio diuinare, ad quid surrexerit Ionathas: sed hoc est certum, quòd sedit ad comedendum: nisi enim sedisset, nequaquam scriberetur, *& surrexit Ionathas.* Et quia non dicitur, quemadmodum inferiùs, *Surrexit Ionathas, & non comedit*; insinuatur, quòd sedit, & comedit, & surrexit. Et quoniam subiungitur, *& sedit Abner ad latus Saulis*; insinuatur, quòd Ionathas surrexit, hoc est, non perseuerauit vsque ad finem conuiuij: & inde secutum est, quòd Abner remansit sedens ad latus Saulis; hoc est, nullo sedente medio inter Saulem, & Abner: surrexerat enim Ionathas medius, nec loca mutabantur, vt testatur locus Dauidis apparens vacuus: hoc enim est signum, quòd vnicuique eorum etiam absenti seruabatur locus proprius.

Cur Ionathan surrexit è conuiuio.

Vers. 26. *Et non est locutus Saul quicquam in die illa: cogitabat enim, quòd casu euenisset ei, vt non esset mundus, nec purificatus.*] De immunditia, & purificatione legali est termo.

Vers. 27. *Et fuit in crastino Calendarum secundo, vrsum vacuus apparuit locus Dauid: dixitque Saul ad Ionathan filium suum: Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie ad vescendum?*] Occurrit quæstio. tam de Saule, quàm de Dauide: mirum siquidem est, & quòd Dauid, postquam fugerat per fenestram, & postea fugerat de Na-ioth, inquirere voluerit per Ionathan, si Saul quærebat ipsum occidere: & similiter mirum est, quod Saul post hæc facta contra Dauidem quæsierit, cur non venit filius Isai ad mensam? Solutio est, quòd quemadmodum, quod vellent miseri, facilè credunt; ita magnates miseriam sibi imminentem, eò quòd multùm abhorreant, quantùs credant, certiores fieri procurant, antequàm manifestum eligant exilium. De Saule autem facilè credi potest, quòd excæcabat eum iniquitas eius, vt non aduerteret gesta sua peruenisse ad notitiam Dauidis: præcedentia enim (videlicet, quòd in die Calendarum Saul putauit Dauidem impeditum aliqua legali immunditia) & sequentia (videlicet, furor in Ionathan) testantur, quòd non nisi Saul quæsierit, cur non venit Dauid ad mensam.

Quæstio tam de Saule, quàm de Dauide resolvitur.

Vers. 28. *Et respondit Ionathan Sauli: Rogauit me obnixè, vt iret vsque in Beth-lechem.*

Et ait: Dimitte me, obsecro, quoniam sacrificium familiæ est nobis in ciuitate, & vnus de fratribus meis accersiuit me: nunc ergo si inueni gratiam in oculis tuis, vadam cito, & videbo fratres meos. ob hanc causam non venit ad mensam Regis. Vers. 29.

Iratúsque est furor Saulis in Ionathan, & dixit ei: Fili mulieris vltro ritum rapientis.] Iuxta Hebræum habetur, *filii tortificantis rebellio.* Matrem appellat facientem torrum, quod distinguitur contra rectum. Ignominiosè nominat mater Ionathæ rebellis marito, adulterij probro: vt Ionathan tanquam ex matre contrahentem crimen rebellionis ad patrem, filiumque suum adulterinum non germanum significet: vtpote non imitantem patrem, sed matrem, dum Dauidi fauet contra regnum in propria domo ex paterna successione. Vers. 30.

Mater facit ne tantum, quod.

An non noui, quòd diligis filium Isai.] Iuxta Hebræum habetur, *quòd eligens tu filium Isai, in confusionem tuam, & in confusionem ignominiæ matris tuæ.* hoc est, quòd ex electione præponis filium Isai in confusionem tuam ad successionem in regnum: & iterum intorquet in genus ex matre animum Ionathæ.

Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum.] Manifestat rationem venenosi animi aduersus Dauidem. Vers. 31.

Nunc igitur mitte, & adduc eum ad me: quia filius mortis est.] Hebræo more dignus morte apud eos appellatur filius mortis. Causa autem iam manifestata erat, quia impedimento erat stabili successioni regni. Et certe Saul verum iudicium habuit, vt rei probauit euentus.

Dignus mortè apud Hebræos appellatur filius mortis.

Respondit autem Ionathan ad Saulem patrem suum, & dixit ei: Cur morietur? quid fecit? Vers. 32.

Et arripuit.] Iuxta Hebr. habetur: *Et iaculatus est Saul lanceã contra eum, vt percuteret eũ.* In tãtũ exarsit furorẽ, vt etiã filiũ percutere attẽtauerit. Vers. 33.

Et intellexit Ionathan, quòd diffinitum esset à patre suo, vt interficeretur Dauid.

Surrexitque Ionathan è mensa in ira furoris, & non comedit in die Calendarum secunda panem: contristatus est enim super Dauid, quia confudit eum pater eius. Vers. 34.

Cúmque illuxisset mane, egressus est Ionathan in agrum iuxta placitum Dauid, & puer parvus cum eo.] Hinc apparet, quòd tertia dies decreta inter Dauidem, & Ionatham erat tertia à die Calendarum. Vers. 35.

Et dixit ad puerum suum: Curre, inueni, quæso, sagittas, quas iacio: cucurrítque puer, & iecit sagittas trans illum. Vers. 36.

Venítque puer ad locum sagittæ, quam iecerat Ionathan, & clamauit Ionathan post puerum, & dixit: Sagitta vltrà est. Vers. 37.

Clamauítque iterum Ionathan post puerum: Accelera, festina, ne steteris. Et collegit puer Ionathan sagittas, & venit ad dominum suum. Vers. 38.

Et puer non intellexit quicquam: tantùm Ionathan, & Dauid nouerunt rem. Vers. 39.

Dedítque Ionathan arma sua puero, qui erat ei: & dixit ei: Vade, defer in ciuitatem. Vers. 40.

Cúmque abisset puer, surrexit Dauid de loco, qui vergebat ad Austrum, & cecidit in faciem suam in terram, & ter adorauit: & osculati sunt se inuicem, & luxerunt se inuicẽ, donec Dauid magnificatus est. Vers. 41.

Dixítque Ionathan ad Dauid: Vade in pace: quod iurauimus ambo nos in nomine Domini dicen- Vers. 42.

do: Dominus sit inter me, & te; & inter semen meum, & semen tuum vsque in sæculum.] Ex hac litera manifestum est fœdus vtrinque firmatum, non solùm pro seipsis, sed etiam pro vtriusque semine; non ad tempus, sed in perpetuum.

Vers. 43. *Et surrexit Dauid, & abiit: & Ionathan ingressus est ciuitatem.*

CAPVT XXI.

Vers. 1. VENIT *autem Dauid in Nobe ad Achimelech Sacerdotem, & obstupuit.*] Iuxta Hebræum habetur, *& tremuit Achimelech.* non corpore, sed animo.

Eo quod venisset Dauid.] Iuxta Hebræum habetur, *ad occursum Dauidis.* occurrente siquidem Dauide ex improuiso absque solita societate, præsagus mali animus tremuit.

Quare tu solus, & nullus est tecum?] Iuxta Hebræum habetur, *& vir non tecum?* Et est sensus, & multitudo virorum (hoc est, militum) non est tecum. Hunc enim esse sensum, testatur Dominus Matth. 12. clarè dicens, aliquos fuisse cum Dauide.

Vers. 2. *Et ait Dauid ad Achimelech Sacerdotem: Rex præcepit mihi verbum, & dixit: Nemo sciat rem, propter quam mitto te, & quæ præcepi tibi.*] Mendacium officiosum dixit.

Mendacium officiosum Dauidis.

Pueris autem meis condixi in illum, & illum locum.] Iuxta Hebræum habetur, *ad locum occultum, & nutum.* Finxit Dauid, quòd milites disposuerit in loco, non solùm occulto aliis, sed etiam tacito ad similitudinẽ nuti, tanquàm ad insidias.

Vers. 3. *Nunc igitur, quod est in manu tua, quinque panes trade mihi: vel quicquid inueneris.*

Vers. 4. *Respondítque Sacerdos ad Dauid, & ait ei: Non habeo panem profanum ad manum, sed panem sanctum, si mundi sunt pueri maxime a mulieribus, manducent.*] Iuxta Hebræum habetur, *si fuerunt custoditi pueri tantum a mulere.* Non interrogat de ipso Dauide expliciè; sed de his, qui cum eo erant, honoris gratia: vt tamen intelligat Dauid, idem requiri ab eo. Vnde Dauid respondet de ipso, & aliis.

Vers. 5. *Et respondit Dauid Sacerdoti, & dixit ei: Si de mulieribus agitur, continuimus ab heri & nudius tertius, quando egrediebar, & fuerunt vasa puerorum sancta.*] Hebræo more *vasis* nomen generale est: & hic significat corpora, vel generationis organa fuisse munda.

Vas hic significat corpora, vel generationis organa.

Porrò via hæc polluta est; sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Iuxta Hebræum habetur, *& ipse via profana, & etiam quòd hodie sanctificabitur in vase.* Masculini generis est pronomen, *ipse*: & demonstrat panem sanctum de quo erat sermo. Et est sensus, quod ipse panis, quanuis sanctus, etiamsi hodie sanctificandus perseueraret in vase, hoc est, in mensa propositionis, declinat in viam profanam, vrgente necessitate. Ita quòd dicit, quòd non solùm isti panes, qui iam fuerant sublati à facie Domini, & ad vsum Sacerdotum addicti: sed etiam illi panes, qui sunt adhuc coram Domino super mensam propositionis, qui adhuc non sunt addicti ad vsum Sacerdotum, diuertendi essent in laicum vsum propter hanc vrgentem necessitatem, propter quod, vt subditur, Sacerdos dedit ei panem sanctum.

Vers. 6. *Dedítque ei Sacerdos panem sanctum: non enim erat ibi panis, nisi panis propositionis.* Iuxta Hebr. habetur, *panis facierũ.* Appellatur panis ille, panis facierum: quia erat panis iugiter manens oblatus faciebus Dei: caret enim singulari numero, *facies*, apud Hebræos. Et quia singulis Sabbathis renouabantur, nunquam deerant faciẽi diuinæ præsentes.

Panis facierum, quis, & cur.

Qui sublatus fuerat à facie Domini.] Ne verteretur in dubium, de quo pane sancto est sermo, manifestatur clarè, quòd de panibus propositionis non adhuc perseuerantibus in mensa propositionis, sed amotis est sermo.

Vt poneretur panis calidus.] Deficit, *in die, quo sublatus ipse.* Declaratur, quòd eodem die, quo sublatus fuerat panis, qui datus est Dauidi, appositus est panis calidus iuxta legis mandatum. Ex eo autem, quòd in ciuitate Nobæ erat mensa propositionis, insinuatur translatum fuisse tabernaculum Mosis de Silo in ciuitatem Nobæ: & nescitur, quando.

Tabernaculum Mosis translatum fuit de Silo in Nobam.

Vers. 7. *Erat autem ibi vir de seruis Saul in die illa intus in tabernaculo Domini.*] Iuxta Hebræum habetur, *retentus in facie Iehouah, & nomen eius Doëg Adomeus.* An voto, an occasione sacrificij, aut purificationis alicuius protraheretur mora Doëg coram Deo, nescitur.

Potentissimus pastorum Saul.] Iuxta Hebræum habetur potiùs maximus, quàm potentissimus. An autem sit hic sermo de pastoribus animalium brutorum, an de pastoribus populi, quanuis in litera non explicetur; rationi tamen consentaneum est, quòd de pastoribus populi sit sermo: eò quòd iste primus inter seruos Saulis inferiùs describitur: & dicitur maximus pastorum Saulis, ad differẽtiã Abner, qui erat Princeps exercitus.

Quis pastor. s hic intelligatur.

Hic pascebat mulas Saul.] Non habetur hæc clausula in Hebræo.

Vers. 8. *Dixítque Dauid ad Achimelech: Si habes hîc ad manum lanceam, vel gladium, da mihi, quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum: sermo enim Regis vrgebat.*

Vers. 9. *Et dixit Sacerdos: Gladius Gol-iath Philisthei, quem percussisti in valle terebinthi.*] Iuxta Hebræum habetur, *Ela.* nomen est arboris.

Ecce est inuolutus panno post Ephod.] Hinc clarè habes gladium Gol-iath oblatum fuisse Deo in memoriam tantæ victoriæ, & necessitate cogente accepit eum Dauid.

Gladius Gol-iath oblatus fuit Deo.

Si istum vis tollere, tolle: quia non est alius hîc præter ipsum: dixítque Dauid: Non est similis illi: da eum mihi.

Vers. 10. *Et surrexit Dauid, & fugit in die illa à facie Saulis: & venit ad Achis Regem Gheth.*] procul dubiò alendus stipendiis eius.

Vers. 11. *Dixerúntque serui Achis ad eum: Nónne iste est Dauid Rex terræ? Nónne huic cantabant in choris dicendo: Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in myriadibus suis.*] Quo sensu appellauerint Dauidem, Regem terræ, explicatur per subiunctum testimonium triumphi: est enim sensus, quòd Dauid erat tanquàm Rex terræ, vt cantus in triumpho habitus testatur.

Dauid erat vocatus Rex terra.

Vers. 12. *Posúit autem Dauid verba hæc in corde suo: & timuit valdè à facie Achis Regis Gath.*

Vers. 13. *Et mutauit os suum coram eis.* Iuxta Hebræum habetur: *Et mutauit ipse saporem suum in oculis eorum.* Nomine saporis prudentia significatur, tanquàm dictum sit, quod mutauit sapere suum in oculis eorum: hoc est, in apparenti conspectu illorum.

Et collabebatur inter manus eorum.] Iuxta Hebræum

bræum habetur, *& insanuit in manu eorum.* Gestus insanos exercendo circa eos.

Et impingebat in ostia portæ.] Iuxta Hebræum habetur, *& designauit super ostia portæ.* more enim insani signa formabat in valuis.

Et fecit descendere salivam suam ad barbam suam.] Vniuersa huiusmodi fictio ex timore procedens ea ratione excusatur, qua dicitur, *Stultitiam simulare loco prudentiæ summa est.*

Stultitiã simulare, prudentia est.

Vers. 14. *Et ait Achis ad seruos suos: Ecce vidistis virum insanum, cur adduxistis eum ad me?*

Vers. 15. *An desunt nobis furiosi.*] Iuxta Hebræum habetur: *Defectu insanis ego.* Et est interrogatiuè legendum cum sequenti clausula.

Quid adduxistis hunc ad insaniendum coram me? Dimittite illum hinc.] In Hebræo non habetur, *dimittite illum hinc:* sed dicitur: *Num iste veniet ad domum meam?* quasi dicat, nequaquam.

CAPVT XXII.

Vers. 1. BIIT *ergo inde Dauid, & fugit.*] Iuxta Hebræum habetur, *& euasit ad speluncam Hadullam.* proculdubiò de periculo mortis apud Achis Regem Geth.

Audierúntque fratres eius, & tota domus patris eius, & descenderunt ad eum illuc.] Hinc colligitur, quòd Saul affligebat domum patris Dauid: nisi enim afflicti fuissent, non reliquissent & domos, & agros ad vagandum in speluncis, & desertis.

Vers. 2. *Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustiis constituti, & oppressi ære alieno,*] Iuxta Hebræum habetur, *& omnis vir, cui mutuator.* Et propterea suboritur quæstio, an licuerit Dauidi admittere istos debitores in præiudicium creditorum, qui mutuauérant. Solutio est, quòd isti, si habebant domum, agrum, aut vineam, intelliguntur cessisse bonis: si autem impotentes penitùs erant ad soluendum debita, ipsa impotentia excusabantur vsque ad pinguiorem fortunam. Quod enim Dauid omnes ad se conuenientes optimè instruxerit, cùm moraretur in eadem spelunca, testatur Psalmus: *Benedicam Dominum in omni tempore*, continens ad literam doctrinam datam à Dauide ibidem militibus. Non igitur in præiudicium creditorum suscepit istos Dauid.

An licuerit Dauidi admittere debitores, in præiudicium creditorum.

Et omnis vir amarus animo, fuítque eis in Principem: & fuerunt cum eo circiter quadringenti viri.

Vers. 3. *Et profectus est Dauid inde in Mizpe Moab.*] ad differentiam Mizpe in Iudæa.

Et dixit ad Regem Moab: Egrediatur, quæso, pater meus, & mater mea, & maneant vobiscum. Personas inhabiles ad bellum intellige relictas apud Moabitas.

Donec sciam, quid faciat mihi Deus.] Nomen est Elohim iudicans, & gubernans omnia.

Vers. 4. *Et reliquit.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et duxit eos ante Regem Moab.* Ordo rei gestæ fuit, quòd Dauid priùs allocutus est Regem Moab, & obtinuit gratiam: deinde duxit patrem, & matrem coram Rege.

Et manserunt cum eo omnibus diebus, quibus Dauid fuit in præsidio.] Iuxta Hebræum habetur, *in arce.* Tam hìc, quàm inferiùs, cùm repetitur præsidium, insinuatur, quòd ad custodiam alicuius arcis deputatus fuerit Dauid cum suis militibus.

Dixitque Gad Propheta ad Dauid.] Introducit Scriptura Prophetam absque genealogia cum Dauide: vt hinc cognoscamus, Dauidem comitatum non solùm viris oppressis, sed etiam sanctis, & prophetico vsum consilio.

Vers. 5. *Dauid comitatus erat viris sanctis.*

Ne maneas in arce, proficiscere, & vade.] Legendum est, *vade, & ingredere tibi.* hoc est, ad bonum tuum.

Terram Iudæ.] Quale autem bonum, non scribitur: sed rationi consentaneum est, quòd ad bonum authoritatis apud Israelitas seruandum, ac cumulandum spectauerit; vt enim rei probauit euentus, mansio Dauidis in Iudæa fuit multis vtilis, & plurimùm ei authoritatis attulit: quorum neutrum secutum fuisset, si mansisset in terra Moab. Et ex hoc, quod Propheta dicit: *Vade tibi.* fabellam apparet esse, quòd inordinatè recesserit ex arce: non est enim fas, Prophetam consulentem bonum, consulere inordinatam actionem. Proinde fabella apparet, quòd Rex Moab indignatus occiderit patrem, & matrem Dauidis: sed vt paulò antè scripta testantur, recedente Dauide ex arce, pater, & mater eius non fuerunt amplius apud Regem Moab: nec est scriptum explicitè, an iuerint cum Dauide, an alibi manserint.

Fabulosa aliqua de Dauide reiiciuntur.

Et profectus est Dauid, & venit in saltum Chareth.

Vers. 6. *Et audiuit Saul, quòd apparuissent Dauid, & viri, qui erant cum eo: Saul autem, cùm sederet in Gibba.*] Tempus huius historiæ post suprascriptam reuersionem Dauidis in Iudæam fuisse testatur fuga Ab-iathar ad Dauidem in Cehilam, iuxta ea, quæ inferiùs scribuntur. Nec in Hebræo continuatur sic litera: sed post narratum aduentum Dauidis in syluam Hareth, & auditum à Saule aduentum eius statim subditur:

Et Saul sedens in colle sub ela in Rama, & lancea eius in manu eius, & omnes serui eius stantes iuxta eum.] Et verè quadrat, vt ad subiuncta verba excitatus fuerit Saul, ex eo, quòd audierit Dauidem cognitum fuisse in Israël.

Vers. 7. *Dixitque Saul seruis suis stantibus iuxta eum: Audite, quæso, filij Iemini.*] Iam dictum est Beniamin significari nomine Iemini.

Iemini, *pro* Beniamin.

Etiam omnibus vobis dabit filius Iisai agros, & vineas: omnes vos faciet Tribunos, & Centuriones.

Vers. 8. *Quia conspirastis omnes contra me, & non qui reuelet aurem meam, fœdus iniit filius meus cum filio Iisai, & non est, qui doleat super me, & qui reuelet aurem meam: quia insurrexit filius meus seruum meum contra me insidiantem mihi vsque hodie.*

Vers. 9. *Respondit autem Doëg Adomeus, qui erat primus inter seruos Saul.*] Parui refert, quod Hebraicè habetur, *& ipse caput super seruos Saul*: hinc enim apparet, quòd Doëg non fuit pastor animalium, sed pastor curialium Saulis: præerat enim reliquis curialibus. Nam dictio interpretata, *caput*, non significat *caput*, sed *Præfectum*, seu *Præsidentem*: circunloquimur enim.

Doëg erat pastor curialium.

Et dixit: Vidi filium Iisai venientem in Nobe ad Achimelech filium Achitub Sacerdotem.

Vers. 10. *Et consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: gladiumque Goliath Philisthæi dedit ei.*] Non simplici, sed iniquo animo hæc retulisse testantur subiuncta gesta, interpretatus siquidem,

dem, quæ viderat à Sacerdote fieri bona in malam partem, accusat eum tanquam zelans pro Rege.

Vers. 11. *Misitque Rex ad vocandum Achimelech filium Achitob Sacerdotem, & totam domum patris eius Sacerdotes, qui erant in Nob: & venerunt omnes ad Regem.*

Vers. 12. *Et ait Saul: Audi, quæso, fili Achitob: & dixit: Ecce ego, Domine mi.*

Vers. 13. *Dixitque ad eum Saul: Cur conspirastis contra me tu, & filius Iesai, & dedisti ei panem, & gladium, & consuluisti pro eo Deum, vt consurgeret contra me insidiator vsque in præsentem diem?*] Dictio interpretata, *Deum*, est nomen *Elohim*, aptè congruens proposito.

Vers. 14. *Respondensque Achimelech Regi, & ait: Et quis in omnibus seruis tuis, sicut Dauid fidelis, & gener Regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus?*] Iuxta Hebr. habetur, *& honoratus in domo tua:* Hæc omnia commemorat ad narrandum, quod arbitrans obsequium se præstare Regi, fecerat, quæ fecit.

Vers. 15. *An hodie cœpi consulere pro eo Deum?* Nomen est Elohim eadem ratione.

Absit mihi: Ne imponat Rex seruo suo quippiam in tota domo patris mei: quia non nouit seruus tuus de omnibus his quicquam paruum, vel magnum.

Vers. 16. *Dixitque Rex: Morsiendo morieris, Achimelech tu, & tota domus patris tui.* Vide sententiam iniquissimam aduersùs etiam omnem domum patris eius.

Vers. 17. *Dixitque Rex emissariis.*] Hebraicè habetur, *cursoribus*, hoc est, viris fortibus, agilibus, velocíque cursus: tales enim habitos fuisse in pretio tunc temporis testatur laus Hasahelis, fratris Ioab, inferiùs subiuncta in libro secundo.

Cursores veloces in pretio apud Hebræos.

Qui stabant iuxta eum: Conuertimini, & interfecte Sacerdotes Domini: quia etiam manus eorum est cum Dauid: & quia cognouerunt, quod fugeret, & non indicauerunt mihi: & noluerunt serui Regis mittere manum suam ad interficiendum Sacerdotes Domini.] Timentes Deum renuerunt parere tam iniquo mandato: dando exemplum ministris Principum, vt manifestè iniustis mandatis Principum non pareant: quia obedire oportet magis Deo, quam hominibus.

Iniquis mandatis non obtemperandum.

Vers. 18. *Dixit autem Rex ad Doëg: Conuertere tu, & irrue super Sacerdotes. Et conuersus est Doëg Idumæus, & irruit super Sacerdotes.*] Significanter scribitur Idumæus, qui diuino posthabito timore iniuit in Sacerdotes Domini, Israëlitis renuentibus committere tantum facinus.

Et trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo.] Hebraica dictio non sonat *vestitos*, sed *portatores*: quod potest verificari, etiamsi tunc actualiter non essent vestiti ephod: quoniam sufficit, quòd isti octoginta quinque viri essent soliti ministrare Deo cum ephod lineo. Et dicitur, *lineo*, ad differentiam superhumeralis veris Pontificis. An autem omnes isti essent Sacerdotes, an inter eos essent aliqui Leuitæ, qui simul ministrabant in domo Domini, non est viquequaque clarum.

Vers. 19. *Nob autem ciuitatem Sacerdotum percussit in ore gladij a viro vsque ad mulierem, a paruulo vsque ad lactentem: & bouem, & asinum, & ouem in ore gladij.*] Vide crudelitatem plusquàm ferinam.

Crudelitas Saülis.

Vers. 20. *Euasit autem filius vnus Achimelech filij Achitob: & nomen eius, Eb-iathar: & fugit post Dauid.*

Vers. 21. *Et nunciauit Eb-iathar Dauid, quod occidisset Saul Sacerdotes Domini.*

Dixitque Dauid ad Eb-iathar: Sciebam enim in die illa, quòd cum ibi esset Doeg Idumæus, procùldubio annunciaret Sauli.] Hebraicè habetur: *Scini in die illo, quòd ibi Doeg Adomæus, quod annunciando annunciabit Sauli. Scire*, refertur ad præsentiam Doëg Idumæi, & non ad futuram tunc annunciationem, nisi in sua causa, videlicet, præsentia Doëg. Non enim in tabernaculo Dei positus sciuerat Dauid futurã denunciationem: sed sciuerat illius causam, videlicet, præsentiam Doëg Idumæi: & propterea non dicit, se sciuisse futuram annunciationem, nisi præmissa præsentia Doëg. Et quia scire annunciationem futuram in causa contingente, quæ, scilicet, potest annunciare, & potest non annunciare,) non est scire simpliciter; sed in causa ad verunlibet; ideò notitia, quam profitetur se habuisse Dauid, non redundauit in culpam ipsius Dauidis, vt, videlicet, ipse exposuerit Sacerdotẽ Domini tanto periculo, quanuis ipse subiungat:

Vers. 22.

Quomodo sciuerit Dauid, quòd is Doeg denunciaturus.

Ego sum reus omnium animarum patris tui.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego conuerti in omnem animam domus patris tui.* Et est sensus: Ego conuerti gladium Saulis in omnem vitam domus patris tui. Scipsum occasionem præbuisse tantæ cladi fatetur, quod verissimum fuit, pro quanto non ex intentione; sed ex facto eius occasio accepta est sæuiendi in Sacerdotes.

Mane mecum, ne timeas: quoniam, qui quærit animam meam, quærit animam tuam, quoniam mecum seruaberis.

Vers. 23.

CAPVT XXIII.

Vers. 1. ANNVNCIAVERVNT *Dauidi dicendo: Ecce Philisthæi pugnant contra Ceilam, & diripiunt areas.*

Vers. 2. *Consuluit igitur Dauid Dominum dicendo: An vadam, & percutiam Philisthæos istos? Dixitque Dominus ad Dauid. Vade, & percuties Philisthæos, & saluabis Ceilam.*

Vers. 3. *Dixerunt itaque viri Dauid ad eum: Ecce nos hic in Iehuda timemus, quanto magis cum uenerimus in Ceilam ad acies Philisthiim?*

Vers. 4. *Rursus ergo Dauid consuluit Dominum: & respondit ei Dominus, & dixit: Surge, descende in Ceilam: quia ego do Philisthæos in manum tuam.*

Vers. 5. *Iuit ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit cum Philisthiim, & abegit iumenta eorum, & percussit eos plaga magna: & saluauit Dauid habitatores Ceilæ.*] Ecce veritas ex præsentia Dauidis in Iudæa simul cum augmẽto authoritatis.

Vers. 6. *Et fuit, cùm fugeret Eb-iathar, filius Achimelech, ad Dauid in Ceilam.*] Hinc habes, quod suprà diximus; videlicet, cladem Sacerdotum fuisse post reditum Dauid ex Moabitam hic scribitur Ab-iathar fugisse ad Dauid in Cehilam.

Ephod secum habens descendit.] Patet referri, quòd Hebraicè habetur: *Ephod descendit in manu sua*: ad significandum, quod non vestitus Ephod venerat, sed portans secum illud.

Vers. 7. *Nunciatum autem fuit Sauli, quod venisset Dauid in Ceilam: & ait Saul: Conclusit eum Deus in manu mea, quia clausus est veniendo in ciuitatem portarum, & vectis.*] Dictio interpretata, *Deus*, est nomen *Elohim*, tanquam ex diuino iudicio traditum in manu sua Dauidem existimabat.

Vers. 8. *Et præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam descenderet*

descenderet in Cehilam.] Iuxta Hebræum habetur : *Et congregauit Saul omnem populum ad bellum.* Et hic nat punctus : quoniam hoc duntaxat innotuit populo, videlicet, quòd congregabantur ad bellum. Quod autem in Hebraica litera subiungitur : *Ad descendendum in Cehilam ad illaqueandum Dauidem, & viros eius.* ad intentionem refertur Saülis: quæ tamen intentio non erat penitùs occulta, sed dicebatur, vt moris est.

Vers. 9. *Resciuitque Dauid, quod super eum Saul cogitaret malum.*] Hinc habetur, quòd Saül non promulgauerat intentionem suam, sed tacitè cogitabat malum Dauidi inferre cõgregato exercitu.

Et dixit ad Ebiathar Sacerdotem.] Iam præsente Sacerdote non consuluit Dauid Deum, nisi per Sacerdotem.

Præsente Sacerdote consuluit Dauid Deũ per eum.

Applica Ephod.] Proculdubiò tibi induendo illud : vt in habitu facto Sacerdos consuleret Deum.

Vers. 10. *Et ait Dauid.*] Proponendo supplicationem suam super qua desiderabat instrui, intercedente Sacerdote à Deo.

Domine Deus Israël, audiuit famam seruus tuus.] Iuxta Hebræum habetur, *audiendo audiuit seruus tuus, quod quærens Saul venire in Cehilam ad euertendum ciuitatem propter me.*

Vers. 11. *An tradent me Primates Cehilæ in manum eius, an descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus? Domine Israël, indica, quæso, seruo tuo.*] Quia ex auditu mouebatur, proponit, vt dubias interrogationes.

Quomodo sit intelligenda responsio Dei ad interrogationẽ Dauidis.

Dixitque Dominus : Descendet.] Tam hanc diuinam responsionem, quàm subiunctam alteram, *tradent*, intellige affirmatiuè secundùm secundarum causarum dispositionem relatam ad perseuerantiam Dauidis in Cehila: directè siquidem respondet Deus quærenti Dauidi. Dubitabat enim, an perseuerante se in Cehila, descenderet Saül aduersùs ciuitatem ; & similiter an perseuerante se in ciuitate traderent Primates Cehilæ in manus Saülis : Deus autem directè respondit affirmatiuè ad vtranque quæstionem. Et dixit verum : quia dispositio causarum secundarum (videlicet, Saülis, & Primatum Cehilæ erat ad illos effectus efficiendos. Quocirca nulla restat difficultas circa verificationem responsionum diuinarum, eò quòd neuter effectus subsecutus est : quia tam interrogatio, quàm responsio loquitur, Dauide perseuerante in Cehila ; & propterea cessante perseuerantia Dauidis in Cehila, nulla remanet quæstio.

Vers. 12. *Dixitque Dauid : An tradent Primates Cehilæ me, & viros meos in manum Saulis? Et dixit Dominus : Tradent.*

Vers. 13. *Surrexit ergo Dauid, & viri eius (circiter sexcenti viri,) & egressi sunt è Cehila, & huc, atque illuc vagabantur incerti : Saulique fuit nunciatũ, quòd euasisset Dauid è Cehila, & cessauit exire.*

Vers. 14. *Mansit autem Dauid in deserto in locis firmis, & mansit in monte in deserto Ziph in monte opaco.*] In Hebræo non habetur, *in monte opaco.*

Quæsiuitque eum Saul omnibus diebus.] per se, vel alios, sollicitudine, vel opere.

Et non tradidit eum Deus in manum eius.

Vers. 15. *Et vidit Dauid, quòd egressus esset Saül, vt quæreret animam eius ; & Dauid erat in deserto Ziph in sylua.*

Vers. 16. *Surrexit autem Ionathan, filius Saül, & iuit ad Dauid in syluam : & confortauit manum eius in Deo.*] Nomen est Elohim gubernantis omnia.

Dixitque ad eum : Ne timeas ; quia non inueniet te manus Saül patris mei, & tu regnabis super Israël, & ego ero tibi secundus, & etiam Saul pater meus scit hoc. Vers. 17.

Percusseruntque ambo fœdus.] Iam secundo percusserunt simul fœdus pro se, & suis successoribus ; videlicet, priùs in agro, & modò in sylua. Fœdus autem inter eosdem à principio initum, statim vt Dauid percussit Goliath, fuit fœdus duntaxat amicitiæ personalis. Vers. 18.

Fœdus bis percusserunt Dauid, & Ionathas.

Coram Domino.] hoc est, in veritate, teste Deo. *Mansitque Dauid in sylua, Ionathan autem abiit in domum suam.* Coram Domino, *quid.*

Ascenderunt autem Ziphæi ad Saül in Gibham, dicendo.] Ziphæi est nomen gentis, quæ erat pars Tribus Iudæ. Vers. 19.

Ziphæi, qui.

Nonne Dauid latitat apud nos in locis tutioribus in syluis, in colle Chachila ad dexteram deserti?] Iuxta Hebræum habetur, *quæ à dextris Iesimon?* Nomen est proprium loci. *Nunc ergo sicut desiderauit anima tua, vt descenderes, descende.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et nunc ad omne desiderium animæ tuæ, Rex, ad descendendum descende.* hoc est, quandocunque tibi placuerit descendere, descende. Vers. 20.

Et nostrum erit tradere eum in manum Regis. Vers. 21.

Dixitque Saul : Benedicti vos Domino, quia doluistis vicem meam. Vers. 22.

Ite, quæso, & præparate adhuc, & scitote, & considerate. Iuxta Hebræum habetur, *& videte locum eius, vbi erit pes eius.* Tria in his verbis mandat: videlicet, præparare homines auxiliares aduersùs Dauidem ; & scire per certitudinem, vbi sit Dauid ; & demum videre locum ipsum.

Velociter] Superfluit.

Vel quis viderit eum, vbi dixistis.] Iuxta Hebræum habetur : *Quis vidit eum ibi.* Dixerat, *videte*, non omnes, sed aliquis videat : & propterea mandat quàrtò ; vt notificent sibi personam viri, qui vidit Dauidem ibi : vt ex qualitate personæ discernat, an verum diceret.

Recogitat enim de me, quòd callidè insidier ei.] Iuxta Hebræum habetur : *Quia dixit mihi : Ingeniando ingeniabitur ipse.* Et est sensus : Quia Dauid dixit in animo suo spectando ad me : Ingeniando ingeniabitur ipse Saul ad capiendum me : hoc est, vtetur ad me capiendum vniuersa ingenij facultate : & propterea,

Scitote, & videte omnia latibula eius, in quibus absconditur, & reuertimini ad me cum re certa, & ibo vobiscum : quòd si etiam in terra se obstruxerit.] Iuxta Hebræum habetur, *& erit, si ipse in terra, & quæram eum in omnibus millibus Iehudæ.* Interpres enim exaggerauit. Vers. 23.

Surrexerúntque, & abierunt in Ziph ante Saül: Dauid verò, & viri eius erant in deserto Maon in campestribus ad dexteram Iesimon. Vers. 24.

Iuit ergo Saul, & socij eius.] Legendum est, *& viri eius ad quærendum.* Insinuatur hinc, quòd Ziphæi redierant ad Saulem nunciando locum certum, in quo erat Dauid. Vers. 25.

Et nunciatum est Dauidi, statimque descendit ad petram.] Interpres addidit, *statim.*

Et mansit in deserto Maon.] Eunte siquidem Saüle ad locum, vbi erat Dauid, recessit prudenter inde Dauid, & venit in desertum Mahon.

Audiuitque Saül, & persecutus est Dauidem in deserto Maon.

Et ibat Saül, & viri eius ex latere montis hinc, & Dauid, ac viri eius ex latere montis inde : porro Vers. 26.

Dauid

Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul.] Iuxta Hebræum habetur, *& fuit Dauid festinans ad eundum a facie Saul.* Non desperatio, sed festinatio ad recedendum vt euaderet, describitur.

Itaque Saul.] Iuxta Heb. habetur, *& Saul, & viri eius circundederunt Dauidem, & viros eius, vt caperent eos.* Impedimentum appositum festinantibus ad euadendum describitur circundatio Dauidis, & suorum, à Saule, & suis. Sapienter enim cinxit montem viris suis in modum coronæ ad capiendum Dauidem, & viros eius, postquàm perpendit, quòd Dauid cum viris suis erat in oppositа parte eiusdem montis. Multitudine enim virorum vsus cinxit montem.

Sapienter cinxit montem Saul, vt caperet Dauid.

Vers. 27. *Et nuncius venit ad Saulem dicens: Festina, & veni; quoniam extenderunt se Philisthim super terram.*] Deficiente humano præsidio, diuina prouidentia subuenit Dauidi, diuertendo Saulem ad Philisthinos.

Diuina prouidentia subuenit Dauidi.

Vers. 28. *Reuersusque est Saul à persequendo Dauidem, & perrexit in occursum Philisthinorum.*] Boni Regis officio functus est, præponens bonum publicum priuato.

Boni Regis est, præponere bonum publicum priuato.

Propter hoc vocauerunt locum illum petram diuidentem.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *petram diuisionum*, videlicet, Sauli, & suorum à Dauide, & suis. Et hinc apparet, quòd vnus atque idem significatus est locus, quum dictum est, quòd descendit Dauid ad petram, & sedit in deserto Mahon: illa enim petra appellata est petra diuisionum: & erat rupes, pars non modica montis illius deserti Mahon.

CAPVT XXIV.

Vers. 1. FACTVM EST *Dauid inde, & mansit in tutioribus locis Hengbedi.*

Vers. 2. *Cúmque reuersus esset Saul, postquàm persecutus est Philistheos.*] Iuxta Heb. habetur: *Et fuit, quando reuersus est Saul à Philisthim.* Nihil dicitur de persecutione.

Nunciauerunt ei dicendo: Ecce Dauid est in deserto Hengbedi.

Vers. 3. *Tulit ergo Saul tria millia virorum electorum ex toto Israël: & iuit ad quærendum Dauidem, & viros eius etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus pernæ sunt.*] Circumlocutio est: nam Hebraicè breuissimè scribitur: *Super facies petrarum Iehelim.* Et aiunt, *Iehelim* significare *arietes*, seu *capreas syluestres*: quas antiquus Interpres vocat ibices, eò quòd ibex species sit caprearum syluestrium.

Ibex, species caprearum syluestrium.

Vers. 4. *Et venit ad caulas ouium iuxta viam, & ibi erat spelunca: & ingressus est Saül ad purgandum ventrem. Porrò Dauid, & viri eius in lateribus speluncæ manebant.*

Vers. 5. *Dixerúntque viri Dauid ad eum: Ecce dies, de qua dixit Dominus ad te: Ecce ego do inimicum tuum in manum tuam, & facies ei, sicut placebit in oculis tuis.*] Hinc quoque clarissimè habetur, multa in sacra Scriptura commemorando referri; quæ tamen nunquam scripta fuerant: hæc enim reuelatio hactenus scripta non fuit: nec scitur, quando fuerit facta; nec scietur, nisi nunc commemorata fuisset.

Scriptura commemorat multa nunquàm scripta.

Et surrexit Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul silenter.] Admiranda dexteritas, atque agilitas Dauidis, vt Saul non sentiret pallium, quo indutus erat, præcidi, nullumque motum Dauidis perciperet.

Dauidis dexteritas, & agilitas admiranda.

Post hæc percussit cor suum Dauid.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit post sic, & percussit cor Dauidis eum, eo quòd abscidit oram, quæ erat Saulis.* Remorsus quidam conscientiæ describitur in Dauide, eò quòd incidisset oram pallij Saulis. Bonarum siquidem mentium est etiam ibi culpam timere, vbi culpa minimè reperitur. Ratio remorsus fuit: quia præcisio illa pallij ex proprio genere iniuriosa erat personæ Regis; absque culpa tamen fuit: tum, quia diuina authoritate collatum ei erat, vt faceret Sauli, quod bonum videbatur in oculis ipsius Dauidis: tum, quia recta ratio dictabat, vt Dauid signum beneuolentiæ suæ erga Saulem posset monstrare, euidentissimo testimonio conuincente Saulem, vt vel sic desisteret Saul à tam iniqua persecutione: non potuit autem melius testimonium offerre, quàm oram chlamydis præcisam tunc ibidem. Actio ergo materialiter iniuriosa non est pertracta sub forma iniuriæ: sed necessarij signi ad testificandum veritatem recti animi Dauidis erga Saulem: quemadmodum sæpè verba tam detractionis, quàm contumeliæ materialiter tantùm, licitè dicuntur ob aliquem bonum, & necessarium finem à viris iustis. Vers. 6.

Bonæ mentes culpã timent, vbi non est.

Præcisio pallij Saulis an fuerit culpabilis Dauidi.

Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus.] Iuxta Hebræum imprecatio mali significatur: *Abesse mihi a Iehouah.* subintelligitur verbum substantiuum: est enim sensus: Abesse à Iehouah sit mihi quod esset malum maximum. Vers. 7.

Ne faciam.] Legendum est: *Si faciam hoc domino meo Christo Domini, mittendo manum meam in eum.* sic enim habetur Hebraicè.

Quia Christus Domini est.] Duas rationes retigerat; alteram, domino meo; alteram, Christo Domini: quia tamen præcipua ratio erat, quia Saul erat vnctus à summo Deo, ipsam solam reperit.

Vnxit Dominus, quòd nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, & moriatur; aut descendens in prælium perierit; propitius sit mihi Dominus, vt non mittam manum meam in Christum Domini.] Tota ista clausula superflua est: quia in Hebræo non habetur, sed immediatè subiungitur:

Et confregit Dauid viros suos verbis, & non permisit eis, vt consurgerent in Saulem.] Non solùm abstinuit à percussione Saulis, sed etiam continuit suos volentes occidere Saulem: vt omni ex parte benignitas Dauidis innotesceret. Vers. 8.

Dauidis benignitas.

Et Saul surrexit de spelunca, & iuit viam suam.

Surrexit autem Dauid post hæc, & egressus est de spelunca, & clamauit post Saulem dicendo: Domine mi Rex. Respexitque Saul post se, & incurvauit Dauid faciem in terram, & adorauit eum. Vers. 9.

Dixitque Dauid ad Saulem: Cur audis verba hominum dicentium: Ecce Dauid quærit malum tuum? Vers. 10.

Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manum meam in spelunca: & cogitaui de te occidendo; sed peperci tibi: & dixi: Non mittam manum meam in dominum meum, quia Christus Domini est. Vers. 11.

Et, pater mi, vide etiam, vide oram chlamydis tuæ in manu mea: quia, cum abscinderem oram chlamydis tuæ, non occidi te: scito, & vide, quod non est in manu mea malum, neque iniquitas.] Iuxta Hebræum habetur, *neque rebellio, neque peccatum tibi.* Excludit ab opere suo retrogrado ordi- Vers. 12.

dine

dine omne peccatum: nam posterius peccatum in Saulem, & prius rebellionem in Regem, & primum vniuersaliter malum exclusit.

Vers. 13. *Tu autem insidiaris animæ meæ, vt auferas eam.*

Iudicet Dominus inter me, & te, & vindicet me Dominus de te: manus autem mea non sit in te. Verba hæc omnia non sunt optantis, sed prædicentis, & expectantis: sunt enim temporis futuri, modi Indicatiui in textu Hebræo: *iudicabit, vindicetur, non erit.*

Vers. 14. *Sicut dicit proverbium antiquum: Ab impiis egredietur impietas.*] Prouerbium hoc directè seruit, tum ad manifestandum pietatem Dauidis abstinentem ab omni specie impietatis: tum ad manifestandum impietatem supradictorum hominum dicentium Sauli malum de Dauide: tum ad confutandum ipsum Saulem impiè persequentem.

Vers. 15. *Et manus mea non erit in te. Post quem egressus est Rex Israël.*

Vers. 16. *Quem tu persequeris? post canem mortuum, post pulicem vnum.*

Sit Dominus in iudicem, & iudicet inter me, & te: & iudicet causam meam, & eruat me de manu tua.] Iterum verba hæc corrige: quia in futuro Indicatiui scribuntur: *erit, iudicabit*, &c.

Vers. 17. *Cum autem complesset Dauid loqui sermones hos ad Saulem, dixit Saul: Numquid vox tua hæc, fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem suam, & fleuit.*

Vers. 18. *Dixitque ad Dauid: Iustior tu es, quam ego.*] Debuisset dicere: iustus tu es, non ego. vt subiuncta ipsius Saülis verba testantur, dum manifestant opus bonum Dauidis, & opus malum ipsius Saulis.

Tu enim retribuisti mihi bonum: ego autem retribui tibi malum.

Vers. 19. *Et tu indicasti hodie, quòd feceris mecum bonum: quandoquidem concluserit me Dominus in manu tua, & non occideris me.*

Vers. 20. *Et si inuenerit quispiam inimicum suum, dimittet eum in viam bonam? sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc.*] Iuxta Hebræum habetur, *reddet tibi bonum pro eo, quod hodie operatus es in me.* Prædicit enim, quod Deus non relinquet sine præmio tantum virtutis opus.

Virtutis opus non relinquit Deus sine præmio.

Vers. 21. *Et nunc, quia scio, quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc ecce noui, quòd regnando regnabis: & firmabitur in manu tua regnum Israel.* Ecce præmium, quod præuidebat Saul dandum à Deo Dauidi.

Vers. 22. *Et nunc iura mihi per Dominum, quòd non abscindes semen meum post me, & non auferes nomen meum de domo patris mei.*

Vers. 23. *Et iurauit Dauid Sauli.*] Libra hoc iuramentum, annotando materiam eius non se extendere, nisi ad duo: videlicet, ad non delendum semen Saulis, & ad non tollendum nomen Saulis è domo patris sui. Est autem inter hæc duo differentia: quia primum significat deletionem, tam masculorum, quàm fœminarum ex Saule; secundum autem deletionem nominis, siue ex naturali, siue ex legali successione.

Expenditur iuramentum Dauidis facium Sauli.

Abiitque Saul in domum suam; & Dauid, ac viri eius ascenderunt ad tutiora loca.

CAPVT XXV.

Vers. 1. MORTVVSQVE *est Samuel.*] Si Iosepho creditur, decimo octauo anno regni Saulis mortuus est Samuel.

Quando mortuus sit Samuel.

Et congregatus est totus Israel, & planxerunt eum nimis.] Superfluit, *nimis.*

Et sepelierunt eum in Rama in domo sua.] Hoc est, in sepulcro patris, & fratrum suorum: domus enim pro familia ponitur.

Domus, pro familia.

Surrexitque Dauid, & descendit in desertum Paran.

Erat autem vir in solitudine Maon.] Superfluit, *solitudine.* significatur enim, quòd vir iste habitabat in Mahon, quod est ciuitatis nomen.

Vers. 2. *Maon, ciuitatis nomen.*

Et posse illo erat in Charmel.] Quamvis Nabal habitaret in Mahon; oues tamen eius erant in Charmelo.

Et erat vir magnus valdè, & erant ei tria millia ouium, & mille capra: factumque dum tonderet oues suas in Charmel.

Vers. 3. *Et nomen viri erat Nabal; nomen verò vxoris eius Abigail: eratque illa mulier prudentissima & speciosa.*] Iuxta Hebræum habetur, *bona intellectu, & pulchra aspectu.* Laudatur enim & quoad prudentiam in anima, & quoad pulchritudinem in corpore.

Abigaïl prudens, & pulchra.

Porro vir eius durus, & pessimus, & malitiosus.] Iuxta Hebræum habetur, *& vir durus, & malus operibus.* Nec plures describuntur malæ conditiones illius; sed secundùm animum describitur durus, non cedens rationi ac persuasioni: secundùm verò opera describitur malus.

Nabal durus, & malus.

Et erat de genere Chaleb.

Vers. 4. *Audiuit autem Dauid in deserto, quòd tonderet Nabal oues suas.*

Vers. 5. *Et misit Dauid decem pueros: dixitque Dauid pueris: Ascendite in Charmel, & ite ad Nabal, & salutate eum nomine meo pacifice.*

Vers. 6. *Et sic dicetis.*] Deficit hic vna dictio, quæ interpretatur, vel viuus, vel dives, & propterea legendum est: *Et dicetis sic diuti.* magis enim quadrat proposito dives, quàm viuus.

Sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ, & omnibus quæcunque habes, sit pax.] Iuxta Hebræum habetur, *& tu pax, & domus tua pax, & omnia quæ tibi pax.* Modus est loquendi vsitatus tunc temporis: & nomine pacis, vt aliàs dictum est, comprehendunt omne bonum.

Salutationis Hebræorum modus.

Ex multis annis saluos faciens tuos, & omnia tua.] Superflua est hæc clausula: nam in Hebræo immediatè subiungitur:

Vers. 7. *Et nunc audiui, quòd tonsores tibi: nunc pastores, qui tibi fuerunt nobiscum, non ignominiæ affecimus eos, nec defuit eis quicquam omnibus diebus, quibus fuerunt in Charmel.*

Vers. 8. *Interroga pueros tuos, & annunciabunt tibi: inueniant ergo pueri gratiam in oculis tuis; quia in die bona venimus. Da, quæso, quod inuenerit manus tua seruis tuis, & filio tuo Dauid.*

Vers. 9. *Venerúntque pueri Dauid, & locuti sunt ad Nabal iuxta omnia verba hæc nomine Dauid, & quieuerunt.*

Vers. 10. *Respondit autem Nabal seruis Dauid, & dixit: Quis Dauid, & quis filius Iesse? Hodie multiplicati sunt serui, qui diuidunt se à facie dominorum suorum.*

Vers. 11. *Tollam ergo panem meum, & aquam meam, & carnes*

carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos non noui, vnde sint?] Refutatè ad ipsum Nabal intelligè insolitam, vnde sint vtpotè impertinentes.

Vers. 12. *Reuersique sunt pueri Dauid ad viam suam: & reuersi sunt, & venerunt, & annunciauerunt ei iuxta omnia verba hæc.*

Vers. 13. *Et dixit Dauid pueris suis: Accingite vnusquisque gladium suum. Et accinxit vnusquisque gladium suum, & accinxit etiam Dauid gladium suum: ascenderuntque post Dauidem circiter quadringenti viri, & ducenti manserunt ad vasa.*

Vers. 14. *Abigail autem vxori Nabal nunciauit puer vnus e pueris dicendo: Ecce misit Dauid nuncios è deserto ad benedicendum dominum nostrum, & insectatus est eos.*] Iuxta Hebræum habetur, & *fecit volare eos.* hoc est, expulit eos leues & celeres, tanquam aues expultas.

Fecit volare, *quid.*

Vers. 15. *Et homines boni satis.*] Legendum est, *boni nobis valde.* nam sic habetur Hebraicè.

Et non fuimus ignominia affecti, nec defuit nobis quidquam omnibus diebus, quibus ambulauimus cum eis, cum essemus in agro.

Vers. 16. *Murus fuerunt nobis tum nocte, tum die, omnibus diebus, quibus cum eis pauimus oues.*

Vers. 17. *Et nunc scito, & vide, quid facias: quia completa est malitia aduersus virum tuum, & aduersus domum tuam.*] Iuxta Hebræum habetur, *quia completum est malum ad dominum nostrum, & super omnem domum eius.* Prudens seruus prædicit, quòd ad finem perueniat malum imminens eorum domino.

Et ipse est filius Beis-tabal adloquendo ad eum.] Hebræo more appellatur filius Belial, hoc est, licentiæ absque iugo, qui quasi congenitam habet libertatem à iugo legis. Verùm non absolutè appellatur Nabal absque iugo, sed quoad hoc, quòd non potest quis ei loqui; hoc est, renuit audire bonas suggestiones. Et quadrat descriptioni tapud eum, quod erat durus.

Filius Belial, *quid.*

Vers. 18. *Festinauitque Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque aretes coctos.*] Iuxta Hebræum habetur, *& quinque oues saltas*, hoc est, paratas.

Et quinque sata polenta, & centum ligaturas racemorum passorum, & ducentas massas carycarum: & posuit super asinos.

Vers. 19. *Dixitque pueris suis: Transite ante me: ecce ego post vos venio. Et viro suo Nabal non indicauit.*

Vers. 20. *Cum ergo ascendisset asinum, & descenderet ad radicem montis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit ipsa equitans super asinam, & descendens in abscondito montis.* hoc est, per illam montis partem, quæ occultabatur venientibus ex alio monte, per quem descendebat Dauid: ad pedes enim vtriusque montis occurrerunt filio mulieris, Dauid, & Abigail.

Et ecce Dauid, & viri eius descendentes in occursum eius, & occurrit eis.

Vers. 21. *Et Dauid dixit: Verè frustrà.*] Iuxta Hebræum habetur: *Tantùm ad custodiam custodiui omnia, quæ huic in deserto, & nouit quid ex omnibus, quæ ei sunt quæri, & reddat mihi malum pro bono.* Scito more prius descriptum est factum numeris armatorum: deinde narratur ratio eundi: hanc enim ratio manifestatur narrando verba Dauidis, quæ dixit ab initio numeris, quando præcepit suis armari &c. Et dixit, *tantùm ad custodiam custodiui omnia res Nabal*, eò quod & ipsum Dauidem fefellit ratio, quæ habenda meritò erat officij eius erga tes Nabal, & ipse Nabal fallens fuit, pro quanto contumeliam reddidit pro officio.

Fictè, deinde facti ratio. *Nos vos tutes, supra.*

Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat.] Vers. 22.
Iuxta Hebræum habetur: *Sic faciet Elohim inimicis Dauidis, & sic addet.* Modus iurandi est per imprecationem malorum. Et nomine inimicorum Dauidis intelligo ipsummet Dauidem: alioquin nulla esset imprecatio mali, nullumque esset iuramentum.

Modus iurandi per imprecationem.

Sed oritur hîc quæstio, qua ratione licuerit Dauidi iurare se occisurum tot innocentes, qui erant in familia Nabal, propter ingratitudinem ipsius Nabal, & propter verborum iniuriam: *Quis est Dauid*, &c. Solutio est, quod Dauid peccauit manifestè contra legem diuinam in hac deliberatione iuramento firmata: nam diuina lege Deut. 24. prohibetur occidi filium pro peccato patris. Nec in crimine læsæ maiestatis licitum fuit occidere filium pro peccato patris, inferiùs in 4. lib. Reg. cap. 14. manifestatur.

Quomodo licuerit Dauidi iurare se occisurum innocentes propter Nabal.

Filius prohibetur occidi pro peccato patris.

Si reliquero ex omnibus, quæ sunt ei, vsque mane mingentem ad parietem.] Ad comprehendendam cladem omnium, etiam canes se occisurum dicit, vel etiam paruulos, se occisurum dicit: canes enim mingunt ad parietem, & mares humani generis.

Vidit autem Abigail Dauidem, & festinauit, & descendit de asino: procidítque coram Dauid super faciem suam, & adorauit in terra. Vers. 23.

Et cecidit ad pedes eius, & dixit: In me sit, domine mi, hæc iniquitas.] Iuxta Hebræum habetur: *Obsecro ego, domine mi, iniquitas.* Aduerbium præponit obsecrantis: deinde in sequentem reficit iniquitatem, veniam petendo, vt sibi condonetur peccatum viri sui. Vers. 24.

Et loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, & audi verba ancillæ tuæ.

Ne, quæso, ponat dominus meus Rex.] Superfluit, *Rex.* Vers. 25.

Cor suum super virum istum iniquum Nabal: quia secundum nomen suum, stultus est, & stultitia est cum eo.] Parùm refert, quòd Hebraicè habetur: *Ad virum Beli-tabal istum super Nabal: quia, sicut nomen eius, sic ipse: Nabal nomen eius, & ignominia cum ipso.* Aduerte, quòd Hebræi dicunt, quòd Nabal ab ignominia denominatur: quod manifestant ex pluribus Scripturæ locis: ita quòd Nabal sonat hominem, vt ita dicam, vituperosum: & hic sensus consonat conditionibus tuprascriptis Nabal.

Nabal ab ignominia denominatur.

Ego autem ancilla tua non vidi pueros domini mei, quos misisti.

Et nunc, domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te Dominus, ne venires in sanguinem, & saluauit animam tuam tibi.] Iuxta Hebr. habetur, *& facit seruare manum tuam tibi.* retinendo eam à percussione innocentum. Vers. 26.

Et nunc sint.] Iuxta Hebræum habetur, *& nunc erunt, sicut Nabal inimici tui, & quærentes domino meo malum.* Optantis verba sunt, vt inimici Dauidis subsint potestati eius, quemadmodum Nabal vita subdebatur potestati Dauidis.

Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: & da pueris, qui sequuntur te dominum meum.] Iuxta Hebraicum habetur: *Et nunc munus hoc, quod attulit ancilla tua domino meo, dabitur pueris ambulantibus ad pedes domini mei.* Rogat enim, vt munus illud detur societati Dauidis. Vers. 27.

Auferat

Vers. 28. *Aufer iniquitatem.*] Iuxta Hebræum habetur: *Lena, obsecro, rebellionem ancillæ tuæ.* Vtuntur Hebræi, vt aliàs diximus, eleuandi verbo pro ignoscere: & Abigail peccatum illud, tanquam suum, ignoscì petit.

Eleuare, pro ignoscere apud Hebr.

Quia faciendo faciet Dominus domino meo domum fidelem.] Rectius legeretur, *domum stabilem.* ad differentiam domus Saulis, cuius domus præuidebatur non futura stabilis in regno.

Quia prælia Domini dominus meus præliatur. Malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.] Iuxta Hebræum habetur, *& malum non inuenietur in te à diebus tuis.* De malo culpæ, quod posset impedire stabilitatem domus, est sermo. Reputabat enim (sicut & erat) malum culpæ forte occidere tot innocentes domus Nabal.

Vers. 29. *Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur quasi in impetu, & circulo fundæ.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexit homo ad sequendum te, & ad quærendum animam tuam: & erit anima domini mei ligata in ligamine vitarum cum Domino Deo tuo.* Hebræo more describitur in præterito persecutio, & salus in futuro: perinde ac si diceretur, quòd post persecutionem erit salus: & nihilominus iam surrexerat homo Saul ad persequendum Dauidem. Similitudo autem assumpta ad significandum salutem animæ Dauidis, & instabilitatem animæ inimicorum eius, consistit in disparitate inter reconditum in ligamine vitarum, seu viuorum, ex vna parte, & positum in medio plantæ fundæ ex altera parte: valde siquidem manifesta, & magna est inter hæc differentia: nam res recondita in ligamine, quo ligantur vitæ, seu viui, ad hoc reconditur, vt seruetur inter viuentes: quod verò ponitur in medio sedis fundæ, ad hoc ponitur, vt funda illud iaculetur. Vnde iuxta Hebræum legendum esset, *& animam inimicorum tuorum iaculabitur funda in medio planta fundæ:* quod antiquus Interpres circunlocutione explicauit.

Hebræi describunt in præterito persecutionẽ, & in futuro salutem.

Similitudo significans salutem Dauidis, & instabilitatem inimicorũ eius, expenditur.

Vers. 30. *Et erit, cùm fecerit Dominus domino meo secundùm omne, quod locutus est, bonum super te, & præceperit tibi, vt sis dux super Israel.*

Vers. 31. *Non erit hoc tibi in singultum, & in scrupulum.*] Iuxta Hebræum habetur *in offensionem, & in offendiculum cordis domino meo.* Mala, quæ sequerentur ex hac clade proponit, quorum primum est internum offendiculum cum offensione, discurrenti animo per ea, quæ gessit opera: prædicit enim, quòd quando regnabit, & in corde suo, tanquàm ambulans, inquiret opera, quæ fecit, discutiendo illa, non inueniet offendiculum huius cladis.

Quòd effuderis sanguinem innoxium. Iuxta Hebræum habetur, *& ad effundendum sanguinem gratis.* Alterum malum, quod sequeretur, proponit; videlicet, effundere sanguinem gratis; hoc est, sine merito: nullus enim merebatur puniri, nisi Nabal. Et est ordo literæ: Et non erit hoc tibi ad offensionem, &c. & non erit hoc tibi ad effundendum sanguinem gratis.

Aut ipse te vltus fueris.] Iuxta Hebræum habetur, *& ad faciendum seruare dominum meum sibi.* Affirmatiuè intelligenda est hæc particula: & est sensus: Et erit ad faciendum seruare Dominũ meum sibi. Post proposita siquidem mala, quæ sequerentur ex hac clade, proponit bona, quæ sequentur ex abstinentia ab ista clade, quorum primum est, quòd seruabit dominum meum sibi; hoc est, seruabit dominum meum proprio bono, quod est bonum animæ. Et dicit hoc, quemadmodum priùs dixerat: *Et facis seruare manum tuam tibi.*

Cùm benefecerit.] Iuxta Hebræum habetur, *& benefaciet Dominus domino meo.*] Alterum subiungitur bonum futurum hinc: deinde immediatè subiungitur conclusio:

Et recordaberis ancillæ tuæ.] Nec habetur in Hebræo, *& tu benefacies ei*, quod vulgata habet editio. Vers. 32.

Et ait Dauid ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum mei, & benedictum eloquium tuum.

Et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne venirem in sanguinem, & saluasti manum meam mihi. Vers. 33.

Et profectò viuit Dominus Deus Israël, qui prohibuit me, ne malefacerem tibi: quòd nisi festinasses, & venisses in occursum mei, non remansisset Nabali vsque ad lucem matutinam mingens ad parietem. Vers. 34.

Et tulit Dauid de manu eius, quod attulerat ei, dixítque ei: Ascende in pace in domum tuam: ecce audiui vocem tuam, & honorauì faciem tuam.] Paruì refert, quòd Hebraïce habetur: *Vide, audiui vocem tuam, & eleuaui faciem tuam.* Sensus enim in idem redit. Laudabiliter autem Dauid mutauit sententiam: tum, quia iniusta fuerat quoad innocentes: tum, quia impeditiua erat maioris boni occisio Nabal: longè siquidem maius bonum fuit clementia, quàm fuisset vindicta in personam Nabal, quantuncunque licita. Vers. 35.

Laudabiliter mutat Dauid sententiam.

Clementia melior, quàm vindicta.

Venitque Abigail ad Nabal: & ecce erat ei conuiuium in domo eius, sicut conuiuium Regis, & cor Nabal iucundum in eo: erat enim ebrius nimis.] Iuxta Hebræum habetur, *& ipse ebrius vsque valdè.* ad explicandum, quòd non erat parum ebrius. Vers. 36.

Et non indicauit ei verbum paruum, & magnum vsque ad lucem matutinam.

Diluculò autem cùm digessisset vinum Nabal.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit in mane in exitu vini à Nabal.* non enim significatur diluculum. Vers. 37.

Indicauit ei vxor eius verba ista: & mortuum est cor eius in medio eius.] Mors cordis appellatur, tam mala dispositio interna in animo, vt tanquam mortuus animus fuerit sine opere, & sine resipiscentia, & redundauerit in partes corporis vitales.

Mors cordis, qua dicatur.

Et factus est quasi lapis.] Destituta corpus à corde non effundente vires suas, fuit frigidum, ac immobile quasi lapis.

Cúmque pertransissent circiter decem dies, percussit Dominus Nabal.] Iuxta Hebræum habetur: *Mortificauit Iehouah Nabal, & mortuus est.* Et scriptum est hoc ad tollendam omnem suspicionem humanæ interfectionis. Vers. 38.

Et audiuit Dauid, quòd mortuus esset Nabal, & dixit: Benedictus Dominus, qui vindicauit causam opprobrij mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & malum Nabal reddidit Dominus in caput eius.] Gratias agit Deo de iustitia, non de morte Nabal. Vers. 39.

Misitque Dauid, & locutus est ad Abigail, vt sumeret eam sibi in vxorem.

Et venerunt serui Dauid ad Abigail in Charmel: & locuti sunt ad eam dicendo: Dauid misit nos ad te, vt accipiat te sibi in vxorem. Vers. 40.

Vers. 41. *Quæ surrexit, & adorauit prona in terram, & ait: Ecce ancilla tua in ancillam ad lauandum pedes seruorum domini mei.*] Absentem tanquam præsentem Dauidem alloquitur.

Vers. 42. *Festinauitque, ac surrexit Abigail, & equitauit super asinum, & quinque puellæ eius ambulabant ad pedes eius: & iuit post nuncios Dauid, & fuit ei in uxorem.*

Vers. 43. *Et Achinoham tulit Dauid de Iezrahel, & fuit utraque in uxorem eius.*] Vide quanta erat promitas, quantúmve studium Hebræorum ad generandum, vt etiam inter vagandum per speluncas **multiplicauerint vxores.**

Hebræi quàntum proni ad generandum.

Vers. 44. *Saul autem dedit Michal filiam suam uxorem Dauid; Palti filio Lais, qui erat de Gallim.*]

CAPVT XXVI.

Vers. 1. IT *venerunt Ziphæi ad Saulem in Ghibbam dicendo.*] Ecce iterum Ziphæi, quanuis eiusdem essent Tribus, cuius erat Dauid, sollicitant Saulem contra Dauidem.

Ecce Dauid absconditus est in colle Chachila, quæ est ex aduerso solitudinis.] Iuxta Hebræum habetur, *super faciem Iesimon.* Nomen est proprium loci, & idem est nomen, cùm iterum repetitur solitudinis, describendo locum, in quo castrametatus est Saul.

Vers. 2. *Et surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph, & cum eo tria millia virorum electorum Israelis: ad quærendum Dauidem in deserto Ziph.*

Vers. 3. *Et castrametatus est Saul in colle Chachila, quæ est super faciem solitudinis iuxta viam: Dauid autem manebat in deserto, & vidit, quod venisset Saul post se in desertum.*

Vers. 4. *Misitque Dauid exploratores, & cognouit, quòd venisset Saul certissime.*] Quæritio subnitur: Si vidit, quare misit ad explorandum; & si misit ad explorandum, quomodo verificatur, quòd vidit? Solutio est, quòd vidit à longe multitudinem venientem post se: sed non erat certus, an illa multitudo, quam venisse viderat, esset multitudo Saulis cum ipso: & propterea vtrumque verificatur: & quòd vidit, & quòd misit exploratores, vt certior fieret.

Quomodo Dauid miserit ad explorandum, & vidit.

Vers. 5. *Et surrexit Dauid, & venit ad locum, in quo castrametatus erat Saul, & vidit Dauid locum, vbi iacebat Saul, & Abner, filius Ner, Princeps militiæ eius: Saul, iacebat in tentorio.*] Hebraice non significatur explicitè tentorium, sed quid rotundum: per quod intelligo rotundum tentorium, quasi conopeum: eidémque dictio repetitur inferiùs, vbi repetitur tentorium.

Vers. 6. *Et populus castrametatus erat per circuitum eius.*

Respondítque Dauid, & dixit ad Achimelech Chittheum, & ad Abisai filium Zeruiæ, fratrem Ioab, dicendo: Quis descendet mecum ad Saul ad castra? Et dixit Abisai: Ego descendam tecum.

Vers. 7. *Venerunt ergo Dauid, & Abisai ad populum nocte: & ecce Saul iacebat dormiens in tentorio, & lancea eius fixa erat in terra ad caput eius, & Abner, & populus iacebant per circuitum eius.*

Vers. 8. *Dixitque Abisai ad Dauid: Conclusit Deus hodie inimicum tuum in manu tua.*] Nomen est Eluhim, congruum proposito.

Et nunc percutiam eum, quæso, in lancea, & in terra semel, & non iterabo ei

Et dixit Dauid ad Abisai: Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?] Semper Dauid fixum in corde, & in ore habuit honorem summi Dei, adeò vt innocentem nullum censuerit, qui in vnctum à Deo manus extenderit. Vers. 9.

Dauid semper corde, & ore coluit Deum.

Et dixit Dauid: Viuit Dominus, nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, & moriatur, aut in prælium descenderit, & perierit. Vers. 10.

Propitius mihi sit Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Absit mihi à Iehouah.* vt superiùs expositum est. Verùm subnungitur: Vers. 11.

A mittendo manum meam in Christum Domini.] hoc est, si mittã manũ meã in Christum Domini.

Et nunc tolle, quæso, lanceam, quæ est ad caput eius, & scyphum aquæ, & abeamus.] Legendum est, *& ibimus nobis.* hoc est, ad nostrum bonum.

Tulitque Dauid lanceam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saulis, & abierunt sibi: & non fuit videns, nec cognoscens, nec euigilans, sed ipsi omnes dormiebant; quia sopor Domini inuerat super eos.] Vide assistentiam diuinam benignitati Dauidis. Vers. 12.

Deus assistit benignitati Dauidis.

Et transiuit Dauid in aduersum, & stetit super verticem montis ad longè: magnum interuallum erat inter eos. Vers. 13.

Clamauítque Dauid ad populum, & ad Abner, filium Ner, dicendo: Nonne respondebis, Abner? Respondit Abner, & dixit: Quis es tu, qui clamas, & inquietas Regem?] Parui refert, quod Hebraicè habetur: *Quis tu clamasti ad Regem?* proculdubiò excitandum tuo clamore. Vers. 14.

Dixit autem Dauid ad Abner: Nonne vir es tu? & quis sicut tu in Israel? & cur non custodisti dominum tuum Regem? venit enim vnus è populo ad perdendum Regem dominum tuum. Vers. 15.

Non est bonum hoc, quod fecisti: vivit Dominus, quod filij mortis vos, qui non custodistis dominum vestrum Christum Domini.] Occurrit quæstio, quomodo verificantur hæc verba Dauidis iuramento firmata: quoniam non erant digni morte, quos sopor immissus à Deo oppresserat, ne sentirent venientes ad Regem. Solutio est, quòd quanuis custodes Regis excusabiles essent ex parte eorum, propter soporem immissum à Deo; ex parte tamen actus erant digni morte: quoniam omissio custodiæ Regis ex proprio genere damnabilis est, & digna morte, relatiue ad eos, qui deputati sunt ad custodiam Regis dormientis: & sic verificantur verba Dauidis. Vers. 16.

Quomodo custodes Saulis soporati a Deo, dicantur tamen à Dauide digni morte.

Et nunc vide, vbi sit lancea Regis, & scyphus aquæ, qui erat ad caput eius.

Cognouit autem Saul vocem Dauidis, & dixit: Vers. 17.
Nonne vox tua hæc, fili mi Dauid?

Et dixit Dauid: Vox mea est, domine mi Rex. Et ait: Cur persequitur dominus meus seruum suum? quid enim feci, & quod est in manu mea malum? Vers. 18.

Et nunc audiat, quæso, dominus mens Rex verba serui sui: si Dominus incitat te contra me, odoretur sacrificium. Vers. 19. Iuxta Hebræum habetur, *si rabbi mumi.* Et est sensus: Placebit Deo persecutio, qua me persequeris; quem adpeditum placet ei munus, quod ei offerturi.

Et si filij hominum, maledicti sunt coram Domino: quia eiecerunt me hodie ab habitatione in hæreditate Domini dicendo: Vade, serue Dijs alienis. Vers. 20.

Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc non cadet sanguis meus in terram à co-*

ram

ram facie Iehouah. Ad immediatè præcedentia verba osorum Dauidis hæc sententia refertur:& est sensus,quòd,quanuis illi me eiecerint,vt seruiam Diis alienis;non tamen etunt voti compotes:quia à coram facie Domini,(hoc est, à tribunali diuino.) non cadet sanguis meus in terram: vtpote,qui nunquam seruiam Diis alienis.

Dauid se perdici comparat.

Quia egressus est Rex Israel ad quærendum pulicem vnum, sicut persequitur perdix.] Legendum est,*perdicem in montibus.* comparat enim se perdici, & Regem persecutori perdicis.

Vers. 21. *Et ait Saul : Peccaui, reuertere, fili mi Dauid, quia non malefaciam tibi amplius, eo quod pretiosa fuit anima mea in oculis tuis hodie:apparet enim, quòd stultè egerim, & ignorauerim multa nimis.*] Legendum est, *ecce insanimi, & erraui multùm valdè.* Recordatus,quòd alias simile beneficium receperat à Dauide,fatetur, non solùm se errasse, sed etiam insanisse multùm valdè, persequendo iterum Dauidem.

Vers. 22. *Respondítque Dauid, & dixit : Ecce lancea Regis : transeat vnus de pueris,& tollat eam.*

Vers.23. *Dominus autem reddat vnicuique iustitiam suam, & fidem suam : quia tradidit te hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Christum Domini.*

Vers. 24. *Et ecce, sicut magnificata est anima tua in oculis meis hodie : sic magnificetur anima mea in oculis Domini,& liberet me de omni angustia.*

Vers.25. *Aitque Saul ad Dauid ; Benedictus tu, fili mi Dauid,etiam faciens facies, & etiam potens poteris: & iuit Danid in viam suam,& Saul reuersus est in locum suum.*]

CAPVT XXVII.

Vers. 1. ET *ait Dauid in corde suo : Aliquando incidam vna die in manus Saul.*]Iuxta Hebræum habetur : *Nunc consumar die vno in manu Saulis.* Manifestè timet aliquo die se occidendum à Saule. Sed oritur quæstio, quomodo Dauid dubitauerit se occidendum à Saule:quia huiusmodi dubium redundabat in iniuriam diuinæ reuelationis, quòd ipse esset futurus Rex Israël. Solutio est, quòd absque iniuria diuinæ reuelationis licuit Dauidi dubitare de euentu incidendi in manus Saulis : quoniam dubitare poterat de mutatione diuinæ sententiæ ex propriis demeritis ; quemadmodum mutatam intellexerat diuinam sententiam de regno Saulis : agnoscebat siquidem Dauid peccata propria:& inde rationem habebat timendi, ne mutaretur diuina sententia de regno ipsius manifestata ei per Samuelem.

Quomodo Dauid dubitauerit se occidendum à Saule.

Nonne melius est, vt fugiam, & saluer in terra Philisthinorum.] Iuxta Hebræum habetur:*Nonne mihi bonum,quòd euadendo euadam in terram Philisthim.* & nihil dicitur de fuga.

Vt desperet Saul, cessetque me quærere in cunctis finibus Israël.]Iuxta Hebræum habetur, *& fastidiam ego Saulem ad quærendum me adhuc in omni termino Israël, & euadam è manu eius ?* Sententia est clara : & sic iacet in Hebræo : nisi quòd dictio interpretata, *euadam*, interpretanda esset passiuè : putà euasus ero, si liceret dicere.

Vers.2. *Et surrexit Dauid, & transiuit ipse, & sexcenti viri, qui erant cum eo ad Achis, filium Maahuch, Regem Gath.*] Ideò iste Achis describitur filius Mahuchini fallor,vt insinuetur, quòd non est illemet Achis Rex Geth,qui expulerat Dauidem, tanquàm insanum, iuxta scripta superius in cap. 21.

Quis hic Achis fuerit.

Et habitauit Dauid cum Achis in Gath, ipse & viri eius,vnusquisque cum domo sua : Dauid, & duæ vxores eius, Achinoham Iezrechelitis, & Abigail,vxor Nabal Charmelitis. Vers.3.

Et nunciatum est Sauli, quòd fugisset Dauid in Gath : & non addidit vltrà quærere eum. Vers.4.

Dixit autem Dauid ad Achis : Si,quæso, inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locum in vna ex ciuitatibus regionis,& habitabo ibi : cur enim manet seruus tuus in ciuitate regia tecum? Vers.5.

Deditque ei Achis in die illa Zic-lag : propter quod fuit Zic-lag Regibus Iehudæ vsque ad diẽ hanc. Vers.6.

Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philisthinorum, quatuor mensium.] Vers.7.

Quãdiu habitauerit Dauid in terra Philisthinorũ.

Iuxta Hebræum habetur, *annus, & quatuor menses.* Veruntamen scito, quòd dictio interpretata, *annus*, anceps est ad annum, vel dies : & propterea ambiguum restat tempus,quo Dauid mãsit apud Philisthinos:cõsiderata tamen mora Dauidis priùs in ciuitate Geth, (ita quòd & habitauit priùs in Geth,& posteà transtulit se ad habitandum in Siceleg,)cum tot excursionibus ex Siceleg partatis, & visitationibus Regis cum muneribus ex prædis ; rationi consentaneum videtur,vt intelligamus,non quatuor menses,& aliquot dies;sed annum, & quatuor menses.

Et ascendit Dauid,& viri eius, & agebant prædas de Gheseuri,& de Ghezre, & de Hamalecitis.] Vers.8.

Iuxta Hebræum habetur, *& extenderunt se ad Gheseuritam,& Ghirzitam.* proculdubiò per modum excursionis aggredientes,& prædantes.

Et Hamalecitam.] Ex subiunctis clare habetur, quòd contra istos Hamalecitas Saul non pugnauit:quia isti non habitabant in regno Hamalec,sed in terra promissionis, nec fuerant participes criminis regni Hamalec, quod surrexit aduersùs Israël in egressu ex Ægypto, antequàm peruenirent ad montem Sinai.

Hi enim pagi habitabant in terra antiquitus.] Iuxta Hebræum habetur : *Quia ipsi habitantes terram à sæpe,veniente te Sur,& vsque ad terram Ægypti.* Ratio redditur,quare in istos potiùs quã in alios extendebat se Dauid,& sui : quia, videlicet,isti erant habitantes terram à sæpe,hoc est, sine perturbatione bellorum semper perseuerantes in quietibus suis securi. Occurrit quæstio,qua ratione licuit Dauidi prælíari aduersùs istos quiescentes in propriis locis à sæculis. Solutio est,quòd isti habitasse dicuntur infra terminos terræ promissionis ,& propterea dati à Deo in hostes Israëlis:& hinc licuit Dauidi inuadere eos ad subueniendũ necessitatibus populi, qui erat cum eo.

An licuerit Dauidi præliari aduersùs degentes in propriis locis à sæculis.

Et percutiebat omnem terram illorum,] Iuxta Hebræum habetur : *Et consumet Dauid terram.* proculdubiò diripiendo eam. Vers.9.

Et non relinquet viuentem virum, & mulierem.] Intellige ex iis,quos capiebat.

Et tollat oues, & boues, & asinos,& camelos , & vestes,& reuersus est,& venit ad Achis.

Dixitque Achis: In quem irruistis hodie ? Et dixit Dauid : Contra Meridiem Iehuda , & contra Meridiem Ierachmeelt,& contra Meridiem Cens.] Vers. 10.

Mentitur Dauid.

Mendaciũ dicebat:& ex tot fictis locis innuitur, quòd pluries Dauid reuersus est ad Regem repetentem interrogationem : *In quem irruistis hodie?* quæ tamen interrogatio Hebraice scribitur: *Quo extendistis vos hodie?* non enim vno,& eodem die

fuisse in tot loca videtur. Si quæritur, qua ratione excusatur Dauid à mendacio pernicioso, imponendo sibipsi peccatum mortale, videlicet, direptionem Iudææ. Solutio est, quòd direptio Iudææ à Dauide, quatenus fuisset ab inimico, vt Achis reputabat, non erat mortale peccatum ex proprio genere; sed poterat, & esse, & existimari iusta: puta, si Dauid habuisset iustum bellum contra Iudæam: & quia Dauid tanquàm inimicum Iudææ se fecisse hæc dicebat, ideò non mentiebatur contra famam propriam, sed officiosè.

Quomodo excusetur Dauid à mendacio pernicioso.

Vers. 11. *Virúmque, & mulierem non viuificabit Dauid, nec adducet in Gath.*] Iuxta Hebræum habetur: *Ad faciendum venire in Gath, dicendo: Ne forte nuncient contra nos dicendo: Sic fecit Dauid.* Ratio redditur, quare Dauid occidebat hostes; videlicet, ne viuentes venirent in Geth accusantes Dauidem. Et hinc insinuatur, quòd inter Philisthinos, & illos, quos diripiebat Dauid, non erat inimicitia.

Et hæc fuit consuetudo eius omnibus diebus, quibus habitauit in regione Philisthinorum.

Vers. 12. *Et credidit Achis Dauidi dicendo: Multa enim malis operatus est contra populum suum Israel.*] Iuxta Hebræum habetur: *Fœtidando fœtuit eum populus eius Israel, & erit mihi in seruum semper.* Ex tot direptionibus patratis in Israël à Dauide intulit, quòd fœtidio habebat populum Israël, ac per hoc esset sibi futurus semper seruus.

CAPVT XXVIII.

Vers. 1. IN *fuit in diebus illis congregauerunt Philisthim castra sua in exercitu, vt pugnarent contra Israel: dixitque Achis ad Dauid: Sciendo scies, quod mecum egredieris in castra tu, & viri tui.*

Vers. 2. *Et dixit Dauid ad Achis: Nunc scies.*] Iuxta Hebræum habetur: *facè tu scies, quæ faciet seruus tuus. Atque Achis ad Dauid: Ideo custodiam te capitis mei omnibus diebus.* Occurrunt autem hîc duæ quæstiones: altera de verbis, altera de intentione Dauidis. Circa verba quidem, quia præcipua fuit, & a Rege intellecta in hoc sensu, videlicet, quæ faciet seruus tuus contra inimicos tuos: nam respondit Rex: *Ideo custodiam te capitis mei omnibus diebus.* Circa intentionem verò Dauidis an ipse intenderet pugnare aduersus populum Israel, vt subiuncta verba eius ad Achis Regem mandantem, vt recedat à castris, sonant in cap. sequenti, an intenderet pugnare aduersus Philisthinos. Et est ratio dubij: quia Dauidem pugnare aduersus populum Israel, nefas erat: agere verò aduersus Achis Regem, erat ingrati, & proditoris. Solutio secundæ quæstionis est, quòd intentio Dauidis non innotescit nobis, nisi ex operibus: relatantur autem facta, quòd Dauid non intendebat pugnare aduersus Israël: nam audita in Secelag clade Israëlis, & morte Saulis scidit vestimenta sua, fleuit, & ieiunauit, & vindicauit mortem Saulis occidendo eum, qui dixerat, se interfecisse Saulem. Quod autem intenderit proditoriè conuertere arma in Philisthinos, ex aliis ab eodem factis non redditur merediuie: nam & ingratissimus fuit Ionathæ, præsando filium eius medicinæ bonorum: & simul ingratus deuoto, ac fort illino militi Vriæ, eiusdémque proditor fuit interficiendo eum gladio Hammonitarum. Multò ergo magis, & ingratus, & proditor Achis infidelis, & hostis populi Dei fuisset, arbitrans obsequium Deo se præstare, conuertendo arma aduersùs Philisthinos. Solutio autem primæ quæstionis est, quòd Dauidis verba ex industria fuerunt prægnantia, vt vnum intelligeret Achis, & aliud intenderet ipse. Nec obstant subiuncta in sequenti cap. quoniam, postquàm Dauid vidit, se non iturum ad bellum, simulauit se inuitum recedere iactando, quod fecisset contra inimicos Regis, &c. vt bonam gratiam Regis erga se, & seruaret, & augeret.

Duæ quæstiones, una de verbis, & altera circa intentionem Dauidis. Circa verba quæstio resoluitur.

Vers. 3. *Samuel autem mortuus est, planxitque eum totus Israel, & sepelierunt eum in Rama, & in ciuitate sua.*] Commemorant priùs scripta mors Samuelis, ad manifestandum tempore, quo Saul desertus fuit à Deo, fuisse etiam destitutum ope Samuelis vtpote mortui.

Et Saul abstulit Magos, & Hariolos de terra.] Intelligo per Magos, & Hariolos, omnes incantatores, quocunque appellentur nomine: & in hoc reluceat magnum Saulis studium erga veram religionem.

Magi, & Hariolí, appellantur omnes incantatores.

Saulis studium erga religionem

Vers. 4. *Congregatique sunt Philisthim, & venerunt, & castrametati sunt in Sunem: & congregauit Saul totum Israel, & castrametati sunt in Gelboah.*

Vers. 5. *Et vidit Saul castra Philisthim, timuitque, & expauit cor eius valdè.*

Vers. 6. *Consuluitque Saul Dominum, & non respondit ei Dominus, neque per somnia, neque per Sacerdotes.*] Iuxta Hebræum habetur, *vrim*, hoc est, illuminationes.

Neque per Prophetas.] Et quòd non sit sermo de pectorali Pontificis, habetur ex hoc, quòd Ab-iathar filius Pontificis interfecti à Saule tulerat secum Ephod, fugiens ad Dauidem, nec aliquis post cladem Sacerdotum legitur functus apud Saulem Pontificis officio. Est itaque sensus literæ, quòd neque per reuelationem in somniis, neque per apertam reuelationem in vigilia, neque per imputationem Prophetarum responsum acquod obtinuit Saul à Deo.

Quomodo Saul nullum responsum à Deo obtinuit.

Vers. 7. *Dixitque Saul seruis suis: Quærite mihi mulierem habentem Pythonem, & ibo ad eam, & sciscitabor per eam.*] Non est facienda vis in Pythonis vocabulo, quoniam Græcum est: Hebraïcè autem nihil certi habeo, nisi quòd quædam incantationis species ad diuinandum per apparitionem mortuorum significari videtur: hoc enim subiuncta insinuant. Si quæris, quomodo Saül huiusmodi mulierem quæsierit, cùm ipse euulserit eas è terra? in promptu est responsio, quòd Saul vir prudens cogitabat id quod communiter accidit, videlicet, remanere semper aliquem occultum, qui non defecit ad Cutiam.

Pytho, quid.

Quomodo Saul Pythonem quæsierit, qui ex terra expulserat.

Et dixerunt serui eius ad eum: Ecce mulier habens Pythonem in Hendor.

Vers. 8. *Et mutauit Saul habitum suum, & induit se vestimentis alijs.*] tum vt liceniùs Rex iret hinc regali comitatu, tum ne agnosceretur à muliere.

Et abiit ipse, & duo viri cum eo, & venerunt ad mulierem nocte: & dixit: Diuina, quæso, mihi in Pythone, & suscita mihi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fac ascendere mihi, quem dicam tibi.* Ex hac petitione apparet, quòd ille diuinandi modus nebat ascensu alicuius defuncti; vtrunque enim hîc dicitur: Et diuina mihi in hoc, & fac ascendere, quem dicam tibi.

Quomodo per Pythonem diuinabatur.

Et ait mulier ad eum: Ecce tu nosti, quæ fecit Saul:

Vers. 9. *qui*

qui eraſit Magos, & Hariolos de terra: quare ergo inſidiaris animæ meæ, vt occidar? Iuxta Hebræum habetur, *& quare tu offendens in animam meam ad faciendum mori me?* Sic ſonat Hebraïca litera: videlicet, quare tu tanquàm ceſpitans in vitam meam, efficere vis, vt occidar? hoc eſt, ceſpitatio tua à religione eſt in malum vitæ meæ: quare ergo vis me mori?

Verſ. 10. *Et iurauit ei Saul in Domino dicens: Viuit Dominus, quòd non eueniet tibi quicquam mali.*] Iuxta Hebræum habetur, *iniquitas.* hoc eſt, imputatio ad iniquitatem.

Propter hanc rem.

Verſ. 11. *Dixitque ei mulier: Quem ſuſcitabo tibi?*] Iuxta Hebræum habetur: *Quem faciam aſcendere tibi?* Nullum eſt verbum ſuſcitationis: & ſimiliter cùm ſubiungitur:

Et dixit: Samuelem ſuſcita.] Iuxta Hebræum habetur. *Fac aſcendere mihi.* non enim reputabant reſurgere mortuos, ſed apparere eorum ſpiritus.

Verſ. 12. *An anima Samuelis, an verò Dæmon ſub ſpecie ipſius apparuerit Sauli.*

Vidítque mulier Samuelem, & clamauit voce magna.] Antiqua occurrit quæſtio (à priſcis etiam Doctoribus diſcuſſa, & adhuc ſub iudice manẽs) an verè fuerit anima Samuelis, an Dæmon ſub ſpecie animæ Samuelis. Et præcipua dubitandi ratio eſt: quia hinc Scriptura nominat Samuelem clarè dicendo: *Et vidit mulier Samuelem.* idémque ſæpè repetit: inde autem certum eſt, quòd nulla incantationis ars extenditur ſuper animas Sanctorum. Solutio eſt, quòd tam textui, quàm rationi quadrat, vt verè fuerit anima Samuelis: Scripturæ quidem; quia & hic Samuelem viſum eſſe dicit; & quia ille, qui apparuit, manifeſtè teſtatur, ſe eſſe Samuelem dicendo Sauli: *Quemadmodum locutus eſt Dominus in manu mea.* hoc enim nón poteſt verificari niſi de ipſo Samuele. Ieſus quoque Sirach Eccleſiaſtici 46. clarè dicit, fuiſſe animam Samuelis, deſcribendo de eo: *Et poſt hæc dormiuit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ*, &c. Nec propterea ſequitur, quòd ars magica extenſa fuerit ad animam ſancti Samuelis: ſed quòd, quemadmodum exercente Balaham incantationes ſuas, apparuit Deus illi, (non vi incantationum, ſed præoccupans & impediens incantationis effectum, vt declaratum eſt ibidem:) ita exercente muliere incantationes ſuas præoccupauit Deus, mittendo animam Samuelis, ac impediendo incantationis effectum. Et hæc eſt ratio ex Scriptura ſumpta, cui quadrat, quòd fuerit verè Samuelis anima. Nec mirum eſt, quòd Deus negauerit reſpondere Sauli interroganti eum; & tamen reſponderit interroganti per Magos: quoniam & inuito Balaham, & Regi Moab reuelauit, quæ vtrique diſplicebant; & ſimiliter non interrogatus à Saule, obtulit reſponſionem non quæſitam Sauli diſplicentem: obtulit autem & certam de futuris contingentibus, qualem Dæmon dare non potuiſſet: & hoc ad initium punitionis æternæ.

Nulla incantatio extenditur ſuper animas Sanctorum.

Cur Deus non reſponderit Sauli interroganti eum; & tamen reſponderit interroganti per Magos.

Et dixit mulier ad Saulem dicendo: Cur impoſuiſti mihi, & tu Saul.] Occultus nobis eſt modus, quo mulier ex viſo Samuele agnouit Saulem: Scriptura enim nullam aliam viſionem, nullam reuelationem refert mediam: ſed, poſtquàm ſcriptum eſt: *Et vidit mulier Samuelem.* immediatè ſubiungitur: *Et clamauit voce magna*, &c.

Verſ. 13. *Dixítque ei Rex: Noli timere.*] Amicum valdè fuit Interpreti verbum, *noli*: infinities enim illud apponit, vbi non habetur. Vnde legendum eſt: *Non timebis.* Et hinc patet, quòd clamor mulieris fuit ex timore Regis: propter quod Scriptura dicit ſignificanter: *Et dixit ei Rex: Non timebis.* vt regia affirmatione ſecuram reddidiſſe mulierem ſignificaret.

Quid vidiſti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi.] Iuxta Hebræum habetur: *Elohim vidi aſcendentes de terra.* Quia *Elohim* numeri eſt pluralis, ideò dixit *aſcendentes*: cùm tamen vnum viderit, ſed veneranda ſpecie: & propterea honorabiliter loquens, iuxta morem illius temporis, appellat eum in numero plurali *Elohim aſcẽdẽtes.*

Honorabilis modus loquendi apud Hebræos.

Dixítque ei: Qualis eſt forma eius?] Iuxta Hebræum habetur: *Quis aſpectus eius?* Intellexerat Saul venerandam apparuiſſe perſonam, & quærit de ſpecie apparente illius. Verſ. 14.

Et ait: Vir ſenex aſcendens, & ipſe amictus pallio.] Hinc manifeſtè habetur, quòd vnus fuit, qui apparuit, quem mulier appellauerat *Elohim aſcendentes.*

Quomodo Saul adorauit Samuelẽ.

Cognouítque Saul, quòd Samuel eſſet, & inclinauit faciem in terram, & adorauit eum.] hoc eſt, honorauit eo modo, quo Principes honorantur. Verſ. 15.

Dixítque Samuel ad Saul: Quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer?] Iuxta Hebræum habetur: *Quare feciſti mouere me faciendo aſcendere me.* Verum dicit: quia occaſionaliter fecerat mouere ipſum, & aſcendere, quanuis non efficaciter: quoniam ſolus Deus potuit efficaciter mouere animam Samuelis ad huiuſmodi apparitionem.

Et ait Saul: Coarctor nimis.] Iuxta Hebræum habetur: *Anguſtatus ſum valdè.*

Et Philiſthim pugnant contra me, & Deus receſſit à me, & non reſpondit mihi, neque per manum Prophetarum, neque per ſomnia: & vocaui te.] Et rationem anguſtiæ manifeſtat, hinc Philiſthinorum bellum, inde receſſum Elohim à ſe, non reſpondendo ei vlla via: & propterea inter has anguſtias vocauit Samuelem.

Samuel apparens Sauli non reſponder, quid facturus eſſet, ſed quid paſſurus.

Vt oſtenderes mihi, quid faciam.] Aduerte, prudẽs lector, etiã hinc haberi, quod diximus, videlicet, quòd Deus impediuit effectũ incantationũ: & Sauli obtulit Samuelis animam non reſpondentem quæſito; non indicantem Sauli, quid facturus eſſet, (quod ipſe petebat;) ſed indicantem eidẽ, quid paſſurus eſſet, quod ipſe nolebat.

Et ait Samuel: Et cur interrogas me, & Dominus receſſit à te, & tranſiuit ad emulum tuũ?] Iuxta Hebr. habetur: *Et fuit inimicus tuus?* Deus ipſe manifeſtatur à Samuele inimicus Saulis: & ſi Deus contra eum, quis pro eo? Nec mireris, Deum dici inimicum Saulis: quia ſcriptum eſt, quòd Altiſſimus odio habet peccatores. Verſ. 16.

Deus quomodo inimicus Saulis.

Et faciet.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit Dominus tibi, ſicut locutus eſt in manu mea.* Decretum pro facto dicit, quia irreuocabiliter decretum erat. Verſ. 17.

Et ſcindet.] Iuxta Hebræum habetur, *& ſcidit Dominus regnum de manu tua.* Imminens enim tunc ſciſſio regni ſubſecuta ſtatim, dum Dauid factus eſt Rex ſuper Iudam, habetur pro facta. Et ſimiliter cùm ſubiungitur:

Et dabit.] ſcribitur, *& dedit illud proximo tuo Dauidi.* ratione ſupradicta.

Verſ. 18. *Quia non obediſti voci Domini, nec feciſti iram furoris eius in Amalec; idcirco hoc fecit tibi Dominus hodie.*] Mirabilia ſunt iudicia Dei, quòd vnicum, ac non grauiſſimum peccatum Saulis imputatum illi ſit ad tam grauem pœnam; & multò maiora peccata Dauidis non fuerint ad huiuſmodi pœnam imputata.

Iudicia Dei ſunt mirabilia.

Vers.19. *Et dabit Dominus etiam Israel tecum in manum Philisthim.*] vtpote cum quo peccasti parcendo rebus bonis Hamalecitarum.

Et eras,tu,& filij tui eritis mecum.]hoc est, inter defunctos eritis.

Etiam castra Israel dabit Dominus in manum Philisthim.] Prius dixerat,quòd dabit Israel in genere, modò dicit in specie de castris Israël. Rursus prius dixit: *Et dabit Israel.* non explicando tempus: modò dicit, *Et dabit castra Israel eras.*

Vers.20. *Statimque Saul cecidit porrectus in terram.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et festinauit Saul,& iecit plenitudinem altitudinis suæ ad terram.* Quanuis Hebraïca dictio anceps sit ad, *cecidit*, vel *iecit*; magis tamen quadrat præcedenti verbo, (*& festinauit Saul*,) quòd iecerit se,quàm quòd ceciderit. Nullus tamen error est legere: *Et cecidit plenitudo altitudinis eius ad terram.* significatur enim (vt vulgata editio habet)quòd ex integro cecidit,seu à se iactus est porrectus in terram.

Extimuerat enim.] Iuxta Hebræum habetur, *& timuit valde à verbis Samuelis: etiam robur non fuit in eo.* Duæ rationes reddūtur huius casus, seu actus: altera ex parte animi; videlicet, magnus timor ex verbis Samuelis: altera ex parte corporis,quia robur non erat in eo.

Quia non comederat panem tota die illa.] Legendum est, *tota die*, *& tota nocte.* Et hinc insinuatur,quòd die illa Saul ambulauerat, quanuis nocturna hora peruenerit ad mulierem.

Vers.21. *Ingressa est itaque mulier ilia ad Saul: conturbatus enim erat valdè.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et venit mulier ad Saul; & vidit,quòd fuit attonitus valdè.* Ex hoc aduentu mulieris ad Saulem iacentem in terra, insinuatur, quòd suprascripta festinatio Saulis fuit ad eundum de secreto loco, vbi exercebat mulier incantationes: & quòd egressus ex illo secreto loco cecidit, vel iecit se in terram: & quòd mulier postea ex eodem secreto loco venit ad Saulem. & vidit eum tam exterritum,vt appareret attonitus.

Dixitque ad eum: ecce obediuit ancilla tua voci tuæ,& posui animam meam in manu mea,& audiui verba tua, quæ locutus es ad me.] Saepe Hebræi vtuntur hac tam latè ducta ad significandum, quòd expoluit vitam suam periculo.

Vers. 22. *Et nunc audi, quæso, etiam vocem ancillæ tuæ,& ponam ante te buccellam panis, & comede: & erit in te robur,cum ibis in viam tuam.*

Vers.23. *Renuitque,& dixit: Non comedam.Coegerunt autem eum serui eius, & etiam mulier, & audiuit vocem eorum; surrexitque è terra, & sedit super lectum.*

Vers.24. *Mulier autem habebat vitulum pascualem.*] Iuxta Hebræum habetur, *vitulum saginatum in domo.*& significatur vitulus pinguis.

Et festinauit, & occidit eum: tulitque farinam, & mouit,& coxit ex ea azyma.

Vers.25. *Et attulit ante Saul, & ante seruos eius, & comederunt: surrexerunt que, & abierunt in nocte illa.*]

CAPVT XXIX.

Vers.1. CONGREGAVERVNTQVE *Philisthim omnia castra sua in Aphec: & Israel castrametatus est in fonte,qui erat in Iezrahel.*

Vers.2. *Et Principes Philisthinorum transibant in centuriis, & millibus: Dauid autem, & viri eius transibant in nouissimo cum Achis.*

Dixerúntque Principes Philisthinorum: Quid sibi volunt Hebræi isti?] Perpende assistentiam diuinæ beneuolentiæ erga Dauidem, prouidendo ei,vt vtrunque euadat periculum: vel manifestandi se proditorem Achis Regis,vel pugnandi contra Israël. Per hanc enim prudentiam Principum Philisthinorum exemit Deus Dauidem ab vtroque malo cum honore, & vtilitate ipsius Dauidis:honore quidem coram Rege;vtilitate autem,quia hinc secuta est recuperatio direptorum ab Hamalecitis, quæ in sequenti tractatur capitulo. Vers.3. *Deus eximit Dauidem à duobus malis.*

Et dixit Achis ad Principes Philisthim: Nónne iste est Dauid, seruus Saul, Regis Israel, qui fuit mecum multis diebus, & annis.] Iuxta Hebræum habetur,*istis diebus,vel istis annis.* Habetur enim vtrunque, sed sub disiunctione: & propterea ambiguum restat ex hac litera tempus, quo fuit Dauid apud Philisthinos. Magis tamen quadrat iustificationi regiæ, quòd affirmare intenderit istis annis:quia argumentum valde leue de fide Dauidis attulisset dicendo, *istis diebus*: si enim tempus minùs anno significasset, non dixisset, *istis diebus*; sed istis mensibus; sed affirmando, *istis annis*, argumentum non indignum de fide Dauidis protulit. Et verum dixit:quoniam tempus vnius anni, & quatuor mensium, absque falsitate appellatur *istis annis*,vt patet.

Et non inueni in eo quicquam ex die, qua transfugit ad me,vsque ad diem hanc?

Irati sunt autem contra eum Principes Philisthim, & dixerunt ei: Face reuerti virum,& reuertatur ad locum suum, in quo constituisti eum: & non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis aduersarius,cum præliari cœperimus:quomodo enim aliter placare poterit Dominum suum, nisi in capitibus nostris?] Iuxta Hebræum habetur, *in capitibus virorum horum?* videlicet,Philisthinorum. Vers.4.

Nónne hic est Dauid, cui cantabant in choris dicendo: Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in myriadibus suis? Vers.5.

Vocauitque Achis Dauidem, & dixit ei:Viuit Dominus, quod rectus es, & bonus in oculis meis: exitus tuus, & introitus tuus est mecum in castris: quia non inuenimus in te malum a die, quo venisti ad me vsque ad diem hanc.] Dictio interpretata, *Dominus*, est nomen tetragrammaton. Quod ideò annotauerim, vt cognoscamus, quòd etiam Achis Philisthinus iurabat in summo vero Deo. Vers.6. *Philisthinus Achis iurabat in summo vero Deo.*

Sed Satrapis non places.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur, *& in oculis Principum non bonus tu.*in idem enim sensus redit.

Reuertere ergo, & vade in pace;& non offendas oculos Principum Philisthim. Vers. 7.

Dixitque Dauid ad Achis: Quid enim feci, & quid inuenisti in seruo tuo à die, qua fui in conspectu tuo,vsque ad diem hanc,vt non veniam, & pugnem contra inimicos Domini mei Regis?] hoc est, Israelitas. Iactantis sunt verba, & ficta ad simulandum, se inuitum recedere, & promptum ad pugnandum contra Israel. Sed, quid mirum, quod simulauit agenda, qui manifeste simulauit facta contra Israelitas. Vers. 8.

Respondit autem Achis, & dixit ad Dauid: Noui, quod bonus es in oculis meis, sicut Angelus Dei.] Nomen est Elohim. Vers.9.

Tantum Principes Philisthim dixerunt: Non ascendat nobiscum in prælium.

Igitur consurge mane, tu, & serui Domini tui, qui Vers.10.

qui venerunt tecum.] Israëlitas, qui erant cum Dauide appellat seruos Saulis, naturalis domini ipsius Dauidis.

Vers. 11. *Surgite quemane, & cum illuxerit vobis, ite.*

Surrexit que Dauid, & viri eius ad eundum mane, vt reuerterentur in terram Philisthim: Philisthim autem ascenderunt in Iizrehel.

CAPVT XXX.

Vers. 1. VMQVE *venisset Dauid, & viri eius in Zic-lag die tertia.*] à recessu à castris Philisthinorum.

Hamalecita impetum fecerant.] Quanuis Saul percusserit Hamalecitas, multi tamen euaserunt, imò multi seorsum habitantes, nec senserunt bellum Saulis, vt patet superiùs cap. 27. & propterea non est mirum, quòd vexati Hamalecitæ à Dauide irruerent in Siceleg.

Ex parte australi in Siceleg.] Iuxta Hebræum habetur, *ad Meridiem, & Zic-lag.* Non significatur ex Meridie; sed quòd extenderant se ad Meridiem, & Siceleg.

Vers. 2. *Et percusserant Zic-lag, & cõbusserant eã igne.*

Captiuásque duxerant mulieres, quæ erant in ea à paruo vsque ad magnum: non interfecerant quenquam, sed abduxerant, & ierant in viam suam.

Vers. 3. *Et venit Dauid, & viri eius ad ciuitatem: & ecce combusta erat igni, vxoresque eorum, & filij, ac filiæ eorum captiuis ductis erant.*

Vers. 4. *Leuauitque Dauid, & populus, qui erat cum eo, vocem suam: & fleuerunt, donec deficerent in eis lacrymæ.*] Iuxta Hebræum habetur, *vsquequò non in eis vires ad plangendum.* subauditur enim verbum substantiuum.

Vers. 5. *Et duæ vxores Dauid captiuæ ductæ erant: Achinoham Iizrehelitis, & Abigail vxor Nabal Charmelitæ.*

Vers. 6. *Et contristatus est Dauid valdè; volebat enim eum populus lapidare.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et angustatus est Dauid valdè: quia dixerunt populus ad lapidandum eum: quia amara erat anima totius populi, vnius cuiusque super filios suos, & filias suas.* hinc enim affligebatur Dauid magnitudine damni: inde autem minis populi, qui cum eo erat, dum quidam eorum cœperant loqui de lapidatione ipsius. Nec alia redditur causa huiusmodi verborum, nisi amaritudo animi.

Confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo.] Legendum esset, *& roborauit se Dauid in Iehouah Elohe suo.* Diuina inspiratione fiduciam accepit, non in seipso, sed in summo Deo gubernatore suo.

Vers. 7. *Et ait Dauid ad Ab-iathar Sacerdotem, filium Achimelech: Applica, quæso, mihi ephod.*] Alienum à ratione est, intelligere, quòd Dauid indutus fuerit sacerdotali superbumerali: sed alterum duorum intelligendum est; vel, vt Hebræa sonant: *Fac appropinquare mihi, quæso, ephod.* ita quod significetur appropinquatio localis: sed nulli in sacra Scriptura innititur rationi localis appropinquatio ephod. Vel, quòd significatur applicatio ad induendum: vt sensus sit: Fac appropinquare te Sacerdotem indutum ephod mihi. vt appellatione ephod intelligatur Sacerdos indutus ephod. Et similiter intellige subiuncta verba significantia executionem. Et hic sensus consentaneus est, & religioni Dauidis, & similibus factis.

Verba Dauidis ad Sacerdotem: Applica mihi ephod. quomodo intelligenda.

Et applicauit Eb-iathar Ephod ad Dauid.

Et interrogauit Dauid in Domino dicens: Persequar cuneum hunc, an attingam eos? Et dixit ei: Persequere: quia attingendo attinges, & eruendo erues. Vers. 8.

Abiit ergo Dauid ipse, & sexcenti viri, qui erant cum eo, & venerunt vsque ad torrentem Besor: & lassi quidam substiterunt.] Iuxta Hebræum habetur, *& reliqui substiterunt*, nihilque dicitur de lassitudine. Verùm, qui appellentur reliqui, statim declaratur, distinguendo, & dicendo, quòd quadringenti secuti sunt Dauidem, & ducenti substiterunt. Vers. 9.

Persecutúsque est eos Dauid, ipse, & quadringenti viri: & substiterunt ducenti viri, qui lassi transire non poterant.] Hebraïcè habetur, *qui se vetuerunt à transeundo torrentem Besor.* nec aliqua mentio fit lassitudinis. Vers. 10.

Et inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid: dederúntque ei panem, & comedit, & propinauerunt ei aquam. Vers. 11.

Dederunt quoque ei fragmen massæ caricarum, & duas ligaturas vuæ passæ, & comedit, & reuersus est spiritus eius in eum: non enim comederat panem, nec biberat aquam tribus diebus, & tribus noctibus. Vers. 12.

Dixítque ei Dauid: Cuius es, & vnde es? Et dixit puer: Ægyptius ego sum, seruus viri Hamalecitæ, dereliquítque me dominus meus: quia ægrotare cœpi nudiustertius. Vers. 13.

Nos irrupimus in Meridiem Cherethei, & in id, quod est Iehudæ, & in Meridiem Chaleb: & Ziclag combussimus igni. Vers. 14.

Et dixit ad eum Dauid: Ducésne me ad cuneum illum? Qui ait: Iura mihi per Deum.] Nomen est Elohim. Vers. 15.

Quòd non occides me, neque trades me in manum domini mei: & ego ducam te ad cuneum illum.

Duxítque eum: & ecce discumbebant super faciem totius terræ, comedentes, & bibentes, & festum agentes ob cunctam prædam magnam, quam tulerant è terra Philisthim, & è terra Iehudæ. Vers. 16.

Et percussit eos Dauid à crepusculo vsque ad vesperam alterius diei: & non euasit ex eis quisquam, præter quadringentos viros adolescentes, qui equitauerunt super camelos, & fugerunt. Vers. 17.

Ernítque Dauid omnia, quæ tulerant Hamalecitæ: & duas vxores suas eruit Dauid. Vers. 18.

Et non defuit eis à paruo vsque ad magnum, & vsque ad filios, & filias, & à præda vsque ad omnia, quæ tulerant sibi: omnia reduxit Dauid. Vers. 19.

Tulítque Dauid omnes oues, & boues: duxerunt ante gregem ipsum, & dixerunt: Hæc est præda Dauid. Vers. 20.

Venítque Dauid ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi potuerant Dauid.] Iuxta Hebræum habetur: *Qui se vetuerunt à sequendo Dauidem, & manserunt in torrente Besor.* Nec etiam hîc aliquid dicitur de lassitudine. Vers. 21.

Qui egressi sunt obuiam Dauidi, & populo, qui erat cum eo: accessítque Dauid ad populum, & salutauit eos pacificè.

Respondit autem omnis vir pessimus, & iniquus.] Iuxta Hebræum habetur, *malus, & maligmus de viris, qui ierant cum Dauide.* vt intus, & extrà describatur malitia illorum. Vers. 22.

Et dixerunt: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis de præda, quam eruimus; sed reducet vnusquisque vxorem suam, & filios suos, & ibunt.

Dixit autem Dauid: Non sic facietis, fratres mei, de iis, quæ dedit Dominus nobis, & custodiuit Vers. 23.

nos, & dedit cuneum, qui venit contra nos in manum noſtram.

Verſ. 24. *Nec quiſquam audiet vos in ſermone hoc: aqua enim pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter diuident.*]Hebraïcè habetur: *Quia, ſicut portio deſcendentis ad prælium, & ſicut portio ſedentis ſuper vaſa, ſimul diuident.*] Hinc apparet, quòd iſti ducenti, qui ſubſtiterant in torrente, ſubſtiterunt ſuper vaſa; hoc eſt, ad cuſtodiam rerum, vt expeditiores quadringenti perſequerentur hoſtes.

Verſ. 25. *Et fuit à die illa, & ſuprà: poſitum eſt hoc in ſtatutũ, & iudicium in Iſraël, vſque ad diem hanc.*

Verſ. 26. *Venitque Dauid in Zic-lag: & miſit de præda ſenioribus Iehuda propinquis ſuis dicendo: Accipite benedictionẽ de præda inimicorum Domini.*] Appellat benedictionem munus pro gratiarum actione: benedictio enim pro gratiarum actione ſumitur. Et ſententia eſt clara cum ſubiunctis: commemorantur enim diuerſarum terrarum habitatores, quibus Dauid miſit munera ad gratias referendum illis.

Benedictio, pro gratiarũ actione.

Verſ. 27. *Iis, qui erant in Beth-el, & iis, qui erant in Ramoth ad Meridiem, & iis, qui erant in Iatthir.*

Verſ. 28. *Et iis, qui erant in Haroher, & iis, qui erant in Siphmoth; & iis, qui erant in Eſt-hemoah.*

Verſ. 29. *Et iis, qui erant in Rachal; & iis, qui erant in ciuitatibus Ierach-meeli; & iis, qui erant in ciuitatibus Ceni.*

Verſ. 30. *Et iis, qui erant in Chorma, & iis, qui erant in Borhaſan; & iis, qui erant in Hathach,*

Verſ. 31. *Et iis, qui erant in Chebron: & omnibus locis, in quibus ambulauerat Dauid ipſe, & viri eius.*]

CAPVT XXXI.

Verſ. 1. PHILISTHIM *autem pugnabant cum Iſraël: & fugerunt viri Iſrael à facie Philiſthim, & ceciderunt interfecti in monte Gilboah.*

Verſ. 2. *Aſſecutique ſunt Philiſthini Saulem, & filios eius: & percuſſerunt Philiſthini Ionathan, & Abinadab, & Malchiſuah, filios Saulis.*

Verſ. 3. *Totúmque pondus prœly verſum eſt in Saul: & conſecuti ſunt eum viri ſagittarij.*]Iuxta Hebræum habetur: *Et aggrauatum eſt prælium ad Saulem, & inuenerunt eum iaculatores viri in arcu.* Declaratur aggrauatio prælij in Saulem in hoc, quòd ſagittæ emiſſæ à Philiſthæis arcu inuenerunt Saulem; hoc eſt, peruenerunt ad eum.

Aggrauatio prælij in Saulem quomodo facta.

Et vulneratus eſt vehementer.] Iuxta Hebræum habetur, *& timuit valdè à iaculatoribus.* Proculdubiò propter vulnera ſagittarum timuit non poſſe euadere, ſed incidere in manus Philiſthinorum adhuc viuus.

Verſ. 4. *Dixitque Saul armigero ſuo: Euagina gladium tuum, & perfode me illo, ne veniant incircunciſi iſti, & perfodiant me, & illudant mihi. Et noluit armiger eius: fuerat enim nimio terrore perterritus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quia timuit valdè.* interficere Regem ſuum.

Arripuit itaque Saul gladium, & cecidit ſuper eum.]Hinc apparet, tum damnatio Saulis, vtpote qui interfecit ſeipſum; tum mollities animi eius, non valentis ſufferre illuſiones à Philiſthinis: nam ad euitandas huiuſmodi illuſiones ſeipſum peremit: quod etiam Philoſophi molli animo tribuunt.

Damnatio, & mollities animi Saulis.

Verſ. 5. *Vidítque armiger eius, quòd mortuus eſſet Saul: & cecidit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mórtuus eſt cum eo.*

Verſ. 6. *Mortuíſque eſt Saul, & tres filij eius, & armiger eius, & etiam omnes viri eius in die illa pariter.*

Verſ. 7. *Videntes autem viri Iſrael, qui erant trans vallem, & qui erant trans Iarden, quòd fugiſſent viri Iſraël, & quòd mortui eſſent Saul, & filij eius; reliquerunt ciuitates, & fugerunt: veneruntque Philiſthim, & habitauerunt in eis.*] Ne intelligas hæc eadem die geſta: ſed tam deſertionem ciuitatum iſtarum ab Iſraëlitis, quàm habitationem earundem à Philiſthinis ſubſecutam poſteà; ſcriptam tamen ante expoliatos mortuos, ad terminandum hiſtoriam malorum, quæ ſecuta ſunt immediatè in Iſraël ex hoc prælio. Suſpicor has eſſe ciuitates, quas olim reſtituerant Philiſthini Iſraëli, tempore Samuelis.

Deſertio ciuitatum ab Iſraelitis, & habitatio earundem à Philiſthinis, an vno die contigerint.

Verſ. 8. *In craſtino autem venerunt Philiſthim ad expoliandum interfectos: & inuenerunt Saul, & tres filios eius iacentes in monte Gilboah.*

Verſ. 9. *Et abſciderunt caput eius, & ſpolianerunt arma eius: miſeruntque in terram Philiſthinorum per circuitum, vt annunciaretur in domo idolorum ſuorum, & populo.*

Verſ. 10. *Et poſuerunt arma eius in domo Haſtharoth: corpus verò eius ſuſpenderunt.*] Iuxta Hebræum habetur, *fixerunt.* hoc eſt, firmauerunt affigendo ligno, vel clauo.

In muro Beth-ſan.

Verſ. 11. *Audierunt autem habitatores Iabes-Gilhad, quæ fecerant Philiſthim Sauli.*] Gratitudo iſtorum deſcribitur: vtpote rependentium Sauli, qui liberauerat eos de manu Nahas Regis Hammonitarum.

Verſ. 12. *Et ſurrexerunt omnes viri fortes, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt corpus Saul, & corpora filiorum eius, de muro Beth-ſan: veneruntque viri Iabes-Gilhad.*] Iuxta Hebræum habetur: *& venerunt ad Iabes.* Reuerſio deſcribitur cum cadaueribus. Statimque ſubiungitur: *Et combuſſerunt ea ibi.* hoc eſt, in territorio Iabes.

Verſ. 13. *Et tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt ſub arbore in Iabes.*] Combuſtis citiùs carnibus, partibúſque mollibus, remanentia oſſa ſepelierunt ſub arbore in Iabes vnà cum cineribus corporum.

Et ieiunauerunt ſeptem diebus.] Iuxta numerum dierum induciarum inter ipſos, & Nahas Regem Hammonitarum, infra quos liberauerat eos Saul.

FINIT PRIMVS LIBER SEMVELIS.

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. SIXTI,

IN SECVNDVM LIBRVM SEMVELIS COMMENTARII.

CAPVT I.

Vers. 1. ET fuit, *postquàm mortuus est Saül & Dauid reuersus est à cædendo Hamalech : Dauid mansit in Zic-lag diebus duobus.*

Vers. 2. *Et fuit die tertio, ecce venit vir è castris Saül, veste conscissa, & puluere conspersus caput : & vt venit ad Dauid, cecidit in terram, & adorauit.*

Vers. 3. *Dixitque ei Dauid : Vnde venis ? Qui ait ad eum : De castris Israel fugi.*

Vers. 4. *Et dixit ad eum Dauid : Quod est verbum, quod factum est ? indica mihi.*] Legendum esset : *Qua sunt res nunciata, quæso, mihi.* dictio enim Hebraica, quanuis propriè significet, *verbum*, transfertur tamen ad significandum rem.

Qui ait : Fugit populus de prælio, & etiam multi ceciderunt è populo, & mortui sunt, & etiam Saül, & Ionathan, filius eius, mortui sunt.

Vers. 5. *Iuuenes appellant pueros Hebræi.* *Dixitque Dauid ad adolescentem.*] Iuxta Hebræum habetur : *Ad puerum, qui nunciabat ei.* tam hic, quàm inferiùs : sed Hebræi pueri nomine appellant etiam iuuenes.

Quomodo nosti, quòd mortuus sit Saül, & Ionathan filius eius.

Vers. 6. *Et ait adolescens, qui nunciabat ei : Casu veni in montem Gilboah.* Sententia rectè redditur, quanuis Hebraica verba multiplicentur.

Et ecce Saul incumbebat super lanceam.] Ne intelligas significari, nisi fictam innixionem Saulis super lanceæ suæ hastile : finxit enim, quòd Saul sustentabat se super lanceæ suæ hastile, quasi super baculum : nam Hebraicè clare significatur innixus.

Vers. 7. *Et ecce currus, & equites appropinquabant ei. Respexitque post se, & vidit me : vocauitque me, & dixi : Ecce me.*

Vers. 8. *Et dixit mihi : Quis es ? Dixique ad eum : Hamalecites sum.*] Vniuersa hæc mendacia esse, manifestè patet ex modo mortis Saulis scripto in præcedentis libri cap. vltimo : sed iste finxit se interfecisse Saulem, arbitratus rem gratam Dauidi fecisse.

Hamalecites cur finxerit se interfecisse Samuelem.

Vers. 9. *Dixitque mihi : Sta, quæso, super me, & interfice me : quoniam tenent me angustiæ.*] Parui refert, quòd Hebraice habetur : *Quia apprehendit me tremor.* hoc enim consonat veritati historiæ, pro quanto Saül valdè timuit vulneratus à sagittariis.

Quia omnis adhuc anima mea in me est.

Vers. 10. *Et steti super eum, ac interfeci eum : sciebam enim, quòd viuere non posset, postquam cecidisset : tuliique diadema, quod erat super caput eius, & armillam, quæ erat super brachium eius, & attuli ea ad dominum meum huc.*] Quanuis finxerit, se occidisse Saulem ; dixit tamen verum quoad ablatum diadema, & armillam.

Vers. 11. *Apprehenditque Dauid vestimenta sua, & scidit ea : & etiam omnes viri, qui erant cum eo.*

Vers. 12. *Et planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam, super Saul, & super Ionathan, filium eius, & super populum Domini, & super domum Israel, eo quòd corruissent gladio.*

Vers. 13. *Dixitque Dauid ad adolescentem, qui nunciabat ei : Vnde es ? Qui dixit : Filius viri peregrini Hamalecita sum.*] Aiunt, hunc fuisse Doëg, qui interfecerat, iubente Saüle, Sacerdotes Domini. Et quadrat suprascriptis, si verum est, quòd Doëg fuerit armiger Saülis : qui, antequàm interficeret seipsum, viso Saüle mortuo, instruxit filium ibidem, vt iret ad Dauidem cum hac simulatione, dandò illi diadema, & armillam Saülis, detracta ex mortuo Saule. Nec obstat, quòd Doëg dicatur *Idumæus* in primo lib. cap. 22. & hoc in

Hamalecites interfector Saulis erat filius Doëg.

Hamalecitæ erat Edom.

in loco dicatur *Hamalecita*: quoniam Hamalec pars erat Edom: quia descenderat ab Esaü, & propterea secundùm genus erat Idumæus, & secundum speciem Hamalecita.

Hamalec pars erat Edom.

Vers. 14. *Et ait Dauid ad eum: Quare.*] Legendum est: *Quomodo non timuisti mittere manum tuam ad occidendum Christum Domini?* horruit enim Dauid facinus sæpè à se damnatum.

Vers. 15. *Vocauitque Dauid vnum è pueris, & dixit: Accede, irrue in eum. Percussitque eum, & mortuus est.*] Si quæris, qua authoritate Dauid sententiam mortis tulerit aduersùs istum, mandando etiam exequi, in promptu est responsio, quòd mortuo Saule cœpit succedere in regno, & vti authoritate regia, propter ea, quæ dixerat ei Samuel de ipsius regno.

Qua authoritate Dauid iusserit occidi interfectorem Saulis.

Vers. 16. *Et ait ad eum Dauid: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum testificatum est contra te, dicendo: Ego occidi Christum Domini.*

Vers. 17. *Planxit autem Dauid planctum istum.*] Rectiùs diceretur: *Et lamentatus est Dauid lamentationem istam, super Saül, & super Ionathan filium eius.*] Quemadmodum appellamus *lamentationes Ieremiæ.*

Vers. 18. *Et præcepit.*] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et dixit ad docendum filios Iehudæ arcum.* Duo officia Dauidis narrantur, alterum lamentationis, alterum monitionis, vt ij, qui erant de Tribu Iudæ discerent iaculari arcu. Sed hoc secundum officium intellige, quando venit in terram Iudæ: scriptum est autem priùs, eò quòd immediatè post mortem Saülis hoc decreuit, & communicauit iis, qui erant cum eo: vt contextus innuit.

Sicut scriptum est in libro iustorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce scriptum super librum Iasar*, hoc est, recti. Ad immediatè antè narratum decretum refertur, scriptum esse in libro recti: quo libro caremus.

Liber iustorum, quis.

Et ait.] Non habetur hoc in Hebræo.

Considera, Israël, pro iis, qui mortui sunt, super excelsa tua vulnerati.] Iuxta Hebræum habetur: *O placiditas Israëlis, super excelsa tua occisus.* Portio illa terræ, in qua commissum est prælium, appellatur placiditas Israëlis, eò quòd erat regio valdè placida. Et à qualitate loci inchoauit lamentationem Dauid, tanquàm valdè dissonet, vt in loco tam placido tanta clades fuerit: locum siquidem illum alloquendo, tanquàm condolens dicit: *O placiditas Israëlis, super excelsa tua* (videlicet, montes Gelboæ) *occisus*, hoc est, multitudo occisorum fuit.

Placiditas Israëlis, locus, in quo occisus est Saul.

Vers. 19. *Inclyte Israel super montes tuos interfecti sunt.*] Hæc clausula non habetur in Hebræo.

Quomodo ceciderunt fortes.] Rectiùs legeretur, *potentes.* priùs enim à qualitate loci, deinde à qualitate personarum occisarum lamentatur.

Vers. 20. *Ne annunciatis in Gath, ne annunciatis in compitis.*] Iuxta Hebræum habetur, *in plateis Ascelon: ne forte lætentur filiæ Philisthim, ne forte exultent filiæ incircumcisorum.* Et sententia est valdè clara intelligentibus, quòd non mandantis, sed detestantis sunt verba; nam detestatur annunciationem, & gaudium Philisthinorum, quod sciebat futurum.

Vers. 21. *Montes Gilboab, nec ros, nec pluuia veniat super vos.*] Imprecatur malum montibus Gelboæ, non ratione eorum, sed ratione cladis in eis. Nec sunt verba cupientis; sed manifestantis, quòd in memoriam tanti mali digni essent pri-

Cur Dauid imprecatur malum montibus.

uatione roris, & pluuiæ. Et scito in Hebræo non haberi, *veniat super vos*: sed sine verbo, *non ros, & non pluuia super vos.*

Neque sint agri primitiarum.] Iuxta Hebræum habetur, *& agri eleuationum.* hoc est, agri, ex quibus sumuntur ea, quæ offerenda sunt Deo. Et quanuis Hebraïcè sine noua negatione scribatur, *& agri*, (cùm debuisset dici, *& non agri*;) subintelligitur tamen vis negationis præcedentis: & est sensus, *& non agri.* quod intellige eodem sensu, quo præcedentia.

Quia ibi abiectus est clypeus fortium.] Eadem dictio hîc habetur, quæ paulò antè: & propterea legendum esset, *potentium.* Et immediatè sequitur:

Clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.] Postquam in genere lamentatus est multitudinem occisorum, & potentium casum, descendit ad individua, & primò ad Regem, tanquàm non esset vnctus oleo: hoc est, tanquàm non esset vnctus à Deo in Regem: occisum enim lamentatur ibidem Regem, tanquàm non esset Rex, qui vngebatur à Deo.

Vers. 22. *A sanguine interfectorum ab adipe potentium, arcus Ionathan non rediit retrorsum: & gladius Saül non est reuersus inanis.*] Ordo literæ est, quòd tam arcus Ionathæ, quàm gladius Saulis nunquam rediit inanis à sanguine interfectorum, & ab adipe potentium: & est sensus, quòd iugiter vterque efficax fuit ad hostium, & sanguinem effundendum, & adipem penetrandum. Et meminit adipis ad significandum viros carne benè plenos percussos, ad differentiam virorum debilium.

Adeps potentium, quid.

Vers. 23. *Saul & Ionathan amabiles.*] Prosequitur lamentationem vtriusque.

Et decori valdè in vitis suis.] Iuxta Hebræum habetur, *& dulces in vitis suis.* hoc est, in conuersationibus suis.

Et in morte sua non sunt separati: aquilis velociores.] Dictio Hebraica verbum est à leuitate deductum; quo nos caremus. Et similiter cùm subditur:

Leonibus fortiores.] Verbum est à potentia fortitudinis deductum: præferuntur enim in leuitate motus aquilis, & in potentia fortitudinis leonibus: & est hyperbolica locutio.

Vers. 24. *Filiæ Israel, super Saul flete: qui vestiebat vos coccino cum deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.*] Iuxta Heb. habetur, *cum fletibus vestris.* significatur enim per hoc, quòd Saul ditauerat Israëlitas, ita vt induerentur etiam aurea ornamenta.

Vers. 25. *Quomodo ceciderunt potentes.*] Repetitio est more lamentantium: additur tamen hîc vna dictio: nam dicitur:

In medio prælij?] Ad honorem siquidem eorum spectat cecidisse in medio prælij, tanquam viros fortiter pugnantes, nec diuertentes.

Ionathan in excelsis tuis occisus est.] Ad dilectum Ionathã specialius descendit, alloquens iterum terrã Israel, in qua commissum est prælium.

Vers. 26. *Doleo super te.*] Iuxta Hebræum habetur: *Angustia mihi super te, frater mi Ionathan.* Apostrophat ad Ionatham: & plus quam dolorem, angustiam, videlicet, cordis, te passum dicit super eo.

Decore nimis.] Iuxta Hebræum habetur: *Dulcissimi mihi valdè.* Præterita dulcedo ratio redditur tantæ passionis.

Et

Et amabilis super amorem mulierum.] Iuxta Heb. habetur. *Fuit mirabilis amor tuus mihi præ amore mulierum.* Et intelligitur de amore Ionathæ erga Dauidem: nam superiùs scriptum est, quòd Ionathas dilexit Dauidem, sicut animam suam. Et hic sensus quadrat valdè contextui: vt, quemadmodum commendauit eum, quòd præbuerit se valdè dulcem Dauidi, ita commendet eum de amore erga Dauidem tam mirabili, vt excederet amorem mulierum.

Mirabilis amor Dauidis erga Ionatham.

Sicut mater vnicum amat filium suum: ita ego te diligebam.] Non habetur tertia hæc in Hebræo: sed immediatè post supradicta verba subiungitur:

Vers. 27. *Quomodo ceciderunt potentes, & perierunt vasa belli.*] Tertiò repetitur lamentantium more: *Quomodo ceciderunt potentes.* adiungendo, & *perierunt vasa belli?* anima enim, quæ congregauerat Saul deflet periisse: tanquam redigendus sit populus Israel in pristinum statum sine armis, in quo reperetat eum Saul: vt scriptū est 1. lib. c. 13.

CAPVT II.

Vers. 1. ¶ *T Factum est post hæc consuluit Dauid Dominum dicendo: An ascendam in vnam de ciuitatibus Iudæ?*] multos enim amicos habebat in Tribu Iudæ, de qua etiam ipse erat.

Et dixit Dominus ad eum: Ascende. Dixitque Dauid: Quò ascendam? Et dixit: In Chebron.

Vers. 2. *Ascenditque illuc Dauid, & etiam duæ uxores eius, Achinoham Iizrhelitis, & Abigaï uxor Nabal Charmelitæ.*

Vers. 3. *Et viros, qui erant cum eo fecit ascendere Dauid, vnumquemque cum domo sua: & manserunt in oppidis Chebron.* Distributi siquidem sunt in adiacentibus vrbibus dependentibus ab Hebron.

Vers. 4. *Venerunt que viri Iudæ, & vnxerunt ibi Dauid in Regem super domum Iehudæ.*] Vnctus olim à Samuele Dauid, electus modò est à Tribu Iudæ, & vnctus cum celebritate in Regem super Tribum Iudæ, quæ erat potentissima inter omnes Tribus Israël, in cuius signum specialiter consueuit supputari numerus bellatorum ex Tribu Iudæ, & reliquarum omnium Tribuum simul altera summa.

Tribus Iudæ erat potentissima omnium Tribuum Israel.

Et nunciatum est Dauidi dicendo: Viri Iabes-Ghilhad sepelierunt Saul.

Vers. 5. *Et misit Dauid nuncios ad viros Iabes-Ghilhad: dixitque ad eos: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro cum Saul, & sepelistis eum.*

Vers. 6. *Et nunc faciat Dominus vobiscum misericordiam, & veritatem: & etiam ego faciam vobis bonum hoc, pro eo quòd fecistis rem hanc.*

Vers. 7. *Et nunc confortentur manus vestræ, & estote filij fortitudinis, quia mortuus est dominus vester Saul.*] Duo simul officia effecit Dauid. Alterum rectificandi benevolentiam suam erga amicos Saülis, ne existimarent duplicasse ei, quòd gratos se exhibuerint Saulo, & hinc occasionem sumerent inimicitiæ aduersus ipsum Dauidem. Alterum tentandi, si vellent ipsum sequi: ad hoc enim spectant subiuncta postremò verba.

Duo officia exhibet Dauid: vnum, qui fecerat Saulem.

Et etiam me vnxit domus Iudæ in Regem super se.] Quanuis etiam hæc verba referri possint ad inuitandum, quòd ipse non vsurpauit sibi regnum tyrannicè: sed quòd Tribus Iudæ elegit eum in Regem.

Vers. 8. *Abner autem, filius Ner, Princeps militiæ Saulis, tulit Isboseth filium Saulis, & circumduxit eum per castra.*] Iuxta Hebræum habetur, *& fecit transire eum Machanaim.*] Vbi aduerte, prudens lector, quòd dictio Hebraica est quandoque nomen appellatiuum significans *castra*, quandoque verò est nomen proprium loci: vt patet Gen. 42. quandoque autem est nomen proprium ciuitatis in Tribu Gad, vt patet Iosuæ 21. Crediderim tamen ego in loco illo, quem Iacob appellauit Machanaim, constructam ciuitatem Tribus Gad, quæ appellatur Machanaim. In hoc itaque capitulo ter fit mentio Machanaim: & hac prima vice Machanaim esse nomen proprium ciuitatis, ex duobus insinuatur: primum ex eo, quòd dicitur: *Et fecit eum transire Machanaim.* significatur enim per transitum, equitatio Regis per regnum Israel vsque ad Machanaim, quæ erat trans Iordanem in regione Ghalahad. Deinde ex eo, quod statim subditur:

Machanaim quid.

Vers. 9. *Regémque constituit super Ghilhad, & super Apræum, & super Iizrhel: & super Ephraim, & super Beniamin, & super totum Israël.*] Ex hoc enim, quòd primò nominatur Regio Ghalaad, insinuatur, quòd de ciuitate Machanaim, quæ erat in Ghalaad est sermo. Suffragatur quoque ratio, vt Abner securus de Tribu Beniamin, vtpote propria, quæ erat contermina Tribui Iudæ, sollicitus fuerit de regione trans Iordanem, ne vllo metu Dauidi: præsertim cùm intellexisset, Dauidem misisse nuncios ad regionē illam. Accedit ad hęc cōtextus interpōnā narrata destinatione nunciorum Dauidis ad Ghalaad, statim subiungitur prudentia Abner, quòd fecit transire Isboseth Regem ad Machanaim ciuitatem Ghalaad.

De ciuitate Machanaim est hic sermo.

Vers. 10. *Filius quadraginta annorum erat Isboseth filius Saulis, cum regnare cœpit super Israel, & duobus annis regnauit: tantùm domus Iehudæ sequebatur Dauidem.*

Vers. 11. *Et fuit numerus dierum, quibus fuit Dauid Rex in Chebron super domum Iehudæ, septem annis, & sex mensibus.*] Quæstio subnascitur, quomodo stant ista duo simul: quòd Dauid regnauerit in Hebron super Tribum Iudæ annis septem, & sex mensibus; & Isboseth duobus duntaxat annis regnauerit, nullusque alius Rex fuerit super Israel: sed istius solutio differenda est vsque ad capitulum tertium.

Vers. 12. *Egressusque est Abner, filius Ner, & serui Isboseth, filij Saul, de castris in Ghibbon.*] Hic secundò habetur Hebraicè, *de Machanaim.* & supradictis, & egressui quadrat etiam hìc Machanaim nomen esse ciuitatis: egredientes enim ad bellum, de ciuitatibus egrediuntur ad castra, & non egrediuntur de castris. Significatur itaque, quòd Abner coacta aliquanta multitudine bellatorum ex regione trans Iordanem, venit in territorium Ghabaon in Tribu Beniamin contermina Tribui Iudæ, in qua regnabat Dauid.

Machanaim non in est ciuitatis.

Vers. 13. *Et Ioab filius Zeruiæ, & pueri Dauid egressi sunt, & occurrerunt sibi iuxta piscinam Ghabaon pariter: manseruntque hi iuxta piscinam hinc, & illi iuxta piscinam inde.*

Vers. 14. *Dixitque Abner ad Ioab: Surgant, quæso, pueri, & ludant ante nos. Dixitque Ioab: Surgant.*] Tanquam ludus habentur à militaribus, tam duellum, quàm similes belli actus ex condicto, aliquorum certi numeri paris hinc & inde.

Duellum à militibus habetur tanquàm ludus.

Vers. 15. *Et surrexerunt, ac transierunt in numero: duodecim pro Beniamin, & Isboseth filio Saülis, & duodecim de pueris Dauid.*] Ex Tribu Beniamin electi scribuntur duodecim: vtpote, cuius magis

gis interierat, quia Rex Israël de Tribu erat Beniamin. Si quæritur, an huiusmodi actus fuerit licitus: in promptu est responsio, quòd, quia similis est duello, & non belli gratia; sed ad ostentationem virium ordinantur huiusmodi actus, ideò inter illicita supputatur.

Duellum illicitum.

Vers. 16. *Apprehensóque vnusquisque capite comparis sui, deuxit gladium in latus contrary.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et tenuit vnusquisque in caput socij sui, & gladius eius in latus socij sui, & ceciderunt simul.*] Ex qua litera clarè liquet, omnes esse simul mortuos.

Et vocatum est nomen loci illius, ager robustorum.] Iuxta Hebræum habetur, *pars gladiorum*; vel, *fortium, quæ in Ghibbon*: anceps enim est Hebraica dictio, ad *fortes*, vel *enses*. Et verè portio fuit gladiorum locus ille: quoniam nullus euasit gladium, sed omnes ibi occisi sunt.

Vers. 17. *Et ortum est bellum durum nimis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit prælium durum vsque valde in die illa.* Occasione sumpta vtrinque ex occisis suis, ad commune prælium processerunt.

Et casus est Abner, & viri Israël coram pueris Dauid.

Vers. 18. *Erãt autẽ ibi tres filij Zeruiæ.*] fororis Dauid. *Ioab, & Abisai, & Hasaël: & Hasael cursor velocissimus fuit.*] Parùm refert, quòd Hebraicè habetur, *leuis pedibus suis, sicut vnus è capreis, qui sunt in agro.* Sententia manifesta est.

Vers. 19. *Persecutúsque est Hasael Abner: & non declinauit ad eundum ad dexteram, & ad sinistram de retrò Abner.*

Vers. 20. *Et respexit Abner post se, & ait: Túne es Hasaël? Et dixit: Sum.*

Vers. 21. *Dixítque ei Abner: Declina tibi ad dexteram tuam, vel ad sinistram tuam, & apprehende tibi vnum de pueris, & tolle tibi spolia eius. Et noluit Hasael declinare ab eo.*

Vers. 22. *Addiditque adhuc Abner dicere ad Hasael: Recede tibi à me: cur percutiam te in terram? & quomodo leuabo faciem meam ad Ioab fratrem tuum?*

Vers. 23. *Et renuit recedere, & percussit eum Abner aduersa hasta in inguine.*] Iuxta Hebræum habetur, *cùm post lancea ad quintam costam.* Clarè siquidem significatur, quòd percussio facta est, non cum ferro lanceæ; sed cum posteriore parte lanceæ: ferrum enim est anterior lanceæ pars. Et in hoc ostendit Abner, quòd minùs vulnerare intendebat Hasaelem. Quintæ autem costæ nomine appellatur locus costarum, siue dexterarum, siue sinistrarũ iuxta stomachũ, ratione aliàs dicta.

Et transfodit.] Clariùs dicitur Hebraicè, *& exiuit lancea post eum, & occidit ibi, & mortuus est ibidem.* Vide, quantùm differt nouus tyro à veterano milite.

Omnésque, qui transibant per locum, in quo ceciderat Hasael, & mortuus erat, substistebant.

Vers. 24. *Et persecuti sunt Ioab, & Abisai Abner: & Sol occubuit: ipsi autem venerunt vsque ad collem aquæductus, qui est ex aduerso vallis, via deserti Ghibbon.*

Vers. 25. *Congregatíque sunt filij Beniamin post Abner, & fuerunt in globum vnum: steterúntque in summitate cumuli vnius.*] Legendum est, *colles vnius*: sic enim habetur Hebraicè.

Vers. 26. *Clamauitque Abner ad Ioab, & ait: Ánusque ad interneccionem tuus gladius desæuiet?*] Iuxta Hebræum habetur, *an ad semper vorabit gladius?* hoc est, num sine cessatione erit persecutio ad occidendum?

An ignoras, quod periculosa sit desperatio?] Iuxta Hebræum habetur: *An non nosti, quòd amaritudo erit in postremo?* hoc est, quòd qui fugiunt, cùm tandem se coarctatos viderint, amari efficiuntur animi, & pro nihilo mortem habentes pugnant. Quod antiquus Interpres rectè exposuit, *periculosam desperationem*: amaritudo siquidem animi ex desperatione consurgit euadendi: perdiderunt enim impotentes amplius sine morte fugere, spem euadendi.

Desperantes: pro nihilo mortem habent.

Et vsquequò non dices populo, vt desinat persequi fratres suos?

Et ait Ioab: Viuit Deus.] Nomen est Elohim. Vers. 27.

Si locutus fuisses mane, recessisset populus persequens fratrem suum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd si non locutus es, quòd tunc à mane ascendit vnusquisque de post fratres suos.* Et est sensus, quòd tu fuisti causa totius belli: quia, si tu non fuisses locutus (dicendo: *Surgant pueri, & ludant coram nobis.*) ex tunc appositiuè ab ipso mane populus meus non fuisset persecutus fratres suos Israëlitas, qui tecum sunt, sed ascendisset in locum suum in pace.

Clanxítque Ioab buccina, & steterit totus populus, & non est persecutus vltra Israelem.] Quamuis totius belli culpam reiecisset in Abner, petenti tamen, vt desisteret, annuit. Vers. 28.

Neque mínùs certamen.] Iuxta Hebr. habetur: *Et non addiderunt ad præliandum.* Non solùm destiterunt persequi illa vice; sed nec addiderunt ad præliandum, tam isti, quàm illi: nullum siquidem aliud prælium commissum legitur toto tempore Abner.

Abner autem, & viri eius abierunt per campestria Moab tota nocte illa, (superfluit, *Moab,*) *& transierunt Iarden.*] Transitus Iordanis testatur, quòd ad loca trans Iordanem (hoc est, duarum Tribuum, & dimidiæ) iuit Abner cum suis: nam territorium Ghabaon, vnde fugiebat, perspicuum est esse cis Iordanem: hoc est, vbi erant nouem Tribus & dimidia. Vers. 29.

Ghabaon territorium vbi situm.

Et lustrata omni Bethoron.] Corrupta est littera: legendum est, *Bith-ron*: non enim commemoratur Bethchoron, cuius mentio facta est Iosuæ cap. 10. vbi lapides magnos pluisse scribitur: quoniam illa est loco nouem Tribuum; ista autem regio est trans Iordanem, nec vocatur *Bethchoron*, sed *Bith-ron*.

Bethchoron, & Bithron, quid.

Venerunt ad castra.] Iuxta Hebræum habetur, *& venerunt Machanaim.* Manifestè ex transitu Iordanis apparet, quod Machanaim nomen est ciuitatis, vt dictum est in Tribu Gad, & ille regressus testatur; tum, quòd inde exierat ad bellum; tum quòd ibidem tunc residebat Isboseth, Rex Israël: vtpote in loco tutiore ab impetu bellatorum Tribus Iudæ.

Machanaim, quid.

Ioábque reuersus est de post Abner, & congregauit totum populum: & defuerunt de pueris Dauid decem, & nouem viri, & Hasael. Vers. 30.

Serui autem Dauid percusserunt de Biniamin, & in viris Abner trecenti & sexaginta viri mortui sunt. Vers. 31.

Tulerúntque Hasaël, & sepelierunt eum in sepulcro patris sui, quod erat in Bethlehem.] Quamuis hîc narretur, posteà tamen sepultus fuit Hasaël in Bethlehem Iudæ. Vers. 31.

Et ambulauerunt tota nocte Ioab, & viri eius, & illuxit eis in Chebron.]

CAPVT

CAPVT III.

Vers. 1. FACTA *est ergo longa concertatio*] Iuxta Hebraicam habetur: *Et fuit bellum longum inter domum Saul, & inter domum Dauidis.* Aduerte, prudens lector, quòd Author libri, velut summarium quoddam scribit totius temporis, quo Dauid regnauit in Hebron; hoc est, vsque ad tempus, quo factus est Rex super vniuersum Israël: & totum hoc tempus (quod fuit annorum septem, & mensium sex, vt in præcedenti dictum est capitulo) appellatur tempus belli inter domum Saul, & domum Dauidis: & propterea dicitur bellum longum. In summarij autem signum narratur continuus profectus domus Dauidis cũ continuo defectu domus Saulis: & narratur generatio omnium filiorum, quos genuit Dauid in Hebron ex diuersis vxoribus, quas multiplicauit in Hebron: quoniam duas tantùm secum duxerat ex Siceleg: vt patet in primo huius libri capitulo. Sed occurrit quæstio: quia in præcedenti capitulo dictum est, *& non addiderunt ad præliandum*, quomodo ergò nunc dicitur, quòd fuit longum bellum? Solutio est, quòd inter domum Saulis, & domum Dauidis fuit longum bellum; sed vnicum tantùm prælium, (quia semel tantùm dimicatum est:) sed dissentio bellica fuit longa, vtpote annorum septem, & dimidij.

Tempus belli inter domum Saulis & domũ Dauidis, quod

Superius capitulum cum hoc conferdatur.

Dauid proficiens, & semper seipso robustior: domus autem Saul decrescens quotidie. Iuxta Hebr. habetur, *& Dauid eundo, & insualescendo, & domus Saul eunter, & attenuabantur.* Caremus enim participio præsentis tẽporis significante pauperem fieri, quo vtitur litera Hebraica: & ideò apposuimus præteritũ imperfectum. Significantius autẽ ex parte domus Dauidis narratur Dauid insualescens: ex parte autẽ domus Saulis non dicitur, quòd Isboseth attenuabatur; sed nullo viro nominato narratur, quòd domus Saulis attenuabatur: ad insinuandũ, quòd non solùm inter Dauidẽ, & Isboseth, sed etiam inter Dauidem, & domum Saulis fuit longum bellum. Et hinc soluitur quæstio in præcedẽti capitulo mota, & ad hoc reseruata capitulum: habetur enim hinc, quòd bellũ longum fuit cum domo Saulis, & non cum Isboseth duntaxat: ac per hoc, & antequã Isboseth constitueretur Rex, & post mortem eius duranit istud longum bellum annorũ septem, & dimidij; nam cum Isboseth biennio tantùm duranit bellum. Quòd enim post mortem Saulis non statim creatus fuerit Rex Isboseth, testantur verba Abner inferiùs in hoc eodem capitulo dicta ad senes Israel, videlicet, *Tam heri, quàm nudiustertius quærebatis Dauid, vt regnaret super vos.* hinc enim manifestè apparet, quòd mortuo Saule dissensio fuit circa electionem Regis, quærẽtibus senibus Israël, vt Dauid esset Rex: durante autẽ huiusmodi dissensione nullus fuit Rex super Israël; & tamen Dauid tunc erat Rex super Iudam. In promptu autẽ erat ratio dissentiendi: tum, quia Dauid placebat senibus Israël propter præclara eius gesta: tũ, quia secundùm rectam lineam generis Saulis succedere debebat in regno filius Ionathæ: qui infans erat (vtpote quinquennis) & claudus, & propterea impotens ad defendendũ populum, præsertim ab hostibus: tum quia Isboseth, vt tegitur elõgatio eius à bello, quamuis filius Saulis, & ætatis optimæ, ineptus habebatur ad bellum: quæ conditio vnà displicebat populo: quia Regẽ ad hoc præcipuè volebant, vt liberaret eos ab hostibus. Ta-

Latini carent participio præsẽtis temporis significante pauperem fieri.

Dauid habuit longum bellũ cum domo Saulis, & non cum Isboseth, & quandiu.

Cur dissentiebat Israelita circa electionẽ Regis.

ceo, quòd Abner inter hæc tẽdebat fortè ad hoc, vt ipsemet esset Rex: & quando vidit se nõ posse assequi intẽtum procurauit, vt Isboseth institueretur Rex. Præterea, quòd Dauid ex diuersis Tribubus secũ viros habens sollicitabat amicos omnes in omnibus Tribubus, vt ipse eligeretur in Regem: vt coniicitur ex hoc, quòd per nũcios inuitauit etiam amicissimos Saulis habitas, qui sepelierant Saulem. Quanto autẽ tempore duranerit huiusmodi dissensio, scriptũ non est. Quòd verò post mortẽ Isboseth duranerit bellũ cum domo Saulis, præsens litera innuit: dũ narrato primo, ac vltimo prælio cum Abner dicit: *Et fuit bellũ longum inter domũ Saulis, & domũ Dauidis.* nisi enim postea fuisset longũ, non subiunxisset post prælium illud, *& fuit bellũ longum*: nam paruo tẽpore pòst occisus fuit Isboseth. In promptu quoque occurrit ratio dilatæ vnionis post mortem Isboseth, multitudo eorum, qui erant de domo Saulis, præferentium Mephiboseth iura, quia erat filius Ionathæ primogeniti: Tribus quoque Beniamin ægrè ferebat regnum à se transferri in Tribum Iudæ: ex huiusmodi enim causis domus Saul retinebat Israëlitas, ne vnirentur cum Dauide.

Dauid sollicitabat omnũ Tribuum amicos sibi, vt ipse eligeretur in Regem.

Cur tandiu dilata vnio domuũ Dauidis & Saulis.

Natique sunt sex filij Dauid in Chebron.] Supersuit dictio, *sex.* *Et fuit primogenitus eius Amnon ex Achinoham Iizrhelitide.* Vers. 2.

Et secundus eius Chil-ab ex Abigail, quæ fuit Nabal Charmelitæ: & tertius Absalom filius Machacha, filiæ Thalmai Regis Gheſur.] Quæstio oritur, qua ratione placuerit Dauidi ducere vxorem ex gente ethnica. Solutio est, quòd in lege Moſis non inuenitur prohibitũ coniugium cũ ethnicis vniuersaliter: sed dũtaxat cum septem illis nationibus habitantibus in terra promissionis, quas Deus delendas mandauit: vt scribitur Deut. 7. & propterea Dauid cõtra legem nõ fecit accipiendo in vxorẽ filiam Regis Gheſur. Et eò magis excusatur, quòd opus illi erat fauore vicinorũ Regum in principio regni sui: Et consentaneum rationi est, vt Dauid sub fiducia trahendi facilè puellam coniugem ad cultum vnius Dei, coniugium hoc contraxerit: quod ex voto successisse, ipsum Scripturæ silentium innuit. Vers. 3.

Cur Dauid elegerit vxorẽ ex gente ethnica.

Deuter. 7.

Coniugium cum ethnicis non prohibitũ vniuersaliter in lege Moſis.

Et quartus Adon-ias, filius Chagith: & quintus Sephat-ias filius Abital. Vers. 4.

Et sextus Iith-rẽam ex Hegla vxore Dauidis.] Hebraicam dictionẽ dimittunt Interpretes: cùm tamen non sit nomen proprij, & potuissent trãsferre, *de vitula vxore Dauid*: nã sic appellatur vxor Dauidis vitula, quemadmodũ vxor Samsonis ab eo appellata est vitula Iudicum 14. Et est sensus de prima vxore Dauid. Vnde autem apud Hebræos vxorẽ primã valdè dilectam appellauerint vitulam, perspicuũ non est. Quòd autem hęc sola nominetur vxor Dauid, non ad excludendũ reliquas, (tanquàm non vxores Dauidis;) sed ad significandum prælatam ipsam reliquis, tanquàm ipsa sit verè vxor, aliæ autem adiunctæ, dictum est: simili nanque ratione Iacob appellauit singulariter Rachel vxorem suã Gen. 44. & propterea ista circũlocutione significatur Michol filia Saulis prima vxor Dauidis, & valdè ab eo dilecta. Vers. 5.

Dauidis vxor appellata vitula. sicut & Samsonis. Iudic. 14.

Hegla cur sola dicatur vxor Dauidis.

Genes. 44.

Isti nati sunt Dauidi in Chebron.

Et fuit, cùm esset bellum inter domum Saul, & domum Dauid: Abner regebat domum Saul. Iuxta Hebr. habetur, *& Abner fuit roborans in domo Saulis.* ipse enim roborabat sequaces domus Saulis. Vers. 6.

Sauli autem fuerat concubina, & nomen eius, Rizpa filia Aiah: & ingressus est ad eam Abner.] Vers. 7.

In Hebræo non habetur, *Et ingressus est ad eam Abner.*

Vers. 8. *Dixitque Isboseth ab Abner: Cur ingressus es ad concubinam patris mei? Et iratus est Abner valdè propter verba Isboseth, & dixit: Numquid caput canis ego sum aduersùm Iudam hodie*]? Iuxta Hebræum habetur: *An caput canis ego, qui Iehudæ hodie faciam gratiam cum domo Saul patris tui ad fratres eius, & ad propinquos eius?* Et est vna interrogatio insinuans negationem: interrogatiuè enim legenda est, quasi dicat: Nequaquam faciam gratiam cum domo Saulis. Est enim sensus: An ego faciam gratiam cum domo Saulis habitus hodie vt caput canis, qui Iudæ, hoc est, latrantis ad Iudam? quasi dicat, non faciam; quia reputatus sum hodie a te, vt caput canis latrantis ad Iudam. Mentionem faciendo capitis canis, significat, quòd de officio latrandi, & custodiendi more canis loquitur: capite enim hoc canis facit. Dicit autem, se reputari vt canem, non vt Principem exercitus: quia non habebatur ratio eius propter ipsummet, dum reprehendebatur propter mulierem; sed propter bonum ipsius Regis duntaxat, sicut habetur ratio canis custodis propter bonum custodiæ duntaxat. Abner enim erat vere custos domus Saulis, vt & priùs gesta, & posteriora testantur: & volebat sibi multa licere, tanquàm Principi, à quo pendebat tota salus regni domus Saulis.

Et non tradidisti te in manum Dauid.] Collatum beneficium commemorat ad insinuandum, quòd immeritò habetur vt canis.

Abner fornicatus est cum concubina Saulis.

Et tu requisisti me, quod argueres pro muliere hodie.] Iuxta Hebræum habetur, *& visitasti super me iniquitatem mulieris hodie.* Hinc habetur, quòd fornicatio eius ingressus erat ad concubinam Saulis: alioquin non dixisset, *iniquitatem*: coniugium enim cum relicta Saulis licitum fuisset: quia patrueles erant Saul, & Abner, vt patet in 1. lib. cap. 14.

Vers. 9. *Sic faciat Deus Abnero, & sic addat ei, quòd sicut iurauit Dominus Dauidi, sic faciam ei.* Nomen est *Helium*. Dicit, qui accusas negligentiam Principum, quanti mali Regis Isboseth occasio fuerit reprehensio Abner.

Vers. 10. *Vt transferendo regnum a domo Saulis: & erigendo solium Dauid super Israelem, & super Iehudam a Dan vsque ad Beer Sebaa.*

Vers. 11. *Et non potuit amplius respondere Abnero verbum: quia timebat eum.*

Vers. 12. *Misitque Abner nuncios ad Dauid pro se dicendo: Cuius est terra?* Iuxta Hebr. habetur: *Cui terra?* subaudi, debetur, quasi dicat: Tibi terra debetur.

Et vt loqueretur, fac mecum amicitias.] Iuxta Hebræum habetur: *Dicendo. Feri fœdus tuum mecum, & ecce manus mea tecum ad vertendum ad te totum Israelem.* Quod autem fuerit inter eos pactum, non est scriptum.

Vers. 13. *Quæsiit. Bene feriam tecum fœdus: tantùm rem vnam peto a te, dicendo: Non videbis faciem meam, nisi prius adduxeris Michal, filiam Saulis, quando venies ad videndum faciem meam.*

Vers. 14. *Misitque Dauid nuncios ad Isboseth, filium Saulis, dicendo.*] In ista proculdubio responsione Abner de modo habendi Michol; videlicet, petendo eam ab Isboseth, quia ipse Abner post petitionem Dauidis suggereret Isboseth, vt restitueret Dauid vxorem suam.

Da vxorem meam Michal, quam desponsi mihi centum præputijs Philisthinorum. Quamuis ducenta præputia dedisset; meminit tamen centum: quia tot exegerat Saul.

Misitque Isboseth: & tulit eã à viro à Paltiel filio Lais.] Notant Hebræi, quòd iste appellatus est Palti in primo libro, quoniam Saul dedit ei Michol in vxorem: modò autem appellatur Paltiel; ita quòd adiunctum est nomini eius nomen Dei *El*, ea ratione, quia nunquam cognouit Michol intuitu Dei, eò quòd sciebat esse vxorem Dauidis, nec repudiatam. Vers. 15.

Et iuit cum ea vir eius eundo, & flendo post eam vsque ad Bacchurim.] teneritudine amissæ tam dulcis societatis. Vers. 16.

Et dixit ad eum Abner: Vade, reuertere. Et reuersus est.] Hinc insinuatur, quòd Abner vniuersum hoc negotium tractauit, qui etiam comes fuit Michol per aliquantum itineris spatium.

Verbumque Abner fuit cum senioribus Israel dicendo: Tam heri, quàm nudiustertius. Hoc est, tempore præterito, antequàm regnaret Isboseth. Vers. 17.

Hebræi appellant præteritum perseuerãs & heri, & nudiustertius.

Et nunc quærentes Dauidem in Regem super vos.] Sciebat enim hæc Abner, qui vniuersũ regni negotiũ pertractauerat. Et est modus loquendi Hebræorum appellare præteritum perseuerans, & heri, & nudiustertius; insinuatur enim per hoc, quòd tempore interregni perseuerabant tenes Israël quærẽdo, vt Dauid regnaret. Et quòd sit sermo de interregno; patet ex hoc, quod nec tempore Saulis, nec postquàm regnauit Isboseth, hoc quæsierunt: fuisset enim crimen læsæ maiestatis punitum. Et ex hac, vt dictum est, litera apparet, mortuo Saule dissensionem fuisse circa electionem Regis Israel.

Nunc ergo facite.] quod olim appetebatis, & quærebatis. Vers. 18.

Quoniam Dominus locutus est ad Dauid.] Ne videretur proditor, vindictam in Isboseth exercet sub specie exequendi diuinam reuelationem.

Dicendo: In manu Dauid serui mei saluabo populum meum Israël de manu Philisthim, & de manu omnium inimicorum eorum.] Per Samuelem tamen medium: diuulgata siquidem erant verba, quæ dixerat Samuel de futuro regno Dauidis.

Locutus est autem Abner etiam ad Ben-iamin.] Iuxta Hebræum habetur: *Et locutus est etiam Abner in auribus Ben-iamin.* Secretus tractatus significatur dicendo, *in auribus.* Et meminit specialiter Beniamin: quoniam præcipuè intererat Beniamin, eò quòd de translatione regni ex Tribu Beniamin in Tribum Iudæ agebatur. Vers. 19.

Abierat etiam Abner ad loquendum ad Dauid.] Legendum est, *in auribus Dauid, in Chebron, omne, quod bonum erat in oculis Israel, & in oculis totius domus Ben-iamin.* Secreta enim locutio significatur ad firmandum pacta hinc & inde.

Venitque Abner ad Dauid in Chebron cum viginti viris: & fecit Dauid Abner, & viris, qui erant cum eo conuiuium. Vers. 20.

Et dixit Abner ad Dauid: Surgam, & ibo, & congregabo ad dominum meum Regem totum Israelem, & ferient tecum fœdus, & regnabis in omni, quod desiderabit anima tua. Deduxit ergo Dauid Abner, & ille iuit in pace.] Iuxta Hebræum habetur: *Et misit Dauid Abner, & iuit in pace*: nihilque dicitur de deductione. Vers. 21.

Statimque pueri Dauid, & Ioab venerunt cæsis latronibus cum præda magna nimis.] Iuxta Hebr. habetur: *Et ecce serui Dauid, & Ioab venit a congregatione, & prædã multam secum adduxerunt.* A congregatione narrantur venisse, qua congre- Vers. 22.

gati

gari fuerant ad excursionem aliquam faciendam: dispersi siquidem superiùs descripti sunt per oppida Hebron: & propterea ab eorum congregatione ad excursionem faciendam venisse narrantur serui Dauidis cum præda multa.

Abner autem non erat cum Dauid in Chebron: quia dimiserat eum, & abierat in pace.

Vers. 23. *Et Ioab, & totus exercitus, qui erat cum eo, venerunt: nunciatúmque est Ioab dicendo: Venit Abner, filius Ner, ad Regem, & dimisit eum, & abiit in pace.*

Vers. 24. *Et ingressus est Ioab ad Regem: & ait: Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te, propter quid dimisisti, & abiit abeundo?*

Vers. 25. *Nosti Abner, filium Ner, quoniam ad decipiendum te venit: & ad sciendum exitum tuum, & introitum tuum, & ad sciendum totum, quod facis?*

Vers. 26. *Egressúsque est Ioab à Dauid.*] nulla habita responsione à Rege, fortè quia non expectauit: sed iratus exiuit à facie Regis machinans malum, quod & fecit.

Et misit nuncios post Abner.] Quanuis explicitè non sit scriptum, rationi tamen consentaneum est, quòd Regis nomine miserit nuncios: non enim fuisset reuersus Abner, si vocatus fuisset à Ioab, nec ipse Ioab ausus fuisset accersire Principem exercitus Israël: & ad hoc innuendum subiungitur, quòd Dauid nescisset huiusmodi legationem.

Et reduxerunt eum à cisterna Sirah.] Hebræam dictionem reliquit Interpres, suspicans fortè, quòd Sirah esset nomen proprium; cùm tamen potuisset dicere, *à puteo spinarum*. Spinetum fortè aliquod ibi erat.

Vers. 27. *Et Dauid nesciebat.*

Et reuersus est Abner in Chebron: & seorsum adduxit eum Ioab ad medium portæ, vt loqueretur ei in dolo.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *& declinauit cum Ioab ad medium portæ, ad loquendum cum eo in momento*. Fefellit siquidem Ioab Abner astutè, in loco publico, coram omnibus, petendo ab eo, vt ibidem audiret vnicum verbum secretò: hoc enim significat ipsa declinatio ad medium portę ciuitatis, ad loquendum in momento temporis.

Declinatio ad medium portæ, quid.

Et percussit eum ibi in inguine.] Iuxta Hebræum habetur, *in quinta costa*. quod expone, vt suprà.

Et mortuus est propter sanguinem Hasael fratris eius.

Vers. 28. *Audiuit autem Dauid rem gestam, & ait: Mundus ego sum, & regnum meum apud Dominum vsque in sempiternum, à sanguine Abner, filij Ner.*

Vers. 29. *Et veniat.*] Iuxta Hebræum habetur. *Quiescat super caput Ioab, & super totam domum patris eius.* Non sonant imprecationem, sed meritum Ioab: quòd, videlicet, meretur has quinque pœnas subiunctas.

Dauid non imprecationē, sed meritas pœnas Ioab profert.

Et non deficiet de domo Ioab fluxum seminis sustinens.] Exponit Interpres: quoniā Hebraicè non habetur nisi stillans; hoc est, guttatim fluens.

Et leprosus, & tenens fusum.] Vnde, multebréque exercitium ad quærendum victum vaticinatur, si diuino instinctu hæc prænunciata creduntur.

Et cadens gladio, & carens pane.

Vers. 30. *Ioab igitur, & Abisai, frater eius, interfecerunt Abner.*] Conscium fuisse criminis Abisai manifestat Scriptura.

Eò quòd occidisset Hasael fratrem eorum in Gibbon in prælio.] Ad accusationem Ioab, & Abisai spectat hęc prælij causa: iniusta siquidem censetur vltio aduersùs eos, qui occiderunt in prælio: quoniam non odio personarum; sed belli iure occisio fit in prælio: & propterea Dauid iniquam iudicauit huiusmodi vltionem.

Iniusta est vltio à Superiore sumpta in pares.

Vers. 31. *Dixitque Dauid ad Ioab, & ad totum populum, qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante Abner.*] Voluit Dauid, vt etiam ipsi, qui interfecerant, lugerent mortuum, vt vel sic inciperet punire Ioab.

Interfectores lugere iubet Dauid interfectum.

Et Rex Dauid ibat post feretrum.

Vers. 32. *Et sepelierunt Abner in Chebron: leuauitque Rex vocem suam, & flenit ad tumulum Abner, & flenit totus populus.*

Vers. 33. *Planxitque Rex, & lugens Abner ait.*] Rectiùs scriberetur: *Et lamentatus est Rex Abner, & dixit: An sicut moritur ignauus, mortuus est Abner?* Lamentatio siquidem funebris significatur, quæ & subiungitur:

Vers. 34. *Manus tuæ non fuerunt ligatæ; & pedes tui non in compedibus positi fuerunt.*] Declarat, quod dixerat, videlicet, non esse mortuum more ignauorum: quia non fuit captus, non vinctus manus, aut pedes: quod solet euenire viris timidis, aut malis, aut fugientibus, & huiusmodi.

Sicut cadendo coram filiis iniquitatis.] hoc èst, proditoriè occidentibus.

Corruisti.] Et in hoc manifestat publicè iniquitatem Ioab.

Congeminánsque omnis populus fleuit super eum.] Iuxta Hebręum habetur, *& addiderunt totus populus ad plangendum super eum*. Quod ideò dixerim, ne congeminatio insinuaret, quòd populus repetisset lamentationem Dauidis.

Vers. 35. *Cúmque venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid clarâ adhuc die.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et venit totus populus ad faciendum prandere Dauid panem, cùm adhuc dies esset.* ieiunus enim erat, & mœrens valdè: & propterea populus hortabatur eum ad refectionem sumendam.

Iurandi modus imprecando sibi malum.

Et iurauit Dauid dicendo: Sic faciat mihi Deus, & sic addat, si ante occasum Solis gustabo panem, vel aliud quicquam.] Nomen est *Elohim*: solitúsque iurandi modus imprecando sibi malum.

Vers. 36. *Totúsque populus audiuit.*] Iuxta Hebræum habetur, *cognouerunt*. subaudi, iuramentum Regis de proprio ieiunio ob luctum Abner.

Et placuerunt eis.] Iuxta Hebræum habetur, *& placuit in oculis eorum.*] proculdubiò Regis ieiunium. Deinde immediatè sequitur:

Sicut omne, quod fecit Rex in oculis totius populi bonum.] subaudi, visum est: bonum siquidem iudicatum est Regis ieiunium, quemadmodum vniuersum officium, quod exhibuit Rex in luctu Abner, visum est bonum.

Vers. 37. *Et cognouit omne vulgus.*] Rectiùs diceretur, *totus populus*. proculdubiò, qui erat in Hebron.

Et vniuersus Israël in die illa.] hoc est, ex dictis, & factis Dauidis in die illa.

Quòd non actum fuit à Rege, vt occideretur Abner filius Ner.] Non est sensus, quòd illo die vniuersus Israël cognouerit, (quia nec mors Abner vniuerso Israël fuit nota illo die,) sed est sensus, quod ex dictis, & factis in illa die vniuersus Israel postea nouit innocentiam Dauidis circa mortem Abner.

Vers. 38. *Dixitque Rex ad seruos suos.*] hoc est, domesticos.

Nónne scitis, quòd Princeps, & maximus. Iuxta Hebræum habetur, *& magnus, cecidit hodie in Israel.* Exaggerat vndique causam Dauid: & ex conditionibus occisi, quia Dominus & magnus, & ex redundantia periculi in ipsum Dauidem subiungens:

Vers. 39. *Ego autem delicatus adhuc sum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et ego hodie tener, & vnctus Rex.* Ecce periculum, quia ego paulò antè vnctus Rex sum, hodie tener Rex. Comparat se quoad regnum rei teneræ, quæ facilè patitur, ac destruitur: cogitabat enim, quòd Israel indignatus ex tali proditione insurgere posset aduersùs eum.

Duri præ me, *quid.* *Et viri isti filij Zeruiæ duri sunt mihi.*] Iuxta Hebræum habetur, *duri præ me*; hoc est, duri supra vires meas: habebant enim Ioab, & Abisai, exercitum in manibus: & ideò dicuntur duri; hoc est, potentes ad non cedendum mihi, & propterea supra vires meas. In promptu siquidem erat periculum perdendi regnum, si punire attentasset Ioab, & Abisai: nam exemplum Isboseth præsentaneum ante oculos habebat: quem priuare regno Abner procurauerat, quia reprehensus fuerat ab eo. Et hæc est ad literam ratio horum verborum Dauidis ad sui excusationem, quòd tolerabat Ioab, & Abisai.

Retribuat Dominus.] Legendum est: *Retribuet Dominus facienti malum iuxta malitiam eius.*] Quanuis ego tolerem, summus tamen Deus non tolerabit; sed retribuet facienti malum iuxta malitiam eius. Si tamen optatiuè intelligatur, ad tribunal diuinum remittit causam, cupiendo iustitiam, quam ipse non potest exercere.

CAPVT IV.

Vers. 1. AUDIVIT *autem Isboseth, filius Saul, quòd mortuus esset Abner in Chebron.*] Superiùs dictum, Isbosethum, & dicitur filius Saul, eò quòd, quatenus filius Saul, fuerat ab Abner electus in Regem, & totus ab eodem.

Et infirmatæ.] Rectius diceretur, *& laxatæ sunt manus eius.* ad similitudinem enim habentium manus laxas describitur Isboseth quoad operationes, & potestatis exercitium.

Omnisque Israël perturbatus est.] Rectiùs diceretur, *fuerunt attoniti.* ad similitudinem siquidem attonitorum describuntur populi.

Vers. 2. *Duo autem viri Principes latronum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Principes turmarum.* & non esse sermonem de turmis ad latrocinandum, testantur subiuncta.

Erant filio Saul.] Hebraicè habetur, *fuerunt filio Saul.* Et hinc apparet, quòd isti Principes turmarum, seruientes filio Saulis fuerunt: sed, de quo filio Saulis est hîc sermo, non est perspicuum: nam, si Isboseth intelligatur, duæ surgunt difficultates altera, quòd nulla in litera insinuatur causa occidendi Isboseth: altera, quòd nulla insinuatur ratio inferendi inter illos Mephiboseth filium Ionathæ. Si verò filius Saul intelligatur primogenitus Saulis Ionathas, vtrumque ratio in litera insinuatur: nam desiderando istos turmarum Principes fuisse, hoc est, mandasse, præfecto Saulis, insinuatur, quòd isti fuerant fautores Mephiboseth pueri ad hoc, vt succederet in regnum: ac per hoc aduersi fuerant promotioni Isboseth in Regem: & propterea exosi erat Isboseth Regi. Insinuatur quoque, quòd ideò interitur hic Mephiboseth, filius Ionathæ, claudus, & puer, ad complendum causam, quare isti occiderint Isboseth: ex parte siquidem sua videbant se exosos Regi: ex parte autem pueri, cuius partes foouerant, desperabant se posse amplius prævalere: eò quòd & puer, & claudus erat, ac per hoc à populo Israel refutatus quoad successionem regni. Ex his enim duobus simul motis sunt ad acquirendum gratiam Dauidis, intercedente occisione Isboseth: vt essent Principes magni cum Dauide, tanquàm dantes quodammodo ei regnum Israël. Et hic sensus, quia nullo eget adminiculo apocrypho, sed libertati literæ innititur (intelligendo per filium Saul primogenitum Saulis) complectendus est: vtpote cui tam contextus literæ, quã ratio valdè quadrat.

Nomen vnius Bahanna, & nomen alterius Rechab, filij Rimmon Beerothitæ, de filijs Beniamin: quia etiam Beeroth reputabitur in Beniamin.

Vers. 3. *Et fugerunt Beerothitæ in Gheitham.*] Non dicit, & fugerunt isti viri duo, sed, *Beerothitæ*: vt intelligamus, quòd gens Beerothita ethnica tunc, destrui tempore fortè Iosuæ fugit in Ghitham, relinquens ciuitatem Ithachitis.

Fueruntque ibi aduenæ vsque in tempus illud.] Iuxta Hebræum habetur, *& fuerunt ibi habitantes vsque in diem hanc.* Tranquillissimè sedes penitùs Beerothitæ narrantur.

Vers. 4. *Ionathan autem filio Saul erat filius debilis.*] Iuxta Hebræum habetur, *claudus pedibus.* ita quòd non vitium in genere, sed defectus in specie narratur.

Filius quinque annorum fuit, quando venit nuncius.] Iuxta Hebræum habetur, *fama Saulis, & Ionathan de Iizrahel.* de morte Saulis, & Ionathæ. Attende, prudens lector, quàm impertinens esset initio hęc, nisi intelligendo, vt expositum.

Tulitque eum nutrix eius, & fugiens cum festinaret ad fugiendum, cecidit, & claudus effectus est, & nomen eius Mephiboseth.

Vers. 5. *Fueruntque filij Rimmon Beerothitæ Rechab, & Bahanna, & venerunt, cum incalesceret dies, ad domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie.* Iuxta Hebræum habetur, *meridiei.* refertur enim ad stratum ad differentiam stratus nocturni.

Et ostiaria domus purgans triticum obdormiuit.] Non habetur hæc clausula in Hebræo.

Vers. 6. *Ingressi sunt autem domum latenter, assumentes spicas tritici.*] Longè aliter habetur in Hebræo: nam scribitur: *Et ecce venerunt vsque ad medium domus emptores frumenti.* Clarè Ionat contextus duo: primum, & venerunt illi duo incalescente die ad domum Isboseth iacentis in stratu meridiei: alterum, immediatè subiungendo, & ecce venerunt vsque ad medium domus emptores frumenti. Dicendo, & ecce venerunt emptores frumenti, manifestissimè narrat, quod postquàm illi duo Principes venerunt in domum Regis, superuenerunt emptores frumenti: hoc enim significatur subiungendo, *& ecce venerunt emptores frumenti*, proculdubiò ad emendum frumentum. Narratur autem emptorum frumenti aduentus ad insinuandum cõmoditatem oblatam illis duobus Principibus occidendi Isboseth, & euadendi: propterea enim inter aduẽtum Principum, & occisionem, & euasionem infertur aduentus emptorum frumenti, vt intelligamus, quod emptorum

rum aduentus commoditatem præbuit Principibus illis, qui priùs venerant, percutiendi Regem, & euadendi. Propter quod emptores narrantur venisse vsque ad medium domus: hinc enim implicitè insinuatur concursus domesticorum ad eundem locum, videlicet, ad medium domus: ac per hoc extrema domus tam, videlicet, interiores partes (inter quas erat aula Regis) quàm exteriores partes, inter quas erat ostium domus, remanserunt absque custodia: & sic opportunitate nacta Principes illi, & percusserunt Regem, & euaserunt. Si verò legitur, *vsque ad intimum domus*, (vt Hebraïca sonat litera,) non variatur commoditas; sed ratio commoditatis narratur concursus domesticorum ad cellarium intimum, in quo erat frumentum venale: & propterea relicta fuisse absque custodia, & aulam, in qua dormiebat Rex, & ostium domus. Et quocunque modo legatur, quadrat, quòd iuxta Hebræum immediatè subiungitur.

Et percusserunt eum in quinta costa: & Rechab, & Bahana, frater eius, euaserunt.] Iungitur hæc litera cum illa superiore, *& venerunt incalescente die ad domum Isbosethi*: interposita enim commoditate duplici, (altera ex parte Regis dormientis; altera ex parte concursus domesticorum ad emptores frumenti,) subiungitur, quid fecerunt: videlicet, *& percusserunt eum in quinta costa*; (proculdubiò circa cor,) & euaserunt. Repetuntur autem eorum nomina propria in actu euadendi, ne fortè intelligeres, emptores frumenti in culpa fuisse, & fugisse: casu enim occurrit dicta commoditas.

Vers. 7. *Cùm autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in cœnaculo, & percutientes interfecerunt eum, sublatoque capite eius abierunt per viam deserti tota nocte.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et venerunt domum, & ipse iacens super stratum suum in aula strati sui, & percusserunt eum, & occiderunt eum, & remouerunt caput eius: & acceperunt caput eius, & ierunt viâ campestri tota nocte.*

Vers. 8. *Et adduxerunt caput Isbosethi ad Dauid in Chebron.*] Repetitio est quorundam gestorum: vt adiunctis aliis gestis, summa gestorum omnium in re hac ab istis Principibus collecta appareat. Et dicendo, *adduxerunt caput*, insinuat, quòd non ipsi portauerint, sed vehiculo duxerint illud.

Dixerúntque ad Regem: Ecce caput Isbosethi, filij Saul, inimici tui, qui quæsiuit animam tuam: & dedit Dominus domino meo Regi vltionem hodie de Saul, & de semine eius.] Non solùm ex parte inimicitiæ domus Saulis; sed etiam ex parte diuinæ iustitiæ opus, quod fecerant, commendant; vt vndique se partes Regis Dauidis egisse manifestent, tanquàm non pro seipsis, sed pro ipsius Dauidis causa fecerint.

Vers. 9. *Respondit autem Dauid ad Rechab, & Bahanam, fratrem eius, filios Rimmon Beerothita, & dixit eis: Viuit Dominus, qui redemit animam meam ex omni angustia.*

Vers. 10. *Quòd qui nunciauit mihi dicendo: Ecce mortuus est Saul, (qui putabat se prospera nunciare:) tenui eum & occidi eum in Sic-lag, qui venerat, vt darem ei mercedem pro nuncio.*

Vers. 11. *Quanto magis cum homines impij*] Simulationē illorum detegit Dauid, agnoscēdo eos homines impios. Ac si apertiùs dixisset: Nequaquā vt minister Dei, & miles mei causam meam egisti; sed existentes impij occidistis virum iustum.

Interfecerunt virum innoxium.] Iuxta Hebræum habetur, *virum iustum*. tum relatiuè ad eos, tum relatiuè ad meritum mortis: quoniam non merebatur occidi, nec ab eis lædi.

In domo sua super lectum suum? & nunc nonne requiram sanguinem eius de manu vestra, & auferam vos de terra?

Et præcepit Dauid pueris.] Sententiam iustam exequendam mandauit. Vers. 12.

Et interfecerunt eos, & præciderunt manus eorum, & pedes eorum, & suspenderunt super piscinam in Chebron.] tum ad exemplum aliorum, tum ad publicandum vniuerso Israēli, quòd ipse mundus erat ab huiusmodi proditoris actionibus: & quòd non quærebat per has turpes vias regnum super Israël. *Dauid non quæsiuit superiter regnum super Israel.*

Caput autem Isbosethi tulerunt, & sepelierunt in sepulcro Abner in Chebron.

CAPVT V.

Vers. 1. VENERVNT *omnes Tribus Israël ad Dauid in Chebron.*] In 1. Paralip. cap. 12. 1. Paral. 12. diffusè scribuntur omnes Tribus Israël venientes ad constituendū Dauidem in Regem.

Dixerúntque dicendo: Os tuum, & caro tua sumus.] & è conuerso: quoniam ex eodem patre geniti sumus.

Vers. 2. *Sed & heri, & nudiustertius, cùm esset Saul Rex super nos, tu eras educens, & reducens Israelem. Dixitque Dominus tibi.*] per Samuelem Prophetā.

Tu pasces populum meum Israel, & tu eris dux super Israël.

Vers. 3. *Venerúntque omnes seniores Israel ad Regem in Chebron.*] Non solùm populi diuersarum Tribuum, sed etiam rectores, & gubernatores populi venerunt ad Regem Dauid.

Et percussit cum eis Rex Dauid fœdus.] solitum inter Regem, & regnum.

In Chebron coram Domino.] hoc est, inuocato diuino nomine in testem fœderis.

Vnxerúntque Dauid in Regem super Israël.] qui priùs fuerat vnctus in Regem super Iudam: & ante vtranque vnctionem fuerat puer vnctus à Samuele in futurum Regem.

Vers. 4. *Filius triginta annorum erat Dauid, cùm regnare cœpit: & quadraginta annis regnauit.*] Mouetur hic quæstio, cur subiunguntur quadraginta anni, & sex menses regni Dauidis; & non summantur hîc, nisi quadraginta anni, nulla mentione facta sex mensium. Solutio est, quòd in veritate regnauit annis quadraginta, & mensibus sex, (alioquin non verificaretur subiuncta affirmatio: videlicet, quòd annis septem, & mensibus sex regnauit super Iudam in Hebron; annis autem triginta tribus regnauit super Israël, & Iudam in Ierusalem:) sed ratio tacendi sex menses hîc fuit diuersus supputandi modus: nam supputando per singulas partes, non solùm integra, sed etiam minutula numeramus: supputando autem in vniuersum, integra tantùm explicamus: & propterea supputando in vniuersum, integrorum duntaxat annorum meminit: distinguendo autem per singulas partes, etiam menses connumerauit. *Cur hic non summentur sex anni supra quadraginta regni Dauidis.* *Supputatio singillatim, & in vniuersum, in quo differat.*

Vers. 5. *In Chebron regnauit super Iudam septem annis, & sex mensibus: & in Ierusalem regnauit triginta tribus annis super totum Israelem, & Iudam.*

Vers. 6. *Et abiit Rex, & omnes viri, qui erant cum eo, Ierusalem.*] Quamuis in Hebræo non habeatur

dictio, *omnes*, ex primi tamen Paral. cap. 11. verificatur, quòd omnis Israël iuit cum Dauide in Ierusalem ad ponendum ibi sedem regiam.

Ad Iebusæum habitatorem terræ.] Ratio insinuatur, quare cum exercitu iuerit Dauid in Ierusalem: quia, videlicet, ibat ad expugnandum Iebusæum habitatorem ciuitatis Ierusalem, nolentem dare ciuitatem Dauidi.

Dictumque est Dauidi ab eis.] In idem redit, quod scribitur Hebraicè, *& dixit Dauids dicendo.* nam Iebusæus dixit Dauidi: vt contextus indicat, & Paralipomenon testatur.

Non venies huc, nisi abstuleris cæcos & claudos dicentes: Non ingredietur Dauid huc.] Reuolue veteres historias, & inuenies multas mutationes in Ierusalem: nam ante Regum tempora habitauit in Ierusalem Iudas simul cum Iebusæo Iosuæ 15. & posteà in sortem Benjamin data est Ierusalem Iosuæ 18. deinde percussit eam in ore gladij, & ignem in eam misit Tribus Iudæ Iudic. 1. & demum Beniamin habitauit in ea simul cum Iebusæo, vt subiungitur etiam Iudic. 1. tempore autem Regis Saul tanta erat coniunctio inter Regem Saul, & Ierusalem, vt Saul triumphans venerit in Ierusalem simul cum Dauide portante caput Goliath Philisthini, 1. Reg. 18. Ex quibus omnibus facilè percipimus, quòd multi erant in Ierusalem tempore, quo Dauid venit ad collocandum sedem suam ibidem, amici ipsius Dauidis, (tum Israëlitæ de Tribu Beniamin, tum Iebusæi,) qui benevolè susceperant eum triumphantem cum Saule. Dissensio itaque inter ipsos Iebusæos insinuatur in litera, narrando, quid Iebusæi accusarunt cæcos, & claudos, dicentes: *Non ingredietur Dauid huc.* aliqui enim erant Iebusæi dicentes: *Non ingredietur Dauid huc.* aliqui autem amici Dauidis nunciauerunt Dauidi, quòd nisi remoueret cæcos, & claudos inimicos Dauidis, nunquam assequeretur intentum. Appellantur autem Iebusæi inimici Dauidis, tum cæci, tum claudi, eò quòd aliqui eorum erant cæci, non corpore, sed mente: vtpote non videntes bonum propositum valdè magnum, prouenientis ex sede regia in ciuitate Ierusalem: quidam autem eorum erant claudi animo; vtpote non rectè incedentes in negotio hoc cum Dauide, partim laudantes admissionem Dauidis in ciuitatem, & partim renitentes. Et hic sensus, & quadrat litera, & quadrat dispositioni habitantium in Ierusalem, & quadrat rationi rectæ: & nullo eget admiculo apocryphi.

Multæ mutationes in Ierusalem.

Iosuæ 15. & 18.

Iudic. 1.

1. Reg. 18.

Iebusæi inimici Dauidis, cur cæci, & claudi appellentur.

Vers. 7. *Et cepit Dauid arcem Zion.*] Non dicitur: Et cepit Dauid Ierusalem, sed *arcem Sion*: ad inuendum, quod ciuitas sine expugnatione data est Dauidi propter dissensiones habitatorum, Iebusæis inimicis Dauidis retrahentibus se in arcem Sion: arcem enim semper retinuerant Iebusæi, etiam ciuitate existente communi Iebusæis, & Israëlitis. Et propterea significantius dicitur, quod Dauid cepit arcem Sion; hoc est, montis Sion: erat enim mons Sion intra Ierusalem.

Arx Sion ciuitas Dauidis dicta.

Hæc est ciuitas Dauid. hoc est, nuncupata est deinceps ciuitas Dauid; hoc est, constructa à Dauide, dicata pro sede Dauidis: & hoc ad differentiam Bethlehem, quæ erat ciuitas Dauidis: quia inde erat oriundus.

Vers. 8. *Proposuerat enim Dauid in die illa præmiũ, qui percussisset Iebusæũ, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset claudos, & cæcos odientes animã Dauidis.*] Sententia restituenda: nam Hebraicè mutilus sermo est.

Et dixit Dauid in die illo: Omnis percutiens Iebusæum, & tanget canale, & claudos, & cæcos odientes animam Dauidis.] Et sic finitur hæc clausula: quæ tamen ex 1. Paralip. cap. 11. extenditur: describitur siquidem modus, quo Dauid expugnauit arcem Sion; videlicet, proponendo in præmium principatum exercitus primo viro ascendenti super tecta arcis Sion: tectum siquidem significatur per canale, eò quòd tecta pauimentata ibidem fiunt sub diuo, & inde fluit aqua in cisternas per canalia. Percussio autem refertur ad Iebusæum, appositiuè claudos, & cæcos osores animæ Dauidis. Ipsa enim tanta vis pugnandi, ac percutiendi, vt compos esset ascensus super tectum, manifestam victoriam præ se ferebat: & propterea tanto præmio digna est habita, illique attribuitur percussio Iebusæorum cæcorum, & claudorum. Et ex hac litera confirmatur, quod diximus de cæcis, & claudis: ex eo enim, quòd dicuntur osores animæ Dauidis, homines significantur inimici habêtes actum odij.

Quomodo Dauid expugnauit arcem Sion.

Canale, tectum significat.

Ideò dicitur in prouerbio: Cæcus, & claudus non introibunt in templum.] Iuxta Hebræum habetur, *non intrabit in domum.* Nec magis dicitur de domo Dei, quàm de domo alia quacunque. Inde enim narratur ortum prouerbium: *Cæcus, & claudus non ingredietur domum.* quando repellebant aliquem ab officio petito, tanquam animo cæcum, vel claudum. Et similiter cùm suspectum habebant aliquem, vtebantur hoc prouerbio: *Cæcus, & claudus non ingredietur domum.* loquendo quidem in genere, sed non absque nota illius, seu illorum, de quo, vel quibus erat sermo.

Cæcus, & claudus non ingredietur domum, Prouerbium.

Vers. 9. *Et habitauit Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid: ædificauitque Dauid per gyrum à Mello, & intrinsecus.*] Dictio Hebraïca relicta est, corrupta tamen: legendum esset, *à Mille*: & poterat Latinè dici, *à plenitudine*: narratur enim, quòd Dauid non ædificauit per circuitum voraginis (hoc est, concludendo ipsam voraginem, quæ erat iuxta montem Sion; sed ædificauit per circuitum à plenitudine (hoc est, loco pleno terræ) relinquendo vacuitatem voraginis extra murum: & propterea adiungitur, *& intrinsecùs*, ad differentiam vacui extra murum relicti: ita quòd non ædificauit in præcipiti loco illius vacui; sed cinxit muro spatium montis Sion terræ pleniun & ad hoc iuit intra clausura muri.

Vers. 10. *Et ingrediebatur proficiens, atque succrescens.*] Patui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et iuit Dauid eundo, & grandescendo: & Dominus Deus exercituum erat cum eo.* Profectus Dauidis deinceps sumnariè narratur ex dono summi Dei.

Vers. 11. *Misit quoque Chiram, Rex Tyri, nuncios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices lignorum, & artifices lapidum parietum: ædificauerúntque domum Dauid.*] Inter prosperos successus supputatur amicitia Regis Tyri cum illius legatis, ac prouisione artificum, & lignorum ad ædificandum regalem domum. Quod nunquam à Saule factum legitur. Primum ergo regale palatium apud Hebræos ædificatum est à Dauide: nam priùs, nec etiam artifices scientes huiusmodi palatia ædificare, apud eos erant: sed Rex Tyri misit eos ad Dauidem.

Apud Hebræos primum regale palatium ædificatum est à Dauide.

Vers. 12. *Et cognouit Dauid, quòd confirmasset eum Dominus Regem super Israel: & quod exaltasset regnum eius super populum suum.*] Iuxta Hebræum habetur, *propter populum suum Israel.* hoc est, propter bonum populi sui Israël.

Acceptique

Vers. 13. *Accepitque Dauid adhuc concubinas, & exores de Ierusalaim, postquàm venit de Chebron.*] quasdam siquidem accepit tantùm concubinas; hoc est, ad officium generandi duntaxat; vinculo tamen coniugali: quasdam autem in vxores; hoc est, non solùm ad officium generandi, sed etiam ad vxoriæ dignitatis gradum. Accepit autem vtrasque non solùm ad multiplicandum semen suum; sed etiam ad affinitatis vinculo vinciendum sibi multos ex Ierusalem ciuitate nouiter electa ad sedem regiam.

Quare Dauid accepit multas concubinas & vxores.

Et nati sunt adhuc Dauidi filij, & filiæ.

Vers. 14. *Et hæc sunt nomina natorum ei in Ierusalaim: Sammuah, & Sobab, & Nathan, & Selomo,*

Vers. 15. *Iibechar, & Eliſuah, & Nepheg,*

Vers. 16. *Et Iaphiah, & Eliſamah, & Eliadah, & Eliphalet.*] Summantur omnes filij Dauidis toto tempore regni eius nati in Ierusalem. Nec supputatur inter istos filius, qui sine nomine mortuus est, quem primò genuit ei Beersabe vxor Vriæ: & propterea significanter non dicitur, & isti sunt filij; sed hæc sunt nomina, ad differentiam mortuorum absque nomine: nec subiunguntur nomina filiarum.

Vers. 17. *Audierunt autem Philisthim, quòd vnxissent Dauidem in Regem super Israël, & ascenderunt omnes Philisthim ad quærendum Dauidem.*] hoc est, ad debellandum Dauidem.

Audiuitque Dauid, & descendit in præsidium.] Iuxta Hebræum habetur, *& descendit ad arcem.* hoc est, ad locum natura fortem & munitum, proculdubiò cum suo exercitu: locum autem non solùm tutum, sed situm ad obuiandum Philisthinis.

Vers. 18. *Philisthim autem venerunt: & diffuderunt se in valle Rephaim.*

Vers. 19. *Et consuluit Dauid Dominum dicendo: An ascendam ad Philisthim?*] hoc est, num aggrediar Philisthinos, non expectans, vt ipsi aggrediantur me?

An dabis eos in manum meam? Dixitque Dominus ad Dauid: Ascende: quia dando dabo Philisthim in manum tuam.] Modus, quo loquebatur Deus respondendo huiusmodi consultationibus, scriptus non est.

Vers. 20. *Et venit Dauid in Baal-perazim, & percussit eos ibi Dauid.*] Dictionem Hebraicam reliquerunt, eò quòd sit nomen proprium tunc ex illa victoria impositum illi valli, seu illius portioni: Latinè siquidem dici potuisset, *planities diuisionum.*

Et dixit: Diuisit Dominus inimicos meos coram me, sicut diuiduntur aquæ.] hoc est, tam facilè, quàm facile diuiduntur aquæ hac, atque illac. Et ex his verbis Dauidis (vt subiungitur) nuncupatus est locus illius victoriæ, *planities diuisionum.*

Ideò vocatũ est nomen loci illius Baal-perazim.

Vers. 21. *Reliquerúntque ibi sculptilia sua, quæ tulit Dauid.*] Legendum est, *& combussit ea Dauid, & viri eius.* iuxta legis præceptum.

Vers. 22. *Et addiderunt adhuc Philisthim, vt ascenderent: & diffuderunt se in valle Rephaim.*

Vers. 23. *Consuluit autem Dauid Dominum: Si ascendam contra Philisthæos, & trades eos in manus meas?*] Non habetur hæc clausula in Hebræo: sed postquàm scriptum est: *Et interrogauit Dauid in Iehouah.* subiungitur immediatè: *Et dixit.* proculdubiò Iehouah.

Non ascendes contra eos.] Superfluit, *contra eos:* ad claritatem siquidem sententiæ apposuit Interpres, quod subintelligebatur: est enim sensus: Non aggredieris eos è regione ipsorum, vt subiuncta manifestant.

Gyra post eos, & venies ad eos ex aduerso pyrorum.] Iuxta Hebræum habetur, *ex aduerso arborum.* nec nominantur species arborum.

Et cùm audieris sonitum clamoris gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam.] Iuxta Hebræum habetur, *& erit audiente te vocem deambulationis in capitibus arborum, tunc te mouebis: quia tunc exiuit Iehouah ante ad percutiendum castra Philisthinorum.* Non significatur futurus ventus, sed futura deambulatio, proculdubiò angelica: nam deambulare non est venti; sed rationalis creaturæ: nec potest singi humana deambulatio in summitatibus arborum. Vox autem, quia Hebraïcè extenditur ad sonum, (tonitrua enim etiam voces appellant:) & quia non dicitur, vocem deambulantis; sed vocem deambulationis, pro sonitu ipsius deambulationis sumitur: reuelatur siquidem Dauidi, quòd futura sit angelica deambulatio in summitate arborum: & instruitur, quòd cùm audierit sonitum illius deambulationis, tunc moueat se ad aggrediendum Philisthinos: quia tunc Deus exibit (hoc est, ad instar egressi ad percutiendum Philisthinos se habebit, per Angelos suos pugnans contra illos) exterrendo, seu minuendo vires Philisthinorum, & roborando Israëlitas. Considera hìc, prudens lector, quot modis Deus dilectis suis opem tulerit sensibiliter: vt mirabilia facta eius, quæ non videmus, ex visibilibus discamus admirari.

Vers. 24.

Multis modis Deus suis opem ferat sensibiliter, & cur.

Fecitque Dauid ita, sicut præceperat ei Dominus: & percussit Philisthim à Ghebah, vsquequò venias in Gazer.]

Vers. 25.

CAPVT VI.

Vers. 1. CONGREGAVIT *autem rursùs Dauid omnem electum in Israël, triginta millia.*

Vers. 2. *Surrexitque Dauid, & abiit, & totus populus, qui erat cum eo de viris Iuda, vt adducerent Arcam Dei.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexit, & iuit Dauid, & totus populus, qui cum eo à Bahale Iehuda, ad faciendum ascendere illinc Thecam Elohim.* Nomen proprium regionis est, *Bahale*, in quâ congregatus est à Dauide populus electus, in qua erat ciuitas syluarum: & propterea dicitur, quòd à Bahale surrexit, & iuit Dauid cum populo ad faciendum illinc ascendere Arcam Dei: terminus enim, à quo inchoauerunt iter ascensus versùs Ierusalem, describitur.

Super quam inuocatum est nomen Domini exercituum.] Iuxta Hebræum bis scribitur nomen: & legendum est: *In qua fuit vocatum nomen, nomen Iehouah exercituum.* Ratio venerandi Arcam Elohim redditur: quia in illa vocabatur nomen summi Dei exercituum. Et est sermo de vocatione orantium ad Deum. Significanter autem dicitur nomen: ad declarandum, quòd certus sensibilis locus (putà Arca) non erat decretus locus ad contemplandum Deum; sed ad sensibiliter inuocandum sensibile nomen summi Dei, quod humana voce nominatur. Et verè sic erat: quoniam tam sacrificia, quàm quæcunque alia coram Arca dicta, aut facta, ad sensibiles inuocationes ipsius Dei non secundùm quod in se

Cur Arca Dei veneranda erat.

est, sed secundùm quod nominatur, pertinebant: Deus enim secundum quod in se est, ignotus est nobis, & non tolùm innominatus.

Deus secundùm quod in se est, ignotus est nobis.

Sedentis Cherubinorum super eam.] Declaratum est olim in Exodo, quòd Cherubini sustinebant propitiatorium super Arcam, tanquàm Dei sedem, super Arcam quasi scabellum suppedaneum; & propterea hic dicitur sedens Cherubinorum super Arcam].

Deus cui sedens Cherubinorum super Arcam.

Et imposuerunt Arcam Dei.] Nomen est Elohim.

Vers. 3. *Super plaustrum nouum.*] Hic fuit error ex ignorantia Dauidis commissus: quoniam non super plaustrum, sed super humeros Sacerdotum, vel saltem Leuitarum portanda erat Arca, secundùm legem Mosis.

Tulerúntque eam de domo Abinadab, quæ erat in Ghibha.] Hebraïcum nomen relictum est, cùm debuisset dici,

In colle.] Non enim Ghibha est hìc nomen proprium loci; sed est nomen appellatiuum significans collem: erat enim Arca in domo Abinadab existente in colle: qui erat portio ciuitatis syluarum, vt Paralipomenon manifestat: in qua domo collocata primùm fuerat Arca Dei, postquàm percussi sunt Bethsemitæ, apud quos erat Arca reuersa à Philisthinis, vt patet 1. Reg. 7. Nec vnquam legitur in Scriptura, quòd interim ex domo Abinadab delata fuerit Arca ad locum alium; sed semel duntaxat inuenitur ducta ad filios Israël congregatos ad bellum, 1. Reg. 14. propter quod insinuatur, quòd reducta fuerit ad domum Abinadab: ex eo enim, quòd Scriptura duo tantùm loca, præter moram in Bethsemes, nominat Arcæ Dei, (videlicet, ciuitatem Silo, & Cir-iath-Iearim, hoc est, ciuitatem syluarum, in cuius colle erat domus Abinadab,) fingere plura loca nescio.

Ghibha *quid hoc significet.*

1. Reg. 7.

1. Reg. 14.

Et Huzza, & Ach-io filij Abinadab ducebant plaustrum nouum.] Hinc insinuatur, quòd Leuita erat Abinadab: nam ideò filiis eius commissum est ducere plaustrum, quia Leuitæ erant.

Abinadab erat Leuita.

Vers. 4. *Cúmque tulissent eam è domo Abinadab, qui erat in Ghibha custodiens Arcam Dei.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et tulerunt, ipse de domo Abinadab, quæ in colle cum Arca Elohim: & Ach-io præcedebat Arcam.* Priùs narrati fuerant duo fratres, Oza, & Ach-io, ducentes plaustrum: modò distributio eorum narratur dicendo, *& tulerunt*, subauditur, *sic*: videlicet, ipse Oza cum Arca Elohim ab ipsa domo Abinadab, & Ach-io frater eius ibat ante Arcam: describitur enim, quòd Oza semper ibat ad latus Arcæ, tanquàm principalis ad curam Arcæ in itinere: vt hinc intelligamus, non esse admirandum, si ipse, qui caput erat, percussus postea à Deo est, fratre eius nihil mali passo.

Oza, qui caput erat, percussus est à Deo, fratre incolumi.

Vers. 5. *Dauid autem, & tota domus Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis: & in citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis.*

Vers. 6. *Postquam autem venerunt ad aream Nachor.*] Legendum esset, *Nachon.* Sed aiunt Hebræi non esse nomen proprium, & Latinè dicendum: *Ad aream præparationis.* Præparata siquidem in area illa holocausta pro veneratione Arcæ insinuatur: vel *aream præparationis* appellatur area quædam existens in loco, vbi congregatus fuerat populus electus, eò quòd ibi præparatus fuerat populus electus cum Dauide ad deducendum Arcam Dei: & sic significatur, quod valdè breui spatio viæ peracto percussus fuit Oza. Hunc sensum puto complectendum ad literam.

Area præparationis, *quid.*

Extendit Huzza manum.] Iuxta Hebræum non habetur manus, quanuis subintelligatur.

Ad Arcam Dei. Nomen est Elohim.

Et tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerant eam.] Iuxta Hebræum pauciora scribuntur, *& tenuit eam: quia declinauerunt boues.* pro claritate siquidem Interpres extendit.

Iratúsque est furor Domini in Huzzam, & Vers. 7. *percussit eum ibi Deus.*] Legendum est, *& percussit eum ibi Elohim.* Iustus Iudex.

Super temeritate.] Iuxta Hebræum habetur, *super erroris.* Et est sermo mutilus: quia subauditur, *facto*: & est sensus, super facto erroris. Nec est verendum in dubium, quòd fuerit istud factum erroris: quoniam ipse Dauid posteà manifestauit, 1. Paralip. 15. ex absentia capitum Sacerdotum sanctificatorum ad portandum Arcam Domini, erratum fuisse vehendo Arcam super plaustrum: & ideò iratum esse Deum.

Peccatum Oza factum erroris, & quomodo.

Et mortuus est ibi iuxta Arcam Dei.] Nomen est Elohim.

Contristatus est autem Dauid.] Iuxta He- Vers. 8. bræum habetur: *Et iratus est Dauid.* Tanta describitur tristitia, quòd exanduit Dauid, in incertum tamen: quia nesciebat, quæ culpa, aut quis error fuisset commissus. Videbat effectum punitionis, & nesciebat causam.

Eò quòd percussisset Dominus Ozam.] Iuxta Hebræum habetur, *Super quòd diuisit Iehouah diuisionem in Huzza.* Et est sermo de diuisione lacerante: innuitur enim, quòd huiusmodi plaga percussus fuerit Oza à Deo.

Et vocatum est nomen loci illius, percussio Ozæ.] Legendum est: *Diuisio Huzzæ vsque in præsentem diem.* Et significatur, vt dictum est, diuisio lacerans.

Et timuit Dauid Dominum in die illa, & Vers. 9. *dixit: Quomodo ingredietur ad me Arca Domini?*

Et noluit Dauid diuertere ad se Arcam Domini in ciuitatem Dauid: diuertítque eam Dauid in domum Obed-edom Ghitthei.] Leuita erat iste, vt patet in Paralip. vocatur autem Getheus, quia natus erat in Geth ciuitate Philisthinorum: peregrinabantur siquidem priùs etiam Leuitæ, habitantes, vbi commodius poterant.

Vers. 10.

Obededom, quis.

Et mansit Arca Domini in domo Hobed- Vers. 11. *edom Ghitthei tribus mensibus: benedixítque Dominus Hobed-edom, & toti domui eius.*] hoc est, multiplicauit naturalibus diuitiis, (putà, filiorum eius, & animalium suorum,) prosperísque successibus.

Nunciatúmque est Regi Dauid dicendo: Be- Vers. 12. *nedixit Dominus domui Hobed-edom, & omnibus, quæ sunt ei, propter Arcam Dei.*] Nomen est Elohim.

Dixitque Dauid: Ibo, & reducam Arcam cum benedictione in domum meam.] Non habetur ista clausula in Hebræo: sed quia executio huius intentionis subiungitur, ad claritatẽ prodest literę.

Abiítque Dauid, & ascendere fecit Arcam Dei è domo Hobed-edom in ciuitatem Dauid cum gaudio.] Quemadmodum tempore iræ diuinæ timuit ducere Arcam Dei in Sion, ita tempore benedictionis diuinæ iuit Dauid ad deducendam Arcam Elohim ex domo Hobed edom.

Et erant cum Dauid septem chori, & victi- Vers. 13. *ma vituli.*] Nõ habetur hæc clausula in Hebræo.

Cúmque transcendissent.] Rectius legeretur,

tur, *deambulassent portantes Arcam Domini sex passus.* significatur enim incessus lentus per modum deambulationis.

Immolabat bouem & arietem] Iuxta Hebræum habetur, *bouem, & saginatum.* nec explicatur illud animal saginatum.

Et Dauid percutiebat in organis armigatis.] Non habetur hæc clausula in Hebræo, sed duntaxat:

Vers. 14. *Et Dauid saltans in tota virtute coram Iehouah.*] & est sermo de virtute virili corporalium.

Dauid vestitus erat habitu simili amictui Leuitarum saltantium ante Arcam.

Dauidque accinctus erat ephod lineo.] Habitum similem amictui sacro Leuitarum assumpsit Dauid in his sacris, perinde ac si hodie Rex vteretur habitu Clericorum in solenni supplicatione.

Vers. 15. Vers. 16. *Et Dauid, & omnis domus Israel ascendere faciebant Arcam Domini in iubilo, & in voce buccinæ.*

Cúmque intrasset Arca Domini in ciuitatem Dauid, Michal, filia Saül, prospiciens per fenestram.] Hinc insinuatur, quod mulieres nõ ibant in huiusmodi processionibus.

Mulieres non ibant in processionibus apud Heb.

Vidit Regem Dauid subsilientem, atque saltantem.] Iuxta Hebræum habetur, *saltantem, & resultantem coram Domino.* Vt clarè intelligatur frequentia saltandi, vel modus conduplicandi saltum.

Et despexit eum in corde suo.

Vers. 17. *Et adduxerunt Arcam Domini, & posuerunt eam in loco suo, in medio tentorij, quod tetenderat ei Dauid: obtulitque Dauid holocausta coram Domino, & pacifica.*

Vers. 18. *Cúmque complesset Dauid offerre holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum.*] Quibus verbis vsus fuerit Dauid in hac benedictione, scriptum non est: ex eo tamen, quòd dicitur, *in nomine Domini exercituum*, innuitur, quòd non vsus est benedictione scripta Num. 6. qua Sacerdotes benedicebant populo: ibi enim non nominabatur Dominus exercituum, vt patet in Literâ.

Qua benedictione vsus fuerit hic Dauid.

Vers. 19. *Et partitus est cunctæ populo, toti multitudini Israël a viro vsque ad mulierem, vnicuique collyridam.*] Iuxta Hebræum habetur, *placentam panis vnam.* Similiter quod subiungitur:

Et assaturam bubalæ carnis vnam.] Iuxta Hebræum legendum est, *& partem tauri vnam.* Verùm appellatione tauri intelligitur mas, tàm bouinus, quàm bubalinus.

Et similam frixam oleo.] Iuxta Hebræum habetur, *& phialam vnam.* non aquæ, sed vini plenam.

Et abiit totus populus, vnusquisque in domum suam.

Vers. 20. *Reuersúsque est Dauid vt benediceret domui suæ.*] tum lætificando, tum largiendo.

Et egressa est Michal, filia Saül, in occursum Dauidis, & ait: Quàm gloriosus.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Quàm honoratus fuit hodie Rex Israel.* Michol prius in corde suo vilipenderat Dauidem: tantáque superbia plena intus erat, vt occurrerit Regi ad despiciendum etiam verbis Regem ipsum.

Michol corde, & verbis despexit Dauid.

Quis discoopertus fuit hodie ante ancillas seruorum suorum, & nudatus.] In Hebræo repetitur vocabulum detectionis: & nihil dicitur de nuditate. Detectus autem appellatur non solùm relatiuè ad regalem habitum; sed etiam, quia linea vestis superhumeralis non tegebat totum hominem: nam nec brachia, nec latera, nec tibiæ tegebantur superhumerali veste: propter hoc enim discoopertus dicitur: ac si hodie Rex cum solis caligis, &c (vt aiunt) diploide, habens desuper superhumeralem amictum lineum, publicè in sacris appareret. *Quasi si nudetur vnus de scurris.*] Iuxta Hebræum habetur: *Ac si discooperiendo discoopertus esset vnus vacuorum.* proculdubiò sensus.

Detectus quomodo fuit Saulem te Ar cum saltans.

Vers. 21. *Dixitque Dauid ad Michal: Viuit Dominus, quia ludam.*] Interpres inseruit: *Viuit Dominus, quia ludam.* ad clarificandum apparentem mutilum sermonem Dauidis: nam Hebraicè responsio Dauidis: sic incipit: *Ante Dominum, qui elegit me potiùs, quàm patrem tuum, & quàm totam domum eius, præcipiendo mihi, vt essem dux super populum Domini super Israël.* Et pendet constructio literæ vsque ad subiunctam particulam, *& ludam.* Veruntamen legendum est:

Vers. 22. *Et ludam in facie Iehouah. Et vilior fiam, & ero humilis in oculis meis.*] hoc est, tum ludam, tum vilior fiam, tùm ero humilis. Et repetitur, *facies Iehouah*, ad exaggerationem rationis facti præteriti & futuri.

Et cum ancillis, quas dixisti, cum eis ero honoratus.] Sic habetur Hebraicè: & directè respondet opprobrio obiecto à Michol, quòd non in dehonestationem, sed in honorẽ suum emerget detectio ista coram ancillis seruorum. Et verificatur hoc; tum, quia non propterea minùs honorabitur; tum præcipuè, quia Deus hanc humilem actionem coram ancillis vertet in honorem ipsius Dauidis, ita quòd honoratus erit cum illis: ac si apertiùs dixisset: Quantùs in oculis tuis non appaream honoratus, apud oculos tamen ancillarum, quas dixisti, honoratus ero.

Vers. 23. *Et Michal filia Saul non fuit natus.*] posteà: priùs enim genuerat filium Dauidi in Hebron: vt patet supernus cap. 3.

Vsque in diem mortis suæ.] Aiunt Hebræi, ideò mentionem fieri diei mortis: quia mortua est in partu: quod si verum non est, dictum est vsque in diem mortis suæ, perinde ac dictum fuisset, in toto residuo vitæ suæ.

Michol an non genuerit post irrisum Dauidem.

CAPVT VII.

Vers. 1. *Factum est, quòd sedit Rex in domo sua.*] Constructum & habitatum significatur regale palatium ab artificibus missis à Rege Tyri: vnde & subiungitur Regem habitare in domo cedrina.

Et Dominus dedit ei requiem vndique ab omnibus inimicis suis.] Pro tempore illo: nam posteà multa bella exercuit: vt clare narratur in principio sequentis capituli.

Vers. 2. *Dixitque Rex ad Nathan Prophetam.*] Superiùs introductus est Gad Propheta comes Dauidis: modò Nathan Propheta etiam cum Dauide narratur.

Vide, quæso, ego habito in domo cedrina.] hoc est, tecta ex lignis cedrorum, quæ miserat Rex Tyri, vt in cap. 5. patet.

Et Arca Dei.] Nomen est Elohim.

Pessa est in medio pellium.] Iuxta Hebræum habetur: *Habitat in medio cortina.* Indignum reputabat Dauid, vt honorabilius esset habitaculum suum, quàm Arcæ Dei.

Vers. 3. *Dixitque Nathan ad Regem: Omne, quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est.*] Ex ista responsione Nathan apparet, quòd proprio spiritu respondit Nathan: & propterea non est mirum, quòd erraüit.

Factum est autem in nocte illa: & fuit verbum Domini

Domini ad Nathan dicendo.] Iungendo tempus nocturnum cum verbis inferiùs subiunctis (videlicet , quòd ista fuit visio) intimuari videtur diuina apparitio facta dormienti Nathan per modum alloquentis.

Diuina apparitio dormienti Nathan.

Vers. 5. *Vade, & dices ad seruum meum ad Dauid : Sic dixit Dominus : An tu ædificabis mihi domum ad habitationem meam?*

Vers. 6. *Quia non habitaui in domo à die , qua ascendere feci filios Israël ex Ægypto vsque ad diem hanc.*] Excluditur primò Dauid ab officio ædificandi templum : tum , quia hactenus non habitauerat Arca eius in domo ; sed in tabernaculo, seu tentorio : tum , quia nullum Principem Israël reprehendit , quòd non ædificauerit sibi templum.

Excluditur Dauid ab ædificatione templi, cur.

Sed ambulaui in tentorio, & in tabernaculo.] Fit mentio vtriusque : quia Arca Dei , quandoque in tabernaculo, quod construxerat Moses; quandoque autem in tentorio fuerat ; videlicet , cùm in castris militaribus erat.

Vers. 7. *In omni loco , quo ambulaui cum omnibus filiis Israël , an verbum locutus sum ad vnam Tribuum Israel , quibus præcepi, vt pascerent populum meum Israël dicendo : Cur non ædificastis mihi domum cedrinam?*

Vers. 8. *Et nunc sic dices seruo meo Dauidi : Sic dixit Dominus exercituum: Ego tuli te de pascuis.*] Parui refert , quòd Hebraicè habetur, *de habitaculo, de post oues.* & significatur vile habitaculum pastorum ouium.

Vt esses dux super populum meum , super Israëlem.] Post negatam Dauidi ædificationem templi, subiunguntur beneficia ei collata quatuor , satis clarè scripta in litera.

Vers. 9. *Et fui tecum in omni loco , quo ambulasti, & interfeci.*] Rectiùs legeretur , *& excidi omnes inimicos tuos a facie tua.* Quia etsi omnes inimici Dauidis non fuerunt interfecti ; fuerunt tamen exciſi sic , vt non possent nocere Dauidi.

Et feci tibi nomen magnum iuxta nomen magnorum , qui sunt in terra,

Vers. 10. *Et ponam locum populo meo Israël.*] Tertiò prænunciantur futura beneficia : quorum primum relatiuè ad populum exprimitur : & est , quòd sub regimine tuo ponam locum populo meo Israël ; hoc est , dabo locum firmum, & stabilem, vt non vagetur ; vt non captiuus huc , atque illuc ducatur.

Beneficia Dauidi collata à Deo. Primum.

Et plantabo eum.] hoc est , ad similitudinem plantæ radicatæ in terra firmabo eum.

Et habitabit in eo , & non turbabitur,] Iuxta Hebræum habetur , *& non timebit amplius.* proculdubiò inimicos suos: hæc enim omnia dicuntur ad explanandam firmitatem populi regnante Dauide.

Et non addent filij iniquitatis , vt affligant eum sicut prius.

Vers. 11. *Et à die qua constitui Iudices super populum meum Israel.* Sæpe enim afflicti, & in seruitutem, ac captiuitatem ducti fuerant tempore Iudicum.

Et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis.] *Secundum.* Alterum prænunciatur beneficium ; quod rei probauit euentus.

Prædicétque tibi.] Rectiùs diceretur, *& annunciabit tibi Dominus , quòd domum faciet tibi Dominus.* Tertium prædicitur beneficium ; videlicet , quòd Deus annunciabit tibi facturum se tibi domum : ergo præter istam reuelationem factam per Nathan , alia promittitur reuelatio futura de domo Dauidis. Et hæc futura reuelatio de domo (hoc est, de familia, seu progenie) Dauidis , per Messiam intelligenda est : quæ postea fuit facta Dauidi.

Tertium.

Cum completi fuerint dies tui , & dormieris cum patribus tuis, suscitabo.] Iuxta Hebræum habetur, *firmabo semen tuum post te.* Quartum beneficium de Salomone prædicitur. Vers. 12. *Quartum.*

Quod egredietur de vtero tuo.] Iuxta Hebr. habetur : *Quod egredietur de visceribus tuis.* Salomon siquidem natus non erat tunc , nec mater eius erat tunc ducta in vxorem Dauidis : vt clarè testatur initium, tã octaui, quàm decimi capituli. Non nasciturum igitur post mortem Dauidis, sed post mortem Dauidis firmandum promittitur semen eius , quod egressurum erat tempore istius prophetiæ ex visceribus Dauidis.

Et firmabo.] Iuxta Hebræum habetur, *& dirigam regnum eius* ; hoc enim rei probauit euentus, dante Deo Salomoni pacem , sapientiam, & diuitias ad regnandum.

Ipse ædificabit domum nomini meo.] non tu, sed Salomon filius tuus ædificabit templum non mihi , sed nomini meo. Deus enim vbique est : sed nomen eius non vbique est ; sed duntaxat , vbi nominatur. Et est sermo de nominatione , quæ fit celebri cultu : nomen siquidem Dei non nisi ibi tanquam in templo erat futurum , quoniam ibi duntaxat licitum erat sic inuocare nomen Dei. Vers. 13. *Deus vbique est : nomen verò eius solum , vbi nominatur.*

Et stabiliam.] Iuxta Heb. habetur , *& dirigam thronum regni eius vsque in sempiternum.* Priùs dixerat, *& dirigam regnum eius* : modò dicit, & dirigam regalem sedem in Ierusalem regni eius vsque in sempiternum. Quanuis legi possit vsque in sæculum : & hoc rectè intelligitur : quoniam Salomonis sedes non fuit directa in sempiternum , sed in sæculum.

Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium.] Testatur Dauid 1. Paralip. 22. hæc verba dicta fuisse à Deo de Salomone. Sed prima particula fuit verificata non pro tota vita Salomonis: quoniam cùm esset senex , non veneratus est Deum, vt Patrem ; sed declinauit ad idololatriam: secunda autem particula plus veritatis habuit ; quia etiam peccantem Salomonem in senectute tolerauit Deus in regno tanquam filium. Et hinc discimus , diuinas reuelationes futurorum , necnon promissiones sic intelligi cum moderamine; videlicet , nisi ponamus obicem : promittit enim Deus de Salomone: *Ego ero illi in Patrem , & ipse erit mihi in filium.* & tamen quia Salomon posuit obicem tantæ gratiæ , non fuit hoc verificatum, nisi ad tempus. Vers. 14. *Diuinæ reuelationes & promissiones quomodo intelligendæ.*

Quòd si iniquè aliquid gesserit.] Iuxta Hebræum habetur : *Quo iniquè agente.* Præuidebat Deus , Salomonem peccaturum : & propterea declarat modum futuræ castigationis. Vbi aduerte diligentiùs, quòd non dicit, te Dauide iniquè agente : sed Salomone iniquè agente ; ad continendum Dauidem in timore, quòd si ipse iniquè egerit, irrita erit omnis promissio : filio autem iniquè agente, locus erit subiuncto moderamini castigandi.

Castigabo eum in virga hominum , & in plagis filiorum Adam.] hoc est , castigabo eum castigationibus solitis ex actionibus hominum : qualia sunt bella, seditiones , & huiusmodi. Et similiter castigabo in passionibus plagarum, quas soliti sunt pati filij Adam : vt sunt variæ ægritudines, penuria, epidimia, & huiusmodi.

Miser cordium

Vers. 15. *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul.*] Legendum est: *Et gratia mea non recedet ab eo, sicut feci recedere a Saule.* Ecce, de qua gratia est sermo: videlicet, de gratia quam Deus fecit recedere à concomitantia Saulis: hanc enim gratiam perspicuum est esse gratiam regnandi in successione seminis sui: hæc enim gratia non concomitata est Saüiem: quia semen eius serè statim priuatum est successione regni. Vnde & ad hoc amplius manifestandum subiungitur:

Gratia Dei non recessit à Dauide, sicut à Saule.

Quem amoui à facie mea.] Iuxta Hebræum habetur: *Quem feci cessare a facie tua.* manifestum est enim, quòd Saul in suo semine cessauit à regnando à facie Dauidis. Promittitur itaque, quòd si Salomon iniquè gesserit, castigabitur cum tali moderamine; quòd tamen semen eius regnabit: hæc enim est gratia negata Sauli.

Vers. 16. *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et firma domus tua, & regnum tuum usque semper.* Quintum futurum beneficium prænunciatur: hactenus enim de Salomone, nunc autem de ipso Dauide est sermo: redditur enim ratio antedictæ gratiæ promissæ semini Salomonis: & simul explicatur duratio successionis seminis eius in regno: ratio quidem, quia domus tua, hoc est, quia progenies tua: duratio verò vsque semper: dictum siquidem fuerat in Salomonis gratia, quòd succederet semen eius in regno; sed non fuerat explicata duratio huiusmodi successionis: & propterea nunc explicatur.

Quintum beneficium Dauidi collatum.

Ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter.] Iuxta Hebræum habetur: *In facie tua sedes tua dirigetur usque semper.* Qualiter duratio huiusmodi successionis in regno erit, prænunciatur: videlicet, quòd erit in facie Dauidis, hoc est, intuitu ipsius Dauidis: facie enim cum cognoscatur homo, agnoscendus promittitur Dauid in duratione sedis regiæ per hoc, quòd dicitur, *in facie tua.* Et verè sic euenisse testantur sacræ Historiæ, narrantes successores Dauidis in regali Dauidis sede propter ipsum Dauidem. Quod autem dicitur, *usque semper*, etiam ad literam verificatur propter Messiam ex semine Dauidis promissum Dauidi, cuius regni non erit finis.

Duratio regni Dauidi in facie eius, quid significet.

Vsque semper, quid.

Vers. 17. *Secundum omnia verba hæc, & secundum totam visionem istam, sic locutus est Nathan ad Dauid.*] Sermonem, & visionem simul narrat: sermonem quidem ad differentiam reuelationis per solam visionem, etiam cum illius intelligentia: visionem verò ad differentiam reuelationis per sermonem duntaxat, siue per solum instinctum diuinum, siue per solam auditionem diuinæ vocis in somno, vel vigilia: declaratur enim, quòd cum sermone, & visione fuit reuelatio tota.

Vers. 18. *Ingressus est autem Rex Dauid, & sedit coram Domino.*] Effectus subsecutus narratur, quòd Dauid venit, proculdubiò in tabernaculum, vbi erat Area Dei: & plus animo quàm corpore sedit, quietus coram Deo meditando, & orando.

Cur hic sæpe nominetur Deus: Domine mi Deus: & cur Hebraicè vertis, Adonai Iehouih.

Et dixit: Quis ego, Domine mi Deus, & quæ domus mea, quod adduxisti me hucusque?] Aduerte, prudens lector, quod in tota hac meditatione, ac oratione Dauidis, sæpissime nominatur Deus, *Domine mi Deus*, iuxta vulgatam editionem: Hebraicè autem, *Adonai Iehouih.* Nec, *Iehouih*, est aliud nomen, quàm Iehouah: sed blande loquendo mutatur prolatio, & præponitur nomen Domini cum pronomine, perindè ac diceretur: Domine mi Iehouah: vt consueuimus blandè obsecrando alloqui Principem: & hæc sufficiant pro similibus hic repetitis. Ab humilitate itaque inchoat meditationem suam, conferendo magnitudinem beneficiorum, sui, & domus suæ tenuitati.

Et parum adhuc hoc fuit in oculis tuis, Domine mi Deus; & locutus es etiam de domo serui tui in longinquum, & ista est lex Adam, Domine mi Deus.] Lex sumitur hic pro summo, in quod potest lex: sicut sæpe sumitur hdes pro re credita: ac si diceretur: Ita est vis legis Adam; hoc est, naturalis dictaminis rationis humanæ. Et pronomen demonstrat vtrunque beneficium, quod est prænarratum: videlicet, cælitudo propria, & longæua cælitudo domus suæ. Ex his enim duobus constituitur summum appetibile secundùm dictamen naturale rationis humanæ: communiter enim vniuersus conatus humanus ad hæc duo tendit. Et propterea Dauid considerans hæc duo beneficia diuina affirmata esse sibi à Deo, agnoscit, & fatetur, in his contineri vniuersum desiderabile secundùm naturale dictamen rationis humanæ: & propterea subiungit: Vers. 19.

Lex pro quo hic sumatur.

Homines ad quid communiter tendãt.

Et quid addet Dauid vltra ad loquendum tibi?] hoc est, nihil superest mihi petendum à te, qui omnia contulisti. Vers. 20.

Tu enim scis seruum tuum.] Legendum est, *& tu nosti seruum tuum, Domine mi Deus.* Initium sequentis sententiæ est clausula hæc: tendit enim ad hoc, quod non propter me, quia tu nosti me seruum tuum, quis, qualisque sim: tanquam ipsius Dei notitiam inuocet testem indignitatis propriæ. Et propterea subiungit:

Propter verbum tuum, & secundum cor tuum.] non propter merita mea; sed propter verbum tuum olim dictum Samueli, & secundùm cor tuum, non secundùm alienum consilium, sed ex intima voluntate tua. Vers. 21.

Fecisti omnia magnalia hæc: ita vt notum faceres seruo tuo.] Iuxta Hebræum habetur: *Fecisti omnem magnitudinem istam ad notificandum seruo tuo.* Et est ordo literæ, fecisti ad notificandum seruo tuo omnem magnitudinem istam: priùs siquidem gratias egit de beneficio affirmato: modò autem gratias agit de notificatione tanti beneficij sibi facta.

Ideirco magnificatus es.] Patui refert, quòd Hebraicè habetur: *Ideirco granduisti, Domine Deus.* Et refertur facere Deum secundùm cor, & verbum proprium. Et est sensus: ideo (videlicet, quia facis secundùm cor, & verbum tuum) granduisti, non in teipso, sed in nomine, seu gloria tua apud homines. Vers. 22.

Quia non est similis tibi, neque est Deus præter te.] Nomen est, *Elohim.* Rectè ex hoc, quòd solus ipse est Deus, ratio redditur faciendi secundùm cor, & verbum proprium: si enim haberet parem, quandoque faceret secundùm cor, & verbum illius, qui esset ei par.

Secundum omnia, quæ audiuimus auribus nostris.] Testimonium affert, quòd Deus non habeat parem ab effectibus eius in populo Israel, quos a patribus audierat. Quos effectus subiungit:

Et quæ est, sicut populus tuus, sicut Israel, gens vna in terra?] Singulare beneficium redemptionis populi ex Ægypto cum tot adiunctis mirabilibus, & terribilibus, ad hoc, vt Israel esset Deo Vers. 23.

Redemptio populi Israel ex Ægypto

eum aliis mirabilibus. Deum illi faciunt in Deum.

Deo in populum peculiarem, & Deus esset illi in Deum. (hoc est, peculiariter coleretur ab illo vt Deus.) narratur vt singulare factum, nulli alij populo collatum, nec à Deo vero, nec à Deo opinato.

Propter quam iuerit Deus, vt redimeret eam sibi in populum.] Iuxta Hebræum habetur: *ad quam iuerunt Elohim, ad redimendum sibi in populum, & ad ponendum sibi nomen.* Et significanter dicitur in numero plurali, *iuerunt Elohim:*

Elohim pro Deo vero, & pro opinato.

quoniam distribuitur *Elohim* pro Deo vero, & pro Deo opinato: est enim sensus, quæ est gens vna, ad quam redimendam sibi in populum iuerunt Elohim, siue Deus verus, siue Deus opinatus quicunque: quasi dicat: Nulla sicut populus tuus Israël. Et in hoc significatur singularitas facti diuini in populo Israël: ita quòd nullus Deus par est Deo vero in tali facto, nec aliqua gens assimilatur populo Israël in tali beneficio cum annexis mirabilibus subiunctis.

Facere eis magnalia & horribilia super terram.] Iuxta Hebræum habetur, *& ad faciendum vobis magnitudinem, & terribilia terræ tuæ, à facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentibus, & Elohe eius?* Mirabilis valdè est adiectio pronominis, *vobis*, dicendo, *& ad faciendum vobis magnitudinem*: manifestè siquidem vniuersus ille Dauidis sermo dirigitur ad Deum: vt tam antecedentia, quàm sequentia testantur. Et hæc est prima littera, in qua Deus significatur per pronomen, *vos*. Veruntamen, quemadmodum crebrò

An Deus demonstretur per pronomen, vos

denominat Deum *Adonai* (hoc est, Domini mei) in numero plurali casus vocatiui, sic licuit demonstrare Deum per pronomen, *vobis*, in casu datiuo: eadem siquidem honoris ratio ex vtu loquendi est vtrobique. Et esset sensus, ad faciendum vobis Deo, hoc est, ad diuinā gloriam, magnitudinem in operibus. Consultius tamen pronomen, *vobis*, demonstrat Elohim antedictos: dixerat enim, *& iuxta Elohim*. ita quòd sermoni de Elohim in tertia persona, inseritur verba ad Elohim in secunda persona, alloquendo eos ad faciendum vobis Elohim magnitudinem operum & gloriæ: dictum est autem, quòd Elohim hoc in loco supponitur communiter pro Deo vero, & Diis opinatis. Et hic sensus complectendus est ad litteram: quoniam huiusmodi mutatio sermonis de tertia in secundam personam non est insolita in sactis Libris; & quadrat contextui, vt dicatur, ad faciendum quidem vobis Elohim magnitudinem, terræ autem tuæ terribilia: qualia facta sunt tempore Iosuæ a facie populi Israël redempti ex Ægypto, & ex gentibus Hamaleech, & Emoræis, & reliquis trans fluuium, & Diis eorum, tām Ægyptiorum, quàm aliorum.

Vers. 24. *Et confirmasti enim tibi populum tuum Israël in populum sempiternum.*] Legendum est: *Et direxisti tibi populum tuum Israël, tibi in populum vsque semper.* Sententia clara est.

Et tu, Domine Deus, factus es eis in Deum.] Legendum est, *& tu Iehouah fuisti eis in Elohim.* hoc est, in gubernatorem cuiusmodi ab eis.

Vers. 25. *Et nunc, Domine Deus.*] Legendum hac vice est, non *Adonai Iehouah* (vt in aliis locis huius supplicationis,) sed: *Et nunc Iehouah Elohim verbum, quod locutus es super seruum tuum, & super domum eius.* Narrauit hactenus commendando beneficia: incipit modo supplicare inchoans à stabilitudine diuini verbi super ipsum, & domum eius vsque semper.

Suscita in sempiternum.] Legendum est: *Fac firmare vsque semper, & fac, secundum quod locutus es.* Rationem faciendi adiungit satis claram.

Et magnificabitur nomen tuum vsque semper dicendo: Dominus Deus exercituum.] Legendum est, *Iehouah exercituum Elohim super Israel.* Magnificationem diuini nominis secuturam proponit in perseuerantia confitendi, quòd summus Deus exercituum est Elohim (hoc est, gubernator) super Israel. Vers. 26.

Et domus serui tui Dauid erit stabilita.] Legendum est: *dirigetur coram te.* Ecce, vnde perseuerabit prædicta confessio: ex hoc, videlicet, quòd domus Dauidis dirigetur coram Deo. Et verum dixit: quia, vt res probauit euentus, quotiescunque Reges ex domo Dauidis directi sunt secundùm Deum, magnificatum est diuinum nomen.

Diuinum nomen magnificatū est, quotiescunque Reges Israel secundum Deū directi sunt.

Quia tu, Domine exercituum.] Ratio excusans præsumptionem Dauidis, ad petendum talia pro domo sua, affertur. Vers. 27.

Deus Israel.] Hebraicè habetur: *Elohe Israëlis.* quòd sæpè declaratum est.

Reuelasti autem seruo tuo.] per sermonem Nathan Prophetæ.

Dicendo: Domum ædificabo tibi: ideò inuenit seruus tuus cor suum ad orandum ad te orationem hanc.

Et nunc, Domine mi Deus, tu es Deus.] Legendum est, *tu ipse Elohim.* hoc est, tu es ipse, qui gubernas, & iudicas omnia. Vers. 28.

Et verba tua erunt vera.] Iuxta Hebræum habetur, *& verba tua erunt veritas.* Supplicatio est: & est sensus: Et verba tua non sint tanquàm verba comminationis, & promissionis secundùm præsentem dispositionem secundarum causarum; sed sint veritas simpliciter, & absolutè.

Et locutus es ad seruum tuum bonum hoc.

Incipe ergo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc velis.* est enim secunda persona Imperatiui. Ad hoc vt verba simpliciter verificentur, diuina exigitur voluntas. Vers. 29.

Et benedic domui serui tui, vt sit in sæculum coram te.] Omne bonum sub benedictione comprehenditur: & petitur relatiuè ad hoc, vt domus Dauidis sit semper coram Deo: quod est esse semper placitam Deo, quod est niti ad placendum Deo semper.

Benedictio Dei omnia bona comprehendit.

Quia tu, Domine mi Deus, locutus es hæc.] Superfluit, *hæc.* Ratio benedicendi redditur diuinus sermo ad Nathan.

Et benedictione tua benedicetur domus serui tui in sæculum.] Efficacia diuinæ benedictionis pro altera ratione benedicendi affertur.

CAPVT VIII.

ACTVM *est autem post hæc.*] Legendum est: *Et fuit post sic.* Scito, prudens lector, quòd infinities Interpres loco, *fuit*, ponit; *factum est*: & similiter infinities loco, *sic*, ponit, *hæc*: sed ferè semper pertransimus, quia non variatur sententia. Ordo itaque temporis significatur inter reuelationem, supplicationémque antedictam, & subiuncta prælia. Vers. 1.

Fuit, pro, factum est. & sic, pro, hæc.

Et percussit Dauid Philisthæum, & humiliauit eos: tulitque Dauid frænum tributi.] Iuxta Hebræum habetur, *frænum aquæductus de manu Philisthæi.* Et sermone metaphorico significatur principatus: quemadmodum enim is, cuius est frænare aquæ

Metaphoricè exprimitur

Dispositio Principis de bonis subditorum.

aquæductum, disponit de aqua (tollendo, vel communicando eam:) ita Princeps disponit de bono subditorum. Principatum itaque, quem multo tempore obtinuerant Philisthim super Israël, abstulit Dauid.

Vers. 2.

Et percussit Moab, & mensus est eos funiculo coæquando eos terræ.] Longè plus depressit Moabitas, quàm Philisthinos: nam Philisthinos humiliauit: Moabitas autem sic prostrauit, vt æquauerit eos terræ. Et fortè, ad literam, diruit arces eorum vsque ad solum.

Quid intelligatur per funiculos, quibus Dauid mensus est Moabitas.

Mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum.] Iuxta Hebr. habetur, *& mensus est duos funiculos, ad moriendum; & plenitudinem funiculi ad viuificandum.* Et potest dupliciter hæc litera legi: vel intelligendo duos funiculos ad moriendum, & tertium ad viuificandum: vel faciendo punctum post funiculos; ita vt duo tantùm significentur funiculi, appositiuè explicati, alter ad moriendi, alter cum plenitudine ad viuificandum. Et hic sensus quadrat magis mansuetudini Dauidis: præsertim, quòd nulla in sacra Scriptura scribitur causa belli huius contra Moabitas, nisi communis Moabitis, & multis aliis nationibus, in Psal. 83. dicendo: *Moab, & Hagareni*, &c. Ad instar itaque metientis agros funiculis, describitur, tam cædes, quàm clementia Dauidis in Moabitas: ad insinuandum, quòd non promiscuè, ferino furore, occidi fecerit multos; sed cum mensura, proculdubiò iustitiæ. Scribitur autem hoc ad exemplum aliorum Principum: vt discant metiri funiculo iustitiæ eadem. Maiórque clementia significatur dicendo, *& plenitudinem funiculi ad viuificandum.* vt funiculus mortis insinuetur manens; funiculus verò vitæ insinuetur plenus: propensiores enim debent esse Principes ad vitam hostium, quàm ad mortem eorum.

Propensiores debent esse Principes ad vitam, quàm ad mortem hostium.

Factúsque est Moab Dauid seruiens sub tributo.] Iuxta Hebræum habetur, *& fuit Moab Dauidi in seruos portatores muneris.* hoc est, in seruos tributarios.

Vers. 3.

Et percussit Dauid Hadar-hezer, filium Rechob, Regem Zoba, quando profectus est, vt dominaretur super flumen Euphratem.] Iuxta Hebræum habetur, *in profectione sua ad faciendum restituere terminum suum in flumine Pgrath.* hoc est, Euphratis. Tanquàm occupata ab aliis regio vsque ad Euphratem restituenda Israëli narratur, eo quòd erat Israëlis à Deo ei data: vt Moses scripserat. Dauidis siquidem tempore executioni mandata est diuina largitio. Significanter autem apponitur tempus profectionis ad dominandum vsque ad Euphratem: quia in hoc capitulo summantur diuersa bella, quorum ordo posteà explicabitur in sequentibus capitulis: hoc enim bellum fuit post illatam Legatis Dauidis à Rege Hammonitarum iniuriam: vt clarè inferiùs narratur.

Deus dedit Israëlitis omnem regionem vsque ad Euphratem.

Vers. 4.

Cepitque Dauid ex eis mille, & septingentos equites, & viginti millia virorum peditum: & subnervauit Dauid omnem currum, & dereliquit ex eis centum currus.

Vers. 5.

Et venit Syria Damasci ad auxiliandum Hadar-hezer Regi Zoba: & percussit Dauid de Syria viginti duo millia virorum.

Vers. 6.

Et posuit Dauid præsidium in Syria Damasci.] Quamuis Hebraice scribatur, *Præsides in Aram Dammesec.* sententia tamen rectè reddita est: quoniam non solæ personæ Præfectorum, sed cum multitudine militum ad seruandum Damascum sub dominio Dauidis positæ sunt.

Et fuit Aram Dauidi in seruos portatores muneris: seruauitque Dominus Dauidem in omni loco, ad quem profectus est. Vers. 7.

Et tulit Dauid arma aurea, & torques aureos.] Iuxta Hebræum habetur, *scuta aurea, quæ habebant serui Hadar-hezer.* Nec alia aurea memorantur.

Et detulit ea in Ierusalaim.

Et de Betach, & de Berothai, ciuitatibus Hadar-hezer, tulit Rex Dauid æs multum valdè. De quo fecit Salomon omnia vasa ærea in templo, & mare æneum, & columnas, & altare.] Superfluit hæc vltima particula sedecim dictionum. Vers. 8.

Audiuit autem Thohi, Rex Chamath, quòd percussit Dauid totum robur Hadar-hezer. Vers. 9.

Misitque Thohi Ioram filium suum ad Regem Dauid, vt salutaret eum congratulans.] Iuxta Hebræum habetur, *ad petendum sibi pacem.* Sententia clara est. Vers. 10.

Et ad benedicendum ei, eò quòd pugnasset contrà Hadar-hezer, & percussisset eum: quia vir belli Thohi fuit Hadar-hezer: & in manu eius erant vasa argentea, & vasa aurea, & vasa ærea.

Etiam ea sanctificauit Rex Dauid Domino.] hoc est, dicauit ad cultum Dei in templo ædificando per filium. Vers. 11.

Sanctificare, id est, dicare ad cultū Dei.

Cum argento, & auro, quæ sanctificauerat de vniuersis gentibus, quas subegerat.

De Syria, & de Moab, & de filiis Hammon, & de Philisthim, & de Hamalec; & de manubiis.] Legendum est, *& de præda Hadar-hezer filij Rechob, Regis Zoba.* sic enim habetur Hebraice. Vers. 12.

Fecitque quoque Dauid sibi nomen, cum reuerteretur à cædendo Syriam in valle salis: decem, & octo millia.] Superfluit dictio, *sibi.* Triumphale signum significatur constructum à Dauide, propter quod punitus fuit rebellione Idumææ, vt 3. Reg. 11. insinuatur. Vers. 13.

Triumphale signum sibi Dauid construxit debellata Syria.

Et in Gebelem ad viginti tria millia.] Non habetur hæc clausula in Hebræo: sed narrata percussione decem & octo millium Syrorum, in valle salis, statim subiungitur:

Et posuit in Edom Præsides, in tota Edom posuit Præsides: & fuit tota Edom serui Dauidi.] Et sic adimpleta est prophetia reuelata Rebeccæ Gen. 25. *Et maior seruiet minori.* Vers. 14. Genes. 25.

Et seruauit Dominus Dauidem in omni loco, ad quem profectus est.

Regnauitque Dauid super totum Israël: & Dauid faciebat iudicium, & iustitiam toti populo suo.] Consueuerant tunc Reges per seipsos audire causas. Vers. 15.

Ioab autem, filius Zeruiæ, erat super exercitum: & Iehosaphat, filius Achilud, erat à commentariis.] Iuxta Hebræum habetur, *faciens recordari.* Nec est perspicuum, an officium huius esset scribere annales historias summariè (vt intellexit Interpres dicendo, *erat à commentariis*;) an officium eius erat reuocare ad memoriam Regis expediendas causas. Vers. 16.

A commentariis, quod officium erat.

Et Zadoc, filius Achitub, & Achimelech, filius Ebiathar, Sacerdotes; & Seraia Scriba.] Qui vocatur Cancellarius significatur. Vers. 17.

Cancellarius apud Heb. Scriba nominatur.

Et Benaiahu, filius Iehoiadah, super Cherethæos, & Plethæos.] Iuxta Hebræum habetur, *& Cherethi, & Plethi.* Et ab excisione, ac iudicio vocabula hæc deducuntur: integrabant enim hi custodiam regiã: eorúmque officium erat exequi iudicia Regis, & excidere, cùm opus erat: erãt enim Vers. 18.

Custodes Regij, eorumque officium.

viri robusti, valdéque fideles Dauidi. Et propter eorum eminentiam non dicitur, quòd Benaias fuerit super eos; cùm tamen esset caput eorum: sed dicitur Benaias, & Cherethi, & Pelethi, vt tanquàm socij supputentur.

Sacerdotis nomen non semper est accipiendum, sed dignitatis.

Filij autem Dauid Sacerdotes erant.] Sacerdos, non est hic nomen ordinis, sed dignitatis: erant enim filij Dauidis primi, vt paralipomenon explicat: & ideò quoad dignitatem Sacerdotes (qui alijs præferebantur) dicuntur.

CAPVT IX.

Vers. 1. ET *dixit Dauid: An est adhuc, qui remanserit domus Saulis, & faciam cum eo misericordiam.*] Legendum est, *gratiam propter Ichonathan?* Memor fœderis inter se, & Ionatham, inquirit, an remanserit aliquis.

Vers. 2. *Erat autem domui Saul seruus nomine Ziba, & vocauerunt eum ad Dauid: dixitque Rex ad eum: Nonne tu es Ziba? & dixit: Sum seruus tuus.*

Vers. 3. *Et dixit Rex: Num remansit adhuc aliquis domui Saul, & faciam cum eo misericordiam Dei?*] Legendum est, *gratiam Eleim?* Propter ignorandum interpositum in fœdere appellauit, *gratiam Eleim.*

Dixitque Ziba ad Regem: Adhuc est filius Ichonathan debilis.] Legendum est, *claudus pedibus*: vt etiam superiùs dictum est.

Vers. 4. *Dixitque ei Rex: Vbi est? Et dixit Ziba ad Regem: Ecce est in domo Machir, filij Hammiel in Lodebar.*

Vers. 5. *Misitque Rex Dauid: & tulit eum de domo Machir, filij Hammiel de Lodebar.*

Vers. 6. *Et venit Mephiboseth, filius Ichonathan, filij Saul ad Dauid, & corruit super faciem suam, & adorauit eum: dixitque Dauid Mephiboseth, & dixit: Ecce seruus tuus.*

Vers. 7. *Dixitque ei Dauid: Ne timeas.*] vocati à me, tanquam inimicus puniendus.

Misericordia, pro gratia.

Quia faciens faciam tecum misericordiam propter Ichonathan patrem tuum.] Sæpissimè vtitur Interpres, *misericordia tua*, pro *gratia*.

Et reddere faciam tibi omnem agrum Saul patris tui: & tu comedes panem super mensam meam semper.

Vers. 8. *Et adorauit eum, & dixit: Quid est seruus tuus, quòd respexeris super canem mortuum, qui est similis ego?*

Vers. 9. *Vocauitque Rex Zibam puerum Saul, & dixit ad eum. Omne, quod fuit Saulis, & vniuersam domum eius.*] Legendum est, *& vniuersæ domui eius dedi filio domini tui.* datum enim cassus est, tam Saul, quam vniuersa eius domus. Et est sensus, quòd omnes facultates Saulis, & filiorum eius dedi Mephiboseth.

Vers. 10. *Colliges igitur ei terram, tu, & filij tui, & serui tui; & asseres, & erit filio domini tui panis, & comedet ipse.*] scilicet, filius Mephiboseth: is enim alendus erat ex prouentibus agrorum: nam de Mephiboseth subiungitur, quòd ipse vesceretur de mensa Regis. *Mephiboseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam. Et Ziba erant ei quindecim filij, & viginti serui.*

Vers. 11. *Dixitque Ziba ad Regem: Iuxta omnia, quæ præcepit dominus meus Rex seruo suo, sic faciet seruus tuus. & Mephiboseth comedet super mensam meam, quasi vnus de filijs Regis.* Attende, prudès lector, quod subintelligatur apud Regem repentinè hæc verba ita quodammodo ore Ziba, *faciet seruus tuus sicut iussisti*; repetit Rex, *& Mephiboseth comedet super mensam meam, tanquàm filius Regis*: hoc est, habebit portionem ex mensa mea, quemadmodum habent filij Regis. Et in hoc Dauid optimè seruauit fœdus, quod fecerat cum Ionatha assimilando filium Ionathæ propriis filiis.

Dauid assumsit Ionathæ præpotentiam, vt seruaret fœdus inter eos pactum.

Habebátque Mephiboseth filium parmum, nomine Micha. Omnis verò cognatio.] Iuxta Hebræum habetur, *& omnes habitatores.* hoc est, omnes habitantes, tam filij, quàm serui, &c. Vers. 12.

Domus Ziba, serui erant Mephiboseth.

Et Mephiboseth manebat in Ierusalem, quia ipse super mensam Regis semper comedebat: & erat claudus vtroque pede.] Vers. 13.

CAPVT X.

FACTVM *est autem post hæc.*] Legendum est: *Et fuit post hæc mortuus est Rex filiorum Hammon.* Significatur autem ordo temporis inter beneficium exhibitum filio Ionathæ, & mortẽ Regis Hammonitarum, & non significatur ordo temporis inter mortem Regis Hammonitarum, & res gestas, & scriptas in cap. 8 quoniam ibi summariè per capita collecta sunt vniuersa bella gesta à Dauide, vt priùs diximus. Vers. 1.

Et regnauit Chanun filius eius pro eo.

Dixitque Dauid: Faciam misericordiam cũ Chanun filio Nachas.] Iam dictum est, & hîc in similibus loco *misericordiam*, legendum esse *gratiam.* Vers. 2.

Misericordia, pro gratia.

Sicut fecit pater eius mecum gratiam.] Quando, & qualem, Nachas Rex Hammonitarũ contulerit Dauid gratiam, nulla authentica scriptura tradit.

Et misit Dauid ad consolandum eum per manum seruorum suorum super morte patris eius: veneruntque serui Dauid in terram filiorum Hammon.

Et dixerunt Principes filiorum Hammon ad Chanum dominum suum, an honorat Dauid patrem tuum in oculis tuis, quod miserit ad te consolatores?] Mali Principes interpretantes officiũ honoris defuncti patris corã filio in officium explorationis. Vers. 3.

Et non venerit vt te inuestigaret.] Iuxta Hebræum habetur: *Nonne, vt inuestigaret ciuitatem, & exploraret eam.* Diligentia explorandi per annexam inuestigationem declaratur.

Et vt everteret ea, misit Dauid seruos suos ad te?

Tulit itaque Chanum seruos Dauid, & rasit dimidium barbæ eorum, & præcidit vestes eorum in medio vsque ad nates eorum: & dimisit eos.] Ecce ignominia cuiusmodi tantorum præliorum. Vers. 4.

Nunciatumque est Dauid, & misit in occursum eorum.] tum ad consolandum, tum ad induendum, tum ad deputandum illis locum, vbi manere possent. Vers. 5.

Erant enim viri confusi turpiter valdè. Interpres addidit dictionem, *turpiter*, exaggerandi gratia.

Et dixit eis Rex: Manete in Iericho, donec crescat barba vestra, & reuertemini.] Vrebantur enim tunc temporis barbæ: & propterea turpis apparebat vt rasa barba.

Viderunt autem filij Hammon, quòd iniuriam fecissent Dauidi.] Iuxta Hebr. habetur, *quod fuerunt abominati Dauidem.* Verè tanquàm abominantes Dauidem illius legatos ciecerunt ignominiosè ad eos. Vers. 6.

Et miserunt filij Hammon, & mercede conduxerunt Syriam Beth-rechob, & Syriam Zoba viginti millia peditum, & a Rege Maacha mille viros.] Non solùm iniuriam intulerunt, sed & bellum addere curauerunt.

Et ab Is-tob decem millia virorum.] Legendum est, *duodecim millia virorum.* hic enim numerus habetur Hebraicè.

Vers. 7. *Audiitque Dauid: & misit Ioab, & totum exercitum bellatorum.*] Legendum esset, *potentium.*

Non expectãdus hostis. Sapienter Dauid noluit expectare, vt exercitus conuenirent in terram suam; sed ad terram hostium misit suum exercitum.

Vers. 8. *Egressi sunt autem filij Hammon, & disposuerunt prælium ad introitum portæ: Syriáque Zoba, & Rechob, & Is-tob, & Mahacha seorsum erant in campo.*

Vers. 9. *Viditque Ioab, quòd præparatum esset aduersum se prælium antè, & retrò: & elegit ex omnibus electis in Israel, & disposuit in occursum Syriæ.*

Vers. 10. *Reliquum verò populi dedit in manum Abisai fratris sui: & disposuit in occursum filiorum Hammon.*] Prudenter Ioab medium se videns inter duos exercitus inimicorum, diuisit suum exercitum in duas partes è regione vtriusque exercitus: vt & neuter haberetur à tergo, & mutuò sese adiuuare possent ipse, & frater eius, vtpote in medio existentes.

Exercitũ suũ prudenter diuisit Ioab.

Vers. 11. *Dixitque: Si fortior me fuerit Syria, eris mihi in salutem. & si filij Hammon fuerint fortiores te, veniam ad saluandum te.*

Vers. 12. *Roborare, & roboremur pro populo nostro, & pro ciuitate Dei nostri.*] Legendum est, *& pro ciuitatibus Eloha nostri.* agebatur enim, non de vna ciuitate, sed de vniuerso statu.

Dominus autem faciat, quod bonum est in oculis suis.

Vers. 13. *Appropinquauitque Ioab, & populus, qui erat cum eo, ad prælium contra Syros: & fugerunt à facie eius.*

Vers. 14. *Filij autem Hammon viderunt, quòd fugerent Syri, & fugerunt à facie Abisai, & ingressi sunt ciuitatem: reuersúsque est Ioab à filiis Hammon, & venit in Ierusalaim.*

Vers. 15. *Videntes igitur Syri, quòd corruissent coram Israël.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit Aram, quòd fuit mortificatus coram Israel: & congregati sunt simul.* Susceperunt belli causam Syri, videntes se cæsos ab Israël: frequenter enim Aram ponitur pro Syro.

Aram, pro Syro, & pro Aramæo.

Vers. 16. *Misitque Hadar-hezer.*] Non scribitur, quòd Hammon miserit, quemadmodum priùs: sed, quòd ipse Rex Sobæ miserit ad congregandum alium exercitum.

Et eduxit Syros, qui erant trans fluuium.] Et hîc quoque non Syrus, sed Aram scribitur. Et est sermo de flumine, qui appellatur Euphrates: vt hinc intelligamus, quòd Hebræi vtuntur Aram, & pro Syro, & pro Aramæo populo Mesopotamiæ.

Et adduxit eorum exercitum. Iuxta Hebr. habetur, *& venerunt Chelam.* Nomen est proprium loci.

Et Sobach, Princeps militiæ Hadar-hezer ante eos.] Modus, quo venerunt ex Mesopotamia ad Chelam describitur; videlicet, antecedente eos Principe militiæ Hadar-hezer.

Vers. 17. *Nunciatum est autem Dauidi, & contraxit omnem Israel.*] Legendum est, *& congregauit omnem Israel.* Iturus Dauid personaliter vniuersum Israelem congregauit.

Et transijt Iarden, & venit ad Chelam.] regionem, in qua erat exercitus inimicorum.

Et disposuerunt Syri in occursum Dauid, & pugnauerunt cum eo.

Vers. 18. *Fugérúntque Syri à facie Israëlis: & occidit Dauid de Syris.*] Legendum esset, *de Aram septingentos currus, & quadraginta millia equitum.* Sed mixti erant Syri cum iis, qui venerant ex Mesopotamia. Et diligenter annotabis, quòd hîc supputantur interfecti: in cap. verò 8. supputantur capti ex exercitu Hadar hezer: & propterea alius numerus scribitur ibi, & alius hîc, & non ideò quòd diuersa scribantur bella hîc, & ibi: idem enim vtrobique bellum scribitur: sed manifestè litera ibi loquitur de captis, hîc de occisis.

Idem bellum hîc describitur, & cap. 8.

Et Sobach Principem militiæ eius percussit, & mortuus est ibi.

Vers. 19. *Videntes autem vniuersi Reges, qui erant in præsidio.*] Iuxta Hebræum habetur: *Viderunt autem omnes Reges serui Hadar-hezer, quòd fuerunt mortificati coram Israele.* Significantur enim Reges tributarij ipsi Regi Hadar-hezer, inter quos intelligendus est Damascus, qui opem tulisse Hadarhezer scriptus est cap. 8.

Et expauerunt, & fugerunt quinquaginta, & octo millia coram Israel.] Non habetur hæc clausula in Hebræo: sed immediatè subiungitur.

Et fecerunt pacem cum Israel, & seruierunt eis.] Ecce causa, & modus, quo gesta sunt, quæ summata fuerunt in cap. 8. ex hoc enim bello iniusto contra Dauidem effecti sunt serui Israel.

Timuerúntque Syri auxiliari vltrà filiis Hammon.] Hinc ergo factum est, vt Hammonitæ destituti fuerint auxilio Syrorum, & sibiptis relicti sunt.

CAPVT XI.

Vers. 1. *ET fuit in reuersione anni, tempore, quo solent Reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab, & seruos suos cum eo, & totum Israel, & vastauerunt filios Hammon, & obsederunt Rabbam.*] Destitutos Hammonitas ab exteris facilè vastauerunt Israëlitæ, & regiam ciuitatem obsederunt.

Dauid autem mansit in Ierusalaim.

Vers. 2. *Dum hæc agerentur, accidit quadam die, vt surgeret Dauid de stratu suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit tempore vespertino, & surrexit Dauid de stratu suo, & fuit super tectum domus Regis.* Ex aula, in qua erat lectus eius, surrexit hora vespertina ascendens super tectum: æstiuum siquidem tempus insinuatur, quo delectabile est hora vespertina morari super tectum, sub diuo: erãt enim tecta regionis illius pauimẽtata sub diuo, quemadmodum hodiè apud nos Caietæ sunt. Tempus enim primi veris, quo Reges egrediuntur ad bellum, in principio huius capituli narratum, refertur ad missionem Ioab cum exercitu aduersùs Hammonitas, & non extenditur ad ascensum Dauidis super tectum: sed hîc ascensus narratur pugnante Ioab contra Hammonitas. Ex subiunctis autem perspicuum est, multo tempore durasse huiusmodi obsidionem: nam & Vrias Hethæus durante illa occisus est, & posteà Dauid personaliter ad capiendum ciuitatem regiam iuit.

Tecta Hebræorũ erant pauimentata sub diuo.

Obsidio Hãmonitarũ per Ioab multum duranit.

Viditq; mulierem lauantem se è tecto.] Hinc discimus, quàm periculosus sit mulierum aspectus: cùm tantus vir, habens tot vxores, ex visu mulieris ruerit in tot crimina.

Mulierum aspectus periculosus.

Et mulier erat pulchra valdè.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *bona aspectu valdè.* in idem enim redit sententia.

Vers. 3. *Misitque Dauid, & requisiuit de muliere: & dictum est ei, quòd ipsa esset Bethsabe.*] Corrupte Hebraicum nomen (videlicet *Bathsebah*) profertur.

Filia Eliham, vxor Vri-ie Chitthei.

Vers. 4. *Misitque Dauid nuncios, & tulit eam: quæ cùm venisset ad illum, dormiuit cum ea, statimque sanctificata est ab immunditia sua.*] Sententia rectè redditur: videlicet, munditia à menstruo, quæ comes est conceptionis.

Munditia à menstruo, comes conceptionis.

Vers. 5. *Et reuersa est ad domum suam. Et concepit mulier: misitque, & nunciauit Dauidi, & dixit: Ego concepi.*

Vers. 6. *Misit autem Dauid ad Ioab: Mitte ad me Vriã Chittheum: & misit Ioab Vri-iam ad Dauidem.*

Vers. 7. *Et venit Vri-ias ad eum: Quæsiuitque Dauid, quã rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo administraretur bellũ.* Parui refert, quòd Hebraice habetur, *& interrogauit Dauid de pace Ioab, & de pace populi, & de pace belli.* Modus loquendi Hebraicus est pacis nomine vtendo, pro vniuerso bono.

Pax, pro vniuerso bono.

Vers. 8. *Dixitque Dauid ad Vri-iam: Descende in domum tuam, & laua pedes tuos.*] Ad occultandum partem conceptæ prolis tendebat vniuersum studium Dauidis.

Egressúsque est Vri-ias de domo Regis, secutúsque est eum cibus regius.] honoris gratia, vt hilarior esset cum vxore sua.

Vers. 9. *Dormiuit autem Vri-ias ad portam domus Regis cum omnibus seruis domini sui: & non descendit in domum suam.*

Vers. 10. *Nunciatúmque est Dauidi dicendo: Non descendit Vri-ias in domum suam. Et dixit Dauid ad Vri-iam: Nónne tu de via venis? cur non descendisti in domum tuam?*

Vers. 11. *Dixitque Vri-ias ad Dauid: Arca Dei.*] Superfluit, *Dei*: subintelligitur tamen.

Et Israël, & Iehuda manent in tabernaculis, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem agri manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? per salutem tuam, & salutem animæ tuæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Viua tua, & viuat anima tua, non faciam rem hanc.* Vitam corporalem, & vitam spiritualem ipsius Dauidis obtestatur iuramento execratorio.

Iuramentum execratorium quale.

Vers. 12. *Et dixit Dauid ad Vri-iam: Mane hic etiam hodie, & cras dimittam te. Mansitque Vri-ias in Ierusalem die illa, & sequenti.*] hoc est, in die quo venit, & die immediate sequenti: hic enim veritas est: *Mane etiam hodie, & cras mittam te.* Duabus enim duntaxat noctibus in Ierusalem mansit.

Vers. 13. *Vocauitque eum Dauid, & comedere fecit eum coram se, & bibere, & inebriauit eum.*] Modus autem, quo inebriauit eum, non est scriptus. Nihil prætermisit Dauid, vt induceret Vriam, vel ebrium, ad dormiendum cum vxore sua.

Qui egressus est ve, peris ad dormiendum in stratu suo cum seruis domini sui; & in domum suam non descendit.

Vers. 14. *Et fuit in mane.*] secundæ proculdubiò noctis.

Vers. 15. *Scripsit Dauid epistolam ad Ioab: misitque per manum Vri-æ.*

Amor mulieris quò ducat. *Et scripsit in epistola dicendo: Ponite Vri-iam ex aduerso prælij fortis, & derelinquite eum, vt percutiatur, & moriatur.*] Vide, quò ducit amor mulieris.

Vers. 16. *Igitur, cùm Ioab obsideret vrbem.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et fuit custodiente Ioab ciuitatem, & dedit Vri-iam ad locum, in quo nouit, quod viri fortitudinis ibi.*] Iniquum mandatum Dauidis subsecuta est inique obedientia Ioab: non enim excusatur minister Principis occidendo ex iussu Principis virum indemnatum, in quo nulla apparet iniquitas digna morte.

Iniqua est obedientia, cũ mãdatum est iniquum.

Egressíque sunt viri ciuitatis, & pugnauerunt cũ Ioab: & ceciderunt de populo de seruis Dauid, & mortuus est etiam Vrias Chittheus.] Non solus Vrias occisus est à Dauide; sed cum ipso multi alij: ita quòd multorum homicidiorum reus fuit Dauid: & propterea pœnitens postea supplicabat: *Libera me de sanguinibus, Deus.* Vers. 17.

Multorum homicidiorum reus fuit Dauid, occidens Vriam.

Misitque Ioab: & nunciauit Dauidi omnia verba prælij. Vers. 18.

Et præcepit nuncio dicendo: Cùm compleueris omnia verba prælij loqui ad Regem. Vers. 19.

Si asciderit ira Regis, & dixerit tibi: Cur accessistis ad ciuitatem, vt præliaremini? Nónne scitis quod proicerent ex muro? Vers. 20.

Quis percussit Abimelech, filium Ierubbeseth, nónne mulier proiecit super eum fragmen molæ de muro, & mortuus est in Thebez? Cur accessisti ad murum? Dices: etiam seruus tuus Vri-ias Chittheus mortuus est.] Ad mitigandum iram Regis instruit nunciũ, vt mortem Vriæ placenté Regi adiungat. Vers. 21.

Abiitque nuncius, & venit, & nunciauit Dauidi omnia, pro quibus miserat eum Ioab. Vers. 22.

Et dixit nuncius ad Dauid: Præualuerunt contra nos viri, & egressi sunt ad nos in agrum, nosmétque contra eos vsque ad introitum portæ. Vers. 23.

Et sagittauerunt sagittarij ad seruos tuos de muro: & mortui sunt de seruis Regis, & etiam seruus tuus Vri-ias Chittheus mortuus est.] Hinc apparet prudentia nuncij, non expectantis, vt Rex iraseceretur, sed præuenientis illius ira: perpenderat enim ex verbis Ioab placere ita Regi mortem Vriæ, vt nunciare illius mortẽ esset medicina reliqui mali. Vers. 24.

Nuncij prudentia, præuenit iram eius, cui nuncia.

Et dixit Dauid ad nuncium: Sic dices ad Ioab: Non te frangat ista res: varius enim euentus est belli, & nunc hanc, & nunc illum consumit gladius. Iuxta Hebræum habetur: *Non displicebit in oculis tuis res ista: quia, sicut hunc, & sicut hunc vorabit gladius.* Nihil pendit stragem suorum, effectus voti compos: & ex communiter accidentibus confortat Ioab. Hebraïcæ autem phrasi tribuitur, *sicut hunc, & sicut hunc*: quod Latine diceremus: sicus vnam partem, ita & alteram. Vers. 25.

Et fortia bellatores tuos aduerrùs vrbem, vt destruas eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Robora bellum tuum ad ciuitatem, & destrue eam.* Quòd autem subiungitur:

Et exhortare eos.] Iuxta Hebræum habetur, *& conforta eum.* Sũtque verba hæc Dauidis ad nuncium: mandat siquidem nuncio duo: videlicet, vt supradicta referat Ioab, & vt confortet ipsum Ioab.

Audiuit autem vxor Vri-æ, quòd mortuus esset Vri-as vir suus: & planxit eum. Vers. 26.

Transiitque luctus: & misit Dauid, & collegit eam in domum suam, & fuit ei in vxorem, & peperit ei filium.] Et in hoc facto publicauit adulterium, patiente præsertim illa in tam breui tempore post nuptias: multi enim menses præterierant: nam saltem post mensem agnouit se grauidam: & tempus luctus nobilium mulierum non modicum credendum est. Vers. 27.

Tempus luctus nobilium mulierum, ad modicum debet esse.

Et displicuit verbum hoc, quod fecerat Dauid coram Domino.] Legendum est, *& displicuit res, quam fecit Dauid, in oculis tchouah.*]

CAPVT

CAPVT XII.

Vers. 1. MISITQVE. *Dominus Nathan ad Dauid.*] Benignitas diuina erga electos suos commendatur in hac legatione ad corripiendum Dauid.

Benignitas diuina notatur.

Et venit ad eum, & dixit ei: Responde mihi iudicium.] Interpres apposuit: *Responde mihi iudicij.*

Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper.

Vers. 2. *Diues habebat oues, & boues multos valdè.*

Vers. 3. *Pauper autem non habebat quicquam, nisi agnam vnam paruam, quam emerat, & nutrierat, & creuerat cum eo, & cum filiis eius simul: de pane eius comedebat, & de calice eius bibebat, & in sinu eius dormiebat, erátque illi sicut filia.*

Vers. 4. *Et venit peregrinus.*] Paru refert, quòd tam hîc, quàm inferiùs scribitur, *viator*: sententia enim est eadem.

Ad virum diuitem, & tæduit eum sumere de ouibus, & bobus suis ad parandum peregrino illi, qui venerat ad eum: tulitque agnam viri pauperis, & paranit eam viro, qui venerat ad eum.

Vers. 5. *Et iratus est furor Dauidis in virũ valdè: & dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quòd filius mortis est, qui fecit hoc.*] Hyperbolico sermone sententiam hanc intellige: & disce, quòd etiam hyperbolicę locutioni adhibere iuramẽtum nõ est illicitum.

Hyperbolico sermoni adhibere iuramẽtum licet.

Vers. 6. *Quem reddet in quadruplum.*] Iuxta Hebræum rectiùs legitur: *Et agnam restituet bis quadruplicatam.* Augendam pœnam legis censuit Dauid: quia æstimandum quoque censuit, quòd agna illa erat deliciæ illius viri pauperis.

Eò quod fecit verbum istud.] Legendum est, *rem istam*, videlicet, tollere agnam delicias pauperis.

Et non pepercit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quia non misertus est.* Exaggerat culpam ex eo, quòd non est misertus pauperis diues ille.

Vers. 7. *Dixitque Nathan ad Dauid: Tu es ille vir, qui fecisti hanc rem.*] Iuxta Hebræum habetur, *tu vir.* subauditur enim diues ille; hoc est, tu es vir, contrà quem sententiam protulisti.

Sic dixit Dominus Deus Israel: Ego vnxi te in Regem super Israel, & ego eripui te de manu Saul.] Declarat parabolam manifestando diuitem illum repræsentare ipsum Dauidẽ diuitem cũ multitudine diuitiarũ, & deliciarum. Vnde & subdit:

Vers. 8. *Et dedi tibi domum Domini tui, & vxores domini tui in sinu tuo.*] non quòd Dauid cognouerit vxores soceri sui Saulis Regis, sed, quòd illas habuit in vxores, quæ dignæ erant, vt essent vxores Regis Saulis olim domini eius.

Dedique tibi domum Israel, & Iehudæ: & si parua sunt ista, adiiciam tibi multò maiora.] Iuxta Hebr. habetur, *Et si parum est, adiiciam tibi, sicut ea, & sicut ea.* Vt aliàs dictum est, modus loquendi Hebraicus est geminans similia.

Hebræi geminant similia.

Vers. 9. *Cur contẽpsisti verbũ Domini.*] nõ quòd contẽpserit formaliter, hoc est, ex intentione vilipendendi præcepta diuina; sed facto contempsit: opera enim ipsa adulterij, & homicidij suapte natura paruipendunt præcepta diuina, & paruipendenda ab alijs præ se ferunt.

Adulterium, & homicidium suapte natura contemnunt præcepta diuina.

Faciendo malum in conspectu meo.] Legendum est, *in oculis eius*, hoc est, Dei.

Vriam Chitthæum percussisti gladio, & vxorem eius accepisti tibi in vxorem, & eum occidisti gladio filiorum Hammon.] Patefacit Propheta Deum vidisse intentionem, & epistolam Dauidis, vt Vrias interficeretur ab hostibus: & propterea cùm dixisset: *Vriam Hetthæum percussisti gladio*, declarat modum: videlicet, interfectum eum gladio filiorum Hammon.

Quamdiu non recedet. Iuxta Hebr. habetur: *Et nunc non recedet gladius de domo tua vsque in sæculum.* Pro culpa homicidij, imò homicidiorum ob multos simul peréptos prima hæc pœna imponitur. Quã verificatam esse in tribus Dauidis filiis breui tempore legimus: nam primogenitus eius Ammon occisus est, & similiter Absalõ, & postea Adonias à Salomone: & in senectute Salomonis suscitauit Deus aduersarios illi: & post mortem Salomonis manifestus gladius aduersùs domum Dauidis surrexit Ieroboam perseuerans in Regibus Israel, quandiu fuerunt Reges Israel.

Vers. 10. *Gladium non recessisse de domo Dauidis ostenditur.*

Eò quòd despexisti me, & tulisti vxorem Vriæ Chitthei, vt esset tibi in vxorem.] Initium sequentis clausulæ est: commemoratur enim alterum crimen, scilicet, adulterium: & adiungitur respondens illi pœna.

Sic dixit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua.] Verificatum est hoc, cùm Absalom fecit se Regem. Et est sermo, non de malo culpæ, sed de malo pœnæ: Deus enim non est author peccati vt sic; sed quatenus pœna est peccantis, vel alterius.

Vers. 11. *Malum pœnæ, non culpæ fuit à Deo.*

Et tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo.] imò filio tuo. *Et dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius.*

Vers. 12. *Quia tu fecisti in abscondito: & ego faciam rem hanc.*] quatenus malum pœnam tuam, nõ quatenus incestus peccatum cõmittendum ab Absalõ.

Coram toto Israel, & coram Sole.

Vers. 13. *Et dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino.*] Inspirante Deo agnouit, & confessus est Dauid, peccasse se offendendo Deum: vtpote qui transgressus est diuina præcepta.

Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque trãstulit.] Iuxta Hebr. habetur, *etiam Iehouah fecit transire peccatũ tuum.* Mirabilis celeritas diuinæ gratiæ: confitenti siquidem Dauide peccatum suum, statim Deus peccatum condonat: testatur enim Propheta hoc, non dicendo, faciet transire, aut, facit transire; sed dicendo, *fecit transire.* Ante igitur, quàm verba hæc Propheta proferret, condonauit Deus peccatum: est enim sensus, quòd Deus fecit peccatum non vltrà morari in te, sed fecit transire illud à te veniam dando.

Diuinæ gratiæ miranda celeritas.

Non morieris.] Ad cor Dauidis respondet: timebat enim ex verbis Prophetæ mortem: nam Propheta dixerat: *Et nunc non recedet gladius de domo tua.* Timorem hunc tollit Propheta dicendo: *Non morieris* propter hoc peccatum, non punieris tu morte tua corporali.

Verũtamẽ quoniam blasphemare fecisti inimicos nomẽ Domini propter verbum hoc.] Iuxta Hebr. habetur: *Profectò quia irritando irritasti inimicos Iehouah in re ista, etiam filius natus tibi morsendo morietur.* Et est planus literæ sensus: quia prouocasti ad irã, ad vindictam, ad cladẽ inferendi Israëlitis inimicos Dei Hammonitas: ideò filius natus morietur. Vel non restringendo inimicos Dei ad Hãmonitas, sed simpliciter, & absolutè intelligendo inimicos Dei homines peccatores prones ad male sentiẽdũ, seu ad blasphemãdũ gubernationẽ diuinã, ipsius est: quia prouocatis ad malas cogitationes, malosque affectus, & conteptũ et mala verba inimicos Iehouah, ac per hoc prom-

Vers. 14.

Inimici Dei, qui.

ptos ad malè sentiendum de Deo in re ista: nam inimici Dei audientes Dauidem electum a Deo in Regem cum tanta prosperitate, videndoque eum partalle hæc scelera, ansam acceperant malè sentiendi de gubernatione diuina: vtpote fouente Rege tam scelesto. Et hic sensus suauiter quadrat, tum rerum literæ: Hebraicum siquidem verbum interpretatum irritare, significat prouocare alterius animum ad tristitiam, non qualemcunque, sed vt aiunt, quasi ad crepandum: talis est enim dispositio animi inimicorum Dei videntium hæc in gubernatione diuina. Et annotabis hinc, quòd Deus expectauit nouem menses permittens Dauidem in peccato suo, & nato filio adulterino misit Prophetam ad corripiendum Dauidem. Annotabis quoque, quòd iam peccatum Dauidis notum erat: alioquin non dixisset Propheta: *Quia irritando irritasti inimicos Dei in re hac.* Vtendo enim verbo præteriti temporis, diuulgatum iam esse peccatum Dauidis insinuat. Et hinc tu, Theologe, habes manifestè, quòd Deus quandoque condonat peccatum, & non simul remittit pœnam peccati totam: ignouit enim Dauidi, & tamen partem pœnæ reseruauit, vt puniretur morte filij nati ex ipsa Bethsabee. Nec pœna hæc sola relicta est: sed etiam pœna superius scripta, vt patet in subiunctis gestis per Absalom.

Irritare, *significat* prouocare.

Deus nouem mensibus Dauidem permisit in peccato suo.

Immortalitas animæ asseritur ex veteri Testamento.

Deus quandoque condonat peccatum, non remittit pœnam.

Vers. 15. *Abiitque Nathan ad domum suam: & percussit Dominus infantem, quem pepererat uxor Uriæ Dauid, & defperatus est.*] Iuxta Hebræum habetur, *& ægrotauit.* significaturque ægritudo vehemens.

Vers. 16. *Deprecatúsque est Dauid Deum pro puero,*] Nomen est Elohim. Quanuis iustum iudicem agnosceret, quanuis sententiam mortis infantuli audisset à Propheta; ad ipsum tamen Deum rogandum se contulit, si forte reuocaret Deus sententiam.

Dauid reuocationem sententiæ Dei sperabat.

Et ieiunauit Dauid ieiunium, & ingressus secorsum iacuit super terram.] Iuxta Hebræum habetur, *& venit, & dormiuit, & iacebat in terra.* Relatiuè ad inchoatum ieiunium describuntur hæc in futuro.

Vers. 17. *Surrexerunt autem seniores domus eius super eum ad faciendum surgere eum de terra: & noluit, & non pransus est cum eis panem.*

Vers. 18. *Et fuit in die septima, mortuus est infans.*] Intelligo die septima a natiuitate pueri: qui incircumcisus mortuus est, & sine nomine, eo quod circumcisio præcepta erat die octauo.

Incircumcisus mortuus est filius Dauid ex Bethsabee.

Timuerantque serui Dauid indicare ei, quòd mortuus esset infans: quia dixerant: Ecce cum esset infans uiuus, locuti sumus ad eum, & non audiuit uocem nostram: quomodo ergo dicemus ad eum, mortuus est infans, & faciet malum?

Vers. 19. *Cum ergo Dauid audiret,*] Iuxta Hebræum habetur: *Et uidit Dauid, quòd serui sui murmurarent.* Sensu vsus describitur perceptile seruos murmurantes.

Et intellexit Dauid, quod mortuus esset infans: Dixitque Dauid ad seruos suos: An mortuus est infans? & dixerunt: Mortuus est.

Vers. 20. *Surrexitque Dauid de terra, & lauit se, & unxit se, & mutauit uestes suas, & ingressus est domum Domini, & adorauit: ueniitque ad domum suam, & petiit, & posuerunt ei panem, & comedit.*

Vers. 21. *Dixerunt autem serui eius ad eum: Quis est sermo hic, quem fecisti?*] Legendum est: *Quare fecisti, quam fecisti?* Dictio enim Hebraica, quanuis propriè significet verbum, sæpè tamen ponitur pro re.

Propter infantem uiuum ieiunasti, & fleuisti: mortuo autem infante surrexisti, & comedisti panem.

Vers. 22. *Qui ait: Propter infantem uiuum ieiunani, & fleui: dixi enim: Quis scit, si forte donet eum mihi Dominus.*] Hebraice habetur: *Si miserebitur mei Iehouah, & uiuet infans?* Confitetur, quòd propter peccatum suum moriebatur infans: & propterea dicit: *Si miserebitur mei, & uiuet infans.*

Vers. 23. *Et nunc mortuus est, quare ieiuno? an potero reducere eum amplius? ego uadam magis ad eum.*] Iuxta Hebr. habetur: *Ego pergens ad eum, & ipse non reuertetur ad me.* Vbi, prudens lector, aduersus dicentes non haberi immortalitatem animæ in libris veteris Testamenti, habes professionem Dauidis, quòd ipse pergit ad filium, proculdubiò per mortem: nec esset verum ipsum pergere ad filium, si anima filij extincta fuisset: ad eum enim, qui non est, nullus pergit.

Vers. 24. *Consolatúsque est Dauid Bathsabeh uxorem suam, & ingressus est ad eam, & dormiuit cum ea: quæ peperit filium, & uocauit nomen eius Salomo, & Dominus dilexit eum.*] Proculdubiò ad regnum.

Vers. 25. *Misitque eum in manu Nathan Prophetæ.*] Superfluit, *eum*: & significatur, quòd Deus misit in manu, (hoc est, per medium,) Nathan Prophetæ. Ad quid autem miserit, subiungitur:

Et uocauit nomen eius.] Rex Dauid nominauit filium Salomo Hebraicè; Latinè autem pacificus: Deus verò per Nathan imposuit ei aliud nomen; videlicet,

Amabilis Domino: eò quòd diligeret eum Dominus.] Iuxta Hebr. habetur, *Iedid-iah: propter Iehouah.* Dictio Hebraica Latinè dicitur, *dilectus Dei.* Nominauit itaque Nathan Salomonem dilectum à Deo, propter ipsum Deum, & non propter propria merita. Eodem autem vsus est Deus Propheta ad approbandum hunc filium natũ ex Bethsabee, iam legitima coniuge Dauidis; quo vsus fuerat ad corripiendum Dauidem de adulterio cum eadem, & prænunciandum mortem prioris filij nati ex adulterio: ne discordia videretur esse inter Prophetas, quæ apparuisset, si alter Propheta approbasset Salomonem.

Salomon nominatus est dilectus à Deo.

Eodem Propheta vsus est Deus ad approbandum, & ad corripiendum.

Vers. 26. *Et pugnauit Ioab contra Rabbam filiorum Hammon.*] Redit Author libri ad ordinem bellicæ historiæ.

Et expugnauit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et cepit ciuitatem regiam.* Qualiter autem hoc intelligatur, statim subiungetur:

Vers. 27. *Misitque Ioab nuncios ad Dauid: & dixit: Pugnaui contra Rabbam, & capienda est urbs aquarum.*] Iuxta Hebræum habetur, *etiam cepi ciuitatem aquarum.* Ecce ciuitas regia, quam ceperat Ioab.

Vers. 28. *Et nunc congrega residuum populi, & obside ciuitatem.*] Iarut refert, quod Hebraicè habetur, *& castrametare super ciuitatem, & cape eam.* Non igitur erat capta ciuitas regia à Ioab, cuius oppositum superior litera sonat. Solutio est, quòd ciuitas regia distincta erat in duas partes, quarum exterior vocabatur ciuitas aquarum: & hæc portio capta fuit à Ioab; interna autem portio non erat capta, sed capienda: & hanc reseruauit Ioab capiendam à Dauide.

Ne cum a me capta fuerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Ne quando capiam ego ciuitatem.* vmbilicus siquidem ciuitatis supererat capiendus.

Et uocetur nomen meum super eam.] Scribat Ioab, quàm molestum fuerit Regi Saulì audire laudes Dauidis in triumpho: & propterea prudenter exeunt

Ioab victoriæ suæ nomen, ac gloriam erat stimulo in Dauidem.

exemit se ab huiusmodi inuidia: & victoriæ nomen, ac gloriam transferre curauit in Dauidem Regem.

Vers. 29. *Congregauitque Dauid totum populum, & profectus est Rabbath, & pugnauit contra eam, & cepit eam.*

Vers. 30. *Et tulit diadema Regis eorum de capite eius, & pondus eius erat talentum auri.*] Mirum est, quòd Rex Hammonitarum capiendus ornatus fuerit diademate: quia tamen in principio huius secundi libri legimus, Saulem Regem cum diademate in prælio, mos temporis illius insinuatur.

Regem in prælio ferebant antiquitùs diadema.

Habens gemmas pretiosissimas.] Iuxta Hebr. habetur, *& lapis pretiosus.* Vnus fortè duntaxat pretiosissimus erat lapis.

Et fuit super caput Dauid.] Hactenus non legitur, vsum fuisse Dauidem diademate.

Et prædam ciuitatis extraxit multam valdè.

Vers. 31. *Populumque, qui erat in ea adducens.*] Rectiùs scriberetur, *extraxit*: quoniam hoc significatur Hebraïcè.

Et serrauit.] Circa hæc instrumenta, seu potiùs tormenta non concordant Interpretes: quatuor enim tormentorum genera scribuntur: sed hoc primum alij serram, alij planulam ferream interpretantur.

Quatuor genera tormentorum. Scitate, quod tormenti genus.

Et circumegit super eos ferrata carpenta.] Secundum tormentum describitur: & iuxta Hebræum legendum esset simul cum primo tormento.

Et posuit in planula (seu, serra,) *& in cuspidibus ferri.*] tormentum siquidem significatur ex ligno plano habente quasi cuspides clauorum fixas, vacuo inter eas intercepto.

Ducitque eos per fornacem lateris.] Iuxta Hebræum immediatè subiungitur, *& in securibus ferri.* quod non eget expositione.

Et traduxit in typo laterum.] Iuxta Hebræum habetur, *& faciet transire eos in locum fornacis.* Et hoc sonat quartum tormentum. Non desunt tamen dicentes; significari certum locum, cuius nomen proprium explicatur dicendo:

In Malchen.] Elige, quod malueris: primus tamen sensus magis quadrat subiunctæ clausulæ.

Et sic faciet omnibus ciuitatibus filiorum Hammon.] Minùs enim quadrat, vt ad vnum certum locum ex singulis ciuitatibus extraherentur torquendi: sed potiùs, quòd singulis ciuitatibus singula tormentorum loca accommodarentur. Vsus est autem Dauid tormentis erga illos, in vltionem ignominiæ factæ Legatis eius, & moti insuper toties belli aduersùs eum ab eisdem.

Et reuersus est Dauid, & totus populus in Ierusalaim.

CAPVT XIII.

Vers. 1. *FACTVM post hæc.*] Ordo temporis annotandus est.

Absalom filio Dauidis, erat soror pulchra, nomine Thamar: adamauitque eam Amnon, filius Dauid.

Vers. 2. *Et angustiis affectus est Amnon, adeò vt agrotaret propter Thamar sororem suam, quia virgo erat, & difficile ei videbatur, vt quicquam inhonestè ageret cum ea.* Iuxta Hebræum habetur, *& fuit celatum in oculis Amnon ad faciendum ei quicquam.* Ignorabat modum Amnon, quo posset assequi intentum.

Vers. 3. *Erat autem Amnoni amicus, nomine Ionadab, filius Simhab, fratris Dauid: & Ionadab erat vir prudens valdè.*

Vers. 4. *Et dixit ei: Quare tu sic attenuaris macie, fili Regis, singulo mane?*] Quasi dicat: Primogenitus es Regis, & nullam habes rationem tæ tristitiæ.

Nonne indicabis mihi? Et dixit ei Amnon: Thamar sororem Absalon fratris mei adamo.

Vers. 5. *Cui respondit Ionadab: Cuba super lectum tuum, & languorem simula: & veniet pater tuus ad videndum te, & dices ei: Veniat, obsecro, Thamar, soror mea, vt det mihi panem, & faciat in oculis meis pulmentum, vt videam, & comedam de manu eius.*

Vers. 6. *Accubuitque Amnon, & languorem simulauit, & venit Rex ad videndum eum: & dixit Amnon ad Regem: Veniat, obsecro, Thamar, soror mea; & faciat in oculis meis duas sorbitiunculas.*] Iuxta Hebræum habetur, *duo cordialia.* à corde enim Hebraïca dictio deducitur: nec explanatur materia, aut forma cordialis apud Hebræos nuncupati, tanquàm conferentis cordi.

Cordiale, à corde, sorbitiunculæ apud Hebræos.

Et comedam de manu eius.

Vers. 7. *Misit ergo Dauid ad Thamar in domum dicendo: Vade, quæso, in domum Amnon, fratris tui, & fac ei pulmentum.*

Vers. 8. *Iuitque Thamar in domum Amnon, fratris sui, qui iacebat: & tulit farinam, & miscuit, & liquefecit in oculis eius.*] Iuxta Hebræum habetur verbum significans facere cordialia.

Et coxit sorbitiunculas.] Iam dictum est, quòd habetur, *cordialia.*

Vers. 9. *Tollénsque, quod coxerat, effudit, & posuit coram eo.*] Iuxta Hebraum habetur: *Et tulit sartaginem, & colauit coram eo.* Appellatione tamen sartaginis intellige etiam vas æreum frixorio simile, in quo farcimina varia coquere solent, quasi assando. Propter transpositionem apud Latinos insolitam, amicam tamen Hebræis, intelligendum puto, quòd priùs colauit pastam in sartagine, deinde coxit coram eo.

Sartago, quid.

Et renuit comedere: & dixit Amnon: Eiicite omnem virum à me, & eiecerunt omnem virũ ab eo.

Vers. 10. *Dixitque Amnon ad Thamar: Affer pulmentum in conclaue.*] Iuxta Hebræum habetur, *in cubiculum*; hoc est, in aulam, in qua dormiebat.

Et comedam de manu tua: & tulit Thamar sorbitiunculas.] Lege, *cordialia, quæ fecit.* vt suprà.

Et attulit ad Amnon, fratrem suum, in cubiculũ.

Vers. 11. *Et obtulit ei, vt comederet: apprehendítque eam.*] antequàm aperiret ei cor suum.

Et dixit ei: Veni, cuba mecum, soror mea.

Vers. 12. *Quæ dixit ei: Non, frater mi, non opprimas me: quia non fit sic in Israël: non facias ignominiã hanc.*

Vers. 13. *Ego enim ferre non potero opprobrium meum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et ego, quò portabo vituperium meum?* ac si apertiùs dixisset, ad quem sponsum ego ibo stuprata?

Et tu eris, sicut vnus ignominiosorum in Israël: & nunc loquere, quæso, ad Regem: quia non negabit me tibi.] Existimauit puella, posse fieri coniugium Amnon secum, eò quòd orti erant ex diuersis matribus: & audierat forte, quòd Abraham simile habuit coniugium cum Sara: vel, quia in regione, vnde oriunda erat mater eius, licita esse huiusmodi coniugia audierat.

Thamar putauit posse fieri coniugium cum fratre ex diuersa matre.

Vers. 14. *Noluitque audire vocem eius: & prænaluit ei, & oppressit eam, & cubuit cum ea.*

Vers. 15. *Et odiuit eam Amnon odio magno valdè: quia maius fuit odium, quo odiuit eam, amore, quo amauerat eam.*] Naturalis ratio huiusmodi odij à Philosophis redditur, multi seminis effusio, mutans

Multi seminis effusio mutat dispo-

sitionem humorum, & affectus.

dispositionem internam humorum, & consequenter dispositionem affectus in contrarium.

Dixitque ei Amnon: Surge, vade.

Vers. 16. *Quæ dixit ei: Maius est hoc malum, quod nunc agis aduersum me, quàm quod antè fecisti expellens me.*] Sententia non malè redditur: Hebraïcè tamen habetur: *Non causa mali istius maioris altero, quod fecisti mecum ad mittendum me.* Et est ordo literæ: Non sis causa istius mali, (videlicet, ad mittendum me;) mali, inquam, maioris altero malo, quod fecisti mecum. Intendebat enim manere, tanquàm vxor ipsius Amnon, vt sic patrato malo remedium adhiberetur: & propterea emissionem sui maius malum appellat, (vtpote excludens omne remedium,) & rogat fratrem, vt non sit causa tanti mali.

Vers. 17. *Et noluit audire eam.*] affectus passione cõtraria.

Vocauitque puerum suum ministrum suum: & dixit: Educe, quæso, istam a me foras, & clande ostium post eam.

Vers. 18. *Et super eam erat tunica talaris.*] Iuxta Hebræum habetur, *tunica polymita.* hoc est, ex diuersorum colorum filis contexta.

Sic enim induebantur filiæ Regis virgines palliis: eiecitque eam minister illius foras, & clausit ostium post eam.

Vers. 19. *Et tulit Thamar cinerem super caput suum, & tunicam polymitam, quæ erat super eam, scidit, posuitque manum suam super caput suum, & ibat eundo, & clamando.*

Vers. 20. *Dixitque ad eam Absalom, frater eius: An Amnon frater tuus, fuit tecum? Et nunc, soror mea, tace, frater tuus est, non apponas cor tuum rei huic: & mansit Thamar contabescens.*] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *desolata in domo Absalom, fratris sui,* in idem enim redit sententia.

Vers. 21. *Rex autem Dauid audiuit omnia verba hæc: & contristatus est valdè.*] Iuxta Hebræum habetur, *& iratus est valdè.* nec aliud scribitur, quòd dixerit, aut fecerit. Et propterea quæritur, an excusetur Dauid à peccato iustitiæ omissæ; tum, quia Amnon oppresserat vi virginem; tum, quia incestum commiserat in sororem suam, filiam patris sui: vtrunque enim crimen in lege Mosis puniendum decernitur. Solutio est quòd crimen Amnon non fuit deductum in iudicium, nec euidentia patrati sceleris accusatum: quia puella, quamuis scissa veste clamans, & lugens fuerit; causam tamen non publicauit: vt patet ex eo, quod Absalom interrogauit eam, an Amnõ cognouerit eam: nec testis inueniebatur. Ex hoc igitur, quòd causa non innotuit Regi, vt Iudici, excusatur Dauid à punitione iudiciaria filij sui Amnon, & filiæ suæ Thamar, quæ etiam mortis rea erat. quia cùm vis ei inferebatur, non clamauerat: in ciuitate tamen existens, vt lex decernit.

An peccauerit Dauid, non puniendo incestum Amnonis cum Thamar.

Et noluit contristare spiritum Amnon filij sui: quoniam diligebat eum: quia primogenitus erat eius.] Tota hæc clausula superflua est.

Vers. 22. *Non est autem locutus Absalom cum Amnon, neque malum, neque bonum: odiuit enim Absalom Amnon, eò quod oppresserat Thamar sororem eius.*] hoc est, odium seruabat in corde: & conuersabatur cum Amnon, sicut prius; & de re hac, nec bonum, nec malum locutus est ei.

Vers. 23. *Et factum est post duos annos dierum, fuerunt tonsores Absalom in Baal-hazor, quæ est iuxta Ephraim: vocauitque Absalom omnes filios Regis.*

Vers. 24. *Et venit Absalom ad Regem, & ait: Ecce, obsecro, tonsores sunt seruo tuo; veniat, quæso, Rex, & serui eius cum seruo tuo.*

Vers. 25. *Dixitque Rex ad Absalom: Non, fili mi, non, quæso, veniamus omnes nos, ne graueminus te: & cogebat eum, & noluit ire, sed benedixit ei.*

Vers. 26. *Et ait Absalom: Et non veniet, obsecro, nobiscum Amnon, frater meus? Dixitque ei Rex: Ad quid ibit tecum?*

Vers. 27. *Coegitque eum Absalom: & misit cum eo Amnon, & omnes filios Regis. Fecerat autem Absalom conuiuium, quasi conuiuium Regis.*] Superfluæ sunt hæ vltimæ septem dictiones.

Vers. 28. *Præcepit autem Absalom pueris suis, dicendo: Videte, quæso, cum temulentus fuerit Amnon vino.*] Iuxta Hebr. habetur, *cum lætificabitur cor Amnon vino.* naturalis siquidem effectus vini in conuiuiis est lætificare cor, ita vt prodeat extrà lætitia.

Vinum lætificat cor.

Et dicam vobis: Percutite Amnon, & interficite eum, non timeatis: ego enim sum, qui præcipio vobis: roboramini, & estote filij fortitudinis.

Vers. 29. *Et fecerunt pueri Absalom Amnoni, sicut præceperat Absalom. surrexerunt itaque omnes filij Regis, & equitauerunt vnusquisque super mulam suam, & fugerunt.*

Vers. 30. *Cumque adhuc essent in via, fama venit ad Dauid dicendo: Percussit Absalom omnes filios Regis, non remansit ex eis vnus.*

Vers. 31. *Surrexit autem Rex, & scidit vestimenta sua, & cecidit super terram.*] Legendum est, *& iacuit in terra.* spontaneum siquidem facere in terra fuit.

Et omnes serui eius assistebant scissis vestibus.

Vers. 32. *Respondit autem Ionadab, filius Simhah fratris Dauid, & ait: Non dicat dominus meus, omnes pueros filios Regis occisos esse: quia Amnon solus mortuus est; quia in odio.* Iuxta Hebræum habetur: *Quia per os Absalom fuit positus a die, qua oppressit Thamar, sororem eius.* Sermone metaphorico describitur odium promptum ad occidendum Amnon ad instar eius, quod versatur per os, quod consuetè quærimus eiicere ex ore.

Odium promptum ad occidendum, quo modo exprimatur.

Vers. 33. *Et nunc non ponat dominus meus Rex super cor suum verbum dicendo: Omnes filij Regis mortui sunt: quia Amnon solus mortuus est.*

Vers. 34. *Fugit autem Absalom: & eleuauit puer speculator oculos suos, & aspexit: & ecce populus multus veniebat per viam montis.*] Iuxta Hebræum habetur, *de via post eum ex latere montis.* Et est ordo literæ, de via ex latere montis post eum; videlicet, montem.

Vers. 35. *Dixitque Ionadab ad Regem: Ecce filij Regis veniunt, iuxta verbum serui tui sic fuit.*

Vers. 36. *Cumque complesset loqui, apparuerunt filij Regis.*] Parui refert, quid Hebraice habetur: *Et ecce filij Regis venerunt, & leuauerunt vocem suam, & fleuerunt: & etiam Rex, & omnes serui eius fleuerunt fletu magno valde.* Sententia clara est.

Vers. 37. *Absalom vero fugit, & iuit ad Tholmai, filium Hammihur, Regem Gheşur.*] auum suum, vtpote patrem matris suæ: vt superius c. 3. scriptum est.

Et luxit Dauid filium suum omnibus diebus.

Vers. 38. *Absalom vero fugit, & iuit in Gheşur: & fuit ibi tribus annis.*

Vers. 39. *Cessauitque Dauid Rex persequi Absalom.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et desiderauit Dauid Rex ad egrediendum ad Absalom: quia consolatus fuit super Amnon, quòd mortuus.* Tandem post triennium, vel circa, librans Dauid, quod mortuus irreuocabilis est, nec tristitia prodest, consolationem accepit per cessationem, tristitia: & concupiuit exire per actum benemolentiæ ad Absalom, ne vtroque filio priuaretur.

CAPVT

CAPVT XIV.

Vers. 1. COGNOVIT autem Ioab, filius Zeruiæ, quòd cor Regis versum esset ad Absalom.] Pro claritate maiore addidit Interpres, *versum esset*.

Vers. 2. *Misitque Ioab in Thecoham, & tulit inde mulierem sapientem: & dixit ad eam: Lugum, quæso, simula: & induere te, quæso, vestimentis lugubribus: & non ungaris oleo: & sis velut mulier iam diebus multis lugens mortuum.*

Vers. 3. *Et ingredieris ad Regem, & loqueris ad eum iuxta verbum hoc. Et posuit Ioab verba in ore eius.*] Animaduerterat Ioab, quòd conuictus fuerat Dauid, propriàque damnatus sententia ex parabola proposita à Nathan Prophetа: & propterea excogitauit simili modo inducere Dauidem ad reducendum Absalom, proponendo parabolam, vt Rex nesciens esse parabolam, proferret sententiam contra seipsum: vt postquam iudicasset seruandum esse filium mulieris, qui occiderat fratrem, ex hac lata sententia animaduerteret seruandum quoque sibi esse Absalom filium suum, qui occiderat fratrem.

Ioab callidè inducere conatur Dauidem ad reuocandum Absalom.

Vers. 4. *Ingressáque est mulier Thecohithis ad Regem, & cecidit super faciem suam in terram, & adorauit: & dixit: Serua, Rex.*

Vers. 5. *Et ait ad eam Rex: Quid est tibi? Quæ respondit: Heu, mulier vidua sum, & mortuus est vir meus.*

Vers. 6. *Et ancilla tua erant duo filij, & rixati sunt ambo in agro, & non erat, qui liberaret inter eos: percussit ergo alter alterum, & interfecit eum.*

Vers. 7. *Et ecce surrexit tota cognatio contra ancillam tuam, & dixerunt: Da percussorem fratris sui, & occidemus eum propter animam fratris eius, quem interfecit, & delebimus etiam heredem.*] Ne reportet emolumentum hæreditandi omnia ex fratricidio.

Et extinguent scintillam meam.] Rectiùs legeretur, *prunam meam, quæ relicta est.* vnum, videlicet, carbonem incensum.

Vt non ponatur viro meo nomen, & residuum super faciem terræ.

Vers. 8. *Et ait Rex ad mulierem: Vade in domum tuam, & ego iubebo pro te.*

Vers. 9. *Dixitque mulier Thecohithis ad Regem: Super me, Domine mi Rex, sit iniquitas, & super domum patris mei: Rex autem, & thronus eius sit innocens.*] Superfluit vtrobique, *sit*: absque verbo enim scribitur Hebraicè: & subintelligitur, *erit*. Nam mulier non contenta promissione Regis: Ego iubebo pro te, (hoc est, vt filius tuus seruetur;) instando proponit, quòd non obstante hac Regis promissione, illi, qui eam vexabant, prosequentur causam aduersùs filium, & sic iniquitas vindicanda erit in ipsam; Rex autem erit innocens; & propterea Rex respondet, aliud adhibendo remedium.

Vers. 10. *Et ait Rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me.*] Rectè redditur sensus: quanuis Hebraicè habeatur, *loquentem ad te facies venire ad me, & non addet vltrà, vt tangat te.*

Et dixit.] Mulier adhuc non contenta repliçat.

Vers. 11. *Recordetur, obsecro, Rex Iehouah Elohe tui à multiplicando vindicis redemptorem sanguinis ad disperdendum, & non disperdant filium meum.*] Timet mulier, ne numerosi propinquorum congregetur contra filium suum coram Rege, & obtineant destructionem filij, si omnes vexantes eam adducendi essent ad Regem: & propterea obsecrat, vt Dei recordetur, imitando illius misericordiam, ac prouidentiam, & caueat à multiplicando propinquos redemptores sanguinis coram ipso Rege: appellant enim Hebræi redemptorem sanguinis eum, ad quem spectat quærere vindictam, tanquà hoc sit redimere occisi sanguinem.

Redemptor sanguinis apud Hebr. quid.

Qui ait: Viuit Dominus, si cadet de capillo filij tui in terra.] Iureiurando affirmat Rex impunitatem filij viduæ. Et oritur quæstio, an fuerit iustum hoc Dauidis iudicium: videtur enim, quòd fuerit iniustum: vtpote aduersùs legem Mosis. Solutio est, quòd lex de punitione homicidæ in casibus dubiis ex arbitrio pendebat Principis: erat autem hîc dubium, an occisor prouocatus, & se defendendo occiderit alterum: nullus enim erat testis. Rursus in homicidiis repentinis (hoc est, absque vllo præcedente odio, quale hoc proponitur,) lex magnam decernit clementiam: & propterea nihil iniusti iurauit Dauid.

An fuerit iustum Dauidis iudicium de filio viduæ.

Magna clementia legis in homicidiis repentinis.

Vers. 12. *Dixitque mulier: Loquatur, obsecro, ancilla tua ad Dominum meum Regem verbum. Et dixit: Loquere.*] Tandem assecuta mulier intentum, (videlicet, quòd Rex decreuit etiam adhibito iuramento seruandum ei filium, quantis fratricidam,) aperit parabolam inde conuincendo Regem ad simile iudicium faciendum de Absalom, petita, & impetrata licentia loquendi liberè.

Vers. 13. *Et ait mulier: Quare cogitasti istiusmodi rem contra populum Dei?* Iuxta Heb. habetur, *& quare cogitasti, sicut istud, super populum Elohim?* Manifestè explicat mulier, tanquàm arguendo Regem, quòd cogitatio eius contra Absalom erat similis vexationi filij viduæ: & reiicit causam in populum Dei, tanquàm viduam, eò quòd Absalom erat successurus in regnum: & propterea vexatio eius redundabat in populum, sicut vexatio filij viduæ redundabat in viduam: imminebat enim periculum, ne defuncto Rege ciuile bellum surgeret: Absalom redeunte cum brachio regis Gheſur, & iure ad succedendum in regnum, & aliquo alio Regis filio aliter succedente in regnum.

Prima ratio viduæ ad reducendum Absalom.

Et locutus est Rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum.] Iuxta Hebr. habetur, *& à loquendo Rex verbum istud, sicut delinquens, vt non reducat Rex expulsum suum*; hoc est, & fuit Rex, sicut delinquens factus à loquendo verbum istud, videlicet, vt non reducat Rex expulsum suum Absalom. Et dicit, *sicut delinquens*: quia iam proprio iudicio Rex ipse tanquam delinquentes non exaudiendos censuerat, quærentes vindictam aduersùs fratrem occisorem fratris: perinde autem dicitur à loquendo, &c. ac si diceretur à sermone huiusmodi.

Vers. 14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.*] Iuxta Hebr. habetur: *Quia morsiendo morsiemur, & sicut aqua dilapsa in terram, quæ non erunt congregata.* Pars est hæc inductæ rationis ex malo populi, declarans necessitatem prouidendi, antequàm moriatur Rex: ad hoc enim tendunt verba hæc; videlicet, quòd, quia omnes morimur, sic quòd per mortem reddimur inutiles ad obuiandum præsentis vitæ periculis, quemadmodum aquæ per terram dilapsæ, quæ non congregantur ad vtilitatem aliquam; ideò dum tu Rex viuis, occurrere debes periculis ciuilis belli: pensanda siquidem

dem ſunt verba hæc, vt prolata à Ioab, præuidente periculum populi, & ſollicito de ſtatu, ac ſucceſſore regni.

Nec vult Deus perire animam, ſed retractat, cogitans, ne penitùs pereat, qui abiectus eſt.] Iuxta Hebræum habetur, *& non eleuabit Elohim animam, & cogitabit cogitationes, vt non expellat à ſe expulſionem.* Altera affertur ratio ad reducendum Abſalom, ex imitatione diuina: quia Deus gubernator, ac Iudex hominum non eleuabit (hoc eſt, deprimet) quidem animam, id eſt, vitam alicuius hominis; ſed cogitabit cogitationes, (hoc eſt, ad ſimilitudinem varia cogitantis prouidebit,) vt non expellat à ſe expulſionem; hoc eſt, expulſum hominem, quem depreſſit, quod eſt dictu: Deus quidem caſtigat aliquem, ſed non eſt facilis ad perimendum: quoniam cogitat valdè multa, vt non perdat caſtigatum: fac ergo tu ſimiliter.

Secùda ratio.

Deus caſtigat quidem, ſed non eſt facilis ad perimendum.

Verſ. 15. *Nunc igitur veni, vt loquar ad dominum meum Regem verbum hoc, præſente populo.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc quæ veni ad loquendum Regi domino meo verbum iſtud, quia facient timere me populus.* Rationem incipit reddere mulier, tum aſſumptæ iſtius curæ; tum propoſitæ parabolæ: & aſſumptæ quidem curæ loquendi pro Abſalom, rationem reddit: quia populus ad varia pronus incutit ſibi timorem futuri ciuilis belli. Nec aliquid ſcribitur de præſentia populi, quæ habetur in vulgata editione: ſed immediatè ſubiungitur:

Et dixit ancilla tua: Loquar, quæſo, ad Regem. Forſitan faciet Rex verbum ancillæ ſuæ.] Proſequitur rationem aſſumptæ curæ ex ſpe, quòd fortè exaudietur à Rege.

Verſ. 16. *Et audiuit Rex verba, vt liberaret ancillam ſuam de manu omnium.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quia audiet Rex ad liberandum ancillam ſuam de manu viri volentis delere me, & filium meum ſimul de hæreditate Dei.* Propoſitæ parabolæ rationem reddit ipſam, quòd Rex iudicaret pro ipſa vidua, & filio eius: vt ex voto ſucceſſit.

Verſ. 17. *Dicat ergo ancilla tua.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit ancilla tua.* Finem parabolæ intentum refert dicendo: Et dixit ancilla tua, in corde ſuo.

Fiat verbum Domini mei Regis, ſicut ſacrificium.] Iuxta Hebræum habetur: *Erit, quæſo, verbum Domini mei Regis ad requiem.* ad hoc tetendit parabola mea, vt ſententia Regis ſit ad requiem populi.

Sicut enim Angelus Domini, ſic eſt dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur, vnde & Dominus Deus tuus eſt tecum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia, ſicut Angelus Elohim, ſic dominus meus Rex ad audiendum bonum, & malum, & Iehouah Elohe tuus erit tecum.* Rationem reddit quietis faciendæ per Regem, ex eo, quòd ipſe Rex, ad audiendum, tam bonum, quàm malum, eſt ſicut Angelus Dei diſcutiens, & librans, & demum prouidens, eò quòd ſummus Deus gubernans eum erit cum eo. Et adiungitur hoc ad manifeſtandum, quare appellauerit eum, ſicut Angelum Dei.

Rex diſcutiens, & librans, & demum prouidens, eſt ſicut Angelus Dei.

Verſ. 18. *Reſpondítque Rex, & dixit ad mulierem: Ne, quæſo, abſcondas à me verbum, quod ego interrogo te. Et dixit mulier. Loquatur, quæſo, dominus meus Rex.*

Verſ. 19. *Et ait Rex: Nónne manus Ioab tecum eſt in omnibus iſtis? Reſpondítque mulier, & dixit: Per ſalutem animæ tuæ.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Viuit anima tua, domine mi Rex, ſi eſt ad dexteram, & ad ſiniſtram, ex omnibus, quæ locutus eſt dominus meus Rex.* lucramentum ſiquidem eſt. Et vniuerſa, quæ ſubiunguntur dicta per mulierem, Hebraicam reddunt ſententiam.

Quia ſeruus tuus Ioab ipſe præcepit mihi, & ipſe poſuit in ore ancillæ tuæ omnia verba hæc.

Vt verterem faciem rei, fecit Ioab ſeruus tuus Verſ. 20. *rem hanc: Dominus autem meus ſapiens eſt iuxta ſapientiam Angeli Dei, ad cognoſcendum omnia, quæ ſunt in terra.*

Et ait Rex ad Ioab: Ecce placatus feci verbum Verſ. 21. *tuum.*] Legendum eſt: *Ecce nunc feci verbum hoc.* Breuitati ſtudet Author, demonſtrando per pronomen, *hoc*, id, quod petierat Ioab per mulierem.

Vade ergo, & reduc puerum Abſalom.

Cecidítque Ioab ſuper faciem ſuam in terram, & Verſ. 22. *adorauit, & benedixit Regi.*] benedictione gratiarum actionis.

Benedictio, pro actione gratiarum.

Et dixit Ioab: Hodie intellexit ſeruus tuus, quòd inuenì gratiam in oculis tuis, domine mi Rex, eò quod fecit Rex verbum ſerui ſui.] negotium ſiquidem valdè arduum erat, vtpote de ſucceſſore regni.

Surrexítque Ioab, & abiit in Geſur: & adduxit Verſ. 23. *Abſalom in Ieruſalaim.*

Dixit autem Rex: Reuertatur in domum ſuam, Verſ. 24. *& faciem meam non videat.*] ne ad memoriam meam eius præſentia reuocet luctum occiſi filij.

Reuerſúſque eſt Abſalom in domum ſuam, & faciem Regis non vidit.

Et ſicut Abſalom non erat vir pulcher in toto Iſ- Verſ. 25. *raële: & decorus nimis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Ad laudandum valdè.* Magna laude pulchritudo eius digna deſcribitur.

A veſtigio.] Legendum eſt: *A planta pedis eius vſque ad verticem eius, non erat in eo macula.* veſtigium enim non eſt pars hominis.

Veſtigium non eſt pars hominis

Et quando tondebat caput ſuum; ſemel autem in Verſ. 26. *anno tondebatur, quia grauabat eum cæſaries.*] Iuxta Hebræum habetur, *& erit à fine anni in annum, quo tondebat, quia graueſcebat ſuper eum.* & eſt vna parentheſis. Et immediatè ſequitur:

Et tondebit ipſum.] proculdubiò caput, de quo ſuprà dixerat: *Et quando tondebat caput.*

Ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis pon- *Pondus Regis, pondus publicum.*
dere publico.] Iuxta Hebræum habetur, *in pondere Regis.* ad differentiam ponderis Sanctuarij.

Nati ſunt autem Abſalomo tres filij, & filia Verſ. 27. *vna nomine Thamar elegantis formæ.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur; *Ipſa fuit mulier pulchra aſpectu.* idem enim eſt ſenſus.

Manſitque Abſalom in Ieruſalaim duobus an- Verſ. 28. *nis dierum: & faciem Regis non vidit.*

Miſit itaque Abſalom ad Ioab, vt mitteret eum Verſ. 29. *ad Regem, & noluit venire ad eum: miſitque adhuc ſecundò, & noluit venire.*

Et dixit ſeruis ſuis: Scitis agrũ Ioab iuxta agrum Verſ. 30. *meum habentem meſſem hordei.*] Iuxta Hebræum habetur: *Videte partem Ioab iuxta locum meum, & ei ſunt ibi hordea: ite, & comburite ipſum igne. Combuſſerúntque ſerui Abſalom partem igne.* ſed non variatur ſenſus.

Et venientes ſerui Ioab ſciſſis veſtibus dixerunt: Succenderunt ſerui Abſalom partem agri ignẽ.] Tota hæc clauſula ſuperflua eſt.

Surrexítque Ioab, & venit ad Abſalom in do- Verſ. 31. *mum: & dixit ad eum: Cur combuſſerunt ſerui tui partem meam igne.*

Et

Vers. 32. *Et dixit Absalom ad Ioab : Ecce misi ad te dicendo : Veni huc , & mittam te ad Regem, dicendo: Cur veni de Gessur ? Bonum esset mihi, quod adhuc essem ibi : & nunc videam faciem Regis , & si est in me iniquitas , mori faciat me.*

Vers. 33. *Ingressus est itaque Ioab ad Regem , & indicauit ei : vocauitque Absalom , & venit ad Regem , & incuruauit se super faciem suam in terram coram Rege , & osculatus est Rex Absalom.*] In signum perfectæ reconciliationis. Si quæritur, an Dauid contra legem diuinam fecerit ignoscendo Absalom ; respondetur , quòd leges decernunt id, quod regulariter est agendum secundùm communem cursum rerum : singulares autem , rarissimique casus prudentiæ Principis relinquuntur, in quorum numero erat hoc fratricidium : existente præsertim Absalom saluo apud Regem auum suum , & proinde magno imminente periculo populi, vt declaratum est. Non peccauit itaque Dauid ignoscendo Absalom , & reconciliando eum.

An Dauid ignoscẽs Absalom contra legẽ diuinam fecerit.

CAPVT XV.

Vers. 1. ET *fuit post hæc fecit sibi Absalom.*] tanquam successurus in regno.

Currus, & equites.] Iuxta Hebr. habetur, *currum , & equos.* ad differentiam currus tracti , non per equos ; sed alia animalia.

Et quinquaginta viros , qui præcederent eum.] Iuxta Hebræum habetur, *currentes in facie sua.* Currui & equis , quinquaginta pedites adiunxit.

Vers. 2. *Mane que consurgebat Absalom , & stabat iuxta introitum portæ in via.*] Iuxta Hebræum habetur : *Super locum viam portæ.* appositiue dicitur, *locum viam.* Non sat erat Absalom succedere patri in regno ; sed aspirauit ad regnum etiam viuente patre : ad hoc enim tendebant verba blanda ab eo dicta venientibus ad Regem pro causis suis.

Absalom aspirabat ad regnum viuente patre.

Et omnem virum , qui habebat negotium.] Legendum est , *litem* ; vt clare testatur subiunctum iudicium.

Vt veniret ad Regis iudicium , vocabat Absalom ad se , & dicebat : De qua ciuitate es tu ? Et dicebat : Ex una Tribuum Israel seruus tuus est.

Vers. 3. *Dicebatque ad eum Absalom : Vide , sermones tui boni sunt , & recti ; & qui te audiat , non est tibi a Rege. Et dicebat Absalom:*

Vers. 4. *Quis me constituat Iudicem in terra.*] Verba prægnantia sunt : nam iuncta præcedentibus: (*Non est constitutus à Rege , qui te audiat.*) ionant Absalom capere , vt Rex committeret ei auditionem causarum ad ministrandum iustitiam venientibus ab extra Ierusalem : ex intentione autem cordis tendebant ad hoc , vt ipse fieret Rex : sicut ad votum ei successit.

Absalom suspicatur committi sibi auditionẽ causarum.

Et ad me veniat omnis habens negotium.] Corrige , & lege , *litem* , vt supra.

Vers. 5. *Et iudicium , & iustitiam faciam ei?*

Et cum accedebat ad eum quispiam , vt salutaret eum , extendebat manum suam , & apprehendebat eum , & osculabatur eum.

Vers. 6. *Faciebatque sicut hoc totis Israeli , qui veniebat pro iudicio ad Regem : & furabatur corda virorum Israel.*] Iuxta Hebræum habetur, *& furatus est Absalom cor virorum Israel.* Ad instar furti deliberat acquisitio beneuoli animi virorum Israël erga ipsum Absalom , quia verè furti species fuit relatiue ad Regem Dauidem: clam enim abstulit corda virorum Israël à patre , trahendo illa ad se ; hoc est enim furtiue surripere.

Instar furti describitur acquisitio beneuoli animi.

Vers. 7. *Post quatuor autem annos.*] Corrupta est litera: nam iuxta Hebr. habetur: *Et fuit a fine quadraginta annorum.* Scito prudens lector, quòd incertum est , ad quid referatur numerus ille quadraginta annorum: ex eo enim , quòd Dauid à tempore hoc non cognouit amplius aliquam vxorem suam, (vt subiuncta testantur,) apparet, quòd senex erat non vacans amplius generationi filiorum: & propterea non potest intelligi quadragesimus annus ætatis Dauidis : nec quadragesimus annus ab initio , quo fuerunt Reges in Israël : quoniam quadragesimo anno ab initio Regum, Dauid , aut nondum regnabat , (si Saul quadraginta annis regnauit ;) aut quinquagenarius erat Dauid , si Saul viginti duntaxat annis regnauit. Ex eo verò quòd post hanc persecutionem Dauid vixit multos annos , (vtpote, valens adhuc exire ad prælium , & pedes incedere itinere non modico , & qui tot subiugata à posteà effecerit ,) non potest intelligi quadragesimus annus regni eius : quoniam annus quadragesimus fuit in fine vitæ eius, quando ita frigebat, vt nec opertus pannis calefieret. Et eadem ratione excluditur quadragesimus annus ætatis Absalom: quoniam fortè nec trigesimum annum peregerat : vtpote qui natus fuerat in Hebron regnante Dauide. Intelligere autem quadragesimum annum à clade Sacerdotum à Saule facta occasione Dauidis & incertum est , (quia ratio numeri nescitur ;) & minùs quadrat hanc persecutionem passum fuisse Dauidem , quia fuit occasio illius cladis : quoniam Nathã Propheta manifestè dixit propter peccatum aduersùs Vriam ex parte Dei : *Ecce ego suscitabo aduersum te malum de domo tua.* Nec est dubium, quòd sufficiens causa meritoria huius persecutionis fuit peccatum in facto Vriæ. Incertum quoque est, an sit sermo de quadragesimo anno ab exaltatione Dauidis , quæ fuit percussio Goliath Philisthinoː magis tamen quadrat, & materiæ , & ætati Dauidis huiusmodi supputatio, quàm quæcunque dictarum : materiæ quidem vt quadragesimo anno ab exaltatione describatur depressio : ætati autem, quia huiusmodi quadragesimo anno Dauid iam senex erat ; hoc est , inter sexagesimum , & septuagesimum annum suæ ætatis. Non desunt tamen dicentes , posse intelligi à fine quadraginta annorum, hoc est , à quarta decade annorũ regni Dauidis : quod si Hebraica litera admittit , proculdubiò complectendum est pro literali sensu: quia absolutè narrando, *& fuit a fine quadraginta annorum* , absque vllo scrupulo præsefert numerum annorum regni; & quia non potest verificari de numero singulorum annorum , & verificatur de numero decadum annorum regni Dauidis, ideò vt germanus sensus admittendus esset: quarta enim decas annorum regni Dauidis inchoauit à sexagesimo anno ætatis eius. Elige, prudens lector , inter ambigua , quod magis videbitur.

Ad quid referatur numerus ille quadraginta annorum incertum est.

Et dixit Absalom ad Regem : Vadam, quæso, & reddam votum meum , quod voui Domino in Chebron.] ciuitate, in qua natus fuerat ipse Absalom. Vers. 8.

Votum enim vouit seruus tuus, cum esset in Gessur Syriæ dicendo : Si reducendo reduxerit me Dominus in Ierusalem , sacrificabo Domino.] Iuxta Hebræum

Hebræum habetur, *& seruiam Iehouah.* Finxit Abialom seruiturum se non partio tempore summo Deo, & hanc seruitutem exhibere se velle in ciuitate, in qua natus fuerat. Qualis autem fuerit seruitus ista, non est scriptum: sed locum extra Ierusalem elegit, & tempus seruitutis non modicum, vt commodè posset coniurationem conceptam exequi, & perficere.

Finxit Absalom adimpletionem voti, vt posset coniurationem perficere.

Vers. 9. *Dixitque ei Rex: Vade in pace. & surrexit, & abiit in Chebron.*

Vers. 10. *Misit autem Absalom exploratores in omnes Tribus Israel dicendo: Cum audieritis sonitum buccinæ.*] Ex eo, quòd ad singulas Tribus misit exploratores ad hoc, vt audito sono buccinæ promulgaretur regnum eius, insinuatur exploratoribus commissum fuisse, vt ipsi verbis explanarent populis, quid significaret sonus buccinæ. Rursus hinc quoque insinuatur, multos præparasse cornicularios mittendos ad singulas Tribus, statim vt in Hebron sonaret buccina.

Dicite: Regnabit.] Iuxta Hebræum habetur: *Regnauit Absalom in Chebron.* prædixit enim, quòd non mitteret cornicularios, nisi erectus fuerit in Regem: & propterea ordinat, vt aduenientibus cornicularijs, dicatur: Regnauit Absalom in Hebron: vt sic populi clamarent: Viuat Rex Absalom.

Vers. 11. *Et cum Absalom iuerunt ducenti viri de Ierusalaim, vocati, & euntes in simplicitate sua: nec sciebant quicquam.*

Vers. 12. *Accersiuitque Absalom Achithophel Ghilonitam, consiliarium Dauidis, de ciuitate sua Ghilo, cùm immolaret victimas: & fuit coniuratio valida, & populus ibat, & multiplicabatur cum Absalom.*

Vers. 13. *Et venit nuncius ad Dauid dicendo: Fuit cor virorum Israel post Absalom.*

Vers. 14. *Atque Danid omnibus seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalaim: Surgite, & fugiamus, quia non erit nobis effugium à facie Absalom. Festinate abire, ne forte veniens occupet nos, & impleat super nos ruinam.*] Legendum esset: *Ne festinet, & assequatur nos, & impellat super nos malum, & percutiat ciuitatem in ore gladij.* Sed hoc modici momenti est.

Vers. 15. *Dixerunt que serui Regis ad eum: Secundùm omne, quod elegerit Dominus meus Rex, ecce serui tui.*

Vers. 16. *Et egressus est Rex, & tota domus eius pedibus suis: reliquitque Rex decem mulieres concubinas ad custodiendum domum.*

Vers. 17. *Egressusque est Rex, & omnis Israel.*] Legendum est, *& totus populus pedibus suis: & steterunt procul a domo.* Aiunt potiùs legendum, *in loco longinquo:* sed in idem redit.

Vers. 18. *Et omnes serui eius ambulabant iuxta eum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Transeuntes iuxta manum eius.* Describitur Rex sistens, & ante oculos suos faciens transire seruos suos, & specialiter.

Custodia Dauidis quomodo significata.

Et legiones Cherethi, & Pelethi.] Iuxta Hebræum habetur, *& omnis Cherethi, & omnis Pelethi.* sunt enim numeri singularis, *Cherethi, & Pelethi:* & significant, vt superius dictum est, custodiam Dauidis.

Et omnes Ghitthai pugnatores validi.] Superfluit pugnatores validi.

Sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Ghath, præcedebant Regem.] Legendum est, *transeuntes coram Rege.* Societas enim Gethæorum similiter transiens describitur.

Vers. 19. *Dixit autem Rex ad Ittbai Ghitthæum: Cur venis etiam tu nobiscum? Reuertere, & mane cum Rege: quia incognitus es, & egressus es de loco tuo.*] Parui refert, quòd Hebraice habetur, *& etiam vagans tu ad locum tuum.* Condolet Dauid præfecto Ghethæorum, quòd adhuc vagans ad quærendum locum eat.

Heri veniſti, & hodie compelleris nobiscum egredi.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *& hodie faciam mouere te nobiscum ad eundum. Heri,* & *hodie,* dicuntur, ad significandum modicum temporis interuallum.

Vers. 20.

Heri, & hodie, *modicũ tempus demonstrans.*

Et ego vadens, super quod ego vadens?] Quasi dicat: Ego vado vagus, (vtpote incertus, quò pergam,) nec decet, vt similiter faciam te vagari.

Reuertere, & reduc fratres tuos, & Dominus faciat tecum misericordiam, & veritatem: quia ostendisti gratiam, & fidem.] Iuxta Hebræum habetur duntaxat: *Reuertere, & reduc fratres tuos: tecum gratia, & veritas.* Et sunt verba Dauidis imprecantis vniuersa donã Dei reuertentibus Gethæis, ac si diceretur: Valete felices.

Vers. 21. *Et respondit Ittbai ad Regem, & dixit: Viuit Dominus, & viuat dominus meus Rex, si non in loco, in quo fuerit dominus meus Rex, (siue ad mortem, siue ad vitam,) ibi fuerit seruus tuus.*

Vers. 22. *Dixitque Danid ad Ittbai: Veni, & transi. Et transiuit Ittbai Ghitthæus, & Rex.*] Superfluit, & *Rex.*

Et omnes viri eius, & reliqua multitudo.] Legendum est, *& omnis parvulus, qui erat cum eo.* Parvuli enim significantur etiam transeuntes.

Vers. 23. *Omnésque flebant.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et tota terra plorans voce magna.* De ciuitate Ierusalem est sermo.

Et totus populus transiens: Rex autem transibat per torrentem Cid-ron, & totus populus transibat contra viam oliue.] Legendum est, *contra faciem via ad desertum.*

Vers. 24. *Venit autem & Zadoc.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et ecce etiam Zadoc, & omnes Leuita cũ eo, portantes Arcam fœderis Elohim.* Insinuatur, quòd tunc venerit Zadoc cum Arca fœderis Elohim.

Et deposuerunt Arcam Dei.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecerunt stare Arcam Elohim,* ad hoc vt consuleretur Deus.

Et ascendit Eb-iathar, donec terminaret omnis populus transire de ciuitate.] Durante transitu populi Ab-iathar Sacerdos ascendit mente ad supplicandum Deo coram Arca, proculdubiò pro Dauide. Et quia nulla scribitur diuina responsio, creditur, Deum non respondisse: in cuius signum non ampliùs expectandum censuit Dauid; sed dixit ad Zadoc, vt reduceret Arcam Elohim in ciuitatem.

Vers. 25. *Et dixit Rex ad Zadoc: Reduc Arcam Dei in ciuitatem: Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & habitaculum eius.*

Vers. 26. *Si autem dixerit: Non complacui in te: ecce me, faciat mihi, sicut bonum est in oculis eius.*

Vers. 27. *Et dixit Rex ad Zadoc Sacerdotem: O videns.*] Iuxta Hebræum habetur: *Nonne videns tu? reuertere in ciuitatem in pace.* & affirmationem sonat Hebraicè: perinde ac diceretur: Quia officio videntis tu fungeris, ideò reuertere. Et est sermo de officio videndi, quid agetur ab Absalom, & ciuitate: vt subiuncta testantur: adhuc enim non comparuerat Chusai Archites, qui postea inunxit Dauid, vt etiam ipse videret, & nunciaret.

Et

Et Achimaham, filius tuus, & Ionathan filius Eb-iathar duo filij vestri vobiscum.

Vers. 28. *Ecce ego absondar.*] Iuxta Hebræum habetur: *Videte ego morans in campestribus deserti, donec veniat verbum à vobis ad nunciandum mihi.* Manifestat, ad quid vigilare videndo debeant: videlicet, ad indicandum ei per filios successum rei.

Vers. 29. *Reduxitque Zadoc, & Eb-iathar Arcam Dei in Ierusalaim.*] Nomen est *Elohim.*

Vers. 30. *Et manserunt ibi.*

Dauid autem ascendebat per ascensum olivarum ascendens, & flens; & operto capite, & nudis pedibus incedens.] Hinc apparet manifestè, quòd non in fine regni Dauidis hoc fuit: quoniam potens erat ad iter agendum Dauid.

Et totus populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat ascendendo, & flendo.

Vers. 31. *Dauidi autem nunciatum est dicendo: Achithophel est in coniuratione cum Absalom. Dixitque ei Dauid.*] Superfluit, ei: nam non nunciantì, sed Deo dixit Dauid.

Infatua, quæso, consilium Achithophel, Domine.

Vers. 32. *Et fuit, Dauid venit vsque ad verticem adoraturus ibi Deum.*] Nomen est *Elohim.* Locúsque describitur, vnde posstremus esset aspectus ad Sió, in qua erat Arca Dei: & propterea ibi postremò adorauit Dauid Deum, tanquam valefaciens.

Dauid adorans Deum aspicit Sion, in qua erat Arca Dei.

Et ecce occurrit ei Chusai Archites, scissa veste, & terram habente super caput suum.

Vers. 33. *Dixitq; ei Dauid: Si veneris mecũ, gris mihi oneri.*

Vers. 34. *Si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalomo: Seruus tuus ego Rex ero, patere me viuere.*] In Hebræo non habetur: *Patere me viuere.*

Consilium ad mendacium officiosum, peccatum est.

Seruus patris tui fui ex tunc; nunc autem ero seruus tuus.] Excusari non potest à peccato huiusmodi consilium ad mendacium officiosum.

Dissipabis mihi consilium Achithophel.

Vers. 35. *Habebis ibi tecum Zadoc, & Eb-iathar Sacerdotes: & erit, omne verbum, quod audies de domo Regis, indicabis Zadoc, & Eb-iathar Sacerdotibus.*

Vers. 36. *Ecce ibi sunt cum eis duo filij eorum, Achimahan Zadoco, & Ionathan Eb-iathare: & mittetis per manum eorum ad me omne verbum, quod audieritis.*

Vers. 37. *Venitque Chusai, amicus Dauid, in ciuitatem: & Absalom venit in Ierusalaim, & Achithophel cum eo.*] Superfluit, & *Achithophel cum eo.*

CAPVT XVI.

Vers. 1. DAVID *autem transierat paululum de vertice: & ecce Ziba, puer Mephiboseth, in occursum eius: & par asinorum strator um, & super eos erant ducenti panes, & centum ligatura vuæ passa, & septem massa palatarum.*] Iuxta Hebr. habetur, *& centũ serta ficuũ.* Quod autẽ subditur:

Et duo vtres vini.] Iuxta Hebræum habetur, *& vter vini.* nec est opus expositione.

Vers. 2. *Et dixit Rex ad Zibam: Quid sibi volunt ista? Et dixit Ziba: Asini sunt prò domesticis Regis ad equitandum: & panis, ac ficus, vt comedant pueri.*] Quia tunc temporis vtebantur asinis ad equitandum; ideò domesticis Regis minùs assuetis ad iter agendum offert asinos, vt fatigatus aliquis equitando refocillaretur.

Asini vtebantur Israelitæ ad equitandum.

Et vinum, vt bibat, si quis defecerit.] Iuxta Hebr. habetur, *lassus in deserto.*

Vers. 3. *Dixitque Rex: Et vbi est filius domini tui? Et dixit Ziba ad Regem: Ecce manet in Ierusalaim: dixit enim hodie: Restituet mihi domus Israël regnum patris mei.*] Calumniatus est ille filium Ionathæ, vt testantur scripta inferiùs in c. 19.

Calumnia Zibæ in Ionathan.

Et ait Rex ad Zibam: Ecce tibi sint omnia, quæ habet Mephiboseth.] Iniqua, temeraria quæ sententia fuit hæc maudita parte: præter hoc, quod ingratissimi animi erga Ionathan fuit. Vers. 4.

Temeraria sententia Dauidis.

Oro.] Iuxta Hebræum habetur: *Adoraui, inueniam gratiam in oculis tuis, domine mi Rex.*] Astutus seruus fingit se non venisse ad Dauidem, vt accusaret Mephiboseth, & subrogaretur in illius agros: sed ad hoc, vt inueniret gratiam in oculis Regis: huc enim tendunt hæc verba, *adorans,* (procuidubiò tẽ, offerendo hæc munuscula,) vt inueniam gratiam in oculis tuis.

Venit autem Rex Dauid ad Bachurim: & ecce inde vir exiens de cognatione domus Saul, nomine Simhi, filius Ghera, exiens exeundo, & maledicendo. Vers. 5.

Et lapidabat lapidibus Dauidem, & omnes seruos Regis Dauidis: totúsque populus, & omnes bellatores.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *& omnes potentes à dextera eius, & a sinistra eius,* de potentia siquidem vitium est sermo. Vers. 6.

Sic autem dicebat Simhi, dum malediceret illi: Egredere, egredere, vir sanguinum.] hoc est, effusor sanguinis multorum innocentium. Vers. 7.

Et vir Beli-iahal.] hoc est, absque iugo procedens in actibus suis.

Reddidit tibi Dominus totum sanguinem domus Saul, qui regnasti pro eo; dedítque Dominus regnum in manum Absalom filij tui: & ecce es in malo tuo, quia vir sanguinum es. Vers. 8.

Dixitque Abisai filius Zeru-iæ ad Regem: Cur maledicit canis hic morituru s? Iuxta Hebræum habetur: *Morituus domino meo Regi?* Verba sunt paruipensionis. Vers. 9.

Transibo, quæso, & remouebo caput eius.

Ait Rex: Quid mihi, & vobis est, filij Zeru-iæ: quia maledicet.] hoc est, nolo vobiscum communicare in animo vindicãdi: occidetãt enim Abner isti filij Seruiæ, sororis Dauidis: nõ sic, inquit, mihi, & vobis communis vindicta cõtra maledicũ. Vers. 10.

Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauidi; & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et quia Iehouah dixit ei: Maledic Dauidem, & quis dicet: Quare fecisti sic?* Agnoscit, & fatetur Dauid maledictionem illã, quatenus pœnalẽ sibi, procedere à Deo propter peccata sua: & propterea dicit. sũmum Deum dixisse Semei: Maledic Dauidem. Dixit siquidem Deus, non verbo, sed facto, efficiendo per Semei maledictionem illam, non quatenus erat peccatum: sed, quatenus erat pœna ipsius Dauidis; quemadmodum superiùs etiam per os Nathan dixerat: *Suscitabo malum de domo tua.* non quatenus erat malum culpæ, sed pœnæ.

Deus est author pœnæ, nõ peccati.

Et ait Dauid ad Abisai, & ad omnes seruos suos: Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo.] Iuxta Hebræum habetur: *De visceribus meis,* semen enim ex visceribus egreditur. Vers. 11.

Quærit animam meam, quanto magis hic filius Iemin.] hoc est, Beniamin, vt alias dictum est.

Maledicet Simte eum, & maledicat iuxta præceptum Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia dixit ei Iehouah.* quod iam expositum est.

Forsitan respiciet Dominus afflictionem meam: & reddet Dominus mihi bonum pro maledictione eius die hac.] Sciens se iustè pati, non audet in spem certã præmij, sed sub dubio ponit dicendo: Fortè videbit oculo misericordiæ afflictionem meã, & imputabit ad meritum patientiam meam. Vers. 12.

Appellationem suam, licèt inconsultam sibi spectant Dauid ad meritum.

Et ibat Dauid, & viri eius per viam: Semei autem

Vers. 13.

autem per iugum montis ex latere contra illum gradiebatur.] Iuxta Hebræum habetur : *Et Simhi ambulans in latere montis è regione ipſius eundo, & maledicendo ; & lapidando lapidibus è regione ipſius, & iactando puluerem.* Deſcribitur modus quoad diſpoſitionem localem : Dauide cum ſuis eunte per viam publicam ; Semei autem eunte per latus montis è regione Dauidis maledicendo, & lapidando, & puluerem ſpargendo. Lapidare autem intellige, non quòd lapides attingerent ad eos ; ſed quòd iaceret lapides versùs eos : ad iniuriam enim, non ad lædendum tendebat.

Verſ. 14. *Venitque Rex, & totus populus, qui erat cum eo laſſi : & refocillati ſunt ibi.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et requieuit ibi.* Laſſi ſiquidem deſcribuntur communiter ; ſed ſingulariter ſcribitur de Rege, *& requieuit ibi.* Quanuis de populo communiter intelligi poſſit, *& requieuit ibi*: hoc eſt, in Bachurim, de quo vltimo dictum eſt: Et venit Rex Dauid vſque ad Bachurim.

Verſ. 15. *Abſalom autem, & totus populus virorum Iſraël ingreſſi ſunt Ieruſalaim, & Achithophel cum eo.*

Verſ. 16. *Et fuit, cum venit Chuſus Archites amicus Dauidis ad Abſalom : dixit Chuſai ad Abſalom : Viuat Rex, viuat Rex.*] Adulantis ſunt geminata hæc verba.

Verſ. 17. *Et dixit Abſalom ad Chuſai : Iſta eſt gratia tua ad amicum tuum ? cur non iuiſti cum amico tuo ?*] Admirantis ſunt verba.

Verſ. 18. *Dixitque Chuſas ad Abſalom : Nequaquam : Quia illius ero, quem elegit Dominus, & populus iſte, & omnes viri Iſraël : & cum eo manebo.*] Et hæc adulationis erant.

Verſ. 19. *Sed vt & hoc inferam :*] Iuxta Hebræum habetur : *Et ſecundo.* Primam rationem attulerat, quia electus eſt Abſalom à ſummo Deo, & populo vniuerſo Iſraële : alteram ſe adiungere manifeſtat : quia eſt filius Dauidis, tam amici ſui.

Cui ego ſeruiam ? Nonne filio Regis ?] Legendum eſt, *coram filio eius ?* Non nominat Dauidem Regem : ſed pronomine demonſtrat eum, quem dixerat Abſalom amicum tuum.

Mendacium officioſum.

Sicut parui patris tui, ita parebo & tibi.] Iuxta Hebræum habetur : *Sicut ſeruiui coram patre tuo, ſic ero tecum.* Mentitur, tamen officioſo mendacio.

Verſ. 20. *Dixit autem Abſalom ad Achithophel : Inite conſilium, quid agere debeamus.*] Iuxta Hebræum habetur : *Date vobis conſilium, quid faciemus.* Tanquam capiti conſilij dicit : Date vobis conſilium, volens vt cum ſenibus tractaret, quid faciendum eſt.

Verſ. 21. *Et ait Achithophel ad Abſalom : Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimiſit ad cuſtodiendam domum : & audiet totus Iſrael, quòd fœdaueris patrem tuum, & roborabuntur manus omnium, qui ſunt tecum.*] Ad excludendum, tam ſpem, quàm timorem reconciliationis inter patrem, & filium, ab animis, tam ſperantium, quàm timentium illam, conſilium dedit tam turpis, quàm nimiæ.

Verſ. 22. *Extenderunt igitur Abſalomo tentorium ſuper tectum : & ingreſſus eſt Abſalom ad concubinas patris ſui in oculis totius Iſrael.*] Vt adimpleretur verbum Dei dictum per Nathan Prophetam.

Verſ. 23. *Hyperbole ad conſilij dati executionem infallibilem denotandam.*

Conſilium autem Achithophel, qui conſulebat in diebus illis, erat ac ſi quis interrogaſſet ſermonem Dei.] Nomen eſt Eloham, & aſſimilatur conſilium Achithophel verbo reſponſionis diuinæ, non quoad rectitudinem, ſed quoad adhæſionem : narratur enim, quod ita adhærebant conſilio Achithophel, quemadmodum adhærebant reſponſioni Dei conſulti. Et quoniam hoc commune ſubiungitur, tam Abſalom, quàm Dauidi ; ideò ſimilitudo hæc per modum hyperboles intelligenda eſt : quemadmodum dicimus homines veloces vt aquilas, & ſimilia : deſcribitur enim ad literam maxima authoritas Achithophel in conſilio, vt pluſquam homo videretur ſapere : & propterea aſſimilatur diuino reſponſo.

Sic erat omne conſilium Achithophel, & Dauidi, & Abſalom.]

CAPVT XVII.

[I]T *dixit Achithophel ad Abſalom : Eligam mihi.*] Iuxta Hebr. habetur : *Eligam nunc duodecim millia virorum.* Abſque vlteriori mora : celerem ſiquidem perſecutionem Dauidis conſulit valdè vtilem. Verſ. 1.

Et conſurgam, & perſequar Dauidem hac nocte.] Superfluit, *hac* : tempus ſiquidem nocturnum ad exequendum celerem perſecutionem prudenter elegit, vt ex improuiſo aggrederentur Dauidem cum ſuis. *Nox opportuna ad improuiſam aggreſſionem.*

Et veniam ſuper eum, & ipſe laſſus eſt, & ſolutis manibus.] Iuxta Hebræum habetur : *Et lentus manus.* Tardum, ſeu debilem morum manuum Dauidis, & ſuorum iudicat, ex inedia, ſeu modico alimento, ac incommodis multis. Verſ. 2.

Et percutiam eum.] Iuxta Hebræum habetur, *& faciam tremere eum, & fugiet totus populus, qui eſt cum eo.* Efficacia aggreſſionis ordinatè deſcribitur : inchoando à terrore Dauidis, & ſuorum, & adiungendo conſequenter fugam territi populi, qui eſt cum Dauide. Verſ. 3.

Percutiamque Regem deſolatum.] Iuxta Hebr. habetur : *Et percutiam Regem ſolum eum.*

Et reducam totum populum ad te.] Tertius effectus deſcribitur occiſio ſolius Regis Dauidis : & quartus demum reductio vniuerſi populi ad te Abſalom Regem.

Quomodo vnus homo reuerti ſolet.] Sententia rectè redditur : quanuis Hebraïcè habeatur : *Sicut reuerti omnis.* & eſt caſus genitiui, *omnis.* Et eſt ſenſus : Faciam reuerti totum populum ad te, ſicut reuerti omnis ; hoc eſt, ſicut eſt reuerſio cuiuſlibet : hoc eſt, tam facilè, quàm facilè vnus quilibet reuertitur. Deinde immediatè ſequitur.

Vir quem tu quæris.] Et eſt ſenſus : Non multitudo virorum, ſed vnus eſt duntaxat vir, ad quem ſpectat te quærere perſequendo. Deinde immediatè ſequitur :

Omnis populus erit in pace.] Sententiæ ſunt articulatim prolatæ abſque aliqua connectione, ad reddendum rationem conſilij ſui vtilis, tam ipſi Regi, quàm paci vniuerſi Iſraëlis.

Placuitque ſermo eius Abſalom.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur : *Et rectum fuit verbum in oculis Abſalom, & in oculis omnium ſenum Iſraël.* Rectum cenſuerunt conſilium relatum ad bonum vtile vſurpati regni. Verſ. 4.

Ait autem Abſalom : Voca etiam, quæſo, Chuſai Architam, & audiamus, quid ſit etiam in ore eius. Verſ. 5.

Venitque Chuſai ad Abſalom : & dixit Abſalom Verſ. 6.

ad

ad eum dicendo : Secundum verbum hoc locutus est Achithophel : An faciemus verbum eius : si non tu loquere.

Vers. 7. *Et dixit Chusai ad Absalom : Non est bonum consilium, quod consuluit Achithophel hac vice.*] Quasi diceret: Quamuis Achitophel semper ahàs bonum consueuerit dare consilium; hac tamen vice consilium datum non est bonum. Et prudenter locutus est Chusai, honorando Achithophel; & pro hac duntaxat vice consilium illius diuertens, ne redderet se suspectum.

Vers. 8. *Dixitque Chusai : Tu nosti patrem tuum, & viros eius esse potentes & amaro animo, velut si ursa raptis catulis in saltu fremat.*] Iuxta Hebræum duntaxat habetur : *Sicut ursus orbatus in agro.* Et est sermo de orbato filiis : afferturque hæc similitudo quoad amaritudinem animi.

Similitudo, qua amaritudo animi exprimitur.

Et pater tuus vir bellator est.] Iuxta Hebræum habetur, *vir belli*; hoc est, vir sciens ea, quæ sunt belli, prudens in agendis, ac disponendis circa res bellicas.

Nec morabitur cum populo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nõ faciet dormire populum.* Sic facet in Hebræo : & sonant verba, quòd seruabit populum cum excubiis quasi vigilem in nocte, contra nocturnum tempus electum ab Achithophel ad aggrediendum populum Dauidis ex improuiso.

Vers. 9. *Forsitan nunc latitat in foueis, aut in vno, quo voluerit loco.*] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce nunc ipse est absconditus in vna fouearum, aut in vno locorum.* Contra id, quod dixerat Achithophel: *Percutiam Regem solum.* dicit, quòd Dauid prudens non solum populum vigilantem seruat, sed etiam personam suam occultat in latebris alicuius foueæ, speluncæ, aut cuiusuis loci.

Et erit cùm ceciderit quispiam in principio, audiet audiens, & dicet : Fuit plaga in populo, qui sequitur Absalom.

Vers. 10. *Et fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur.*] Periculum imminens ex consilio Achithophel describitur magnipendendum. Nec refert, quòd Hebraïcè non scribitur fortissimus: sed, *Et ipse etiam filius fortitudinis, cuius cor sicut cor leonis, liquefiendo liquefiet.* In idem enim sententia redit.

Scit enim totus Israël, quòd potens est pater tuus, & filii fortitudinis, qui sunt cum eo.

Vers. 11. *Sed consulo, vt congregando congregetur ad te totus Israel a Dan vsque ad Beersabee, sicut arena iuxta mare in multitudine : & facies tua vadens in bellum.*] Contra id, quod dixerat Achithophel, quòd Rex mitteret duodecim millia virorum, consulit Chusai, vt congregato vniuerso Israële ipse Rex personaliter pergat ad bellum.

Vers. 12. *Et veniemus ad eum in vnum locorum, in quo inuenietur.*] extra ciuitates muratas: nam deinde subiungit, quid efficient, si fuerint in ciuitate murata.

Et castrametabimur contra eum, sicut cadit ros super terram : & non relinquetur ex eo, & ex omnibus viris, qui cum eo sunt, etiam vnus.

Vers. 13. *Et si in ciuitatem collegerit se, portabit totus Israel ad ciuitatem illam funes : & trahemus eam vsque in torrentem, vsquequò non inueniatur ibi etiam calculus.*] Hyperbole est ad significandum tantam virium magnitudinem; vt quodammodo traherc possent ciuitatem integram in flumen.

Hyperbole ad integram destructionem ciuitatis significandam.

Vers. 14. *Dixit que Absalom, & omnis vir Israël : Melius est consilium Chusai Architæ consilio Achithophel. Dominus autem nutu dissipatum est consilium*

Achithophel vtile.] Iuxta Hebr. habetur. *& Iehouah præcepit ad hoc quod irritum faceret consilium Achithophel bonum, vt induceret Iehouah super Absalom malum.* Diuinæ prouidentiæ adscribit Scriptura tractionem consilij Achithophel, quamuis boni, hoc est, veris Absalõm: & rationem reddit diuinæ dispositionis, videlicet, vt puniret Absalom, qui conspiratuerat contra patrem, & tam infamem incestum commiserat.

Dat causam consilium bonum ad punitionem.

Dixit autem Chusai ad Sadoc, & Ebiathar Sacerdotes : hoc, & hoc consuluit Achithophel Absalom, & senioribus Israël, & hoc, & hoc consului ego. Vers. 15

Nunc ergo mittite citò, & nunciate Dauid, dicendo : Ne moreris nocte hac.] Supertluit, *hac.* Vers. 16.

In campestribus deserti. Nesciens Chusai, an Absalom sequeretur consilium eius, vel Achithophel, tutiorem elegit partem, monendo Dauidem, vt recedat ex planitie deserti.

Sed absque dilatione transgredere.] Iuxta Hebræum habetur, *& etiam transeundo transibis.* procul dubio Iordanem.

Ne forte absorbeatur Rex, & totus populus, qui est cum eo.

Ionathas autem, & Achimahas stabant in fonte Rogel, iuitque ancilla, & nunciauit eis, & ipsi ierunt, & nunciauerunt Regi Dauid : non enim poterant videri, aut introire ciuitatem.] Iuxta Hebræum habetur : *Quia non poterunt videri ad veniendum in ciuitatem.* Ratio redditur, quare Ionathan, & Achimaham erant in fonte Rogel: quia locus ille exemptus erat a visu venientium in ciuitatem; hoc est, ingredientium, & egredientium per viam publicam. Vers. 17.

Vidit autem eos puer, & nunciauit Absalomo.] Accidit vt extrà viam esset ille, qui vidit eos. Vers. 18.

Et abierunt ambo citò, & venerunt ad domum viri in Bachurim, qui habebat puteum in atrio suo, & descenderunt in eum.

Tulit autem mulier, & expandit velamen super faciem putei, quasi siccans ptisanas.] Iuxta Hebræum habetur, *& extendit super illud frumentum contusum, & non est cognita res.* Omnia sunt clara. Vers. 19.

Veneruntque serui Absalom ad mulierem in domum, & dixerunt : Vbi est Achimahas, & Ionathan? Et dixit eis mulier : Transierunt festinanter, gustata paululum aqua.] Iuxta Hebræum habetur : *Transierunt vadum aquæ.* nec aliud scribitur: sed subiungitur: Vers. 20.

Et quæsierunt, & non inuenerunt, & reuersi sunt in Ierusalem.] Et insinuatur, quòd scrutati fuerint domum illam, & non inuenientes reuersi sunt.

Cùmque abiissent, ascenderunt illi de puteo, & abierunt, & nunciauerunt Regi Dauid : & dixerunt ad Dauid : Surgite, & transite citò fluuium.] Hebraicè scribitur, *aquam* : sed de aqua Iordanis est sermo, vt subinuenta res inter. Vers. 21.

Quia hunc modum dedit consilium contra vos Achithophel.

Surrexit ergo Dauid, & totus populus, qui erat cum eo, & transierunt Iordanem, donec illucesceret.] Non habetur in Hebræo, *antequam desineret verbum*, sed duntaxat : *donec lucesceret nec vnus quidem remansit, qui non transisset Iordanem.* ad significandum, quòd ante diem clarum transierunt fluuium nocte omnes. Vers. 22.

Porro Achithophel videns, quod non esset cre- Vers. 23.

Eum consilium suum, strauit asinum, & surrexit, & abiit ad domum suam ad ciuitatem suam, & disposita domo sua suspendio interiit. Iuxta Hebraeum habetur, *strangulauit se: & mortuus est, & sepultus in sepulchro patris sui.* Propria interijt sententia, & ipse sibimet carnifex fuit actor tam prauorum consiliorum.

Vers. 24. *Dauid autem venit in castra.*] Legendum est, *in Machanaim.* est enim nomen ciuitatis: vt subiuncta testantur) in qua etiam fuerat Isboseth Rex.

Machanaim, est nomen ciuitatis.

Et Absalom transiuit Iarden, ipse, & omnes viri Israel cum eo.

Vers. 25. *Et Hamasam posuit Absalom pro Ioab super exercitum: Himasa autem erat filius vnus, qui vocabatur Iethra Israelites, qui ingressus est ad Abigail, filiam Nachas, sororem Zeruiæ matris Ioab.* Hic Nahas est Iesai, pater Dauidis, & istarum mulierum: vt Paralipomenon testatur.

Vers. 26. *Et castrametatus est Israel, & Absalom in terra Galaad.*

Vers. 27. *Cumque venisset Dauid in castra.*] Legendum est, *in Machanaim.* quia, vt dictum est, nomen est proprium ciuitatis.

Subi, filius Nachas de Rabba filiorum Hammon.] Iste frater Chanun, Regis Hammonitarum, subrogatus creditur in Praefectum Hammonitarum à Dauide, vt Nahas patri gratitudinis officium exhiberet.

Et Machir, filius Hammiel de Lodebar, & Barzillai Galaadites de Rogelim.

Vers. 28. *Sartaria, & tapeta.*] Iuxta Hebraeum habetur: *Et hydrias, & vasa figlina, & frumenta, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabas, & lentes, & frixum oleo cocer.* Iuxta Hebraeum repetitur dictio interpretata, *polenta*, significans grana tosta: & duorum generum grana torrefacta, oblata significantur: primùm enim grana frumenti, deinde grana legumini significantur.

Vers. 29. *Et mel, & butyrum, & oues, & caseos vaccinos, obtulerunt Dauid, & populo, qui erat cum eo ad conuescendum: suspicabantur enim populum esse hic, & sitire in deserto.* Iuxta Hebraeum habetur: *Quia dixerunt, populus famelicus, & lassus, & sitibundus in deserto.* hoc est, ex via deserti venit lassus, esuriens, & sitiens.

CAPVT XVIII.

Vers. 1.  *Recensuit ergo Dauid populum suum.*] Iuxta Hebraeum habetur: *Et ordinauit Dauid populum, qui cum eo: & posuit super eos Tribunos, & Centuriones.*

Vers. 2. *Et misit Dauid populum, tertiam partem in manu Ioab, & tertiam partem in manu Abisai, filij Zeruiæ, fratris Ioab, & tertiam partem in manu Ithai Gethæi.*] Infinuat Author congregasse Dauidem in Machanaim exercitum, ex hoc ipso, quod dicendo Populum, Principes exercitus, & Tribunos, & Centuriones ordinauerit a Dauide.

Vers. 3. *Dixitque Rex ad populum: Non egrediar etiam ego vobiscum. Deus enim iubet: vel non egrediens, quia, vt ego arbitror, vos potentes ad hoc estis, & si mediam mei partem perdideritis, non ponent ad nos cor, & si mediam nostri partem percusserint, non curabunt de nobis quantum ad nos pertinet.* Iuxta Hebraeum habetur: *Quia nunc, si fugerint nos, non curabunt nos. Et si dimidium quia hic tempore sumus, morientur, non curabunt nos, hoc est,* innumerabiles:) similis autem tibi non inuenitur: directe enim rationem reddunt verborum suorum.

Melius est igitur, vt sis nobis in vrbe præsidio.] Legendum esset, *& nunc bonum, vt sis nobis à ciuitate in auxiliorum.* vt, videlicet, ab vrbe opem feras nobis, prouidendo de opportunis.

Et dixit ad eos Rex: Quod bonum est in oculis vestris, faciam: stetitque Rex iuxta portam, & totus populus egrediebantur centeni, & milleni. Vers. 4.

Præcepitque Rex Ioab, & Abisai, & Ithai dicendo: Seruate mihi puerum Absalom. Iuxta Hebræum habetur: *Leniter mihi puero Absalom.* Et est sensus: Animaduertite, vt non impetu & furore impetatis Absalom, sed leniter cum eo agite intuitu mei: mensurari enim non possunt aggressiones impetuosæ. Vers. 5.

Et totus populus audiuit præcipientem Regem omnibus Principibus pro Absalom.

Egressusque est populus in campum in occursum Israel: & factum est prælium in saltu Ephraim.] Quia trans Iordanem, vbi Tribus Ephraïm nihil habebat, prælium hoc commissum est; ideò Ephraïm hoc in loco non est nomen Tribus, sed significat augmentum: ita quòd in sylua augmenti narratur commissum prælium hoc. Vers. 6.

Ephraïm *hic non significat Tribum, sed augmentum.*

Et cæsus est ibi populus Israel coram seruis Dauid: & fuit ibi plaga magna in die illa viginti millium. Vers. 7.

Fuitque ibi prælium dispersum super faciem totius terræ: & multo plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quam quos vorauerat gladius. Iuxta Hebræum habetur, *& multiplicauit sylua ad vorandum populum præ iis, quos vorauit gladius in die illo.* Manifestatur modus; videlicet, quòd sylua multipleauit feras ad vorandũ vagantes per syluam: & ex multiplicatione animalium nominata videtur sylua illa sylua Ephraïm ab augmento. Vers. 8.

Accidit autem, vt occurreret Absalom seruis Dauid.] Iuxta Hebraeum habetur: *Et occurrit Absalom coram seruis Dauidis.* Ratio, quare diuerterit Abtalom insinuatur occursus ad seruos Dauidis. Vers. 9.

Et Absalom equitabat super mulum, & ingressus est mulus subter cõdensam quercum, & magnam.] Legendum est, *inter densitatem ela grandis.* Non quercus, sed ela arbor significatur tam hic, quàm inferius.

Quercus pro ela arbore.

Et adhæsit caput eius quercui.] Iuxta Hebraeum habetur: *Et tenuit caput eius in ela, & datus est inter cælum, & inter terram; & mulus, qui sub ipso transiuit.* Non dicitur, quòd capilli eius illaqueauerint eum: sed, quòd caput eius penetrauerit densos ramos ela magno impetu fugientis, & hic capite detentus, pendens relictus fuerit transeunte secundum inchoatum cursum mulo.

Vidit autem vir quidam, & nunciauit Ioab, & dixit: Ecce vidi Absalom pendentem de quercu.] Iuxta Hebraeum habetur, *sic pensum in ela.* Et hoc attestatur quòd capite inspersus erat. Vers. 10.

Dixerat Ioab viro nunciauit ei: Et vidisti, cur non percussisti eum ibi ad terram, & ego dedissem tibi decem argenteos, & balteum. Iuxta Hebraeum habetur, *& meum fuisset dare tibi decem argenteos, & vnum balteum.* & nihil dictum de ponderc. Vers. 11.

Qui dixit ad Ioab: Si appenderetur in manibus meis mille argenteos, ne quidem mitterem manum meam in filium Regis. Patui refert, quòd in prima persona scribitur hoc Hebraicè: significatur enim, quòd non solum propter ipsum decem argenteorum; sed nec etiamsi realiter in manibus meis ponderarem hoc est, recuperem mihi argenteos, ponerem manum in filium Regis. Vers. 12.

Audientibus

Audientibus enim nobis præcepit Rex tibi, & Abisai, & Itthai dicendo: Custodite mihi puerum Absalom.

Vers. 13. *Et si fecissem contra animam meam audaliter.*] Iuxta Hebræum habetur: *falsitatem.* contratiam veritati, quam mandauerat Rex.

Nullum verbum absconditum esset à Rege: & tu stares ex aduerso.] hoc est, tu non me adiuuisses, sed fuisses sicut stans ad videndum.

Vers. 14. *Et ait Ioab: Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te.*] Iuxta Hebræum habetur: *Non sic expectabo coram te.* quemadmodum tu expectasti continendo te ab interfectione illius.

Tulitque tria tela in vola sua, & infixit ea in cor Absalom.] Difficile videtur diuinare, qualia tela fuerint.

Cum adhuc palpitaret.] Legendū est, *ipso adhuc viuente in corde ela.* nec describitur ferè mortuus.

Vers. 15. *Et cucurrerunt.*] Legendum est: *Et verterunt se decem pueri armigeri Ioab: percusserúntque Absalom.* vt multitudine vulnerum statim moreretur.

Vers. 16. *Et occiderunt eum.*

Clanxit autem Ioab buccina, & reuersus est populus à persequendo Israelem: volens parcere multitudini.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia prohibuit Ioab populum.* Ratio reuersionis populi à persecutione Israëlis redditur.

Vers. 17. *Et tulerunt Absalom, & proiecerunt eum in saltu in foueam grandem, & erexerunt super eum aceruum lapidum grandem valdè: totúsque Israël fugit, vnusquisque in tentoria sua.*

Vers. 18. *Absalom autem tulerat, & erexerat sibi in vita sua titulum, qui erat in valle Regis.*] Qualis fuerit hic titulus, Scriptura non tradit: fatuam tamen aiunt fuisse; non tamen statuam repræsentantem hominem; sed manum: & propterea subiungitur, quòd appellatur manus Absalom.

Qualis fuerit titulus erectus ab Absalom.

Dixit enim: Non habeo filium, in monimentum nominis mei.] Quæstio oritur circa veritatem huius dicti: quia superiùs cap. 14. scriptum est, Absalom habuisse tres filios, & vnam filiam. Solutio est, quòd tres illi filij geniti quidem narrantur; sed non, quòd fuerint superstites: & ex eo, quòd Absalom ideò erexerat sibi titulum, quia carebat filio; sufficienter insinuatur, mortuos fuisse filios.

An non habuerit filios Absalom.

Vocauitque titulum nomine suo, & appellatur manus Absalom vsque ad diem hanc.

Vers. 19. *Achimaham autem filius Zadoc, dixit: Curram, quaso, & nunciabo Regi, quòd iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius.*

Vers. 20. *Dixitque ei Ioab: Non eris nuncius in hac die; sed nunciabis die altera: hodie non nunciabis, eò quòd filius Regis mortuus est.*

Vers. 21. *Et ait Ioab ad Chusi: Vade, nuncia Regi, quæ vidisti. Adorauitque Chusi Ioab, & cucurrit.*] Non esse nomen proprium Chusi, sed significare Æthiopem, Hebraïca phrasis testatur: ad deferendum enim nuncium mœstum misit Æthiopem.

Chusi significat Æthiopem.

Vers. 22. *Rursus autem Achimaham, filius Zadoc, dixit ad Ioab: Et quid erit, curram, quaso, etiam ego post Chusi: Dixitque Ioab: Propter quid curris, fili mi? veni huc.*] Non habetur in Hebræo: *Veni huc.*

Non eris boni nuncij bainlos.] Hebraïcè anceps est sententia ad hanc, quæ habetur in vulgata editione, vel ad significandum, quòd non inuenies annunciationis præmium. Quod autem subditur:

Qui respondit: Quid enim si cucurrero.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit quid curram?* Quasi diceret: Non est mihi curæ præmium, aut mœstitiæ ob mortem Absalom; sed erit hoc, quòd curram. Deliberasse se currere significat. Vers. 23.

Dixitque ei: Curre: & cucurrit Achimaham per viam compendij.] Iuxta Hebræum habetur: *Per viam planitiei, & transiuit Chusi.* Insinuatur hinc, quòd Chusi iuerat per viam rectam; montanam tamen; Achimaham autem per longiorem viam planitici.

David autem sedebat inter duas portas: speculator vero ierat in tectum portæ super murum, qui elevans oculos suos vidit virum currentem solum. Vers. 24.

Clamauitque speculator, & indicauit Regi. Dixitque Rex: Si solus est, bonum est nuncium in ore eius: & ibat eundo, & appropinquando. Vers. 25.

Et vidit speculator virum alium currentem: & clamauit speculator ad ianitorem, & dixit: Ecce vir currens solus. Dixitque Rex: Etiam iste bonum nuncias.] Si enim in fugam versùs fuisset exercitus; non vnus solus appareret, sed multitudo: & propterea singulos solos currentes bonos esse nuncios protulit. Vers. 26.

Dixitque speculator: Video cursum prioris, veluti cursum Achimaham, filij Zadoc: & ait Rex: Vir bonus est hic, & cum nuncio bono venit. Vers. 27.

Clamauit autem Achimaham, & dixit ad Regem: Salue, Rex.] Iuxta Hebræum habetur, *pax.* Vers. 28.

Et adorauit Regem facie sua in terram: & dixit: Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines, qui leuauerunt manus suas in dominum meum Regem.] Vniuersa benè gesta significauit, dicendo Regi hoc vnum nomen, *pax*, antequàm adoraret Regem: deinde explicauit victos fuisse hostes.

Pax significat vniuersa benè gesta.

Et ait Rex: Estne pax puero Absalom? Dixitque Achimaham: Vidi tumultum magnum, cùm mitteret Ioab seruum tuus, ô Rex, me seruum tuum: nescio aliud.] Iuxta Hebræum habetur: *Mittente seruum ad Regem Ioab, & seruum tuum, & nesciui quid.* Hinc clarè habetur, quòd Chusi erat seruus: ait enim Achimaham: Mittente ad Regem Ioab seruum, proculdubiò Chusi; & seruum tuum, proculdubiò meipsum; & nesciui, quid significaret tumultus ille magnus. Mendacium dixit quoad hoc officiosum, nolens mœstum nuncium manifestare. Vers. 29.

Chusi erat seruus.

Mendacium officiosum.

Dixitque Rex: Verte te, & sta hîc. Et vertit se, & stetit. Vers. 30

Et ecce Chusi venit: & ait Chusi: Nunciatur domino meo Regi, quòd iudicauit te Dominus hodie de manu omnium insurgentium contra te. Vers. 31.

Dixit autem Rex ad Chusi: Estne pax puero Absalom? Dixitque Chusi: Sint, sicut puer, inimici domini mei Regis, & omnes, qui insurgunt contra te in malum. Vers. 32.

Contristatúsque est Rex.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tremuit Rex.* Magnitudo tristitiæ significatur ex tremore. Vers. 33.

Et ascendit in cœnaculum.] Legendum est, *super solarium portæ, & flevit.* qualecunque illud fuerit. Subiuncta autem verba legenda sunt sic:

Et sic dixit, dum iret: Fili mi Absalom! fili mi, fili mi Absalom!] ter enim repetit, *fili mi.*

Quis tribuet, vt ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi.]

CAPVT XIX.

Vers. 1. VNCIATVM *est autem Ioab: Ecce Rex flet, & luget super Absalom.*

Vers. 2. *Et fuit salus in die illa in luctum toti populo: audiuit enim populus in die illa dicis: Dolet Rex de filio suo.*

Vers. 3. *Et declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem, quomodo declinare solet populus versus, & fugiens de prælio.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et furatus est se populus in die illo ad ingrediendum in ciuitatem, sicut se furabitur populus erubescentes fugiendo è prælio.* Assimilantur furibus studentibus ad occultandum se, tam fugientes è prælio, quam illi victores.

Vers. 4. *Rex autem operuit caput suum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Operuit faciem suam.* more lugentium.

Et clamabat voce magna: Fili mi Absalom! Absalom fili mi!] Deficiunt duæ dictiones: videlicet, *fili mi:* tertiò enim repetitur, *fili mi:* & deinde narratur ingressus Ioab ad Regem.

Vers. 5. *Ingressusque est Ioab ad Regem in domum: & dixit: Confudisti.*] Parum refert, quod Hebraicè habetur: *Fecisti erubescere hodie facies omnium seruorum tuorum.* sententia enim eadem est.

Vers. 6. *Qui liberauit animam tuam hodie, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam uxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum.*

Amando odientes te, & odiendo diligentes te: ostendisti enim hodie, quòd non curas de Principibus, & seruis tuis: quia hodie cognoui, quòd si Absalom viueret, & omnes nos hodie mortui essemus; tunc rectum esset in oculis tuis.

Vers. 7. *Nunc igitur surge, egredere, & alloquens satisfac seruis tuis*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et loquere ad cor seruorum tuorum.* hoc est, ea, quæ placeat, & consonant: cordi seruorum tuorum.

Iuro enim per Dominum.] Hebraicè habetur in præterito: *Iurauit enim in Iehouah, quod te non exeunte, si dormiret vir tecum nocte.* Ad excitandum siquidem Dauidem, vt annotaret dicta ab ipso Ioab, dicit in præterito: *Iurauit enim*: perinde ac diceret: Animaduerte iuramentum, quia iurauit in summo Deo, &c.

Et pessimum erit tibi hoc omni malo, quod venit super te ab adolescentia tua vsque nunc.

Vers. 8. *Surrexit ergo Rex, & sedit in porta: & toti populo nunciatum est, quod Rex sederet in porta: & venit totus populus in faciem Regis: Israel autem fugit vnusquisque in tentoria sua.*

Vers. 9. *Omnis quoque populus certabat.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit omnis populus iudicatus in omnibus Tribubus Israel dicendo: Rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum, & ipse liberauit nos de manu Philisthim, & nunc fugit de terra propter Absalom.*

Vers. 10. *Absalom autem, quem vnximus super nos, mortuus est in prælio: & nunc cur tacetis ad reducendum Regem?*] Narratur, quòd in cunctis Tribubus quilibet populus fuit iudicatus; hoc est, tanquàm iudicio commotus reprehensus, & excitatus ab aliquibus ad reducendum Regem Dauidem: arguebantur enim ex beneficiis receptis à Dauide; conuincebantur autem, quia Absalom iam mortuus erat, & ipsa victoria Dauidis excitabat.

Et consilium totius Israel venit ad Regem.] Non habetur hæc clausula in Hebræo.

Vers. 11. *Rex autem Dauid misit ad Zadoc, & Ebiathar Sacerdotes dicendo: Loquimini ad seniores Iehudæ, dicendo: Cur venistis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quare eritis vltimi ad reducendum Regem in domum suam?* Sententia clara est.

Sermo autem totius Israel venit ad Regem in domum eius.] Verba ista Regis Dauidis sunt ad Sacerdotes, vt ea dicerent senibus Iudæ, ad declarandum illud verbum: *Quare eritis vltimi?* quia, videlicet, & verbum omnis Israël venit ad Regem ad domum suam, hoc est, ad reducendum Regem in domum propriam: dicentibus enim Sacerdotibus hoc ad senes Iudæ, monstrabatur eis, quòd iam omnis Israël significauerat Dauidi bonum animum suum erga Regem.

Quia dixerat Rex: Hæc dicetis ad populum Iudæ.] Non habentur hæc verba in Hebræo: sed contexitur sermo Regis ad Sacerdotes. referendus senibus Iudæ: nam immediatè sequitur:

Vers. 12. *Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos.*] erat enim ipse Dauid de Tribu Iudæ.

Cur ergo eritis nouissimi ad reducendum Regem?

Vers. 13. *Et Hamasæ dicetis: Nonne os meum, & caro mea es? Sic faciat mihi Deus, & sic addat.*] Nomen est *Elohim.*

Si non magister militiæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Princeps exercitus eris coram me omnibus diebus pro Ioab.* Sed oritur quæstio circa iustitiam huius promissionis: eò quòd Ioab principatum exercitus obtinuerat iure primi ascensus ad arcem Sion, vt scribitur 1. Paralipomenon 11. minùs ergo iustum erat, vt priuaretur principatu absque culpa. Solutio est, quòd Dauid promiserat quidem principatum primò ascendenti in arcem Sion; sed nunquam legitur, quòd promiserit ei, vt esset dux totius exercitus: aliud est enim esse Principem, seu ducem in exercitu, & aliud est esse ducem totius exercitus: multi siquidem erant in exercitu Duces, ac Principes: vnus autem erat dux totius exercitus, qui erat super omnes alios Principes: & propterea liber erat Dauid ad conferendum principatum totius exercitus, quem contulerat Ioab, vt scribitur supernis in c. 8. Et rationi consentaneum est, vt Dauid de consensu ipsius Ioab promouerit Hamasæ principatum exercitus, ad hoc vt Hamasa non impediret reditum Tribus Iudæ ad Regem Dauidem. Crediderim ego Dauidem suasisse Ioab, vt secum iam ferè senex quiesceret in Ierusalem ad regimen totius regni, & rebus bellicis cederet, obiata nunc hac occasione.

An Hamasa dederit Dauid principatum, quo priuauerit Ioab. 1. Paralip. 11.

Vers. 14. *Et inclinauit cor omnium virorum Iehudæ quasi viri vnius: & miserunt ad Regem: reuertere, tu, & omnes serui tui.*] Ecce effectus principatus promissi Hamasæ: nam non dicitur, & inclinauerunt Sacerdotes: sed dicitur, *inclinauit*, procul dubiò Hamasa, cuius immediatè antè mentio facta est.

Vers. 15. *Et reuersus est Rex, & venit vsque ad Iordanem: & Iehuda venit in Ghilgal, vt occurreret Regi, & traduceret eum Iarden.*

Vers. 16. *Festinauit autem Simhi, filius Ghera, filij Iemini, qui erat de Bachurim: & descendit cum viris Iehudæ in occursum Regis Dauid.*

Vers. 17. *Et mille viri erant cum eo de Biniamin.*] Semei, qui maledixerat Regi, vt scriptum est supra cap. 16. festi nauit ad petendum veniam.

Et Siba, puer domus Saul.] qui accusauerat Mephiboseth, vt ibidem scribitur.

Et quindecim filij eius, & viginti serui eius

quia

cum eo: & fuerunt Iarden ante Regem.

Vers. 18. *Et transierunt vadum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et transibit nauicula ad faciendum transire domum Regis, & ad faciendum bonum in oculis eius.* Intelligo multas nauiculas significari per nauiculam ad vehendum, & personas, & res, prout placeret Regi.

Simhi autem, filius Ghera, prostratus est coram Rege, cum iam transisset Iarden.] non Rex, sed ipse Semei: imò Hebraicè scribitur, quòd in ipso transitu (hoc est, quòd statim vt Semei transiit Iordanem prostrauit se coram Rege.

Vers. 19. *Et dixit ad Regem: Non imputet mihi dominus meus iniquitatem; & non memineris, quod inique egit seruus tuus in die, qua egressus est dominus meus Rex de Ierusalem, vt ponat Rex ad cor suum.*

Vers. 20. *Nouit enim seruus tuus, quòd peccaui: & ecce, veni hodie primus de omni domo Ioseph.*] Iuxta Hebræum habetur: *Omni domui Ioseph, vt descenderem in occursum domini mei Regis.* Ille enim Semei de Tribu erat Beniamin: tum, quia clarè dicitur filius Iemini, hoc est, Beniamin: tum, quia cum mille viris de Beniamin venit, proculdubiò ab ipso congregatis: nec sufficit se in domo Ioseph; sed in signum pœnitudinis, præuenisse se dicit vniuersam domum Ioseph; hoc est, Tribum Ephraim, & Manassis, descendentes ex Ioseph, qui fuit primogenitus Rachelis: cum debuisset Tribus Beniamin simul venire cum Tribu Ioseph, vt minor frater deferret maiori.

Semei erat de Tribu Beniamin.

Vers. 21. *Respondit autem Abisai, filius Zeruiæ, & dixit: An propter hoc non morietur Simhi, qui maledixit Christo Domini?*

Vers. 22. *Et ait Dauid: Quid mihi, & vobis, filij Zeruiæ?*] qui estis propensi ad vindictam.

Cur efficiemini mihi?] Legendum est, *Quia eritis mihi hodie in Satan.*] hoc est, vos creditis partes meas fouere; & tamen in hoc eritis mihi hodie in aduersarij officium. Et rationem subiungit: quia dies hodiernus est, tanquàm dies creationis meæ in Regem; oportet me agere tanquam nouum Regem, & obliuisci præteritorum.

Effe in Satan, quid.

An hodie morietur vir in Israel? quia nónne noui, quòd hodie sum Rex super Israël?

Vers. 23. *Et ait Rex ad Simhi: Non morieris: Iurauitque ei Rex.*

Vers. 24. *Mephiboseth quoque filius Saul descendit in occursum Regis.*] Inter occurrentes Regi connumeratur hoc in loco Mephiboseth; cum tamen occursus eius fuisset secundùm ordinem rei gestæ narrandus posteà.

Illotis pedibus, & intonsa barba.] Iuxta Hebræum habetur, *& non fecit pedes suos, & non fecit labrum suum, & vestes suas non lauit à die abitus Regis, vsque ad diem, quo rediit in pace.* Testatur Scriptura luctum assumptum à Mephiboseth propter fugam Regis Dauidis quoad tria; quia nec curam pedum abluendo, incidendove vngues; nec curam labij, minuendo pilos circa labia, & concinnando barbam egit; nec vestes suas abluit: vt intelligamus, quòd iniquè accusatus fuerit à seruo suo, & iniquè damnatus à Dauide.

Luctus quoad tria significatur à Mephibozeth.

Vers. 25. *Cumque occurrisset Regi.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit, cum venit Ierusalaim in occursum Regis, dixit ei Rex: Cur non venisti mecum, Mephiboseth?* Ne putaretur, quòd Mephiboseth occurrisset Regi ad Iordanē, describitur tempus aliud, videlicet, quando ciuitas Ierosolymitana venit in occursum Regis: tunc enim ipse Mephiboseth venit obuiam Regi.

Vers. 26. *Et dixit: Domine mi Rex, seruus meus contempsit me.*] Iuxta Hebræum habetur, *decepit me.* apparet enim hinc, quod Siba requisitus à Mephiboseth dixerit, se tutum cum Mephiboseth ad Regem Dauidem, vt comes esset fugientis: & quòd decepere eum eundo ad Dauidem cum munusculis sine (imò contra) Mephiboseth.

Dixit enim seruus tuus, vt sterneret mihi asinum] Iuxta Hebræum habetur: *Sternam mihi asinum, & equitabo super eum, & ibo ad Regem; quia claudus est seruus tuus.* Etiam hunc laborem sternendi asinum non imponebat Sibæ.

Vers. 27. *Et accusauit me seruum tuum apud te dominum meum Regem: tu autem, domine mi Rex, sicut Angelus Dei es.*] Nomen est Elohim.

Fac, quod bonum est in oculis tuis.

Vers. 28. *Quia non fuit tota domus patris mei, nisi homines mortis domino meo Regi, & posuisti seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ: quæ est ergo mihi amplius iustitia ad clamandum amplius ad Regem?*

Vers. 29. *Dixit autem ei Rex: Quid vltrà loqueris? fixum est, quod locutus sum.*] Iuxta Hebræum habetur, *dixi.* Et immediatè sequitur:

Tu, & Siba, diuidite agros.] Et est sensus: Diffiniui hanc sententiam; videlicet, *tu, & Siba diuidite agros.* Priùs Dauid fuerat præceps dando totum Sibæ, inaudita parte: modò audita parte, sed indiscussa veritate manifestè iniustus inuenitur, & ingratissimus Ionathæ patri Mephiboseth. Et Hebræi dicunt, in pœnam huius peccati diuisum fuisse regnum Dauidis tempore nepotis eius Roboam, vt inferiùs scribitur.

Dauid iniustus, & ingratus in his arguitur, vnde pœnam subit.

Vers. 30. *Dixitque Mephiboseth ad Regem: Etiam totum tollat, postquam venit dominus meus Rex in pace in domum suam.*

Vers. 31. *Barzillai quoque Ghilhaditis senex valdè.*] Superfluit, *senex valdè.*

Descendit de Rogelim: & traduxit Regem Iarden, vt prosequeretur eum vltra Iarden.

Vers. 32. *Erat autem Barzillai senex valdè, filius octoginta annorum: & ipse pauit Regem, cum moraretur in castris.*] Legendum est, *in Machanaim.* est enim ciuitatis nomen.

Erat enim vir diues nimis.] Hebraïcè habetur, *magnus valdè.* proculdubiò diuitiis, & consequentibus ad eas.

Vers. 33. *Dixitque Rex ad Barzillai: Veni mecum, vt quiescas securus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Tu transi mecum, & pascam te mecum in Ierusalaim.* Regiam curam ipsius promittit.

Vers. 34. *Et ait Barzillai ad Regem: Quot sunt dies annorũ vitæ meæ, vt ascēdam cum Rege in Ierusalaim?*

Vers. 35. *Filius octoginta annorum sum hodie: nunquid vigent sensus mei ad discernendum suauc, vel amarum?*] Iuxta Hebræum habetur, *an discernam inter bonum, & malum?* proculdubiò secundùm sensum. Et immediatè sequitur:

An gustabo seruus tuus, quod comedam, & quod bibam: an audiam vltrà vocem cantorum, & cantatricum? In specie declarat defectus quorum sensuum, gustus, & auditus.

Gustus, & auditus desiderari in senectute.

Et cur erit seruus tuus adhuc onori domino meo Regi?

Vers. 36. *Paululum transibit seruus tuus Iarden cum Rege: & cur retribuet mihi Rex retributionem istam?*

Vers. 37. *Reuertatur, quaso, seruus tuus, & moriar in ciui-*

tate mea, iuxta sepulcrum patris mei, & matris meæ: & ecce seruus tuus Chimham transibit cum domino meo Rege; fac ei, quod bonum est in oculis tuis.] Filius Barzillai erat iste Chimham.

Vers. 38. *Dixitque Rex: Mecum transeat Chimham, & faciam ei bonum in oculis tuis, & quicquid petes à me, faciam tibi.*

Vers. 39. *Et transiuit totus populus Iarden, & Rex transiuit: osculatúsque est Rex Barzillai, & benedixit ei.* Itum gratias agendo, tum imprecando bona.

Et reuersus est in locum suum.

Vers. 40. *Transiuit autem Rex in Ghilghal, & Chimham transiuit cum eo: totúsque populus Iehudæ traduxerat Regem, & etiam dimidia pars populi Israël.*

Vers. 41. *Et ecce omnes viri Israel venerunt ad Regem: & dixerunt ad Regem: Cur te furati sunt fratres nostri viri Iehudæ, & traduxerunt Regem, & domum eius Iarden, & omnes viros Dauidis cum eo?*

Vers. 42. *Et respondit omnis vir Iehudæ ad viros Israël: Quia mihi propior est Rex.*] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Quia propinquus Rex mihi.* & potest intelligi de propinquitate locali, & de propinquitate carnali: eò quòd secundùm locum Iordanis propinquus est Tribui Iudæ, & de Tribu Iudæ erat persona Regis.

Et cur iratsceris propter hanc rem? an comedendo comedimus ex Rege? an munera nobis data sunt?] Iuxta Hebræum habetur: *An donatiuum donauit nobis?* Rex. Omnem vtilitatem excludunt.

Vers. 43. *Et respondit vir Israël ad viros Iehudæ, & ait: Et primogenitus ego sum, decem partibus ego maior sum apud Regem, magisque ad me pertinet Dauid, quàm ad te.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit, decem partes mihi in Rege, & etiam in Dauid ego plus te.* Iudas, & Beniamin simul ex vna parte supputantur; decem verò reliquæ Tribus ex altera, quæ Israël nominatur: & propterea pars Israël dicit: Decem partes mihi in Rege, & in hoc Rege, qui est Dauid, sum plus te.

Cur fecisti mihi iniuriam.] Iuxta Hebræum habetur, *& quare parui pendisti me.* reducendo Regem sine me.

Et non mihi nunciatũ est priori.] Iuxta Hebr. habetur, *& non fuit verbum meum primum.* cùm sim longè maior te. Deinde immediatè sequitur:

Mihi ad faciendum reuerti Regem meum.] Et est ordo literæ: Ad faciendum reuerti Regem meum mihi. Conqueritur enim, quòd verbum suum (hoc est, opera sua, concursus suus) non interuenerit primo loco ad faciendum reuerti Regem: dolet enim, quòd non fuerit expectatus, sibique vt priori delatum.

Durióque fuit verbum virorum Iehudæ, quàm verbum virorum Israël.]

CAPVT XX.

Vers. 1. ACCIDITQVE, *vt ibi esset vir Beli-ial.*] Sæpè dictum est, Belial significare absque iugo legis, & morum.

Et nomen eius Sebah, filius Bich-ri, vir Iemineus.] hoc est, ex Tribu Beniamin.

Et clanxit buccina, & ait: Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas nobis in filio Iisai, vnusquisque ad tentoria sua, Israël.

Vers. 2. *Et ascendit omnis vir Israël à Dauide post Sebah, filium Bich-ri: viri autem Iehudæ adhæserunt Regi suo à Iarden vsque ad Ierusalaim.*

Vers. 3. *Veniitque Dauid in domum suam in Ierusalaim: & tulit Rex decem mulieres concubinas, quas dimiserat ad custodiendam domum, & tradidit in custodiam eas.*] Legendum est, *& dedit eas in domum custodiæ.* vt simul custodirentur velut in clausto.

Et pauit eas, & ad eas non est ingressus, sed erant clausæ.] Iuxta Hebræum habetur, *& fuerunt angustatæ*, limitibus ornatus, & aliorũ eiusmodi.

Vsque ad diem mortis suæ in viduitate viuentes.] hoc est, tanquàm viduæ vitam ducentes. Et in promptu est horum ratio: quia cognitæ fuerant à filio eius Absalom.

Dixit autem Rex Hamasæ.] tanquam Principi exercitus, vt promiserat. Vers. 4.

Congrega mihi viros Iehuda tribus diebus: & tu sta hic.

Abiitque Hamasa ad congregandum Iehudam: & moratus est extra palatium, quod ei constituerat Rex.] Iuxta Hebræum habetur, *& moratus est vltra tẽpus, quod præparauit ei.* hoc est, vltra triduũ. Vers. 5.

Ait autem Dauid ad Abisai: Nunc peius faciet nobis Sebah, filius Bich-ri, quàm Absalom.] Eò quòd Hamasa vltra constitutum tempus tardus erat, commisit Dauid Abisai onus persequendi Sebam. Vers. 6.

Tu tolle seruos domini tui.] proculdubiò Ioab, cuius officium transtulerat in Hamasam: & propterea nihil dixit Dauid ad Ioab: sed milites appropriatos Ioab, mandauit assumi ab Abisai fratre eius.

Et persequere eum, ne fortè inueniat sibi ciuitates munitas, & effugiat nos.] Legendum est, *oculos nostros.* ad similitudinem auium aucupes fugientiũ, ac occultantiũ se in locis tutis ab aucupibus.

Egressique sunt post eum omnes viri Ioab, & Cherethi, & Pelethi, & omnes robusti.] Hinc manifestè patet, quòd appellatione, *domini tui*, significatus fuerat Ioab: & præter viros Ioab, Cherethi, & Pelethi, & omnes potentes adhærentes Dauidi exierunt cum Abisai. Vers. 7.

Et egressi sunt de Ierusalaim ad persequendum Sebah, filium Bich-ri.

Ipsis existentibus apud lapidem grandẽ, qui est in Ghibbon, Hamasa venit in faciẽ eorũ: Ioab autem.] Absque officio introducitur Ioab cum euntibus ad persequendum Sebam, ne iniuria fieret Hamasæ: vt etiam hodie videmus fieri ab iis, qui plus valere existimantur, quàm ipse dux. Vers. 8.

Vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui.] Iuxta Hebr. habetur, *cinctus panno vestimenti sui.* Ad excludendum loricam fit ista descriptio.

Et desuper accinctus gladio dependente vsque ad ilia.] Legendum est, *& super eum cingulum gladij applicati super lumbos eius in vagina sua.* Nihil aliud armorum habuisse describitur, nisi gladium in vagina in cingulo super lumbos suos.

Qui fabricatus leuis motu egredi poterat, & percutere.] Iuxta Hebr. habetur, *& ipse exiuit, & cecidit.* Pronomen, *ipse*, demonstrat gladium: describitur enim, quòd volente Ioab salutare Hamasã, exiuit ex vagina gladius Ioab, & cecidit tanquàm casu, sed secundùm veritatem ex industria: & quòd Ioab gladium nudum, qui ceciderat, eleuauit manu sinistra, & sic salutauit Hamasam.

Dixitque Ioab ad Hamasam: Salue, mi frater.] Iuxta Hebræum habetur, *Num pax tu frater mi?* quod sonat, num benè vales tu, frater mi? Vers. 9.

Et tenuit manu dextera Ioab mentum Hamasæ quasi osculans eum.] Iuxta Hebræum habetur, *ad osculandum eum.* vt vndique eum falleret.

Hamasa

Vers. 10. *Hamasa autem non obseruauit gladium, quem habebat Ioab.*] Iuxta Hebræum habetur, *qui in manu Ioab.* hinc enim habetur, quod prædiximus: videlicet, quod manu sinistra eleuatum gladium nudum, qui ceciderat, tenebat Ioab.

Qui percussit eum in latere.] Iuxta Hebræum habetur, *& percussit eum ipso in quinta costa.* hoc est, iuxta stomachum, vt aliàs declarauimus.

Et effudit intestina eius in terram, & non iterauit ei, & mortuus est: Ioab autem, & Abisai, frater eius, persecutus est Sebah, filium Bich-ri.] Mortuo Hamasa resumpsit principatum exercitus Ioab: ad hoc enim insinuandum præponitur modò ad Abisai, quem Dauid miserat, vt caput.

Vers. 11. *Et vir steterit iuxta eum de pueris Ioab: & dixit: Ecce, qui esse voluit pro Ioab comes Dauid.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quis qui voluit in Ioab? & quis qui Dauidi post Ioab?* Vnica actio Hamasæ aduersùs Ioab describitur dupliciter: primùm, à complacentia Hamasæ in officio Ioab: deinde, à successione in officio, eodem viuente Ioab coram Dauide Rege: & hoc ad exaggerandum præsumptionem Hamasæ volentis se præferre Ioab, qui tanto tempore cum Dauide fuerat in hoc officio. Et sunt hæc verba opprobrantis Hamasæ occiso: Quis est nunc, qui voluit aduersùs Ioab, &c.

Vers. 12. *Hamasa autem conspersus sanguine erat in medio viæ: vidit que vir, quòd subsisteret totus populus, & diuertit Hamasam de via in agrum, & proiecit super eum vestimentum, cum vidisset, quod omnis veniens ad eum subsisteret.*

Vers. 13. *Quando autem amotus fuit, transiuit omnis vir post Ioab ad persequendum Sebah, filium Bich-ri.*

Vers. 14. *Porrò ille transierat per omnes Tribus Israël.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et transiuit in omnes Tribus Israël.* De Seba sermonem fieri, subiuncta insinuant: quanuis vulgata editio dissonet ab Hebraïca veritate, in qua post, *Tribus Israël*, subiungitur: *Ad Abel, & Beth-mahacham, & omnia Berim.* Et est nomen regionis, tam Beth-mahacha, quàm Berim. Deinde immediatè sequitur:

Et congregati sunt, & venerunt etiam post eum.] hoc est, & viri Ioab congregati sunt, & venerunt etiam persequentes per singula loca post Sebam; hoc est, sequendo vestigia eius. Deinde immediatè sequitur:

Vers. 15. *Et venerunt, & angustarunt super eum in Abel Beth-mahacha.*] Tandem angustarunt Sebam in ciuitate Abel sita in regione Beth-mahachæ.

Et circumdederunt munitionibus ciuitatem. Iuxta Heb. habetur: *Et euerterunt aggerem ciuitati.* Habebat ciuitas aggerem ante murum ciuitatis in munimen, & illum primò euerterũt viri Ioab.

Et obiecta est urbi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et stetit in muro.* Destructo aggere, ciuitas describitur stans in protectione solius muri.

Omnis autem turba, quæ erat cum Ioab, molie batur destruere murum.] Iuxta Hebræum habetur, *Et omnis populus, qui cum Ioab, destruentes ad faciendum cadere murum.* Prosecutio ad destruendum murum cum cenata totius populi Ioab describitur.

Vers. 16. *Et clamauit mulier sapiens de ciuitate: Audite, audite, dicite, quæso, ad Ioab, appropinqua vsque huc, & loquar ad te.*

Vers. 17. *Cùmque propinquasset ad eam, & dixisset mulier: Au tu es Ioab? & dixit: Ego sum. Et dixit ei: Audi verba ancillæ tuæ. At ille dixit: Audio.*

Rursumque illa: Sermo, inquit, dicebatur in veteri prouerbio: Qui interrogant, interrogent in Abela, & sic proficiebant.] Iuxta Hebr. habetur: *Dixitque dicendo: Loquendo loquentur in primis dicendo: Interrogando interrogabunt in Abel, & sic perfecerunt.* Ex his patet, vulgatam editionem rectè reddere Hebraicam veritatem: tanquam enim vetus prouerbium insinuatur, cùm dicitur: *Loquendo loquentur primùm*, (hoc est, ab antiquo, vel potius in primis ante omnia: perseuerantia enim significatur per futurum, *loquentur*,) dicendo hoc, videlicet, *Interrogando interrogabunt in Abel.*; quod sonat: Qui interrogant, interrogent in Abel, tanquam in ciuitate consiliorum.) & sic, hoc est, consilio habito à sapientibus Abel, perfecerunt opus: commendat enim ciuitatem suam à sapientia. Vers. 18. *Prouerbium: Qui iste rogant, interrogent in Abela. explicatur.*

Nonne ego sum, quæ respondeo veritatem in Israel?] Iuxta Hebræum habetur: *Ego pacificarum, & fidelium Israëlis.* subaudi, vna sum. Post commendatam ciuitatem à sapientia, affert rationem à pace, & fide cum Israële: vt hinc ostendat, iniustè vexati ciuitatem pacificam, & fidelem: in persona enim ciuitatis loquitur. Vers. 19.

Et tu quæris subuertere ciuitatem, & euertere matrem in Israël.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Tu quærens ad faciendum mori ciuitatem, & matrem in Israël.* Dixit, *ciuitatem pacificam & fidelem*, dixit *matrem*, propter sapientiam consilij.

Quare præcipitas hæreditatem Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Quare destrues hæreditatem Iehouah?* quælibet enim ciuitas Israël erat portio hæreditatis summi Dei, pro quanto hæreditario iure data erat à Deo populo Israël.

Respondit que Ioab, & dixit: Absit, absit mihi, non præcipito, neque demolior.] Legendum esset: *Si destruam, & si faciam destruere?* Ad significandum negatiuam. Vers. 20.

Non sic habet res: quia vir de monte Eph-raim, (Sebah filius Bich-ri nomen eius,) leuauit manum suam contra Regem Dauid. Tradite illum solum, & recedam à ciuitate.] Iste Seba de Tribu erat Beniamin (vt in principio huius capituli scriptum est:) sed, quia habitabat in monte Ephraim, ibi fortè etiam natus, ideò dicitur de monte Ephraim. Vers. 21.

Dixitque mulier ad Ioab: Ecce caput eius proiicietur ad te per murum.

Ingressa est ergo ad omnem populum, & locuta est eis sapienter.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et venit mulier ad omnem populum in sapientia sua, & absciderunt caput Sebah filij Bich-ri, & proiecerunt ad Ioab.* Ad consilium ciuitatis ingressa intelligitur mulier, vtens sapientia sua ad persuadendum concilio repræsentanti vniuersum populum, vt decollaretur Seba, tum propter iustitiam requisitam à Rege, tum propter pacem ciuitatis. Vers. 22.

Et clanxit buccina, & recesserunt ab vrbe vnusquisque in tentoria sua: Ioab autem reuersus est Ierusalaim ad Regem:

Et Ioab fuit super totum exercitum Israël: Bena-ia verò filius Iehoiadah super Cheretheos, & Peletheos. Vers. 23.

Adoram autem super tributum: & Iehosaphat filius Achilud à commentariis. Vers. 24.

Seraia verò scriba: & Zadoc ac Ebiathar Sacerdotes.] Quanuis c. 8. fuerit scripta distributio horum officiorum; repetitur tamen hic tanquam Vers. 25.

denuò

denuò Dauid factus fuerit Rex. Et specialiter fit mentio de officio Ioab, ad manifestandum, quod non obstante translatione officii in Hamasam, & crimine Ioab, interficiendo eundem, præfectus est iterum in Principem totius exercitus. Reliqua intellige, vt supra.

Vers. 26. *Et etiam Hiraa-irites erat Sacerdos Dauidi.*] Huius mentio facta non fuerat in dicto cap. veruntamen Sacerdotis nomen non est hic nomen Ordinis; sed dignitatis: erat enim quoad dignitatem, tanquàm Pontifex coram Dauide.

CAPVT XXI.

Vers. 1. VIT *autem fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, & consuluit Dauid oraculum Domini.*] Sæpè dictum est, ignotum nobis esse modum, quo huiusmodi interrogationes, & responsiones diuinæ fiebant.

Interrogationes, & consultationes diuinæ quomodo fierent, ignotum.

Et dixit Dominus, propter Saül, & propter domum eius sanguinum.] Superfluit, *eius*. Tria dicuntur: primum propter Saul: & ad huius declarationem subiungitur, *& domum sanguinum*: vt intelligeretur peccatum Saülis non quodcunque, sed pro quanto fuerat effusor sanguinis. Et ad manifestandum, de quo sanguine est sermo, adiungitur tertiò: *Eò quòd occidit Gibbhonitas.*

Vers. 2. *Vocauitque Rex Gibbhonitas, & dixit eis: Gibbhonitæ autem non erant de filiis Israël, sed de residuis Emorræorum, & filij Israël iurauerant eis.*] Historia hæc scripta est diffusè in libro Iosuæ c. 9.

Iosue 9.

Et voluit Saul.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quæsiuit Saül percutere eos.* Nec est dubium de effectu subsecuto, vt testatur suprascripta responsio diuina: sed, quia non omnes occidit, ideò dicitur, quòd quæsiuit ad percutiendum eos: vt enim subiuncta testantur, dispersi sunt propter persecutionem Saülis, multi, qui euasserunt.

Zelo quasi pro filiis Israël & Iuda.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *In zelare eius filios Israel, & Iebuda.* Zelus iste ratione ciuitatum, & agrorum Ghabaonitarum intelligitur: tanquam filius Israel tempore Iosuæ portio illa terræ fuerit male detracta: vtpote pars terræ promissionis debita filiis Israël. Ad subtrahendum itaque à Ghabaonitis terram, quam possidebant, quæsiuit Saul percutere eos.

Vers. 3. *Dixitque Dauid ad Gibbhonitas: Quid faciam vobis, & quod erit vestri propitiatum.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *& in quo expiabo.* subauditur iniuriam vobis factam.

Et benedicatis hæreditati Domini?] hoc est, materiam maledictionis diuinæ per famem trium annorum perseuerantis, subtrahendo benedictis occasionaliter.

Vers. 4. *Et dixerunt ei Gibbhonitæ: Non est nobis quæstio de auro, & argento cum Saul, & cum filiis eius.*] Forte argentum, & aurum obtulerat Dauid eis pro satisfactione.

Neque volumus, vt interficiatur homo in Israel.] Quia zelo Israelitarum Saul persecutus fuerat eos, & multos eorum occiderat; ideò excludunt à vindicta omnes Israelitas, exceptis domo Saulis, qui caput fuerat.

Et dixit: Quid ergo vultis, vt faciam vobis.] Iuxta Hebræum habetur: *Quod vos dicentes faciam vobis.* Clarè promittit facturum se, quod petunt.

Qui dixerunt Regi: Virum, qui attriuit nos, & oppressit iniquè, ita delere debemus, vt nec vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israel.] Hebraica litera longè aliter sonat: *Vir, qui destruxit nos, & qui cogitauit nobis, fuimus destructi à stando in omni termino Israëlis.* Vers. 5.

Dabitur nobis.] Et statim appositiuè subiungitur, *septem viri ex filiis eius.* De Saüle narrantur duo, & petitur tertium. Narratur primum, quòd destruxit occidendo Ghabaonitas: deinde, quòd cogitauit (quòd machinatus est) aduersùs eos, vsque adeò vt destituti non solùm à propriæ terræ terminis, sed etiam ab habitatione in omni termino Israëlis fuerint: petitur autem tertiò, vt Saül detur eis non in seipso; sed in septem viris ex filiis eius. Vers. 6.

Vt crucifigamus eos.] Iuxta Hebræum habetur, *& facient affigere eos:* nihilque dicitur de cruce in specie.

Domino.] hoc est, ad gloriam iustitiæ diuinæ.

In Gibbha Saul electi Domini.] in colle cognominato ab ipso Saüle ad maiorem vindictam.

Et ait Rex: Ego dabo. Pepercitque Rex Mephiboseth filio Ionathan filij Saul propter iusiurandum Domini, quod fuit inter Dauid, & Ionathan filium Saul. Vers. 7.

Tulitque Rex duos filios Rizpæ filiæ Aïa, quos peperit Saüli, Armonemum, & Mephiboseth; & quinque filios Michal, filiæ Saulis.] Corrupta, iudicio meo, fuit vitio scriptorum Hebraïca litera: & est scriptum *Michal*, pro *Merab* sorore eius maiore; quæ fuit vxor istius Hadrielis, vt patet 1. Reg. 18. si enim dicerentur duntaxat filij Michal, intelligi possent filij per adoptionem: sed quia adiungitur: Vers. 8. 1 Reg. 18.

Quos genuit Had-rieli, filio Barzillai Mecholathei.] verificari non potest litera de Michal: nam generare actio est naturalis, non conueniens nisi matri naturali: & propterea non nisi de Merab verificatur, quos genuit Had-rieli. Vitio itaque Scriptorum error nominis est. Et tu, prudens lector, hoc annotabis; ne fallaris, sicut ego quoque falsus fui super Psalmum: *Ad Dominum, cùm tribularer.* citando hunc textum, vt iacet.

Corrigit Author inadvertentiam suã sup. Psal. 119.

Et dedit eos in manum Gibbhonitarum.] Aduerte, quòd iuramentum præstitum Saulí in primo libro cap. 24. à Dauide non est violatum tradendo istos occidendos: eò quòd propter mortem istorum, nec domus, nec nomen Saülis delebatur: nam seruata stirpe Ionathæ, seruabatur & domus, & nomen Saulis. Vers. 9. 1. Reg. 24.

Quomodo iuramentum seruauerit Dauid.

Qui crucifixerunt eos.] Iuxta Hebræum habetur, *& affixerunt eos in monte.* Idem est mons, qui paulò antè nominatus est collis.

Coram Domino.] hoc est, ad executionem diuinæ iustitiæ. Et hinc soluitur quæstio, quare Dauid fecerit contra legem Moïs: *Non occidentur filij pro patribus.* Deut. 24. Sumitur enim, quòd tanquàm diuinæ iustitiæ executor Dauid hoc fecit: de Deo enim scriptum est: *Visitans iniquitatem patrum in filios, & in tertios, & in quartos.*

Dauid occidi mandando filios Saulis, an fecerit contra legem Deut. 24.

Et ceciderunt septem hi simul: & occisi fuerunt in primis diebus messis, principijs messis hordeacæ.

Tollens autem Rizpa, filia Aïa, cilicium, substrauit sibi super petram.] Legendum erit: *Et tulit Rizpa, filia Aïa, saccum, & extendit eum sibi in rupe.* Maternus amor describitur tantus, vt quæ fuerat vxor Regis in rupe habitauerit, extenta rudi tela desuper, ex qua solent heri facci) Vers. 10.

Maternus amor erga filios crucifixos.

ad

ad curam habendum affixorum corporum, ne à feris, aut auibus morderentur.

A principio messis, donec stillaret aqua super eos de cœlo.] Et hoc quoque contra legem Mosis Deut. 21. factum fuit: præcipitur enim in lege, quòd affixus ligno eadem die sepeliatur: isti autem, vsquequò placeret, relicti sunt impatibilis. Sed solutio similis est: nam diuina authoritate hoc factum est, vt vsque ad pluuiam (signum diuinæ clementiæ) manerent affixa cadauera ad expiandum pœnam penuriæ annonæ, quæ ex defectu pluuiæ fuerat triennio: vt hæc litera insinuat.

An contra legem corpora manserint in cruce, vsque quò placeret vltra diem vnum.

Et non permisit aues cœli requiescere super eos in die, neque bestias agri in nocte.] Ne sis ita rudis, vt intelligas, mulierem nobilem solam mansisse ibi, custodiamque hanc exercuisse: sed famulas, & famulos secum habuisse.

Vers. 11. *Nunciatum est autem Dauidi, quod fecit Rizpa filia Aia, concubina Saulis.*] Ideò hoc scribitur, vt intelligamus Dauidem motum ab exemplo pietatis illius mulieris.

Vers. 12. *Et abiit Dauid, & tulit ossa Saulis, & ossa Ionathan filij eius.*] Ecce fructus boni exempli: personaliter iuit Rex ad tollendum ossa Saulis, & Ionathæ, motus exemplo mulieris: non enim dicitur: Et misit Dauid. sed dicitur: *Et iuit Dauid.*

Fructus boni exempli.

A viris.] Legendum esset, *à Primatibus Iabes-Ghilhad.* contentus siquidem Primatum ciuitatis interueniens describitur, eò quòd chara illis erant ossa Saulis.

Qui furati fuerant ea de platea Beth-san, in qua suspenderant eos Philisthim in die, qua percusserunt Philisthim Saulem in Ghilboah.] Quæstio oritur: quia in calce primi libri scriptum est, quòd labitæ tulerunt cadauera Saulis, & filiorum de muro Bethsan: hîc autem dicitur de platea Bethsan. Solutio est, quòd (vt Hebraica sonat dictio) non significatur propriè platea ciuitatis; sed locus largus, qui, videlicet, erat iuxta murum Bethsan: & propterea nulla relinquitur dissonantia inter scripta hîc, & ibi: sed ibi scribitur murus; hic verò amplitudo loci, in quo erat murus.

Quomodo alibi dicantur fecisse tulisse ossa Saulis de muro, & hic de platea.

Vers. 13. *Et asciendere fecit inde ossa Saulis, & ossa Ionathan filij eius: & colligentes ossa eorum, quis affixi fuerant.*] Legendum esset, *& fuerunt congregata ossa affixorum.* Hactenus opera Dauidis descripta est circa ossa Saulis, & Ionathæ, & consequenter filiorum Saulis cum eo sepultorum: modò describitur id, quod mandato Dauidis factum est de ossibus illorum septem affixorum.

Vers. 14. *Sepelierúntque ossa Saulis, & Ionathan filij eius in terra Binamin in latere.*] Iuxta Hebræum habetur, *in Zelah.* & est nomen proprium loci.

In sepulcro Cis patris eius: & fecerunt omnia, quæ præceperat Rex, & propitiatus est Deus terræ post hæc.] Nomen est Elohim: & diuina gratia dans copiam annonæ significatur: quod secundùm effectum apparuit post hæc humanitatis officia: visa est enim pluuia sufficiens ad culturam terræ.

Diuina gratia sequitur humanitatis officia.

Vers. 15. *Factum est autem rursùm bellum Philisthinorum contra Israel.*] Parùm refert, quòd Hebraice scribitur: *Et fuit adhuc bellum Philisthinis cum Israel.* Dicendo, *adhuc tempus*, sonat post placationem Ghibeonitarum.

Descenditque Dauid, & serui eius cum eo, & pugnauerunt cum Philisthim: defecitque autem Dauid.] Iuxta Hebræum habetur, *& lassus est Dauid.* fatigatus siquidem labore prælij describitur.

Et Iisbi-benob, qui erat de genere Raphe.] Genus erat giganteum. Vers. 16.

Et pondus hastæ eius trecentos siclos æris appendebat.] Legendum esset, *trecentos siclos æris appendebat.* hanc enim ponderis speciem sonant Hebræi.

Et accinctus erat ense nouo.] Non est in Hebræo *ense.* Nec desunt intelligentes ipsum nouum accinctum, hoc est, nouum militem fuisse: vt maioris audaciæ insinuetur, quam effectus subsecutus testatur; videlicet:

Vt ipse esset percutere Dauid.] Legendum est, *& dixit ad percutiendum Dauidem.* Ecce audacia proprio verbo manifestata, quòd volebat aggredi personam Regis.

Præsidióque fuit ei Abisai, filius Zeruiæ, & percussum Philisthæum interfecit.] Dauid adiutus ab Abisai: Hebraicè enim legitur: *Et adiuuit eum Abisai, & percussit Philisthæum, & occidit eum.* Auxilium duntaxat collatum narratur ab Abisai; percussio autem, & interfectio actiones Dauidis sunt: vt in calce huius capituli sùmatur. Vers. 17.

Tunc iurauerunt viri Dauidis ei dicendo: Non egredieris amplius nobiscum in prælium.] Senex iam insinuatur Dauid insolita lassitudine attestante: & propterea cum personæ tuæ periculo veniens ad prælium: & ideò rationabiliter coëgerunt illum sui, vt non veniret amplius ad prælium.

Et non extingues lucernam Israël.] Assimilatur Dauid luci Israëlis ratione sapientiæ, & regni splendentis: ita vt omnis Israël sub regno ejus, tanquàm sub luce esset, qui in tot tenebris fuerant temporibus multis oppressi, & ab exteris, & à criminibus.

Rex Dauid assimilatur luci.

Secundum bellum quoque fuit.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et fuit post hæc, & fuit adhuc prælium in Gob cum Philisthinis: tunc percussit Sibbechai Chusathæus Saphi, qui erat de genere Raphæ.* Vers. 18.

Tertium quoque fuit.] Legendum est: *Et fuit adhuc prælium in Gob cum Philisthinis.* Et posteà subditur: Vers. 19.

In quo percussit Adeodatus filius saltus polymitarius Bethlehemites.] Iuxta Hebræum habetur, *& percussit Elchanam, filius syluarum textorum Bethlechemites Ghol-iath Ghittheum, & lignum lanceæ eius, sicut liciatorium textorum.* Ex quibus patet, quòd Interpres nomina propria omisit. Et quamuis non Bethlechemites, sed Beth-halachmites scribatur Elchanam quoad patriam; in idem tamen redit sensus: quòniam dictio composita est ex *domo*, & articulo, *& Lechem*, in casu genitiuo.

Quartum bellum fuit.] Legendum est: *Et fuit adhuc prælium in Ghath.* vt in superioribus dictum est. *Fuitque vir vir mensuræ, qui senos in manibus, pedibúsque habebat digitos viginti quatuor numero: & etiam erat de genere Raphæ.* Vers. 20.

Et blasphemauit Israel.] Legendum est: *Et vituperauit Israelem.* probris enim etiam impetiit Israëlem. Vers. 21.

Et percussit eum Ionathan filius Simhai, fratris Dauidis.

Quatuor hi nati sunt Raphæ in Ghath: & ceciderunt in manu Dauid, & seruorum eius.] Supputatur Dauid primus inter interfectores horum gigantum: tum propter primum, quem nisi lassitudo impedisset, occidisset sine adiutorio Abisai; tum, quia ipse institutor fuit seruorum suorum, qui occiderunt alios. Vers. 22.

CAPVT

CAPVT XXII.

Vers. 1. OCVTVS est autem Dauid Domino verba Cantici huius, in die, qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul.

Vers. 2. Et dixit: Dominus petra mea, & arx mea, & Saluator meus mihi.

Vers. 3. Deus fortitudo mea, sperabo in eo: scutum meum, & cornu salutis mea; elevator meus, & refugium meum, Saluator meus, ab iniquitate liberabis me.

Vers. 4. Laudabilem invocabo Dominum: & ab inimicis meis saluus ero.

Vers. 5. Quia circundederunt me contritiones mortis: & torrentes malignitatis terruerunt me.

Vers. 6. Dolores Inferi circundederunt me: praeuenerunt me laquei mortis.

Vers. 7. In tribulatione mea invocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo: & exaudiuit de templo suo vocem meam, & clamor meus in auribus eius.

Vers. 8. Commotáque est, & contremuit terra. Fundamenta caelorum contremuerunt, & commota sunt: quoniam iratus est ei.

Vers. 9. Ascendit fumus in furore eius, & ignis de ore eius deuorabit: carbones succensi sunt ab eo.

Vers. 10. Inclinauitq; caelos, & descendit: & caligo sub pedibus eius.

Vers. 11. Et equitauit super Cherub, & volauit: & apparuit super pennas spiritus.

Vers. 12. Et posuit tenebras in circuitu sue tabernacula: colligantiam aquarum nubes caelorum.

Vers. 13. Pra fulgore in conspectu eius succensi sunt carbones ignis.

Vers. 14. Tonuit de caelis Dominus: & excelsus dabit vocem suam.

Vers. 15. Et misit sagittas, & dispersit eos fulgur, & consumpsit eos.

Vers. 16. Et apparuerunt effusiones maris, & reuelata sunt fundamenta orbis ab increpatione Domini, ab inspiratione spiritus furoris eius.

Vers. 17. Misit de excelso, & accipiet me, extrahet me de aquis multis.

Vers. 18. Liberabit me ab inimico meo forti, ab odientibus me: quia robustiores me sunt.

Vers. 19. Praeuenerunt me in die afflictionis mea: & fuit Dominus sustentaculum meum.

Vers. 20. Et eduxit me in latitudinem: & liberabit me, quia complacuit in me.

Vers. 21. Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, secundum munditiam manuum mearum reddet mihi.

Vers. 22. Quia custodiui vias Domini: & non malignatus sum a Deo meo.

Vers. 23. Quia omnia iudicia eius in conspectu meo, & statuta eius non amouebo a me.

Vers. 24. Et fui perfectus coram eo: & custodiui me ab iniquitate mea.

Vers. 25. Et restituit Dominus mihi secundum iustitiam meam: secundum munditiam meam in conspectu oculorum eius.

Vers. 26. Cum gratioso gratiosum ages: cum viro perfecto perfectum ages.

Vers. 27. Cum mundo mundum ages: & cum tortuoso tortuosum ages.

Vers. 28. Et populum pauperem saluum facies: oculi tui super excelsos, humiliabis eos.

Vers. 29. Quia tu lucerna mea, Domine: & Dominus illuminabit obscuritatem meam.

Vers. 30. In te enim curram accinctus: in Deo meo transiliam murum.

Vers. 31. Deus perfecta via eius: eloquium Domini purificatum, scutum est omnibus sperantibus in eo.

Vers. 32. Quoniam quis est Deus praeter dominum? & quis fortis praeter Deum nostrum?

Vers. 33. Deus, qui accingit me fortitudine, & complanauit perfectam viam meam.

Vers. 34. Coaequans pedes meos, sicut cernuorum, & super excelsa mea statuet me.

Vers. 35. Docens manus meas ad praelium: & componens quasi arcum aereum brachia mea.

Vers. 36. Et dedisti mihi scutum salutis tua: & in mansuetudine tua multiplicabis me.

Vers. 37. Dilatabis gressus meos subtus me: & non deficient tali mei.

Vers. 38. Persequar inimicos meos, & disperdam eos: & non reuertar, donec consumam eos.

Vers. 39. Et consumam eos, & confringam eos: & non surgent, & cadent sub pedibus meis.

Vers. 40. Et accinxisti me fortitudine ad praelium: incuruabis resistentes mihi subtus me.

Vers. 41. Et inimicos meos dedisti mihi ceruicem: odientes me, & excidam eos.

Vers. 42. Aspicient, & non erit saluator: ad Dominum, & non respondit eis.

Vers. 43. Delebo eos, vt puluerem terra: quasi lutum platearum comminuam eos, distendam eos.

Vers. 44. Et saluasti me a litibus populorum & custodies me in caput gentium; populus, quem non noui, seruies mihi.

Vers. 45. Filij alieni mentientur mihi: ad auditum auris obedient mihi.

Vers. 46. Filij alieni arescent, & contremiscent a clausuris suis.

Vers. 47. Viuus Dominus, & benedictus fortis meus: & exaltetur Deus fortis saluatis mea.

Vers. 48. Deus dans vindictas mihi: & deducens populos sub me.

Vers. 49. Et educens me ab inimicis meis: & a resistentibus mihi elevabis me, a viro iniquo liberabis me.

Vers. 50. Propterea confitebor tibi, Domine, in gentibus, & nomini tuo cantabo.

Vers. 51. Magnificans salutes Regis sui, & faciens gratiam Christo suo Dauid, & semini eius vsque in saeculum.] Quia Psalmum istum diffuse exposuimus in Commentariis Psalmorum, ideò capitulum hoc pertransibimus.

CAPVT XXIII.

Vers. 1. HAEC autem sunt verba nouissima, quae dixit.] Iuxta Hebraeum habetur: *Et haec verba Dauidis nouissima.* hic enim debet fieri pausa: deinde ipsa Dauidis verba prophetica (per modum hymni fortè dicta, quemadmodum dicta in aliis Psalmis,) subiunguntur. Et miror, quòd inter Psalmos Dauidis non inueniatur Psalmus iste. Subiungitur itaque in Hebraeo immediatè sic: *Dictum Dauidis, filij Iisai, & dictum viri fuit elevatus supra vnctus Helohe Iahacob, & dulcis cantibus Israelis.*] Vide, quantùm distat vulgata editio à veritate Hebraica: nam vulgata editio habet: *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iahacob egregius Psaltes Israël.* Ipse enim Dauid tanquàm titulum Authoris describit à quatuor: videlicet, à naturali stirpe, dicendo: *Filij Iisai*: ab electione diuina ex pascuis ouium ad excelsum gradum super Israel: ab vnctione diuina in Regem mandata à Deo gubernatore Iacob: & denique

Dauid à quatuor describitur.

demum à dulcedine Psalmorum eius apud populum Israël. Meminit autem specialiter Dei Iacob, quoad sui vnctionem in Regem, ad insinuádum, quòd ipse est initiú sceptri prophetari à Iacob in Tribu Iudæ. Cùm verò dicitur: *Et dictum viri fuit eleuatus.* subauditur relatiuum, *qui*: est enim sẽsus: Et dictum viri, qui fuit eleuatus. Et nomen viri non est nomen sexus virilis puri, sed viri egregij: fuit enim Dauid vir eximius à sua pueritia: nã & pascens gregem interfecit vrsum, & leonem: & adhuc adolescens occidit Goliath gigantem.

Vers. 2. *Spiritus Domini locutus est per me.*] Legendum est, *in me.* Descripto homine authore dictorum, describitur principalis author eorundem summus Deus per Spiritum sanctum suum loquens in ipso homine Dauide: vt subiuncta dicta intelligamus dicta quidem esse hominis, sed inspiratione diuina dicta. Quemadmodũ ergo in Apostolis Spiritus sanctus in die Pentecostes datus locutus est; ita & in Dauide: propter quod Petrus Apostolus posteà scripsit, quòd *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

Deus per Spiritũ sanctum loquebatur in Dauide.

2. Pet. 1. 21.

Et sermo eius per linguam meam.] Legendum esset, *& verbum eius super linguam meam.* Non solùm interna locutio Spiritus sancti in eo describitur; sed etiam, quòd illa interna locutio prodit extrà in exteriori sermone.

Vers. 3. *Dixit Deus Israël.*] Hebraïce habetur: *Dixit Elohe Israëlis.* Postquàm descripsit modum, quo summus Deus fuit author dictorum, quæ subiunguntur, (videlicet, per internam inspirationem prodeuntem in exteriorem sermonem,) describit ipsum summum Deum, quem nomine naturę nominauerat Iehouah: describit. inquam, à quatuor officiis, quorum primum est Elohe Israëlis; hoc est, Iudex, & gubernator Israëlis, qui à populo Israël colitur, vt Iudex, & gubernator peculiaris eorum. Et in hoc tangit primum, ac summum beneficium collatum populo Israël: videlicet, quòd ipse summus Deus contulit illis, vt agnoscerent, & colerent eum Iudicem, & gubernatorem suum.

Deus describitur à quatuor officiis.

Mihi locutus est fortis Israël.] Secundum summi Dei officium erga Israël tangitur in viu fortitudinis ad pugnandum pro Israële. Et in hoc tanguntur vniuersa beneficia præstita populo, liberando eum ab innumeris periculis, oppressionibus, bellis, &c.

Dominator in homine iustus.] Tertium officium relatiuè ad vniuersum genus humanum describitur, *dominari in iustitia.* Et vtraque pars (videlicet, dominij, & iustitiæ) verificatur communiter in diuino regimine respectu generis humani: nam & suapte natura Dominus hominum est, & ius suum vnicuique tribuit.

Dominator in timore Dei.] Iuxta Hebræum habetur: *Dominator timore Elohim.* in casu genitiuo. Quartum officium relatiuè ad credẽtes in Deum gubernatorem, ac Iudicem singulorum, describitur, dominari timore Dei gubernantis, ac Iudicis. Vide disparitatem, *dominari iustitia*, officium scribitur diuinum relatiuè ad vniuersum humanum genus: *dominari* autem *timore Elohim*, (hoc est, Dei Iudicis,) specialiter conuenit Deo relatiuè ad credentes ipsum habere curam singulorum hominum, vtpote singulorum Iudicem. Et hæc duo cómunia sunt, tam Israëlitis, quàm non Israëlitis. Et descripsit Dauid Prophetã Deum loquentem in eo, & per eum dicta, quę subiunguntur, ab istis quatuor officiis, ad insinuádum, quòd subiuncta dicta concernunt vniuersum genus humanum: & specialiter timentes Deum, & in primis populum Israël: de Messia siquidem de domo Dauidis egresturo primùm ad nos Israël, & posteà ad omnes homines (quauis non omnibus profuturus sit) tractant subiuncta.

Dominari iustitia, & dominari timore Elohim, *differũt.*

Sicut lux aurora, oriente Sole, manè absque nubibus rutilat: & sicut pluuiis germinat herba de terra.] Iuxta Hebræum habetur: *Et, sicut lucem matutinam illustrabit Sol; manè non nubes ab illustratione à pluuia herba è terra.* Ecce dictum Dauidis inspirati à summo Deo: assumitur enim similitudo à die, cuius matutina lux illustratur à Sole, sic quòd manè absque nubibus serenum est: sequente autem diei parte sunt illustratio Solis, & pluuia, à quibus duabus causis germinat herba è terra: hęc est similitudo iuxta Hebraicam veritatem. Vers. 4.

Nec tanta est domus mea apud Deum.] Longè aliter iuxta Hebræum habetur: *Quia non sic domus mea cum El.* Ecce ad quid assumpta est dicta similitudo diei mane sereni, & posteà cum luce, & pluuia, ad hoc, vt terra germinet herbam: allata siquidem manifestè monstratur, non ad similitudinem, sed ad dissimilitudinem domus suę cum Deo declarandam: clarè enim dicit, quòd *non sic domus mea cum El:* hoc est domus mea non erit sic cum Deo, quemadmodum dies dictus est cum Sole efficiente diei mane lucidum, & serenum; sequentem autem diei partem pluuiosam, vt germinet terra herbam. Et intendit, quòd domus sua erit cum Deo, tanquàm cum Sole reddente totum diem lucidum, & serenum: intendit enim ad literam, quòd Deus non tractabit domum suam sic, quòd in principio illustret, ac serenam eam reddat; posteà verò non curet amplius de ea; sed operam dabit, vt terra germinet herbam; hoc est, vt aliæ germinent è terra domus regiæ, &c. Et hunc esse literalem sensum, testantur subiuncta immediatè: Vers. 5.

Comparatio serenitatis, & pluuiæ cum domo sua, ad quid à Deo assumpta.

Vt pactum æternum intret mecum firmum in omnibus, atque munitum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia pactum sempiternum posuit mihi ordinatum in omnibus, & custoditum.* Directè rationem reddit dissimilitudinis ex sempiternitate fœderis dispositi, & custoditi in omnibus. Nota verba: ad dissimilitudinem Solis nominauit Deum El (hoc est, fortem) ad excludendam omnem imbecillitatem ab efficacia diuina: quæ quasi imbecillitas apparet in illustratione Solis, dum vinci videtur à nubibus. Et modò adiungit fœdus sempiternũ: vt tanquàm ex pacto obligauerit se Deus omniũ Princeps; pacto autem non ad tempus, sed sempiterno: & hoc ad excludendum successionem pluuię serenitati mane. Apponit quoque, & ordinem, & custodiam in omnibus, ad excludendos euentus impeditiuos executionis huius diuini fœderis: vt hinc clare intelligamus, quòd de Messia ex domo Dauidis nulla ratione impediendo est sermo: nã à regno temporali impeditam fuisse domum Dauidis, manifestè patet occiso Sedechia, vltimo Rege Iudæ: sed sempiternũ fœdus in omnibus ordinatum, ac custoditum, positum à Deo Dauidi, vt Messias è domo eius nasceretur, nullum passum est impedimentum, nulla mutatione interceptum est. Vnde & aptissimè subiungitur:

Fœdus diuinũ, quo Deus promisit Dauidi, Messiam ex eius domo nasciturum, nullo modo impeditũ est, nec interceptum.

Cuncta enim salus mea. Iuxta Hebræum habetur: *Quia omnis salus mea.* Nisi de Messia esset sermo, falsa esset redditio causæ: *Quia omnis salus mea.* perseuerantibus enim Regibus in Ierusalem ex domo Dauid, non omnis salus erat domus

mus Dauidis: sed per Messiam omnis salus totius humani generis effecta est domus Dauidis. Ex hoc itaque, quòd promissa fuerat domui Dauidis omnis salus, manifestatur, quòd de Messia Saluatore omnium ex domo Dauidis est sermo.

Per Messiam omnis salus hominum effecta est domus Dauidis.

Et omnis voluntas, nec est quicquam ex eo, quod non germinet. Iuxta Hebræum habetur, *& omnis voluntas quia non germinabit.* Et est ordo literæ, & quia non germinabit omnis voluntas. Directè respicit ad dissimilitudinem illius particulæ dictæ in similitudine præassumpta: videlicet, *herba e terra.* non sic, inquit, erit domus mea, quia non omnis voluntas germinabit; hoc est, quia Deus non relinquet, vt quæcunque voluntas, quantuncunque impia, germinet ad impediendum promissionem mihi factam: vel germinet ad transferendum promissionem mihi factam in alteram domum, quemadmodum Sol transfert diem de serenitate in pluuiam ad aliud spectando: videlicet, ad hoc, vt è terra germinet herba.

Vers. 6. *Prauaricatores autem quasi spinæ euellentur vniuersi.*] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et Beliahal sicut spina commota omnes ipsi.* Declarauit Propheta priùs domum suam ex dissimilitudine ad diem mane serenum, & posteà pluuiosum: assumit modò alteram similitudinem ad declarandum, qualiter erunt iniqui absque iugo diuinæ legis relatiuè ad domum Dauidis; hoc est, Messiam nasciturum ex domo Dauidis. Assumit autem parabolam spinarum, quæ commouentur, dum tolluntur ex loco in quo sunt genitæ: & dicit, viros absque iugo diuinæ legis viuentes fore similes huiusmodi spinis: tum quoad vitationem contactus humani, subiungendo;

Viri Belial exterminandi per Messiã significantur.

Qua non tolluntur manibus.] Hebraicè tamen habetur: *Quia non tollentur manibus.* Et in hoc significatur, quòd non lædetur ab iniquis domus Dauidis, hoc est, electorum Messiæ: tum quoad modum, quo tollentur in triplici gradu: videlicet, vel ligno lanceæ, vel ferrea incisione, vel combustione in proprio loco, subiungendo:

Vers. 7. *Et vir tanget eas, armabit ferro, & ligno lanceæ: & in igne ardendo comburentur in habitaculo.*] Quauis hoc tertium sonet potiùs, quòd spinæ incisæ ferro, & ligno deferuntur domum, & ardendo comburuntur: quouis autem modo intelligas, viri Belial exterminandi à domo Dauidis per Messiã significantur: & sic habitur prophetia Dauidis.

Vers. 8. *Hæc sunt nomina fortium.*] Catalogus virorum excellentium in fortitudine apud Dauidem subiungitur per nomina.

Dauid sedens in cathedra sapientissimus.] Iuxta Hebræum aliter continuatur litera: *Qui Dauidi.* deinde immediatè subditur alia clausula: *Sedens in sede sapientis, canus me.* Hæc sunt, inquit, nomina fortium, qui affuerunt Dauidi: subiuncta verò clausula ex 1. Paralip. cap. 11. anceps redditur, an dictio interpretata, *sedens in sede*, sit nomen proprium primi viri in catalogo fortium: eò quòd dictio ibidem posita, tanquam proprium nomen illius primi interpretatur *sedit in populo.* & similiter dictio interpretata *sapientissimus me*, ibi interpretatur filius sapientissimus me.

1. Paralip. 11.

Caput tertij, quid.

Princeps inter tres ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.] Iuxta Hebræum habetur, *caput tertij ipse Hadino Heznita.* ex hoc, quod nomen proprium viri est *Hadino*, & nomen patrium est *Heznita*, manifestè habetur, quòd non refertur ad Dauidem sententia ista: sed quòd catalogus fortium Dauidis ab illo incipit, & *caput tertij* (hoc est, primæ trinitatis fortium) scribitur *Hadino Heznita.* Et scito, quòd ideò dicitur, *tertij*, sine aliqua additione: quia ista trinitas est illa, quæ sæpè inferiùs repetitur, laudando multos alios cum limitatione, quòd ad tres non peruenit: tres enim isti primò nominati constituunt illam trinitatem, cuius caput nominatur *Hadino Heznita*; qui, aut binomius fuit: aut laudatur valdè de sapientia. De quo subiungitur:

Qui octingentos interfecit impetu vno.] Iuxta Hebræum habetur, *supra octingentos interfectos vice vna.* Quando, qualiter, aut vbi hoc gestum fuerit, Scriptura non dicit,

Et post eum Elhazar, filius patrui eius Ahoites.] Legendum est, *filius Dodo, filij Acochi.* describitur enim Eleazar secundus nominando patrem, & auum. Vers. 9.

Inter tres fortes.] hoc est, inter primos tres fortes.

Cum Dauid, quando exprobrauerunt Philistim.] Iuxta Hebræum habetur, *aggredientibus eis Philisthinos congregatos illic ad prælium, & ascenderunt viri Israël.* Tempus describitur gestorum ab isto, quando ipsi, qui erant cum Dauide, aggressi sunt Philisthinos, qui erant congregati ibi ad bellum.

Ipse surrexit, & percussit Philisthinos, donec deficeret manus eius, & obrigesceret cum gladio.] Parui refert quòd Hebraïcè habetur: *Vsque quo lassata est manus eius, & agglutinata est manus eius ad gladium.* concurrentibus multitudine cruoris, & lassitudine manus, tanquàm semiuiuæ. Vers. 10

Fecitque Dominus salutem magnam in die illa: & populus, qui fugerat, reuersus est ad casorum spolia detrahenda.] Interpres addidit, *qui fugerat*, ad maiorem claritatem; Hebraicè enim habetur, *& populus reuertendo post eum tantùm ad spoliandum.* Ex eo, quòd dicit, *reuertendo*, insinuat priorem fugam: ex eo verò, quòd dicit, *tantùm ad spoliandum*, significat, quòd nõ ad prælandũ; sed duntaxat ad prædam reuersus est sequendo Eleazarum.

Et post hunc Samma, filius Age, Ararites. Tertius nominatur primæ trinitatis. Vers. 11.

Et congregati sunt Philisthim in statione.] Legendum est, *in villa.* vel quod potiùs crediderim, legendum est, *in Chaetam*, quod est nomen proprium loci, in quo singularia gesta istius tertij commendantur.

Erátque ibi pars agri plena lentibus, & populus fugerat à facie Philisthim. Vers. 12.

Steitque in medio partis, & liberauit eũ, & percussit Philisthinos: & fecit Dominus salutẽ magnam.

Necnon & ante descenderant tres, qui erant Principes inter triginta.] Iuxta Hebræum habetur; *Et descenderunt tres ex triginta capite* Numeratis nominibus primæ trinitatis fortium, progreditur Author ad nominandum triginta fortes; ita tamen vt tres ex eis eminentiùs commendet. Vbi aduerte, quòd isti tres manifestè describuntur alij à prima trinitate, dicendo: *& descenderunt tres ex triginta.* ad differentiam siquidem antenominatorum, qui non sunt ex triginta, dicitur: *Et descenderunt duo ex triginta.* Cùm autem audis, *triginta*, ne intelligas triginta præcisè: vt coniiciatur ex eo, quòd subiungendo nomina triginta ab Hasaël vsque ad finem, vnus supra triginta nominatur. Vniuersitas enim horum fortium potè primam trinitatem appellatur, *triginta*, ab integritate trium decadum: cùm tamen in veritate triginta quatuor viri fortes appellatione triginta intelligantur: Vers. 13.

Triginta, quomodo hic intelligendum.

gantur: & ad hoc fortè designandum Hebraïcè scribitur in numero plurali, *triginta*, in singulari verò, *caput*; dicendo: *Et descenderunt tres ex triginta capite*: perinde ac dictum fuerit: Et descenderunt tres ex capite nuncupato triginta. Deinde immediatè sequitur:

Et venerunt in messe ad Daniel ad speluncam Hadullam. Qui sint autem isti tres, in litera non manifestatur integrè: duo siquidem eorum nominantur cum præclaris gestis; tertius autem siletur.

Et castra Philisthim castrametata erant in valle Gigantum.] Hebraïce scribitur, *in valle Rephaim.* & est nomen proprium loci.

Vers. 14. *Davidque tunc erat in præsidio.*] hoc est, in loco tuto, tanquàm in arce.

Et statio Philisthinorum.] Legendum est, *& Præfectus Philisthinorum tunc erat in Beth-lechem:* describuntur enim loca, tum castrorum Philisthinorum, tum castrorum Davidis, tum præfecti Philisthinorum.

Vers. 15. *Desideranit autem David, & dixit: Quis propinabit mihi aquam de puteo Beth-lechem, qui est in porta?*] Alij de lacu, alij de cisterna legunt, &c.

Vers. 16. *Irruperúntque tres fortes in castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de puteo Beth-lechem, qui est in porta, & portauerunt, & attulerunt ad David.*] Nec castra, quæ erant in valle, nec præfectum, qui erat in Bethlehem, veriti iuerunt hi tres, & hauserunt inde aquam.

Et ille noluit bibere eam, & libauit eam Domino.

Vers. 17. *Et dixit: Absit mihi, Domine, vt faciam hoc sanguini hominum euntium contra animam suam: & noluit bibere eam.*] Hinc apparet, quòd non eo animo dixerat, cupere se aquam illam, vt irent aliqui pro illa; sed ad manifestandum (vt accidere solet) appetitum suum inter calores tempore messis: sed illi iuuenes cupientes satisfacere appetitui Regis, iuerunt ex seipsis.

Quo animo Davidi cupierit aquã puteo Bethlehẽ.

Hæc fecerunt tres robustissimi.] Legendum est, *tres fortes*, quorum nomina adhuc non manifestauerat: & propterea incipit nominare eos ab Abisai, subiungendo:

Vers. 18. *Et Abisai, frater Ioab, filius Zeru-ia, ipse caput trium.*] Hinc manifestè patet, alteram esse hanc triniratem ab illa, cuius caput erat *Hadino Heznites.*

Et ipse leuauit lanceam suam super trecentos, quos interfecit.] Hebraïcè habetur, *interfectos:* sed sensus in idem redit.

Et ei erat nomen inter tres.

Vers. 19. *Tribus nobilior.*] Legendum est, *honoratior*: sic enim sonat Hebraïca dictio.

Et fuit eis in Principem: sed vsque ad tres primos non peruenit.] Superfluit, *primos*: vt enim dictum est, Scriptura appellat illos primæ trinitatis fortes, tres absolutè; istos autem tres, tres ex triginta.

Vers. 20. *Et Bena-iahu, filius Ioiada, filij viri fortitudinis.*] A patre, & auo describitur iste secundus inter tres ex triginta.

Magnorum operum. Iuxta Hebræum habetur, *magnus* (seu magni) *operibus de Cabzeel.* Ambiguum est, vtrum referatur hæc magnitudo operum ad auum, an ad ipsum Banaiam: & propterea sub disiunctione diximus, magnus, vel magni.

Ipse percussit duos leones Moab.] hoc est, fortes, vt leones.

Vers. 21. *Et ipse descendit, & percussit leonem in medio putei in die niuis.*] Magni animi, magnæque fortitudinis fuit congredi cum leone in arcto loco.

Ipse quoque percussit virum Ægyptium, virum aspectus habentem in manu lanceam: & descendit ad eum cum virga, extorsitque lanceam de manu Ægyptij, & occidit eum lancea eius.

Hæc fecit Bena-iahu, filius Ioiada. Vers. 22.

Et ei erat nomen inter tres fortes.] Hinc apparet, quòd Banaias erat vnus istius secundæ trinitatis. Vnde & subditur: Vers. 23.

Qui erant inter triginta nobiliores.] Iuxta Hebr. haberur: *Trigintahonoratior.* isti enim tres erant primi inter triginta: & propterea quilibet eorum dicitur honoratior triginta. Et nihilominùs secundùm veritatem numeri quilibet eorum præferebatur etiam vni supra triginta.

Veruntamen vsque ad tres non peruenit.] De tribus primæ trinitatis est sermo.

Fecitque eum sibi auricularium à secreto David.] Iuxta Hebræum habetur, *posuitque eum David ad auditionem suam.* Et hoc est signum, quòd non viribus duntaxat, sed prudentia pollebat iste.

Hasaël, frater Ioab, inter triginta.] Incipit catalogus triginta fortium absque manifestatione gestorum. Et hinc habes, quòd secundæ trinitatis tertius, nominatus non est in hac litera. Vers. 24.

Elchanan, filius patrui eius.] Legendum est: *Elchanan, filius Dodo de Beth-lechem.* quia sic habetur Hebraïcè.

Samma Charodites, Elica Charodites. Vers. 25.

Chelem Paltites, Hira filius Hicces Thecohites. Vers. 26.

Abihezer Hannethothites, Mebunnai Chusathites. Vers. 27.

Zalmon Achochites, Maharai Netophathites. Vers. 28.

Cheleb, filius Babane Netophathites: Ithai, filius Ribai de Ghibha filiorum Ben-iamin. Vers. 29.

Bena-iahu Pir-hathonites, Hiddai de torrentibus Gaas. Vers. 30.

Abi-halbon Harbathites, Hazmaueth Barchumites. Vers. 31.

El-iachba Sahalbonites, filij Iasen Ionathan & Aran.] Iuxta Hebræum habetur, *filij Iasen Ihonathan.* nec alter subiungitur. Ita quòd dicitur, *filij*, in numero plurali; & tamen vnus duntaxat filius nominatur. Simile quid habes in Genesi cap. 46. cùm dicitur: *Et filij Dan Chusim.* Vers. 32.

Genes. 46.

Samma Hararites, Achi-am filius Sarar Ararites. Vers. 33.

Eliphelet, filius Achasbai filij Mahacharbi: Eli-ham, filius Achithophel Ghilonites. Vers. 34.

Chezrai Charmelites, Paharai Arbites. Vers. 35.

Igeal, filius Nathan de Zoba, Bani Gadites. Vers. 36.

Zelec Hammonites: Nacharai Beerothites, armiger Ioab filij Zeru-ia. Vers. 37.

Hira Ii-therites: Ghareb Ii-therites. Vers. 38.

Vri-ias Chittbites: omnes triginta & septem.] Vers. 39.

Quæstio oritur, quia non sunt nominati nisi triginta sex. Solutio est, quòd si supputetur David præceptor omnium, nominati sunt triginta septem. Si autem David non censetur connumerandus, (eò quòd præmittitur, *Hæc sunt nomina fortium, qui Davidi.*) dicendum est, quòd Scriptura non dicit, omnes nominati, sed dicit, *omnes* (proculdubiò fortes Dauidis) *triginta & septem.* Et verificatur de numeratis: quorum vnus non est nominatus; tertius, videlicet, secundæ trinitatis: numerati siquidem sunt in primis tres primæ trinitatis, deinde tres secundæ, & demum triginta & vnus.

Quomodo dicuntur triginta septem, si tamen numerati sint triginta sex.

CAPVT XXIV.

Vers. 1. ET *addidit furor Domini iratus contra Israël.*] Quanuis in Deo, nec furor, nec ira locum habeat: sed ad instar furoris iustitia eius vindicatiua describitur propter similitudinem efficientiæ, tanquàm more humano tam vehementem vindictam Deus effecerit. Et quoniam aduersùs populum Israël furor iste describitur, manifestè insinuatur peccatum aliquod populi puniendum à Deo: Deus enim non priùs est vltor, quàm homo peccet. Quale autem fuerit huiusmodi peccatum, diuinare potiùs, quàm scire possumus, eò quòd Scriptura non tradit: fat sit nobis nosse, quòd propter peccatum populi fuit iste furor. Coniicimus tamen, quòd propter peccatum populi commissum, scindendo regnum redeunte Dauide (quando Seba filius Bichri cecinit buccina) ex verbis duris filiorum Iudæ, punitio hæc fuerit: nulla enim alia pœna populi pro hoc peccato legitur.

Iustitia Dei vindicatiua more humano describitur.

Quale populi peccatum fuerit, propter quod Deus permiserit numerationē eius per Dauidem.

Commouitque Dauid in eis dicentem ad Ioab.] Manca est litera: legendum est: *Et commouit Dauidem eos dicendo: Vade, numera Israel & Iehudam.* Ita iacet in Hebræo: ipse siquidem furor Dei mouens Dauidem aduersùs Israëlem scribitur: mouens autem dicendo interna incitatione ipsi Dauidi: *Vade, numera Israel, & Iudam.* Et dicit, *Vade*, non corporali gressu sed egressione animi ad gloriam. Nec mireris, quòd diuina iustitia incitauerit Dauidem ad hoc malum: tripliciter enim verificatur. Primum permissiuè, quatenus hoc erat peccatum: quia Deus non incitat ad peccandum, sed permittit hominem peccare. Secundò, quoad substantiam actionis: Deus enim est author ipsarum actionum, tam internarum, quàm externarum, quæ sunt peccata: & quoad hoc posuimus incitat Deus ad actiones, quæ sunt peccata. Tertiò, & est directe ad propositum, diuina iustitia commouit Dauidem ad numerandum populum, quatenus numeratio ista erat in pœnam ipsius populi: hanc enim rationem tangit litera, dicendo: *Et commouit Dauidem in eos.* Hoc est, Dauidem in pœnam eorum. Nec præteribis, quod Gregorius perspicaciter ex hac litera hausit, videlicet, quòd secundùm merita populi disponit Deus mentem Principis, seu Prælati: Scriptura enim hoc nobis manifestè tradit, quòd diuina iustitia vindicatiua erga populum, commouit animum Dauidis in malum ipsius populi.

Diuinam iustitiam incitare ad malum, tripliciter verificatur.

Secundùm merita populi disponit Deus mentem Principis.

Vers. 2. *Dixitque Rex ad Ioab Principem exercitus, qui erat cum eo: Discurre, quaso, per omnes Tribus Israël a Dan vsque ad Beersebah, & numerate populum.* Imperium ad exequendum describitur.

Vt sciam numerum eius.] Ecce vanus finis.

Vers. 3. *Dixitque Ioab ad Regem: Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc est, centuplum: & oculi domini mei Regis videant.* Iuxta Hebræum habetur: *Addat Iehouah Elohe tuus ad populum, sicut ipsi, & sunt ipsi centum vicibus, & oculi domini mei Regis videant.* Sed dominus meus Rex cur complacuit in re hac? Improbando augmentum populi, vtente, ad videndo Rege, obtitat Ioab huiusmodi imperio, vtpote vano.

Vers. 4. *Verba autem verbum Regis super Ioab, & super Principes exercitus.*] Vanitas Dauidis præualuit imperio, suasionibus non solùm Ioab; sed etiam Principum exercitus: renuit enim deliberatus animus consilium.

Deliberatus animus renuit consilium.

Egressúsque est Ioab, & Principes exercitus à facie Regis ad numerandum populum Israël.

Vers. 5. *Et transierunt Iarden: & castrametati sunt in Haroher ad dexteram ciuitatis, quæ est in medio torrentis Gad, & ad Iaz-zer.*

Vers. 6. *Venerúntque in Ghilhad, & ad terram Thahtim Chodsi: & venerunt in Dan-Iaban, & circumcirca ad Zidon.*

Vers. 7. *Et venerunt ad munitionem Tyri, & omnes ciuitates Chiuuei, & Chenahanei: & egressi sunt ad meridiem Iehudæ in Beersebah.*

Vers. 8. *Circumierúntque totam terram: & venerunt in fine nouem mensium, & viginti dierum in Ierusalaim.*

Vers. 9. *Et dedit Ioab numerum descriptionis populi Regi: & fuit Israël octingenta millia virorum fortium educentium gladium.*] Dissonantia Paralipomenon cap. 21 tractabitur ibidem.

Et viri Iehuda quingenta millia pugnatorum.] Legendum est, *virorum*. Alteráque dissonantia Paralipomenon in eodem capitulo, ibidem tractabitur, vt dissonantia scribitur.

Vers. 10. *Percussit autem cor Dauidis eum, postquàm sic numeranit populum.*] Considera dispensationem diuini operis: subtrahit tanto tempore Deus præuenientis gratiæ suæ officium, non inclinando cor illius ad pœnitudinem huius peccati: sed consummata numeratione populi, conuertit cor Regis ad agnitionem, & pœnitudinē sui peccati.

Dixítque Dauid ad Dominum: Peccaui valdè in hoc facto.] dupliciter: tum affectu vano, tum neglecta lege. Exod. 30. numeratio populi sancitur soluendo dimidium sicli per singula capita Deo.

Duplicitèr peccauit Dauid numerādo populum.

Et nunc, Domine, transfer.] Legendum est: *Fac transire, quaso, iniquitatem serui tui.* hoc est, effice, vt non maneat, sed ad instar transeuntis se habeat iniquitas hæc relatiuè ad iustitiam tuam.

Quia stultè ego valdè.] Accusat se insaniæ propter rationem iam dictam:

Vers. 11. *Surrexítque Dauid mane: & verbum Domini fuit ad Gad, Prophetam videntem Dauidis dicendo.*] Hinc insinuatur, quòd nocte hanc sui peccati contritionem Dauid habuerat, & quòd sermo Domini hora matutina factus fuerit ad Gad Prophetam.

Vers. 12. *Vade, & loquere ad Dauid: Sic dixit Dominus, trium tibi optionem do: Elige tibi vnum ex eis, & faciam tibi.*

Vers. 13. *Venítque Gad ad Dauid, & nunciauit ei: & dixit ei: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur, aut tribus diebus erit pestilentia in terra tua: nunc delibera.*] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *discerne*, inter hæc.

Et vide, quem respondeam ei, qui me misit, sermonem.

Vers. 14. *Dixit autem Dauid ad Gad: Coarctor valdè: incidamus, quaso, in manum Domini, (multæ enim sunt miserationes eius:) & in manum hominis non incidamus.*

Vers. 15. *Immisítque Dominus pestilentiam in Israël.*] Discursus Dauidis fuit, quòd fames non erat ei; sed populo nocitura: fuga autē a persecutoribus erat incidere in manus hominum: pestis verò erat incidere in manus Dei: & communis erat ei, & populo: & propterea contritus iā corde petiit pestē.

A mane vsque ad tempus constitutum.] proculdubiò tridui: tantùm enim tempus constituerat Deus per Gad Propheram.

Et mortua sunt ex populo à Dan vsque ad Beersebah

Nulla mulieres mortuæ sunt ex peste ob peccatum Dauidis immissa.

sebaʼ septuaginta millia virorum.] Nulla mulier legitur mortua ex hac peste: minimum, vt essent exemptæ à pœna, quæ non peccauerant.

Vers. 16. *Extenditque manum suam Angelus super Ierusalem ad disperdendum eam.*] Prius narrata est vniuersa summa mortuorum à Dan vsque Beersebæ, hoc est, in vniuerso regno: deinde in specie narratur, quid inter moriendum gestum sit in Ierusalem ad manifestandum modum, quo cessauit pestis. Narrantur enim duo: alterum, quòd Angelus Domini apparuit super Ierusalem, extensa manu cum gladio ad occidendum, non qualitercunque, sed ad destruendum eam: alterum subiungitur:

Et misertus est Dominus super afflictionem.] Hebraïce habetur: *Et pœnituit Iehouah ad malum.* videlicet, destructionis Ierusalem commissæ Angelo efficiendum.

Dixitque Angelo disperdenti populum: Sufficit nunc.] Iuxta Hebræum habetur, *multum.* Deinde sequitur:

Nunc contine manum tuam.] Videbatur enim Angelus euaginato gladio percutiens, & perseuerans ad destruendum: & propterea Deus prohibens destructionem dicit, quòd multum esset prosequi destructionem.

Angelus posse destruens populum Israël, in quo loco apparuerit Dauidi.

Erat autem Angelus Domini iuxta aream Araunæ Iebusæi.] Vt clarè explicatur in Paralipomenon, Angelus Domini apparebat in aëre supra illam aream in monte Mori-iah, vbi posteà ædificatum est templum, vbi Ishac immolandus positus est, vbi Iacob vidit scalam cum Angelis ascendentibus, & descendentibus: vt subiuncta inferius testantur.

Vers. 17. *Dixitque Dauid ad Dominum, cùm vidisset.*] oculis corporeis, vt in Paralipomenon explicatur.

Angelum cædentem populum: & dixit: Ecce ego peccaui, & ego iniquè egi: isti autem, qui oues sunt, quid fecerunt: Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. Non affectu inordinato hoc petit: quia sensus est, si alij percutiendi sunt propter peccatum meum, percutiatur potiùs domus patris mei, quàm alij; quemadmodum domus patris mei propter me exaltata est, & boni mei magis est particeps.

Vers. 18. *Venit autem Gad ad Dauid in die illa.*] videlicet, temporis constituti; hoc est, in die tertia pestis: tertia siquidem die visus est Angelus à Dauide, & aliis, supra Ierusalem: quoniam tunc dixit Deus Angelo, *multum*, &c.

Et dixit ei: Ascende, erige altare Domino in area Araunæ Iebusæi.

Vers. 19. *Et ascendit Dauid iuxta sermonem Gad, quemadmodum præceperat ei Dominus.*

Vers. 20. *Respexitque Araunæ, & vidit Regem, & seruos eius transeuntes ad se.*

Vers. 21. *Et egressus est Araunæ, & adorauit Regem facie sua in terram.*

Vers. 22. *Dixitque Araunæ: Cur venit dominus meus Rex ad seruum suum? Cui Dauid ait: Ad emendum à te aream, vt ædificem altare Domino, & cesset plaga à super populum.*] Hinc clarè apparet, quòd adhuc non cessauerat pestis, adhuc Deus non dixerat Angelo, *multum*, &c. sed more suo Scriptura priùs compleuit narrationem gestorum inter Deum, & Angelum: deinde subiungit media ordinata ad efficienda illa narrata gesta: subiunxit enim supplicationem Dauidis, monitionem Prophetæ, obedientiam Regis, & sacrificium, &c.

Scriptura priùs narrat rem, deinde media ordinata ad illã exequendam.

Et ait Araunæ ad Dauid: Accipiat, & offerat dominus meus Rex, quod bonum est in oculis suis: vide boues in holocaustum, & plaustra, & instrumenta boum pro lignis.

Vers. 23. *Omnia dedit Araunæ Regi: dixitque Araunæ ad Regem: Dominus Deus tuus gratificetur tibi.*

Vers. 24. *Dixit autem Rex ad Araunam: Non, sed emendo emam à te in pretio, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita.*] hoc est, *gratis habita*, non meo pretio.

Et emit Dauid aream.] Hìc fiat punctus: tacetur enim areæ pretium, quod narratur in 21. cap. 1. Paralipomenon: videlicet, sexcenti sicli auri: & deinde legendum est:

1. Paral. 21. *Et boues argenti sicli quinquaginta.*] Et intelligè cum bobus ligna plaustri, &c.

Vers. 25. *Et ædificauit Dauid ibi altare Domino, & obtulit holocausta, & pacifica.*] Primùm obtulit holocausta: & visa benignitate diuinæ gratiæ in igne cælitùs immisso ad vorandum holocaustum, intellexit diuinam propitiationem: & posteà obtulit ibidem victimas pacificas.

Et propitiatus est Dominus terræ, & cessauit plaga à super Israël.] Ecce tempus, quo cessauit pestis; videlicet, tempore holocausti oblati à Dauide? tunc enim dixit Deus Angelo, *multum*, &c. Et sic finitur liber Samuelis secundus; hoc est, qui apud nos dicitur secundus Regum. Romæ die 7. Octobris, 1531.

Pestis cessauit tempore oblationis holocausti.

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. SYXTI,

IN TERTIVM LIBRVM REGVM COMMENTARII.

CAPVT I.

Vers. 1. ET *Rex Dauid senuerat, habebátque annos plurimos dies.*] Septuagenarius siquidem mortuus est.

Vsus non erat apud Hebræos operimentorum ex pellibus animalium.

Cúmque operirétur vestibus, non calefiebat.] Hinc apparet, quòd non erat vsus operimentorum ex pellibus animalium; sed ex lino, vel lana duntaxat in regionetilla: & propterea non est mirum, si Dauid septuagenarius non sufficienter calefiebat ex operimentis laneis: complexiones enim individuales infinitæ sunt.

Vers. 2. *Dixerúntque ei serui eius: Quarant dominomeo Regi puellam virginem, & stet coram Rege, & eum foueat: dormiatque in sinu tuo, & calefaciat dominum meum Regem.*] Vxores siquidem proprias Dauid à se amouerat post incestum Abtalom, solúsque dormiebat, nec fas erat Regi offerre, nisi virginem.

Vers. 3. *Quæsierunt igitur puellam in omni termino Israël: & inuenerunt Abisag Sunamithem, & adduxerunt eam ad Regem.*

Vers. 4. *Et puella erat pulchra vsque valdè: Regémque fouebat, & ministrabat ei: Rex verò non cognouit eam.*] Et hinc verè cõprobatur frigiditas Dauidis, indigens calore puellari absque libidinis motu.

Vers. 5. *Adonias autem filius Chagith eleuabatur dicendo: Ego regnabo,*] non viuente patre meo, sed post patrem meum.

Fecitque sibi currum, & equites, & quinquaginta viros currentes ante se.

Vers. 6. *Nec corripuit eum pater suus aliquando dicens: Quare hoc fecisti?*] Iuxta Hebræum habetur: *Et non contristauit eum pater eius à diebus eius dicendo, quare sic fecisti?* Ratio silentij paterni redditur dicendo: Et non contristauit eum. Quòd autem dicitur, à *diebus eius*, refertur ad dies, quibus Adonias fecit hæc: erant enim hi dies tanquàm dies Adoniæ: vtpote ad exaltationem & consolationem illius ordinati.

Erátque etiam iste pulcher aspectu valdè secundus natu.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ipsum genuit post Absalom.* Vbi scito, quòd, *genuit*, est fœminini generis in hac litera: & propterea non ad Dauidem, sed ad Hagith matrem Adoniæ refertur: & narratur, quòd mater eius genuit eum post Absalom, non ab ipsamet genitum; sed post Absalom genitum à sua matre Maiacha. Et narratur ciuitas Adoniæ post natiuitatem Absalom, vt intelligatur, quòd post mortem Absalom ius primogenituræ deuolutum erat ad Adoniam: vtpote natum immediatè post Absalom: propterea enim tanquàm primogeniti iura habens aspirabat ad succedendum patri in regnum hac pompa, & fauore subiunctorum Principum.

Post mortem Absalom ius primogenituræ deuolutum erat ad Adoniam.

Vers. 7. *Et fuerunt verba eius cum Ioab filio Zeruiæ, & cum Ebiathar Sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ.*

Vers. 8. *Sadoc verò Sacerdos, & Bena-iahu filius Ieboiadah, & Nathan Propheta, & Semei, & Cherethi, & Pelethi, & omne robur exercitus.*] Iuxta Hebr. habetur, *& Simhi, & Rehi, & fortes, qui Dauidi, non fuerunt cum Adoni-iahu.*] Et sunt nomina propria virorum Simhi & Rehi, vt aiunt.

Vers. 9. *Immolauitque Adoni-iahu oues, & boues, & saginatas iuxta lapidem Zocheleth.* Dictionem Hebraicam reliquerunt: cùm potuissent dicere, *tractus.* non enim immobilis erat lapis vt rupes; sed erat lapis tractus. Et similiter cùm subiungitur:

Qui erat vicinus fonti Rogel.] Significatur fons, in quo fullones pedibus calcando abluebant: huiusmodi enim calcationem significat Rogel.

Rogel, quid.

Et

Et vocauit omnes fratres suos filios Regis, & omnes viros Iehudæ seruos Regis.

Vers. 10. *Nathan autem Prophetam, & Bena-iahu, & robustos quosque.*] Superfluit, *quosque.*

Et Selomonem fratrem suum non vocauit.

Vers. 11. *Dixitque Nathan ad Bathsebah matrem Selomonis dicendo: Nónne audisti, quòd regnauerit Adoni-iahu filius Chagith, & dominus noster Dauid hoc ignorat?*] Legendum est, *ignoranit?* Verè enim Dauid tunc nesciebat conuiuium, quod tunc fiebat ab Adonia, nec acclamationem ibidem factam Adoniæ, *Viuat Rex.* Et dixit hæc Nathan, ne Bethsabe desperaret de regno Salomonis, putando, quòd de voluntate Dauidis faceret hæc Adonias.

Vers. 12. *Nunc ergo vade, consulam tibi, quæso, consilium: & salua animam tuam, filiique tui Selomonis.*] Periculum imminens vitæ eius, & Salomonis manifestat ex hoc, quòd Salomon non erat inuitatus ab Adonia, tanquàm contrarius intentioni eius.

Vers. 13. *Vade, & ingredere ad Regem Dauid, & dices ei: Nónne tu, domine mi Rex, iurasti ancillæ tuæ, dicendo, quòd Selomo filius tuus, regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum?*] Quando iurauerit Dauid hoc, non est scriptum: sed nunc commemorando manifestatur:

Quare ergo regnauit Adoni-iahu?

Vers. 14. *Ecce adhuc te loquente ibi cum Rege, ego veniam post te, & complebo sermones tuos.*

Vers. 15. *Et ingressa est Bathsebah ad Regem in cubiculum: Rex autem senuerat valdè, & Abisag Sunamithis ministrabat Regi.*

Vers. 16. *Inclinauitque se Bathsebah, & adorauit Regem: & dixit Rex: Quid est tibi?*

Vers. 17. *Quæ dixit ei: Domine mi, tu iurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ.*] Nomina sunt solita, *in Iehouah Elohe tuo:* hoc est, quem tanto affectu, tantáque reuerentia colis.

Selomo filius tuus regnabit post me: & ipse sedebit super solium meum.

Vers. 18. *Et nunc ecce Adoni-ias regnat.*] Legendum est, *regnauit.* quia in conuiuio tunc acclamatum erat Adoniæ, *Viuat Rex.*

Et nunc tu, domine mi Rex, non nouisti.

Vers. 19. *Immolauitque boues, & saginata, & oues in multitudine, & vocauit omnes filios Regis, & Eb-iathar Sacerdotem, & Ioab Principem exercitus: Selomonem autem seruum tuum non vocauit.*

Vers. 20. *Veruntamen, domine mi Rex.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et tu, domine mi Rex.* Subauditur, *es:* est enim sensus, quòd quamuis talia gesta sint ab Adonia, & suis; non tamen Adonias est Rex (quemadmodum fuit Absalom;) sed tu es Rex. Deinde immediate subiungitur, quantum valeat authoritas ipsius Dauidis Regis.

Oculi totius Israël in te ad indicandum eis, quis sedebit super sedem domini mei Regis post eum.] Facile opus monstrat, quod solo verbo efficere potest.

Vers. 21. *Eritque, cùm dormierit dominus meus Rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus Selomo peccatores.*] hoc est, habebimur, & puniemur vt peccatores: ego quidem propter adulterium; Salomon verò, quia non consensit Adoniæ.

Vers. 22. *Et ecce adhuc ea loquente cum Rege, Nathan Propheta venit.*

Vers. 23. *Et nunciauerunt Regi dicendo: Ecce Nathan Propheta. Ingressúsque est ad conspectum Regis, & adorauit Regem super faciem suam in terram.*

Vers. 24. *Dixitque Nathan: Domine mi Rex, tu dixisti: Adoni-iahu regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum?*] Interrogatiuè legenda est ista clausula.

Vers. 25. *Quia descendit hodie, & immolauit boues, & saginata, & oues in multitudine, & vocauit omnes filios Regis, & Principes exercitus, & Eb-iathar Sacerdotem: & ecce ipsi comedunt, & bibunt coram eo, & dixerunt: Viuat Rex Adoni-iahu.*

Vers. 26. *Me autem seruum tuum, & Zadoc Sacerdotem, & Bena-iahu filium Iehoi-adah, & Selomonem seruum tuum non vocauit.*

Vers. 27. *An à domino meo Rege fuit verbum hoc, & non indicasti seruo tuo, quis sessurus esset super solium domini mei Regis post eum?*] Personam nescij induit Nathan, qui sciebat, Dauidem non dixisse, quòd Adonias regnaret, nec occultasse ab ipso Nathan intentionem suam: quin potiùs ex hoc, quòd cõmunicauerat Dauid ipsi Nathan intentionem suam de Salomone, personam admirantis induit Nathan, quòd non indicauerit ei mutationem consilij ordinando, quòd regnaret Adonias.

Vers. 28. *Et respondit Rex Dauid, & dixit: Vocate ad me Bathsebah.*] quæ recesserat cedens Nathan Prophetæ.

Ingressaque est ad Regem, & stetit coram Rege.

Vers. 29. *Et iurauit Rex & ait: Viuit Dominus, qui redemit animam meam de omni angustia:*

Vers. 30. *Quòd sicut iurauit tibi per Dominum Deum Israël (dicendo, quòd Selomo filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum post me;) sic faciam hodie.*

Vers. 31. *Inclinauitque se Bathsebah facie in terram, & adorauit Regem: & dixit: Viuat Dominus meus Rex Dauid in æternum.*

Vers. 32. *Dixit autem Rex Dauid: Vocate ad me Zadoc Sacerdotem, & Nathan Prophetam.*] qui egressus fuerat è cubiculo Regis.

Et Bena-iahu filium Iehoi-adah: & ingressi sunt ad Regem.

Vers. 33. *Dixitque Rex eis: Tollite vobiscum seruos domini vestri.*] Seipsum significat.

Et equitare facite Selomonem, filium meum, super mulam meam.] reseruatam personæ regiæ.

Et descendere facietis eum in Ghichon.] Nomen fontis creditur.

Vers. 34. *Et vnget eum ibi Zadoc Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem super Israël: clangetisque buccina, & dicetis: Viuat Rex Selomo.*

Vers. 35. *Ascendetisque post eum, & venietis in Ierusalem.*] Iuxta Hebræum habetur, *& veniet, & sedebit super solium meum.* vtrunque enim ad Salomonem refertur: vt, scilicet, vnctus in Regem comitatus veniat ad sedendum super solium regium, tanquam ad accipiẽdum possessionẽ regni.

Et ipse regnabit pro me, illique præcipiam.] Iuxta Hebræum habetur, *& ipsum præcepi, vt sit dux super Israël, & super Iehudam.* Præcepisse (hoc est, imperio statuisse) se testatur ipsum Salomonem, vt sit dux super Israël, & Iudam.

Vers. 36. *Respondit autem Bena-iahu filius Iehoia-dah, ad Regem, & dixit: Amen.*] Hebraica dictio affirmantis est.

Sic dicat Dominus Deus domini mei Regis.] Supplicantis; vt assistat Deus conformis his dictis sunt verba hæc prima.

Vers. 37. *Quemadmodum fuit Dominus cum domino meo Rege, ita sit cum Selomone, & magnificet solium eius plusquàm solium domini mei Regis Dauid.*] Imprecantis duo optima sunt hæc verba.

Vers. 38. *Descenditq; Zadoc Sacerdos, & Nathan Propheta, & Bena-iahu, filius Ioiadæ, & Cherethi, & Pelethi: & equitare fecerunt Salomonem super mulam Regis Dauid, & ire fecerunt eũ in Ghichon.*

Vers. 39. *Sumpsitque Zadoc Sacerdos cornu oleo de tentorio.*] proculdubiò Domini: oleum enim sacræ vnctionis sumpsit.

Et vnxit Salomonem: & clanxerunt buccina, & dixerunt totus populus: Viuat Rex Salomo.

Vers. 40. *Et ascenderunt totus populus post eum, & populus canebant tibiis, & lætabantur gaudio magno: & findebatur terra à voce eorum.*

Vers. 41. *Audiuit autem Adoni-iahu, & omnes vocati, qui erant cum eo, ipsique finierant comedere: & audiuit Ioab sonitum buccinæ, & dixit: Quid sibi vult hæc vox ciuitatis tumultuantis?*] Ioab siquidem Princeps exercitus incertum rumorem audiens cum sono buccinæ, suspicatus est malum aliquod subortum in ciuitate.

Vers. 42. *Adhuc illo loquente, ecce Ionathan, filius Abiathar Sacerdotis venit: dixitque Adoni-iahu: Ingredere, quia vir fortis es, & bonum nunciabis.*

Vers. 43. *Respondítque Ionathan, & dixit ad Adoniiahu: Nequaquam: Dominus enim noster.*] Hebraicè habetur: *Sed Dominus noster Rex Dauid regnare fecit Salomonem.* Prudenter non negauit bonum nuncium, ne verbo suo offenderet Regem Salomonem: sed aduersatiuè respondit expectationi Adoniæ.

Vers. 44. *Misitq; tum eo Rex Zadoc Sacerdotem, & Nathan Prophetam, & Bena-iahu filium Ioiadæ, & Cherethi, & Pelethi: & equitare fecerunt eum super mulam Regis.*

Vers. 45. *Et vnxerunt eum Zadoc Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem in Ghichon, & ascenderunt inde lætantes, & tumultuata est ciuitas: hæc est vox, quam audistis.*] Legendum est, *audistes*: omnes enim audierunt incertum rumorem.

Vers. 46. *Et etiam sedit Salomo super solium regni.*

Vers. 47. *Et etiam venerunt serui Regis ad benedicendum domino nostro Regi dicendo: Amplificet Deus.*] Hebraicè habetur: *Benefaciet Elohim tuus nomini Salomonis magis, quàm nomini tuo; & magnificabit solium eius magis, quàm solium tuum.* Sed sententia in idem redit.

Adorauitq; Rex super lectum suum,

Vers. 48. *Et etiam sic dixit Rex: Benedictus Dominus Deus Israël, qui dedit hodie sedentem super solium meum videntibus oculis meis.*

Vers. 49. *Territiq; sunt, & surrexerunt omnes vocati, qui erant cum Adoni-iahu: & ierunt vnusquisque in viam suam.*

Vers. 50. *Adoni-iahu autem timens à facie Salomonis, surrexit, & abiit in tabernaculum Domini.*] Supérfluit, *in tabernaculum Domini.*

Tenuitq; cornu Altaris.] De altari holocaustorum, quod erat tunc in excelso Ghabaõ, est sermo.

Vers. 51. *Et nunciauerunt Salomoni dicendo: Ecce Adoniahu timens Regem Salomonem, apprehendit cornu altaris dicendo: Iuret mihi hodie.* Hebraicè habetur: *Sicut hodie Rex Salomo, quod non interficiet seruum suum gladio.* hoc est, quemadmodum hodie me gerentem non interficiet; hoc est, ab hodierno die opera mea penitebit posthabitis præteritis omnibus. Simili loquendi modo vtus est Iacob Genes. 25.

Genes. 25.

Vers. 52. *Dixitq; Salomo: Si fuerit vir bonus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Si erit in filium fortitudinis, nõ cadet de capillis eius in terram: si verò malum inuenietur in eo, & morietur.* Præterita omnia posthabendo (vt Adonias petebat) ad gerenda deinceps conuertit Salomon verba sua: quòd si futuro tempore ager, vt vir fortis (hoc est, constans sibiipsi profitenti se seruum Salomonis,) nec capillum quidem perdet: si verò malum contrarium huic professioni deinceps inuentum in eo fuerit, occidetur.

Misitq; Rex Salomo, & descendere fecerunt eum ab altari: & ingressus est, & adorauit Regem Salomonem. Dixitq; ei Salomo: Vade in domum tuam.] Vers. 53. Exequitur Salomon promissa.

CAPVT II.

PROPINQVAVIT *autem dies Dauid, vt moreretur, præcepitq; Salomoni filio suo dicẽdo:* Vers. 1.

Ego vado in viam vniuersæ terræ.] mortem, scilicet.

Roborare, & esto vir fortis.] Supérfluit, *fortis.*

Et obserua, vt custodias mandata Domini Dei tui, vt ambules in viis eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et custodies custodiam Iehouah Elohe tui ad eundum in viis eius.* More solito primùm in genere proponitur obedientia diuina, & deinde in specie ipsæ diuinæ viæ quadrifariam distinctæ subiunguntur. Quòd autem dicitur, *custodies custodiam*, Hebraicæ tribue phrasi: & est sensus, curam habebis obseruantiæ debitæ summo Deo in hoc, vt eas in viis eius. Vers. 2. Vers. 3. Custodies custodiam. quid.

Ad custodiendum cæremonias eius.] Legendum esset, *statuta eius*. proculdubiò cæremonialia: nam subiuncta præcepta, moralia sunt: iudicia verò, iudicialia: testimonia autem, tum reuelata, tum facta ab ipso Deo ad testificandum conditiones ipsius Dei, gubernationem eius, gratiam, atque iustitiam, &c. vniuersa enim diuina in lege contenta, sub istis quatuor continentur. *Vniuersa in lege contenta sub quatuor continentur.*

Et præcepta eius, & iudicia eius, & testimonia eius, sicut scriptum est in lege Mosi: vt intelligas vniuersa, quæ facis, & quocunque te verteris.] Iuxta Hebræum habetur: *Ideo intelliges omne, quod facies, & omne, quò te vertes.*] Et plena obseruatione dictorum quatuor, promittit intelligentiam omnium, tum sponte agendorum, tum ad quæ se verterit diuersis occurrentibus occasionibus.

Vt confirmet.] Conformiùs legeretur: *Ideò confirmabit Dominus verbum suum, quod locutus est super me dicendo.* Ex eodem fonte promittit firmitatẽ diuinę pollicitationis sibi Dauidi factæ. Vers. 4.

Si custodierint filii tui vias meas, & ambulauerint coram me.] Iuxta Hebræum habetur, *viæ suas ad eundum coram me.*

In veritate, in toto corde suo, & in tota anima sua, dicendo: Non abscindetur tibi vir de super solium Israël.] Sententia est clara.

Et etiam tu nosti, quæ fecerit mihi Ioab, filius Zeruiæ, quæ fecerit duobus Principibus exercituum Israel, Abner, filio Ner, & Hamasæ, filio Iether.] Non sunt diuersa facta Ioab Dauidi à factis aduersùs duos Principes subiunctos: sed eadem fuerunt etiam aduersùs Dauidem, vt pater. Vers. 5.

Quos occidit, & effudit.] Iuxta Hebræum habetur, *& posuit sanguines belli in pace.* hoc est, existente pace misceuit sanguinem bellicum, occidendo eos hostiliter, & non authoritate iustitiæ.

Et dedit sanguines belli in balteo suo, qui erat in lumbis eius; & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius.] Prius peruersitatem belli in pace, modò peruersitatem cruentandi

ad

ad exaggerationem criminis subiungit: cruore enim madere debet cingulum non occidentis, sed occisi; & similiter calceus non occidentis, sed occisi in bello: Ioab verò proditoriè occidens Principes percutiẽdo eos in quinta costa, proprium cingulum, propriósque calceos perfudit sanguine: coniunctus enim erat ei, quem occidebat, tanquàm complectens beneuolè amicum.

Vers. 6. *Facies ergo iuxta sapientiam tuam: & non descendere facies canitiem eius pacificè ad Inferos.*] Legendum est, *ad foueam.* proculdubiò sepulcri.

Cur Dauid non puniuit Ioab tempore regni sui. 2. Reg 3. Si quæris, quare Dauid non puniuit Ioab tempore regni sui; respondetur habetur ex secundo libro Regum in calce capituli tertij, dicente Dauide: *Isti filij Saruiæ duri sunt præ me.* hoc enim dixit occiso Abner à Ioab: & similis ratio militabat occiso Hamasa. Inquietum enim regnum Dauidis simul cum potentia Ioab, & fratris eius effecerunt, vt Dauid differret iustitiam vindicatiuam tanto tempore.

Vers. 7. *Filiis autem Barzillai Ghilhaditæ facies gratiam, erúntque inter conuiuas mensæ tuæ: quia sic accesserunt ad me, quando fugiebam à facie Absalom fratris tui.*] Officium gratitudinis effecit: sed

Dauid gratus in vnum, alterum verò ingratus. immemor fuit gratitudinis erga Ionatham: nihil disposuit ad emendandam præcipitem sententiam, quam contra Mephiboseth dederat.

Vers. 8. *Habes quoque apud te Simhi filium Ghera, filij Iemini de Bachurim, qui maledixit mihi maledictione pessima.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *vehementi.* eadem enim est sententia.

Quando ibam ad castra.] Legendum est, *Machanaim.* Nomen est ciuitatis.

Et ipse descendit in occursum meum ad Iarden, & iurauit ei per Dominum dicendo: Non mori faciam te gladio.

Vers. 9. *Et nunc non dimittas eum innoxium: quia vir sapiens es, vt scias, quæ facies ei; deduceśque canos eius cum sanguine ad Inferos.*] Non violauit Dauid iusiurandum: quia non mandauit occidi Semei absolutè, sed ex nouo peccato: ad inueniendum liquidem nouam causam iustam occidendi eum tendunt hæc verba: *Quia vir sapiens es, & scies, quid facies ei, & facies descendere senectutem eius in sanguine ad foueam.*] sepulcri.

Dauid non violauit iusiurandum mandando Salomoni, vt occideret Semei.

Vers. 10. *Dormiuitque Dauid cum patribus suis: & sepultus est in ciuitate Dauid.*] hoc est, in Sion.

Vers. 11. *Dies autem, quibus regnauit Dauid super Israël, quadraginta anni sunt: in Chebron regnauit septem annis, & in Ierusalaim triginta tribus annis.*

Vers. 12. *Salomo verò sedit super solium Dauid patris sui: & firmatum est regnum eius valdé.*

Vers. 13. *Ingressus est autem Adoni-iahu, filius Chagith ad Bathsebah, matrem Salomonis:*

Vers. 14. *Et dixit Bathsebah; Pacificúsne est ingressus tuus?*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Num pax ingressus tuus?* Et similiter subiungitur:

Et dixit, pax.] Hebraicus est loquẽdi modus.

Et dixit: Verbũ mihi est ad te. Dixitq; Loquere.

Vers. 15. *Et dixit: Tu nosti, quòd meum erat regnum, & me præposuerat omnis Israël sibi in Regem.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et in me posuerunt omnis Israel facies suas ad regnandum.* Et est sensus, quòd omnis Israël spectabat ad me, vt regnaturum: quod minus est, quam illud, quod sonat vulgata editio.

Sed translatum.] Legendum est, *& versum est regnum, & fuit fratris mei.* Omnia vera sunt, quæ dicit.

A Domino enim constitutum est ei.] non ex lege successionis versum est regnum à me in Salomonem, quia ego succedere debebam, tanquam maior natu; sed quia à summo Deo fuit electus Salomon ad successionem regni.

Vers. 16. *Nunc ergo petitionem vnam peto à te: non auertas faciem meam: & dixit ad eum: Loquere.*

Vers. 17. *Et dixit: Dic, quæso, Salomoni Regi, (non enim auertet faciem tuam,) vt det mihi Abisag Sunamithem in vxorem.*

Vers. 18. *Dixitque Bathsebah: Bene ego loquar pro te ad Regem.*

Vers. 19. *Venit ergo Bathsebah ad Regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adoni-iahu: surrexitque Rex in occursum eius, & adorauit eam.*] Vulgata editio

Adoratio, pro honoratione. sæpissimè vtitur adorationis nomine pro honoratione: signum enim honoris incuruando se exhibuit Salomon matri suæ.

Et sedit super sedem suam, positáque est sedes matri Regis, & sedit ad dexteram eius.

Vers. 20. *Et ait: Petitionem vnam paruam ego peto à te, non auertas faciem meam. Dixitque ei Rex: Pete, mater mea, quia non auertam faciem tuam.*

Vers. 21. *Et ait: Detur Abisag Sunamithis Adoni-iahu fratri tuo in vxorem.*

Vers. 22. *Respondit Rex Salomo, & dixit matri suæ: Cur tu petis Abisag Sunamithem Adoni-iahu? Pete ei & regnum.*] hoc est, petere Abisag in vxorem Adoniæ, perinde est ac petere illi regnum. Et rationes subdit satis claras quoad sententiam.

Quia ipse frater meus maior me est, & habet Eb-iathar Sacerdotem, & Ioab filium Zeru-iæ.

Vers. 23. *Et iurauit Rex Salomo per Dominum, dicendo: Sic faciat mihi Deus, & sic addat.*] Nomen est *Elohim.*

Quòd contra animam suam locutus est Adonia-hu verbum hoc.] Quæstio oritur de veritate huius sententiæ: eò quòd sermo Adoniæ nulla ex parte inuenitur contra vitam propriam: nam petitio eius, nec contra legem erat; quia Abisag adhuc erat virgo, & poterat licitè nubere filio Dauidis; non enim erat sub legę veteri impedimentum, quod vocatur publicæ honestatis iustitia, quod pontificio iure introductum est inter Christianos: nec contra Regem; quia non per extraneas vias, sed ex gratia ipsius Regis rem licitam petebat. Solutio est, quòd verba hæc verificari intelliguntur ratione eleuationis in quasi regiam celsitudinem concomitanter affectatæ per nuptias Abisag, quæ fuerat vxor Regis, quanuis incognita: ita quòd Salomon non iudicauit cor Adoniæ, (soli Deo cognitum,) sed cor eius, vt affectans speciem celsitudinis regiæ: testatur enim litera, quòd contulit rem hanc petitam, tum cum ætate maiore fratris petentis, tum cum brachiis Principis Sacerdotum, & Principis exercitus: & ex his omnibus intulit, perinde esse petere hoc, ac si peteretur regnum: quæ nihil aliud sonant, nisi quòd nuptiæ istæ adiunctæ aliis conditionibus Adoniæ, speciem regni præ se ferrent: & propterea contra vitam propriam locutus dicitur Adonias, non, quia contra legem, nec ex modo quærendi has nuptias, sed ex ipsa re petita adiuncta aliis Adoniæ partibus.

Adonias petens Abisag in vxorem, quomodo ẽtra vitã propriã locutus sit.

Vers. 24. *Et nunc viuit Dominus, qui firmauit me, & qui fecit sedere me super solium Dauid patris mei; & qui fecit mihi domum, sicut locutus est: quòd hodie morietur Adoni-iahu.*] Non caret quæstione, an ex hoc vnico indicio antedicto licuerit Salomoni occidere fratrem suum, tanquàm reum læsæ maiestatis;

An ex vnico indicio licuerit Salomoni occidere fratrem suum.

maiestatis: dicendo enim: *Hodie morietur.* manifestat, quòd non expectata discussione alia iurauit illo die esse occidendum. Excutet qui scit: mihi enim non occurrit legitima Salomonis excusatio: nam non solùm seuera; sed etiam iniusta apparet hæc sententia mortis ex hoc vnico indicio: nisi fortè tunc temporis mos fuisset, in causa læsæ maiestatis sufficere vnicum indicium; quemadmodum hodie Iuristæ in crimine læsæ maiestatis indicia habent pro probationibus.

Vers. 25. *Misitq; Rex Salomo per manum Bena-iahu, filij Ieho-iadah: & irruit in eum, & mortuus est.*

Vers. 26. *Et ad Eb-iathar Sacerdotem dixit Rex: Vade in Hanathoth super agros tuos: quia vir mortis es.*] Quam ob causam Abiathar esset dignus morte, nullibi inuenio: adiuuisse enim Adoniam, antequàm Rex Dauid promulgasset Salomonem in Regem, non erat dignum morte: eò quòd adiuuabat eum, qui ius primogeniti habebat.

Abiathar an dignus esset morte.

Sed hodie non interficiam te; quia portasti Arcam Domini Dei.] Iuxta Hebr. habetur, *Adonai Iehouih.* hoc est, Domini mei fontis essendi: & Hebraicè affectu blando nominatur summus Deus, Dominus suus.

Coram Dauid patre meo, & quia afflictus fuisti in omnibus, in quibus afflictus fuit pater meus.

Vers. 27. *Eiecitq; Salomo Eb-iathar ab esse Sacerdotem Domini: vt impleretur sermo Domini, quem locutus fuerat super domum Heli in Silo.*] 1. Reg. c. 2. scriptus: iste enim Abiathar descenderat ex Heli Iudice, & Sacerdote in principio libri Regum.

1. Reg. 2.

Vers. 28. *Venit autem nuncius ad Salomonem.*] Corrupta est litera; legendum est: *Et nuncium venit vsque Ioab.* Et est sensus, quòd sermo in aula regia sonans, nunciatus est ad Ioab, non per destinatos nuncios; sed ex industria, vel ex amore delatus.

Quòd Ioab declinauit post Adoni-iahu, & post Salomonem.] Corrupta est similiter litera: legendum est: *Et post Absalom nō declinauit.* Librabatur enim in aula regia, quòd Ioab fauisset Adoniæ, & nō fauisset Absalō valdè dilecto ab ipso Ioab, & cōferendo hæc, inferebatur, quòd in odium Salomonis Ioab fauisset Adoniæ: argumentū sumēdo, quòd si amor mouisset Ioab, fauisset Absalom, quem valdè diligebat: nō ergo tā amor Adoniæ, quàm odium erga Salomonem mouit Ioab ad adiuuandum Adoniam. Huiusmodi sermonem versari in aula regia cùm audisset Ioab à referentibus, timuit.

Et fugit Ioab ad tentorium Domini.] existens in excelso Ghabaon.

Et apprehendit cornua altaris.] holocaustorum.

Vers. 29. *Nunciatúmque est Regi Salomoni, quòd fugisset Ioab ad tentorium Domini, & esset apud altare: & misit Salomo Bena-iahu filium Ieho-iadah dicendo: Vade, irrue in eum.*

Vers. 30. *Et venit Bena-iahu ad tentorium Domini: & dixit ei: Sic dixit Rex: Egredere.*] Hinc apparet reuerentia, tum iussa, tum exhibita altari: ideò enim non interfecit eum, quia Rex iusserat, vt extra altaris locum, illum interficeret.

Reuerentia exhibetur altari à Salomone.

Et dixit: Nequaquam, sed hic moriar. Retulitq; Bena-iahu Regi verbum dicendo, sic locutus est Ioab, & sic respondit mihi.

Vers. 31. *Dixitq; ei Rex: Fac sicut locutus est.* hoc est, interfice eum, vbi est. Exodi enim 30. sancitum est, vt homicida ex insidiis, non saluaretur ab altari.

Exod 30.

Et irrue in eum, & sepeli eum: & remouebis sanguinem, quem gratis effudit Ioab à me, & à domo patris mei.

Et reddet Dominus sanguinem eius super caput eius, qui irruit in duos viros iustiores, & meliores se, & occidit eos gladio, & pater meus Dauid nescisti: Abner, filium Ner, Principem exercitus Israel, & Hamasa. filium Iether, Principē exercitus Iehuda. Vers. 32.

Et reuertentur sanguines illorum in caput Ioab, & in caput seminis eius in saeculum: Dauidi autem, & semini eius, & domui eius, & solio eius erit pax vsque in saeculum à Domino. Vers. 33.

Ascenditq; Bena-iahu, filius Ieho-iadah, & irruit in eum, & interfecit eum: & sepultus est in domo sua in deserto. Vers. 34.

Et posuit Rex Bena-iahu, filium Ieho-iadah, pro eo: super exercitum: & Zadoc Sacerdotem posuit Rex pro Eb-iathar.] Reduxit Salomon ad rectā lineam pontificatum, qui, Authore Deo, (vt patet 1. Reg. 2.) translatus fuerat in alteram lineam: Abiathar enim per lineam Ithamar descenderat ex Aharon: Sadoc verò per lineam Eleazari, filij Aharō, qui successit eidem Aharō, in pontificatu. Vers. 35.

1. Reg. 2.

Misit quoque Rex, & vocauit Simhi, & dixit ei: Ædifica tibi domum in Ierusalaim, & habita ibi, & non egredieris inde huc, & illuc. Vers. 36.

Quacunque autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cid-ron, sciendo scias, quòd moriendo morieris: sanguis tuus erit in caput tuum. Vers. 37.

Dixitq; Simhi ad Regem: Bonus est sermo, sicut locutus est Dominus meus Rex; sic faciet seruus tuus.] Si quæritur, quo iure Salomon licitè statuit confinia Semei, adimendo ei libertatem, tum habitandi in propria patria, (videlicet, Bachurim;) tum non egrediendi trans torrentem Cedron. Solutio est, quòd huiusmodi pœna non erat cōtra iusiurandū Dauidis: eò quòd sub illius iuramento sola pœna mortis legitur: licuit itaque Salomoni hāc libertatē adimere Semei; accedēte præsertim cōsensu iuramēto firmato ipsius Semei. Vers. 38.

An Salomon licitè statuit confinia Semei.

Mansitq; Simhi in Ierusalaim diebus multis.

Et fuit in fine trium annorum, fugerunt duo serui Simhi ad Achis, filiū Maahacha, Regē Ghath: nunciatūq; est Simhi, dicēdo: Ecce serui tui sūt in Ghath. Vers. 39.

Surrexitq; Simhi, & strauit asinum suum, & iuit in Ghath ad Achis ad quærendum seruos suos: & iuit Simhi, & adduxit seruos suos de Ghath. Vers. 40.

Nunciatum est autem Regi Salomoni, quòd iuisset Simhi de Ierusalaim in Ghath, & redisset. Vers. 41.

Et misit Rex, & vocauit Simhi, & dixit ad eum: Nonne iurauit tibi per Dominum, & contestatus sum tibi, dicendo: In die qua egressus fueris, & abieris huc, & huc, sciendo scias, quòd moriendo morieris. Et dixisti mihi: Bonus est sermo, quem audiui? Vers. 42.

Et quare nō custodisti iusiurandū Domini, & præceptū, quod præcepi tibi?] Hinc apparet, quòd vltra regiū præceptū interuenerat iuramentū Semei. Vers. 43.

Dixitq; Rex ad Simhi: Tu nosti totum malum, cuius conscium est cor tuum: quod fecisti Dauidi patri meo, reddidit Dominus.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *& reddet Iehouah malum tuum in caput tuum.* Ecce, quàm sapienter ex noua causa iusta Salomon occidendum duxit Semei: propter iustitiam enim attribuit Deo hanc vindictam; & immunem se, ac thronum Dauidis à violatione iuramenti subiungit. Vers. 44.

Et Rex Salomon benedictus: & solium Dauidis erit stabile coram Domino vsque in saeculum. Vers. 45.

Iussitq; Rex Bena-iahu, filio Ieho-iadah, qui aggressus est.] Legendum est, *& egressus est, & irruit in eum, & mortuus est.* non enim coram Salomone interfecit eum. Vers. 46.

Et regnum confirmatum est in manu Salomonis.]

CAPVT

CAPVT III.

Vers. 1. *An licuerit Salomoni cõiugium cum filia Pharaonis.*

ET *affinitate coniunctus est Salomo Pharaoni Regi Ægypti.*] Quæstio subditur, an hoc coniugium licitum fuerit. Solutio est, quòd quemadmodum licuit Dauidi vxorem ducere filiam Thalmai, Regis Ghesur; ita illius exẽplo licuit Salomoni ducere filiam Pharaonis.

Cepitque filiam Pharaonis, & adduxit eam ad ciuitatem Dauid, donec compleret ædificare domum suam, & domum Domini, & murum Ierusalaim per circuitum.

Vers. 2. *Immolatio in excelsis non omnino licita erat apud Israelitas.*

Verumtamen populus immolabat in excelsis: non enim ædificata erat domus nomini Domini vsque ad dies illos.] Ratio redditur impunis immolationis in locis excelsis, vbi nec Arca Dei, nec tabernaculum Dei erat: quia, videlicet, nondum erat ædificatum templum. Dixi, *impunis*: quia non omninò licita erat.

Vers. 3. *Dilexit autem Salomo Dominum, ambulando in statutis Dauid patris sui.*] Hinc apparet, quòd Salomon non contra præcepta diuina duxit filiam Pharaonis: de tempore enim medio vsque ad ædificatum templum scribitur, quod dilexit Salomon dominum: & infra idem tempus scribitur duxisse filiam Pharaonis in ciuitate Dauid.

Excepto quòd in excelsis immolabat, & thurificabat.] Nisi declinatio nonnulla à rectitudine fuisset immolare in excelsis, nequaquam à commendatione Salomonis, quòd diligebat Deum ad eundum in præceptis Dauidis patris sui, excepta fuisset immolatio in excelsis: non ram ergo licita, quàm impunis erat immolatio in excelsis prohibita in lege Mosis.

Vers. 4. 2. Paral. 1. *Ibatque Rex in Ghibhon ad immolandum ibi.*] vbi tunc erat tabernaculum Domini, vt testatur liber Paralip. 2. cap. 1.

Illud enim erat excelsum maximum.] pro, *magnum*. Nisi delectabile fuisset Salomoni immolare in locis excelsis, nõ attulisset Scriptura hanc rationem ex celsitudine loci; sed ex tabernaculo Domini, & altari ibidem.

Mille holocausta obtulit Salomo super altare illud.] quod tempore Mosis fabricatum fuerat ex ære. Simul itaque Salomõ satisfecit, & legi, & loco delectabili, immolando corã tabernaculo Domini super altare Domini in excelso Ghabaon.

Vers. 5. *In Gibbhon apparuit Dominus Salomoni in somnio noctis: dixitque Deus: Postula quod vis, & dabo tibi.*] Nisi placuisset Deo sacrificium Salomonis ibidem, non narraretur huiusmodi apparitio tanquam præmium.

Vers. 6. *Et ait Salomo: Tu fecisti cum seruo tuo Dauid patre meo misericordiam.*] Lege, *gratiam magnam.*

Sicut ambulauit coram te in veritate, & in iustitia, & in rectitudine cordis tecum: & custodisti ei misericordiam.] Lege, *gratiam magnam istam.*

Et dedisti ei filium sedentem super solium eius, sicut est hodie.

Vers. 7. *Adolescens apud Hebr. puer parvus vocatur.*

Et nunc, Domine Deus, tu regnare fecisti me seruum tuum pro Dauid patre meo: & ego sum puer parvus: non scio egredi, & ingredi.] adolescentiam enim adhuc agebat: sed Hebræi iuuenes appellantes pueros, dicunt puerum paruulum adolescentem.

Vers. 8. *Et seruus tuus est in medio populi tui, quem elegisti, populi multi.*] Lege *populi multi, qui non numerabitur, nec recensebitur præ multitudine.*

Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt iudicare possit populum tuum.] Rectiùs diceretur, *cor intelligens ad iudicandum populum tuum, & discernendum inter bonum, & malum.* Intelligentia siquidem indita eget Princeps, quam significat cor intelligens: quantuncunque enim sapientes habeat secum, nisi ipse ex intimis sapiat, minor est ad iudicandum, & discernendum inter bonum, & malũ, in singularibus causis, occursibus, & euẽtibus. Vers. 9. *Princeps eget indita intelligentia.*

Quis enim potest iudicare populum istum, populum tuum hunc multum?] Iuxta Hebræum duntaxat habetur: *Quia quis poterit iudicare populum tuum grauem istum?* Et dixit, *grauem*, (non onerosum, sed authoritate,) eò quòd ascitus esset in populum Dei.

Placuitq; sermo in oculis Domini: eò quòd Salomo rem hanc postulasset. Vers. 10.

Et dixit Deus ad eum.] Nomen est Elohim, congruum subiunctæ dispensationi. Vers. 11.

Quia postulasti verbum hoc.] Legendum esset, *rem istam.* quia rem petierat Salomon.

Et non postulasti tibi dies multos, nec diuitias, nec animam inimicorum tuorum: sed postulasti tibi sapientiam ad audiendum iudicium.

Ecce feci secundum sermones tuos: ecce dedi tibi cor sapiens, & intelligens; ita quòd, sicut tu, non fuit ante te.] De sapientia, & intellectu ad iudicandum causas populi intellige singularem hanc gratiam Salomonis: & non absolutè inter homines; sed inter rectores populi Israël: hæc enim limitatio significatur subiungendo. Vers. 12.

Et post te non surget sicut tu.] dicẽdo enim, *non surget*; manifestat se loqui de Principibus.

Et etiam, quæ non postulasti, dedi tibi, etiam diuitias, etiam honorem: ita quòd non fuit, sicut tu, in Regibus cunctis retrò diebus.] Iuxta Hebr. habetur, *omnibus diebus tuis*: extenduntur enim hæc dona ad vniuersum tẽpus vitæ Salomonis. Vers. 13.

Et si ambulaueris in viis meis ad custodiendum statuta mea, & præcepta mea, sicut ambulauit Dauid pater tuus, longos faciam dies tuos.] Longitudinem vitæ non promittit absolutè; sed sub conditione, si imitatus fuerit patrem, seruando diuina præcepta. Vers. 14.

Experrectúsque est Salomo, & intellexit, quòd esset somnium.] Iuxta Hebræum habetur, *& ecce somnium.* Non obliuioni datum fuit somnium; sed expergefacto occurrit. Vers. 15.

Et venit in Ierusalaim, & stetit coram Arca fœderis Domini, & obtulit holocausta, & fecit pacifica, & fecit conuiuium omnibus seruis suis.] Ad gratias agendum Deo obtulit in Sion coram Arca Dei holocausta, & pacifica: ad congratulandum autem fecit conuiuiũ propter dictam visionem.

Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regẽ: Vers. 16.

Et steterunt coram eo.] Effectus sapientiæ datæ Salomoni subscribitur. *Quarum vna ait: Obsecro, domine mi, ego, & mulier hæc habitabamus in domo vna, & peperi apud eam in domo.* Vers. 17.

Et tertia die postquàm ego peperi, peperit etiam mulier hæc: eramúsque simul, non erat extraneus nobiscum in domo præter nos duas in domo. Vers. 18.

Mortuus est autem filius mulieris huius nocte, quia iacuit super eum. Vers. 19.

Surrexítque media nocte, & tulit filiũ meum de latere meo (ancillæ tuæ dormientis,) & collocauit eum in sinu suo: & filiũ suũ mortuũ collocauit in sinu meo. Vers. 20.

Surrexiq; mane, vt lactarem filiũ meum, & ecce mortuus: consideraúique eum mane; & ecce non erat filius meus, quem pepereram. Vers. 21.

Dixit

Vers.22. *Dixit autem mulier altera: Non, quia filius meus viuit, & filius tuus mortuus est. Et hæc dicebat: Mentiris.*] Interpres ad exaggerandum simplicem negationem mutauit in, *mentiris*.

Quia filius tuus mortuus est, & filius meus viuit. Atque in hunc modum loquebantur coram Rege.

Vers.23. *Dixitq; Rex: Hæc dicit: Hic est filius meus, qui viuit, & filius tuus mortuus est. & hæc dicit: Non; sed filius tuus mortuus est, & filius meus viuit.*

Vers.24. *Dixit ergo Rex: Afferte mihi gladium. Et attulerunt gladium coram Rege.*

Vers.25. *Dixitq; Rex: Diuidite infantem viuum in duas partes, & date dimidium vni, & dimidium alteri.*] Præceptum hoc non ad executionem diuisionis; sed ad explorandum muliebrem animum prolatum est: tali enim præcepto discutiendam fuisse causam, non solùm euentus comprobauit; sed & recta ratio suadebat, vt veræ matris viscera commouerentur audito præcepto diuidendi infantis viui. Nec erat periculum, ne diuideretur infans interim: quoniam ipse Rex præsens erat.

Vers.26. *Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus ad Regem, (commota enim sunt viscera eius super filium suum:) Obsecro, domine mi, date ei infantem viuum, & non interficiatis eum. Illa autem dicebat: Nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur.*

Vers.27. *Respondit autem Rex, & dixit: Date ei infantem viuum, & non interficiatis eum: hæc est mater eius.*] Non potuit causa hæc sine testibus perspicaciùs, & rectiùs diffiniri.

Vers.28. *Audierunt itaque totus Israël iudicium, quod iudicauit Rex, & timuerunt à facie Regis: quia viderunt sapientiam Dei esse in corde eius ad faciendum iudicium.*] Nomen est *Elohim*, optimè quadrans materiæ

CAPVT IV.

Vers.1. IT *fuit Rex Salomon super totum Israël.*

Vers.2. *Et isti sunt Principes, quos ipse habebat: Hazar-iahu filius Zadoc Sacerdotis.*

Vers.3. *Elihoreph, & Aciu-ia, filij Sisa scriba.*] Tres scribas intellige, vt vulgata sonat editio conformis Hebraicæ literæ.

Et Iehosaphat, filius Achilud à commentariis.] Iuxta Hebr. habetur, *recordans*. prout etiam habetur 2. Reg. 8. vbi hoc officium exposuimus.

2. Reg. 8. Vers.4. *Et Bena-iahu, filius Ioiada, super exercitum: & Zadoc, & Eb-iathar Sacerdotes.*] Et statim occurrit quæstio, ex eo, quòd in cap. 2. scriptum est, quòd Salomon eiecit Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini. Solutio est, vel quòd Abiathar tunc quidem paruit Regi, & posteà reuocatus fuerit, non ad pontificatum, sed ad simplex sacerdotium: vel quòd tũc supplex impetrauit, vt non eiiceretur à Ierusalem, & remãserit nõ Pontifex, sed simplex Sacerdos: ita quòd depositus est à pontificatu, & ex gratia obtinuit ministerium simplicis Sacerdotis: vtrunque enim cõprehenditur sub prophetia denunciata Heli 1. Reg. 2. & propterea Zadoc Pontifex prænominatur.

Abiathar eiectus antea, cur hic inter Sacerdotes numeretur.

2. Reg. 2. Vers.5. *Et Hazar-iahu, filius Nathan, super Præfectos, qui assistebant Regi.*] Iuxta Hebræum habetur, *super Præfectos*. & nihil dicitur de assistentia. Et quoniam dicitur, *super Præfectos*, & subiunguntur posteà duodecim Præfecti, & vnus super totam terram, iste filius Nathan super illos Præfectos duodecim intelligitur.

Et Zabud, filius Nathan, Sacerdos amicus Regis.] Alter Nathan filius tanquam Pontifex honorabatur, eò quòd proximus esset Regi: Sacerdos enim nomen est dignitatis hoc in loco: & Hebraicè scribitur Sacerdos socius Regis, vepote alitus cum Salomone sub disciplina Nathan Prophetæ patris istius Zabud.

Vers.6. *Et Achisar super domum: & Adoniram, filius Habda, super tributum.*

Vers.7. *Habebatque Salomo duodecim Præfectos super totum Israëlem, qui alebant Regem, & domum eius: per mẽsem in anno erat super vnumquemq; cura alẽdi.*

Vers.8. *Et hæc nomina eorũ: Ben-chur in mõte Eph-raim.*

Vers.9. *Ben-decer in Macham, & in Sahalbim, & Beth-semes: & Elon Beth-chanan.*

Vers.10. *Ben-chesed in Aruboth: ei erat Socho, & tota terra Chepher.*

Vers.11. *Ben-abinadab in tota prouincia Dor: Taphath, filia Salomonis, erat ei in vxorem.*

Vers.12. *Bahana, filius Achilud in Thanac, & Megiddo: & tota Bethsean, quæ est iuxta Zarthà de sub Iizrehele à Beth-sean vsque ad Abel Mechola, vsque trans Iochmeham.*

Vers.13. *Ben-gheber in Ramoth Ghilhad: ei erant villæ Iair filij Manassis, quæ erant in Ghilhad: ei erat regio Argob, quæ est in Basan, sexaginta ciuitates magnæ muratæ, & habentes seras æreas.*

Vers.14. *Achinadab, filius Hiddo, in Machanaim.*

Vers.15. *Achimahaam in Naphtali: etiam ipse cepit Bosmath, filiam Salomonis in vxorem.* Inter istos Præfectos duo narrantur generi Salomonis: non, quòd in principio regni eius fuerint eorum soceri; sed describuntur Præfecti generi tempore regni, non arctando ad initium regni.

Vers.16. *Bahana, filius Chusai, in Aser, & in Haloth.*

Vers.17. *Iehosaphat, filius Paru-ach, in Issachar.*

Vers.18. *Simhi, filius Ela, in Ben-iamin*

Vers.19. *Gheber filius Vri in terra Ghilhad: in terra Sichon Regis Emorei, & Hog Regis Basan, super omnia, quæ erant in illa terra.*] Manca est litera: legendum est, & *Præfectus vnus, qui in terra*. Præter duodecim Præfectos, iste vnus subiungitur, tanquam vniuersæ terræ Præfectus: subiungitur autẽ sine nomine, vt intelligamus, hũc esse Hazariã, filiũ Nathan, priùs descriptũ super Præfectos.

Vers.20. *Iehuda, & Israël multi, sicut arena, quæ est iuxta mare in multitudine: comedẽtes, & bibẽtes, & lætãtes.*

Vers.21. *Et Salomo fuit dominans in omnibus regnis a flumine terræ Philisthiim vsque ad terminum Ægypti: offerentibus munera, & seruientibus Salomoni omnibus diebus vitæ eius.*

Vers.22. *Erat autem panis Salomonis per singulos dies, triginta chori similæ.*] hoc est, floris farinæ, ex qua fiebat panis pro nobilibus, qui vescebantur ex mensa Salomonis.

Chorus qu mensura. *Et sexaginta chori farinæ.*] Chorus est nomen mensuræ, quam oportet diuinare: coniici tamen potest conferendo panem cum carnibus: oportet enim intelligere proportionatã fuisse mẽsurã panis carnibus triginta boum, & centum pecudum.

Vers.23. *Decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum oues: præter ceruos, & capreas, & bubalos.*] Hebraicè habetur, *Iachmur*: quod nomen animalis syluestris esse quadrat.

Et gallinaceos saginatos:

Vers.24. *Ipse enim dominabatur in tota regione, quæ est trans flumen, quasi à Thapsa, vsque ad Gasam.*] Superfluit, *quasi*: & legendum esset, *a Tiphsach, & vsque ad Hazzam*. Nomen proprium loci est Thiphsach.

Et cunctis Regibus illarum regionum.] Iuxta Heb. habetur, *& omnibus Regibus trans flumen*. &

de

de Iordanis flumine intelligendum est.

Vers. 25. *Et ipse habebat pacem ex omni parte in circuitu.*

Habitauitque Iehuda, & Israel confidenter (vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua) à Dan vsque ad Beer-sebah, omnibus diebus Salomonis.

Vers. 26. *Et habebat Salomo quadraginta millia præsepia equorum currilium.*]Hebraica dictio interpretata, *præsepia*, rectiùs fuisset interpretata, *impinguatorum equorum ad currus suos.* numerus enim equorum narratur. Et ne intelligerentur equi quomodolibet habiti ad trahendos currus, describuntur impinguati; hoc est, pasti in locis propriis ipsius Regis: ad excludendum enim mutuatos equos, hoc scribitur: vnde & subditur numerus duodecim millium equorum ad equitandum.

Impinguati equi, qui hic significentur.

Et duodecim millia equitum.

Vers. 27. *Et alebant Prefecti isti Regem Salomonem, & omnes accedentes ad mensam Regis Salomonis, vnusquisque in mense suo: non sinebant quippiam deficere.*

Vers. 28. *Et hordeum, & fœnum pro equis, & iumentis, deferebant ad locum, vbi erat Rex, vnusquisque iuxta constitutum.*

Vers. 29. *Dedítque Deus.*]Nomen est Elohim.

Sapientiam Salomoni, & intelligentiam multam valdè.] Repetitur diuinum donum sapientiæ & intellectus, tum ad adiungendum alterum donum in affectu, tum ad explicandum sapientiam Salomonis relatiuè ad alios.

Et latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in littore maris.] Amplitudo animi Salomonis ad arduа, quæ ad magnificum, & magnanimum spectant, describitur ad similitudinem extensionis corporeæ oræ arenosi littoris magni maris.

Amplitudo animi Salomonis, quasi arena maris.

Vers. 30. *Et amplior fuit sapientia Salomonis sapientia omnium filiorum orientis, & omni sapientia Ægyptiorum.*]intellige, temporis Salomonis. Et similiter intellige, quod subiungitur de cunctis hominibus.

Vers. 31. *Factúsque est sapiens præ omni homine, præ Ethan Ezrachita.*] Hebræus erat iste, qui nominatur in titulo Psalmi: *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

Et Heman, & Chalchol, & Dardah filiis Machol.]Nō inuenio, qui fuerint isti tres filij Machol.

Et fuit nomen eius in omnibus gentibus per circuitum.

Vers. 32. *Locutúsque est tria millia parabolarum.*] Nec tertiam partem istarum habemus in Parabolis Salomonis.

Et fuerunt carmina eius.] Iuxta Hebræum habetur, *& fuit cantus eius.* sed cantus pro cantico sumitur, abstractum pro concreto.

Cantus, pro cantico.

Quinque millia.]Hebraicè habetur: *quinque & mille.* Nescio, si aliquod horum habetur à nobis.

Vers. 33. *Et disputauit.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et locutus est de arboribus, à cedro, quæ est in Lebanon, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete.* Nihil horum de vegetabilibus à Salomone scriptum inuenitur.

Et disseruit.]Hebraïcè habetur, *& locutus est de bestiis, & de volatilibus, & de reptilibus, & de piscibus.* Similiter caremus huiusmodi libris de animalibus: & nihil in specie dicitur scriptum, aut dictum de astris, nihil de vocatis exorcismis, aut Dæmonibus.

Vers. 34. *Et veniebant ex omnibus populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab omnibus Regibus terræ.*] Superfluit coniunctio, *&*: significatur enim, quòd ex omnibus populis ab vniuersis Regibus veniebāt aliqui missi ad audiendū sapientiā Salomonis.

Qui audiebant.] Legendum est: *Qui audierunt sapientiam eius.* Et est limitatio Regum, ad differentiam illorum Regum, qui non audierunt sapientiam eius: hoc est, ad quos per auditum non peruenerunt aliqua testificantia sapientiæ eius: Salomon enim non fuit vnquam Monarcha, vt sua innotescerent vniuerso orbi: sed fuit Rex magnus in Syria.

CAPVT V.

Vers. 1. MISIT *autem Chiram, Rex Tyri, seruos suos ad Salomonem: audierat enim, quòd ipsum vnxissent in Regem pro patre eius: quia amicus fuerat Chirā Dauidi omnibus diebus.*] Hinc apparet, quòd inimicitia Tyriorum ad Dauidem scripta in Psal. 82. non fuit tempore istius Regis Hiram.

Psal. 82.

Vers. 2. *Misítque Salomo ad Chiram, dicendo:*

Vers. 3. *Tu nosti, Dauid patrem meum non potuisse ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella, quæ circundederunt eum: donec posuit eos Dominus sub plantis pedum eius.*

Vers. 4. *Nunc autem requiem dedit Dominus Deus mihi in circuitu: nō est aduersarius, neque occursus malus.*

Vers. 5. *Et ecce cogito ædificare domum nomini Dei mei: sicut locutus est Dominus ad Dauid patrem meū, dicendo: Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo.*

Vers. 6. *Præcipe igitur, vt præcidāt mihi serui tui cedros de Lebanon.*]Interpres pro claritate addidit, *serui tui.*

Et seruitutes sint cum seruis tuis, mercedem autem seruorum tuorum dabo tibi quancunque petieris: nouisti enim, quòd non est inter nos vir sciens cædere ligna, sicut Zidony.

Vers. 7. *Et fuit, cùm audisset Chiram verba Salomonis, lætatus est valdè: & dixit: Benedictus Dominus hodie, qui dedit Dauidi filium sapientem super populum hunc multum.*

Vers. 8. *Et misit Chiram ad Salomonem dicendo: Audiui, quæ misisti ad me: Ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis, & in lignis abiegnis.*

Vers. 9. *Serui mei deponent de Lebanon ad mare, & ego ponam ea in ratibus in mari vsque ad locum, quem significaueris mihi, & applicabo ea tibi.*] Iuxta Hebr. habetur, *& faciam spargere ea tibi.* videlicet, in ora maris tui, quam dixeris: omnem enim operam vsque ad littus maris Salomonis inclusiuè spondet Rex Tyri.

Et tolles ea, præbebísque necessaria mihi, vt detur cibus domui meæ.] Iuxta Hebræum habetur, *& tu facies voluntatem meam ad dandum panem domui meæ.* hæc enim erat merces operarum.

Vers. 10. *Chiram igitur dedit Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna iuxta omnem voluntatem eius.*

Vers. 11. *Et Salomo dedit Chiramo viginti millia chororum tritici in cibum domui eius, & viginti choros purissimi olei.*] Hebraïcè habetur, *olei tusi.* Ad differentiam olei ex ossibus oliuarum, dicitur tusi.

Oleum tusi, quod.

Sic dedit Salomo Chiramo per singulos annos.

Vers. 12. *Dominus autem dedit sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei: & fuit pax inter Chiram, & Salomonem, & percussérunt ambo fœdus.*

Vers. 13. *Elegítque Rex Salomo operarios de omni Israel: & erat indictio triginta millia virorum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit ascendere Rex Salomo tributum de omni Israel: & fuit tributum triginta millia virorum.* Augmentum tributi ab vniuerso Israële indixit Salomon pro stipendio triginta millium virorum, quos misit ad montem Libani.

Et dicendo, *fecit aſcendere tributum*, manifeſtat, quòd prius erat tributum, quod auctum eſt: ſit autem ſpecialis mētio iſtorum triginta millium, quia mittebantur ad remotiora loca; propter quod ſubiungitur, tum locus (videlicet, mons Libani) ad quem mittebantur: tum modus, quo diſtribuebantur, qui in vulgata editione non refertur integrè: nam Hebraicè ſcribitur:

Tributū impoſuit Salomō Iſraelitis pro viris miſſis ad Libanum.

Verſ. 14. *Et miſit eos ad Lebanon decem millia in menſe viciſſim: menſe erunt in Lebanon, duobus menſibus in domo ſua.*] Quater in anno fiebat huiuſmodi viciſſitudo: ſingulis enim tribus menſibus triginta millia virorum ibant ad Libanum, ſic quòd decem millia erant in Libano primo menſe: qui reuertebantur ad domos ſuas, & alia decem millia ſubrogabantur ſecundo menſe, qui ſimiliter reuertebantur in domos ſuas ſubrogatis aliis decē millibus pro tertio mēſe, quo cōpleto reuertebātur & ipſi in domos ſuas: & ſic in qualibet quarta anni erant ſinguli vno mēſe in monte, & duobus menſibus in domo ſua pro operibus domeſticis.

Et Adoniram erat ſuper huiuſcemodi inditionē.] Iuxta Heb. habetur: *& Adoniram ſuper tributum.* In præced. cap. iſte Adoniram deſcriptus eſt inter Principes Salomonis in officio ſuper tributum: & ne alius putaretur deputatus ſuper hoc ſpeciale tributum, repetitur idem.

Adoniram fuit reputatus ſuper hoc tributum.

Verſ. 15. *Et fuerunt Salomonis ſeptuaginta millia portantiū onus: & octoginta millia latomorū.*] Iuxta Heb. habetur, *caſorū.* Nec explicatur, an fuerint cæſores lapidū, vel lignorū: ſed ſubiūgitur immediatè:

In monte.] Nec explicatur, quis ſit iſte mons: quòd enim non ſit ſermo de monte Libani, ſupradicta teſtantur manifeſtantia, quòd in Libano erant decem millia ſingulis menſibus

Verſ. 16. *Abſque præpoſitis, qui præerant ſingulis operibus numero trium millium, & trecentorum, præcipientium populo, & iis, qui faciebant opus.*] Iuxta Hebr. habetur: *Præter Principes Præfectorum Salomoni, qui ſuper opus tria millia, & trecenti: præſidentes populo facienti opus.* Et eſt Hebraïcæ phraſis dicere, *Præfectorum Salomoni*; hoc eſt, Præfectorum Salomonis. Et dicendo, præter Principes Præfectorū, duos ordines præpoſitorum operibus inſinuat, alterum præfectorum, alterum principum ſuper præfectos. Numerus autē trium millium, & trecentorum ad ipſos præfectos refertur; reſeruatur ſiquidem numerus Principum eorum ſcribendus in 2. lib. Paral. c. 2.

Verſ. 17. *Præcepitque Rex, vt tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum templi.*] Iuxta Hebræum habetur, *& fecerunt vehi lapides grandes, lapides pretioſos ad fundandum domum.* Iidem lapides erant grandes, & pretioſi: quales ſunt lapides marmorei, & porphyretici, & ſimiles.

Et quadrarent eos.] Iuxta Hebr. habetur, *lapides dolatos.* Tertia conditio lapidum eorundem deſcribitur.

Verſ. 18. *Quos dolauerunt cementarij Salomonis, & cementarij Chiram: porrò biblij.*] Hebraicè habetur, *& Ghiblim.* & poteſt Latinè dici, *& finitores*; ita quòd Hebraica litera eſt: *Et dolauerunt cementarij Salomonis, & cementarij Chiram, & finitores: & præparauerunt ligna, & lapides ad ædificandum domum.* Officium ſiquidem finitorum eſt, ſic diſponere dolationes, vt lapis lapidi cōfinis quadret, & ſimiliter lignum ligno: huius enim artis opera factū eſt, quod in ſequenti ſubiūgitur capitulo: videlicet, quòd ſonus mallei, & ſecuris non eſt auditus in ædificatione templi.

Officium finitorum, quod.

CAPVT VI.

ET FVIT *in octogeſimo anno, & quadringenteſimo anno egreſſionis filiorum Iſraël de terra Ægypti, in anno quarto in menſe Ziu (ipſe eſt menſis ſecundus) regni Salomonis ſuper Iſraël: & ædificauit domum Domino.*] Initium ædificationis templi, quantùm ad tempus deſcribitur, tum ab egreſſu ex Ægypto, tum à regno Salomonis; videlicet, menſe ſecundo anni quarti regni illius. Et apponitur nomen menſis Ziu, quem aiunt eſſe menſem ſecundum inter menſes anni. Verſ. 1.

Menſis Ziu, quis.

Domus autem, quam ædificauit Rex Salomo Domino, habebat ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.] Quantitas templi ſecundùm ſpatium vacuum intra ipſum, deſcribitur in hac litera: deſcriptio autem quę ſit 1. Paral. c. 3, comprehendit altitudinem etiam totius ædificij, quod erat ſupra templum: vt ibi declarabitur: Verſ. 2.

Et porticus erat ante templum.] Iuxta Hebr. habetur: *Et veſtibulū ſuper faciem templi domus.* hoc eſt, in parte orientali, quæ facies templi dicitur. Verſ. 3.

Viginti cubitorum longitudinis ſuper faciem latitudinis domus: & decem cubitorū latitudinis ſuper faciē domus.] Æqualis deſcribitur quantitas lōgitudinis veſtibuli quātitati latitudinis tēpli, vt tota facies tēpli veſtibulū haberet: cuius latitudo ante faciem templi ad decimū vſque cubitū protēdebatur ſub diuo: in hoc enim veſtibulo erāt multa vaſa, quæ inferiùs deſcribentur. Et hoc eſt ſpatium inter altare holocauſtorum, & templum.

Fecitque domus feneſtras obliquas.] Iuxta Hebr. habetur, *feneſtras reſpicientes clauſas.* hoc eſt, feneſtras, quæ clauſæ illuminabant. Et communiter exponitur non de clauſura abſolutè, ſed relatiuè ad partem alteram; hoc eſt, ad interiorē partem: exiſtente enim magna groſſitudine muri, oportet feneſtras ſic fieri, vt ſtrictæ ſint in exteriori ſuperficie, & latæ valdè in interioribus partibus muri hinc, & inde, vt lumē diffundatur per domū. Deſcribuntur itaque feneſtræ aſpicientes clauſæ: quia aſpectus per huiuſmodi feneſtras clauſus erat: non tam enim erant feneſtræ, quàm ſtrictæ, ac longæ quædā aperturæ, non ad vſum aſpiciendi, ſed ad illuminandū. Aduerte hîc, prudens lector, quòd poteſt legi, *feneſtras aſpicientes clauſi.* quia feneſtræ nomen apud Hebræos eſt cōmunis generis, & tam aſpicientes, quàm clauſi eſt maſculini generis. Si itaque viri aſpicientes clauſi ſignificentur, ſenſus eſt, feneſtras tales, quòd aſpicientes per illas erant clauſi: ad differentiam feneſtrarum, quæ communiter fiunt, per quas aſpicientes extra ſunt manifeſti. Et ſecundùm hunc ſenſum deſcribuntur feneſtræ marmoreæ foraminibus plenæ, reddentes quidem lumen, ſed claudendo aſpicientes. Verſ. 4.

Feneſtra reſpicientes clauſæ, quæ.

Et ædificauit ſuper parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circumitum templi, & oraculi.] Quanuis dictio Hebraïca ſignificet, *ſuper*; contextus tamen ſubiunctorū manifeſtat, quòd hoc in loco nō pro *ſuper*; ſed pro *iuxta* ponitur: & propterea legendū eſt: *Et ædificauit iuxta parietem domus latus in circumitu, parietibus domus in circumitu templi, & Debir.* Aduerte, prudens lector, quòd priùs deſcriptum eſt templū quoad internum ſpatium: deinde quoad externam partem iuxta faciem templi, deſcribendo veſtibulum cum feneſtris: modò autem deſcribitur reliquum Verſ. 5.

circuncirca

Verba, In circuitu templi, & Deuir, quid significent.

circuncirca extrinsecùs ambiens templum. Ita quòd paries templi distinguitur contra faciem templi: & propterea dicendo, *in circuitu*, non cõprehenditur facies templi: & dicendo, *in circuitu templi, & Deuir.* significat illam partem, quæ appellatur Sanctum Sanctorum: facit enim mentionem, & templi, & Deuir, ad manifestandum, quòd vniuersus paries circumcirca habuit huiusmodi latera. Appellatur autè *Sanctum Sanctorum*, Deuir, eò quod ibidem loquebatur Deus respondẽdo cõsultationibus, & supplicationibus.

Sanctũ Sanctorum cur Deuir vocetur.

Et fecit latera in circuitu.] parietis reliqui à facie templi. Resumit ædificium laterum in circuitu, ad distinguendum latera hæc in tres ordines; videlicet, infimum, medium, & supremum. Vnde & subdit:

Vers. 6.

Tabulatum, quod subter erat.] Hebraicè habetur: *Latus subter.* Et ne sæpiùs replicemus, Hebraicè semper scribitur *latus*, vbi Interpres scribit, *tabulatum.*

Latus pro tabulato.

Quinque cubitorum latitudinis.] Intellige quoad pauimentum: & similiter, quod subditur de latere medio latitudinis sex cubitorum, intellige quoad pauimentum: similique modo intellige de tertio latere latitudinis septem cubitorum quoad pauimentũ: ita quòd pauimentũ infimi erat secũdùm latitudinẽ quinque cubitorum; pauimẽtum verò medij sex, pauimentum autem supremi septem.

Pauimenta templi quot cubitis constabant.

Et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum septem cubitorum latitudinis.] Et ratio huius inæqualitatis subiungitur:

Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, vt non hærerent muris templi.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia deficientias dedit domui in circuitu foris ad non apprehendendum parietes domus.* Prædictæ inæqualitatis ratio redditur, modus, qui seruatus est ædificando huiusmodi latera relatiuè ad muros tẽpli. Quod vt facilè intelligas,

Modi duo, quibus medij, & supremi trabes pauimentorũ potuerunt iungi muris templi.

distingue modos duos, quorũ altero possunt pauimentorum medij, & supremi trabes iungi muris templi, & firmari in eis. Alter modus est, vt foramina essent in muris templi, in quibus capita trabium ponerentur, & firmarẽtur: & iuxta hunc modum ædificandi non erat necesse, vt pauimenta essent inæqualia: sed poterãt omnia esse æqualia, existente muro templi forinsecùs æquali: & hic modus excluditur à litera, dicente, *ad non apprehendendum muros domus.* Alter modus est, vt murus templi foris surgeret æqualis per quinque cubitos, quo completo murus surgeret restrictus per vnum cubitum, ita quòd relinqueretur vnus cubitus secundùm muri latitudinem vacuus, super quo vacuo ponerentur capita trabium pauimenti medij lateris: & hinc pauimentum medij lateris erat sex cubitorum; erat enim latius pauimento infimi lateris secundùm cubitum illum, quem ex restrictione muri templi lucrabatur. Et sic à quinto cubito vsque ad decimum surgebat murus strictior infimo: perfecto autem decimo cubito, restringebatur iterum murus templi per vnum cubitum, super quo vacuo ponebantur capita trabium pauimenti supremi lateris: & propterea hoc pauimentum erat septem cubitorum secundùm latitudinem, eò quòd lucrabatur duos cubitos ex parte muri templi relatiuè ad pauimentum infimi lateris: vnum autem cubitum lucrabatur relatiuè ad pauimentum medij lateris. Has autem duas restrictiones Author libri appellat, *deficientias*, dicendo: *Quia deficientias dedit domui in circuitu foris.* Et si vim rationis redditę in

Deficientiæ, quid.

litera percipere vis, præsuppone cum ipsa litera, quòd latera ista tria infimum, medium, & supremum, secundùm terminos latitudinis ex parte exteriori erant æqualia; ita quòd vna linea recta perpendiculariter duci potuisset ab exteriori termino latitudinis fundamenti supremi lateris vsque ad exteriorẽ terminũ latitudinis fundamenti infimi. Præsupposita enim hac æqualitate exteriori, ratio alligata in litera cogit ad inæqualitatem pauimentorũ ex parte interiori, qua pauimẽta tãgebant murũ tẽpli, & firmabantur in illo: ex hoc enim, quòd trabes pauimentorũ non perforabant murum templi, sed deficientiæ erant in muro restricto; manifestè sequitur, quòd pauimentum medij latius erat pauimento infimi, & pauimentum supremi latius erat vtroque: hæc enim nomina pauciſſimis verbis litera comprehendit, reddendo rationem inæqualitatis, *quia deficientias dedit domui in circuitu foris*, super quas trabes pauimentorum sustentabantur. Quam restrictionem factam esse ad excludendum perforationem murorum templi, subiungitur ad non apprehendendum muros domus: si enim perforati fuissent muri absque huiusmodi restrictionibus, non oportuisset pauimenta esse inæqualia. Aduerte hic, prudens lector, primùm, quod quanuis murus templi foris fuerit sic inæqualis; interior tamen superficies erat æqualis: tanta siquidẽ erat grassitudo muri ex lapidibus dolatis, vt non solùm ad huiusmodi restrictiones forinsecus vsque ad decimum cubitum sufficeret, sed etiam ad sustinendum ædificium altitudinis supra centũ cubitos: vt in libro Paralip. scribitur. Aduerte secundò, quòd triplex iste ordo laterum ædificatorum in circuitu parietis templi, sic dispositus erat, quòd medius ordo iungebatur infimo, & supremus iungebatur medio: alioquin defuissent sustentantia, tam pauimentum supremi, quàm pauimentum medij ex parte exteriori: impossibile est enim pauimento latitudini septem cubitorum sufficere sustentationem ex altera tantùm parte, videlicet, muri templi, super cuius vnũ cubitum capita trabium sustinebantur. Erant igitur proculdubiò isti tres ordines laterum sic dispositi, quòd infimus ordo pauimentum habebat in terra, medij autem ordinis pauimentũ, erat & tectũ infimi, & pauimentũ medij: & similiter supremi ordinis pauimentũ vtrunque exercebat officium: erat enim tectum medij, & pauimẽtum supremi. Aduerte tertiò, quòd, quia inferiùs subiungitur altitudo æqualis supremi, medij, & infimi, (videlicet, quòd singulorũ altitudo erat quinque cubitorũ) nec dicitur aliquid de vsu (ad quẽ, videlicet, vsum ædificata sint hæc latera,) nullâque fit mẽtio columnarum, quæ præ se ferrent latera hæc ædificata in similitudinem porticus, intelligendum restat, vt intelligamus ad vsum domus ædificata fuisse hæc latera: & propterea non columnis, sed muris propriis exteriùs fulta: si enim columnis fulta fuissent, aut hic, aut in Paralipomenon scripta esset res hæc non minimi momenti. Aduerte quartò, quòd hinc habetur, nullum fuisse in templo Dei ostium, nisi in facie templi, quæ erat ad Orientem: ex hoc enim, quòd foris in circuitu parietis templi ædificata scribuntur hæc latera, manifestatur, quòd vniuersus paries tẽpli circundatus erat vsque ad altitudinẽ quindecim cubitorũ his lateribus: & propterea nullũ relinqui locũ alicui portæ circũcirca.

Latera parimenterũ erant æqualia.

Templi muri foris licèt inæquales: interiores tamẽ interior erat æqualis.

Ordo laterum ædificatorum in circuitu templi, quomodo dispositus.

Ad quẽ vsum hæc latera fuerint ædificata.

Nullũ ostium erat in templo, nisi in eius facie.

Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis,

dolatis, atque perfectis.] Parui refert, quòd habetur, *de lapidibus perfectis motus ædificata est.* Dicitur, *perfectis*, ad significandum integritatem non solum lapidum, sed operis: adiungitur autem motis, seu vectis, ad manifestandum, quòd priùs fuerunt lapides perfecti, & postea vecti ad ædificium: vt nulla opus fuerit opera ad perfectionem alicuius lapidis in ipsa ædificatione. Et propterea subditur:

Lapides templi fuerunt priùs perfecti, & deinde vecti.

Et malleus, & securis, & omne instrumentum ferreum non fuit auditum in domo, cùm ædificaretur.] Consequens enim est, vt perfectis priùs integrè lapidibus, nullus sonitus instrumentorum ad perficiendum lapides audiretur in ipsa ædificatione: de his enim est sermo. Et non excluditur concursus instrumentorum ad iungendum lapides, & alia opportuna.

Vers. 8. *Ostium lateris medij.*] Legendum esset: *Porta lateris medij.* Iam dictum est, quòd triplex erat ordo laterum: infimus, medius, & supremus. De porta infimi lateris nihil scribitur: quia in terra erat, nec per murum templi oportebat intrare illud: sed de porta tam medij, quàm supremi lateris scribitur, quoniam ipsa intra grossitudinem muri templi erat.

In pariete erat domus dextra.] Iuxta Hebræum habetur, *ad armum domus dextrum.* Dexter armus domus, meridionalis murus templi intelligitur: appellat enim Scriptura septentrionalem plagam sinistram, & meridionalem dextram. In grossitudine ergo muri meridionalis templi facta est porta ad ascendendum ad medium latus.

Et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & à medio ad tertium.] Interpres addidit, *cœnaculum.* gradus enim in modum cochlearum intra muri grossitudinem describuntur vsque ad medium latus: ibi enim inueniebatur porta ingressus in pauimentum medij lateris: sed gradus non finiebantur ibi, sed per modum cochlearum per eandem muri grossitudinem protendebantur vsque ad ingressũ in pauimentũ supremi lateris.

Vers. 9. *Et ædificauit domum, & consummauit eam.*] De consummatione templi, quoad substantiam eius est sermo: propter quod & subditur de tecto, quæ est substantialis pars domus.

Texitque domum laquearibus cedrinis.] Licèt Hebraica dictio anceps sit, rectiùs tamen legeretur: *Et contignauit domum tignis, & laquearibus cedrinis.* materia siquidem tecti templi describitur.

Vers. 10. *Et ædificauit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis.*] Legendum est: *Et ædificauit latus iuxta totam domum, quinque brachiorum altitudo eius.* Ideò resumpsit ædificium laterum, vt manifestaret altitudinem cuiusque lateris. Et hinc habetur, quòd nullum latus erat sub diuo: altitudo enim secundùm quantitatem à fundamento ad tectum attenditur.

Nullũ latus templi erat sub diuo.

Vers. 11. *Et operuit domum lignis cedrinis.*] Iuxta Hebræum habetur, *& apprehendit domum in lignis cedrorum.* Laquearia colligantia muros templi (quæ & sustinebant tectum) describuntur apprehendere domum; hoc est, perforare domum: erant enim muri templi secundùm interiorem superficiem æquales, & propterea oportuit quasi foramina vacua in muro pro capitibus laquearium efficere.

Et factus est sermo Domini ad Salomonem dicendo. Sermo iste perfectis partibus substantialibus domus fuit, antequàm ornaretur domus ipsa; non solum, quia hoc in loco scribitur; sed præsertim, quia subiungitur:

Vers. 12. *Domus hæc, quam tu ædificas, si ambulaueris in iustitijs meis, & iudicia mea feceris, & custodieris omnia mandata mea gradiendo in eis.*] iungendo enim hæc duo (quòd narrata perfectione domus quoad substantialia narratur Deus dicens Salomoni: *Domus hæc, quam tu ædificas.*) apparet, quòd tunc Deus allocutus est Salomonem: modus autem loquendi non est scriptus. Et legendum esset, domui huic, vt inueniatur constructio grammatica, respondet enim verbo:

Firmabo sermonem meum tecum, quem locutus sum ad Dauid patrem tuum.] Est enim sensus, quòd huic domui tecum firmabo sermonem meum, quem locutus sum, &c. si ambulaueris in præceptis meis, &c. Et dixit hæc Deus, ne erraret Salomon putando, quòd propter hanc, quam ædificabat domum, Deus firmasset pollicita Dauidi: oppositum enim reuelat Deus; videlicet, quòd ambulatio Salomonis in via Dei, erat ratio, quòd pollicita Dauidi firmentur domui huic, & Salomoni: vt hinc discamus, quòd ædificare templa prodest ædificanti, si præcepta Dei seruet.

Vers. 13. *Et habitabo in medio filiorum Israël: & non derelinquam populum meum Israël.*

Vers. 14. *Et ædificauit Salomo domum, & consummauit eam.*] Si non resumit, vt adiungat subiuncta, sermo est de ædificio superaddito substantialibus partibus: ita quòd primùm narrat illud in genere, & factum, & completum à Salomone: deinde narrat idem per singula distinguendo.

Vers. 15. *Et ædificauit parietes domus intrinsecùs tabulis cedrinis.*] Legendum esset, *costis cedrorum.* ad similitudinem siquidem costarum erant ligna cedrina tegentia parietes templi intrinsecùs. Et dicendo, *ædificauit*, innuit, quòd non affixione clauorum, sed ædificatione iungebantur muris templi.

A pauimento domus vsque ad summitatem parietum, & vsque ad laquearia operuit lignis cedrinis intrinsecùs.] Legendum est, incipiendo clausulam: *A pauimento domus, vsque ad parietes contignationis, operuit ligno intrinsecùs.* Declaratio est præcedentis clausulæ.

Et texit pauimentum domus tabulis abiegnis.] Legendum esset, *costis abietis.* similia enim costis describuntur ligna pauimenti.

Ædificauitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi.] Hebraicè habetur, *à coxis domus.* Certum est partem vltimam templi significari ad plagam occidentalem, quæ variis nominibus describitur in diuersis Scripturæ locis. Et hìc à coxis domus nominatur, quia tanquam coxarum locum in corpore tenet tertia postrema pars. Fit enim specialis mentio illius partis: quia illa erat Sanctum Sanctorum: tanquàm hactenus dicta de tegumento parietum, intelligenda sint de prima parte templi, quæ appellatur Sanctum, cuius longitudo erat quadraginta cubitorum: de reliqua enim parte viginti cubitorum modò est sermo.

Coxa domus, qua pars significetur.

Tabulata cedrina, à pauimento vsque ad superiora.] Legendum esset, *costas cedri, à pauimento vsque ad parietes.* Sonat litera, quòd etiam pauimentum huius vltimæ partis texit costis cedri: & quoad hoc præstabat pauimentum istius partis pauimento reliquo, quod erat ex costis abietis.

Et fecit interiorem domum Oraculi in Sanctum Sanctorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ædificauit ei intrinsecùs Debir pro Sancto Sanctorum.* est

cuiam

etiam datiui casus, *Deuir*. Declaratio est præcedentis clausulæ, *viginti cubitorum*: declaratur enim, quòd spatio illi intrinsecùs (videlicet, Deuir pro Sancto Sanctorum ædificauit dictam structuram. Vbi, prudens lector, aduerte, quòd nulla fit mentio muri in hoc ædificio viginti cubitorum: sed duntaxat dicitur, quòd ædificauit viginti cubitos à pedibus domus in costis cedrinis.

Vers. 17. *Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum præ foribus oraculi.*] Legẽdum esset: *Et quadraginta cubitorum fuit domus: ipsa templum ante.* Spatium quadraginta cubitorum appellatur domus distincta à Deuir: & eadem dicitur templum antè, vel quia erat ad Orientem; vel, quia erat ante Deuir ingredientibus templum.

Vers. 18. *Et cedro domus intrinsecùs vestita erat, habens.*] Legendũ esset, *habente*. quoniã ad cedrũ refertur.

Tornaturas, & suncturas suas fabrefactas, & celaturas eminentes.] Quæ vocantur tornaturæ, & cælaturæ eminentes, Hebraïcè sonant incisiones artificiosas, & incisiones ad instar gemmantium, seu florentium ramusculorum.

Omnia cedrinis tabulis vestita sunt, nec lapis apparebat.

Vers. 19. *Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat, vt poneret ibi Arcam fœderis Domini.*] Quãuis Hebraica dictio significare possit, in medio, legendum tamen esset: *Et Deuir in intimo domus intrinsecùs fecit parare, ad dandum ibi thecam fœderis Iehouah.* Deuir enim, interpretatum Oraculum, non erat in medio domus, sed in tertia parte postrema ipsius domus, & propterea dicitur in intimo domus intrinsecùs.

Oraculum in qua parte templi erat.

Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in facibus Deuir viginti cubitorum longitudo, & viginti cubitorum latitudo, & viginti cubitorum altitudo eius. Facies Deuir*, appellantur superficies eius: quæ æquales secundùm omnem dimensionem intercepti spatij describuntur secundùm planum literæ sensum: ita quòd ex litera habetur, quòd Sanctum Sanctorum erat altitudinis viginti duntaxat cubitorum, vtpote perfectè quadrum: vt hinc intelligamus, paulò superiùs scriptum de ædificio viginti cubitorum, referri, non solùm ad diuisionem oraculi à templo; sed etiam ad diuisionem tecti ipsius oraculi à tecto communi totius templi: erat enim templum altitudinis cubitorum triginta. Si quis tamen diceret, quòd spatium viginti cubitorum secundùm altitudinem distinguebatur non tecto medio; sed designatione, & dissimilitudine opificij à spatio decem cubitorum vsque ad tectum templi, nescio si posset conuinci.

Vers. 20.

Facies Deuir, *quid.*

Et vestiuit illud auro puro: & altare vestiuit cedro.] De altari thymiamatis est sermo.

Vers. 21. *Domúmque ante oraculum.*] Sententia redditur: Hebraicè tamen scribitur: *Et texit Selomo domum intrinsecùs auro puro.* Ne repetatur idem, per domum intrinsecùs non intelligimus oraculum; sed domum secundùm interiorem superficiem.

Et affixit laminas clauis aureis.] Iuxta Heb. habetur: *Et trasiuit in catenis auri, quod ante Deuir, & vestiuit illud auro.* Paries ex costis cedri diuidens Sanctũ à Sancto Sanctorum, appellatur, *ante Deuir*. quod absque muro ex costis cedri fuisse, testatur necessitas catenarũ; hoc est, vectium, officium catenarum (quod est ligare) exercentium: qui, cùm ferrei debuissent esse, aurei describuntur, transeuntes super costarum latitudinem, ad vinciendum costas simul. Et quia specialis fit mentio, quòd vestiuit parietem hunc ligneum auro, & ante Deuir catenæ huiusmodi describuntur, insinuatur, quòd de exteriori superficie illius parietis lignei est sermo, tum quoad catenas, tum quoad deaurationem: ita quòd ligantes costas istas ligneas vectes erant non in superficie intra Deuir, sed in superficie exteriore, quæ etiam vestita auro describitur: interior enim superficies iam descripta erat vestita auro cum reliquis superficiebus oraculi.

Totámque domum vestiuit auro, vsquequò perficeretur tota domus: sed & totum altare oraculi texit auro.] Hebraïcè habetur, *& totum altare, quod Deuir, vestiuit auro.* Et est *Deuir*, datiui casus: est enim sermo de altari thymiamatis, quod erat non ipso oraculo, sed ad ipsum oraculum: erat enim positum ante prædictum parietem ligneũ. Vers. 22.

Et fecit in Deuir duos Cherubim de lignis oliuarum, decem cubitorum altitudinis. Vers. 23.

Et quinque cubitorum ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub secunda: decem cubitis erant a summitate ale vnius vsque ad summitatem ale alterius. Vers. 24.

Decémque cubitorum erat Cherub secundus: mensura, & opus vnum erat ambobus Cherubim. Vers. 25.

Altitudo Cherub vnius decem cubitorum: & similiter Cherub secundi. Vers. 26.

Posuítque Cherubim in medio domus interioris, & extenderunt alas Cherubim, & tangebat ala vnius parietem, & ala alterius Cherub tangebat parietem alterum: alæ, eorum in medio domus se inuicem tangebant. Vers. 27.

Et vestiuit Cherubim auro.] Aduerte, prudens lector, quòd isti Cherubini hîc descripti, non sunt illi, quos descripsit Moses; nec ad illud officium, ad quod descripsit Moses: illi enim erant aurei, & parui, iuxta Arcam mutuò se respicientes, quasi sustentantes sedem Dei: isti autem lignei, & magni, (vtpote decem cubitorum,) & respicientes ad orientalem plagam, &c. Sed creditur, Salomonem fecisse hos Cherubinos ex dispositione Dauidis, & illos alios aureos iuxta dispositionem Mosaicam. Vers. 28.

Et omnes parietes domus per circuitum sculpsit variis celaturis, & torno; & fecit in eis Cherubim, & palmas.] Iuxta Hebræum habetur, *calamis apertis celaturis Cherubinorum, & palmarum.* Ornatus parietum clarè describitur. Vers. 29.

Et picturas varias quasi prominentes de pariete, & egredientes.] Iuxta Hebræum habetur, *& apertionibus gemmarum, intrinsecùs, & extrinsecùs.* tria enim hæc (videlicet, Cherubinuli, & palmæ, & apertæ gemmæ arborum) incisa in lignis illis describuntur intrinsecùs & extrinsecùs: hoc est, in Sancto Sanctorum, & in Sancto.

Et pauimentum domus vestiuit auro intrinsecùs, & extrinsecùs.] hoc est, tam in Sancto Sanctorum, quàm in Sancto. Vers. 30.

Et in ingressu oraculi fecit duo ostiola.] Iuxta Hebræum habetur: *Et porta Deuir fecit ostia.* Vnica porta; multæ verò valuæ describuntur pro ingressu oraculi. Vers. 31.

De lignis olinarum: postésque angulorum quinque. Iuxta Hebræum habetur, *ligna olei, liminare, & postes à quinta.* Quinque angulorum intelliguntur, tam postes, quàm liminare, & superliminare quoad formam: quoad materiam verò ex lignis olearum.

Vers. 2. *Et duo ostia de lignis oliuarum.*] eadem enim describitur materia valuarum duarum vnius portæ, quæ descripta est materia vtriusque liminis,& postis.

Et sculpsit in eis picturam Cherubim, & palmarum species,& anaglypha valdè prominentia.] Legendum est,vt suprà.

Et calauit in eis cælaturas Cherubim,& palmarum,& apertionum gemmarum.] Expone,vt suprà.

Et vestiuit auro.] ipsas valuas, ac postes, & limina.

Et operuit,tam Cherubim,quàm palmas, & cætera,auro.] Legendum est, *& extendit super Cherubim, & super palmas aurum.* Per singula narrat appositum aurum.

Vers. 33. *Fecitque in introitu templi postes de lignis oliuarum quadrangulares.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et sic fecit porta templi postes ligni olei, à quarta.* Quadrangulares postes portæ templi describuntur ad differentiam postium portæ oraculi. Et dicendo,*porta templi*, vnica significatur templi porta.

Vers. 34. *Et duo ostia de lignis abiegnis.*] Vide differentiam quoad materiam: valuæ templi ex ligno abieris erant;postes autem ex ligno oliuæ:in valuis autem oraculi omnia erant ex lignis oliuarũ.

Altrinsecùs, & vtrunque ostium duplex erat,& se inuicem tenens aperiebatur.] Iuxta Hebræum habetur: *Duæ costæ valuæ vnius rotundæ, & duæ cælaturæ valuæ secundæ rotundæ.* Costæ transuersæ sunt in corpore animalis: & ad costarum instar duo distinctiua in superficie ostij æquidistantia appellantur duæ costæ,inter quas,& summum,ac infimum ostij,tria vacua intercipiuntur, quæ non quadra, sed rotunda describuntur:quia costæ ipsæ circulum constituebant: hoc enim modo etiam hodie videmus Principum ostia fieri:costis tamen quadrangulis. In tribus circulis inter duas costas in singulis ostiis erant cælaturæ variæ. Et ad declarandum breuiter similia fuisse ambo ostia, dicitur in litera,quòd cælaturæ secundi erant rotundæ: costæ enim rotundæ cum cælaturis communes significantur vtrique valuæ.

Vers. 35. *Et sculpsit Cherubim, & palmas, & cælaturas valdè eminentes: operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.*] Lege,vt suprà.

Vers. 36. *Et cælauit Cherubim, & palmas, & apertiones geminarum:& vestiet auro directo super cauatum.*] Narrantur figuræ cælatæ in illis rotunditatibus: & declaratur operimentum auri directum fuisse ad penetrandum concauas partes, quæ ex incisionibus cauatæ fuerant.

Et ædificauit atrium.] Præter vestibulum templi superiùs descriptum, ædificatum est hoc atrium magnum,quod in Euangelijs appellatur, *templum*: in hunc enim locum ingrediebatur populus ad adorandum,&c.

Atrium templi in Euangelijs templum dicitur.

Interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri.] Legendum esset, *intrinsecùs tribus ordinibus dolatorum,& ordine excisarum cedrorum.* Intra siquidem atrium quatuor isti ordines describuntur: sed modus, quo dispositi erant, non scribitur. Et quidem,si planum erat atrium, facile est intelligere hos, quatuor ordines fuisse tanquàm ordines subselliorum hinc & inde:tres quidem pro populo, quartum autem pro Optimatibus ex lignis cedri. Veruntamen quicquid de hac dispositione dixerem, diuinando loquerer.

In anno quarto.] regni Salomonis. Vers. 37.

Fundata est domus Domini in mense Ziu.] hoc est,in mense secundo anni, qui est Sole existente in Tauro. Ziu, *quis mensis.*

Et in anno vndecimo.] regni Salomonis. Vers. 38.

In mense Bul,ipse est mensis octauus.] in ordine mensium anni, inchoando annum à mense lunæ primùm impletæ à Sole in Ariete:menses enim lunares supputant Hebræi. Bul, *quis mensis.*

Perfecta est domus in omni opere suo.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *in omnibus rebus suis.* Et similiter subiungitur:

Et in omnibus regulis suis.] hoc est, secundùm vniuersas designationes suas.

Et ædificauit eam septem annis.]

CAPVT VII.

Vers. 1. DOMVM *autem suam.*] hoc est, domum habitationis propriæ.

Ædificauit Salomo tredecim annis:& complcuit totam domum suam.] Scriptum est hoc, ad manifestandum maius adhibitum fuisse studium ad ædificandum templum, quàm domum regiam: vt ab exemplo discant Principes,diuina ædificia maiori ædificandi sollicitudine & diligentia,quàm propria. *Quanta diligentia debeant Principes ædificare templa.*

Vers. 2. *Ædificauit quoque domum saltus Libani.*] Altera est hæc domus appellata *domus sylua*,non cuiuscunque,sed Libani,eò quòd in hac domo erat quasi sylua ad instar Libani: erat enim hæc domus tanquàm sylуestris.

Centum cubitorum longitudinis,& quinquaginta cubitorum latitudinis,& triginta cubitorum altitudinis.] Quantitas domus habitationis regiæ tacita est: quantitas verò istius domus sylуestris scribitur:

Et quatuor deambulatoria inter columnas cedrinas.] Iuxta Hebræum habetur, *super quatuor ordines columnarum cedrinarum.* Nihil dicitur de deambulatoriis: sed quatuor describuntur ordines columnarum,non ex marmore, sed ex ligno cedri, super quas ædificata erat domus. Et hinc habetur, quòd vniuersa hæc domus lignea erat; vtpote ædificata super columnas ligneas. Numerus autem harum columnarum per quatuor ordines secundùm longitudinem domus distributarum,non est scriptus.

Ligna quippe cedrina exciderat in columnas.] Iuxta Hebræum habetur,*& excisa cedrorum super columnas.* Tectum immediatè super columnas describitur ex dolatis lignis cedrinis.

Vers. 3. *Et tabulatis cedrinis vestiuit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et contignatio cedrina desuper super costas,quæ super columnas quadraginta,& quinque,quindecim ordine.* Supremum rectum describitur simul cum media contignatione: tres enim contignationes(supputato recto supremo) domus hæc habebat:& de supremo recto scribitur: *Et contignatio cedrina desuper.* modus autem simul cum media contignatione scribitur dicendo: *Super costas,quæ super columnas quadraginta& quinque,quindecim singulo ordine.* costæ enim appellantur ligna secundùm latitudinem domus extensa:quemadmodum costæ secundùm transuersum sunt corporis animalis. Describitur itaque domus ista distincta, tam in media,quàm in suprema contignatione, in quatuor partes fortè æquales; *Costa in ædificijs,quid.*

æquales; videlicet, quòd quælibet pars erat lõgitudinis vigintiquinque cubitorum: totius enim domus longitudo erat centum cubitorum. Distinguebantur autem istæ quatuor partes tribus ordinibus columnarũ; ita quòd primus ordo columnarum secundũ latitudinem domus ex quindecim constãs columnis separabat primam partẽ à secũda: secundus autem ordo columnarum similis primo separabat secundam partem à tertia: tertius autem ordo columnarum separabat tertiam partẽ à quarta: & sic triplici ordine colũnarum, quorum quilibet cõtinebat quindecim columnas, distincta erat domus hæc. Super has autẽ columnas trabes positæ appellantur costę, quę super columnas quadragintaquinque (assignando quindecim colũnas cuilibet ordini) sitæ erãt. Vbi, prudens lector, aduerte, quòd istæ quadragintaquinque colũnæ non sunt illæ, quibus paulò ante scriptum est, quòd ædificauit domũ super quatuor ordines columnarũ: nam illarũ quatuor narrantur ordines absque numero columnarum; istarum verò tres narrãtur ordines cum numero columnarum cuiuslibet ordinis: & narratur dispositio earũ, quòd, videlicet, sustentabant costas: quod est dictu, erant dispositæ & ordinatæ secũdùm latitudinem domus. Et intellige similes ordines columnarum ad distinctiones partium etiã in suprema contignatione. Nec sis ita rudis, vt intelligas spatium de columna in columnam relictum vacuum, sed tabulis, loco parietis, plenũ: tota enim domus erat lignea, vt domus syluestris ex sylua duntaxat constaret: hanc enim magnificentiam effecit Salomon.

Columna hic enumerata, de quo ædificio intelligenda.

Spatium columnarum non erat vacuum.

Vers. 4. *Vnus autem ordo habebat columnas quindecim contra se inuicem positas.*

Vers. 5. *Et è regione se respicientes æquali spatio inter columnas: & super columnas quadrangulata ligna, in cunctis æqualia.*] Tota ista litera vsque ad descriptionem porticus, vnde irrepserit, nescio: nam Hebraicè immediatè post ordinem columnarum præscriptum subiungitur:

Et respectionum tres ordines.] hoc est, & fenestrarum tres ordines. Quod vt intelligas, aduerte, quòd domus ista secundùm altitudinem in tres distincta erat habitationes; infimã, mediam, & supremam: & propterea dictum est, quòd tres habebat contignationes, supputato supremo tecto: in qualibet autem harum partium erat vnus ordo fenestrarum: & propterea dicitur: Et fenestrarum tres ordines: videlicet, infimus, medius, & supremus. Distinctio autem harum habitationũ, etiamsi non insinuaretur ex antedictis, manifestè insinuatur per dispositionem fenestrarum infimarum, mediarum, & supremarum: oportet enim cointelligere ordinibus fenestrarum ordines habitaculorum. Deinde immediatè sequitur:

Domus hæc tres habebat contignationes.

Ordo fenestrarum.

Et fenestra ad fenestram.] hoc est, & fenestra respondens fenestræ: ita quòd supremi ordinis fenestra perpendiculariter sita erat supra fenestram medij ordinis: & similiter illa supra fenestrã infimi ordinis. Deinde immediatè sequitur:

Tribus vicibus.] hoc est, iste triplex ordo fenestrarum multarum in infima, & similiter multarũ in media, & similiter multarũ in suprema habitatione sic dispositarum, tribus vicibus multiplicabatur: verbi gratia, erant decem fenestræ in triplici ordine; hoc est, triginta fenestræ in prima parte longitudinis domus, & triginta aliæ similiter dispositæ in media parte longitudinis domus, & triginta in postrema parte longitudinis domus: sic enim tribus vicibus repetebatur triplex ordo fenestrarum; sic quòd fenestra esset supra fenestram. Et reuerà resultabat pulcher aspectus, & ædificatoriæ arti consonans. Deinde immediatè sequitur:

Et omnes portæ, & postes quadrati aspectus: & è regione aspectus ad aspectũ tribus vicibus.] Describitur vniuersa portarum aulicarum multitudo; tum quoad figuram earum, & positum quadrangularem; tum quoad situm, quia sitæ erant secũdum aspectum. Et ad qualitatem aspectus declarandam subiungitur, quòd aspiciebat vna porta contra aliam: hoc enim seruatur secundùm artẽ fabrilem. Tũ quoad numerum talis ordinis portarum, dicẽdo, *tribus vicibus*: super quodlibet pauimentum siquidem cuiuscunque contignationis erat iste ordo portarum, portæ è regione portæ secundùm lineam longitudinis. Et sic finitur narratio ædificij domus saltus Libani in seipsa: narratur autem consequenter illius atrium.

Portarum descriptio.

Vers. 6. *Et porticum columnarum fecit.*] Non scribitur, an porticus tegens ab imbre, an vestibulum sub diuo fuerit: longitudo siquidem cum latitudine duntaxat describitur, nulla mentione facta de altitudine. Et appellatur hoc atrium, atrium columnarum, ea ratione, quia erat atrium domus ædificatæ super columnas.

Quinquaginta cubitorum longitudinis.] vt atrium esset æquale latitudini domus.

Et triginta cubitorum latitudinis: & alterã porticum in facie maioris porticus.] Iuxta Hebr. habetur, *& porticus super facies eorum*. Situs describitur eiusdẽ atrij; videlicet, quòd sitũ erat in facie eorum; hoc est, in anteriori parte; hoc est, ad plagam orientalem, quæ erat facies domus colũnarũ.

Situs atrij descriptio.

Et columnas, & epistylia super columnas fecit.] Iuxta Hebr. habetur, *& columnæ, & trabes super facies eorũ*. More solito describit singulorum sitũ: ita quòd non solùm atrium ante faciẽ domus; sed & colũnæ, & trabes colligantes colũnas erãt ante domum. Et per hoc declarat, quòd atrium istud etiam erat ligneum, ex columnis ligneis, & trabibus colligantibus columnas: & in his subintelligitur paries ligneus claudens atrium.

Vers. 7. *Porticum quoque soly, in qua tribunal est, fecit.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et porticũ sedis, in qua iudicabit ibi, porticũ iudicij fecit*. Occasione descriptæ porticus domus syluestris, transit ad describendum porticum in domo regia, cuius in principio capituli meminerat, & describit porticum iudicij, in qua erat sedes Salomonis ad iudicandum populum: & per hoc describitur certus locus in domo regia, in qua Rex dicebat ius populo.

Et texit lignis cedrinis à pauimento vsque ad summitatem.] Iuxta Hebr. habetur: *Et contignatio cedrina à pauimento vsque ad pauimentum*. Sic iacet in Hebræo. Et appellat pauimentum, etiam tectum istius porticus, eò quòd tectum illud pauimentum esset superioris habitaculi: ad manifestandum, quòd super porticum istam erat habitaculum. Parietes itaque omnes ab imo vsque ad summum, crustati cedrinis lignis describuntur; ita quòd erat etiam desuper habitatio. Et hũc esse literalẽ sensum, ex eo patet, quòd secundùm hoc opificiũ cõstructa subiũgũtur multa ędificia.

Vers. 8. *Et domuncula, in qua sederetur ad iudicandũ, erat in media porticu simili opere.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et domus sua, in qua habitabit ibi, atrium aliud intrinsecus ad porticum, sicut opus istud fuit*. In eadem domo regia, in qua habitabat Salomon, aliud

atrium describitur simili opere factum: & erat situm intrinsecùs relatiuè ad porticum iudicij: ita quòd porticus iudicij erat foris respectiuè ad hoc atrium. quod erat internum atrium domus regiæ. Et neutrius tectum erat sub diuo; sed vtriusque tectum erat pauimentum alterius habitationis: vt sæpe videmus fieri in palatijs Principum.

Alterius atrij descriptio.

Domum quoque fecit filiæ Pharaonis, quam acceperat Selomo, secundum porticum hanc.] Tertia narratur domus profana ædificata à Salomone, opere simili opificio porticus prædictæ quoad ligna cedrina à pauimento vsque ad pauimentum.

Tertia domus profana Salomonis descriptio.

Vers. 9. *Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normã quandã, atque mensura, tã intrinsecùs, quam extrinsecus, serrati erant.*] Iuxta Hebr. habetur: *Omnia hæc lapides pretiosi secundum mensuras dolati, complanati planula intrinsecùs, & extrinsecùs.* Declarato enim opificio quoad ligna cedrina omnium istorum, (videlicet, porticus iudicij, atrij interni, domus regiæ, & domus filiæ Pharaonis,) declaratur materia eorundem quoad lapides parietum, videlicet, quòd erant lapides pretiosi dolati, ac complanati intùs, & extra.

Et à fundamento vsque ad summitatem parietum, & intrinsecùs vsque ad atrium maius.] Error est Scriptoris: legendum est, *& extrinsecùs vsque ad atrium grande.* sic enim habetur Hebraicè. Extenditur similis fabrica ad extrinseca; videlicet, atrium magnum, proculdubiò domus regiæ. Et dicèdo, *& extrinsecùs*, manifestat tertium atrium regiæ: ita quòd atrium iudicij erat situm in loco medio inter atrium internum, & atrium magnum, cuius qualitas inferiùs describetur.

Vers. 10. *Fundamenta autem erant lapides pretiosi, lapides magni: lapides decem cubitorum, & lapides octo cubitorum.*] Post descriptos lapides parietum, describuntur lapides fundamẽtorum valdè magni.

Vers. 11. *Et desuper.*] hoc est, in superficie fundamentorum.

Lapides pretiosi.] marmorei, seu porphyretici.

Æquales mensuræ scitè erant.] Iuxta Hebræum habetur. *secundum mensuras dolati.* nec dicitur, an æquales, an inæquales essent lapides.

Similitérque de cedro.] Iuxta Hebræum habetur, *& cedrus.* nam enim dictum est, quòd à pauimento in pauimentum erant ligna cedrina. Alicubi itaque superficies pauimentorum erant ex huiusmodi lapidibus ad mensuram stratis: alicubi verò ex lignis cedri, prout aulæ congruebat.

Vers. 12. *Et atrium maius rotundum.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et atrium grande in circuitu tres ordines dolatorum, & ordo dolatarum cedrorum.* Describitur extrinsecum atrium domus regiæ, quod appellatur atrium magnum: describitur autem circumcirca habere tres ordines lapidum dolatorum, & quartum dolatarum cedrorum.

Necnon & in atrio domus Domini interiori, & in porticu domus.] Iuxta Hebr. habetur, *& atrio domus Iehouah intrinsecùs, & porticui domus.* perinde ac si diceretur, tum atrio domus Iehouah, tum atrio domus regiæ: similia enim describuntur hæc duo atria quoad illos præmissos quatuor ordines. Et quod dicitur intrinsecùs, non refertur ad domum Domini, sed ad superficiem interiorem atrij: vt patet ex scriptis in capitulo præcedenti.

Vers. 13. *Misit quoque Rex Selomo, & tulit Chiram de Tyro.*] Narraturus ornamenta, & vasa ærea pro templo, prænarrat artificem.

Vers. 14. *Filius mulieris viduæ erat de Tribu Naphthali.*] Non referri ad mulierem, testatur Paralipomenon secundus cap. 2. vbi mater istius de Tribu Dan dicitur. Ex linea ergo paterna erat de Tribu Nephthalim. 2. Paralip.

Et pater eius erat vir Tyrius.] natus siquidem erat in ciuitate Tyri pater eius, & propterea Tyrius dicitur.

Faber ærarius, & plenus sapientia, & intelligentia, & scientia ad faciendum omne opus in ære: venitque ad Regem Selomonem, & fecit omne opus eius.

Vers. 15. *Et finxit duas columnas æreas: decem & octo cubitorum erat altitudo columnæ vnius.*] quoad stipitem columnæ: nam altitudo totius molis vnius columnæ triginta quinque erat cubitorum (vt Paralipomenon testatur) supputando etiam quantitatem basis, capitis, & coronæ.

Et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque.] Iuxta Hebræum habetur, *columnam secundam.* & à fortiori primam. Ambitus vniuscuiusque columnæ describitur duodecim cubitorum.

Vers. 16. *Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et duas coronas fecit ad dandum super capita columnarum.* Nota, prudens lector, super capita columnarum: & perpendes super columnas fuisse capita, quæ epistylia, & capitella vocari solent; & super capita fuisse coronas: sic enim huiusmodi ornamentum nominat Hebraïca litera: eò quòd, quemadmodum corona ornamentum est super caput hominis; ita hoc ornamentum erat super caput columnæ: & formam habebat coronæ.

Fusio aris.] subaudi, effecit coronas istas.

Quinque cubitorum erat altitudo coronæ vnius, & quinque cubitorum altitudo coronæ secundæ.] Quantitas secundùm longitudinem describitur æqualis vtriusque coronæ, videlicet, quinque cubitorum.

Vers. 17. *Et quasi in modum retis, & catenarum sibi inuicem miro opere contextarum: vtrumque capitellum columnarum fusile erat, septena verſsum retiacula in capitello vno, & septena retiacula in capitello altero.*] Vniuersa hæc, vnica clausula concluduntur iuxta Hebræum: *Retiacula opere retis, appendices opere catenarum coronis, quæ super capita columnarum: septem coronæ vni, & septem coronæ secundæ.* Corpus coronæ (non totum, sed quod erat supra ventrem coronæ) describitur constans ex septem zonis, quarum vna erat super aliam: & quælibet zona dilatata erat in partem superiorem similè reti: & appendicè partem inferiorem opere catenarum. Dixi, *similem reti:* quia dictio Hebraica non sonat præcisè rete, sed aliquid simile, quod communiter exprimimus per rete ob penuriam vocabulorum. Ex istis ergo septem zonis constituebatur, non vniuersum corpus coronæ; sed pars superior; vt subiuncta testantur. Erant ergo latæ non parùm zonæ istæ constituentes circumcirca corpus coronæ supra ventrem: sed omnes istæ zonæ erant simul fusæ, vnum constituẽtes coronæ corpus cum inferiori parte corporis coronæ: quæ infima pars (vt inferiùs subiungitur) circulus non paruæ latitudinis erat, paulatim ampliando surgens vsque ad zonam infimam inter dictas septem. Et hic largus circulus inferior coronæ pars, erat duorum cubitorum: vt in vltimo capite Regum

scribitur:

scribitur: & consequenter pars coronæ superior distincta in zonas septem cum malogranatis superpositis, erat trium cubitorum: nam tota coronæ altitudo erat quinque cubitorum.

Vers. 18. *Et perfecit columnas.*] Legendum est: *Et fecit columnas.* Hiram artifex.

Et duos ordines per circumitum retiaculorum singulorum.] Optimè interpretatus est hanc clausulam, Hebraice minùs claram, *& duos ordines in circumitu super retiaculum vnum.* Intelligitur enim super retiaculum singulum. Et est sermo de duobus ordinibus malogranatorum inferiùs explicandorum. Et quoniam in libro Paralipomenon malogranata describuntur super catenas, hîc verò super retiacula; ad verificandum vtrunque intelligendi sunt duo isti ordines super singulas zonas: ita quòd vnus ordo erat super retiaculum, & alter ordo erat super appendicem catenam. Et si consideraueris, quòd septem erant zonæ, summabis quatuordecim ordines malogranatorum, cuilibet zonæ assignando duos ordines, vt hæc sonat litera:

Colũnarum descriptio.

Vt tegerent capitella, quæ erant super summitatem malogranatorum.] Iuxta Hebræum habetur, *ad tegendum coronas, quæ super caput malogranatorum.* Et est pars inchoatæ sententiæ: est enim ordo literæ, & duos ordines malogranatorum in circumitu super retiaculum vnum ad tegendum coronas, quæ super caput. Quia dixerat super retiaculum vnum, declarat modum, quo superponebatur retiaculo malogranatum; videlicet, tegendo corpus coronæ, quæ erat super caput columnæ. Describitur itaque corpus coronæ contextum opere fusili ex septem zonis prædictis: ornatum autem per singulas zonas duobus ordinibus malogranatorum, quorum alter tegebat retiaculum, alter appendicem catenam: erant enim malogranata adiecta coronæ, & distributa per eam circuncirca, tanquàm vniones in coronis Principum.

Et sic fecit corona secunda.

Vers. 19. *Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilij fabricata erant in porticu, quatuor cubitorum.*] Iuxta Heb. habetur: *Et corona, quæ super caput columnarum, opus lilij in porticum, quatuor brachiorum.* Descripto corpore coronæ cum illius ornamento, describitur priùs infimum coronæ, & deinde supremum: ex imo itaque coronæ egrediebantur in atrium quatuor cubiti foliorum lilij circuncirca. Et describuntur hæc folia lilij in atrium, eò quòd extendebantur non super colũnam, nec super coronã; sed occupando spatium atrij in aëre. Intellige tamen folia hæc per modum foliorũ lilij, & non per lineam rectam extendi: ita quòd quodlibet folium erat quatuor cubitorum, quanuis non occuparet spatium quatuor cubitorũ secundùm rectã lineam: flexa enim sunt liliorum folia. Vbi vides, quàm pulchrũ erat ornamentũ coronæ ab imo. Deinde describitur ornamentum coronæ in sui supremo.

Vers. 20. *Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper, iuxta mensuram columnæ contra retiacula.*] Iuxta Heb. habetur: *Et corona super duas columnas etiam desuper è regione ventris, quod erat trans retiaculum.* Sic iacet in Hebræo. Ex qua litera insinuatur figura corporis coronæ, quòd, videlicet, habebat ventrem: ac per hoc corpus ipsius coronæ surgebat ab imo cum quadam ampliatione vsque ad tertium coronæ cubitum exclusiuè: ita quod aliquantulum ventris in ascensu coronæ secundùm altitudinẽ resultabat: & pars superior consequenter restringebatur vsque ad summum cum debita proportione. Verùm inter summum, & imum, disparitas erat: quia imum erat amplũ, aliquantulùm tamen strictius quàm venter: alioquin imum non fuisset coronæ simile: summum autem arctũ fuisse, tum similitudo coronæ clausæ superiùs, tum' litera hæc testatur, narrans, quòd corona in summo etiam habebat opus lilij, (hoc est, ex summo egrediebatur lilium,) cuius folia expandebantur è regione ventris: nisi enim tanquàm conus fuisset summitas coronæ, non scriberetur expansio lilij egrediẽtis ex summitate extensa suprà è regione ventris; hoc est, respiciendo ad æqualitatem ventris ipsius coronæ: notabilis enim disparitas per hoc insinuatur. Et erat pulchra expansio lilij perpendiculatiter suprà è regione vẽtris: hoc est, quòd linea recta perpendiculariter duci potuisset ab extremo folij lilij ad extremitatem ventris. Ordo autem literæ est: Et coronæ duę super duas columnas etiam desuper. subaudi, opus lilij habebant, è regionem ventris, proculdubiò coronæ. Relatiuum autem subiunctum (videlicet, quod trans retiaculum) refert desuper: & est sensus, in illo desuper, quod est trans retiaculum, habebant opus lilij è regione ventris coronæ: sũmitas enim coronæ erat trans retiaculum omne: conus siquidem coronæ supra septimum, ac supremum retiaculum erat.

Malogranatorum autem ducenti ordines erant in circumitu capitelli secundi.] Iuxta Heb. habetur, *& malogranatorum ducentorum ordines in circumitu super coronam secundam.* Priùs dixerat duos ordines malogranatorum in qualibet zona; sed non dixerat numerum eorum: & propterea modò explicat numerum malogranatorum, dicẽdo, quòd ordines vniuersi in secũda corona habebant ducenta malogranata: vt per hoc intelligeremus æqualem malogranatorum numerum in ordinibus primæ coronæ: quadringẽta enim fuisse malogranata, inferiùs scribitur: ducenta igitur malogranata in qualibet corona per quatuordecim ordines distributa erant. Nec est rationi consentaneum, vt par esset numerus malogranatorum in singulis ordinibus: quia ordines ipsi nõ erant inter se pares: proportionaliter itaque distributa intellige ducẽta malogranata in dictos quatuordecim ordines. Ex litera ergo Hebraïcę veritatis collige pulchram coronam quinque cubitorum secundùm longitudinem habentẽ corpus in imo amplum; sed consurgens quantitate duorum cubitorum ampliando in ventrẽ, & supra ventrem cubitis tribus proportionaliter restrictum vsque ad conum. Contextum autem erat corpus totum opere fusili: sed ima illius pars tanquàm lamina quædam circularis surgens in ventrem erat: superior autem pars ex septẽ zonis à ventrę vsque ad summum, qualibet zona distincta in duas partes; quarum superior similis reti; appendix verò similis catenæ erat. Et cuiuslibet zonæ vtraque pars tegebatur proprio ordine malogranatorum: & ex infimo coronę prodibant folia lilij circuncirca quatuor cubitorũ: ex cono autem prodibat lilium circũcirca expãsis foliis è regione ventris.

Numerus malogranatorum qualis.

Vers. 21. *Et erexit duas columnas in porticu templi: erexitq; colũnam dexterã, & vocauit nomen eius Iachin.*] Dictio est Hebraïca significans, *faciet dirigere*: nominauit siquidem coronatam columnam dextram à directione imperatiua, seu (quod idem est) imperio directiuo.

Et

Et erexit columnam sinistram, & vocauit nomen eius Boham.] Hebraica similiter est dictio, interpretata, *in ipso fortitudo.* nominauit siquidem columnam alteram à fortitudine, executiua: vt siue ad Deum (ante cuius templum stitæ sunt columnæ) referamus, siue ad Regem, seu regnum, intelligamus, hæc duo summo honore digna, & verè coronanda: videlicet, imperium directiuum (nõ, quia sic volo, sic iubeo) & fortitudinem executiuam directorum. Hæc enim duo beneficia diuina apparebãt, tũ in diuina gubernatione Israëlis, tũ in Rege Dauide, & ipsius regno: & sũmè necessaria cuilibet Regi, & regno declarabãtur per has colũnas coronatas, talibus nominibus insignitas.

Imperiũ directiuum, & fortitudo executiua directorũ, duo ista verè coronãda.

Vers. 22. *Et super caput columnarum opus in modum lilij.*] Hactenus descriptum est opificium coronæ, quæ erat super caput columnæ, modo describitur opificium ipsius capitis, super quod erat corona: & dicitur, quòd erat opus lilij: liliatum itaque fusum est caput vtriusque columnæ.

Perfectúmque est opus columnarum.

Vers. 23. *Fecitq; mare fusile.*] Descriptis columnis describuntur consequenter vasa opportuna ad cultum templi: & inchoat à maximo vase aquæ pro ablutione Sacerdotum, quod ob suam magnitudinem appellatur, *mare*, opere fusili factum.

Maris fusilis descriptio.

Decem cubitorum à labio vsque ad labium.] hoc est, diametraliter.

Rotundum in circuitu.] Ecce figura maris.

Et quinque cubitorum altitudo eius, & filum triginta cubitorum ambiebat illud per circuitum.] Quantitas circunferentiæ describitur proportionata secundùm artem; videlicet, circunferentia tripla ad diametrum.

Vers. 24. *Et sculptura subter labium circumibat illud, decem cubitis ambiens mare.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et calatura subter ad oram eius in circuitu, circundantes ipsum decem cubitis.* Et est ordo literæ: Et ad oram eius subter in circuitu (hoc est, in infima parte maris in circuitu) cælaturæ ambientes ipsum decem cubitis. Duo siquidem simul narrantur: & quòd ambitus infimæ oræ erat decem cubitorũ in circuitu; & quòd ambitus ille ornatus erat cælaturis. Intellige tamẽ cælaturas simul fusas in ipsa superficie vasis: non enim propriè vocãtur cælaturæ, sed similes cælaturis erãt. Deinde immediatè apud Heb. sequitur.

Ambientes mare in circuitu, duo ordines calaturarum fusarum in fusione eius.] Descripserat in infimo cælaturas: describit modò non solùm in infimo, sed etiam duos ordines huiusmodi cælaturarũ, quos intelligo præter antedictum in imo.

Vers. 25. *Et stabat super duodecim boues, è quibus tres respiciebant ad Aquilonẽ, & tres ad Occidentẽ, & tres ad Meridiẽ, & tres ad Orientẽ: & mare super eos desuper erat, & omnia posteriora eorũ intrinsecùs erant.*] Descriptio istorum boum est valdè clara.

Vers. 26. *Grossitudo autem luteris trium vnciarum erat.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et grossitudo eius latitudo palmi.* hanc enim quantitatem aiunt propriè significari Hebraicè.

Et labium eius quasi opus labij calicis, & folium repandi lilij.] Hebraice habetur, *flos lilij.* quanuis non desint dicentes significari florem rosæ, & hic, & superiùs. Liliatum itaque labium describitur, tanquam labium poculi.

Duo millia batheorum capiebat.] Nomen mensuræ cuiusdam scribitur, cuius quantitatem ignotam credimus nobis. Quod autem subditur:

Et tria millia metretas.] non habetur in Hebraico: sed adiunctum est à cupiente concordare dissonantiam apparentem inter hanc literam, & quartum capitulum secundi Paralipomenon, vbi tria millia metretarum scribuntur. Sed de hac dissonantia ibidem erit sermo. 2. Paral. 4.

Et fecit bases decem aneas.] Bases concharum intellige: subiunguntur enim decem conchæ, ad quas sustentandas, ac vehendas factæ sunt istæ decem bases. Vers. 27.

Quatuor cubitorum erat longitudo basis vnius, & quatuor cubitorum latitudo eius, & trium cubitorum altitudo eius.] Clarè describitur quantitas cuiusque basis.

Et ipsum opus basium interrasile erat.] Iuxta Hebræum habetur: *Et hoc opus basis.* Narrandum opificium basis cuiusque demonstratur per pronomen, *hoc*: statimque subiungitur: Vers. 28.

Clausura ipsis.] Primum, quod narratur, est clausura, continens quinque tabulas æreas; videlicet, quadratam, quæ coniungebat tabulam superiorem cum quatuor tabulis per quatuor latera altitudinis trium cubitorum à terra: constructebatur enim basis ex quinque tabulis æreis, quarum vnica, tanquàm stratum, erat quantitatis quatuor cubitorum, tam secundùm longitudinem, quàm secundùm latitudinem: reliquæ verò quatuor sustinentes istam erant quadrangulæ: nam quælibet erat quatuor cubitorum secundùm longitudinem, & trium cubitorum secundùm latitudinem: quia altitudo basis à terra, trium duntaxat cubitorum erat. Oportebat autem coniungere has quatuor tabulas quintæ, quæ erat quasi stratum basis: & propterea primum, quod narratur, est clausura, dicendo: *Clausuræ ipsis*, scilicet, tabulis. Et statim subditur:

Clausura cur primùm describitur.

Et clausuræ inter iunctũras.] Vbi aduerte duo: alterum, quòd omittemus hîc vulgatam editionem propter dissonantiam ab Hebraico textu: alterum, quòd non propriè significantur iunctuæ, sed excauationes in ipsis extremitatibus tabularum, quibus extremitatibus se inuicem tangebant: veruntamen excauationes has intellige per modum canalium quadrangulorum, secundùm totam longitudinem extremitatum sese tangentium. Nec canales isti erant aperti desuper, sed inuersi: ita quòd vniuscuiusque tabulæ canalis apertus erat versùs latitudinem ipsius tabulæ: & fundum canalis contra fundum canalis tabulæ coniunctæ erat: ita quòd tabulæ coniunctæ tangebant se inuicem in superficiebus externis fundorum canalium. Clausura autem quælibet ad continendum huiusmodi canales simul, commensurata erat vtrique canali: & propterea erat vna tabella ærea quadrangularis, longitudinis quatuor cubitorum; latitudinis verò fortè medij cubiti, sed grossitudinis necessariæ ad firmitatem, & concauitatem: erat enim concaua secundùm totam longitudinem: & erat secundùm tres superficies integra; videlicet, secundùm superficiem latitudinis superiorem, & secundùm superficies duas hinc, & inde grossitudinis: secundùm autem superficiem infimam non erat integra, sed in medio latitudinis aperta secundùm totam longitudinem. Dico autem, *in medio latitudinis*: quia illius infimæ superficiei hinc & inde partes erant integræ, sed in medio tantùm illius erat hæc diuisio: ita quòd tabella hæc concaua sic aperta per totam longitudinem in medio superficiei infimæ, apponebatur à capite longitudinis, sic quòd illius apertio implebatur fundis inuersorum

Duo hic notanda de clausuris interiuncturas, quarum figura describuntur.

uerſorum canalium ſe contingentiũ, & concauitas ipſius implebatur lateribus ſupremis canaliũ inuerſorum : & particulæ illæ duæ infimæ ſuperficiei ipſius, inter duas mediat apertura, replebant vacuitates amborum canalium inuerſorum : ſic enim protenſa tabella hæc, ſecundùm totam longitudinem comprehendens canalia tabularum inuerſa, claudebat, & firmiter colligabat duas tabulas ſimul abſque clauis, abſque vectibus, & quibuſcunque aliis vinculis : & propterea in litera deſcribuntur clauſuræ ipſis tabulis, & quòd clauſuræ erant inter excauationes. Sic enim omnia verificantur, & quadrant arti, & ſubiunctis : vt patebit, & ad ſenſum demonſtrat figura clauſuræ. Sequitur:

Verſ. 29. *Et ſuper clauſuras, quæ inter excauationes, leones, bones, & Cherubim.*] Cælaturæ in ſuperficie clauſuræ ſuprema deſcribuntur.

Et ſuper excauationes baſis deſuper, & ſubter leones, & bones.] Vel ſuperficies eiuſdem clauſuræ hinc, & inde appellantur *ſuper*, & *ſubter* relatiuè ad excauationes baſis, & earum cælaturæ deſcribuntur : vel partes tabularum propinquæ clauſuræ appellantur *ſuper*, & *ſubter* reſpectiuè ad excauationes baſis, & deſcribuntur cælaturæ earum, vt partes propinquæ, tam in tabula ſuperiore, quàm in tabula pendente, aſſimilarentur cælaturis clauſuræ.

Opificium coniunctionis tabularum declaratur. *Copulationes opere extenſionis.*] Quale fuerit opificium coniunctionis tabularum, declaratur dicendo, quòd copulationes earum erant opere extenſionis, tam tabella ſiquidem claudens copulando tabulas, quàm excauationes per modum canalium erant factę per modum extenſionis, & protendendo clauſuram inter canalia copulabantur tabulę. Et opus ergo, & vſus copulationis erat ſecundùm extenſionem.

Verſ. 30. *Et quatuor rota æreæ baſi vni.*] Narrata clauſura tabularum per modum extenſionis narrantur rotę quatuor cuiuſque baſis : & intellige rotas iſtas ſub, & intra baſim.

Et tabula æreæ.] Materia deſcribitur tabularum quatuor ſecundùm altitudinem à terra.

Et quatuor anguli eius humeri ipſis ſub concha.] Deſcribuntur conſequenter anguli ſupremę tabulę quadratę, quę erat quaſi ſtratum : & dicitur, quòd erant ſic diſpoſiti, quòd humeros habebant ſub concha ; hoc eſt, ex quolibet angulo prodibat ęreus humerus versùs ſuſtentandam concham humeris imponendam.

Humeri fuſi à latere cuiuſque copulati.] Et eſt ordo literę, humeri fuſi copulati à latere cuiuſque : quod eſt dictu, humeri erant ſic fuſi, quòd erant ſibiinuicem lateraliter coniuncti, quiſque cum illo, qui erat ad latus eius : hoc eſt, quòd in extremitatibus, in quibus ſuſcepturi erant concham, erant non contigui, ſed continui : huiuſmodi enim continuatio ſignificatur dicendo, quòd humeri per fuſionem erant copulati quiſque ad collateralem.

Verſ. 31. *Et os eius intra coronam, & ſuperius in cubito.*] *Corona quid hic appellatur.* Summitas continua quatuor humerorum collateraliter continuatorum in ſupremis extremitatibus appellatur corona, intra quam contineri deſcribitur vas ęreum, vacuum, apertũ ſuperiùs, habens pro fundo ipſam tabulam baſis : & hoc vas appellatur os baſis, quia erat tanquàm baſis os ad recipiendum conchę fundum. Deſcribitur itaque vaſculum iſtud, primùm à nomine appellando illud, os eius : erat enim tanquàm os receptiuum fundi conchę : ſecundò, quoad locum, quòd erat intra coronam : tertiò, à quantitate altitudinis ſupra tabulam baſis, dicendo, quòd os iſtud erat altitudinis vnius cubiti. Ergo à menſa baſis ſummitas humerorum non eleuabatur plus cubito. *Os baſis, quid.*

Et os eius rotundum.] Quartò deſcribitur idem os à figura : quòd videlicet erat figuræ rotundæ. *Eius figura.*

Opere baſis cubiti, & dimidij cubiti.] Quintò, diameter oris iſtius deſcribitur vnius cubiti, & dimidij : & ne putaretur, quòd malleis os iſtud factum eſſet, inſeritur, quòd factum erat eodem opere (videlicet, fuſione) quo facta eſt baſis.

Et etiam ſuper os eius cælaturæ.] Sexta conditio iſtius oris deſcribitur, quòd erat cælatum. Intellige tamen cælaturam fuſam : tota ſuperficies enim exterior iſtius oris rotundi altitudinis vnius cubiti, & diametri vnius cubiti, & dimidij, cælaturis ornata erat.

Et clauſuræ earum quadratæ non rotundæ.] Deſcripſerat ſuperiùs clauſuras baſis, ſed non deſcripſerat figuram eius, deſcribit modò figuras earum : quòd, videlicet, non erant rotundæ, ſed quadratæ ; hoc eſt, quadrangulæ. Iunge prudens lector, hanc figuram clauſuræ cum antedicta altera conditione clauſuræ, videlicet, quòd erat opus extenſum : & percipies, rectè fuiſſe declaratas clauſuras iſtas. *Clauſura baſis cuius figura.*

Verſ. 32. *Et quatuor rotæ ſub clauſuris.*] Loca ſupradictarum rotarum deſcribũtur ; videlicet, ſub clauſuris : erant enim rotæ iunctæ tabulis lateralibus in infima parte tabularum.

Axes rotarũ per quid ſignifi cẽtur. & quales erant. *Et loca rotarum in baſi.*] Dictio Hebraïca ſonat *loca*, vel *manus* : ſed quoduis intelligas, ſignificantur axes, ſuper quos rotæ voluebantur. Cuiuſlibet enim rotæ proprius axis erat in interiori parte tabulæ infixus, qui replebat foramen rotæ : nec opus erat longo axe communi multis rotis : ſed appoſita rota axi in tabula exiſtenti retinebatur rota, ne ex axe exiret cuneo æreo immiſſo in extremam partem axis groſſitudinem perforatæ rotellę ſuperantem : ſic enim rotarum loca ſaluantur in ipſa baſi facillimè. Infixum autem tabulę axem intellige, non per affixionem, ſed per ipſam fuſionem : erant enim groſſitudinis non modicæ tabulę, & fuſę erant ſimul cum iſtis axibus in parte interiori.

Et altitudo rota ſingula vnius cubiti, & dimidij cubiti.] Diameter rotę à conuexa ſuperficie vſque ad conuexam ſuperficiem, quantitatis erat vnius cubiti, & dimidij : ac per hoc ſuperetat altitudinis tabulę vnus cubitus cum dimidio : trium enim cubitorum altitudo erat altitudo tabulę lateralis, & ſpatium inter duas rotas iunctas vni, & eidem tabulę remanebat vnius cubiti : quia quatuor cubitorum erat longitudo tabulę.

Verſ. 33. *Et opus rotarum ſicut opus rotæ currus.*] Ne intelligeretur, rotas iſtas fuiſſe, ſicut rotas lecticarum ductilium (quę ex vno continuo corpore conſtant) declarat eas fuiſſe, ſicut rotas currium, quę plures habent interciſiones. *Rotarum figura.*

Et loca earum, & corpora earum, & rotellæ earum, & ligamina earum omne fuſum.] Ne putares malleo fabricatas rotas, declarat, quòd ipſę ſecundùm omnia earum erant fuſę. Quatuor autem enumeratorum, ligamina ſunt, qui radij vocantur à rotella ad circunferentiam rotę, & ligant circunferentiam rotę cum rotella in centro : rotellę verò ſunt ipſa quaſi centra rotarum perforata, quæ immediatè iunguntur axi : corpora autem *Rotæ erant fuſæ.*

autem ipſarum rotarũ pars ſuprema,quæ circũferentia dicitur:loca demũ, vel ipſa foramina,per quæ trãſit axis,vel axes ipſi antedicti intelligũtur: de vniuerſo enim verificatur,quòd fuſum erat.

Verſ.34. *Et quatuor humeri ad quatuor angulos baſis vnius,à baſi humeri eius.*] Declaratur modus, quo humeri hærebant angulis baſis: videlicet, quòd egrediebantur ab ipſa baſi: hoc eſt, quòd erant ſimul fuſi cũ ipſa tabula baſis,tanquã egredientes ex medio eius,& protenſi vſque ad angulos baſis.

Verſ.35. *Et in ſummitate baſis,dimidij cubiti altitudo rotunda in circumitu.*] Summitatem baſis appellat terminum altitudinis quatuor humerorum ſuper baſim,quæ altitudo vnius cubiti erat, vt ſupradicta teſtantur. Super itaque altitudinem humerorum, & oris baſis, deſcribitur altitudo amplior medij cubiti rotunda in circumitu. De qua altitudine rotunda ſubiungitur:

Et ſuper ſummitatem baſis loca eius,& clauſura eius ex ipſa.] Tria deſcribuntur de hac altitudine: vltimò modus, quo iungebatur baſi: videlicet, quòd egrediebatur ab ipſa baſi:ita quòd non erat clauis,aut glutino colligata baſi: ſed erat fuſa ſimul cum baſi: tanquam egrediens ex ſummitate humerorum.Et duo priùs ſcribuntur iſtius altitudinis officia:alterum loci,alterum clauſuræ: tendebat enim altitudo hæc in quandam amplitudinem rotundam in circumitu,ad hoc,vt eſſet proprius locus,in quo reciperetur fundum conchæ. Et quia erat adæquatè commenſurata fundo conchæ,ideò officium claudendi exercebat: vtpote abſque vacuitate aliqua intercepta fundum conchæ circuncirca ambiens.

Verſ. 36. *Et cælauit ſuper tabulas loca earum, & ſuper clauſuras earum Cherubim,leones,& palmas: ſicut applicationem cuiuſque,& copulationes in circũitu.*] Ne confuſio,error,difficultáſve eſſet componendo baſim ex eo, quòd neſciretur locus proprius cuiuſque tabulæ, & ſimiliter locus proprius cuiuſque clauſuræ;prouidit artifex cælaturas fuſas, tam in tabulis, quàm in clauſuris circuncirca tales, & ſic, vt indicarent loca propria,& tabularum,& clauſurarum. Verbi gratia, in tabula pendenti erat palma, & in clauſura cor reſpondente erat palma,& ſic deinceps: vel media palma erat in vna,& media in alia correſpondente:& ſic de Cherubinis & leonibus: ſimilibus enim modis ipſæmet tabulæ,& clauſuræ monſtrabant ex ſuis cælaturis propria loca in circumitu baſis. Et ſic finitur opus baſis:cuius figura ſenſibilis eſt hæc. Redeamus ad textum vulgatæ editionis.

Verſ. 37. *In hunc modum fecit decem baſes: fuſura vna, menſura vna,inciſio vna erat omnibus ipſis.*] Similes omnes decem baſes deſcribuntur.

Verſ.38. *Fecit quoque decem luteres æneos.*] Iuxta Heb. habetur: *Et fecit decem conchas æreas.* ſuperponendas baſibus pro aqua ablutionis victimarum.

Quadraginta bathos capiebat concha vna,erat q; quatuor cubitorum.] diameter conchæ.

Verſ.39. *Concha vna erat ſuper vnamquamque decem baſium. Et poſuit baſes quinque ad dexteram partem domus, & quinque ad ſiniſtram.*] non intra templum, ſed extra: & ſimiliter intellige de mari.

Et mare poſuit ad dexteram partem domus contra Orientem ad Meridiem.] Hebraicè habetur, *ad Orientem contra Meridiem:* hoc eſt,in humero dextro templi ad Orientem è regione Meridiei. Non erat mare in facie templi; ſed in humero; hoc eſt, ad latus templi meridionale, ex parte orientis: conchæ autem quinque erant in latere meridionali,& quinque in latere ſeptentrionali.

Fecit ergo Chiram.] Summarium recenſetur eorum,quæ fecit Hiram. Verſ.40

Lebetes.] Iuxta Hebræum habetur, *conchas.* Quod autem ſequitur:

Et ſcutras.] Hebraicè habetur, *& ſcopas.* Et ſimiliter quod ſequitur:

Et amulas.] Hebraicè habetur, *& malluuia.* Vaſa ſunt nota: ſcopæ autem æreæ neceſſariæ erant ad purgandum vaſa ærea.

Et complenit Chiram omne opus,quod fecit Regi Selomoni pro domo Domini.

Columnas duas, & funiculos capitellorum ſuper capita columnarum duos:& retiacula duo,vt operirent duos funiculos,qui erant ſuper capita columnarum.] Iuxta Hebr. habetur: *Et rotunda coronarum, quæ ſuper capita columnarum duarum: & retiacula duo ad tegendum duo rotunda coronarum, quæ ſuper capita columnarum.* Hoc rotundum non fuit narratum ſuperiùs deſcribendo coronam;ſed modò narratur. Et quia dicitur,quòd retiacula erant ad tegendum hæc rotunda coronarum, manifeſtatur,quòd hæc rotunda erant infimæ partes coronarum; retiacula autem erant ſuperiores partes coronarum.Erant itaque hæc rotunda, tanquàm circuli lati coronarum in imo earum:ſic enim fabrefactas videmus coronas,ima enim pars coronæ, quidam circulus latus eſt. Et tu,prudens lector, iunge hoc cum ſuprаſcriptis in litera, vt componas integrè corpus coronæ. Verſ.41.

Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis.] Ecce numerus malogranatorum omnium. Verſ.42.

Duos verſus malogranatorũ in retiaculis ſingulis.] Iuxta Heb.habetur: *Duos ordines malogranatorum ſuper retiaculum vnum.*]quod ſuperiùs expoſitum eſt.

Ad operiendos funiculos capitellorum, quæ erant ſuper capita columnarum.] Legendum eſt,*ad operiendum duo rotunda coronarum, quæ ſuper facies columnarum.* Nonnihil ſignificantur coronæ habuiſſe in parte anteriori columnarum(qua,videlicet,aſpiciebant populum,hoc eſt, versùs orientem)ex hoc, quòd fit ſpecialis mentio facierum columnarum. Crediderim ego diſpoſitionem ſignificari coronarum ſuper capita columnarum, vt viderentur ſecundùm partem anteriorem columnæ poſitæ: tanquàm corona poſita ſuper caput hominis, diſponitur ex parte faciei hominis. Facies columnarum,quæ

Et baſes decem: & luteres decem ſuper baſes.] Iam dictum eſt, Hebraïcè loco luteres haberi conchas. Verſ. 43.

Et mare vnum, & boues duodecim ſubter mare. Verſ.44.

Et lebetes, & ſcutras, & amulas.] Hebraïcè habetur,*& ſcopas,& malluuia,*vt ſuprà Verſ.45.

Et omnia vaſa hæc, quæ fecit Chiram Regi Selomoni pro domo Domini, de aurichalco erant.] Iuxta Hebræum habetur, *ex ære terſo.* nec aliud ſcribitur pro materia iſtorum vaſorum.

In planitie Iarden fudit ea Rex in argilloſa terra, inter Succhoth, & Zarthan.] Ideò attribuitur hoc Regi, quia Rex locum fuſionis elegit. Verſ. 46.

Et poſuit Salomon omnia vaſa in domo Domini: propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omiſit Selomo omnia vaſa ex multitudine valdè valdè: non fuit quæſitum pondus æris.* Omiſſio ponderationis vaſorum deſcribitur cum illius ratione. Verſ.47.

Fecit

Fecit quoque Salomo omnia vasa, quæ erant domus Domini.] Descriptis æreis describuntur aurea vasa, intelligendo per vasa omnia opportuna ad cultum, quæ subiunguntur.

Quomodo altare thymiamatis erat aureum.

Altare aureum.] De altari thymiamatis est sermo: sed quæstio statim occurrit: quia superius dictum est in cap. 6. hoc altare ex ligno cedrino. Solutio est, quòd laminis aureis tectum erat: & propterea aureum dicitur.

Et mensam, super quam ponebantur panes propositionis.] Hebraicè habetur, *panes facierum, aurea.* quod alias expositum est.

Et candelabra quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram. Moses vnum tantùm candelabrum in tabernaculo fecit: Salomon autem decem.

Contra oraculum.] Hebraicè habetur, *ante oraculum.* hoc est, in prima parte templi, quæ appellatur sanctum.

Ex auro puro: & flores, & lucernas, & forcipes ex auro.

Vers. 50. Fuscinula. quid apud Hebræos.

Et hydrias, & fuscinulas.] Iuxta Hebræum dictio interpretata, *fuscinulas*, significat instrumentum, vel ad cantum, vel ad coquinam pertinens.

Et phialas, & mortariola, & thuribula.] Iuxta Hebræum habetur, *& malluuia, & cyathos, & palas ex auro puro.* Non tamen firmandos crediderim pedes super huiusmodi nominum interpretationes, propter varietatè Interpretum.

Et cardines ostiorum domus interioris Sanctis Sanctorum, & ostiorum domus templi, ex auro erãt.

Vers. 51. *Et perfectum est omne opus domus Domini, quod fecit Rex Salomo: intulitque Salomo, quæ sanctificauerat Dauid pater eius, argentum, & aurum, & vasa posuit in thesauris domus Domini.*] Religiosus filius dicata à patre Deo aurum, argentum, &c. in thesauris domus Dei, non in propriis, posuit.

CAPVT VIII.

Vers. 1. *TVnc congregati sunt seniores Israel, & omnia capita Tribuum Duces patrum filiorum Israel ad Regem Salomonem in Ierusalaim: vt ascendere facerent Arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid, ipsa est Zi-on.*

Vers. 2. Cur mensis septimus, mensis fortium vocatus apud Hebræos.

Conuenerúntque ad Regem Salomonem omnes viri Israel in mense Ethanim.] Iuxta Hebræum habetur, *in mense fortium.* Suspicor ideò mutuatum, *mensem fortium*, mensem septimum: quia fortes duntaxat resistunt ægritudinibus autumni, quæ septimo mense præcipuè nos vexant. A fortitudine itaque vitalis virtutis, mensis septimus apud Hebræos cognominatus est *mensis fortium*: tanquàm mense illo manifestetur huiusmodi fortitudo.

In sollemni die.] hoc est, in die decima mensis septimi: erat enim dies expiationis dies celeberrimus.

Ipse est mensis septimus.

Vers. 3. *Et venerunt omnes seniores Israel: tulerúntque Sacerdotes Arcam.*

Vers. 4. *Et ascendere fecerunt Arcam Domini, & tabernaculum fœderis.*] Iuxta Hebræum habetur, *& tentorium congregationis.* Tabernacula duo legimus: alterum constructum à Mose, quod Salomonis tempore erat in excelso Gabaon:

Duo Tabernacula.

alterum constructum à Dauide in Sion pro arca Dei. Et quia litera eodem vtitur cognomine *Tabernaculi*, quo sæpissimè in libris Mosis illud antiquum *Tabernaculum* describi solet (videlicet, *Tabernaculum adunationis*:) ideò illud Tabernaculum describitur portatum in ista dedicatione templi. Et appellatione Tabernaculi intellige id, quod propriè appellatur à Mose Tabernaculum: videlicet, velum contextum, quod tabulis sustinebatur, & operiebatur velo ex pilis caprarum, & pellibus, &c. Illud itaque velum, quod Tabernaculum appellabatur, portatum à Sacerdotibus narratur: dedicando siquidem templum loco Tabernaculi facti à Mose, destructum narratur opificium Tabernaculi antiqui, ne essent duo loca diuini cultus: & pro honore dicatorum Deo à Moyse portauerunt Tabernaculum in thesauros templi.

Appellationes Tabernaculi, quid intelligendum.

Et omnia vasa Sanctuarij, quæ erant in tentorio: & ascendere fecerunt ea Sacerdotes, & Leuitæ.] Erant adhuc pro diuino cultu multa vasa apud Tabernaculum Mosis: nam & ibi erat antiquum altare æreum, & varia supellex pro victimis. Dauid siquidem ordinauerat ibidem diuinum cultum exolui: vt Paralipomenon testatur. Ad extinguendum itaque penitùs diuinum cultum alibi, quàm in templo facto à Salomone, delata sunt à Sacerdotibus omnia spectantia ad diuinum cultum, quæ erant in Tabernaculo Mosis, in ipsa tẽpli dedicatione.

Vers. 5. *Rex autem Salomo, & tota congregatio Israel, quæ conuenerat ad eum, gradiens cum eo ante Arcam, immolabant oues, & boues, quæ non numerabantur, nec recensebantur pra multitudine.*] Ad differentiam victimarum oblatarum tempore Dauidis, quando translata est Arca de domo Obed-edon in Siõ, scribitur, quæ non numerabantur, &c. nam tempore Dauidis sexto quoque passu legitur victima bouis, & ouis: hìc autem absque huiusmodi determinatione distantiæ, & numeri scribuntur oblatæ victimæ.

Vers. 6. *Et adduxerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini ad locum suum, ad oraculum domus, ad Sanctum Sanctorum, subter alas Cherubim.*] quos fecerat Salomon: nihil enim scribitur de Cherubinis paruulis factis à Mose.

Vers. 7. *Quia Cherubim expandebant alas ad locum Arcæ: & operiebant Cherubim, Arcam, & vectes eius desuper.*

Vers. 8. *Cúmque eminerent vectes, & apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant vltrà extrinsecus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecerunt elongare vectes, & fuerunt visa capita vectium ex Sanctuario ante Debir, & non videbantur foris.*] Sic iacet in Hebræo. Disparitas quoad apparentiam vectium in tabernaculo Mosis, & in templo Salomonis describitur: videlicet, quòd in tabernaculo Mosis capita vectium Arcæ videbantur ex Sanctuario ante Sanctum Sanctorum: in templo autem Salomonis videbatur ex Sanctuario ante Sanctum Sanctorum: quia elongati erant vectes à velo. Intellige hic prudenter duo. Alterum, quòd in tabernaculum Mosis videbantur quidem capita vectium ex Sanctuario: sed non nuda; sed operta velo diuidẽte inter Sanctum, & Sanctum Sanctorum: videbantur autem prominentia sub velo, sicut mulieris vbera sub veste: protendebantur enim aliquantulùm

Duo notanda de capitibus vectium Arcæ.

longiùs, quàm locus veli. Alterum, quòd in templo Salomonis duæ causæ concurrebant ad hoc vt capita vectium non viderentur ex Sanctuario: altera communis omnibus, quæ erant in Sancto Sanctorum: videlicet, interstitium ligneum inter Sanctum, & Sanctum Sanctorum: altera propria vectibus; quia, videlicet, elongati erant ab interstitio: ita quòd si etiam interstitium fuisset ex lino, non apparuissent capita vectium tumentia in ipso velo lineo existentibus foris in Sanctuario. Et hæc causa sola scribitur in litera: quia hæc est propria causa disparitatis, tenens se ex parte situs diuersi vectium in templo Salomonis, & in tabernaculo Mosis: quia locus Sancti Sanctorum in templo erat viginti cubitorum; in tabernaculo verò erat decem: & propterea vectes in templo erant elongati ab interstitio medio: in tabernaculo verò tangebant velum medium, tumorem faciendo. In litera ergo primum scribitur: videlicet, elongario vectium ab interstitio: & statim subiungitur, quid ex non elongatione vectium emergebat in tabernaculo Mosis; videlicet, quòd apparebant capita vectium ex Sanctuario ante Sanctum Sanctorum: & consequenter subiungitur contrarius effectus ex elongatione subsecutus; videlicet, *& non videbantur foris*: hoc est, extra Sanctum Sanctorum.

Officium templi quod sit.

Fuerunt que ibi vsque in præsentem diem.] Iuxta præceptum diuinum Exod. 25.

Exod. 25.

Vers. 9. *In Arca autem non erant, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moses in Choreb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Ægypti.*] Hæc est veritas: quod autem scribitur in epistola ad Hebræos de vrna, & virga, glosandum est, vt ibi exposuimus.

Hebr. 9.

Vers. 10. *Et fuit, cum exirent Sacerdotes de Sanctuario, nebula replenit domum Domini.*

Vers. 11. *Et non poterant Sacerdotes stare ad ministrandum propter nebulam: quia repleuerat gloria Domini domum Domini.*] Nebula hæc, & *nebula*, & *caligo*, & *gloria Domini* appellatur: ex quibus nominibus colligitur, quòd erat nebula per modum caliginis lucidæ: & ratione lucis appellatur *gloria*, seu potius *honor Domini*: ratione verò formæ appellatur *caligo*: ratione autem materiæ *nebula*: erant enim velut vapores nebulosæ caliginis cum splendore: & propterea sensibiliter offendebant oculos Sacerdotum ministrantium in altari.

Nomina nebulæ replentis domum Domini explicantur.

Vers. 12. *Tunc dixit Salomo: Dominus dixit,* (Leuit. 16.) *vt habitaret in nebula.*] Legendum est, *in caligine.* Sed caligo, pro nebula sumitur, & è conuerso, in hac materia. Diuinam promissionem videns Salomon adimpletam, agnouit diuinam gratiam in ædificato templo: & propterea gratias agendo commemorat diuinum dictum.

Leuit. 16.

Caligo, *pro nebula.*

Vers. 13. *Ædificando ædificaui domum in habitaculum tuum.*] Hebraicè habetur, *habitaculum tibi.* Videns Salomon tale diuinæ benignitatis signum, ac donum, spem suam manifestat de templo hoc: quòd, videlicet, erit Deo velut habitaculum, dicendo: Ego quidem ædificando ædificaui domum, tu autem manifestabis mihi habitaculum tibi.

Et versus populum benedixit.] Iuxta Hebræum habetur, *conuersionem ad solium tuum sempiternum.* Diuerat, *habitaculum tibi*: declarat non esse habitaculum diuinum quasi personale; sed esse directionem ad sempiternum solium ipsius Dei. Officium templi manifestatur esse, non præstare Deo habitationem; sed præbere hominibus directionem mentis eorum ad solium diuinum sempiternum, quod in cælis est: ad dirigendos siquidem homines in Deum, qui creauit cælos, & terram, regitque vniuersum, effectum est templum.

Officium templi quod sit.

Vertitque Rex faciem suam.] Antedicta verba protulit Rex respiciens versùs Sanctuarium: dicturus autem subiuncta verba, vertit faciem suam ad populum.

Et benedixit toti Ecclesiæ Israël.] Perlege totum subiunctum sermonem: & cùm nihil inueneris sonans benedictionem populi, imprecando, vel supplicando, seu cupiendo, intellige benedictionem enunciatiuam: narrauit siquidem Rex per modum diuinæ laudis, & gratiarum actionis Deo beneficium præstitum populo Israël, in hoc, quòd ædificauit ipse templum hoc Deo, & posuit in eo Arcam Dei, secundùm quod ipse Deus disposuit per Dauidem: ita quòd ipsa narratio huiusmodi beneficij appellatur benedictio populi.

Vers. 14.

Et tota Ecclesia Israel stabat.

Et ait: Benedictus Dominus Deus Israël, qui locutus est ore suo ad Dauid patrem meum: & in manu eius perfecit dicendo.

Vers. 15.

A die qua eduxi populum meum Israel de Ægypto, non elegi ciuitatem de omnibus Tribubus Israel ad ædificandam domum, vt esset nomen meum ibi: sed elegi Dauid, vt esset super populum meum Israel.

Vers. 16.

Voluitque Dauid pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel.

Vers. 17.

Et ait Dominus ad Dauid patrem meum: Eò quòd fuit in corde tuo, vt ædificares domum nomini meo, benefecisti, quia fuit in corde tuo.

Vers. 18.

Veruntamen tu non ædificabis domum: sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit domum nomini meo.

Vers. 19.

Confirmauitque Dominus sermonem suum, quem locutus est: & surrexi pro Dauid patre meo, & sedi super solium Israël, sicut locutus est Dominus, & ædificaui domum nomini Domini Dei Israel.

Vers. 20.

Et posui ibi locum Arcæ, in qua est fœdus Domini, quod pepigit cum patribus nostris, quando eduxit eos de terra Ægypti.

Vers. 21.

Stetit autem Salomo ante altare Domini.] De altari holocaustorum est sermo: sub diuo enim vniuersi erant. Et dicendo, *ante altare*, manifestatur, quòd non retrò altare (hoc est, non inter altare, & templum: sed inter altare, & populum) stetit Rex. Tacetur autem hic, quod in Paralipomenon suppletur; videlicet, quòd stetit in suggesto æreo, ibidem posito pro persona Regis, vt videretur ab vniuerso populo.

Vers. 22.

Ante altare quomodo dicitur Salomon.

E regione totius Ecclesiæ Israel.] Faciem siquidem versùs altare, & Sanctuarium ad occidentem habens (in qua etiam plaga erant Sacerdotes, ac Leuitæ) populus autem per tres alias plagas Orientis, Meridiei, & Septentrionis erat: sic enim incepit facere, quod faciendum ab aliis in hac subiuncta oratione docuit; videlicet, quod versa facie ad templum preces Deo funderentur.

Versa facie ad templum orabant Israelitæ.

Et expandit palmas suas in cælum.] etiam genuflexus, vt subiungitur. Et placere Deo huiusmodi sensibiles dispositiones membrorum; flectendo genua, & eleuando manus, hinc habes:

Sensibiles dispositiones membrorum inter orandi quomodo Deo placeant.

non

non quòd hæc sint secundùm se bona; sed quia sunt excitationes animi ad honorandũ Deum, & effectus internæ dispositionis animi erga Deum: præter hoc, quòd sunt prouocantia alios ad eleuationem mentis in Deum, & ad honorandum Deum humano more.

Vers. 23. *Et ait: Domine Deus Israël, non est similis tibi Deus in cælo desuper, & super terram infernus.*] Dictio interpretata, *Deus*, est nomen *Elohim*: à gubernatione enim vniuersi nominat eum.

Misericordia pro gratia. *Custodiens pactum, & misericordiam.*] Legendum est, *gratiam seruis tuis ambulantibus coram te in toto corde suo.* sæpè enim *misericordiam*, pro *gratia* Interpres ponit.

Vers. 24. *Qui custodisti seruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei: locutúsque es ore tuo, & manibus tuis implesti, vt hac dies probat.*

Vers. 25. *Nunc igitur, Domine Deus Israël, serua seruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei dicendo: Non excidetur tibi vir à facie mea sedens super solium Israël: veruntamen si custodierint filij tui viam suam, vt ambulent coram me, sicut ambulasti coram me.*

Vers. 26. *Et nunc, Deus Israël, firmentur, obsecro, verba tua, quæ locutus es seruo tuo Dauid patri meo.*] concedendo, vt non ponamus obicem, vt non apponamus impedimentum executioni verborum tuorum.

Vers. 27. *Ergóne putandum est, quòd verè Deus habitet super terram?*] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Num verè habitabit Elohim super terram?*

Deus non cõtinetur in templo. Ad excludendũ errorem putãtium Deum contineri in templo, hæc dicuntur coram populo, ne vulgus in huiusmodi phantasias incideret.

Si enim cælum.] Legendum est: *Ecce cæli, & cæli cælorum non continent te, quantò magis domus hæc, quam ædificauí?* Asserit, quòd nec cæli capiunt Deum, vt hinc vulgus penitùs elongetur à phantasia, quòd Deus contineatur in templo.

Vers. 28. *Sed respice ad orationem serui tui, ad deprecationem eius, Domine Deus meus, ad audiendum hymnum, & orationem, quam seruus tuus orat coram te hodie.*

Vt sint oculi tui aperti ad domum hanc nocte, ac die.] Metaphoricus est sermo.

Vers. 29. Deuter. 12. *Ad locum de quo dixisti,* (Deuteron. 12.) *Erit nomen meum ibi.*] Declarat Salomon ex diuina authoritate, quid Dei est in tẽplo: quia enim dixerat, quòd Deus non continetur in templo, superetat manifestandũ, quid diuinum in templo esset: & hoc manifestat esse nomen Dei. Verè nomen Dei in templo fore promittitur à Deo: quia, quod nominatur verè conueniens Deo, colendum, discendum, ac reuelãdum in templo promittitur: ad differẽriam reliquorum templorum mũdi, imò & reliquorum locorũ non relatorũ ad locũ cultus Dei Israel.

Nomen Dei est in templo.

Vers. 30. *Vt audias orationem, quam orat seruus tuus in loco isto. Et exaudi deprecationem serui tui, & populi tui Israel, qui orabit ad locum istũ: & exaudies in loco habitationis tuæ in cælo, & exaudies, & parces.*

Vers. 31. *Si peccauerit vir in proximum suum, & habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur adstrictus.*] Iuxta Hebræum habetur, *& eleuabit in ipso iuramentum ad faciendum iurare eum.* Et est sensus: Et offensus proximus eleuabit in offendente iuramentum ad faciendum iurare eum, hoc est, dabit honorem iuramento, remittens cautam suam iuramento præstando ab eo, qui offendit: sæpè enim hoc accidit.

Et veniet [illegible] iuramentũ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et veneris iuramentum coram altari tuo in domo ista.* Non de quocunque iuramento, sed præstando corã altari istius tẽpli loquitur.

Et tu exaudies in cælo, & facies, ac iudicabis seruos tuos, condemnans impium, dando viam eius in caput eius; & iustificans iustum, dando ei secundum iustitiam eius. Vers. 32.

Si fugerit populus tuus Israël inimicos suos.] Iuxta Hebræum habetur: *Cùm cæsus fuerit populus tuus Israël coram inimico, eò quòd peccabunt tibi.*] Sententia est clara. Vers. 33.

Et reuersi fuerint ad te, & confessi fuerint nomen tuũ, & orauerint, & deprecati fuerint te in domo hac.

Et tu exaudies in cælo, & parces peccato populi tui Israël, & reduces eos in terram.] Legendum est: *Et facies habitare eos in terra, quam dedisti patribus eorum.* Nec est opus expositione. Vers. 34.

Cùm clausum fuerit cælum, & non fuerit pluuia propter peccatum eorum; & orauerint ad locũ istum, & pœnitentiam egerint nomine tuo.] Legendum est: *Et laudauerint nomen tuum.* Deinde sequitur pœnitentia dicendo: Vers. 35.

Et à peccato suo auersi fuerint, cùm afflixeris eos.

Et tu exaudies eos in cælo, & parces peccato seruorum tuorum, & populi tui Israël: quia docebis eos viam bonam, per quam ambulent: dabísque pluuiam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem.] Legendum est, *in hereditatem.* hæreditario siquidem iure data est eis terra. Vers. 36.

Hereditario iure dedit Deus terram Israëlitis.

Fames si fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locusta, aut rubigo.] Legendum est, *aut bruchus.* multiplicantur enim species afflictionum. Vers. 37.

Si obsederit eum inimicus eius in terra portarum eius: omnis plaga, omnis infirmitas,

Cuncta denotatio & imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israël.] Iuxta Hebræũ habetur: *Omnis oratio, omnis deprecatio, quæ erit omni homini, toti populo tuo Israel.* In hac petitione pro exauditione in occurrentibus diuersis malis, inferuntur externis malis occulta desideria supplicantium pro plagis cordis manifestandis Deo oratione, ac deprecatione. Vers. 38.

Si quis cognouerit.] Legendum est: *Qui sciens quisque plagã cordis sui, & expandẽt manus suas ad domũ hãc.* prosecutio siquidẽ est dictæ sentẽtiæ.

Et tu exaudies in cælo, loco habitationis tuæ, & parces, ac facies, & dabis vnicuique secundùm omnes vias eius, cuius cor cognosces: quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominis. Vers. 39.

Vt timeant te omnibus diebus, quibus viuunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. Vers. 40.

Et etiam alienigena, qui non est de populo tuo Israël, cùm venerit de terra longinqua propter nomen tuum, (audient enim nomen tuum magnum, & manum tuam fortem, & brachium tuum extentum,) Vers. 41.

Cùm venerit, & orauerit ad locum istum.] Quãuis alienigenæ non admitterẽtur in templum; erat tamẽ certus locus ibidem, in quo Ethnici adorare volẽtes Deum, vota suà persoluebant. Vers. 42.

In templo erat locus, in quo Ethnici poterant orare.

Tu exaudies in cælo, loco habitationis tuæ, & facies iuxta omnia, pro quibus inuocauerit te alienigena: vt cognoscant omnes populi terræ nomen tuum ad timendum te, sicut populus tuus Israël; & vt noscant, quòd nomẽ tuum est super domũ hanc, quã ædificaui. Vers. 43.

Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicũ suum per viam, qua miseris eos: & orauerint ad Dominũ in via ciuitatis, quam elegisti, & domus, quã ædificaui nomini tuo.] Non spectat ad superstitionem vertere faciem ad locũ templi orãtes Vers. 44.

Non est superstitiosum vertere faciem ad templum orando.

à remotis: sed quemadmodum alij exteriores actus ad excitandum deuotionem, vel ad honorandum diuinam electionem talis loci, aut diuinum opus ibidem, non solùm licitè, sed sanctè fit.

Vers. 45. *Et exaudies in cœlo orationem eorum, & deprecationem eorum: & facies iudicium eorum.*

Vers. 46. *Si peccauerint tibi, (non est enim homo, qui non peccet.)*] Vtinam non experiremur veritatem huius sententiæ.

Et iratus fueris contra eos, tradideríque eos coram inimico: & captiui ducti fuerint in terram inimici longinquam, vel propinquam.

Vers. 47. *Et reuersi fuerint ad cor suum, in terra, in quam captiui ducti fuerint: reuersique fuerint, & deprecati fuerint te in terra captiuitatis suæ, dicendo: Peccauimus, & iniquè egimus, & impiè egimus.*

Vers. 48. *Et reuersi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, in terra inimicorum suorum, qui captiuos duxerint eos: & oranerint ad te in via terræ eorum, quam dedisti patribus eorum, & ciuitatis, quam elegisti & domus, quam ædificaui nomini tuo.*

Vers. 49. *Et exaudies in cœlo, loco habitationis tuæ, orationem eorum, & deprecationem eorum, faciésque iudicium eorum.*

Vers. 50. *Et parces populo tuo, qui peccauerit tibi, & omnibus rebellionibus eorum, quibus rebellauerint in te: & dabis eos in misericordias coram eis, qui captiuos duxerint eos, & miserebuntur eorum.*

Vers. 51. *Populus Israel erat hæreditas Dei.* *Populus enim tuus, & hæreditas tua sunt.*] Populus Israël dilectus, ac habitus à Deo ad instar hæreditatis quam vt propriam solemus diligere, ac tueri, dicitur: ad differentiam reliquorum populorum, qui tanquàm aduentitij intelliguntur respectiuè ad populum Israël.

Quos eduxisti ex Ægypto e medio fornacis ferreæ.] Parui refert, si fornacem, aut vas purgatorium ferri intelligas: quoniam metaphoricus est sermo: significatur enim, quòd adducti sunt de Ægypti afflictione maxima, purgatoria tamen; qualis est pallio ab igne, quo purgatur ferrum.

Vers. 52. *Vt sint oculi tui aperti ad deprecationem serui tui, & ad deprecationem populi tui Israel: ad audiendum eos in omnibus pro quibus inuocauerint te.*

Vers. 53. *Tu enim separasti eos tibi in hæreditatem ab omnibus populis terræ: sicut locutus es in manu Mosis serui tui, quando eduxisti patres nostros ex Ægypto, Domine Deus.*] Hebraicè habetur, *Adonai Iehouih*; complet siquidem orationem, nominando Deum blandis nominibus, *Domine mi Iehouih*: quod idem est, quòd Iehouah, sola inflexione differens ad quandam dulcedinem affectus supplicantis.

Vers. 54. *Et fuit, cùm compleuisset Salomo orare ad Dominum totam orationem, & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini: vtrumque enim genu in terram fixerat, & palmas expanderat ad cœlum.*] Quod dicitur, *in terram*, intellige, in pauimentum illius aërei loci, in quo Rex manebat.

Vers. 55. *Stetitque.*] Non genuflexus; sed stans, & versus ad populum, (hoc est, ad Orientem,) dixit subiuncta: huiusmodi enim versio intelligitur, tum ex simili ante orationem præmissa; tum ex eo, quòd dicitur hîc, quòd surrexit de conspectu altaris, quod Hebraicè clariùs dicitur, *à facie altaris.*

Benedictio imprecatiua. *Et benedixit toti Ecclesiæ Israël, voce magna dicendo.*] In hoc subiuncto sermone manifesta continetur benedictio imprecatiua.

Vers. 56. *Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israël iuxta omnia, quæ locutus est: non cecidit verbum vnum ex omnibus verbis bonis, quæ locutus est in manu Mosis serui sui.*

Vers. 57. *Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris: non derelinquat nos, & non abiiciat nos.*

Vers. 58. *Vt inclinet cor nostrum ad se: ad ambulandum in omnibus viis eius, & ad custodiendum præcepta eius, & statuta eius, & iudicia eius, quæ præcepit patribus nostris.*

Vers. 59. *Et sint verba mea hæc, quibus deprecatus sum coram Domino, propinqua Domino Deo nostro, die, ac nocte: vt faciat iudicium serui sui, & iudicium populi sui Israël per singulos dies.*

Vers. 60. *Vt cognoscant omnes populi terræ, quòd Dominus ipse est Deus, non vltrà.*

Vers. 61. *Sitque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro: vt ambulemus in statutis eius, & custodiamus præcepta eius, sicut die hac.*] Quanuis Hebraicè clausula hæc tota in calce huius benedictionis legatur in tertia persona; Interpres tamen vertens in primam, seruauit sensum: quoniam de Israëlitis est sermo: vt testantur vltima verba, videlicet, *sicut & hodie*: erant enim die illo omnes exhibentes se deuotè Deo.

Vers. 62. *Rexque, & totus Israël cum eo, sacrificabant sacrificium coram Domino.*

Vers. 63. *Et sacrificauit Salomo sacrificium pacificorum, quod sacrificauit Domino, boum viginti duo millia, & ouium centum & viginti millia: & dedicauerunt domum Domini, Rex, & omnes filij Israël.*] Festum ergo dedicationis primi templi erat mense septimo. Dico autem primi, ad differentiam secundi, quod posteà tempore Cyri Regis Persarum ædificari cœpit, de ipsius Cyri mandato, &c. Vt in sequentibus libris scribitur.

Festũ dedicationis primi templi fuit mẽse septimo.

Vers. 64. *In die illa sanctificauit Rex medium atrij, quod erat ante domum Domini.* fuit enim tanquàm extensio altaris holocaustorum huiusmodi sanctificatio, regia dispositione; Sacerdotum autem ministerio facta: quoniam altare holocaustorum continuabatur solo atrij.

Quia fecit ibi holocaustum, & munus, & adipes pacificorum: quia altare æreum, quod erat coram Domino, erat paruum, & capere non poterat holocaustum, & munus, & adipes pacificorum.

Vers. 65. *Feciteque Salomo in tempore illo festiuitatem, & totus Israël cum eo congregatio magna, ab introitu Chamath, vsque ad torrentem Ægypti coram Domino Deo nostro septẽ diebus.*] Pro dedicatione templi.

Et septẽ diebus.] aliis pro festo tabernaculorũ.

Quatuordecim diebus.

Vers. 66. *Et in die octauo.*] proculdubiò ab initio festi tabernaculorum: erat enim huiusmodi dies octauus in lege Mosis sanctus.

Dimisit populum, & benedixerunt Regi.] Hinc apparet ordo istarum festiuitatum: ex eo enim, quòd die octauo peracto recessit populus, manifestatur, quòd primùm (hoc est, octauo die mensis septimi) incepit dedicatio templi: qua finita, quintadecima die eiusdem mensis incepit festum tabernaculorum: & sic octauo die (hoc est, vigesimosecundo eiusdem mensis) data est licentia recedendi die sequenti.

Et abierunt in tentoria sua, lætantes, & alacri corde super omni bono, quod fecerat Dominus Dauidi seruo suo, & Israël populo suo.] Perficiendo templum à Dauide ordinatum: & firmando per hoc regnum in Ierusalem, & dando filium sapientem, &c.

CAPVT

CAPVT IX.

Vers. 1. *FActum est, cùm complesset Salomo ædificare domum Domini, & domum Regis, & omne, quod optauerat, & voluerat facere.*

Vers. 2. *Apparuit Dominus Salomoni secundò, sicut apparuerat ei in Gabaon.*] hoc est, in somnis: nam sic apparuerat prima vice.

Vers. 3. *Et dixit Dominus ad eum: Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: sanctificaui domum hanc, quam ædificasti ad ponendum nomen meum ibi.*] non solùm exteriori signo lucidæ nubis, sed etiam interna voluntate sanctam effeci domum hanc ad hoc, vt ponerem nomen meum ibi. Non ergo solo humano opere, sed etiam diuino dicatum est templum ad diuinum nomen colendum, atque cognoscendum.

Diuino opere dicatum est templum, non solum humano.

In sempiternum.] Humano more accipitur *sempiternum* pro *coæuo*: hoc est, quandiu templum erit.

Sempiternum pro coæuo.

Et erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.

Vers. 4. *Tu quoque si ambulaueris coram me, sicut ambulauit David pater tuus in simplicitate cordis, & in æquitate.*] Iuxta Hebræum habetur: *In perfectione cordis, & in rectitudine ad faciendum in omnia, quæ præcepi tibi.* Hebræo more manus præponitur minori: nobis dicendu esset, in rectitudine cordis, & in perfectione, vt oratio erecta esset.

Hebræi modus præponunt maiora.

Et iustificationes meas, & iudicia mea seruaueris.

Vers. 5. *Firmabo solium regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum Dauid patri tuo dicendo: Non auferetur tibi vir de solio Israel.*

Vers. 6. *Si auertendo auertis vos, & filij vestri à me; & non custodieritis præcepta mea, & statuta mea, quæ proposui vobis; sed abieritis, & coluerint Deos alienos, & adorauerint eos.*

Vers. 7. *Et auferam Israelem de superficie terræ, quam dedi eis; & domum, quam sanctificauit nomini meo, proiiciam à conspectu meo: eritque Israel in prouerbium.*] vt dicatur: Euenit tibi, sicut Ierusalem, &c.

Et fabulam omnibus populis.] hoc est, in similitudinem fabulæ in ore populorum: vt, videlicet narretur in otio, seu delectatione, quemadmodum narrantur fabulæ.

Vers. 8. *Et domus hæc erit in exemplum: omnis, qui transierit iuxta eam, stupebit, & sibilabit, & dicet: Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic?*

Vers. 9. *Et dicent: Eò quòd dereliquerunt Dominum Deum suum, qui eduxit patres eorum de terra Ægypti, & secuti sunt Deos alienos, & adorauerunt eos, & coluerunt eos, idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc.*

Vers. 10. *Expletis autem annis viginti postquam ædificauerat.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit à fine viginti annorum, quibus ædificauit Salomo duas domos; templum Domini, & domum Regis.* Clarè manifestatur viginti annos duratse ædificationes duarum domuum, videlicet, Dei, & Regis: ita quod non eodem tempore ædificabatur vtraque domus: sed primis septem annis ædificatum est templum; tredecim autem sequentibus ædificata est domus Regis. Et quia anno quarto incepit fabrica, consequens est, quòd vigesimusquartus annus regni Salomonis significetur dicendo, à fine viginti annorum, quibus ædificauit, &c.

Quot annis duraverit ædificatio domuum Domini, & Salomonis.

Vers. 11. *Chiram, Rex Tyri, subdente Regi Salomone ligna cedrina, & abiegna, & aurum.*] Nunc primùm refert Scriptura, quod Rex Tyri dederit etiam aurum Salomoni. Quo autem titulo dederit an, videlicet, mutuò; an, sicut ligna, quæ superiùs vendita commemorantur; an honoris gratia, seruandum est ex littera narrante circa hoc tria: subiungitur enim:

Quo titulo Rex Tyri dederit aurum Salomoni.

Iuxta omne, quod optauerat.] Iuxta Hebræum tamen habetur: *Ad omnem voluntatem eius.* proculdubiò Salomonis: ex hoc enim, quòd ligna, & aurum simul narrantur data Salomoni ad omnem voluntatem Salomonis, elicitur, quòd non dono; sed contractu inter eos inito data sint hæc: & eo magis, quod alterum subiungitur; videlicet:

Tunc dedit Salomo Chiram viginti ciuitates in terra Galilææ.] hoc est enim signum, quòd tanquam pretium harum ciuitatum dederit Rex Tyri aurum præter ligna. Nec obstat tertium; quod, videlicet, Hebraicè verti possit in principio huius capitulæ habet: *Chiram Rex Tyri eleuauit Salomonem in ligno cedri, & ligno abiegno, & in auro.* quoniam ipsa sub tertio eleuatio fuit Salomonis in suis fabricis. Sed quæritur vnum maior, an licuerit Salomoni dare viginti oppida Galilææ Regi Tyri, hæreticum enim videtur sub domino Regis ethnici duo populos sanctos, & terram diuinæ hæreditatis præterea quod non necessitate coactus Salomò hoc fecit. Libèter excusarem Salomonem, si possem: sed nulla occurrit excusandi ratio, nisi quòd, vt in principio huius capituli narratur, post perfectas fabricas, ac per hoc post datas illas vrbes, (datæ enim fuerunt perfectis domibus Dei, & Regis,) diuina apparitio intimat Salomonem, & exauditum à Deo, & ambulare adhuc rectè coram eo.

An liuerit Salomoni dare viginti ciuitates Galilææ Regi Tyri.

Et egressus est Chiram de Tyro, vt videret ciuitates, quas ei dederat Salomo: & non placuerunt in oculis eius. Vers. 12.

Et ait: Quid sunt ciuitates istæ, quas dedisti mihi, frater mi? Et appellauit eas terram Chabul usque ad diem hanc.] Quod Hebraicè sonat carcerem: fortè quia tanquam carceres erant oppida illa. Aiunt autem lingua Phœnicum conuenire dissidentium: dissidebat enim Rex Tyri terra illa. Vers. 13.

Chabul, i. vocata ciuitates Galilææ, &c.

Misit quoque Chiram ad Regem centum & viginti talenta auri.] Quantitas auri suprascripti modò explicatur. Et hoc est signum, quòd adhuc Salomon non miserat classem in Ophir pro auro: si enim ante 24. regni sui annum nauigatione illâ vsus fuisset, non egussset auro Regis Tyri, nec dedisset ciuitates illas. Vers. 14.

Hæc est summa expensarum, quam obtulit Salomon.] Iuxta Hebræum habetur: *Et hæc res tributi, quod fecit ascendere Rex Salomo.* Causa augendi tributa: hoc est, census, vectigalia, & similia, quæ tribuuntur à subditis pro bono publico: narratur, & explicatur subiungendo: Vers. 15.

Ad ædificandam domum Domini, & domum suam.] Ita quod pronomen, *hæc*, demonstrat ædificationem templi, domus regiæ, & reliquorum multorum valde, quæ subiunguntur.

hæc, i. quia significat.

Et Mello.] Superius diximus significari nomine, *Mello*, locum plenum, ad differentiam vacui adiacentis, quod vorago quædam dicitur. Quid ædificij autem ibidem fecerit Salomon, incertum: nam Dauid ædificauit in circuitu &c. intrinsecus. Vide Mellorem scribentem 2. Reg. 5. 2 Reg. 5

Et murum Ierusalaim, & Chazor, & Megiddo & Ghezer.

Vers. 16. *Pharho, Rex Ægypti, ascendit, & cepit Ghezer, & succendit eam igne, & Chenahaneum, qui habitabat in ciuitate interfecit: & dedit eam in dotem.*] Iuxta Hebræum habetur, *munera filia sua uxori Salomonis.* Sed non est vis in hoc facienda, siue in munus, siue in dotem intelligamus.

Vers. 17. *Ædificauitque Salomo Ghezer, & Beth-choron inferiorem.*

Vers. 18. *Et Baalath, & Thamor in deserto in terra.*] Prosequitur litera ædificia, propter quæ auctum est tributum: intercepta enim fuerat narratio eorum inferendo, vnde Salomon habuerat Ghazer, videlicet, à Pharaone ratione vxoris.

Vers. 19. *Et omnes vicos, qui ad eum pertinebant, & erant absque muro, munuit.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et omnes ciuitates thesaurorum, qui Salomoni.* Nec aliud hic scribitur: sed inter alia ædificia supputantur ciuitates thesaurorum, quos habebat Salomon; hoc est, in quibus recondita erant opportuna ad victum, & bellum.

Ciuitates thesaurorum Salomonis, quæ.

Et ciuitates currum, & ciuitates equitum, & quicquid ei placuit ædificare in Ierusalaim, & in Lebanon, & in tota terra dicionis suæ.

Vers. 20. *Totum populum, qui remanserat de Emorea, Chittheis, Perizeis, Chiuueis, & Iebuseis, qui non erant de filiis Israël.*

Vers. 21. *Filios eorum, qui remanserant post eos in terra, quos non potuerant filij Israël delere, fecit Salomo tributarios.*] Iuxta Hebræum habetur, *ad tributum seruitutis vsque ad diem hanc.* Quæstio oritur, an Salomon egerit contra præceptū diuinum scriptū Num. 33. de exterminandis nationibus istis. Solutio est, quòd Salomon non peccauit in hoc: tum, quia Dauid pater eius sanctus non exterminauerat eos; qui tamen vsque ad Euphratem dominatus fuerat: tum, quia interpretati sunt diuinum præceptum intelligendum fuisse pro tempore, quo in periculum Israelitarum relinquebantur illæ nationes: quoniam manifestè ratio legis illius est hæc: eleuato autem Israële in regnum tam celsum, potens, & extensum, putauerunt non esse locum illi legi, eo quòd cessaret ratio legis. Et ad differentiam nationum, quæ simpliciter soluebant tributum, (quas etiam tributarias absolutè dicimus,) adiungitur seruitus: vt intelligamus, hoc adumbrasse Salomonem, quòd subiecerit eas tributo seruorum, vt non tanquam liberi; sed tanquàm serui contribuerent. Et hunc esse literalem sensum, insinuant subiuncta, tanquam à regione, quòd de filiis Israel non fecit Salomon aliquem seruum: in seruilia itaque opera redegit nationes illas, à quibus seruilibus operibus exemit Israëlitas. Accedit ad excusandum Salomonem, & Dauidem ratio periculi Israëlis: si enim Dauid occidisset Pelisthæos omnes, &c. cùm magna multitudo Iudæorum esset iam captiuata sub diuersis nationibus, interfecti fuissent Iudæi omnes captiui: & ad euitandum cladem ipsorum Iudæorum, interpretati sunt diuinam legem non esse seruandam quoad hoc: ita quòd mutata conditio Iudæorum; quamuis ex propria culpa excusabat Reges. Dico autem, *ex propria culpa populi*: quia ex peccatis populi factum est, vt non essent semper victores, sicut fuerant tempore Mosis, & Iosuæ: si enim perfecterunt victores, poterant, & debebant delere omnes nationes, quas Deus iusserat deleri.

An Salomon fecerit exigendo tributum ab his, quos non potuerat delere filij Israël. Num. 33.

Ratio excusans Salomonem, & Dauidem.

De filijs autem Israel non posuit Salomo seruum: sed erant viri bellatores, & ministri eius.] Hebraicè habetur, *& seruus eius.* Sed seruitus pro ministerio sumitur: nam enim dictum est, quòd nullus Israëlita erat seruus. Vers. 22.

Seruitus, pro ministerio hic sumitur.

Et Principes, & duces eius, & Principes curruum, & equitum eius.

Isti sunt Principes Præfectorum, qui erant super opus Salomonis, quingenti & quinquaginta: præsidentes populo, qui faciebat opus. Vers. 23.

Filia autem Pharonis ascendit de ciuitate Dauid domum suam, quam ædificauerat ei Salomo tunc ædificauit Millo.] Quare expectauerit abscessum filiæ Pharaonis ex ciuitate Dauidis ad ædificandum Millo, non est scriptum. Vers. 24.

Offerebátque Salomo tribus vicibus in anno holocausta, & pacifica super altare, quod ædificauerat Domino, & adolebat thymiama coram Domino.] videlicet, in Paschate, Pentecoste, & festo Tabernaculorum, quibus præcepto legis tenebatur quilibet apparere coram Deo. Vers. 25.

Tribus vicibus in anno tenebantur Israëlita apparere coram Deo.

Et perfecta est domus.

Nauem quoque fecit Rex Salomo in Hez-iongaber, quæ est iuxta Eloth, in littore maris rubri in terra Edom. Vers. 26.

Misitque Chiram in nauibus illa seruos suos, viros nautas gnaros maris, cum seruis Salomonis. Vers. 27.

Et venerunt in Ophir, & tulerunt inde aurum, quadringenta, & viginti talenta: & adduxerunt ad Regem Salomonem.] De nominibus propriis, quæ hic scribuntur, reddere certam rationem nescio: hoc tamen certum est, quòd Salomonis, tum scientiæ, tum prouidentiæ attestatur constructio, & missio nauis in Ophir pro auro. Vers. 28.

CAPVT X.

Vers. 1. *Regináque Saba.*] Legendum esset, *Seba.* Nomen est proprium regionis.

Audita fama Salomonis in nomine Domini, venit.] Iuxta Hebræum intercedit coniunctio: nam post, *in nomine Domini*, subiungitur: *& venit*: propter quam coniunctionem insinuatur, quòd dictiones, *in nomine Domini*, cum præcedenti clausula iunguntur: ita quòd faciendus est punctus post dictiones, *in nomine Domini.* Et est sensus, quòd audiuit famam Salomonis, *in nomine Iehouah*: ita quòd ipsa fama Salomonis deferebat secum nomen summi Dei, vt à quo latgitum esset Salomoni tantum sapientiæ donum: diuulgatum siquidem significatur, quòd non humana disciplina, non humano studio: sed diuino dono habebat Salomon tantam sapientiam.

Fama Salomonis deferebat secum nomen Dei.

Vt tentaret eum in ænigmatibus.] hoc est, in quæstionibus difficilibus.

Vers. 2. *Et ingressa est Ierusalaim cum comitatu multo, & diuitijs.*] Iuxta Hebræum habetur, *cum fortitudine graui valdè.* hoc est, cum armato comitatu, non qualicunque, sed valdè graui, qualis decebat Reginam peregrinantem.

Camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis.] Legendum est, *& aurum multum valde, & lapides pretiosos*, pro sumptu, & muneribus, &c. *venitque ad Regem Salomonem.* Non dicitur,

dicitum, quòd venerit ad templum Dei, aut quòd venerit ad adorandum Deum; sed quòd venit ad Regem Salomonem.

Et locuta est ei omnia, quæ habebat in corde suo.

Vers. 3. *Et docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat.*] Patui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et indicauit ei Salomo omnia verba eius.* Solutio quæstionis significatur.

Non fuit sermo, quod Regem latere posset, & non respondere ei.] Legendum est, *latens Regem, quod non indicauerit ei.* nihilq; dicitur de posse.

Vers. 4. *Vidítque Regina Saba totam sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat.*

Vers. 5. *Et cibos mensæ eius, & habitacula seruorum eius, & ordines ministrantium.*] Potiùs significatur, *& assistentiam ministrorum eius.* In qua claudítur ordo, quoniam assistentia erat non confusa, sed ordinata.

Et vestimenta eorum, & pincernas eius, & holocaustà, quæ offerebat in domo Domini.] Scito, prudens lector, nec Hebræos concordare in hac littera: Hebraicè enim scribitur: *Et ascensum eius, quo* (seu, quem) *ascendet domus Iehouah.* Sic iacet in Hebræo: vbi anceps remanet, tam casus relatiui, *quo*, vel *quem*, quã casus domus, an accusatiui, an genitiui casus sit. Quod vt plenius intelligas, Hebraïcò idiomate holocausta ab ascensu significantur: & propterea diuersitas hic nascitur sensuum, an sensus sit: & ascensum, hoc est, holocaustum eius, quem ascensum, id est, quod holocaustum ascendet, hoc est, super altare perseueranter offeret domi Iehouah: an de corporali per gradus ascensu, quo ascendebat Salomon in templum Dei sit sermo. Elige, quod malueris.

De quo assensu hic intelligatur.

Et non erat in ea vltra spiritus.

Vers. 6. *Dixítque ad Regem: Verus fuit sermo, quem audiui in terra mea,*

Vers. 7. *Super sermonibus tuis, & super sapientia tua. Et non credidi verbis, donec venit, & viderunt oculi mei. Et ecce non fuit nunciatum mihi dimidium. Maior est sapientia tua, & opera tua.*] Iuxta Hebræum habetur, *& bonum, quam fama, quam audiui.* Sub duobus enim (sapientia, & bono) comprehendit omnia.

Vers. 8. *Beati viri tui, beati serui tui isti: qui stant coram te semper, audientes sapientiam tuam.*

Vers. 9. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui complacuit in te ad ponendum te super solium Israël: eò quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum.*] Res perpetuæ factæ à Salomone, ad perpetuum bonum Israël significantur.

Et posuit te Regem, vt faceres iudicium, & iustitiam.

Vers. 10. *Dedítque Regi centum, & viginti talenta auri, & aromata multa valdè, & lapides pretiosos: non sunt allata aromata, sicut ista adhuc in multitudine, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.*] Accumulãdo dicitur adhuc in multitudine: commendatur enim singularitas, seu bonitas aromatum, & secũdùm se, & etiam quoad multitudinem.

Vers. 11. *Sed & classis Chiram, quæ portauit aurum de Ophir.*] Brevitatis causa omittitur cointellectus Salomonis: est enim sermo de classe Hiram, & Salomonis: vt suppletur in 2. Paralip. cap. 9.

Attulit ex Ophir ligna thina multa valde.] Multi Hebræi, & Latini intelligunt significari coralia: miræ autem magnitudinis erant; si coralia erant. Et habetur in Hebræo, *ligna coraliorum*, non vetica dictio, quam interpretantur,

Ligna thina, quid.

coralia: coralium enim species est lapidis extractum ex aquis, quanuis sub aquis speciem habeat ligni tanquam frutieis: effecit natura, vt arbor sub aquis, durescat in lapidem extracta ad aërem: & propterea vtrunque Hebraica litera sonat, dicendo, *ligna coraliorum.*

Coralium, quid.

Et lapides pretiosos.

Fecítque Rex de lignis thinis fulcra domus Domini, & domus Regiæ.] Non est perspicuum, ad quæ fulcienda facta sint hæc fulcra, tam in domo Domini, quàm in domo Regis.

Vers. 12.

Et citharas, lyrásque cantoribus.] Si coralia intelligimus, mirum est, quòd ex eis citharæ, & lyræ confectæ sint: quia tamen videmus hodie ex alabastro fieri cannas instrumenti musici, quod vulgò appellatur, *orgánum*, non est incredibile, ex coraliis constructas lyras, & citharas fuisse.

Organi canna ex alabastro.

Non sunt allata talia ligna thina, neque visa vsque in præsentem diem.

Rex autem Salomo dedit Reginæ Sabæ omnia quæ voluit, & petiuit, exceptis iis, quæ vltrò obtulerat ei munere regio.] Iuxta Heb. habetur: *præter ea, quæ dedit ei, sicut manus Regis Salomonis.* hoc est, sicut decebat manum talis Regis, qualis erat Salomon.

Vers. 13.

Quæ reuersa est, & abiit in terram suam cum seruis suis.

Erat autem pondus auri, quod obuenichat Salomoni per singulos annos, sexcentorum, & sexagintasex talentorum auri.] Hebraica dictio nomen ponderis cuiusdam est: sed, an talenti, an alicuius alterius, ignotum nobis est.

Vers. 14.

Excepto eo, quod offerebant viri, qui super vectigalia erant.] Iuxta Hebræum habetur: *Absque a viris negotiatoribus.* hoc est, absque auro, quod à viris negotiatoribus dabatur Regi. Et significantur negotiatores, non quicunque, sed magni, dictione Hebraica. Sed, quo titulo hoc aurum debebatur Salomoni, non dicitur: sed ex eo, quòd negotiatio sola explicatur, non comprehendi inter prouentus ex vectigalibus insinuatur: nam prouentus vectigalium continetur sub supputatis sexcentis, & sexagintasex talentis auri. Duo restant hic ambigua: alterum, de qua negotiatione est sermo: alterum, quo titulo debebatur hoc Salomoni: turpe enim videretur, quòd Salomon mercaturam per negotiatores exerceret.

Vers. 15.

Et negotiatores, vniuersique scitæ vendentes.] Iuxta Hebræum habetur: *Et a negotiatione aromatariorum.* Ita facit in Hebræo. Intelligo, quòd, quemadmodũ Salomon misit in Ophir pro auro, ita mittebat ad insulas aromatum, putà Taprobanam, Callicut, &c. quemadmodum Sultanus Ægypti faciebat ætate nostra, & modo facit Rex Portugalliæ. Et hæc appellatur negotiatio aromatariorum: sumptu enim regio opus erat ad vehendum aromata ex tam longinqua regione: & inde lucrum Salomoni obueniebat: & propterea aurum hoc etiam excipitur. Et quia simul connumerantur prædicti negotiatores magni, putandum est, aliquid simile in alia materia fuisse, vnde Salomoni augebatur aurum à magnis mercatoribus. Et bene nota, quod non dicit, absque negotiatione aromatum, sed, *aromatariorum*, ne intelligeres Regem negotiatorem aromatum, sed mercatores erant aromatarij, quibus commoditatem negotiationis Rex præbebat.

De qua negotiatione sit hic sermo, & an Salomon fuerit negotiator aromatum.

Et omnes Reges Hereb, diuiſique terræ.] Ab auro ſexcentorum talentorum, &c. excipitur triplex prouentus auri; videlicet, ex mercatoribus magnis, ex mercatura aromatariorũ, & ex muneribus Regum Arabię, & ducum terrę.

Vers. 16. *Fecit quoque Rex Selomo ducenta ſcuta de auro puriſſimo.*] Iuxta Hebræum habetur, *de auro tracto.* hoc eſt, extenſo malleis.

Sexcentos auri ſiclos dedit in lamina ſcuti vnius.] Iuxta Hebræum habetur, *ſexcentos aureos aſcendere faciet ſuper ſcutum vnum.* Rationabile eſt, vt ſcutum intelligamus ex alia materia, opertum aurea lamina per totum.

Vers. 17. *Et trecentas peltas ex auro probato.*] Legendum eſt. *Et trecentos clypeos ex auro tracto.* ſcuta enim erant rotunda; clypei autem alterius figuræ.

Trecentæque minæ auri vnam peltam veſtiebant.] Legendum eſt, *ter centum auri aſcendere faciet ſuper clypeum vnum.* Nec circa ſcuta, nec circa clypeos explicatur pondus, aut menſura auri; ſed numerus tantùm: quia forte ſubintelligitur ſiclus, vt prius ſexcenti ſicli, & modò trecenti ſicli auri ſupputentur.

Et poſuit eos Rex in domo ſaltus Libani.

Vers. 18. *Fecit quoque Rex thronum eburneum grandem: & veſtiuit eum auro fuluo nimis.*] Iuxta Hebræum habetur, *auro puro.* hoc eſt, in ſua puritate, qua ex minera trahitur.

Vers. 19. *Sex gradus habebat thronus: & ſummitas throni erat rotunda in parte poſteriori, & duæ manus hinc & inde.*] Superfluit, *duæ.*

Tenentes ſcamile.] Iuxta Hebræum habetur, *& manus hinc, & hinc, ad locũ ſeſſionis.* hoc eſt, alæ ſedis hinc, & inde erãt formatæ in figura manus.

Vers. 20. *Et duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas.*] Iuxta Hebræum habetur, *& duæ leænæ ſtantes ad latus manuum.* Statuæ duarum leænarum iubis carent, altera hinc, altera inde, iuxta manus, hoc eſt, alas ſedis; ſtantes; hoc eſt, eleuatis capitibus ſtantes ſecundùm pedes anteriores, & terræ inhærentes ſecundùm partem poſteriorem, complicitis poſterioribus pedibus: erant enim ſtatuæ magnæ, ita vt ſuperemineret duodecim leonibus, qui erant in gradibus: vtpote pertingentes vſque ad manus, quæ erant alæ ſedis.

Et duodecim leones ibi ſtantes ibi ſuper ſex gradus hinc, & inde.] Maſculi quidem ſignificanter, non leunculi, ſed leones: erant enim ſtatuæ duodecim leonum, duæ per ſingulos gradus hinc & inde.

Non eſt factum tale opus in omnibus regnis.

Vers. 21. *Omniaque vaſa, de quibus bibebat Rex Selomo erant aurea, & tota ſupellex domus ſaltus Libani de auro puriſſimo.*] Hebraicè habetur, *de auro clauſo.* hoc eſt, ligato: quale eſt aurum, ex quo fiunt numini.

Aurum clauſum, quale.

Non erat argentum.] Subaudi, in vaſis domus ſaltus. Et ratio ſubiungitur: *Quia argentum non fuit aeſtimatum pretij in diebus Selomonis.*

Vers. 22. *Quia claſſis Regis per mare.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quia naues Tharſis Regis in mari cum naue Chiram.* Tharſicas habuiſſe naues Salomonem ſignificatur, præter naues Tyrias.

Semel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde auram, & argentum, & dentes elephantorum.] Hebraicè habetur: *Semel per tres annos veniebat nauis Tharſis portans aurum, & argentum, elephantes, & ſimias, & pauos.* Sic iacet in Hebræo, reliqui addunt Interpretes: Tharſis enim non ſignificat locum, vnde portabantur hæc, ſed determinat naues: perinde ac dictum fuiſſet nauis Tharſica. Nec fit mentio dentium, ſed elephantum abſolute.

Et magnificatus eſt.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et grandauit Rex Selomo præ omnibus Regibus terræ in diuitiis, & ſapientia.* Senſus enim in idem redit. Verum intellige comparationem fieri ad Reges illius temporis quoad duo, diuitias, videlicet, & ſapientiam; erant enim Reges terræ alij excellentes forte in magnitudine regni. Vers. 23.

Salomon excellebat ſupra Reges terræ, ſapientia, & diuitijs; ſed non forte magnitudine regni.

Et tota terra quærebat faciem Selomonis, ad audiendam ſapientiam eius.] Hoc eſt, ex omnibus terræ regionibus erant aliqui quærentes faciem Salomonis ob illius ſapientiæ famam. Vers. 24.

Quam dederat Deus in corde eius.] Nomen eſt Elohim.

Et ſinguli deferebant ei munera.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ipſi portantes vnuſquiſque munus ſuum, vaſa argentea, & vaſa aurea, & veſtes, & arma, & aromata, equos, & mulos.* Tributarij referuntur ad explicandam, quid offerebant; videlicet, vaſa argentea, &c. Vers. 25.

Per annos ſingulos.] Hebraicè habetur: *Res anni in annum.*] Ex hoc, quòd huiuſmodi munera narrantur annua, inſinuatur, quòd debita erant.

Congregauitque Selomo currus, & equites, & fuerunt ei mille, & quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & diſpoſuit eos per ciuitates maritas.] Iuxta Hebræum habetur, *& poſuit eos in ciuitatibus curruum.* iam enim dictum eſt, quod ædificarunt ciuitates curruum. Vers. 26.

Et cum Rege in Ieruſalaim.

Fecitque Rex, vt tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalaim, quanta & lapidum: & cedros præbuit quaſi ſycomoros, quæ naſcuntur in campeſtribus in multitudine. Vers. 27.

Et educebantur equi Selomoni de Ægypto, & de Choa.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eductio equorum, quos Selomoni ex Ægypto, & adunatio.* Deferibendus cùm eſſet modus, quo Salomon habuit tantam multitudinem equorum, proponitur primùm, tam eductio equorum ex Ægypto, quam adunatio eorundem: proponitur autem vtraque, vt per ſubiuncta declaranda: hic enim ſtylus eſt Hebraïcus. Vers. 28.

Quomodo Salomon tantam equorum multitudinem habuerit.

Negotiatores enim Regis emebant de Choa, & ſtatuto pretio perducebant.] Iuxta Hebræum habetur: *Mercatores Regis accipient adunationem in pretio, & aſcendit.* Propoſuit duo, videlicet, eductionem, & adunationem. Declarat inchoando ab vltimo, qualiter negotiatores Salomonis acquirebant adunationem equorum: manifeſtando, quòd augentes pretium faciebant quaſi monopolium equorum Ægypti: hoc enim ſignificatur dicendo: *Mercatores Regis accipiunt adunationem in pretio.* Et declarando augmentum pretij, ſubiungitur, *& aſcendit*, ſubaudi, *pretium ipſum.* Emebant ergo adunationem equorum: vtpote ſoli equos venales haberent, nullo alio offerente tantundem pro huiuſmodi adunatione.

Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto pro ſexcentis argenteis, & equus pro centum & quinquaginta.] Declaratur conſequenter alterum propoſitum (videlicet, eductio) manifeſtando pretium cuiuſque currus; hoc eſt, quatuor equorum pro ſingulo curru. Vnde & magis Vers. 29.

ex

explicando hoc, subiungitur pretium cuiusque equi, centum, & quinquaginta, quod est quarta pars sexcentorum, quos valet currus.

Atque in hunc modum cunctis Reges Ethæorum, & Syriæ equos veniebant.] Iuxta Hebræum habetur: *et sic omnibus Regibus Chittim, & Regibus Aram in manu sua facient exire.* Totũ oppositum eius, quod habetur in vulgata editione, significatur; videlicet, quòd negotiatores Salomonis sic, hoc est, emendo equorum adunationem in Ægypto facient per manũ suam exire ex Ægypto equos pro omnibus Regibus Chittim, & pro Regibus Aram: ex eo enim, quòd tanquam in monopolium reddiderant Ægypti equos extrahendos, consequens erat, vt per manus eorum venderentur equi vniuersis exteris Regibus indigentibus equis Ægyptiis. Et hinc habetur, quòd non fuit alienus Salomon ab industria mercaturæ, quanuis turpis censeatur in Rege. Consequenter quoque ex hac mercatura insinuatur intelligendum, quòd nec alienus erat Salomon à supradictis mercaturis, tum magnorum negotiatorum, tum aromatariorum. Intellige tamen negotiationes omnes, quibus immiscebat se Salomon, fuisse extra territorium subiectum sibi ad habendum ex aliis regionibus omnia, quibus opus erat: & propterea excusabilis videtur huiusmodi industria, vt minùs turpis censenda sit.

Mercaturam fecit Salomo, quod in Rege turpe cẽsetur.

Vnde excusari possit.

CAPVT XI.

Vers. 1. *Rex multiplicando vxorum prohibita in lege.*

Ex aurem Selomo adamauit mulieres alienigenas multas.] Arguitur, tum quòd alienigenas, hoc est, disparis cultus,] tum, quòd multas habuerit: vtrunque enim prohibitum erat in lege Mosis: nam & Regi in specie inhibetur immoderata multitudo vxorũ Deut. 17.

Deuter. 17.

Et filiam Pharaonis.] Nisi reprehenderet Scriptura coniugium Salomonis cum filia Pharaonis, ratione affectus, non supputaret inter peccata Salomonis amorem filiæ Pharaonis inchoando ab illa.

Moabitidas, Hammonithidas, Edomeas, Zidonitas, & Chetheas,

Vers. 2. *De gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israël: Non ingredientur ad eas, & ipsi non ingredientur ad vestras; vtpote, quæ declinare faciant cor vestrum post Deos suos: eis adhæsit Selomo ardentissimo amore.*] Superfluit, *ardentissimo.*

Vers. 3. *Fuerunque ei vxores, quasi Reginæ septingentæ.*] Iuxta Hebræum habetur: *Principes septingentæ, & concubinæ trecentæ.* septingentæ enim honorabiliter, tanquàm dominæ habebantur: aliæ autem trecentæ ad solum concubitum. Et in hoc apparet libido maxima Salomonis ad stupra: inde enim tanta multitudo vxorum prodiit.

Libido Salomonis notatur.

Et declinare fecerunt mulieres cor eius.

Vers. 4. *Cumque iam senex esset, depravatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et fuit in tempore senectutis Salomonis, vxores eius fecerunt inclinare cor eius post Elohim alios.* Quanuis mulieres istæ iunctæ fuerint Salomoni iuueni, non tamen diuerterunt eum in iuuentute ad cultum Deorum; sed in senectute: paulatim enim mollitus est animus eius, crescente amore, & deficiente virtute, multiplicandóque obicem diuinæ gratiæ: nam tandem Deus dereliquit eum sibiipsi. Et ex hoc, quòd Scriptura narrat senectutem Salomonis, perspicuum est, peruenisse eum ad senectutis ætatem, & in illa vixisse aliquanto tempore, quo emerserunt subiuncta.

In senectute mollitus est animus Salomonis, qui in iuuentute Dei cultui adhæserat.

Et non erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius.

Iuitque Selomo post Hasteroth Deum Zidoniorum: & post Mochom abominationẽ Hammonitarũ. Vers. 5.

Fecitque Selomo, quod non placuerat coram Domino.] Hebraicè habetur, *malum in oculis Iehouah.* Ne excusabilis putaretur Salomõ, eò quòd non credendo Diis aliis, sed morem gerendo vxoribus, coleret Deos alios, adiúxit Scriptura quòd fecit malum in oculis summi Dei, & non solùm in oculis hominum: propter quod etiam præmisit, quòd non erat cor eius perfectum cum summo Deo: quantùm enim sui cordis applicauit ad colendum Deos alios, tantùm detraxit à debito honore summi Dei. Vers. 6.

Et non adimpleuit, vt sequeretur Dominum sicut Dauid pater eius.

Tunc ædificauit Selomo fanum.] Hebraicè habetur, *excelsam Chemos abominationi Moab*, proculdubiò structuram idoneã ad cultum Chemos. Vers. 7.

In monte, qui est contra Ierusalem.] Aiũt, montem istum esse montem Oliueti: & propterea detestabilius fuisse crimen Salomonis, vt è regione ciuitatis sanctæ excelsum ædificaret cum scandalo totius populi.

Vnde crimen Salomonis detestabilius fuerit.

Et Molech abominationi filiorum Hammon.

Atque in hunc modum fecit omnibus vxoribus suis alienigenis, quæ thurificabant, & immolabant diis suis.] Intellige tot excelsa ædificata, non quot erant vxores, sed quot erant Dij earum: multæ enim conueniebant sub eodem Deo communi eis. Vers. 8.

Et iratus est Dominus in Salomonem: quòd auersa esset mens eius.] Hebraicè habetur, *cor eius*, voluntas enim significatur. Vers. 9.

A Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundo.] Hebraicè habetur, *duabus vicibus.*

Et præceperat ei super verbo hoc, ne iret post Deos alienos: & non custodiuit, quod præcepit Dominus.] Ad exaggerationem peccati commemoratur beneficium duarum visionum suprascriptarum: aggrauatur enim peccatum Salomonis ex eo, quòd non solùm per legem, & Prophetas: sed etiam apparendo ipsi Salomoni, bis monuerat eum. Vers. 10.

Salomonis peccatũ vnde fuerit aggrauatum.

Dixitque Dominus Salomoni.] Modus, quo Deus dixit hoc Salomoni, non est scriptus: creditur tamen per Prophetam aliquem Deum hoc dixisse. Vers. 11.

Quomodo Deus allocutus fuerit Salomonem.

Quia fuit hoc tecum, & non custodisti pactum meum, & statuta mea, quæ præcepi tibi, scindendo scindam regnum à te, & dabo illud seruo tuo.

Veruntamen in diebus tuis non faciam hoc propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud.] Quòd scissio regni fuerit ex peccato Salomonis, Scriptura testatur: quòd autem fuerit ex peccato Dauidis, quod diuidendo agros Mephiboseth commisit, nec Scriptura testatur, nec Scripturæ consonat, quæ meritum Dauidis citat pro obice, tum ne tolleretur totum regnum à filio Salomonis, tum ne scinderetur viuente Salomone. Vers. 12.

An scissio regni Salomonis causata fuerit ab eius peccato, an à Dauidis peccato.

Veruntamen totum regnum non scindam: Tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid seruum meum, Vers. 13.

& propter Ieruſalaim, quam elegi.] Secundùm rem duæ Tribus (Iudæ, videlicet, & Beniamin) ſeruierunt filio Salomonis: ſed Tribus vna appellatur & hîc, & inferiùs, eò quòd, quantùis eſſent duæ ſecundùm rem; erant tamen futuræ, & de facto fuerunt ſub titulo vnius: appellatus eſt enim Rex Iudæ, & non Rex duarum Tribuum: hic enim fuit titulus omnium ſucceſſorum.

Tribus Iuda & Beniamin cur vna appellentur.

Verſ. 14. *Suſcitauitque Dominus aduerſarium Salomoni, Hadad Edomeum.*] Pœna ſciſſionis regni differebatur exequenda in filio eius ſucceſſore: ne autem viuens Salomon penitùs impunis euaderet, narratur punitus vexatione trium aduerſariorum, *de ſemine regio, qui erat in Edom.* Superfluit, *qui erat*: ſemen ſiquidem regium Regum Idumææ ſignificatur, ne ambigeres, ex quo ſemine regio erat iſte Hadad.

Salomon à tribus aduerſarijs aggreditur in pœnam peccati.

Verſ. 15. *Cum enim eſſet Dauid in Idumæa.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit exiſtente Dauide cum Edom.* Hiſtoria hæc, quæ commemoratur ad declarandum tempus fugæ Hadad, non eſt diffusè ſcripta; & propterea non eſt perſpicuum, an Dauid tunc fuerit præſens in Idumæa, an ſignificetur tempus, quo Dauid habebat Idumæam, & bellum geſſit cum Idumæa rebelli.

Cum aſcendit Ioab Princeps militiæ ad ſepeliendum interfectos: & percuſſit omnem maſculum in Edom.

Verſ. 16. (*Sex enim menſibus manſit ibi Ioab, & totus Iſrael: donec excideret omnem maſculum in Edom.*)

Verſ. 17. *Fugit Hadad ipſe, & viri Edomei de ſeruis patris eius cum eo ad ingrediendum Ægyptum: & Hadad erat puer paruus.*] Iunge hæc duo, (videlicet, quòd Ioab ſtuduit ad interficiendum omnem maſculum in Idumæa, & quòd aſcendit in Idumæam ad ſepeliendum interfectos,) & perpendes defeciſſe Idumæos à Dauide, & interfeciſſe Iſraëlitas milites poſitos pro cuſtodia Idumææ nouiter acquiſitæ: & ad hos interfectos ſepeliendos aſcendiſſe Ioab, & ſimul occidendum omnem maſculum in Idumæa in vltionem rebellionis, & Iſraelitarum interfectorum: tunc enim fugit Hadad, &c.

Idumæi aliquando defecerunt à Dauide.

Verſ. 18. *Et ſurrexerunt de Madian, & venerunt in Paran: tuleruntque viros ſecum de Paran, & ingreſſi ſunt Ægyptum ad Pharaonem Regem Ægypti.*] Etiam via deſcribitur, per quam Hadad iuit in Ægyptum.

Qui dedit ei domum, & cibum conſtituit ei, & terram delegauit.] Hebraicè habetur, *dedit ei.* quod plùs eſt, quàm delegare.

Dare, plus eſt, quàm delegare.

Verſ. 19. *Inuenitque Hadad gratiam in oculis Pharaonis valde: & dedit ei vxorem ſororem vxoris ſuæ, ſororem Thaepenes Reginæ.*

Verſ. 20. *Et genuit ei ſoror Thaepenes Ghenubath, filium eius, & ablactauit eum Thaepenes in medio domus Pharaonis: fuitque Ghenubath in domo Pharaonis in medio filiorum Pharaonis.*

Verſ. 21. *Et Hadad audiuit in Ægypto, quòd dormiſſet Dauid cum patribus ſuis, & quòd mortuus eſſet Ioab Princeps militiæ: dixitque Hadad ad Pharaonem: Dimitte me, & ibo ad terram meam.*

Verſ. 22. *Dixitque ei Pharao: Quo enim indiges mecum, vt quæras ire ad terram tuam. Et dixit: Nullo; ſed dimittendo dimitte me.*] Licèt mors Ioab fuerit in principio regni Salomonis, & iſte Hadad paulò poſt perierit à Pharaone ire in Idumæam; nihil tamen moleſtiæ inferre potuit dominio Salomonis vſque ad ſenectutem Salomonis. Deus enim, qui ſuſcitaſſe dicitur ipſum Hadad in aduerſarium Salomonis, non priùs eſt vltor, quàm homo peccet: & propterea Scriptura vtrunque explicat: videlicet, & quòd Deus eleuauit ipſum in aduerſarium Salomonis, poſtquàm peccauit; & primam inimicitiæ radicem in ipſo Hadad.

Deus nõ priùs vltiſcitur peccatum, quam commiſſum ſit.

Suſcitauit quoque ei Deus.] Nomẽ eſt *Elohim.* Verſ. 23.

Deus auctor eſt mali pœnæ.

Aduerſarium Rezon, filium Eliadah.] Alter aduerſarius deſcribitur motus à Deo, pro quanto in pœnam Salomonis hæ motiones erant.

Qui fugerat ab Hadar-hezer Rege Zoba domino ſuo.] Etiam iſtius initium recenſetur: videlicet, quòd fugerat à Rege ſuo.

Et congregauit contra eum viros.] Legendũ eſt: *Et congregauit ſuper ſe viros.* deſcribitur enim poſt ipſius fugam modus, quo factus eſt Princeps; adunatione, videlicet, virorum euadentium cladem Dauidis. Vnde & ſequitur: Verſ. 24.

Et factus eſt Princeps latronum.] Hebraicè habetur: *Et fuit Princeps cœtus, interficiente Dauide illos.* qui erant cum Hadarhezer Rege Zobæ.

Abieruntque Damaſcum, & habitauerunt ibi, & conſtituerunt eum Regem in Damaſco.] Iuxta Hebræum habetur: *Et regnauerunt in Damaſco.* occupauerunt enim Damaſcum, ſeu Damaſcenum agrum in ſenectute Salomonis.

Fuitque aduerſarius Iſraeli cunctis diebus Salomonis.] Poſtquàm Deus ſuſcitauit ipſum in aduerſarium Salomonis; hoc eſt, cunctis diebus, quibus poſtea vixit Salomon: nam de præcedenti tempore ſcriptum eſt ſuperius in 4. & 5. cap. quòd non erat aduerſarius vllus, ſed omnes ſecuri ſub ficu ſua dormiebant, &c. Verſ. 25.

Et hoc eſt malum Hadad, & odium contra Iſrael: regnauitque in Syria.] Hebraïcè habetur: *Et malum, quod Hadad: & abominatus eſt Iſrael, & regnauit ſuper Aram.* Anceps eſt ſenſus, an ſignificetur iſte Rezon excitatus ad ſupradictum malum ab Hadad Idumæo; & ſubiungatur de eodem Rezon, quòd abominatus eſt Iſraëlem, & regnauit in Syria: an copuletur malo Iſraëlis à Rezon, malum quod fecit Hadad, & de eodem Hadad ſubiungatur, quòd abominatus eſt Iſraëlem, & regnauit in Syria: erat enim de ſemine regio Regum Idumææ, quæ eſt pars Syriæ. Quicquid autem ſignificetur mali, intelligo, poſtquam Deus ſuſcitauit eos ad puniendum Salomonem.

Et Ieroboham, filius Nebat Ephrathæi de Zereda, (& nomen matris eius Zeruha mulier viduæ,) ſeruus Salomonis.] Tertius aduerſarius Salomonis narratur. Verſ. 26.

Leuauit manum contra Regem.] Quo effectu, nõ eſt ſcriptum: neſcimus enim, an verbis excitantibus ſeditionem, an facto aliquo leuauerit manum in Regem Salomonem: ſed hoc fuiſſe tempore ſenectutis Salomonis, ex antedictis habetur.

Et hæc eſt cauſa rebellionis aduersùs eum.] Hebraïcè habetur: *Et iſta res, qua leuauit manum in Regem.* Pronomen, *iſta*, demonſtrat ſubiunctas duas res, videlicet, exaltationem ipſius Ieroboham, & prophetiam Ahiæ. Verſ. 27.

Quia Salomo ædificauit Millo.] Superfluit, *quia*: narratur enim modus, quo Salomon exaltauit Ieroboham.

Et coæquauit voraginem.] Iuxta Hebræum habetur, *Clauſit ſciſſuram ciuitatis Dauid patris ſui.* Sarius puto dubitare, quàm aſſerere ſciſſuram clauſam eſſe voraginem coæquatã montí.

Erat

Erat autem Iarobham vir fortis,& potens.] Hebraice habetur, *Potens fortitudine.* nec alia potentia narratur.

Videréque Salomo adolescentem bone indolis, & industrium.] Hebraicè habetur: *Et vidit Salomo puerum, quod faciens opera ipse.* Ne obliuiscaris, quòd Hebraicè etiam iuuenes appellantur pueri. Commendatur autem, quòd erat factor operum: quod est magna laus; ad differentiam, tum eorum, qui non valent nisi ad loquendum: tum eorum, qui nesciũt efficaciter superintendere operariis: tum pigrorum, atque tardorum.

Iuuenes appellantur pueri Hebraicè.

Facilis operis, magna laus Salomõnis Iarobhã cõmendatio.

Constituerat eum Præfectum super tributa.] Hebraicè habetur: *Et præfecit eum omni oneri domus Ioseph.* Ex Præfecto fabricæ emersit Præfectus oneribus vniuersis domus Ioseph, continentis Tribus Ephraim, & Menassis. Et est sermo de oneribus publicis, quæ decreto regio imposita erant. Hæc exaltatio est prima res, quæ fuit occasio eleuandi animum Ieroboam, procedente tempore, aduersùs Salomonem, quanuis ingratissimè. Altera verò occasio subiungitur prophetiæ Ahiæ: quæ satis clarè scribitur.

Vers. 29. *Et factum est in tempore illo, Iarobham egressum est de Ierusalem: inuenitque eum Achia Silonites Propheta in via, opertus pallio nouo, & erant ambo soli in agro.*

Vers. 30. *Apprehendítque Achia pallium nouum, quo opertus erat, & scidit illud in duodecim scissuras.*

Vers. 31. *Atque ait Iarobham: Tolle tibi decem scissuras: sic enim dixit Dominus Deus Israël: Ecce ego scindo regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus.*

Vers. 32. *Et Tribus vna erit ei: propter seruum meum Dauid, & propter Ierusalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus Tribubus Israel.*

Vers. 33. *Eo quòd dereliquerunt me, & adorauerit Astharthen, Deam Sidoniorum, & Chamos, Deum Moab, & Moloch, Deum filiorum Hammon; & non ambulauerit.*] Interpres transtulit in numero singulari verba Prophetæ, quæ Hebraicè habentur in numero plurali: *Eo quod dereliquerunt me, & adorauerunt Hallhoreth, Deum Zidoniorum, Chemos, Deum Moab, & Milchom, Deum filiorum Hammon: & non ingressi sunt in vias meas ad faciendum rectum in oculis meis, & statuta mea, & iudicia mea, sicut Dauid pater eius.* proculdubiò Salomonis: accusat siquidem Propheta, non Salomonem solùm: sed alios cum eo participes peccati idololatriæ: & manifestat, quòd propter peccatum Salomonis extensum ad alios, scindet Deus regnum eius.

Vers. 34. *Et non tollam totum regnum de manu eius: sed ducem ponam eum omnibus diebus vitæ eius, propter Dauid seruum meum quem elegi, qui custodiuit præcepta mea, & statuta mea.*

Vers. 35. *Tollam autem regnum de manu filij eius, & dabo ipsum tibi, decem Tribus.*

Vers. 36. *Filio autem eius dabo Tribum vnam: vt remaneat lucerna Dauid serui mei omnibus diebus coram me in Ierusalem ciuitate, quam elegi mihi ad ponendum nomen meum ibi.*] Successio in regno Iudæ ex stirpe Dauidis, assimilatur lucernæ in Ierusalem perseueranti: quia erat velut quoddam residuum lucis Dauidis splendẽs in Ierusalem.

Successio stirpis Dauidis in regno significatur lucerna.

Vers. 37. *Te autem assumam, & regnabis in omnibus, quæ desiderabit anima tua: eritque Rex super Israel.*

Vers. 38. *Si ergo audieris omnia, quæ præcipiam tibi, & ambulaueris in viis meis, & feceris quod rectum est in oculis meis, custodiendo statuta mea, & præcepta mea, sicut fecit Dauid seruus meus: ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem.*] Hebraicè habetur, *firmam, sicut ædificaui Dauidi, & dabo tibi Israëlem.* Et sumitur *domus*, pro successione filiorum in regno: sic enim Deus stabiliuit domum Dauidi.

Domus, pro successione.

Vers. 39. *Et affligam semen Dauidis super hoc: verumtamẽ non cunctis diebus.*] Afflictio seminis Dauidis secuta est manifestè, scissio regno, tempore filij Salomonis: hæc autem subiũcta redintegratio, ad literam adiuncta est, ne Ieroboham intelligeret dici à Propheta, quòd si ambulauerit rectè coram Deo, ædificabit illi Deus domum, quemadmodum ædificauit Dauidi quoad perpetuitatem: excipit enim perpetuitatẽ Propheta promittẽdo rectè agenti domum firmam, sicut domum Dauidis: declarando siquidem, quòd ista afflictio seminis Dauidis per scissionem regni, non durabit diebus omnibus, manifestat, quòd successio domus Ieroboham in regno Israëlis, quantuncunque benè egerit, nõ erit perpetua: quod est dicere, quia domus Dauidis redintegrabitur in regno. Quod ad literam verificatur de Messia ex semine Dauidis: ipse enim Rex totius Israël expectabatur. Et quamuis Messias fuerit ratio huius limitationis, *non cunctis diebus*; Prophetæ tamen non fuisse reuelatam causam huius limitationis, nullum inconueniens est: reuelat enim Deus quandoque rem futuram, non reuelando rationem illius.

Domus Ieroboham præscitur firma, non perpetua.

Deus reuelat aliquando rẽ futuram, non reuelando rationem eius.

Voluit ergo Salomo.] Hebraicè habetur: *Et quæsiuit Salomo interficere Iarobham.* Post istas duas res (videlicet, exaltationem, & prophetiam) existente iam Salomone sene, Ieroboham leuauit manum in Regem: & propterea Salomon quæsiuit interficere eum.

Vers. 40. *Surrexitque Iarobham, & fugit in Ægyptum ad Sisac, Regem Ægypti, & fuit in Ægypto vsque ad mortem Salomonis.*] Ad differentiã Pharaonis, soceri Salomonis, nominatur Sisac Rex Ægypti.

Vers. 41. *Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & sapientia eius: nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Salomonis?*] Superfluit, *dierum.* Quis autem sit iste liber, nescitur: sed Author scripsit sic, quia tunc extabant libri verborum Salomonis; qui, scilicet, continebant & sapientiam, & gesta Salomonis: nihil enim horum habemus, nisi pauculas parabolas cum disputatione Ecclesiastis, & Canticis.

Liber verborum dierum Salomonis nõ extat.

Vers. 42. *Dies autẽ, quibus regnauit Salomo in Ierusalem super totum Israël, fuerunt quadraginta anni.*] Iunge numerum hunc annorum regni Salomonis cum suprascripto tempore senectutis eiusdem; & perpendes, Salomonem non fuisse ætatis puerilis, quando incepit regnare; sed fuisse ætatis tantæ, vt illud tempus iunctum quadraginta annis constitueret tempus senectutis. Nec authoritas Iosephi remouear: quoniam manifestè conuincitur ex Scriptura falsum scribere de tempore mortis Abrahæ; videlicet, quòd ipso mortuo Ishac duxit vxorem: cùm constet ex Scriptura, Abraham vixisse annos triginta quinque post nuptias Ishac, & Ribecæ; & multò magis licuit ei hîc fingere, vbi multæ fabellæ insertæ videntur. Et hoc aduersùs meam institutionem, neminem arguendi, tacuissem, nisi vtilem admodum credidissem studiosis sacræ Scripturæ cautelam ab authoritate Iosephi.

Salomon non erat puer, cùm incepit regnare.

Authoritas Iosephi refellitur ab Authore.

Vers. 43. *Dormiuitque Salomo cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid patris sui: & regnauit Rechabham filius eius pro eo.*]

CAPVT

CAPVT XII.

Vers. 1. IVit autem Rechabham in Sechem: quia in Sechem venerat totus Israel ad constituendum eum Regem.

Vers. 2. Iarobham verò, filius Nebat, (cùm adhuc esset in Ægypto profugus a facie Salomonis Regis,) audita morte eius, reuersus est de Ægypto.

Vers. 3. Miseruntque, & vocauerunt eum.] Tanquàm parenthesis legenda est hæc missio facta à suis, vt reuerteretur.

Venitque Iarobham, & tota congregatio Israel: & locuti sunt ad Rechabham dicendo:

Pater tuus aggrauauit iugum nostrum.] proculdubiò onerum.

Vers. 4. Tu itaque imminue nunc paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tu nunc alleuia de seruitute patris tui dura, & de iugo eius graui, quod posuit super nos, & seruiemus tibi.* Quanuis Salomon nullum Israëlitam pretulerit seruilibus operibus, aut oneribus (vt suprà scriptum est;) tantùm tamen oneris eis imposuit in vectigalibus, & huiusmodi subsidijs, vt huiusmodi onus appelletur seruitus dura, grauéque iugum. Veritati autem inniti querelam hanc, testantur suprascripta, quòd Salomon auxit tributa cum magnitudine prouentuum suprascripta.

Vectigal, seruitus dura, & graue iugum est.

Vers. 5. Et dixit eis: Ite vsque ad tertium diem, & reuertimini ad me: Et abiit populus.

Vers. 6. Iniitque consilium Rex Rechabham cum senibus, qui steterant coram Salomone patre eius, cùm viueret, dicendo: Quomodo vos consulitis reddendum esse populo huic verbum?

Vers. 7. Qui dixerunt ei: Si hodie fueris seruus populo huic, & seruieris eis, responderis que eis, & locutus fueris ad eos verba bona, erunt tibi serui omnibus diebus.

Vers. 8. Qui dereliquit consilium senum, quod consuluerant ei: & consuluit adolescentes.] Hebraice habetur, *pueros*, non absolutè; sed relatiuè ad assistentes coràm patre eius: erant enim iuuenes, qui creuerat cum eo, qui iam erat quadragenarius.

Pueri, pro male in intelligendi.

Qui creuerant cum eo, & assistebant illi.] Scribitur hoc, vt intelligamus nouos assistentes consilio regio assumptisse Roboham iuuenes.

Vers. 9. Dixitque ad eos: Quid vos consulitis, & respondebimus populo huic, qui locutus est ad me dicendo: Alleuia iugum quod posuit pater tuus super nos?

Vers. 10. Et locuti sunt ad eum pueri, qui creuerant cum eo, dicendo: Sic dices populo huic, qui locutus est ad te, dicendo: Pater tuus aggrauauit iugum nostrum, & tu alleuia nos: sic loqueris ad eos: Paruus digitus meus manet est super patris mei.

Vers. 11. Et nunc pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam iugo vestro: pater meus castigauit vos flagellis, ego autem castigabo vos scorpionibus.

Scorpiones, quæ sint flagella.

Et non acquieuit Rex populo: quia auersatus fuerat eum Dominus.] Hebraicè habetur: *quia fuit circunuentio cum Iehouah.* Tanquam circunuentus fuit Roboham non morem gerendo populo: Deus enim ad firmandum verbum suum, quod dixerat per Prophetam de scissione regni, ad instar circunuenientis eum se gessit: dimittẽdo eum propriæ superbiæ, (cui consona bant consilia iuuenum,) & non dando ei tantum lumẽ, vt se queretur cõsilia senum. Huiusmodi autem circunuentio profectà significatur à cum Iehouah, hoc est, à sententia consona summo Deo. Quâuis intelligi possit, quòd huiusmodi circunuentio fuerit abductiua ab esse cum Iehouah: præsertim, quòd dictio interpretata, *circunuentio*, non propriè significat circunuentionem; sed sonat (si dici licet) gyrationem, ac per hoc amõtionem ab esse cum summo Deo. Vers. 12.

Deus ad instar circũuenientis se gessit cum Roboam, & quomodo.

Vt susciuaret.] Legendum esset: *Vt firmaret verbum suum, quod locutus fuerat Dominus in manu Achiæ Silonitæ ad Iarobham, filium Nebat.* nam sic habetur Hebraicè.

Vidítque totus Israel, quòd non exaudiuit eos Rex: & respondit populus ad Regem dicendo: Quæ nobis pars in Dauide, vel quæ hereditas.] Legendum est: *Et non hereditas in filio Iisai.* hoc est, quæ nobis vtilitas in domo Dauidis regnante? & nulla est nobis res chara æstimanda ex filio Isaï: *hereditas* enim pro re valdè æstimanda ponitur, & *pars nobis* pro re vtili nobis: nam quoad electionem ipsi manifestè habebãt partem in Dauide; quia elegerant eum in Regem: sed vtilitatẽ negabant propter magna onera illis imposita, & diuitias Ierusalem, & Iudæ; tãquàm regnũ Dauidis fuerit vtile, ac charum non Israëli; sed habitantibus in Iuda. Et quoad vtrũque ingratus Dauidi populus falsum dicebat: quoniã etiam ipsis testantibus magna eis vtilitas è Dauide, & valdè æstimanda quieta possessio propriæ hæreditatis cum communi pace, ac libertate ab hostibus ex filio Isaï secuta fuerat. Vers. 16.

Hæreditas, pro re valdè æstimanda; & pars nobis, pro re vili.

Ad tentoria tua, Israel; nunc vide domum tuam Dauid.] Irridentis verba sunt, monstrando domum Dauidis priuatà successione regni Israël.

Et abiit Israël in tentoria sua.

Super filios autem Israel, qui habitabant in ciuitatibus Iehudæ, regnauit Rechabham. Vers. 17.

Misitque Rex Rechabham Adoram, qui erat super tributum, & lapidauit eum totus Israël lapidibus, & mortuus est.] Ad placandum populum blandis verbis missus creditur: sed furor populi exarsit in eum, qui erat super tributa eis exosa. Vers. 18.

Populus furore exardescit in exactorem exactorum.

Porrò Rex Rechabham festinus ascendit currum, ad fugiendum in Ierusalem.

Et rebellauit Israel contra domum Dauid, vsque in præsentem diem. Vers. 19.

Et fuit, cùm audisset totus Israël, quòd reuersus esset Iarobham, miserunt, & vocauerũt eum ad congregationem, & constituerunt eum Regem super totum Israel.] Quanuis Ieroboham fuerit cum Israëlitis aliis in Sichem, cùm defecerunt à Rege Roboham: quia tamẽ tumultuariè inde recesserunt, congregato posteà cœtu, cùm iam diuulgatum esset per vniuersum Israëlẽ, quòd reuersus esset Ieroboham, vocauerunt eum, & elegerunt in Regem; vtpote inimicum Salomonis, & virum tanti animi, vt etiã viuente Salomone oppoluerit se illi. Et sic impleta est prophetia, non solum Vers. 20.

Ahiæ

Ahiæ de ipso Ieroboham ; sed etiam Iacob de Ephraim prælato Menassi : fuit enim Ephraim electus à populo Israel, & à Deo Rex primus post scissionem regni, longè præstans Abimelech filio Gedeonis de Tribu Menassis: qui nec à Deo, nec ab Israele ; sed à Sechemitis olim fuerat factus Rex, cum tamen enormi fratricidio : vt scribitur Iudic. cap. 9.

Prophetia Ahiæ, & Iacob, de Ephraim prælato Menassi, quomodo adimpleta. Iudic. 9.

Vers. 21. *Non fuit post domum Dauid, nisi Tribus Iehudæ sola.*

Venit autem Rechabham in Ierusalaim, & congregauit totam domum Iehudæ, & Tribum Ben-iamin, centum, & octoginta millia electorum pugnatorum.] Iunge hæc verba cum verbis superioris lineæ, (videlicet, nisi Tribus Iudæ sola,) & perpende, quod diximus: videlicet, sub titulo Iudæ duas Tribus contineri : imò & multitudinem quoque magnam ex aliis Tribubus habitantem in territorio Iudæ, & Ben-iamin : & propterea præmissum est, quòd Roboham regnauit super filios Israël habitantes in ciuitatibus Iudæ.

Sub titulo Iudæ duæ Tribus continentur.

Vt pugnarent cum domo Israel ad reducendum regnum Rechabham filio Salomonis.

Vers. 22. *Factus est autem sermo Dei ad Semaiam virum Dei dicendo.*] Vtrobique est nomen *Elohim*, iudicantis, & gubernantis.

Vers. 23. *Dic ad Rechabham, filium Salomonis, Regem Iehudæ, & ad totam domum Iehudæ, & Ben-iamin, & residuum populi dicendo.*

Vers. 24. *Sic dixit Dominus : Non ascendetis, nec pugnabitis cum fratribus vestris filiis Israël : reuertimini vnusquisque in domum suam : à me enim factum est verbum hoc.*] Legendum est, *fuit res ista*, proculdubiò scissio regni.

Audierúntque sermonem Domini, & reuersi sunt de itinere iuxta verbum Domini.] Intellige de itinere inchoando : erant enim duntaxat adunati. Mirum valdè est, quòd simplici verbo viri sanctæ opinionis paruerint Rex, & exercitus in tanto negotio. Verè apparet in hoc, quòd Deus in cordibus eorum operatus est retractionem à bello.

Mira obedientia Regis, & exercitus, verbo viri sanctæ opinionis.

Vers. 25. *Ædificauit autem Iarobham Sechem in monte Ephraim, & habitauit in ea, egressúsque est inde, & ædificauit Penuel.*] Tam *Penuel*, quàm *Sechem*, nomina sunt propria locorum, quæ ædificio murorum muniuit Ieroboham.

Vers. 26. *Dixitque Iarobham in corde suo : Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid.*

Vers. 27. *Si ascenderit populus iste ad faciendum sacrificia in domo Domini in Ierusalaim, reuertetur cor populi huius ad Dominum suum, ad Rechabham Regem Iehudæ : interficientq; me, & reuertentur ad Rechabham Regem Iehudæ.*] Cerne euentum contrarium humano consilio : putabatur stabiliri regnum Israëlis, & domus Dauidis in Ierusalem propter templum Dei ibidem, & tamen inde occasio accepta est idololatriæ.

Humani consilij vanitas.

Vers. 28. *Habuitque Rex consilium, & fecit duos vitulos aureos.*] similes aureo vitulo, quem olim fecerat Aharon, quem coluerant Israëlitæ in deserto.

Et dixit ad eos. Nolite vltrà.] Hebraïcè habetur : *Multum vobis ascendere in Ierusalaim.* Tanquàm parcens labori itineris dicit Rex populo, multùm vobis ascendere in Ierusalem, & propinquiores subiungens Deos ait:

Ecce Elohe tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.] Eisdem vtitur verbis, quibus vsi fuerant patres eorum in deserto de vitulo aureo, vt patet Exod. 32.

Posuitque vnum in Beth-el, & alterum posuit in Dan.] pro commoditate populi ad exonerandum eos à conuentu in vnum, atque eundem locum, sicut hactenus fuerant obligati ad eundum in Ierusalem. Vers. 29.

Et factum est verbum hoc in peccatum.] Legendum est : *Et fuit res ista in peccatum.* Duo mala simul in hac re fuisse manifestat Scriptura : alterum, malum culpæ, dicendo : *Et fuit res hæc in peccatum.* tam magnum & tam extensum, vt infinities in subsequentibus commemoretur. Vers. 30.

Duo mala culpæ, & pœnæ, manifestantur.

Ibat enim populus ad adorandum vitulum vsque in Dan.] Parui refert, quòd Hebraïce habetur : *Et ierunt populus ante vnum vsque Dan.* Alterum malum pœnæ manifestatur ; videlicet, longa via ad vnum vitulum colendum, videlicet, *vsque Dan.* Et scribitur hoc ad manifestandum cæcitatem populi.

Fecitque domum excelsorum : & fecit Sacerdotes de extremis populi.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *de angulis populi.* Viri non clari describuntur ex angulis : tanquàm viri clari non in angulis, sed in publico versentur ; obscuri autem in angulis. Viles itaque viri significantur instituti Sacerdotes. Vers. 31.

Viri non clari quomodo significati.

Qui non erant de filiis Leui.] Ad cumulú declinationis à lege Mosis, hoc etiam subiunctum est.

Fecitque Iarobham solennitatem in mense octauo.] Vt nulla ex parte seruaret legem, instituit festum in octauo mense commodo populis ad conueniendum : vtpote collectis fructibus terræ omnibus. Vers. 32.

Quintadecima die mensis in similitudinem solennitatis, quæ erat in Iehuda, & obtulit super altare.] Similitudo significatur ad festum solenne tabernaculorum, quod quintadecima die mensis septimi celebrabatur secundùm legem Mosis.

Similiter fecit.] Hebraïcè habetur : *Sic fecit in Beth-el, immolando vitulis, quos fecerat* : narratur enim executioni mandatum ab ipsomet Rege in Beth-el, sicut decreuerat.

Constituitq; in Beth-el Sacerdotes excelsorum, quæ fecerat.

Et obtulit super altare, quod fecerat in Beth-el quintadecima die mensis octaui, quem finxerat de corde suo.] Repetendum est, *in mense, qui exuit de corde eius.* Ad differentiam mensis septimi, qui decretus est authoritate diuina, & non humana adinuentione. Vers. 33.

Et fecit solennitatem filiis Israel, & obtulit super altare adolendo incensum.] Ipse Rex summi Sacerdotis officium assumpsit, adolendo thymiama super altare.

Ieroboham summi Sacerdotis officium assumpsit.

CAPVT XIII.

Vers. 1 *Et ecce vir Dei.*] Nomen est Elohim : quod ne oporteat sæpè repetere, intellige in toto hoc capitulo, quoties repetitur hic, *vir Dei* : missus enim ad denuncianda diuina iudicia fuit.

Venit de Iehuda in sermone Domini in Beth-el : Iarobham stante iuxta altare, & thurificante.

Vers. 2 *Et clamauit contra altare in sermone Domini, & ait : Altare, altare sic dixit Dominus : ecce filius nascetur domui Dauid, Iosi-iahu nomine.*] Vide quàm tempore ante prænunciauit futurum : nam longè post natus est Iosias Rex, qui hæc adimpleuit.

Et immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui thurificant super te, & ossa hominum super te incendet.]

cendet.] Alludens ad altare dixit, *sacrificabit*, ironice; hoc est, in detestationem sacrificij vestri Sacerdotes ipsos super altare concremabit: quod enim dicitur de Sacerdotibus istis, intelligitur de eis, non viuis; sed defunctis, quantùm ad corpora eorum: illa enim Iosias concremauit super altare illud.

Vers. 3. *Dedítque in die illa signum dicendo: Hoc est signum, quod locutus est Dominus: Ecce altare scinditur, & effundetur cinis, qui est super ipsum.*] Quia longè pòst futura annunciabat, ne videretur comminari, dat signum præsens, vt credatur futurum. Et in hoc apparet magna Dei benignitas ad monendum & Regem, & populum vt resipiscerent.

Benignitas Dei in Ieroboam, & populũ eius.

Vers. 4. *Cúmque audisset Rex sermonem viri Dei, quem inclamauerat contra altare in Beth-el, extendit Ieroboam manum suam de altari dicendo: Apprehendite eum, & exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, & non potuit trahere eam ad se.*

Vers. 5. *Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari: iuxta signum, quod dederat vir Dei in sermone Domini.*

Vers. 6. *Et respondit Rex, & dixit ad virum Dei: Deprecare quæso faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt reuertatur manus mea ad me: Orauitque vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus Regi ad eum, & fuit, sicut prius.*

Vers. 7. *Locutus est autem Rex ad virum Dei: Veni mecum domum, & prande, & dabo tibi munera.*

Vers. 8. *Dixítque vir Dei ad Regem: Si dederis mihi dimidium domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam in loco isto.*

Vers. 9. *Sic enim præceptum est mihi in sermone Domini dicendo: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reuerteris per viam, qua ueneris.*

Vers. 10. *Et abiit per aliam viam: & non est reuersus per viam, qua venerat in Beth-el.*

Vers. 11. *Propheta autem quidam senex habitabat in Beth-el.*] De isto scribitur in lib. 4. quòd venerat de Samaria ad differentiam ante dicti Prophetæ, qui venerat de Iuda. Appellatur autem iste Propheta, quia professionem faciebat prophetandi: malus autem apparet ex operibus suis.

Veneruntque filij eius, & narrauerunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Beth-el, & verba, quæ locutus fuerat ad Regem narrauerunt patri suo.

Vers. 12. *Et locutus est ad eos pater eorum: Per quam viam abiit. Et ostenderunt filij eius viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Iehuda.*

Vers. 13. *Et ait filijs suis: Sternite mihi asinum. Strauerúntque ei asinum, & equitauit super eum.*

Vers. 14. *Abiítque post virum Dei, & inuenit eum sedentem sub terebintho.*] Hebraicè habetur, *sub quercu.* quiescebat enim, vtpote lassus.

Et ait ei: Túne es vir Dei, qui veniſti de Iehuda? Et dixit: Sum.

Vers. 15. *Dixítque ad eum: Veni mecum domum, & comede panem.*

Vers. 16. *Qui ait: Non possum reuerti tecum, nec venire tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam tecum in loco isto.*

Vers. 17. *Quia locutus est Dominus ad me.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quia verbum mihi in sermone Domini.* nec toties repetitur Dei nomen.

Non comedes panem, & non bibes ibi aquam, nec reuerteris per viam, qua ueneris.

Vers. 18. *Et dixit ei: Et tu ego sum Propheta, sicut tu: & Angelus locutus est ad me in sermone Domini dicendo: Reduc eum tecum in domum tuam, & comedat panem, & bibat aquam. Mentitus est ei.*] Ecce mani festũ de industria mẽdaciũ istius Prophetæ ex Samaria.

Mendacium Prophetæ ex Samaria.

Reduxítque eum: & comedit panem in domo eius, & bibit aquam. Vers. 19.

Cúmque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum.] Ecce donum prophetiæ datum malo prophetæ. Vers. 20.

Et clamauit ad virum Dei, qui venerat de Iehuda dicendo: Sic dixit Dominus: Pro eo, quòd inobediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus.] non meus, quia ipse colebat vitulos aureos. Vers. 21.

Donum prophetiæ datum malo Propheta

Sed reuersus es, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco, de quo locutus est ad te: Non comedas panem, neque bibas aquam.] Facilis fuit ad credendum ignoto Prophetæ, quòd reuocasset Deus præceptum. Nec excusabilis erat: quia dimisit certum, & adhæsit incerto: diuinum siquidem præceptum ei factum erat certum; reuocatio autem dicta per Prophetã Samarię erat incerta viro Dei. Vers. 22.

Non inferetur cadauer tuum in sepulcrum patrum tuorum.] Leuis pœna monstrat veniale fuisse peccatũ illius sancti viri: non enim ex intẽtione, sed deceptus peccauit peccato inobedientiæ.

Leuis pœna monstrat veniale peccatum.

Cúmque comedisset panem, & bibisset, strauit ei asinum, Propheta quem reduxerat. Vers. 23.

Abiítque, & inuenit eum leo in via, & occidit eum.] Maiori pœna punitus est, quàm fuerit reuelata Prophetæ Samariæ: nam sola priuatio paterni sepulcri prædicta fuerat, & præter eam punitus est occisione à leone. Vers. 24.

Et erat cadauer eius proiectum in via, & asinus iuxta illud, & leo stans iuxta cadauer.] Ad testificandum publicè, tum diuinam punitionem inobedientiæ, tum diuinum fuisse sermonem dictum ab isto occiso, effecit Deus duo: & quòd leo occidit eum, & quòd custos tam occisi, quàm asini esset leo: vt & ex pœna inobedientis, & ex custodia leonina pateret omnibus, quòd verè Deus misisset illum, veritsque fuerit sermo eius: nisi enim verè fuisset diuinus sermo, non fuisset punitus ipse tranſgressor illius sermonis: ipsemet enim dixerat inter alia, fuisse sibi mandatum à Deo, ne comederet & biberet ibi. Et ne adiiceretur occisio illius causis secundis; sed diuino iudicio, adiunctum est miraculum leoninæ custodiæ, tum cadaueris, vt sepeliretur; tum asini, vt portaret cadauer ad sepulcrum: vt omni ex parte pateret fuisse illum verè missum à Deo: nam & sic adimpleta quoque est prophetia reuelata Prophetæ ex Samaria.

Cur leo stodierit cadauer prophetæ, ius occiderat

Et ecce transeuntes viderunt cadauer proiectum in via, & leonem stantem iuxta cadauer: veneruntque, & locuti sunt in ciuitate, in qua Propheta senex manebat. Vers. 25.

Audiítque Propheta, qui reduxerat eum de via, & ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit eum, iuxta verbum Domini, quod locutus est ei.] Hæc vltima verba (*iuxta verbum Domini*, &c.) non referuntur ad occisionem, sed ad inobedientiam: neutri enim reuelata fuerat huiusmodi occisio: sed viro Dei reuelatum fuerat, vt non comederet, neque biberet ibi: & secundùm hunc sermonem diuinum inobediens inuentus est: quia non paruit ei. Vers. 26.

Locutúsque est ad filios suos dicendo: Sternite mihi asinum. & strauerunt. Vers. 27.

Et abiit, & inuenit cadauer eius proiectum in via, & asinum, & leonem stantes iuxta cadauer: non comedit leo cadauer, neque confregit asinum. Vers. 28.

Vers. 29. *Tulitque Propheta cadauer viri Dei.*] Intelligens mysterium, non timuit leonem: & opus humanitatis exhibuit viro Dei tollendo cadauer eius.

Vers. 30. *Et posuit illud super asinum, & retulit illud: venitque ad ciuitatem Prophetæ senex ad plangendum, & sepeliendum eum. Et posuit cadauer eius in sepulcro suo.*] Ecce adimpleta prophetia priuationis proprij sepulcri.

Et planxerunt super eum: Heu frater mi.

Vers. 31. *Cúmque sepelisset eum, dixit ad filios suos: Cùm mortuus fuero, sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est, & iuxta ossa eius ponite ossa mea.*] Hinc apparet, quòd Propheta iste ex Samaria, cultor erat vitulorum aureorum: nam propterea cauit, ne ossa sua comburerentur à Iosia cum aliis comburendis ab eodem iuxta verbum viri Dei: hæc enim ratio subiungitur: cogitauit enim, quod & euenit, videlicet, quòd Iosias intactum relictutus esset sepulcrum viri Dei.

Vers. 32. *Profectò enim veniet sermo, quem exclamauit in sermone Domini contra altare, quod est in Bet-hel: & contra omnes domos excelsorum, quæ sunt in ciuitatibus Someron.*] Videns adimpletam reuelationem sibi factam de sepulcro viri Dei, & diuinum miraculum adhibitum pœnæ viri Dei, credidit verum Dei Propheram fuisse illum occisum, & ventura esse, quæ prædixit.

Vers. 33. *Post verbum hoc non est reuersus Iarobham à via sua mala.*] Obstinatio Ieroboham describitur, quòd visis tot miraculis in testimonium diuini nuncij non resipuit.

Sed è contrario.] Legendum est, *& reuersus est.* à Beth-el.

Fecit de nouissimis populi.] Hebraïcè habetur, *& fecit de angulis populi Sacerdotes excelsorum.* Præter Sacerdotes institutos in aris vitulorum aureorum, narrantur instituti Sacerdotes excelsorum: delectabatur enim populus sacrificare in locis excelsis, & amœnis, vbi erant arbores. Et hoc ad cumulum peccati Ieroboham dicitur: commoditatem enim per hoc dedit populo sacrificandi vbique in locis delectabilibus.

Adimpletio manus consecrationē Sacerdotis significat.

Qui volebat, implebat manum suam, & erat Sacerdos Excelsorum.] Per adimpletionem manus consecratio Sacerdotis significatur ad instar Sacerdotum legalium, qui fiebant vnctione manus: ipsa enim vnctio, impletio manus dicitur. Et intellige Sacerdotes excelsorum sacrificare in honorem eorundem vitulorum: quemadmodum Israëlitæ consueuerant in excelsis immolare Deo.

Vers. 34. *Et propter hanc causam peccauit domus Iarobham.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit, sicut res ista in peccatum domui Iarobham.* Res ista demonstrat gesta Ieroboham circa hanc idololatriam vniuersa: fuerunt enim imputata in peccatum domui eius secundùm manifestam pœnam in hoc mundo, de qua subiungitur:

Hebrai præponunt magis minori.

Et euersa est, & delera.] Iuxta Hebr. habetur, *& ad destruendum, & ad destruendum è superficie terræ.* Verùm aduerte, quòd Hebraïco more maius præponitur minori: nam peius significat primum destruere quàm secundum, si Hebraicæ dictiones pensentur: pœna enim hæc subsecuta infernis scribitur.

CAPVT XIV.

Vers. 1. IN *tempore illo ægrotauit Abi-ia filius Iarobham.*

Vers. 2. *Dixitque Iarobham ad uxorem suam: Surge, quæso, & immuta habitum, & non cognoscatur, quòd sis vxor Iarobham: & vade in Silo, ecce ibi est Achi-ia Propheta, qui locutus est mihi, quod regnaturus essem super populum hunc.*

Vers. 3. *Tollésque in manu tua decem panes, & crustula.*] Aiunt, panem quidem, sed quadam speciali forma factum, tanquàm pictum significari per crustulam.

Vers. 4. *Et lagenam mellis: & vade ad eum: ipse indicabit tibi, quid futurum sit puero.*

Et fecit sic vxor Iarobham, & surrexit, & iuit in Silo, & venit in domum Achi-ia: at Achi-ia non poterat videre, quia caligauerant oculi eius præ senectute eius.

Vers. 5. *Dixit autem Dominus ad Achi-iam: Ecce vxor Iarobham venit, vt consulat te super filio suo, qui ægrotat: hæc, & hæc loqueris ei: & cùm intrabit, se esse aliam simulabit.*

Vers. 6. *Cúmque audisset Achi-ia sonitum pedum eius intrountis in portam, dixit: Ingredere, vxor Iarobham, cur aliam te esse simulas? & ego missus sum ad te durus nuncius.*

Vers. 7. *Vade, dic ad Iarobham: Sic dixit Dominus Deus Israel: Pro eo, quòd exaltauí te de medio populi, & dedi te ducem super populum meum Israel.*

Vers. 8. *Et scidi regnum de domo Dauid, & dedi illud tibi: & non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & qui ambulauit post me in toto corde suo, ad faciendum tantùm, quod rectum erat in oculis meis.*

Vers. 9. *Sed operatus es malè pra omnibus, qui fuerunt ante te: & iuisti, & fecisti tibi Deos alienos, & conflatiles ad irritandum me.*] Verè peius fecit Ieroboham, quàm quicunque alius, non solùm Rex, sed etiam cuiuscunque conditionis in Israël: ingratissimus enim Deo, coëgit regnum ad idololatriam perpetuam: quod ante ipsum nullus fecerat. Et quod amplius est.

Ieroboham in quo fecerit peius quàm quicunque alius.

Me autem proiecisti post tergum tuum.] Minùs posteà peccauerunt Samaritani, qui colentes Deos, colebant quoque summum Deum. Minùs quoque peccauerat Salomon, qui non reliquit cultum veri Dei, quanuis sacrificauerit aliis; nec coëgit populum ad recessum à cultu veri Dei; sed tu reliquisti cultum meum, & coluisti Deos alios.

Vers. 10. *Idcirco ego adducam mala super domum Iarobham, & excidam de Iarobham mingentem ad parietem.*] hoc est, nemine excepto.

Et clausum, & nouissimum in Israël.] Hebraïcè habetur, *& retentum, & derelictum in Israël.* Punienda prædicitur non solùm domus Ieroboham, sed vniuersitas Israëlis, ab associatis vsque ad derelictos: dictio enim interpretata, *retentum*, non significat retentos vi, sed frequenti cœtu functos: explicantur enim omnes Israëlitæ puniendi, nominando hæc duo genera; videlicet, tuentium se cœtu, & derelictorum.

Retentum, *quid significet.*

Et mundabo reliquias domus.] Hebraicè habetur: *post domum Iarobham.* Sed Interpres pro *post*, posuit *reliquias.*

Sicut mundari solet fimus vsque ad purum. Litera ista dupliciter legitur: quia dictio interpretata

Et murum Ierusalaim, & Chazor, & Megiddo & Ghezer.

Vers. 16. *Pharao, Rex Ægypti, ascendit, & cepit Ghezer, & succendit eam igne, & Chenahaneum, qui habitabat in ciuitate interfecit: & dedit eam in dotem.*] Iuxta Hebræum habetur, *munera filia suæ vxori Salomonis.* Sed non est vis in hoc facienda, siue in munus, siue in dotem intelligamus.

Vers. 17. *Ædificauitque Salomon Ghezer, & Beth-choron inferiorem.*

Vers. 18. *Et Baalalath, & Thamor in deserto in terra.*] Prosequitur litera ædificia, propter quæ auctum est tributum: intercepta enim fuerat narratio eorum inferendo, vnde Salomon habuerat Ghazer, videlicet, à Pharaone ratione vxoris.

Vers. 19. *Et omnes vicos, qui ad eum pertinebant, & erant absque muro, munuit.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et omnes ciuitates thesaurorum, qui Salomoni.* Nec aliud hic scribitur: sed inter alia ædificia supputantur ciuitates thesaurorum, quos habebat Salomon; hoc est, in quibus recondita erant opportuna ad victum, & bellum.

Ciuitates thesaurorum Salomonis, quæ.

Et ciuitates curruum, & ciuitates equitum, & quicquid ei placuit ædificare in Ierusalaim, & in Libano, & in tota terra ditionis suæ.

Vers. 20. *Totum populum, qui remanserat de Emorræis, Chittheis, Perizeis, Chiuueis, & Iebuseis, qui non erant de filiis Israël.*

Vers. 21. *Filios eorum, qui remanserant post eos in terra, quos non potuerant filij Israël delere, fecit Salomo tributarios.*] Iuxta Hebræum habetur, *ad tributum seruitutis vsque ad diem hanc.* Quæstio oritur, an Salomon egerit contra præceptū diuinum scripti Num. 33. de exterminandis nationibus istis. Solutio est, quòd Salomon non peccauit in hoc: tum, quia Dauid pater eius sanctus non exterminauerat eos; qui tamen vsque ad Euphratem dominatus fuerat: tum, quia interpretati sunt diuinum præceptum intelligendum fuisse pro tempore, quo in periculum Israëlitarum relinquebantur istæ nationes: quoniam manifesta ratio legis illius est hæc: eleuato autem Israële in regnum tam celsum, potens, & extensum, putauerunt non esse locum illi legi, eo quòd cessaret ratio legis. Et ad differentiam nationum, quæ simpliciter soluebant tributum, (quas etiam tributarias absolutè dicimus,) adiungitur seruitus: vt intelligamus, hoc adiunxisse Salomonem, quòd subiecerit eas tributo seruorum, vt non tanquam liberi; sed tanquam serui contribuerent. Et hunc esse literalem sensum, insinuant subiuncta, tanquam à regione, quòd de filiis Israel non fecit Salomon aliquem seruum: in seruilia itaque opera redegit nationes illas, à quibus seruilibus operibus exemit Israëlitas. Accedit ad excusandum Salomonem, & Dauidem ratio periculi Israëlis: si enim Dauid occidisset Philisthæos omnes, &c. cùm magna multitudo Iudæorum esset iam captiuata sub diuersis nationibus, interfecti fuissent Iudæi omnes captiui: & ad euitandum cladem ipsorum Iudæorum, interpretati sunt diuinam legem non esse seruandam quoad hoc: ita quòd mutata conditio Iudæorum (quamuis ex propria culpa excusabat Reges. Dico autem, *ex propria culpa populi*: quia ex peccatis populi factum est, vt non essent semper victores, sicut fuerant tempore Mosis, & Iosuæ: si enim peccauerant, & debebant delere omnes nationes, quas Deus iusserat deleri.

An Salomon peccauerit exigens tributum ab illis, quos non peccauit delere filius Israël. Num. 33.

Excusant Salomonem & Dauidem.

De filiis autem Israel non posuit Salomo seruum: sed erant viri bellatores, & ministri eius.] Hebraicè habetur, *& serui eius.* Sed seruitus pro ministerio sumitur: nam enim dictum est, quod nullus Israëlita erat seruus. Vers. 22.

Seruitus, pro ministerio hic sumitur.

Et Principes, & duces eius, & Principes curruum, & equitum eius.

Isti sunt Principes Præfectorum, qui erant super opus Salomonis, quingenti & quinquaginta: præsidentes populo, qui faciebat opus. Vers. 23.

Filia autem Pharonis ascendit de ciuitate Dauid domum suam, quam ædificauerat ei Salomo: tunc ædificauit Millo.] Quare expectauerit abscessum filiæ Pharaonis ex ciuitate Dauidis ad ædificandum Millo, non est scriptum. Vers. 24.

Offerebatque Salomo tribus vicibus in anno holocausta, & pacifica super altare, quod ædificauerat Domino, & adolebat thymiama coram Domino.] videlicet, in Paschate, Pentecoste, & festo Tabernaculorum, quibus præcepto legis tenebatur quilibet apparere coram Deo. Vers. 25.

Tribus vicibus in anno tenebantur Israëlita apparere coram Deo.

Et perfecta est domus.

Nauem quoque fecit Rex Salomon in Hez-ongheber, quæ est iuxta Eloth, in littore maris rubri in terra Edom. Vers. 26.

Misitque Chiram in nauibus illis seruos suos, viros nautas gnaros maris, cum seruis Salomonis. Vers. 27.

Et venerunt in Ophir, & tulerunt inde aurum, quadringenta, & viginti talenta: & adduxerunt ad Regem Salomonem.] De nominibus propriis, quæ hîc scribuntur, reddere certam rationem nescio: hoc tamen certum est, quòd Salomonis, tum scientiæ, tum prouidentiæ attestatur constructio, & missio nauis in Ophir pro auro. Vers. 28.

CAPVT X.

Regnique Saba.] Legendum esset, *Seba.* Nomen est proprium regionis. Vers. 1.

Audita fama Salomonis in nomine Domini, venit.] Iuxta Hebræum intercedit coniunctio: nam post, *in nomine Domini*, subiungitur: *& venit*: propter quam coniunctionem insinuatur, quòd dictiones, *in nomine Domini*, cum præcedenti clausula iunguntur: ita quòd faciendus est punctus post dictiones, *in nomine Domini.* Et est sensus, quòd audiuit famam Salomonis, *in nomine Iehouah*: ita quòd ipsa fama Salomonis deferebat secum nomen summi Dei, vt à quo largitum esset Salomoni tantum sapientiæ donum: diuulgatum siquidem significatur, quòd non humana disciplina, non humano studio: sed diuino dono habebat Salomon tantam sapientiam.

Fama Salomonis deferebat secum nomen Dei.

Vt tentaret eum in ænigmatibus.] hoc est, in quæstionibus difficilibus.

Et ingressa est Ierusalaim cum comitatu multo, & diuitiis.] Iuxta Hebræum habetur, *cum fortitudine graui valdè.* hoc est, cum armato comitatu, non qualicunque, sed valdè graui, qualis decebat Reginam peregrinantem. Vers. 2.

Camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis.] Legendum est, *& aurum multum valdè, & lapides pretiosos*, pro sumptu, & muneribus, &c. *venitque ad Regem Salomonem.* Non dicitur,

licitu, quòd venerit ad templum Dei, aut quod venerit ad adorandum Deum; sed quòd venit ad Regem Salomonem.

Et locuta est ei omnia, quæ habebat in corde suo.

Vers. 3. *Et docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat.*] Patui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et indicauit ei Salomo omnia verba eius.* Solutio quæstionum significatur.

Non fuit verbi, quod Regem latere posset, & non responderet ei.] Legendum est, *latens Regem, quod non indicauerit ei.* nihilq; dicitur de posse.

Vers. 4. *Vidítque Regina Saba totam sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat.*

Vers. 5. *Et cibos mensæ eius, & habitacula seruorum eius, & ordines ministrantium.*] Potiùs significatur, *& assistentiam ministrorum eius.* In qua claudítur ordo, quoniam assistentia erat non confusa, sed ordinata.

Et vestimenta eorum, & pincernas eius, & holocausta, quæ offerebat in domo Domini.] Scito, prudens lector, nec Hebræos concordare in hac littera: Hebraicè enim scribitur: *Et ascensum eius, quo* (seu, quem) *ascendet domus Iehouah.* Sic iacet in Hebræo: vbi anceps remanet, tam casus relatiui, *quo*, vel *quem*, quã casus domus, an accusatiui, an genitiui casus sit. Quod vt plenius intelligas, Hebraico idiomate holocausta ab ascensu significantur: & propterea diuersitas hic nascitur sensuum, an sensus sit: & ascensum, hoc est, holocaustum eius, quem ascensum, id est, quod holocaustum ascendet, hoc est, super altare perseueranter offeret domui Iehouah: an de corporali per gradus ascensu, quo ascendebat Salomon in templum Dei sit sermo. Elige, quod maluerís.

De quo alitèr hic intelligatur.

Et non erat in ea vlra spiritus.

Vers. 6. *Dixítque ad Regem: Verus fuit sermo, quem audiui in terra mea,*

Vers. 7. *Super seruitutibus tuis, & super sapientia tua. Et non credidi verbis, donec veni, & viderunt oculi mei. Et ecce non fuit nunciatum mihi dimidium. Maior est sapientia tua, & opera tua.*] Iuxta Hebræum habetur, *& bonum, quàm fama, quam audiui.* Sub duobus enim (sapientia, & bono) comprehendit omnia.

Vers. 8. *Beati viri tui, beati serui tui isti: qui stant coram te semper, audientes sapientiam tuam.*

Vers. 9. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui complacuit in te ad ponendum te super solium Israel: eò quòd dilexerit Dominus Israel in sempiternum.*] Res perpetuæ factæ à Salomone, ad perpetuum bonum Israël significantur.

Et posuit te Regem, vt faceres iudicium, & iustitiam.

Vers. 10. *Dedítque Regi centum, & viginti talenta auri, & aromata multa valdè, & lapides pretiosos: non sunt allata aromata, sicut ista adhuc in multitudine, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.*] Accumulãdo dicitur adhuc in multitudine: commendatur enim singularitas, seu bonitas aromatum, & secundùm ie, & etiam quoad multitudinem.

Vers. 11. *Sed & classis Chiram, quæ portauit aurum de Ophir.*] Breuitatis causa omittitur cointellectus Salomon: est enim sermo de classe Hiram; & Salomonis: vt suppletur in 2. Paralip. cap. 9.

Attulit ex Ophir ligna tina multa valde.] Multi Hebræi, & Latini intelligunt significari coralia: miræ autem magnitudinis erant, si coralia erant. Et habetur in Hebræo, *ligna coralliorum*, non vitrea dictio, quam interpretantur,

Ligna tina, quid.

coralia: coralium enim species est lapidis extractum ex aquis, quanuis sub aquis speciem habeat ligni tanquam fruticis: effecit natura, vt arbor sub aquis, durescat in lapidem extracta ad aërem: & propterea vtrunque Hebraica litera sonat, dicendo, *ligna coralliorum.*

Coralium, quid.

Et lapides pretiosos.

Fecítque Rex de lignis tinis fulcra domus Domini, & domus Regiæ.] Non est perspicuum, ad quæ fulcienda facta sint hæc fulcra, tam in domo Domini, quàm in domo Regis.

Vers. 12.

Et citharas, lyrasque cantoribus.] Si coralia intelligimus, mirum est, quòd ex eis citharæ, & lyræ confectæ sint: quia tamen videmus hodie ex alabastro fieri cannas instrumenti musicí, quod vulgò appellatur, *organum*, non est incredibile, ex coralis constructas lyras, & citharas fuisse.

Organi canna ex alabastro.

Non sunt allata talia ligna tina, neque visa vsque in præsentem diem.

Rex autem Salomo dedit Reginæ Sabæ omnia quæ voluit, & petiuit, exceptis iis, quæ vltrò obtulerat ei munere regio.] Iuxta Heb. habetur: *præter ea, quæ dedit ei, sicut manus Regis Salomonis.* hoc est, sicut decebat manum talis Regis, qualis erat Salomon.

Vers. 13.

Quæ reuersa est, & abiit in terram suam cum seruis suis.

Erat autem pondus auri, quod obueniebat Salomoni per singulos annos, sexcentorum, & sexagintasex talentorum auri.] Hebraica dictio nomen ponderis cuiusdam est: sed, an talenti, an alicuius alterius, ignotum nobis est.

Vers. 14.

Excepto eo, quod offerebant viri, qui super vectigalia erant.] Iuxta Hebræum habetur: *Absque a viris negotiatoribus.* hoc est, absque auro, quod à viris negotiatoribus dabatur Regi. Et significantur negotiatores, non quicunque, sed magni, dictione Hebraica. Sed, quo titulo hoc aurum debebatur Salomoni, non dicitur: sed ex eo, quòd negotiatio sola explicatur, non comprehendi inter prouentus ex vectigalibus insinuatur: nam prouentus vectigalium continetur sub supputatis sexcentis, & sexagintasex talentis auri. Duo restant hic ambigua: alterum, de qua negotiatione est sermo: alterum, quo titulo debebatur hoc Salomoni: turpe enim videretur, quòd Salomon mercaturam per negotiatores exerceret.

Vers. 15.

Et negotiatores, vniuersique scuta vendentes.] Iuxta Hebræum habetur: *Et a negotiatione aromatariorum.* Ita iacet in Hebræo. Intelligo, quòd, quemadmodũ Salomon mittit in Ophir pro auro, ita mittebat ad insulas aromatum, putà Taprobanam, Callicut, &c. quemadmodum Sultanus Ægypti faciebat ætate nostra, & modò facit Rex Portugalliæ. Et hæc appellatur negotiatio aromatariorum: sumptu enim regio opus erat ad vehendum aromata ex tam longinqua regione: & inde lucrum Salomoni obueniebat: & propterea aurum hoc etiam excipitur. Et quia simul connumerantur prædicti negotiatores magni, putandum est, aliquid simile in alia materia fuisse, vnde Salomoni augebatur aurum à magnis mercatoribus. Et bene nota, quòd non dicit, absque negotiatione aromatum; sed, *aromatariorum*, ne intelligeres Regem negotiatorem aromatum, sed mercatores erant aromatarij, quibus commodabat in negotiationis Rex præbebat.

De qua negotiatione sit hic sermo, & an Salomon fuerit negotiator aromatum.

explicando hoc, subiungitur pretium cuiusque equi, centum, & quinquaginta, quod est quarta pars sexcentorum, quos valet currus.

Atque in hunc modum cunctis Reges Etheorum, & Syriæ equos veniebant.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sic omnibus Regibus Chittim, & Regibus Aram in manu sua facient exire.* Totũ oppositum eius, quod habetur in vulgata editione, significatur; videlicet, quòd negotiatores Salomonis sic, hoc est, emendo equorum adunationem in Ægypto facient per manũ suam exire ex Ægypto equos pro omnibus Regibus Chittim, & pro Regibus Aram: ex eo enim, quòd tanquam in monopolium reddiderant Ægypti equos extrahendos, consequens erat, vt per manus eorum venderentur equi vniuersis exteris Regibus indigentibus equis Ægyptiis. Et hinc habetur, quòd non fuit alienus Salomon ab industria mercaturæ, quanuis turpis censeatur in Rege. Consequenter quoque ex hac mercatura insinuatur intelligendum, quòd nec alienus erat Salomon à supradictis mercaturis, tum magnorum negotiatorum, tum aromatariorum. Intellige tamen negotiationes omnes, quibus immiscebat se Salomon, fuisse extra territorium subiectum sibi ad habendum ex aliis regionibus omnia, quibus opus erat: & propterea excusabilis videtur huiusmodi industria, vt minùs turpis censenda sit.

Mercaturam fecit Salomõ, quod in Rege turpe cõfetur.

Vnde excusari possit.

CAPVT XI.

Vers. 1. *Rex multitudo vxorum prohibita in lege.*

Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas.] Arguitur, tum quòd alienigenas (hoc est, disparis cultus,) tum, quòd multas habuerit: vtrunque enim prohibitum erat in lege Moïsi: nam & Regi in specie inhibetur immoderata multitudo vxorũ Deut. 17.

Deuter. 17.

Et filiam Pharaonis.] Nisi reprehenderet Scriptura coniugium Salomonis cum filia Pharaonis, ratione affectus, non supputaret inter peccata Salomonis amorem filiæ Pharaonis inchoando ab illa.

Moabitidas, Hammonitidas, Edomeas, Zidonias, & Chetheas,

Vers. 2. *De gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israël: Non ingredientur ad eas, & ipsi non ingredientur ad vestras; vtpote, quæ declinare facient cor vestrum post Deos suos: eis adhæsit Salomon ardentissimo amore.*] Superfluit, *ardentissimo.*

Vers. 3. *Fuerunt quoque ei vxores, quasi Regine septingentæ.*] Iuxta Hebræum habetur: *Principes septingentæ, & concubinæ trecentæ.* Septingentæ enim honorabiliter, tanquàm dominæ habebantur: aliæ autem trecentæ ad solum concubitum. Et in hoc apparet libido maxima Salomonis ad stupra: inde enim tanta multitudo vxorum prodiit.

Libido Salomonis notatur.

Et declinare fecerunt mulieres cor eius.

Vers. 4. *Cumque iam senex esset, depravatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos.*] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et fuit in tempore senectutis Salomonis, vxores eius fecerunt inclinare cor eius post Elohim alios.* Quanuis mulieres istæ iunctæ fuerint Salomoni iuueni, non tamen diuerterunt eum in iuuentute ad cultum Deorum; sed in senectute: paulatim enim mollitus est animus eius, crescente amore, & deficiente virtute, multiplicandoque obicem diuinæ gratiæ: nam tandem Deus dereliquit eum sibipsi. Et ex hoc, quòd Scriptura narrat senectutem Salomonis, perspicuum est, peruenisse eum ad senectutis ætatem, & in illa vixisse aliquanto tempore, quo emerserunt subiuncta.

In senectute mollitus est animus Salomonis, qui in iuuentute Dei cultui adhæserat.

Et non erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius.

Iuitque Salomo post Hastoreth Deum Zidoniorum: & post Mulchom abominationẽ Hammonitarũ. Vers. 5.

Fecitque Salomon, quod non placuerat coram Domino.] Hebraïcè habetur, *malum in oculis Iehouah.* Ne excusabilis putaretur Salomõ, eò quòd non credendo Diis aliis, sed morem gerendo vxoribus, coleret Deos alios, adiũxit Scriptura quòd fecit malum in oculis summi Dei, & non solùm in oculis hominum: propter quod etiam præmisit, quòd non erat cor eius perfectum cum summo Deo: quantùm enim sui cordis applicauit ad colendum Deos alios, tantùm detraxit à debito honore summi Dei. Vers. 6.

Et non adimplenit, vt sequeretur Dominum sicut Dauid pater eius.

Tunc ædificauit Salomon fanum.] Hebraïcè habetur, *excelsum Chemos abominationi Moab.* proculdubiò structuram idoneã ad cultum Chemos. Vers. 7.

In monte, qui est contra Ierusalem.] Aiũt, montem istum esse montem Oliueti: & propterea dereliabilius fuisse crimen Salomonis, vt è regione ciuitatis sanctæ excelsum ædificaret cum scandalo totius populi.

Vnde crimen Salomonis detestabilius fuerit.

Et Moloch abominationi filiorum Hammon.

Atque in hunc modum fecit omnibus vxoribus suis alienigenis, quæ thurificabant, & immolabant diis suis.] Intellige tot excelsa ædificata, non quot erant vxores, sed quot erant Dij earum: multæ enim conueniebant sub eodem Deo communi eis. Vers. 8.

Et iratus est Dominus in Salomonem: quòd auersa esset mens eius.] Hebraïcè habetur, *cor eius.* voluntas enim significatur. Vers. 9.

A Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundo.] Hebraïcè habetur, *duabus vicibus.*

Et præceperat ei super verbo hoc, ne iret post Deos alienos: & non custodiuit, quod præcepit Dominus.] Ad exaggerationem peccati commemoratur beneficium duarum visionum suprascriptarum: aggrauatur enim peccatum Salomonis ex eo, quòd non solùm per legem, & Prophetas: sed etiam apparendo ipsi Salomoni, bis monuerat eum. Vers. 10.

Salomonis peccatũ vnde fuerit aggrauatum.

Dixitque Dominus Salomoni.] Modus, quo Deus dixit hoc Salomoni, non est scriptus: creditur tamen per Prophetam aliquem Deum hoc dixisse. Vers. 11.

Quomodo Deus allocutus fuerit Salomonem.

Quia fuit hoc tecum, & non custodisti pactum meum, & statuta mea, quæ præcepi tibi, scindendo scindam regnum à te, & dabo illud seruo tuo.

Veruntamen in diebus tuis non faciam hoc propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud.] Quòd scissio regni fuerit ex peccato Salomonis, Scriptura testatur: quod autem fuerit ex peccato Dauidis, quod diuidendo agros Mephiboseth commisit, nec Scriptura testatur, nec Scripturæ consonat, quæ meritum Dauidis citat pro obice, tum ne tolleretur totum regnum à filio Salomonis, tum ne scinderetur viuente Salomone. Vers. 12.

An scissio regni Salomonis causata fuerit ab eius peccato, an à Dauidis peccato.

Veruntamen totum regnum non scindam: Tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid seruum meum, Vers. 13.

& propter Ierusalaim, quam elegi.] Secundùm rem duæ Tribus (Iudæ, videlicet, & Beniamin) seruierunt filio Salomonis: sed Tribus vna appellatur & hîc, & inferiùs, eò quòd, quamuis essent duæ secundùm rem; erant tamen futuræ, & de facto fuerunt sub titulo vnius: appellatus est enim Rex Iudæ, & non Rex duarum Tribuum: hic enim fuit titulus omnium successorum.

Tribus Iudæ & Beniamin cur vna appellentur.

Vers. 14. *Suscitauitque Dominus aduersarium Salomoni, Hadad Edomeum.*] Pœna scissionis regni differebatur exequenda in filio eius successore: ne autem viuens Salomon penitus impunis euaderet, narratur punitus vexatione trium aduersariorum, *de semine regio, qui erat in Edom.* Superfluit, *qui erat*: semen siquidem regium Regum Idumææ significatur, ne ambigeres, ex quo semine regio erat iste Hadad.

Salomõ à tribus aduersariis aggressitur in pœnam peccati.

Vers. 15. *Cùm enim esset Dauid in Idumæa.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit existente Dauide cum Edom.* Historia hæc, quæ commemoratur ad declarandum tempus fugæ Hadad, non est diffusè scripta: & propterea non est periticuum, an Dauid tunc fuerit præsens in Idumæa, an significetur tempus, quo Dauid habebat Idumæam, & bellum gessit cum Idumæa rebelli.

Cum ascendit Ioab Princeps militiæ ad sepeliendum interfectos: & percussit omnem masculum in Edom.

Vers. 16. (*Sex enim mensibus mansit ibi Ioab, & totus Israël: donec excideret omnem masculum in Edom.*)

Vers. 17. *Fugit Hadad ipse, & viri Idumæi de seruis patris eius cum eo ad ingrediendum Ægyptum: & Hadad erat puer paruus.*] Iunge hæc duo, (videlicet, quòd Ioab studuit ad interficiendum omnem masculum in Idumæa, & quòd ascendit in Idumæam ad sepeliendum interfectos,) & perpendes defecisse Idumæos à Dauide, & interfecisse Israëlitas milites positos pro custodia Idumææ nouiter acquisitæ: & ad hos interfectos sepeliendos ascendisse Ioab, & simul occidendum omnem masculum in Idumæa in vltionem rebellionis, & Israëlitarum interfectorum: tunc enim fugit Hadad, &c.

Idumæi aliquando defecerunt à Dauide.

Vers. 18. *Et surrexerunt de Madian, & venerunt in Paran: tuleruntque viros secum de Paran, & ingressi sunt Ægyptum ad Pharaonem Regem Ægypti.*] Etiam via describitur, per quam Hadad iuit in Ægyptum.

Qui dedit ei domum, & cibum constituit ei, & terram delegauit.] Hebraïcè habetur, *dedit ei*: quod plùs est, quàm delegare.

Date, plus est, quàm delegare.

Vers. 19. *Inuenitque Hadad gratiam in oculis Pharaonis valdè: & dedit ei uxorem sororem uxoris suæ, sororem Thaepenes Reginæ.*

Vers. 20. *Et genuit ei soror Thaepenes Ghenubath, filium eius, & ablactauit eum Thaepenes in medio domus Pharaonis: fuitque Ghenubath in domo Pharaonis in medio filiorum Pharaonis.*

Vers. 21. *Et Hadad audiuit in Ægypto, quòd dormisset Dauid cum patribus suis, & quod mortuus esset Ioab Princeps militiæ: dixitque Hadad ad Pharaonem: Dimitte me, & ibo ad terram meam.*

Vers. 22. *Dixitque ei Pharao: Quo enim indiges mecum, vt quæras ire ad terram tuam. Et dixit: Nullo; sed dimittendo dimitte me.*] Licèt mors Ioab fuerit in principio regni Salomonis, & iste Hadad paulò post petierit à Pharaone ire in Idumæam; nihil tamen molestiæ inferre potuit dominio Salomonis vsque ad senectutem Salomonis. Deus

Deus nõ prius vlciscitur peccatum, quam commissum sit.

enim, qui suscitasse dicitur ipsum Hadad in aduersarium Salomonis, non prius est victor, quàm homo peccet: & propterea Scriptura vtrunque explicat: videlicet, & quòd Deus eleuauit ipsum in aduersarium Salomonis, postquàm peccauit; & primam inimicitiæ radicem in ipso Hadad.

Suscitauit quoque ei Deus.] Nomẽ est *Elohim.* Vers. 23.

Aduersarium Rezon, filium Eliadah.] Alter aduersarius describitur motus à Deo, pro quanto in pœnam Salomonis hæ motiones erant.

Deus auctor est mali pœnæ.

Qui fugerat ab Hadarhezer Rege Zobæ domino suo.] Etiam istius initium recensetur: videlicet, quòd fugerat à Rege suo.

Et congregauit contra eum viros.] Legendũ est: *Et congreganis super se viros.* describitur enim post ipsius fugam modus, quo factus est Princeps; adunatione, videlicet, virorum euadentium cladem Danidis. Vnde & sequitur: Vers. 24.

Et factus est Princeps latronum.] Hebraicè habetur: *Et fuit Princeps cœtus, interficiente Dauide illos.* qui erant cum Hadarhezer Rege Zobæ.

Abieruntque Damascum, & habitauerunt ibi, & constituerunt eum Regem in Damasco.] Iuxta Hebræum habetur: *Et regnauerunt in Damasco.* occupauerunt enim Damascum, seu Damascenum agrum in senectute Salomonis.

Fuitque aduersarius Israël cunctis diebus Salomonis.] Postquàm Deus suscitauit ipsum in aduersarium Salomonis; hoc est, cunctis diebus, quibus posteà vixit Salomon: nam de præcedenti tempore scriptum est superiùs in 4. & 5. cap. quòd non erat aduersarius vllus, sed omnes securi sub ficu sua dormiebant, &c. Vers. 25.

Et hoc est malum Hadad, & odium contra Israël: regnauitque in Syria.] Hebraïcè habetur: *Et malum, quod Hadad: & abominatus est Israel, & regnauit super Aram.* Anceps est sensus, an significetur iste Rezon excitatus ad supradictum malum ab Hadad Idumæo; & subiungatur de eodem Rezon, quòd abominatus est Israëlem, & regnauit in Syria: an copuletur malo Israëlis à Rezon, malum quod fecit Hadad, & de eodem Hadad subiungatur, quòd abominatus est Israëlem, & regnauit in Syria: erat enim de semine regio Regum Idumææ, quæ est pars Syriæ. Quicquid autem significetur mali, intellige, postquam Deus suscitauit eos ad puniendum Salomonem.

Et Iarobham, filius Nebat Ephrathei de Zereda, (& nomen matris eius Zeruha mulier vidua,) seruus Salomoni.] Tertius aduersarius Salomonis narratur. Vers. 26.

Leuauit manum contra Regem.] Quo effectu, nõ est scriptum: nescimus enim, an verbis excitantibus seditionem, an facto aliquo leuauerit manum in Regem Salomonem: sed hoc fuisse tempore senecturis Salomonis, ex antedictis habetur.

Et hæc est causa rebellionis aduersùs eum.] Hebraïcè habetur: *Et ista res, qua leuauit manum in Regem.* Pronomen, *ista*, demonstrat subiunctas duas res, videlicet, exaltationem ipsius Ieroboham, & prophetiam Ahiæ. Vers. 27.

Quia Salomo ædificauit Millo.] Superfluit, *quia*: narratur enim modus, quo Salomon exaltauit Ieroboham.

Et coequauit voraginem.] Iuxta Hebræum habetur, *Clausit scissuram ciuitatis Dauid patris sui.* Satius puto dubitare, quàm asserere scissuram clausam esse voraginem coæquatã monti.

Erat

Erat autem Iarobham vir fortis, & potens.] Hebraicè habetur, *Potens fortitudine.* nec alia potentia narratur.

Videnſque Salomo adoleſcentem bonæ indolis, & induſtrium.] Hebraicè habetur: *Et vidit Salomo puerum, quod faciens opera ipſe.* Ne obliuiſcaris, quòd Hebraicè etiam iuuenes appellantur pueri. Commendatur autem, quod erat factor operum: quod eſt magna laus; ad differentiam, tum eorum, qui non valent niſi ad loquendum: tum eorum, qui neſciũt efficaciter ſuperintendere operariis: tum pigrorum, atque tardorum.

Iuuenes appellantur pueri Hebraicè.

Factor operũ, magna iuuenis Ieroboha cõmendatio.

Conſtituerat eum Præfectum ſuper tributa.] Hebraicè habetur: *Et præfecit eum omni oneri domus Ioſeph.* Ex Præfecto fabricæ emerſit Præfectus oneribus vniuerſis domus Ioſeph, continentis Tribus Ephraim, & Menaſſis. Et eſt ſermo de oneribus publicis, quæ decreto regio impoſita erant. Hæc exaltatio eſt prima res, quæ fuit occaſio eleuandi animum Ieroboam, procedente tempore, aduersùs Salomonem, quanuis ingratiſſimè. Altera verò occaſio ſubiungitur prophetiæ Ahiæ: quæ ſatis clarè ſcribitur.

Verſ. 29. *Et factum in tempore illo, Iarobham egreſſus eſt de Ieruſalaim: inuenitque eum Achia Silonites Propheta in via, opertus pallio nouo, & erant ambo ſoli in agro.*

Verſ. 30. *Apprehendítque Achia pallium nouum, quo opertus erat, & ſcidit illud in duodecim ſũſuras.*

Verſ. 31. *Atque ad Iarobham: Tolle tibi decem ſciſſuras: ſic enim dixit Dominus Deus Iſraël: Ecce ego ſcindo regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus.*

Verſ. 32. *Et Tribus vna erit ei: propter ſeruum meum Dauid, & propter Ieruſalaim ciuitatem, quam elegi ex omnibus Tribubus Iſrael.*

Verſ. 33. *Eò quod dereliquerit me, & adorauerit Aſthorthen, Deam Sidoniorum, & Chamos, Deum Moab, & Moloch, Deum filiorum Hammon; & non ambulauerit.*] Interpres tranſtulit in numero ſingulari verba Prophetæ, quæ Hebraicè habentur in numero plurali: *Eò quòd dereliquerunt me, & adorauerunt Haſthoreth, Deum Zidoniorum, Chemos, Deum Moab, & Milchom, Deum filiorum Hammon: & non inierant in vijs meis ad faciendum rectum in oculis meis, & ſtatuta mea, & iudicia mea, ſicut Dauid pater eius.* proculdubiò Salomonis: accuſat ſiquidem Propheta, non Salomonem ſolùm: ſed alios cum eo participes peccati idololatriæ: & manifeſtat, quod propter peccatum Salomonis extenſum ad alios, ſcindet Deus regnum eius.

Verſ. 34. *Et non tollam totum regnum de manu eius: ſed ducem ponam eum omnibus diebus vitæ eius, propter Dauid ſeruum meum quem elegi, qui cuſtodiuit præcepta mea, & ſtatuta mea.*

Verſ. 35. *Tollam autem regnum de manu filij eius, & dabo ipſum tibi, decem Tribus.*

Verſ. 36. *Filio autem eius dabo Tribum vnam: vt remaneat lucerna Dauidi ſeruo meo omnibus diebus coram me in Ieruſalaim ciuitate, quam elegi mihi ad ponendum nomen meum ibi.*] Succeſſio in regno Iudæ ex ſtirpe Dauidis, aſſimilatur lucernæ in Ieruſalem perſeuerantí: quia erat velut quoddam reſiduum lucis Dauidis ſplendẽs in Ieruſalem.

Succeſſio ſtirpis Dauidis in regni aſſimilatur lucernæ.

Verſ. 37. *Te autem accipiam, & regnabis in omnibus, quæ deſiderabit anima tua: eritque Rex ſuper Iſrael.*

Verſ. 38. *Si ergo audieris omnia, quæ præcipiam tibi, & ambulaueris in vijs meis, & feceris quod rectum eſt in oculis meis, cuſtodiendo ſtatuta mea, & præcepta mea, ſicut fecit Dauid ſeruus meus ego tecum, & ædificabo tibi domum fidelem.*] Hebraicè habetur, *firmam, ſicut ædificaui Dauidi, & dabo tibi Iſraëlem.* Et ſumitur *domus*, pro ſucceſſione filiorum in regno: ſic enim Deus ſtabiliuit domum Dauidi.

Domus, pro ſucceſſione.

Et affligam ſemen Dauidis ſuper hoc: veruntamẽ non cunctis diebus.] Afflictio ſeminis Dauidis ſecuta eſt manifeſtè, ſciſſo regno, tempore filij Salomonis: hæc autem ſubiũcta redintegratio, ad literam adiuncta eſt, ne Ieroboham intelligeret dici à Propheta, quòd ſi ambulauerit rectè coram Deo, ædificabit illi Deus domum, quemadmodum ædificauit Dauidi quoad perpetuitatem: excipit enim perpetuitatẽ Propheta promittẽdo rectè agenti domum firmam, ſicut domum Dauidis: declarando ſiquidem, quòd iſta afflictio ſeminis Dauidis per ſciſſionem regni, non durabit diebus omnibus, manifeſtat, quòd ſucceſſio domus Ieroboham in regno Iſraëlis, quantuncunque benè egerit, nõ erit perpetua: quod eſt dicere, quia domus Dauidis redintegrabitur in regno. Quod ad literam verificatur de Meſſia ex ſemine Dauidis: ipſe enim Rex totius Iſraël expectabatur. Et quanuis Meſſias fuerit ratio huius limitationis, *non cunctis diebus*; Prophetæ tamen non fuiſſe reuelatam cauſam huius limitationis, nullum inconueniens eſt: reuelat enim Deus quandoque rem futuram, non reuelando rationem illius.

Verſ. 39.

Domus Ieroboham præ ſcitur firma, non perpetua.

Deus reuelat aliquando rẽ futuram, non reuelan do rationem eius.

Voluit ergo Salomo.] Hebraicè habetur: *Et quæſiuit Salomo interficere Iarobham.* Poſt iſtas duas res (videlicet, exaltationem, & prophetiam) exiſtente iam Salomone ſene, Ieroboham leuauit manum in Regem: & propterea Salomon quæſiuit interficere eum.

Surrexítque Iarobham, & fugit in Ægyptum ad Siſac, Regem Ægypti, & fuit in Ægypto vſque ad mortem Salomonis.] Ad differentiã Pharaonis, ſoceri Salomonis, nominatur Siſac Rex Ægypti.

Verſ. 40.

Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & ſapientia eius: nónne ipſa ſcripta ſunt in libro verborum dierum Salomonis?] Superfluit, *dierum.* Quis autem ſit iſte liber, neſcitur: ſed Author ſcripſit ſic, quia tunc extabant libri verborum Salomonis; qui, ſcilicet, continebant & ſapientiam, & geſta Salomonis: nihil enim horum habemus, niſi pauculas parabolas cum diſputatione Eccleſiaſtis, & Canticis.

Verſ. 41.

Liber verborum dierum Salomonis non extat.

Dies autẽ, quibus regnauit Salomo in Ieruſalaim ſuper totum Iſrael, fuerunt quadraginta anni. Hunge numerum hunc annorum regni Salomonis cum ſupraſcripto tempore ſenectutis eiuſdem; & perpendes, Salomonem non fuiſſe ætatis puerilis, quando incepit regnare; ſed fuiſſe ætatis tantæ, vt illud tempus iunctum quadraginta annis conſtitueret tempus ſenectutis. Nec authoritas Ioſephi remoueat: quoniam manifeſtè conuincitur ex Scriptura falſum ſcribere de tempore mortis Abrahæ; videlicet, quòd ipſo mortuo Iſhac duxit vxorem: cùm conſtet ex Scriptura, Abraham vixiſſe annos triginta quinque poſt nuptias Iſhac, & Ribecæ; & multò magis licuit ei hic fingere, vbi multæ fabellæ inſertæ videntur. Et hoc aduersùs meam inſtitutionem, neminem arguendi, tacuiſſem, niſi vtilem admodum credidiſſem ſtudioſis ſacræ Scripturæ cautelam ab authoritate Ioſephi.

Verſ. 42.

Salomon non erat puer, cùm incepit regnare.

Authoritas Ioſephi refellitur ab Authore.

Dormiuitque Salomo cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in ciuitate Dauid patris ſui: & regnauit Rechobham filius eius, pro eo.]

Verſ. 43.

CAPVT

CAPVT XII.

Vers. 1. *IVit autem Rechabham in Sechem: quia in Sechem venerat totus Israel ad constituendum eum Regem.*

Vers. 2. *Iarobham verò, filius Nebat, (cùm adhuc esset in Ægypto profugus a facie Salomonis Regis,) audita morte eius, reuersus est de Ægypto.*

Vers. 3. *Miseruntque, & vocauerunt eum.*] Tanquàm parenthesis legenda est hæc missio facta à suis, vt reuerteretur.

Veniensque Iarobham, & tota congregatio Israel: & locuti sunt ad Rechabham dicendo:

Pater tuus aggrauauit iugum nostrum.] proculdubiò onerum.

Vers. 4. *Tu itaque imminue nunc paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et tu nunc alleuia de seruitute patris tui dura, & de iugo eius graui, quod posuit super nos, & seruiemus tibi.*

Vestigal, seruitus dura, & graue iugum est. Quanuis Salomon nullum Israëlitam pretulerit seruilibus operibus, aut oneribus (vt suprà scriptum est;) tantùm tamen oneris eis imposuit in vectigalibus, & huiusmodi subsidiis, vt huiusmodi onus appelletur seruitus dura, grauéque iugum. Veritati autem inniti querelam hanc, testantur suprascripta, quòd Salomon auxit tributa, cum magnitudine prouentuum suprascripta.

Vers. 5. *Et dixit eis: Ite vsque ad tertium diem, & reuertimini ad me: Et abiit populus.*

Vers. 6. *Iniitque consilium Rex Rechabham cum senibus, qui steterant coram Selomone patre eius, cùm viueret, dicendo: Quomodo vos consulitis reddendum esse populo huic verbum?*

Vers. 7. *Qui dixerunt ei: Si hodie fueris seruus populo huic, & seruieris eis, responderíque eis, & locutus fueris ad eos verba bona, erunt tibi serui omnibus diebus.*

Vers. 8. *Qui dereliquit consilium senum, quod consuluerant ei: & consuluit adolescentes.*] Hebraïcè habetur, *pueros*, non absolutè; sed relatiuè ad assistentes coràm patre eius: erant enim iuuenes, qui creuerãt cum eo, qui iam erat quadragenarius.

Pueri, quomodo hic intelligenda.

Qui creuerant cum eo, & assistebant ei.] Scribitur hoc, vt intelligamus nouos assistentes consilio regio assumptisse Roboham iuuenes.

Vers. 9. *Dixitque ad eos: Quid vos consulitis, & respondebimus populo huic, qui locutus est ad me dicendo: Alleuia iugum quod posuit pater tuus super nos?*

Vers. 10. *Et locuti sunt ad eum pueri, qui creuerant cum eo, dicendo: Sic dices populo huic, qui locutus est ad te, dicendo: Pater tuus aggrauauit iugum nostrum, & tu alleuia nos: sic loqueris ad eos: Paruus digitus meus maior est dorso patris mei.*

Vers. 11. *Et nunc pater meus posuit super vos iugum graue, & ego addam super iugum vestrum: pater meus castigauit vos flagellis, ego autem castigabo vos scorpionibus.*] Asperius instrumentum ad verberandum significatur, quod dicitur habere in summitate virgatum plumbeas, vel ferreas glandes.

Scorpiones, quæ sint flagella.

Vers. 12. *Venit que Iarobham, & totus populus ad Rechabham die tertio, sicut locutus fuerat Rex, dicendo: Reuertimini ad me die tertio.*

Vers. 13. *Respondítque Rex populo dura: & reliquit consilium senum, quod consuluerant ei.*

Vers. 14. *Et locutus est ad eos secundum consilium puerorum dicendo: Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro: pater meus castigauit vos flagellis, ego autem castigabo vos scorpionibus.*

Vers. 15. *Et non acquieuit Rex populo: quia auersatus fuerat eum Dominus.*] Hebraïcè habetur: *quia fuit circumuentio cum Iehouah.* Tanquàm circumuentus fuit Roboham non morem gerendo populo: Deus enim ad firmandum verbum suum, quod dixerat per Prophetam de scissione regni, ad instar circumuenientis eum se gessit: dimittẽdo eum propriæ superbiæ, (cui consonabant consilia iuuenum,) & non dando ei tantum lumẽ, vt se queretur cõsilia senum. Huiusmodi autem circumuentió profecta significatur à cum Iehouah, hoc est, à sententia consona summo Deo. Quãuis intelligi possit, quòd huiusmodi circumuentio fuerit abductiua ab esse cum Iehouah: præsertim, quòd dictio interpretata, *circumuentio*, non propriè significat circumuentionem; sed sonat (si dici licet) gyrationem, ac per hoc amõtionem ab esse cum summo Deo.

Vers. 15. *Deus ad instar circumuenientis se gessit cum Roboam, & quomodo.*

Vt susciuaret.] Legendum esset: *Vt firmaret verbum suum, quod locutus fuerat Dominus in manu Achiæ Silonitæ ad Iarobham, filium Nebat.* nam sic habetur Hebraïcè.

Vers. 16. *Videnque totus Israel, quòd non exaudiuit eos Rex: & respondit populus ad Regem dicendo: Quæ nobis pars in Dauide, vel quæ hereditas.*] Legendum est: *Et non hereditas in filio Iisai.* hoc est, quæ nobis vtilitas in domo Dauidis regnante? & nulla est nobis res chara æstimanda ex filio Isai: *hereditas* enim pro re valdè æstimanda ponitur, & *pars nobis* pro re vtili nobis: nam quoad electionem ipsi manifestè habebãt partem in Dauide; quia elegerant eum in Regem: sed vtilitatẽ negabant propter magna onera illis imposita, & diuitias Ierusalem, & Iudæ; tãquàm regnũ Dauidis fuerit vtile, ac charum non Israël; sed habitantibus in Iuda. Et quoad vtrũque ingratus Dauidi populus falsum dicebat: quoniã etiam ipsis testantibus magna eis vtilitas è Dauide, & valdè æstimanda quieta possessio propriæ hæreditatis cum communi pace, ac libertate ab hostibus ex filio Isai secuta fuerat.

Hæreditas, pro re valdè æstimanda; & pars nobis pro re vtili.

Ad tentoria tua, Israel; nunc vide domum tuam Dauid.] Irridentis verba sunt monstrando domum Dauidis priuatã successione regni Israël.

Et abiit Israel in tentoria sua.

Vers. 17. *Super filios autem Israel, qui habitabant in ciuitatibus Iehuda, regnauit Rechabham.*

Vers. 18. *Misitque Rex Rechabham Adorã, qui erat super tributum, & lapidauit eum totus Israël lapidibus, & mortuus est.*] Ad placandum populum blandis verbis missus creditur: sed furor populi exarsit in eum, qui erat super tributa eis exosa.

Populus furore exarde-scit in exactorem tributorum.

Porro Rex Rechabham festinus ascendit currum, ad fugiendum in Ierusalaim.

Vers. 19. *Et rebellauit Israël contra domum Dauid, vsque in præsentem diem.*

Vers. 20. *Et fuit, cùm audisset totus Israël, quòd reuersus esset Iarobham, miserunt, & vocauerũt eum ad congregationem, & constituerunt eum Regem super totum Israël.*] Quanuis Ieroboham fuerit cum Israëlitis aliis in Sichem, cùm defecerunt à Rege Roboham: quia tamẽ tumultuariè inde recesserunt, congregato postea cœtu, cum iam diuulgatum esset per vniuersum Israël, quod reuersus esset Ieroboham, vocauerunt eum, & elegerunt in Regem; vtpote inimicum Salomonis, & virum tanti animi, vt etiã viuente Salomone opposuerit se illi. Et sic impleta est prophetia, non tolum

Ahiæ

Ahiæ de ipso Ieroboham ; sed etiam Iacob de Ephraim prælato Menassi : fuit enim Ephraim electus à populo Israel,& à Deo Rex primus post scissionem regni,longe præstans Abimelech filio Gedeonis de Tribu Menassis:qui nec à Deo, nec ab Israele ; sed à Sechemitis olim fuerat factus Rex,cum tamen enormi fratricidio : vt scribitur Iudic.cap.9.

Prophetia Ahiæ, & Iacob, de Ephraim prælato Menassi, quomodo adimpleta. Iudic.9.

Vers.21. *Non fuit post domum Dauid,nisi Tribus Iehudæ sola.*

Venit autem Rechabham in Ierusalaim, & congregauit totam domum Iehudæ,& Tribum Bin-iamin,centum, & octoginta millia electorum pugnatorum.] Iunge hæc verba cum verbis superioris lineæ,(videlicet,nisi Tribus Iudæ sola,)& perpende,quod diximus:videlicet, sub titulo Iudæ duas Tribus contineri : imò & multitudinem quoque magnam ex aliis Tribubus habitantem in territorio Iudæ,& Ben-iamin : & propterèa præmissum est, quòd Roboham regnauit super filios Israël habitantes in ciuitatibus Iudæ.

Sub titulo Iudæ duæ Tribus continentur.

Vt pugnarent cum domo Israel ad reducendum regnum Rechabham filio Salomonis.

Vers.22. *Factus est autem sermo Dei ad Sema-iam virum Dei dicendo.*]Vtrobique est nomen *Elohim*,iudicantis,& gubernantis.

Vers.23. *Dic ad Rechabham,filium Salomonis,Regem Iehudæ,& ad totam domum Iehudæ,& Bin-iamin, & residuum populi dicendo.*

Vers. 24. *Sic dixit Dominus : Non ascendetis, nec pugnabitis cum fratribus vestris filiis Israël : reuertimini vnusquisque in domum suam : à me enim factum est verbum hoc.*]Legendum est,*fuit res ista*.proculdubiò scissio regni.

Audierúntque sermonem Domini,& reuersi sunt de itinere iuxta verbum Domini.] Intellige de itinere inchoando : erant enim duntaxat adunati. Mirum valdè est,quòd simplici verbo viri sanctæ opinionis paruerint Rex, & exercitus in tanto negotio. Verè apparet in hoc, quòd Deus in cordibus eorum operatus est retractionem à bello.

Mira obedientia Regis, & exercitus, verbo viri sanctæ opinionis.

Vers. 25. *Ædificauit autem Ierobham Sechem in monte Ephra-im,& habitauit in ea,egressúsque est inde, & ædificauit Penuel.*][Tam *Penuel*,quàm *Sechem*,nomina sunt propria locorum, quæ ædificio murorum muniuit Ieroboham.

Vers.26. *Dixitque Ierobham in corde suo : Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid.*

Vers.27. *Si ascenderis populus iste ad faciendum sacrificia in domo Domini in Ierusalaim, reuertetur cor populi huius ad Dominum suum,ad Rechabham Regem Iehudæ:interficientq́, me, & reuertentur ad Rechabham Regem Iehudæ.*] Cerne euentum contrarium humano consilio : putabatur stabiliri regnum Israëlis , & domus Dauidis in Ierusalem propter templum Dei ibidem, & tamen inde occasio accepta est idololatriæ.

Humani consilij vanitas.

Vers.28. *Habuitque Rex consilium , & fecit duos vitulos aureos.*] similes aureo vitulo , quem olim fecerat Aharon , quem coluerant Israëlitæ in deserto.

Et dixit ad eos.Nolite vltrà.] Hebraicè habetur : *Multum vobis ascendere in Ierusalaim.* Tanquàm parcens labori itineris dicit Rex populo, multùm vobis ascendere in Ierusalem,& propinquiores subiungens Deos ait:

Ecce Elohe tus Israel,qui te eduxerunt de terra Ægypti.]Eisdem vtitur verbis,quibus vsi fuerant patres eorum in deserto de vitulo aureo,vt patet Exod. 32.

Posuitque vnum in Beth-el:& alterum posuit in Dan.]pro commoditate populi ad exonerandum eos à conuentu in vnum , atque eundem locum, sicut hactenus fuerant obligati ad eundum in Ierusalem. Vers. 29.

Et factum est verbum hoc in peccatum.] Legendum est : *& fuit res ista in peccatum.* Duo mala simul in hac re fuisse manifestat Scriptura : alterum,malum culpæ , dicendo : *Et fuit res hæc in peccatum.* tam magnum & tam extensum,vt infinities in subsequentibus commemoretur. Vers. 30.

Duo mala culpæ, & pœnæ , manifestantur.

Ibat enim populus ad adorandum vitulum vsque in Dan.]Parùm refert,quòd Hebraicè habetur : *Et fuerunt populus ante vnum vsque Dan.* Alterum malum pœnæ manifestatur ; videlicet, longa via ad vnum vitulum colendum , videlicet, *vsque Dan.* Et scribitur hoc ad manifestandum cæcitatem populi.

Fecitque domum excelsorum : & fecit Sacerdotes de extremis populi.] Parùi refert , quòd Hebraicè habetur , *de angulis populi.* Viri non clari describuntur ex angulis : tanquàm viri clari non in angulis, sed in publico versentur ; obscuri autem in angulis. Viles itaque viri significantur instituti Sacerdotes. Vers. 31.

Viri non clari quomodo significati.

Qui non erant de filiis Leui.]Ad cumulũ declinationis à lege Mosis,hoc etiam subiunctum est.

Fecitque Ierobham solennitatem in mense octauo.]Vt nulla ex parte seruaret legem, instituit festum in octauo mense commodo populis ad conueniendum : vtpote collectis fructibus terræ omnibus. Vers. 32.

Quintadecima die mensis in similitudinem solennitatis, quæ erat in Iehuda , & obtulit super altare.] Similitudo significatur ad festum solenne tabernaculorum,quod quintadecima die mensis septimi celebrabatur secundùm legem Mosis.

Similiter fecit.] Hebraicè habetur : *Sic fecit in Beth-el, immolando vitulis , quòd fecerat* : narratur enim executioni mandatum ab ipsomet Rege in Beth-el,sicut decreuerat.

Constituitq́, in Beth-el Sacerdotes excelsorum, quæ fecerat.

Et obtulit super altare , quod fecerat in Beth-el quintadecima die mensis octaui , quem finxerat de corde suo.]Repetendum est,*in mense, qui exuit de corde eius.* Ad differentiam mensis septimi , qui decretus est authoritate diuina , & non humana adinuentione. Vers. 33.

Et fecit solennitatem filiis Israël, & obtulit super altare adolendo incensum.]Ipse Rex summi Sacerdotis officium assumpsit,adolendo thymiama super altare.

Ieroboham summi Sacerdotis officium assumpsit.

CAPVT XIII.

Vers. 1 **T***ecce vir Dei.*]Nomen est Elohim:quod ne oporteat sæpè repetere , intellige in toto hoc capitulo,quoties repetitur hic,*vir Dei*:missus enim ad denuncianda diuina iudicia fuit.

Venit de Iehuda in sermone Domini in Beth-el: Ierobham stante iuxta altare,& thurificante.

Vers.2 *Et clamauit contra altare in sermone Domini, & ait : Altare,altare sic dixit Dominus:ecce filius nascetur domui Dauid. Iosi-ahu nomine.*] Vide,quàm to tempore antè prænunciauit futura:unam langè pòst natus est Iosias Rex , qui hæc adimpleuit.

Et immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui thurificant super te,& ossa hominum super te incendet.]

cendet.] Alludens ad altare dixit, *sacrificabit*, ironicè; hoc est, in detestationem sacrificij vestri Sacerdotes ipsos super altare concremabit: quod enim dicitur de Sacerdotibus istis, intelligitur de eis, non viuis, sed defunctis, quantum ad corpora eorum: illa enim Iosias concremauit super altare illud.

Vers. 3. *Dedítque in die illa signum dicendo: Hoc est signum, quod locutus est Dominus: Ecce altare scinditur, & effundetur cinis, qui est super ipsum.*] Quia longè post futura annunciabat, ne videretur comminari, dat signum præsens, vt credatur futurum. Et in hoc apparet magna Dei benignitas ad monendum & Regem, & populum vt resipiscerent.

Benignitas Dei in Ieroboham, & populũ eius.

Vers. 4. *Cúmque audisset Rex sermonem viri Dei, quem inclamauerat contra altare in Beth-el, extendit Ieroboam manum suam de altari dicendo: Apprehendite eum, & exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, & non potuit trahere eam ad se.*

Vers. 5. *Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari: iuxta signum, quod dederat vir Dei in sermone Domini.*

Vers. 6. *Et respondit Rex, & dixit ad virum Dei: Deprecare quæso faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt reuertatur manus mea ad me: Orauitque vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus Regis ad eum, & fuit, sicut prius.*

Vers. 7. *Locutus est autem Rex ad virum Dei: Veni mecum domum, & prande, & dabo tibi munera.*

Vers. 8. *Dixítque vir Dei ad Regem: Si dederis mihi dimidium domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam in loco isto.*

Vers. 9. *Sic enim præceptum est mihi in sermone Domini dicendo: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reuerteris per viam, qua ieueris.*

Vers. 10. *Et abiit per alsam viam: & non est reuersus per viam, qua venerat in Beth-el.*

Vers. 11. *Prophetа autem quidam senex habitabat in Beth-el.*] De isto scribitur in lib. 4. quòd venerat de Samaria ad differentiam ante dicti Prophetæ, qui venerat de Iuda. Appellatur autem iste Propheta, quia professionem faciebat prophetandi: malus autem apparet ex operibus suis.

Veneruntque filij eius, & narrauerunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Beth-el, & verba, quæ locutus fuerat ad Regẽ narrauerunt patri suo.

Vers. 12. *Et locutus est ad eos pater eorum: Per quam viam abiit. Et ostenderunt filij eius viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Iehuda.*

Vers. 13. *Et ait filijs suis: Sternite mihi asinum. Strauerúntque ei asinum, & equitauit super eum.*

Vers. 14. *Abiitque post virum Dei, & inuenit eum sedentem sub terebintho.*] Hebraicè habetur, *sub quercu*. quiescebat enim, vtpote lassus.

Et ait ei: Túne es vir Dei, qui venisti de Iehuda? Et dixit: Sum.

Vers. 15. *Dixítque ad eum: Veni mecum domum, & comede panem.*

Vers. 16. *Qui ait: Non possum reuerti tecum, nec venire tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam tecum in loco isto.*

Vers. 17. *Quia locutus est Dominus ad me.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quia verbum mihi in sermone Domini*. nec toties repetitur Dei nomen.

Non comedes panem, & non bibes ibi aquam, nec reuerteris per viam, qua ieueris.

Vers. 18. *Et dixit ei: Etiam ego sum Propheta sicut tu: & Angelus locutus est ad me in sermone Domini dicendo: Reduc eum tecum in domum tuam, & comedat panẽ, & bibat aquã: Mẽtitus est ei.*]Ecce manifestũ

Mendacium Prophetæ ex Samaria.

de industria mẽdaciũ istius Prophetæ ex Samaria.

Reduxítque eum: & comedit panem in domo eius, & bibit aquam. Vers. 19.

Cúmque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum.] Ecce donum prophetiæ datum malo prophetæ. Vers. 20.

Et clamauit ad virum Dei, qui venerat de Iehuda dicendo: Sic dixit Dominus: Pro eo, quòd inobediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus.]non meus, quia ipse colebat vitulos aureos. Vers. 21.

Donum prophetiæ datum malo Prophetæ.

Sed reuersus es, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco, de quo locutus est ad te: Non comedas panem, neque bibas aquam.] Facilis fuit ad credendum ignoto Prophetæ, quòd reuocasset Deus præceptum. Nec excusabilis erat: quia dimisit certum, & adhæsit incerto: diuinum siquidem præceptum ei factum erat certum; reuocatio autem dicta per Prophetã Samarię erat incerta viro Dei. Vers. 22.

Non inferetur cadauer tuum in sepulcrum patrum tuorum.] Leuis pœna monstrat veniale fuisse peccatũ illius sancti viri: non enim ex intentione, sed deceptus peccauit peccato inobedientiæ.

Leuis pœna monstrat veniale peccatum.

Cúmque comedissent panem, & bibissent, strauit ei asinum, Propheta quem reduxerat. Vers. 23.

Abiítque, & inuenit eum leo in via, & occidit eum.]Maiori pœna punitus est, quàm fuerit reuelata Prophetæ Samariæ: nam sola priuatio paterni sepulcri prædicta fuerat, & præter eam punitus est occisione à leone. Vers. 24.

Et erat cadauer eius proiectum in via, & asinus iuxta illud, & leo stans iuxta cadauer.] Ad testificandum publicè, tum diuinam punitionem inobedientiæ, tum diuinum fuisse sermonem dictum ab isto occiso, effecit Deus duo: & quòd leo occidit eum, & quòd custos tam occisi, quam asini esset leo: vt & ex pœna inobedientis, & ex custodia leonina pateret omnibus, quòd verè Deus miserit illum, verúsque fuerit sermo eius: nisi enim verè fuisset diuinus sermo, non fuisset punitus ipse transgressoris illius sermonis: ipsemet enim dixerat inter alia, fuisse sibi mandatum à Deo, ne comederet & biberet ibi. Et ne adscriberetur occisio illius casus secundis; sed diuino iudicio, adiunctum est miraculum leoninæ custodiæ, tum cadaueris, vt sepeliretur; tum asini, vt portaret cadauer ad sepulcrum: vt omni ex parte pateret fuisse illum verè missum à Deo: nam & sic adimpleta quoque est prophetia reuelata Prophetæ ex Samaria.

Cur leo custodierit cadauer Prophetæ, cum occiderit.

Et ecce transeuntes viderunt cadauer proiectum in via, & leonem stantem iuxta cadauer: veneruntque, & locuti sunt in ciuitate, in qua Propheta senex manebat. Vers. 25.

Audiítque Propheta, qui reduxerat eum de via, & ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit eum, iuxta verbum Domini, quod locutus est ei. Hæc vltima verba (*iuxta verbum Domini*, &c.) non referuntur ad occisionem, sed ad inobedientiam: neutri enim reuelata fuerat huiusmodi occisio: sed viro Dei reuelatum fuerat, vt non comederet, neque biberet ibi: & secundùm hunc sermonem diuinum inobediens inuentus est: quia non paruit ei. Vers. 26.

Locutúsque est ad filios suos dicendo: Sternite mihi asinum. & strauerunt. Vers. 27.

Et abiit, & inuenit cadauer eius proiectum in via, & asinum, & leonem stantes iuxta cadauer: non comedit leo cadauer, neque confregit asinum. Vers. 28.

Dixítque

Vers. 29. *Tulitque Propheta cadauer viri Dei.*] Intelligens mysterium, non timuit leonem: & opus humanitatis exhibuit viro Dei tollendo cadauer eius.

Vers. 30. *Et posuit illud super asinum, & retulit illud: venitque ad ciuitatem Propheta senex ad plangendum, & sepeliendum eum. Et posuit cadauer eius in sepulcro suo.*] Ecce adimpleta prophetia priuationis proprij sepulcri.

Et planxerunt super eum: Heu frater mi.

Vers. 31. *Cúmque sepelisset eum, dixit ad filios suos: Cùm mortuus fuero, sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est, & iuxta ossa eius ponite ossa mea.*] Hinc apparet, quòd Propheta iste ex Samaria, cultor erat vitulorum aureorum: nam propterea cauit, ne ossa sua comburerentur à Iosia cum aliis comburendis ab eodem iuxta verbum viri Dei: hæc enim ratio subiungitur: cogitauit enim, quod & euenit, videlicet, quòd Iosias intactum relictutus esset sepulcrum viri Dei.

Vers. 32. *Profectò enim veniet sermo, quem exclamauit in sermone Domini contra altare, quod est in Bet-bel: & contra omnes domos excelsorum, quæ sunt in ciuitatibus Someron.*] Videns adimpletam reuelationem sibi factam de sepulcro viri Dei, & diuinum miraculum adhibitum pœnæ viri Dei, credidit verum Dei Prophetam fuisse illum occisum, & ventura esse, quæ prædixit.

Vers. 33. *Post verbum hoc non est reuersus Iarobham à via sua mala.*] Obstinatio Ieroboham describitur, quòd visis tot miraculis in testimonium diuini nuncij non resipuit.

Sed è contrario.] Legendum est, *& reuersus est.* à Beth-el.

Fecit de nouissimis populi.] Hebraïcè habetur, *& fecit de angulis populi Sacerdotes excelsorum.* Præter Sacerdotes institutos in aris vitulorum aureorum, narrantur instituti Sacerdotes excelsorum: delectabatur enim populus sacrificare in locis excelsis, & amœnis, vbi erant arbores. Et hoc ad cumulum peccati Ieroboham dicitur: commoditatem enim per hoc dedit populo sacrificandi vbique in locis delectabilibus.

Adimpletio manus consecrationē Sacerdotis significat.

Qui volebat, implebat manum suam, & erat Sacerdos Excelsorum.] Per adimpletionem manus consecratio Sacerdotis significatur ad instar Sacerdotum legalium, qui fiebant vnctione manus: ipsa enim vnctio, impletio manus dicitur. Et intellige Sacerdotes excelsorum sacrificare in honorem eorundem vitulorum: quemadmodum Israëlitæ consueuerant in excelsis immolare Deo.

Vers. 34. *Et propter hanc causam peccauit domus Iarobham.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit, sicut res ista in peccatum domui Iarobham.* Res ista demonstrat gesta Ieroboham circa hanc idololatriam vniuersa: fuerunt enim imputata in peccatum domui eius secundùm manifestam pœnam in hoc mundo, de qua subiungitur:

Hebræi præponunt manus minori.

Et euersa est, & deleta.] Iuxta Hebr. habetur, *& ad destruendum, & ad destruendum è superficie terræ.* Verùm aduerte, quòd Hebraïco more maius præponitur minori: nam peius significat primum destruere quàm secundùm, si Hebraicæ dictiones pensentur: pœna enim hæc subsecuta infernis scribitur.

CAPVT XIV.

IN tempore illo ægrotauit Abi-ia filius Iarobham. Vers. 1.

Dixitque Iarobham ad vxorem suam: Vers. 2. *Surge, quæso, & muta habitum, & non cognoscatur, quòd sis vxor Iarobham: & vade in Silo, ecce ibi est Achi-ia Propheta, qui locutus est mihi, quod regnaturus essem super populum hunc.*

Tollésque in manu tua decem panes, & crustula.] Vers. 3. Aiunt panem quidem, sed quadam speciali forma factum, tanquàm pictum significari per crustulam.

Et lagenam mellis: & vade ad eum: ipse indicabit tibi, quid futurum sit puero. Vers. 4.

Et fecit sic vxor Iarobham, & surrexit, & iuit in Silo, & venit in domum Achi-ia: at Achi-ia non poterat videre, quia caliganerant oculi eius præ senectute eius.

Dixit autem Dominus ad Achi-iam: Ecce vxor Vers. 5. *Iarobham venit, vt consulat te super filio suo, qui ægrotat: hæc, & hæc loqueris ei: & cùm intrabit, se esse aliam simulabit.*

Cúmque audisset Achi-ia sonitum pedum eius introeuntis in portam, dixit: Ingredere, vxor Iarobham, cur aliam te esse simulas? & ego missus sum ad te durus nuncius. Vers. 6.

Vade, dic ad Iarobham: Sic dixit Dominus Deus Vers. 7. *Israël: Pro eo, quòd exaltauí te de medio populi, & dedi te ducem super populum meum Israel.*

Et scidi regnum de domo Dauid, & dedi illud tibi: & non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & qui ambulauit post me in toto corde suo, ad faciendum tantùm, quod rectum erat in oculis meis. Vers. 8.

Sed operatus es malè præ omnibus, qui fuerunt Vers. 9. *ante te: & iuisti, & fecisti tibi Deos alienos, & conflatiles ad irritandum me.*] Verè peius fecit Ieroboham, quàm quicunque alius, non solùm Rex, sed etiam cuiuscunque conditionis in Israël: ingratissimus enim Deo, coëgit regnum ad idololatriam perpetuam: quod ante ipsum nullus fecerat. Et quod amplius est.

Ieroboham in quo fecerit peius quàm quicunque alius.

Me autem proiecisti post tergum tuum.] Minùs posteà peccauerunt Samaritani, qui colentes Deos, colebant quoque summum Deum. Minùs quoque peccauerat Salomon, qui non reliquit cultum veri Dei, quanuis sacrificauerit alijs; nec coëgit populum ad recessum à cultu veri Dei; sed tu reliquisti cultum meum, & coluisti Deos alios.

Idcircò ego adducam mala super domum Iarobham, & excidam de Iarobham mingentem ad parietem.] hoc est, nemine excepto. Vers. 10.

Et clausum, & nouissimum in Israel.] Hebraïcè habetur, *& retentum, & derelictum in Israël.* Punienda prædicitur non solùm domus Ieroboham, sed vniuersitas Israëlis, ab associatis vsque ad derelictos: dictio enim interpretata, *retentum*, non significat retentos vi, sed frequenti cœtu functos: explicantur enim omnes Israëlitæ puniendi, nominando hæc duo genera; videlicet, tuentium se cœtu, & derelictorum.

Retentum, quid significet.

Et mundabo reliquias domus.] Hebraïcè habetur: *post domum Iarobham.* Sed Interpres pro *post*, posuit *reliquias.*

Sicut mundari solet fimus vsque ad purum.] Litera ista dupliciter legitur: quia dictio interpretata

cender.] Alludens ad altare dixit, *sacrificabit*, ironice; hoc est, in detestationem sacrificij vestri Sacerdotes ipsos super altare concremabit: quod enim dicitur de Sacerdotibus istis, intelligitur de eis, non viuis, sed defunctis, quantum ad corpora eorum: illa enim Iosias concremauit super altare illud.

Vers. 3. *Dedítque in die illa signum dicendo: Hoc est signum, quod locutus est Dominus: Ecce altare scinditur, & effundetur cinis, qui est super ipsum.*] Quia longè pòst futura annunciabat, ne videretur comminari, dat signum præsens, vt credatur futurum. Et in hoc apparet magna Dei benignitas ad monendum & Regem, & populum vt resipiscerent.

Benignitas Dei in Ieroboam, & populũ eius.

Vers. 4. *Cúmque audísset Rex sermonem viri Dei, quem inclamauerat contra altare in Beth-el, extendit Ieroboam manum suam de altari dicendo: Apprehendite eum, & exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, & non potuit trahere eam ad se.*

Vers. 5. *Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari: iuxta signum, quod dederat vir Dei in sermone Domini.*

Vers. 6. *Et respondit Rex, & dixit ad virum Dei: Deprecare quæso faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt reuertatur manus mea ad me: Orauitque vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus Regis ad eum, & fuit, sicut prius.*

Vers. 7. *Locutus est autem Rex ad virum Dei: Veni mecum domum, & prande, & dabo tibi munera.*

Vers. 8. *Dixítque vir Dei ad Regem: Si dederis mihi dimidium domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam in loco isto.*

Vers. 9. *Sic enim præceptum est mihi in sermone Domini dicendo: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reuerteris per viam, qua ieueris.*

Vers. 10. *Et abiit per aliam viam: & non est reuersus per viam, qua venerat in Beth-el.*

Vers. 11. *Prophetа autem quidam senex habitabat in Beth-el.*] De isto scribitur in lib. 4. quòd venerat de Samaria ad differentiam ante dicti Prophetæ, qui venerat de Iuda. Appellatur autem iste Propheta, quia professionem faciebat prophetandi. malus autem apparet ex operibus suis.

Veneruntque filij eius, & narrauerunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Beth-el, & verba, quæ locutus fuerat ad Regẽ narrauerunt patri suo.

Vers. 12. *Et locutus est ad eos pater eorum: Per quam viam abiit. Et ostenderunt filij eius viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Iehuda.*

Vers. 13. *Et ait filijs suis: Sternite mihi asinum. Strauerúntque ei asinum, & equitauit super eum.*

Vers. 14. *Abítque pòst virum Dei, & inuenit eum sedentem sub terebintho.*] Hebraicè habetur, *sub quercu.* quiescebat enim, vtpote lassus.

Et ait ei: Túne es vir Dei, qui venisti de Iehuda? Et dixit: Sum.

Vers. 15. *Dixítque ad eum: Veni mecum domum, & comede panem.*

Vers. 16. *Qui ait: Non possum reuerti tecum, nec venire tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam tecum in loco isto.*

Vers. 17. *Quia locutus est Dominus ad me.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quia verbum mihi in sermone Domini.* nec toties repetitur Dei nomen.

Non comedes panem, & non bibes ibi aquam, nec reuerteris per viam, qua ieueris.

Vers. 18. *Et dixit ei: Etiam ego sum Propheta, sicut tu: & Angelus locutus est ad me in sermone Domini dicendo: Reduc eum tecum in domum tuam, & comedat panem, & bibat aquam: Mentitus est ei.* Ecce manifestũ

Mendacium Prophetæ ex Samaria.

de industria mẽdaciũ istius Prophetæ ex Samaria.

Reduxítque eum: & comedit panem in domo eius, & bibit aquam. Vers. 19.

Cúmque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum.] Ecce donum prophetiæ datum malo prophetæ. Vers. 20.

Et clamauit ad virum Dei, qui venerat de Iehuda dicendo; Sic dixit Dominus: Pro eo, quòd inobediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus.] non meus, quia ipse colebat vitulos aureos. Vers. 21.

Donum prophetiæ datur malo Prophetæ.

Sed reuersus es, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco, de quo locutus est ad te: Non comedas panem, neque bibas aquam.] Facilis fuit ad credendum ignoto Prophetæ, quòd reuocasset Deus præceptum. Nec excusabilis erat: quia dimisit certum, & adhæsit incerto: diuinum siquidem præceptum ei factum erat certum; reuocatio autem dicta per Prophetã Samarię erat incerta viro Dei. Vers. 22.

Non inferetur cadauer tuum in sepulcrum patrum tuorum.] Ieuis pœna monstrat veniale fuisse peccatũ istius sancti viri: non enim ex intẽtione, sed deceptus peccauit peccato inobedientiæ.

Ieuis pœna indicat veniale peccatum.

Cúmque comedisset panem, & bibisset, strauit ei asinum, Prophetæ quem reduxerat. Vers. 23.

Abiítque, & inuenit eum leo in via, & occidit eum.] Maiori pœna punitus est, quàm fuerit reuelata Prophetæ Samariæ: nam sola priuatio paterni sepulcri predicta fuerat, & præter eam punitus est occisione à leone. Vers. 24.

Et erat cadauer eius proiectum in via, & asinus iuxta illud, & leo stans iuxta cadauer.] Ad testificandum publicè, tum diuinam punitionem inobedientiæ, tum diuinum fuisse sermonem dictum ab isto occiso, effecit Deus duo: & quòd leo occidit eum, & quòd custos tam occisi, quam asini esset leo: vt & ex pœna inobedientis, & ex custodia leonina pateret omnibus, quòd verè Deus miserit illum, verúsque fuerit sermo eius: nisi enim verè fuisset diuinus sermo, non fuisset punitus ipse transgressor illius sermonis: ipsemet enim dixerat inter alia, fuisse sibi mandatum à Deo, ne comederet & biberet ibi. Et ne adscriberetur occisio illius casui secundis; sed diuino iudicio, adiunctum est miraculum leoninæ custodiæ, tum cadaueris, vt sepeliretur; tum asini, vt portaret cadauer ad sepulcrum: vt omni ex parte pateret fuisse illum verè missum à Deo: nam & sic adimpleta quoque est prophetia reuelata Prophetæ ex Samaria.

Cur leo custodierit cadauer Prophetæ, quem occiderat.

Et ecce transeuntes viderunt cadauer proiectum in via, & leonem stantem iuxta cadauer: veneruntque, & locuti sunt in ciuitate, in qua Propheta senex manebat. Vers. 25.

Audítuique Propheta, qui reduxerat eum de via, & ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit eum, iuxta verbum Domini, quod locutus est ei.] Hæc vltima verba (*iuxta verbum Domini*, &c.) non referuntur ad occisionem, sed ad inobedientiam: neutri enim reuelata fuerat huiusmodi occisio: sed viro Dei reuelatum fuerat, vt non comederet, neque biberet ibi: & secundùm hunc sermonem diuinum inobediens inuentus est: quia non paruit ei. Vers. 26.

Locutúsque est ad filios suos dicendo: Sternite mihi asinum. & strauerunt. Vers. 27.

Et abiit, & inuenit cadauer eius proiectum in via, & asinum, & leonem stantes iuxta cadauer: non comedit leo cadauer, neque confregit asinum. Vers. 28.

Dixítque

Vers. 29. *Tulitque Propheta cadauer viri Dei.*] Intelligens mysterium, non timuit leonem: & opus humanitatis exhibuit vito Dei tollendo cadauer eius.

Vers. 30. *Et posuit illud super asinum, & retulit illud: venitque ad ciuitatem Prophetæ senex ad plangendum, & sepeliendum eum. Et posuit cadauer eius in sepulcro suo.*] Ecce adimpleta prophetia priuationis proprij sepulcri.

Et planxerunt super eum: Heu frater mi.

Vers. 31. *Cumque sepelisset eum, dixit ad filios suos: Cùm mortuus fuero, sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est, & iuxta ossa eius ponite ossa mea.*] Hinc apparet, quòd Propheta ille ex Samaria, cultor erat vitulorum aureorum: nam propterea cauit, ne ossa sua comburerentur à Iosia cum aliis comburendis ab eodem iuxta verbum viri Dei: hæc enim ratio subiungitur: cogitauit enim, quod & euenit, videlicet, quòd Iosias intactum relicturus esset sepulcrum viri Dei.

Vers. 32. *Profectò enim veniet sermo, quem exclamauit in sermone Domini contra altare, quod est in Bet-hel: & contra omnes domos excelsorum, quæ sunt in ciuitatibus Samariæ.*] Videns adimpletam reuelationem sibi factam de sepulcro viri Dei, & diuinum miraculum adhibitum pœnæ viri Dei, credidit verum Dei Prophetam fuisse illum occisum, & ventura esse, quæ prædixit.

Vers. 33. *Post verbum hoc non est reuersus Iarobham à via sua mala.*] Obstinatio Ieroboham describitur, quòd visis tot miraculis in testimonium diuini nuncij non resipuit.

Sed è contrario.] Legendum est, *& reuersus est.* à Beth-el.

Fecit de nouissimis populi.] Hebraïcè habetur, *& fecit de angulis populi Sacerdotes excelsorum.* Præter Sacerdotes institutos in aris vitulorum aureorum, narrantur instituti Sacerdotes excelsorum: delectabatur enim populus sacrificare in locis excelsis, & amœnis, vbi erant arbores. Et hoc ad cumulum peccati Ieroboham dicitur: commoditatem enim per hoc dedit populo sacrificandi vbique in locis delectabilibus.

Adimpletio manus consecrationē Sacerdotis significat.

Qui volebat, implebat manum suam, & erat Sacerdos Excelsorum.] Per adimpletionem manus consecratio Sacerdotis significatur ad instar Sacerdotum legalium, qui fiebant vnctione manus: ipsa enim vnctio, impletio manus dicitur. Et intellige Sacerdotes excelsorum sacrificare in honorem eorundem vitulorum: quemadmodum Israëlitæ consueuerant in excelsis immolare Deo.

Vers. 34. *Et propter hanc causam peccauit domus Iarobham.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit, sicut res ista in peccatum domui Iarobham.* Res ista demonstrat gesta Ieroboham circa hanc idololatriam vniuersa: fuerunt enim imputata in peccatum domui eius secundùm manifestam pœnam in hoc mundo, de qua subiungitur:

Hebrai præponunt maius minori.

Et euersa est, & deleta.] Iuxta Hebr. habetur, *& ad destruendum, & ad destruendum è superficie terræ.* Verùm aduerte, quòd Hebraïco more maius præponitur minori: nam peius significat primum destruere quàm secundùm, si Hebraïcæ dictiones pensentur: pœna enim hæc subsecuta infrà scribitur.

CAPVT XIV.

IN tempore illo ægrotauit Abi-ia filius Iarobham. Vers. 1.

Dixitque Iarobham ad vxorem suam: Vers. 2. *Surge, quæso, & mutà habitum, & non cognoscatur, quòd sis vxor Iarobham: & vade in Silo, ecce ibi est Achi-ia Propheta, qui locutus est mihi, quòd regnaturus essem super populum hunc.*

Tollésque in manu tua decem panes, & crustula.] Vers. 3. Aiunt panem quidem, sed quadam speciali forma factum, tanquàm pictum significari per crustulam.

Et lagenam mellis: & vade ad eum: ipse indicabit tibi, quid futurum sit puero. Vers. 4.

Et fecit sic vxor Iarobham, & surrexit, & iuit in Silo, & venit in domum Achi-ia: at Achi-ia non poterat videre, quia caligauerant oculi eius præ senectute eius.

Dixit autem Dominus ad Achi-iam: Ecce vxor Vers. 5. *Iarobham venit, vt consulat te super filio suo, qui ægrotat: hæc, & hæc loqueris ei: & cùm intrabit, se esse aliam simulabit.*

Cumque audisset Achi-ia sonitum pedum eius introeuntis in portam, dixit: Ingredere, vxor Iarobham, cur aliam te esse simulas? & ego missus sum ad te durus nuncius. Vers. 6.

Vade, dic ad Iarobham: Sic dixit Dominus Deus Vers. 7. *Israël: Pro eo, quòd exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem super populum meum Israel.*

Et scidi regnum de domo Dauid, & dedi illud tibi: & Vers. 8. *non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & qui ambulauit post me in toto corde suo, ad faciendum tantùm, quod rectum erat in oculis meis.*

Sed operatus es malè præ omnibus, qui fuerunt Vers. 9. *ante te: & iuisti, & fecisti tibi Deos alienos, & conflatiles ad irritandum me.*] Verè peius fecit Ieroboham, quàm quicunque alius, non solùm Rex, sed etiam cuiuscunque conditionis in Israël: ingratissimus enim Deo, coëgit regnum ad idololatriam perpetuam: quod ante ipsum nullus fecerat. Et quod amplius est.

Ieroboham in quo fecerit peius quàm quicunque alius.

Me autem proiecisti post tergum tuum.] Minùs posteà peccauerunt Samaritani, qui colentes Deos, colebant quoque summum Deum. Minùs quoque peccauerat Salomon, qui non reliquit cultum veri Dei, quanuis sacrificauerit aliis; nec coëgit populum ad recessum à cultu veri Dei; sed tu reliquisti cultum meum, & coluisti Deos alios.

Idcirco ego adducam mala super domum Iarobham, & Vers. 10. *excidam de Iarobham mingentem ad parietem.*] hoc est, nemine excepto.

Et clausum, & nouissimum in Israël.] Hebraïcè habetur, *& retentum, & derelictum in Israël.* Punienda prædicitur non solùm domus Ieroboham, sed vniuersitas Israëlis, ab associatis vsque ad derelictos: dictio enim interpretata, *retentum*, non significat retentos vi, sed frequenti cœtu functos: explicantur enim omnes Israëlitæ puniendi, nominando hæc duo genera, videlicet, tuentium se cœtu, & derelictorum.

Retentum, *quid significet.*

Et mundabo reliquias domus.] Hebraïcè habetur: *posi domum Iarobham.* Sed Interpres pro *posi*, posuit *reliquias.*

Sicut mundari solet fimus vsque ad purum.] Litera ista dupliciter legitur: quia dictio interpretata

Dictio interpretata, firmus, anceps est ad stercus, vel deutem.

terpretata *firmus* anceps est ad *stercus*, vel ad *demẽ*. si enim in sensu vulgatæ editionis legitur, sententia plana significatur, succidendos esse posteros domus Ieroboham vsque in finem, (hoc est, penitùs,) quemadmodũ succiditur stercus. Si verò legitur: *Et succidam post domum Iarobham, sicut destruet dens vsque ad finire suum.* sententia hæc relata ad consumptionem Israëlis, consona inuenitur; vt post domum Ieroboham punitam, Israël significetur succidendus paulatim, quemadmodum destruitur cibus dentibus molitus, vsquequò finiatur: huiusmodi enim pœnam regni Israël euentus comprobauit: vt testantur subiuncta in hoc libro & quarto.

Vers. 11. *Mortuum de Iarobham in ciuitate, comedent canes, & mortuum in agro, comedent aues cœli: quia Dominus locutus est.*

Vers. 12. *Tu autem surge. Vade in domum tuam: in introitu pedum tuorum in ciuitatem, morietur puer.*

Vers. 13. *Et plangent eum totus Israel, & sepelient eum: iste enim solus inferetur de Iarobham in sepulcrum.*] Intellige, *solus*, non incluso ipso Ieroboham: propterea enim dicitur, *de Ieroboham.*

Quia inuentus est super eo sermo bonus à Domino Deo Israël.] Legendum est, *eò quod inuenta est in eo res bona ad Iehouah Elohe Israëlis in domo Iarobham.* Quid autem fecerit iste boni, non est authentica traditum scriptura.

Vers. 14. *Constituet autem sibi Dominus Regem super Israel.*] Prophetatur Rex Bahasa, de quo in sequenti erit capitulo sermo.

Qui percutiet domum Iarobham in hac die, & in hoc tempore.] Hebraïcè habetur, *hac die, & quid etiam nunc?* Non ad ipsam percussionem, sed ad percutiendos refertur hoc tempus: & est sensus, quòd Bahasa futurus Rex, excidet domum Ieroboham, non quoad successuros longè pòst, sed hodie: imò sed nunc viuentes: prædicit enim infra tam breue tempus excidendam esse domum Ieroboham ab illo Rege, vt etiam illi, qui sunt vitui nunc ex domo Ieroboham, excidendi sint.

Vers. 15. *Et percutiet Dominus Israelem, sicut moueri solet arundo in aqua.*] Redit ad pœnam Israëlis describendam duplicem: alteram, quoad Reges, quòd percutietur Israël hac plaga, vt agitetur varia promotione Regum, quemadmodum agitatur arundo: hoc est, multitudo arundinum in aquis nascentium, quæ sunt fragiliores aliis arundinibus. Et hæc pœna experientia comprobata est, ita quòd in regno Iudæ stabilis erat successio Regum ex domo Dauidis: in regno autem Israëlis varia valde fuit vsurpatio regni, modò ab isto, modò ab illo.

Pœna Israëlis duplex prædicitur vtens Ieroboham ab Abia.

Et euellet Israelem de terra bona hac, quam dedit patribus eorum.] Altera pœna expulsionis Israëlis de terra promissionis prædicitur.

Et dispergit eos trans flumen.] Euphrates significatur.

Eo quòd fecerunt lucos suos.] pro cultu idolorũ, *Irritantes Dominum.*

Vers. 16. *Et tradet Israelem propter peccata Iarobham, qui peccauit, & qui peccare fecit Israelem.*] Libra, quàm graue fuerit peccatum Ieroboham, quòd propter illud effatum in populo, electus est vniuersus populus Israël de terra sua.

Vers. 17. An vere prædixerit Abias tempus obitus pueri Ieroboham.

Surrexit itaque uxor Iarobham, & abiit, & venit Thirzam: ipsaque ingrediente limen domus puer mortuus est.] Non caret quæstione tempus mortis istius iuuenis: eò quòd Propheta dixerat matri, eũ morituru venienti pede eius ad ciuitatem; modò autem narratur obitus ingrediente illa limen domus: tardior enim videtur obitus, quàm prædictus fuerat. Solutio est, quòd pro eodem tempore supputatur tempus totum ab ingressu mulieris in ciuitatem, vsque ad ingressum in domum propriam, tanquàm quoddam præsens confusum: & eò magis, quòd Rex (vt par est credere) in platea portę ciuitatis (vtpote nobiliore loco) habitabat.

Vers. 18. *Et sepelierunt, ac planxerunt eum totus Israël: iuxta sermonem Domini, quem locutus fuerat in manu serui sui, Achi-iahu Prophetæ.*

Vers. 19. *Reliquum autem verborum Iarobham, quomodo pugnauit, & quomodo regnauit: ecce scripta sunt in libro verborum dierum* (hoc est, in Annalibus) *Regum Israël.*] Et simile intellige, cũ similis scribitur sententia de librorum verborum dierum Regum Iudæ, ne oporteat idem sæpè repetere.

Liber verborum Regum Israël, sunt Annales.

Vers. 20. *Dies autem, quibus regnauit Iarobham, viginti-duo anni sunt: dormiuitque cum patribus suis, & regnauit Nadab filius eius pro eo.*

Vers. 21. *Porrò Rechabham, filius Salomonis, regnauit in Iehuda: filius quadraginta, & vnius annorum erat Rechabham, cum regnare cœpit; & decem, & septem annis regnauit in Ierusalaim ciuitate, quam elegit Dominus, vt poneret nomen suum ibi ex omnibus Tribubus Israël: & nomen matris eius Naahama Hammonithis*] Nõ saltat Author libri, sed propositũ exequitur: videlicet, scribere alternatim succedentes Reges in regnis duobus, Iudæ, & Israël.

Vers. 22. *Et fecit Iehuda malum in oculis Domini.*] post triennium, vt Paralipomenon supplet.

Et irritauerunt eum super omnibus.] Legendum est, *plus omnibus, quæ fecerunt patres eorum in peccatis suis, quibus peccauerunt.*] Et istud plus manifestatur per subiuncta.

Vers. 23. *Ædificauerúntque etiam ipsi sibi excelsa, & statuas, & lucos: super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam.*] vt hinc pateat manifesta idololatria.

Vers. 24. *Et etiam effœminati fuerunt in terra: fecerunt secundum omnes abominationes gentium, quas execit Dominus à facie filiorum Israël.*] Quemadmodum meretrix à Scriptura appellatur *parata*, ita puer meritorius appellatur *paratus*. Vide in quantam proruperunt cæcitatem, vt pueros meritorios publicè haberent in terra sancta, imitantes abominationes ethnicorum.

Parata, & paratus, quid.

Pueros meretrices publicè habebant Iudæi tempore Roboam.

Vers. 25. *In quinto autem anno Regis Rechabham, ascendit Sisac Rex Ægypti contra Ierusalaim.*] Non caret ratione, quòd Ieroboham Rex Israël prouocauerit Sisac, ad quem confugerat olim, vt inuaderet regnum Iudæ: Deus autem vsus est illo ad puniendum populum suum.

Vers. 26. *Et tulit thesauros domus Domini, & thesauros domus Regis, & omnia tulit: tulitque omnia scuta aurea, quæ fecerat Salomo.*] mitigante Deo pœnam, vt scribitur in 2. Paralip. c. 12.

2. Paral. 12.

Vers. 27. *Et fecit Rex Rechabham pro eis scutaærea: & tradidit ea in manu Principum cursorum, custodientium portam domus regiæ.*

Vers. 28. *Cumque ingrederetur Rex domum Domini.*] Hinc apparet, quòd Roboham Rex Iudæ non deseruit cultum summi Dei.

Vers. 29. *Portabant ea cursores, & reportabant ea ad cameram cursorum.*

Vers. 30. *Reliquum autem verborum Rechabham, & omnia, quæ fecit, nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iehuda.*

Fuit que bellum inter Rechabham, & Iarobham, omnibus diebus.

Dormiuitque

Vers. 30. *Dormiuitque Rechabham cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid: & nomen matris eius Naahama Hammonithis, & regnauit Abi-iam filius eius pro eo.*]

CAPVT XV.

Vers. 1. IN ANNO *decimooctauo regni Ieroboham filij Nebat, regnauit Abi-iam super Iehudam.*

Vers. 2. *Tribus annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Mahacha filia Abesalom.*] Quod ideò annotauerim, ne legas Absalom, sed Abisalom.

Vers. 3. *Ambulauitque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum: nec fuit cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius.*

Vers. 4. *Sed propter Dauid dedit Dominus Deus eius ei lucernam in Ierusalaim, vt suscitaret filium eius post eum, & vt stare faceret Ierusalaim.*] Apertè dicitur, quòd non propter paterna merita regnauit ille, sed propter merita Dauidis.

Vers. 5. *Eo quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini: & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei omnibus diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Ethæi.*] Rectiùs legeretur, *præter rem Vriæ Chethei.* Sed quæstio surgit de veritate huius sententiæ: nam quicquid sit de aliis peccatis Dauidis, quæ Scriptura non apertè manifestat fuisse peccata, perspicuum est, narratum illius peccatum numerando populum: propter quod tam sæua pestis occidit septuaginta millia virorum triduo; vt superiùs in calce secundi libri scriptum est. Quomodo igitur verificatur Dauidem omnibus diebus vitæ suæ seruasse omnia diuina præcepta, nisi in re Vriæ Ethæi, qua commisit, & adulterium & homicidium? Solutio est, quòd Scriptura hoc in loco loquitur de peccatis enormibus: ita quòd non est sensus, Dauidem in sola re Vriæ Ethæi peccasse; sed in sola ipsa peccasse enormiter: alia enim Dauidis peccata, quanuis grauia, non tamen enormia fuerunt. Nam peccatum numerationis populi tam grauiter punitum, fuit peccatum vanitatis, & ignorantiæ; vanitatis quidem quoad affectum: ignorantiæ autem quoad non seruatam legem decernentem debere solui medium sicli à quolibet numerato.

An verè dicat Scriptura, Dauidem non peccasse nisi in Vria.

Dauid peccauit vanitate, & ignorantia numerando populum.

Vers. 6. *Bellumque fuit inter Abi-iam, & Iarobham, omnibus diebus vitæ eius.*

Vers. 7. *Reliquum autem verborum Abi-iam, & omnia, quæ fecit, nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iehudæ? Fuitque prælium inter Abi-iam, & inter Iarobham.*] Hoc prælium diffusè scribitur secundi Paralipomenon decimotertio, vbi confidentia istius Abiæ in summo Deo narratur causa præclaræ victoriæ.

2. Paral. 13.

Vers. 8. *Et dormiuit Abi-iam cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate Dauid: regnauitque Asa filius eius pro eo.*

Vers. 9. *Anno quoque vigesimo Iarobham Regis Israel, regnauit Asa super Iehudam.*] Occurrit quæstio: quia in principio huius capituli scriptum est, quòd anno decimooctauo regni Ieroboham regnauit in Ierusalem Abias, & quòd tribus annis regnauit: quomodo igitur verificatur, quòd filius eius regnauerit in anno vigesimo regni Ieroboham? Solutio est, quòd ipse annus decimusoctauus supputatur primus annus regni Abiæ: & sic triennium eius durauit vsque ad calcem anni vigesimi regni Ieroboham; ita tamen, quòd in calce eiusdem vigesimi anni inceperit regnare filius eius: non enim oportet tres illos annos intelligere perfectè completos. Et simili modo recolito concordare annos succedentium Regum, vbi similis dissonantia occurret, ne sit opus similia semper repetere.

Dubium de tempore regni Asa, & eius filij distinguitur.

Vers. 10. *Et quadraginta, & vno annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Mahacha, filia Abisalom.*] Aduerte, quòd altera est hæc Mahacha à superiùs scripta: illa enim fuit mater Abiæ, ista vxor eius. Et quoniam filiæ fuerunt eiusdem patris, & eiusdem nominis, apparent vna: pater enim & filius acceperunt duas sorores eiusdem nominis.

Vers. 11. *Fecitque Asa rectum in oculis Domini, sicut Dauid pater eius.*

Vers. 12. *Et transfire fecit effœminatos de terra.*] Meritorij significantur pueri.

Effœminati qui.

Et amouit omnes sordes idolorum, quæ fecerant patres eius.

Vers. 13. *Et etiam Mahacham matrem suam amouit, ne esset Princeps in sacris Priapi, & in luco eius, quem consecrauerat.*] Hebraïcè habetur, *quæ fecit horrendum in quercu.* Verùm honesto vocabulo Scriptura narrat turpe idolum, quod vulgata editio explicat. Amouit itaque Asa matrem suam à principatu huiusmodi cultus, vel etiam à principatu absolutè in pœnam huius peccati.

Subuertitque specum eius, & confregit simulacrum turpissimum.] Hebraïcè habetur, *& incidit Asa horrendũ eius, & cõbussit in torrente Cid-rõ.* Lucum, seu quercum cum horrenda forma turpitudinis, succidisse, & combussisse (vt penitùs extingueretur huiusmodi nequitia) narratur.

Vers. 14. *Excelsa autem non abstulit.*] Hebraïcè habetur: *Et excelsa non amouerunt.* Et est sermo de excelsis, in quibus sacrificabatur Deo vero. Et significanter dicitur, non amouerunt, vt intelligamus populũ fuisse in causa, quare nõ fuerint ablata excelsa: Rex enim permittendum hoc populo cẽsuit: ne delectatio immolandi in excelsis, abduceret eos à cultu Dei ad idololatriam.

Per excelsa, quid hic intelligatur.

Asa in fine vitæ minore fiducia fuit in Deum.

Veruntamen cor Asa fuit perfectum cum Domino omnibus diebus eius.] quantum ad cultum solius summi Dei: quanuis minorem fiduciam in fine vitæ suæ monstrauerit se habere in Deo, quàm habere debuisset: & aliter etiam peccauerit, vt Paralipomenon manifestat.

Vers. 15. *Et intulit ea, quæ sanctificauerat pater eius, & vouerat in domum Domini.*] Hebraïcè habetur: *Et intulit sanctificationes patris sui, & sanctificationes domus Domini; argentum, & aurum, & vasa.*] Duo genera dicatorum Deo, auri, argenti, & vasorum narrantur illata: videlicet, dicata ab Abia patre eius, & ea, quæ erant ipsius templi.

Vers. 16. *Bellum autem fuit inter Asam, & Basam, Regem Israel, omnibus diebus eorum.*

Vers. 17. *Ascenditque Baasa Rex Israël in Iudam.*] Legendum est: *Et ascendit Baasa Rex Israël super Iehudam.* Nec dicitur, quòd Rex Israël venerit in territorium Iudæ; sed supra illud; hoc est, ad locum quasi portam territorij Iudæ: vt subiuncta insinuant.

Et ædificauit Ramam.] Dictionem Hebraïcam reliquerunt: cùm Latinè potuissent dicere:

Excelsa ad non dandum egredientem, & ingredientem Asa Regis Iehudæ.] narratur enim

enim, quod ædificauit ædificia excelsa iuxta introitum regni Iudæ, vt nec ingressus, nec egressus tutus esset.

Vers. 18. *Tulit itaque Asa totum argentum, & aurum, quæ remanserant in thesauris domus Domini, & in thesauris domus Regis, & dedit ea in manu seruorum suorum.*] Hæc est minor fiducia Regis Asæ in vero Deo, de qua reprehensus à Propheta postea narrabitur.

Rex Asa parum fidit in vero Deo.

Misitque ad Benadab.] Corrupta est litera: legendum est:

Ad Benhadad, filium Tab-rimmon, filij Chezion, Regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicendo.] Nec sonat, *Ben-hadad*, nomen proprium, sed *filium Hadad*. Et fortè est nomen proprium, sicut *Barptholomæus*, quod sonat *filium Ptholomæi*. Certum est, quòd nos vtimur Ben-hadad pro nomine proprio.

Ben-hadad, an nomen proprium.

Vers. 19. *Fœdus est inter me, & te, inter patrem meum, & patrem tuum: ecce misi tibi munus argentum, & aurum; vade, irrita fœdus, quod habes cum Baasa Rege Israel, & recedat a me.*] Minùs dicitur, & plus significatur: videlicet, vt bellum moueat contra Regem Israël ad hoc, vt recedat à cœpta ædificatione.

Vers. 20. *Acquieuitque Ben-hadad Regi Asa: & misit Principes exercitus sui in ciuitates Israel, & percussit Hi-ion, & Dan, & Abel-beth Maachacham, & totam Chinneroth cum tota terra Naphthali.*

Vers. 21. *Quod cùm audisset Baasa, intermisit ædificare Ramam: & reuersus est Thirzam.*

Vers. 22. *Rex autem Asa misit nuncium per totum Iehudam, nemo sit excusatus.*] ab opere hoc tollendi omnia de ædificijs excelsis inceptis a Rege Israël: vt celeriter, tam destructio, quàm vectio fieret tunc, cùm profectò habebat Regem Syriæ contra Regem Israel.

Et tulerunt lapides Ramæ, & ligna eius, quæ ædificauerat Baasa, & extruxit ex eis Rex Asa Gibeah Ben-iamin, & Mizpa.

Vers. 23. *Reliqua autem omnium verborum Asa, & omnis fortitudo eius, & omnia, quæ fecit, & ciuitates quas extruxit: nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iehudæ? Verumtamen in tempore senectutis suæ doluit pedes.*] Diffusè hoc scribitur in Paralipomenon.

Vers. 24. *Dormiuitque Asa cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid patris sui. & regnauit Iehosaphat filius eius pro eo.*

Vers. 25. *Nadab vero filius Iarobham regnauit super Israel anno secundo Asa Regis Iehudæ: & regnauit super Israel duobus annis.*

Vers. 26. *Et fecit malum in conspectu Domini, ambulauitque in via patris sui, & in peccato eius, quo peccare fecit Israelem.*

Vers. 27. *Insidiatus est autem.*] In Hebræo habetur: *Et conspirauit*, hoc est, coniurationem fecit multorum.

Contra eum Baasa filius Achi-ia de domo Issachar.] Ecce translatio regni Israël de Tribu Ephraim in Tribum Isachar.

Translatio regni Israel de Ephraim in Isachar.

Et percussit eum Baasa in Gibbethon, quæ est Philisthiim: Nadab enim, & totus Israel obsidebant Gibbethon.] In castris militaribus occisus Nadab Rex à Baasa narratur: ad insinuandum, quòd Baasa capita exercitus secum habebat, & facilè ibidem vsurpare sibi regnum poterat.

Vers. 28. *Interfecitque eum Baasa in anno tertio Asæ Regis Iehudæ: & regnauit pro eo.*

Vers. 29. *Cumque regnaret, percussit totam domum Iarobham, non dimisit aliquam animam de Iarobham, donec deleret eum: iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu serui sui Achi-æ Silonitæ.*

Vers. 30. *Propter peccata Iarobham, qui peccauit, & qui peccare fecit Israelem, in irritatione eius, qua irritauit Dominum Deum Israel.*] Ecce impleta prophetia Ahiæ de deletione domus Ieroboham scripta in præcedenti capitulo.

Propheta de deletione domus Ieroboham adimpletur.

Vers. 31. *Reliqua autem verborum Nadab, & omnia, quæ fecit; nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel.*

Vers. 32. *Fuitque bellum inter Asam, & Baasam, Regem Israël, omnibus diebus eorum.*

Vers. 33. *Anno tertio Asa Regis Iehudæ, regnauit Baasa, filius Achi-æ, super totum Israel in Thirza viginti quatuor annis.*] Nota hanc literam iunctam præcedenti, videlicet, quòd duntaxat anno secundo, & tertio regni Asæ regnauit Nadab; & successor eius Baasa in calce quoque eiusdem tertij anni Asæ incepit regnare: quoniam hinc clarè habetur, quòd Baasæ regnum non transiuit vigesimumseptimum annum regni Asæ Regis Iudæ: & hoc propter quæstionem emersuram in principio 16. cap. 2. Paralipomenon.

Nadab, & Baasa quàm diu regnauerint.

Vers. 34. *Et fecit malum in oculis Domini: ambulauitque in via Iarobham, & in peccato eius, quo peccare fecit Israelem.*]

CAPVT XVI.

Vers. 1. ACTVS *est autem sermo Domini ad Iehu, filium Hanani, contra Baasam dicendo:*

Vers. 2. *Pro eo, quòd exaltauí te de pulvere, & posui te ducem super populum meum Israel: & ambulasti in via Iarobham, & peccare fecisti populum meum Israël irritando me in peccatis eorum.*

Vers. 3. *Ecce ego demetam posteriora Baasæ, & posteriora domus eius.*] Patus refert, quòd Hebraicè habetur: *Ecce ego destruens posteros Baasa, & posteros domus eius: & dabo domum tuam, sicut domum Iarobham filij Nebat.*

Vers. 4. *Mortuum Baasæ in ciuitate comedent canes: & mortuum eius in agro, comedent volucres cæli.*] Similis pœna prædicitur ab Iehu Propheta illi, quia prædicta fuerat ab Ahia Propheta.

Vers. 5. *Reliqua autem verborum Baasæ, & quæ fecit, & fortitudo eius; nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel?*

Vers. 6. *Dormiuitque Baasa cum patribus suis, & sepultus est in Thirza: & regnauit Ela filius eius pro eo.*

Vers. 7. *Cum autem in manu Iehu, filij Hanani Prophetæ, verbum Domini factum esset contra Baasam, & contra domum eius.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et etiam in manu Iehu filij Chanani Prophetæ, verbum Iehouah fuit ad Baasam, & ad domum eius.*

Et super omne malum, quod fecit in oculis Domini irritando eum in opere manuum suarum, vt esset sicut domus Iarobham.] Narratur, quòd etiam loquente Iehu Propheta ad Bahasam Regem, & domum eius, & prædicente diuinam vltionem, perseuerauit iniquitas Bahasæ, & domus eius. hunc enim sensum monstrat contextus dicendo, *& etiam*, &c.

Baasa non conuertitur admonitione Iehu.

Ob hanc causam occidit eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et pro quo percussit eum.* Pronomen, *eum*, demonstrat Ieroboham cum domo eius.

narratur:

narratur enim, quòd Iehu Propheta manifestauit Regi Bahasæ, pro qua causa percussit Deus domum Ieroboham, vt vel ab exemplo disceret resipiscere. Quod autem in vulgata editione subditur·

Hoc est, Iehu, filium Hanani Prophetam.] non habetur in Hebraica veritate.

Vers. 8. *Anno vigesimosexto Asæ Regis Iehudæ, regnauit Ela, filius Bahasæ, super Israel in Thirsa, duobus annis.*] Aduerte, prudens lector, hanc supputationem annorum regni Asæ relatiuè ad Elam, filium Bahasæ, propter quæstionem relictam in calce præcedentis capituli.

Vers. 9. *Et rebellauit.*] Hebraicè habetur: *Et colligauit contra eum seruus eius Zimri.* conspiratio siquidem significatur.

Conspiratio Zimri contra Elam.

Dux medię partis equitum.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *curruum*: erat enim Princeps medietatis curruum: & cum suis coniurauit aduersùs Elam Regem.

Eratque in Thirza bibens, & temulentus in domo Arzæ Prafecti Thirzæ.] Hebraicè habetur: *Qui super domum in Thirza.* Narratur locus, in quo Rex non solùm ebrius, sed etiam bibens occisus est infra annum vigesimumseptimum regni Azæ.

Rex Ela ebrius interficitur.

Vers. 10. *Venitque Zimri, & percussit eum, & occidit eum, in anno vigesimoseptimo Asæ Regis Iehudæ: & regnauit pro eo.*

Vers. 11. *Cumque regnaret, & sederet super solium eius, percussit totam domum Bahasæ: non dimisit ex mingentem ad parietem: & propinquos eius, & amicos eius.*

Vers. 12. *Delenitque Zimri totam domum Bahasæ: iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Bahasam in manu Iehu Prophetæ.*

Vers. 13. *Propter omnia peccata Bahasæ, & peccata Ela filii eius: qui peccauerunt, & qui peccare fecerunt Israelem, irritando Dominum Deum Israel in vanitatibus suis.*] Statim Deus per hunc Regem septem dierum percussit omnem domum Regis Bahasæ iuxta prophetiam Iehu.

Prophetia Iehu adimpletur.

Vers. 14. *Reliqua autem verborum Ela, & omnia quæ fecit; nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israël?*

Vers. 15. *Anno vigesimoseptimo Asæ Regis Iehudæ, regnauit Zimri septem diebus in Thirza: porrò populus obsidebat Gibbethon ciuitatem Philistinorum.*

Vers. 16. *Audiuitque populus conspirasse Zimri, & etiam occidisse Regem: & Regem fecit totus Israel eodem die Principem exercitus super Israel in castris.*

Vers. 17. *Ascendit ergo Homri, & totus Israel cum eo de Gibbethon: & obsiderunt Thirzam.*

Vers. 18. *Videns autem Zimri, quòd expugnanda esset ciuitas.*] Hebraïcè habetur, *quòd capta fuit ciuitas.* tunc enim desperauit.

Venit ad palatium.] deficit, *domum Regis*, quam occupauerat.

Et combussit super se domum Regis igni, & mortuus est.] Verè exercebat Deus iudicia sua in hos Reges, comburendo etiam regiam domum.

Deus exercuit iudicia sua in Reges Israel

Vers. 19. *Propter peccata sua, quibus peccauit, faciendo malum in oculis Domini: ambulando in via Iarobham, & in peccato eius, quo fecit peccare Israelem.*

Vers. 20. *Reliqua autem verborum Zimri, & insidiarum eius, & tyrannidis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et coniuratio eius, qua coniurauit: nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israël?*] Modus seruatus in illa coniuratione aduersùs Regem Elam, narratur scriptus in annalibus Regum Israel.

Vers. 21. *Tunc diuisus est populus Israel in duas partes: dimidium populi erat post Thibni, filium Ghinath, vt constitueret eum Regem, & dimidium post Homri.*

Vers. 22. *Preualuit autem populus, qui erat post Homri, populo, qui erat post Thibni, filium Ghinath: mortuusque est Thibni, & regnauit Homri.*

Vers. 23. *Anno trigesimoprimo Asæ Regis Iehudæ, regnauit Homri super Israel duodecim annis.* Circa quadriennium ergo durauit diuisio Israëlis: nam vigesimoseptimo anno regni Asæ occisus est Ela, & combussit se Zimri: creatúsque fuit ab exercitu Homri in Regem, sed non receptus, nisi a media parte Israelis, reliqua media parte adnitente, vt regnaret Thibni.

In Thirza regnauit sex annis.] reliquis autem sex in Samaria: transtulit enim sedem regiam ex Thirza in Samariam, quam ipse ædificauit in monte empto à Semer.

Vers. 24. *Emitque montem Someron à Semer duobus talentis argenti, & edificauit montem, & vocauit nomen ciuitatis, quam ædificauit, nomine Semer domini montis Someron.*

Vers. 25. *Fecit autem Homri malum in oculis Domini: & operatus est nequiter super omnes, qui fuerunt ante eum.*] Quid plùs mali fecerit Homri, non inuenio scriptum authenticè: certum tamen est, quòd grauius peccatum eius fuit, pro quanto viderat tot vltiones diuinas in prædecessores, & prædictas à Prophetis, & adimpletas.

Peccatum Homri quàm graue.

Vers. 26. *Ambulauitque in omni via Iarobham, filij Nebat, & in peccato eius, quo peccare fecit Israelem, irritando Dominum Deum Israel in vanitatibus suis.*

Vers. 27. *Reliqua autem verborum Homri, & omnia, quæ fecit, & fortitudo eius, quam fecit, nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel?*

Vers. 28. *Dormiuitque Homri cum patribus suis, & sepultus est in Someron: & regnauit Ach-ab filius eius pro eo.*

Vers. 29. *Ach-ab verò, filius Homri, regnauit super Israël anno trigesimooctauo Asæ Regis Iehudæ.*] Hinc clarè apparet, quòd duodecim anni regni Homri supputantur ab anno vigesimoseptimo Asæ, quo regnauit super mediam partem regni Israel, & non ab anno trigesimoprimo, quo regnauit super totum regnum Israël: supputato enim ipso vigesimoseptimo secundùm partem, & trigesimooctauo secundùm partem, inuenitur regnasse annis duodecim.

Anni regni Homri quot, & vnde supputandi.

Regnauitque Ach-ab, filius Homri, super Israel in Someron viginti duobus annis.

Vers. 30. *Et fecit Ach-ab, filius Homri, malum in oculis Domini super omnes, qui fuerunt ante eum.*

Vers. 31. *Nec sufficeit ei.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit leue ambulare eius in peccato Iarobham, filij Nebat.* Vide augmentum criminis: pro leui duxit Achab idololatriam Ieroboham in vitulis aureis, &c. & Deos accumulauit.

Achab idololatra fuit.

Tulitque vxorem Izebel, filiam Ethbahal Regis Zidoniorum, & abiit, & seruiuit Bahal, & adorauit eum.] Quia occasione vxoris seruiuit Bahal, ideò Scriptura cum tanta detestatione narrat nuptias eius cum Izebel filia Regis Sidoniorum.

Vers. 32. *Et erexit aram Bahalis, in domo Bahalis, quam ædificauit in Someron.*] Vide, quàta cómoditate colendi Bahal traxit populũ ad cultũ eius, ædificando illius templum, & aram in ciuitate Samariæ.

Vers. 33. *Fecitque Ach-ab lucum: & addidit Ach-ab facere irritando Dominum Deum Israel super omnes Reges Israël, qui fuerunt ante eum.*] Grauius peccatum Ach-ab, quàm Ieroboham dicitur, eò quòd Ieroboham regnandi gratia idololatriam induxit: Ach-ab verò, non regnandi gratia, cultum Bahal intulit, & hoc in ciuitate regia, &c.

Achab grauius peccauit, quàm Ieroboham.

In diebus eius ædificauit Chiel de Beth-el.] Legendum est, *de Beth-eli Iericho.* Nomen proprium loci est, *Beth-eli.*

Vers. 34. *In Abiram primogenito suo fundauit eam, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius.*] hoc est, in morte primogeniti sui fundauit ciuitatem, & in morte vltimi compleuit eam.

Iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Iehosuæ, filij Nun.] Scriptum est enim hoc, vt cognoscatur, impletam fuisse prophetiam à Iosua olim factam, & scriptam Iosuæ 6. diuina enim vltio narratur executa in reparatore Iericho.

CAPVT XVII.

Vers. 1. ET DIXIT *Eli-iahu Thisbites de habitatoribus Ghilhad ad Ach-ab.*] Ratio dicendi tacetur: & propterea nescitur, qua occasione motus fuerit Elias ad dicendum subiuncta verba ad Ach-ab Regem. Certum tamen est, quòd propter peccata ipsius Ach-ab, & populi, subiunctam pœnam, & impetrauerit à Deo, & annunciauerit Regi. Nec est à ratione alienum, quòd audita morte filiorum Hielis reparatoris Iericho iuxta prophetiam Iosuæ, Elias magnificauerit diuinum verbum dictum per Iosuam: & aliqui aduersantes dixerint, casu euenisse mortem illorum filiorum: & non ex prophetata punitione: & ad confirmationem casus dixerint, quòd prophetiæ Mosis aduersùs populum Israël recedentem à Deo non adimplentur: quoniam inter alias pœnas Moses scripsit, cælos fore æreos, hoc est, absque pluuia: & tamen nunquam fuerat adimpleta hæc comminatio, quanuis populus Israël tam enormiter recessisset à Deo, & huius disputationis occasione commotus Elias dixerit Regi subiuncta verba.

Cur Elias alloquutus fuerit Achab.

Prophetia Mosis de cæli ærei adimpletur tempore Eliæ.

Viuit Dominus Deus Israel.] Iuxta Hebræum habetur: *Viuus Iehouah Elohe Israelis.* Modus iurandi est, ad affirmandum verum esse, quod dicitur, teste vita summi Dei Iudicis Israël.

Modus iurandi per vitam Dei.

In cuius conspectu sto.] Hebraicè habetur: *In cuius facie steti.*] Modus significatur, quo & obtinuit, & nouit subiuncta. Testatur canonica epistola Iacobi in calce, quòd Elias orando obtinuit, vt non plueret: & inde apparet, quòd Eliam stetisse in facie Dei, est Eliam orasse Deũ. Et vtendo verbo præteriti temporis, *steti*, manifestat se priùs contulisse ad diuinam faciem, (non corporali gressu, sed eleuatione mentis,) & firmiter perseuerasse feruendo amore diuinæ iustitiæ ad puniendum idololatras, & ad verificandum prophetiam Mosis.

Iacob. 5. 17.

In facie Dei stare, est orare.

Si erit annis his.] Non explicatur numerus annorum: sed in dicta epistola explicantur anni tres, & menses sex.

Ros, & pluuia.] Vt verè cæli quasi ærei comprobentur, à quibus nec etiam ros stiller.

Nisi iuxta verbum oris mei.] Vt non relinquatur inficiationi locus, manifestat, quòd non erit ros, aut pluuia, nisi ipso dicente: per hoc enim excludebatur attribuere cessationem pluuiæ, & roris causis secundis: conuinci enim poterant ex eo, quòd verbo Eliæ parebant cæli, tam retinendo, quàm dando pluuiam.

Et factum est verbum Domini ad eum dicendo: Vers. 2.

Recede hinc, & verte te ad Orientem: & abscondere in torrente Cherith, qui est super faciem Iarden.] Sciebat Deus, quòd siccitas hæc succedens verteretur in caput Eliæ, qui dixerat Regi, se stetisse in facie Dei ad hoc, vt non plueret multis annis: & propterea Deus mandauit Eliæ, vt inde recederet, & occultaret se ab Ach-ab Rege. Vers. 3.

Et erit, de torrente bibes: coruisque præcepi, vt pascant te ibi.] Dicit, *præcepi*, hoc est, ad instar præcipientis ordinaui: corui enim non sunt capaces præcepti: sed ordinauit Deus per angelicum ministerium mouendos coruos ad portandum cibum Eliæ. Vers. 4.

Abiitque, & fecit iuxta verbum Domini: & abiit, & sedit in torrente Cherith, qui est super faciem Iarden. Vers. 5.

Et corui deferebant ei panem, & carnem mane; & panem, & carnem vesperi.] Alter panem, alter carnẽ, proculdubiò coctam: humano enim more pastus est. Vide benignitatem diuinam, tum bis in die pascendo Eliam, tum dando ei etiam carnes: vt hinc intelligamus, alienum non esse à sanctis viris bis in die refici, & carnibus vesci, tam in prandio, quàm in cœna. Sed nota tamen moderamen: modicum enim fuit, quod corui rostro vectum est. Vers. 6.

Benignitas diuina in pascendo Elia relucet.

Bis in die reficì, & carnibus vesci, non alienum est à sanctis viris, moderatè tamen.

Et de torrente bibebat.

Post dies autem aliquot siccatus est torrens: non enim pluerat super terram. Vers. 7.

Factúsque est sermo Domini ad eum, dicendo: Vers. 8.

Surge, vade in Sarphath Zidoniorum, & manebis ibi.] Notauit Dominus in Euangelio mysterium, quòd ad alienigenam viduam missus est Elias posthabitis omnibus viduis filiorum Israël. Vers. 9.

Ecce præcepi ibi.] hoc est, disposui Angelorum ministerio efficiendum. Et intellige, Deum quidem per Angelos præcepisse, non tamen præceptum peruenisse tunc ad mulierem.

Mulieri viduæ, vt pascat te.] Nec dicit nomen eius.

Surrexitque, & abiit in Sarphath, & venit ad portam ciuitatis, & ecce ibi mulier vidua colligens ligna.] Ex habitu notificata est Eliæ mulieris viduitas: an autem statim cognouerit ipsam esse, de qua factus fuerat ad eum sermo diuinus, incertum est. Paupercula autem narratur ex actione; videlicet, collectione lignorum. Vers. 10.

Et vocauit eam, & dixit: Tolle, quæso, mihi paululum aquæ in vase, & bibam.] Tentando, an ipsa esset, petiit aquam.

Et abiit, vt tolleret.] Ex prompto officio mulieris cognouit ipsam esse: si enim mulier difficilem se exhibuisset, agnouisset non esse ipsam: & sic tentatio successit ad votum. Vers. 11.

Elias ex prompto vidue officio cognouit eam esse, ad quam à Deo mittebatur.

Et clamauit post tergum eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit eam.* credens ipsam esse paratam sibi alricem.

Et ait: Tolle, quæso, mihi buccellam panis in manu tua.

Quæ respondit: Viuit Dominus Deus tuus.] Ex hoc, quòd mulier hæc iurat per vitam summi Dei, Dei Eliæ, qui erat, & agnoscebatur Israëlita, manifestatur, quòd mulier illa, quanuis Sidonia, colebat summum Deum: & hinc certior redditus Vers. 12.

ditus est Elias, quòd ipsa esset.

Quòd non habeo panem, nisi quantùm pugillus capere potest farina in hydria, & paululùm olei in lecytho.] Hebraica dictio interpretata, *panem*, extenditur etiam ad *pastum*: sola enim vola farinæ erat apud eam.

Et ecce colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur.] quantùm est ex parte panis apud me. Et hinc patet, tantam tunc fuisse caritatem annonæ, vt nec spes habendi panem remanserit in hac muliere.

Vers. 13. *Ad quam Eli-iahu ait.*] noua illustratione diuina.

Noli timere.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Non timebis.* defectum panis.

Sed vade, & fac sicut dixisti.] pro te, & filio tuo.

Veruntamen fac mihi primùm inde subcinericium panem paruum, & affer mihi; tibi autem, & filio tuo facies postea.

Vers. 14. *Sic enim dixit Dominus Deus Israël.*] Verè benignus Dominus: mira dispensatione mittens Eliam, vt pascatur à muliere carente pane, vt sic mediante Elia pasceret sanctam mulierem simul cum ipso Elia.

Deus prouidet necessitatibus Eliæ, & viduæ.

Hydria farinæ non consumetur, & lecythus olei non deficiet vsque ad diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ.] Hinc apparet, tum causa penuriæ, videlicet, cessatio pluuiæ; tum extensa pluuiæ cessatio extra regnum Israël in externa loca; tum tépus magnum elapsum istius siccitatis, antequàm Elias veniret ad hãc viduam: alioquin non desperasset mulier de pane, nec Elias dixisset, *vsque in diem, qua pluet.*

Vers. 15. *Quæ abiit, & fecit iuxta verbum Eli-iahu.*] Fides mulieris commendatur.

Et comedit ipse, & illa, & domus eius.

Vers. 16. *Ex illa die hydria farinæ non est consumpta, & lecythus olei non defecit: iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eli-iahu.*

Vers. 17. *Et fuit post verba hæc, ægrotauit filius mulieris matrisfamilias.*] Modicum temporis intercessisse, tum relatio ad verba hæc, tum subiuncta in calce huius capituli verba insinuant.

Fuitque ægritudo eius fortis valdè, donec non remaneret in eo halitus.] Rectiùs legeretur, *anima*: vt subiuncta testantur: dictio enim Hebraïca vtriusque significationis capax est.

Vers. 18. *Dixitque ad Eli-iahu: Quid mihi, & tibi vir Dei?*] Nomen est *Elohim.* Relatiuè ad aduentum Eliæ ad hospitandum in domo mulieris viduæ, dicitur: Quid tibi, & mihi commune? quæ communio mei ad te traxit te ad hospitandum mecum? Verba sunt dolentis, procedentia ex hoc, quòd Elias Israëlita; mulier autem Sidonia, nunquam se viderant, nulla inter eos necessitudo vnquam fuerat.

Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & vt interficeres filium meum?] Interrogatiuè quoque legenda est tota ista clausula: & est sensus: Num venisti ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ ad pœnam, vt non impunis manerem; sed punires me morte filij mei? hoc est, Num venisti tanquam minister Elohim summi Iudicis, ad non sinendum me impunem in præsentia tua, sed puniendum morte filij mei? Ex dolore simul, & sanctitate mulieris procedunt hæc verba: nam & agnouit peccata sua, & illis attribuit mortem filij, & suspicatur diuinam præsentiam in Elia impatiétem impunitatis suæ.

Et dixit ad eam: Da mihi filium tuum. Tulitque eũ de sinu eius.] Hinc insinuatur ætas puerilis. Vers. 19.

Et portauit eum ad cœnaculum, in quo manebat; & posuit eum super lectum suum.

Et clamauit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, an etiam viduam, cum qua ego habito, afflixisti, interficiendo filium eius? Vers. 20.

Et expandit se, atque mensus est super puerum.] Vers. 21.
Iuxta Heb. duntaxat habetur: *Et mensus est se super puerum tribus vicibus.* Tam modus orandi, quàm numerus orationis narratur: modus quidem, quòd prostratus super puerum orauit: numerus autẽ, quòd tribus vicibus sic orauit. Quẽadmodum enim consueuimus super rem benedicendam, aut sanandam manus extendere; ita Elias vniuersum corpus extendit super puerum resuscitandum: & vt hoc sensibili signo patefieret, quàm arduum erat miraculum, pro quo orabat, non genuflexus, sed prostratus tribus vicibus repetiit orationem in litera scriptam.

Tribus vicibus erat idè Elias ad resuscitandum puerum vidua.

Clamauitque ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, reuertatur, obsecro, anima pueri huius ad interiora eius.] Hinc patet, quòd recesserat anima; hoc est, quòd verè mortuus erat. Vnde & subiungitur:

Et exaudiuit Dominus vocem Eli-iahu: & reuersa est anima pueri ad interiora eius, & reuixit.] Vers. 22.
Vera enim resuscitatio mortui describitur. Et hic est primus mortuus, qui ab initio mundi resuscitatus est.

Primus mortuus ab initio mundi resuscitatus, fuit puer vidua, per Eliam.

Tulitque Eli-iahu puerum, & deposuit eum de cœnaculo in domum, & dedit illum matri suæ: & ait Eli-iahu: En.] Hebraicè habetur: *Vide, viuit filius tuus.* sed sensus in idem redit. Vers. 23.

Dixitque mulier ad Eli-iahu: Nunc hoc cognoui.] Hinc apparet, mulierem illo modico tempore, quo fuerat apud eam Elias, admiratam quidem fuisse, & veneratam virum Dei; non tamen credidisse duo subiuncta. Vers. 24.

Quòd vir Dei es,] Nomen est *Elohim.* Et ad internam Eliæ bonitatem refertur, esse virum Dei: credidit enim ex hoc facto, quòd verè cor Eliæ erat sanctum coram summo Iudice.

Et verbum Domini in ore tuo verum est.] Hebraicè habetur, *veritas.* Alterum, quod clarè credidit tunc, narratur: videlicet, quòd verbum summi Dei in ore Eliæ (hoc est, quòd Elias dicebat ex parte summi Dei) esset veritas. Ante resuscitationem siquidem filij credebat quidem hæc, sed non plena certitudine clarificata erat mens eius: & propterea dicit, se nunc cognouisse in hoc inaudito à sæculis facto.

CAPVT XVIII.

FACTVM est *dies autem multos.*] in domo mulieris transactos. Vers. 1.

Verbum Domini factum est ad Eli-iahu in anno tertio.] A verbo Domini ad eundem facto, vt recederet, & absconderet se: ita quòd ab illa reuelatione vsque ad istam, fluxerunt tres anni: siccitas enim durauit annis tribus, & mensibus sex: sed primis sex mensibus Elias mansit manifestus in terra Israël, nullo inferente ei molestiam, putantibus omnibus, quòd naturalis esset siccitas: sed, dum viderent nimis protrahi, & conferrent verba Eliæ, volebat Rex capere Eliam: & tunc ille monitus à Deo, recessit: & multis diebus mansit iuxta torrentem; multis autem

Quandiu absconderit se Elias ab Achab, tempore siccitatis.

autem in domo huius viduæ: ita quod vniuersum tempus fugæ eius fuit triennium. Vnde & subditur:

Dicendo: Vade, & ostende te Ach-ab.] Triennium ergo occultationis ab Achab significatur.

Vt det.] Hebraicè habetur: *Et dabo pluuiam super faciem terræ.* Prædicit Deus Eliæ, quòd cùm se manifestauerit Regi, dabit pluuiam: vt intrepidus accedat propter beneficium pluuiæ affuturum, ob cuius defectum Rex persequebatur ipsum.

Vers. 2. *Abiitq; Eli-iahu, vt ostenderet se Ach-ab: erat autem fames vehemens in Someron.*

Vers. 3. *Et vocauit Ach-ab Ho-bad-iahu, qui erat super domum: Ho-bad-iahu autem timebat Dominum valdè.*]Hic Habdias (vt Hebræi aiunt) est Habdias ille, qui inter duodecim Prophetas minores quartus supputatur.

Habdias hic est vnus è 12. Pr. postis.

Vers. 4. *Fuit ij, cùm excideret Izebel Prophetas Domini, tulit Ho-bad-iahu centũ Prophetas, & abscondit eos quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane, & aqua.*]Quando, & qua ratione Izebel, filia Regis Sidoniorũ, ac vxor Regis Ach-ab, interfecerit Prophetas Domini, non est scriptum: sed hîc cõmemoratur factum. Appellantur autẽ Prophetæ Domini, viri religiosi, qui diuinis laudibus publicè insistebant: vt tempore Samuelis legimus, chorum Prophetarum cum musicis instrumentis laudasse Deum. Et hinc apparet, quòd quanuis idololatria vigeret in regno Israël, permittebantur tamen Prophetæ (hoc est, vacantes diuinis laudibus) in Israël à Regibus Israël: sed ista Regina alienigena persecuta est Propheras veri Dei, impatiens fortè publicè laudari verum Deum esse solum Deum, ac per hoc vituperari suum Bahal.

Prophetæ Domini, qui.

Vers. 5. *Dixit autem Ach-ab ad Ho-bad-iahu: Vade in terram ad omnes fontes aquarum, & in omnes valles.* ; Sensum rectè reddidit Interpres, quanuis significentur torrentes.

Fortè inueniemus herbam, & saluabimus equos, & mulos, & iumenta non excidentur.

Vers. 6. *Diuiseruntque sibi terram, vt circumirent eam: Ach-ab iuit per viam vnam solus, & Ho-bad-iahu per viam vnam solus.*

Vers. 7. *Cùmque esset Ho-bad-iahu in via, Eli-iahu occurrit ei: & agnouit eum, cecidit q; super faciem suam, & dixit: Nonne tu es dominus meus Eli-iahu.*

Vers. 8. *Cui ille respondit: Sum. Vade, dic domino tuo, adest Eli-iahu.*

Vers. 9. *Et dixit: Quid peccaui, quòd tradis seruum tuum in manum Ach-ab, vt interficiat me?*

Vers. 10. *Viuit Dominus Deus tuus, si est gens & regnum, quo non miserit dominus meus ad quærendum te.*] Hyperbole est ad manifestandum magnam inquisitionem, quam fecerat Rex in omnibus regnis, & gentibus vicinis.

Hyperbole ad manifestandum magnã inquisitionẽ.

Et respondentibus cunctis non est hîc, adiurauit regna, & gentes, quòd minimè reperireris.]hoc est, non contentus simplici responsione nunciorum suorum Rex voluit testificationes iuratas à regnis, & gentibus, quòd non repertus esset ibi Elias, qui causam tantæ siccitatis se iactauerat.

Vers. 11. *Et nunc tu dicis: Vade, dic domino tuo, adest Eli-iahu.*

Vers. 12. *Cùmque recessero à te, spiritus Domini asportabit te ad locum, quem non cognoscam: & ingressus nunciabo Ach-ab, & non inuenies te interficiet me: seruus autem tuus timet Dominum à pueritia sua.*

Vers. 13. *Nonne indicatum est domino meo, quod feci, cum interficeret Izebel Prophetas Domini? Abscondi de Prophetis Domini centum viros, quinquagenos, & quinquagenos in speluncis: & paui eos pane, & aqua.*

Vers. 14. *Et nunc tu dicis: Vade, dic Domino tuo, adest Eli-iahu: & interficiet me.*

Vers. 15. *Dixitque Eli-iahu: Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum sto.*] Legendum est, vt suprà: *Viuus Iehouah exercituum, in cuius steti facie, quòd hodie apparebo ei.* Iurat Elias, teste vita summi Dei dantis esse exercitibus cælorum, & terræ: & manifestat modum, quo nouit, quod promittit; videlicet, quòd steterit in facie Dei, contemplando, & iussa faciendo: & propterea promittit, quòd nullo diuino raptu impedietur hodierna eius manifestatio personalis corã Rege.

Vers. 16. *Abiit ergo Ho-bad-iahu in occursum Ach-ab, & indicauit ei: iuitque Ach-ab in occursum Eli-iahu.*

Vers. 17. *Cùmque vidisset Ach-ab Eli-iahu, dixit Ach-ab ad eum: Túne es ille, qui conturbas Israël?*]Ratione tantæ siccitatis comminatæ ab Elia, arguitur, quòd conturbat Israël: & ob hanc reprehensionem occurrit ei Ach-ab.

Vers. 18. *Et dixit: Non turbaui Israëlem; sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Behalim.*] Directè respondet, causam meritoriam turbationis non fuisse ipsum Eliam, sed Regem, & domum eius, post habendo mandata Dei, & colendo Bahal.

Vers. 19. *Et nunc mitte, & congrega ad me totum Israël ad montem Charmel: & Prophetas Bahal quadringentos, & quinquaginta; & Prophetas lucorum quadringentos, comedentes de mensa Izebel.*] Tacet Author sermonem medium, quo Elias post responsionem Regi datam de merito siccitatis, dulci sermone prouocauit Regem ad congregandum populum, & Prophetas, tam Bahal, quàm lucorum. Et per Prophetas intellige, quasi Clericos Bahal, & lucorum; eos, scilicet, qui erant ministri cultus Bahal, & lucorum.

Vers. 20. *Misitque Ach-ab ad omnes filios Israël: & congregauit Prophetas ad montem Charmel.*

Vers. 21. *Accessit autem Eli-iahu ad totum populum, & dixit: Vsquequò claudicatis in duas partes?*] Hebraicè habetur, *in duas cogitationes?* Vsquequò ad instar claudicantium inter duas cogitationes (colendi, videlicet, Iehouah fontem essendi, vel Bahal) perseuerabitis? Et hinc apparet, quòd diuisi erant; tum quoad personas, quibusdam colentibus Deum Creatorem cæli, & terræ, & multis colentibus Bahal; tum quoad fluctuantes cogitationes in vno, & eodem homine, an Deum Abraham, Ishac, & Iacob, an Bahal coleret.

Si Dominus est Deus.] Hebraicè habetur: *Si Iehouah Elohim.* hoc est, si fons essendi omnibus est gubernator, & Iudex.

Ite post eum; & Bahal, ite post eum.] omnes enim proni sumus ad colendum illum Deum, qui est noster gubernator & Iudex.

Vers. 22. *Et non respondit populus ei verbum.*]vtpote diuisus & ambiguus.

Vers. 23. *Dixitque Eli-iahu ad populum: Ego remansi Propheta Domini solus.*] manifestus in Israël.

Prophetæ autem Bahal sunt quadringenti, & quinquaginta viri.

Dentur nobis duo tauri, & eligant sibi taurum vnum, & in frusta concidant eum, & ponant super ligna; ignem autem non supponant: & ego faciam taurum alterum, & ponam super ligna, & ignem non supponam.

Inuocate ij,

Vers.24. *Inuocatéque nomina Deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Dei mei.*] Hebraicè habetur, *nomen Iehouah.* sic enim nominatur Deus Abraham, Ishac, & Iacob. &c.

Et Deus, qui exaudierit per ignē ipse sit Deus.] Patri refert, quòd Hebraice habetur: *Et erit Elohim, qui respondebit in igne, is sit Elohim.* Aliàs diximus, quòd Iehouah erat nomen proprium summi Dei, qui creauit cælos, & terram: Elohim autem nomen cōmune à iudicio sumptum ad significandum Iudices; appropriatum autem ſæpè ad significandum Deum, quatenus gubernat, & iudicat nos: & propterea Elias proponit, quòd ille Elohim, qui respondebit sacrificantibus sibi, dando ignem vorantem holocaustum, ipse Elohim habeatur, ipse colatur, vt Deus gubernator, & Iudex.

Nomina Dei, Iehouah, & Elohim, explicantur.

Respondítque totus populus, & dixit: Optima propositio, quam locutus est Elias.] Hebraicè habetur, *bona res.* sed Interpres extendit.

Vers.25. *Dixítque Eli-iahu ad Prophetas Bahal: Eligite vobis taurum vnum, & facite primi, quia plures estis, & inuocate nomina Deorum vestrorum, & ignem non supponatis.*] Non sunt verba prouocantis ad peccandum; sed dirigentis peccatum eorum in confusionem eorum, & ignominiam Bahal: ad hoc enim reseruauit sibi posteriorem locum, vt priùs manifestè pateret impotentia Bahal, & confusio eorum.

Impertiam Bahal & confusionem Prophetarum eius Elias ostendit.

Vers.26. *Tulerúntque taurum, quem dederat eis.*] non Elias, sed populus, non determinatè, sed data optione: populus enim duos tauros protulit, & ipsi elegerunt alterum.

Et fecerunt, & inuocauerunt nomen Bahal à mane vsque ad meridiem dicendo: Bahal, exaudi nos.] Hinc patet, quòd conuenerant partiendo diem: ita quòd vsque ad meridiem esset tempus sacrificij Bahal; posteà autem esset tempus sacrificij Eliæ.

Et non erat vox, neque qui responderet: transiliebántque altare, quod fecerant.] Hebraicè habetur: *Et claudicauerunt super altare, quod fecerunt.* Nescio quæ cæremonia hæc esset: ignotus enim est nobis illorum ritus.

Vers.27. *Cúmque iam esset meridies, illudebat eis Eli-iahu dicendo:*

Clamate voce magna: quia Deus vester est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.] Hebraicè habetur: *Quia Elohim ipse, quia colloquium, & quia additio ipsi, & quia via ipsi: fortè dormiens ipse, & excitabitur.*] Irridendo dicit, voce magna inuocandum Bahal, quia ipse est Elohim; hoc est, curam gerens: & propterea vel est in colloquio cum aliquo, vel superuenit ei aliquod negotium, vel est in itinere, vel dormit.

Vers.28. *Clamabántque voce magna: & irridebant se iuxta ritum suum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.*] Vide ad quantam dementiam deduxit eos Diabolus.

Vers.29. *Postquàm autem transiit meridies, prophetauerunt.*] hoc est, cultum Bahal exercuerunt.

Donec venisset tempus, quo sacrificium offerri solet.] Hebraicè habetur: *Vsque ad ascensum muneris.* Ipsum sacrificium appellatur *munus*, & offerre illud appellatur *ascensus.* Vsque ergo ad terminum expectatum significatur, & aliquantum post meridiem.

Et non erat vox, neque respondens, neque attendens.

Dixítque Eli-iahu ad totum populum: Accedite ad me. Accessítque totus populus ad eum, & curauit altare Domini dirutum.] hoc est, instar curantis Medici reparauit altare summi Dei, quod ibi erat dirutum: à quo autem olim fuerit ædificatum altare hoc, nescitur. Vers.30.

Tulítque Eli-iahu duodecim lapides, iuxta numerum Tribuum filiorum Iahacob.] Simul Elias veneratur vniuersas Tribus, & Patriarchas earum, & communem patrem Iacob ratione diuini beneficij collati Iacob, mutando illi nomen. Vers.31.

Ad quem factus est sermo Domini dicendo: Israël erit nomen tuum.] Intelligendum est, Eliam commemorasse hoc, & aptissimè ad propositum: quoniam Israël sonat, *dominabitur Deus.* & verè tunc implendum erat hoc in sacrificio illo: vt rei probauit euentus.

Et ædificauit ex lapidibus altare in nomine Domini: fecítque aquæductum quasi per duas aratiunculas.] Hebraïcè habetur: *Et fecit canalem, sicut mensuram duorum satorum sementis in circuitu altaris.* Sulcus similis sulco inter porcas debita mensura separatas significatur: cuius per ambitum altaris circuitus tantus describitur secundùm longitudinem, vt in porca illius duo sata sementis seri possent: non enim in sulco, sed in porca seritur. Nescimus autem quātitatem mensuræ vocatæ *Seah*, & interpretatæ *satum.* Vers.32.

Compositísque ligna: & diuísit per membra taurum, & posuit super ligna. Vers.33.

Et ait: Implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna. Dixítque: Iterate, & iteráuerunt: & dixit tertiò: Facite, & tertiò fecerunt. Vers.34.

Fluítque aqua per circuitum altaris: & etiam canalis impletus est aqua.] Ex hoc, quòd canalis suprà descriptus impletus aqua dicitur, habes supradicto sensu intelligendam esse latitudinem canalis. Vers.35.

Cúmque iam tempus esset, vt offerretur holocaustum.] Hebraïcè habetur: *Et fuit in ascensu muneris.*] hoc est, offerendo sacrificium. Vers.36.

Accessit Eli-iahu Propheta.] proculdubiò ad altare: ipse enim Sacerdotis fungebatur officio.

Et ait: Domine Deus Abraham, Ishac, & Israël, ostende hodie, quòd tu es Deus Israël.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Hodie cognoscatur, quòd tu Elohim ad Israël.* Potest tamen legi, *in Israël.* ad hoc enim hæc faciebat Elias, vt cognosceretur, quòd Deus Abraham, Ishac, & Iacob esset verus Deus gubernator & Iudex manifestatus in, & ad Israël.

Et ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.] ne præsumptionis argui possim. & quòd Sacerdotis mihi officium vsurpo, & quòd extra templum tuum sacrifico, & quòd nouum miraculum promisi.

Exaudi me, Domine, exaudi me, & cognoscat populus hic, quòd tu es Dominus Deus.] Legendum est, *quòd tu Iehouah Elohim.* hoc est, quòd tu Iehouah es Elohim Iudex omnium. Vers.37.

Et tu conuertisti corda eorum iterum.] Hebraïcè habetur, *& tu fecisti vertere cor eorum retrò.* Et est sensus: cognoscat etiam populus, quòd tu effecisti hoc nouo miraculo, vt verteretur cor eorum retrò ab idololatria, in qua ambulabant. Et in hoc petit conuersionem populi ad Deum verum. Orauit itaque primùm pro honore Dei: deinde pro testimonio sui; & tertiò pro conuersione populi.

Cæsis

Vers. 38. *Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides.*] Ecce miraculum.

Et pulueren.] ex quo loco cæmenti ædificatum erat altare.

Et aquam, quæ erat in canali, linxit.

Vers. 39. *Viditque totus populus, & cecidit super faciem suam.*] adorando summum Deum. Ecce fructus in cordibus populi.

Et dixit: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.

Vers. 40. *Dixitq; Eli-iahu ad eos: Apprehendite Prophetas Baal: nullus euadat ex eis. Apprehenderúntque eos, & descendere fecit eos Eli-iahu ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi.*] per populum.

Vers. 41. *Et dixit Eli-iahu ad Ach-ab: Ascende, comede, & bibe: quia sonus multæ pluuiæ est.*] Descripto opere Eliæ in sacrificio, & confusione, ac occisione idololatrarum, describitur restitutio pluuiæ desideratæ: placato siquidem Deo ob iustitiam factam in Prophetas idolorum, instare iam pluuiam multam dicit se nosse Elias, tanquàm tonitrua præcedentia pluuiam essent in aëre, in quo nulla apparebat nubes: hac enim metaphorâ vtitur dicendo, vocem multitudinis pluuiæ. Quanuis possit vox hæc referri ad ipsum sonitum, qui causatur ex multitudine pluuiæ: vt futura pluuia tanquàm præsens significetur sonans.

Vers. 42. *Ascenditq; Ach-ab, vt comederet, & biberet: Eli-iahu autem ascendit verticem Charmel, & pronus in terram posuit faciem suam.*] Iuxta Hebr. habetur, *& prostrauit se ad terram, & posuit faciem suam inter genua sua.* Duæ actiones successiuè narrantur: altera, quòd prostrauit se in terram, orando pro pluuia, quam illi promiserat Deus: altera, quòd deinde sedit in terra, ponens faciem suam inter genua sua, ad prosequendum supplicationem: Deus enim volens dare pluuiam, volebat intercedente non exigua supplicatione Eliæ dare illam: & propterea Elias perseuerat orando pro pollicita pluuia. Possumus tamen, & rectiùs prostrationem priorem referre ad gratiarum actionem Deo pro beneficio miraculi in igne holocausti, & vindictæ idololatrarum, conuersionisque populi: orationem autem inter genua referre ad pluuiam.

Cur Elias prostrauerit se in terram, & deinde inter genua orauerit.

Vers. 43. *Et dixit ad puerum suum: Ascende, quæso, & respice contra viam maris: qui ascendit, & respexit, & ait: Non est quicquam: & dixit, reuertere septem vicibus.*] Videns Elias nullum adhuc pluuiæ signum apparere, consecratum septenarium numerum (à Deo sanctificante septimum diem, & à lege eundem numerum sæpissimè decernente) venerando indicit, tanquàm adhibens etiam officia pueri sui, vt orationes: vnde & septima vice intentum effectum obtinuit.

Septenarius numerus à Deo consecratus.

Vers. 44. *In septima autem vice dixit: Ecce nubes parua, sicut vola viri ascendit è mari: & ait: Ascende, & dic ad Ach-ab, iunge currum, & descende; ne remoretur te pluuia.*

Vers. 45. *Cúmque se verterent huc atque illuc.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit vsque sic, & vsque sic, & cæli contenebrati sunt nubibus, & vento, & facta est pluuia grandis.* Tempus variarum actionum, quibus se occuparunt ministri, ac serui Regis, donec equitarent, & Rex ascenderet currum, significatur dicendo, *vsque sic, & vsque sic.* & est sensus, quòd interim contenebrati sunt cæli, & fuit ventus cum nubibus.

Equitauitque Ach-ab, & abiit in Izrehel.] An inchoata pluuia ascenderit currum, non est certum.

Et manus Domini fuit super Eli-iahu: & accinxit lumbos suos, & cucurrit ante Ach-ab, donec veniret in Izrehel.] Vt authore Deo cognosceretur vtrunque (videlicet, & beneficium pluuiæ, & officium Eliæ exhibitum Regi præeundo) describitur manus Domini super Eliam: erat enim officium cursus istius, velut declaratio diuini Verbi, quod olim prædixerat, quòd non erit pluuia multis annis nisi secundùm verbum ipsius Eliæ. Vers. 46.

CAPVT XIX.

Vers. 1. VNCIAVIT *autem Ach-ab Izebeli omnia, quæ fecerat Eli-iahu: & quomodo occideraq; omnes Prophetas gladio.*

Vers. 2. *Misitque Izebel nuncium ad Eli-iahu dicendo: Sic mihi faciant Dij, & sic addant, nisi hoc tempore cras posuero animam tuam, sicut animam vnius ex illis.*

Vers. 3. *Timuit ergo Elias, & surgens abiit, quocunque eum ferebat voluntas.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit, & surrexit, & iuit ad saluandum vitam suam: & venit Beersebah, quæ Iehudæ.* Audito nuncio sæuæ Reginæ vidit periculum, & surrexit, & iuit ad saluandum vitam suam: & primum declinauit à regno Israël ad terram Iudæ in locum, qui dicitur Beersebah.

Et dimisit puerum suum ibi.] filium viduæ Sarepthanæ. Ionam Prophetam aiunt Hebræi fuisse hunc puerum: qui ideò relictus est ibi, ne pateretur in deserto, sequendo Eliam.

Ionas Propheta fuit puer Eliæ.

Ipse autē perrexit in desertum.] fugiens Izebel.

Viam vnius diei.] intra desertum.

Veniitq;, & sedit subter vnam iuniperum.] Ne contendas cum interpretantibus geneſtam.

Et petiuit anima sua, vt moreretur.] Anima pro vita ponitur. Et modus quo petiit, subiungitur.

Anima, pro vita.

Et ait: Sufficit mihi.] Iuxta Hebræum habetur, *multum nunc, Domine.* hoc est, multùm vixi viuendo vsque nunc.

Tolle animam meam.] Supplex rogat Deum, vt faciat eum transire ex hac vita. Et rationem subdit:

Neque enim melior sum, quàm patres mei.] qui mortui sunt, vt maior mea bonitas exigat perseuerare vitam meam. Sed quæstio occurrit, quomodo verificantur hæc duo simul: quòd Elias ex corde petat mori, & fugiat deliberato animo mortem. Solutio est, quòd Elias non fugiebat mortem, sed modum mortis, scilicet, occidi ab Izebel: ne daret cornu peccatori, quasi prævalenti in Deum, cuius mandato occiderat Elias Prophetas idolorum.

Quomodo Elias volebat mori, & fugiebat mortem.

Vers. 5. *Et decubuit & dormiuit subter vnam iuniperum: & ecce Angelus Domini tetigit eum.*] Hebraicè habetur, *& ecce iste Angelus tangens eum.* hoc est, in hoc (videlicet, quòd dormiebat) Angelus tactu excitauit eum.

Et dixit ei: Surge, comede.

Vers. 6. *Respexitq;, & ecce ad caput eius subcinericius panis, & phiala aquæ. Comedit ergo, & bibit, & rursum decubuit.*

Vers. 7. *Reuersus est autem Angelus Domini secundò, & tetigit eum, & dixit: Surge, comede: grandis enim tibi restat via.*

Vers. 8. *Surrexitq;, & comedit, & bibit: & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.*] Admiranda valdè virtus data

data illi pani, vt sat esset labori itineris quadraginta dierum.

Vsque ad montem Dei Choreb.] Nominatur Deus *Elohim*: & *Choreb* appellatur *mons Eloim*: tum, quia ibi primùm apparuit Deus Mosi in flamma rubi ad liberandum populum de Ægypto: tum præcipuè, quia Choreb pars est montis Sinaï, in quo apparuit Elohim legislator.

Choreb, *cur mons Elohim dictus.*

Vers. 9. *Cúmque venisset illuc, mansit in spelunca.*] Hebraïca dictio plusquàm manere significat: videlicet, quietere dormiendo.

Et ecce sermo Domini ad eum. dormientem, ex hoc enim, quòd descriptus est dormisse, in spelunca, insinuatur, quòd dormienti apparuit alloquens eum Angelus in persona Dei.

Et dixit ei: Quid hic agis, Elia?] Iuxta Hebraïcum habetur: *Quid tibi hic, Eli-iahu?* Interrogatio hæc non ex ignorantia, sed ex prouidentia processit: vt respondendo præpararet Elias ad hoc, vt instrueretur à Deo, tum de qualitate diuinæ gubernationis, tum de prouisione futura.

Vers. 10. *Et dixit: Zelando zelatus sum pro Domino Deo exercituum:*] Ecce ratio, quæ impulit Eliam ad ea, quæ fecerat contra idololatras.

Quia dereliquerunt pactum, Domine.] Legendum est, *pactum tuum filij Israël.* Deum enim alloquitur. Pactum autem nominat, quia verè pactum fuerat in deserto sub monte Sinaï de cultu vnius summi Dei, aspergente sanguinem Mose, &c.

Altaria tua destruxerunt.] erant enim altaria multa constructa ad honorem summi Dei in diuersis locis, à tempore Abrahæ vsque tunc, quæ ad tollendum penitùs diuinum cultum à regno Israël destructa erant.

Altaria multa summo Deo extructa fuerunt à tempore Abrahæ.

Et Prophetas tuos occiderunt gladio.] In præcedenti capitulo commemorata est clades Prophetarum Dei.

Et derelictus sum ego solus.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *& derelictus sum ego, solus ego.* Et verum dicit inter Dei Prophetas tunc manifestos.

Et quærunt animam meam, vt auferant eam.] Et hoc directè respondet quæsito: *Quid tibi hic, Elia?* Potentiam Reginæ fugiens maneo hic.

Vers. 11. *Et ait: Egredere, & sta in monte coram Domino.*] Ex eo, quòd non dicit: Et ascende in montem; sed, *stabis in monte.* insinuatur, quòd spelunca non erat in planitie, sed in ipso monte: ita quòd egrediens speluncam stabat in monte coram Domino transituro in specie sensibili. Et hic finitur sermo diuinus ad Eliam in spelunca: & subiungendum more Scriptorum fuisse, quòd Elias paruit diuino mandato, & egressus stetit in monte: sed Author libri subintelligendam hanc Eliæ obedientiam reliquit, subiuncturus post narratum transitum Dei locum, in quo egressus Elias stetit ad videndum transitum Dei.

Elias *spelunca erat in ipso monte.*

Et ecce Dominus transiit.] Hebraïcè habetur, *& ecce Iehouah transiens.* Egresso Elia ex spelunca, & stante in monte ante portam speluncæ, describitur summus Deus transiens in specie sensibili.

Et spiritus grandis, & fortis, subuertens montes, & confringens petras coram Domino.] Apparatus præcedens ipsum Deum describitur: primùm enim antecedebat spiritus (hoc est, ventus) grandis, & vehemens, ita vt subuerteret montes, & confringeret petras. Nullum montem tunc subuersum, nullaque petras confractas legimus: & propterea nomine venti significatur non ipse corporeus ventus, sed species (hoc est, sensibilis similitudo venti, non quicunque, sed magni, atque fortis ad subuertendum montes, & confringendum petras: quem deinodum appellatione Iehouah transeuntis, non ipse Deus, sed species quædam intelligitur.

Venti species in ea visa non erat corporea.

Non in spiritu Dominus.] Manifestatum, quòd in vento illo non repræsentabatur præsens summus Deus.

Et post spiritum commotio.] Legendũ est: *Et post spiritum tremitus.* Et similiter subiungendum est:

Vers. 12. *Non in tremitu Dominus.*] apparuit enim similitudo tremoris tanquam terræmotus transiens post ventum: & declaratur quòd nec in illo tremitu repræsentabatur præsentia summi Dei transeuntis.

Et post commotionem ignis, non in igne Dominus.] Tertio loco (videlicet, post tremitum) transiuit species ignis: & declaratur, quòd nec in illo igne repræsentabatur præsentia Dei transeuntis.

Et post ignem sibilus auræ tenuis.] Iuxta Hebraïcum habetur: *Et post ignem vox submissa subtilis.* Deinde immediatè sequitur:

Vers. 13. *Et fuit, cùm audiret Elias-iahu.*] Aduerte, prudens lector, quòd in hac quarta specie sensibili repræsentabatur summus Deus transiens. Et quia sensibiles istæ species formatæ sunt ad instruendum Eliam, & posteros de mysteriis diuinæ prouidentiæ, intelligendum est, quòd in hoc transitu diuino repræsentante diuinam gubernationem, manifestatur primò Eliæ fugienti persecutionem Reginę multiplex modus vindicandi in prómptu coram Deo: videlicet, per ventum subuertentem, & confringentem, per terræmotum, & per ignem: sed nullo istorum instrumentorum se velle vti puniendo Izebel manifestat ex eo, quòd in nullo istorum diuina præsentia transiens significatur. Et per hæc tria comprehenduntur media omnia mirabilia, ad vindictam, eò quòd summa, media, & infima describuntur: summa in igne, media in vento, infima in tremitu. Modus autem diuinæ gubernationis aduersus persecutores Prophetarum eius manifestatur in quarto sensibili transeunte: videlicet, voce submissa subtili: in hac enim repræsentabatur summus Deus transiens. Et voce quidem eruditio; submissione verò quasi mansuetudo, libri autem penetratio significatur. Vox enim auditu, qui sensus est disciplinæ, percipitur: & ideò apte vox doctrinam erudientem nos significat. Et quemadmodũ vox clamosa ex aliqua animi perturbatione procedit; submissa autem vox ex quieto, mansuetóque animo: sic ad significandum diuinam velut patientiam ac mansuetudinẽ in progressu ad vindictam formata est vox non clamosa, sed submissa: subtilis autem ad significandum, quòd penetratiua est cordium electorum, vt intelligamus, vtilem esse electis huiusmodi vocem subtilem: hoc est, velut patientem, ac mansuetum diuinæ gubernationis modum, quo procedit ad vindictam eorum, qui persequuntur Sanctos eius. Potest nihilominus subtilitas vocis ad vindictæ efficaciam referri: vt quamuis vox mansueta, penetratiua tamen ad efficaciam vindictæ appareat. Directè itaque per has tres species instruit Deus Eliam, quòd non cum terribilibus instrumentis ignis, venti subuertentis, aut terræmotus; sed suauiter erudiendo eum mansuetudine, & patientia ad vtilitatem electorum.

Multiplex modus, quo Deus se vlciscitur.

In tribus cõprehenduntur mirabilia omnia ad vindictam Dei.

Quartũ sensibile auditum ad Eliã declarans.

Diuina patientia, ac mansuetudo in progressu ad vindictã.

Dei vindictæ efficacia.

Deus vere vindicans non in igne, &c.

rum, & efficacem punitionem malorum procedit ipse inter persecutionet suorum Sanctorum. Et quia describitur, Eliam audisse hanc vocem submissam tubulem, intelligenda est differentia inter tria prima sensibilia, & hoc quartum sensibile, penes hoc, quòd illa tria apparuerunt sensibilia sensu visus; hoc autem quartum sensibile sensu auditus. Et hinc habetur altera differentia, quòd in illis tribus non fuerunt, vt dictum est, ventus, ignis, & tremitus sed similitudines eorum visibiles transeuntes: in hoc autem quarto fuit verè formata vox audibilis subtilis, ac acuta, quam audiuit Elias, qua Deus dixit Eliæ subiuncta.

Differentia trium primorum sensibilium cum quarto apparenti Eliæ.

Operuit faciem suam pallio suo.] indignum se arbitrans vt verisùs Deum præsentem aspiceret: intellexit enim in voce illa summum Deum transeuntem: vt ei promissum fuerat in spelunca dormienti.

Et egressus stetit in porta speluncæ.] Aduerte, quòd egressus iste scribitur quidem post apparitionem istam, sed secundùm ordinem historiæ fuit prius, vt prædiximus: sed posteà commemoratur describendo locum, in quo colloquium cum Deo habuit. Et si iunxeris situm istum, (videlicet, ante ostium speluncæ) cum supradicto, videlicet, *stabis in monte*; percipies, quòd ostium speluncæ non erat in planitie, sed in monte Horeb.

Et ecce vox ad eum] non alia vox, quàm illa descripta subtilis ac subtilis: repetitur enim ad manifestandum, quid illa voce dictum fuerit: erat enim vox non inanimati soni, sed articulatæ locutionis.

Et dixit: Quid hic agis Elia? Legendum est: *Quid tibi hîc, Eli-iahu?* Ecce quid dixit vox illa. Idem autem quæritè à vigilante Elia, quod quæsierat ab eodem dormiente: vt hinc etiam manifestaretur eiusdem fuisse, qui apparuerat ei in somnis, vt reperiret quæstionem, vt magis præpararetur Elias ad intelligendum tam mysteria apparitionis sensibilis, quàm futuræ prouisionis, quæ subiungitur.

Eliæ vigilanti similis modo interior tum, ac dormienti, cur.

Vers. 14. *Et dixit: Zelando zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio: remansi ego solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.*] Eandem penitùs responsionem dat Elias vigilans, quam dederat dormiens.

Vers. 15. *Et ait Dominus ad eum.*] proculdubiò per illam vocem subtilissimam, ac subtilem.

Vade, reuertere in viam tuam.] Ecce prouisio suauis aduersùs idololatras.

Per desertum in Damascum.] Legendum est, *per desertum Damasci.* non enim mittitur in Damascum, sed per viam deserti Damasceni.

Cumque perueneris illuc.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venies* nec aliud adiungitur: sed immediatè subditur.

Vers. 16. *Et vnges Chazaël in Regem super Syriam.*

Et Iehu, filium Nimsi, vnges in Regem super Israel: & Eliab, filium Saphat de Abel mechola vnges in Prophetam pro te.] Prædicit ei, quòd perueniret securus, & mandat tria: videlicet, vngere duos Reges, & vnum Prophetam. An autem vngere hoc in loco sumatur pro ipsa sensibili vnctione, an pro constitutione, certum non est; executio siquidem vnctionum harum nusquam legitur facta per Eliam: imo & institutiones Regum istarum non per Eliam, sed per Elisæum facta leguntur. Verum hoc non aduertatur ve-

Vngere pro quo hic sumatur.

ritati Scripturæ huius: quia hoc ipsum sic exequendum litera hæc significat, dicendo, *Prophetam pro te*: ad hoc enim Elisæus subrogandus dicitur pro Elia, vt loco Eliæ de mandato ipsius Eliæ exequeretur institutiones illorum duorum Regum, Syriæ, videlicet, & Israël.

Et erit: euadentem gladium Chazaëlis interficiet Iehu.] Ecce progressus diuinæ iustitiæ ad puniendum idololatras per istos Reges, & per authoritatem Elisæi, & non per terræmotus, ventos, aut ignem. Hic est modus diuinæ gubernationis repræsentatus per vocem submissam, & subtilem. Vers. 17.

Diuina gubernationis modus repræsentatur per vocem submissam, & tenuem.

Et euadentem gladium Iehu interficiet Elisah.] Authoritate potiùs, quàm proprio opere intelligo, nisi ad percussionem puerorum, de quibus inferiùs tractabitur hoc referatur. Nihil tamen prohibet & hæc ad literam, vt sonant, fuisse impleta, quamuis executio non sit scripta.

Et remanere faciam in Israel septem millia: omnia genua, quæ non curuauerunt se Bahali.] Duo dicit. Alterum, quòd septem millia erant in Israël, qui non adorauerant Bahal: vt sciret Elias, quòd quamuis ipse esset solus Propheta Dei manifestus in Israël; multa tamen millia hominum erant in Israel, qui non fuerant idololatræ. Alterum, quòd istos seruabit à gladiis istorum Regum: vt sciret Elias, quòd non solius ipsius Eliæ curam haberet, sed etiam tot millium colentium non idola, sed summum Deum. Vers. 18.

Et omne os, quod non adorauit eum osculans manum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omne os, quod non osculatum est eum.* Quemadmodum cultum Bahal describit à genuflexione; ita describit ab osculo statuæ Bahal: his enim exterioribus signis exhibebat cultum Bahal vulgus.

Abiitque inde, & reperit Elisah, filium Saphat, arantem in duodecim iugis boum.] Iuxta Hebr. habetur: *Et ipse arans, duodecim paria in facie eius.* Duæ sunt sententiæ: altera, quòd Elisæus actualiter arabat: altera, quòd ante faciem eius erant duodecim paria boum, proculdubiò arantium: vt subiuncta testantur. Vers. 19.

Et ipse in duodecim iugis boum arantibus vnus erat.] Iuxta Hebræum habetur, *& ipse in duodecim*, nec habetur aliud. Et est sensus, quòd ipse erat vnus ex duodecim hominibus arantibus cum duodecim paribus boum.

Cùmque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super caput eum.] Patui refert, quòd Hebraïcè habetur, *& transijt Eli-iahu ad eum, & iecit pallium suum ad eum.*

Et reliquit boues & cucurrit post Eli-iahu.] Vide nullam narrari vnctionem, sed iactum pallij super eum: quo tactu Elisæi cor mutatum est statim, vt initium institutionis ipsius in Prophetam loco Eliæ intelligatur: reliquit enim statim boues, & cucurrit post Eliam. Vers. 20.

Elisæus quomodo in illum Prophetam.

Et dixit: Osculer, obsecro, patrem meum, & matrem meam, & veniam post te.] hoc est, cum bona gratia parentum recedere ex domo concede mihi.

Dixitque ei: Vade, & reuertere: quod enim meum erat, feci tibi.] Iuxta Heb. habetur: *Quid enim feci tibi?* Non sunt verba ignorantis factum in corde Elisæi: sed manifestantis causam talis factæ mutationis non fuisse ipsum Eliam, sed Deum, qui solus potest efficere mutationem cordis. Ac si apertè ùs diceret: Ego non nisi pallio te tetigi: Deus autem tetigit cor tuum.

Reuersusque

Vers. 21. *Reuersúsque est ab eo, & tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit eis carnes.*] Vt acceleraret opus, vsus est aratro pro lignis ad coquendum carnes.

Et dedit populo, & comederunt.] Conuiuium celebrauit ob vocationem sui ad sequendum Eliam.

Surrexitque, & abiit post Eli-sæum, & ministrabat ei.]

CAPVT XX.

Vers. 1. BEN-HADAB *autem Rex Syriæ congregauit totum exercitum suum, & triginta duos Reges secum, & equos, & currus.*] Quilibet oppidi dominus intelligendus est Rex: vnusquisque enim dominus alicuius vrbis, regio titulo insignitus erat.

Ascendítque, & obsedit Someron, & pugnauit contra eam.

Vers. 2. *Misítque nuncios ad Ach-ab, Regem Israël in ciuitatem.*

Vers. 3. *Et dixit ei: Sic dixit Ben-hadad: Argentum tuum meum est, & aurum tuum meum est; & vxores tuæ, & filij tui boni mei sunt.*] Petit Rex Syriæ hæc pro cessatione ab oppugnatione ciuitatis Samariæ: argentum quidem, & aurum ad habendum proprio iure: vxores autem ac filios bonos in obsides. Petit autem filios bonos ad differentiam filiorum Regis, qui non habebantur in pretio: ac si hodie diceremus, filios tuos legitimos ad differentiã illegitimorum.

Filij boni, qui.

Vers. 4. *Respondítque Rex Israël, & dixit: Iuxta verbum tuum, Domine mi Rex, tuus sum, & omnia, quæ sunt mihi.*] Consensit Rex Israël.

Vers. 5. *Reuersi sunt autem nuncij.*] Non contentus Rex Syriæ petitis, iterum mittit nuncios multiplicando petita.

Et dixerunt: Sic dixit Ben-hadad, qui misit nos ad te.] Iuxta Heb. habetur: *Quia misi ad te dicendo: Argentum tuum, & aurum tuum, & vxores tuas, & filios tuos mihi dabis.* Verba sunt Regis Syriæ relata per eius nũcios regio nomine: repetit enim in primis, quam fecerat, petitionem, de argento, & auro, vxoribus, & filiis ipsius Regis: deinde addit nouam petitionem, subiungendo:

Vers. 6. *Cras igitur hac eadem hora.*] Iuxta Hebr. habetur: *Quid, si sicut tempore crastino, mittam seruos meos ad te, & scrutabuntur domum tuam, & domos seruorum tuorum?* Affirmationi æquialet huiusmodi interrogatio: exigit enim, vt Rex Israël admittat die crastino seruos Regis Syriæ, ad accipiendum omnia optima, tam ex domo Regis, quàm ex domibus seruorum eius. Noua itaque petitio consistit in direptione totius ciuitatis, quantùm ad ea, quæ sunt desiderabilia: hoc est, quoad pretiosa quæque: nam vbi legitur:

Affirmationi æquialet interrogatio.

Et erunt, quod eis placuerit.] Hebraicè habetur: *Et erit: Omne desiderabile oculorum tuorum ponent in manibus suis, & tollent.*] Pulchra ergo, & pretiosa quæque mobilia petit.

Vers. 7. *Vocauit autem Rex Israel omnes seniores terræ, & ait: Cognoscite, quæso, & videte, quoniam malum insidiatur nobis.*] Hebraicè habetur: *quòd malum iste quærens. misit enim ad me pro vxoribus meis, & pro filijs meis, & pro argento meo, & pro auro meo, & non abnui.* Proponit Rex senioribus terræ, quòd Rex Syriæ non quærit malum ipsius Regis Israël solius; sed malũ totius ciuitatis: & ad exaggerandum petitionem, manifestat sensibus, quòd primæ petitioni, quæ ipsum Regem solùm tangebat, non negauit assensum; sed habito illo assensu nouam hanc petitionem aduersùs totam ciuitatem Rex Syriæ addidit.

Dixerúntque ad eum omnes seniores, & totus populus: Non audias, neque acquiescas. Vers. 8.

Respondit itaque nuncijs Ben-hadad: Dicite domino meo Regi: omnia, pro quibus misisti ad seruum tuum in initio, faciam; hanc autem rem non possum facere.] Vers. 9. Clara est responsio iuxta consiliũ senum, & populi, quòd paratus erat adimplere primam petitionem, sed ab hac secunda se excusat.

Abiérúntque nuncij, & retulerunt ei verbum.

Remisítque ad eum Ben-hadad, & ait: Sic faciant mihi Dij, & sic addant, si sufficerit puluis Someron pugillis totius populi, qui sequitur me.] Vers. 10. Iactantia potentiæ ex multitudine pugnatorum est, ex eo, quòd est rãta multitudo militũ cum eo, vt si quilibet pugillum terræ acciperet, exhauiretur totus puluis Samariæ: hoc est, tota terra, ex qua cõstructi sunt aggeres in munimen murorum Samariæ.

Iactantia ex multitudine pugnatorum.

Respondit autem Rex Israël, & ait: Dicite ei.] Vers. 11. Superfluit, *ei*: subintelligitur tamen.

Ne glorietur accinctus, æquè vt discinctus.] Hebraïcè habetur: *Sicut soluto.* sed sensus in idem redit: prouerbium enim obiecit Rex Israël. Sonat autem prouerbium, ne glorietur accinctus ad prælium, seu victoriam, sicut gloriatur soluens, seu aperiens: hoc est, qui iam vicit, & aperit thesauros, soluitque sacculos eorum, qui victi sunt; multa enim intercedere possunt inter os, & offam. Et hoc directè aduersùs iactantiam Regis Syriæ fuit: propter quod excitatus magis Rex Syriæ mandauit oppugnari ciuitatem.

Prouerbium ad iactantiã hostium reprimendam.

Et fuit, cum audiret verbum hoc, bibebat ipse, & Reges in tabernaculis, & dixit seruis suis: Circumdate ciuitatem.] Vers. 12. Hebraicè habetur: *ponite.* nec aliud adiũgitur. Et immediatè sequitur executio:

Et posuerunt super ciuitatem.] Interpres exposuit, *ponere*, verbo circundandi.

Et ecce Propheta vnus accessit ad Ach-ab Regem Israel, & ait: Sic dixit Dominus.] Vers. 13. Sine nomine quidem introducitur hic Propheta; verax tamen, & summi Dei Propheta manifestatur ex subiunctis: nam Iehouah nomine prophetauit.

Certè vidisti.] Hebraïcè habetur: *Num vidisti totam multitudinem magnam hanc?* Pensandam multitudinem magnam hostium proponit, vt magnitudo beneficij libretur.

Ecce ego trado eam in manum tuam hodie, vt scias.] Hebraïcè habetur: *Et scies.* tam mirabili experimento.

Quod ego sum Dominus.

Et ait Ach-ab: Per quem?] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *In quo?* Vers. 14.

Tradet mihi Dominus hodie hanc multitudinem?

Et ait: Sic dixit Dominus: Per pedissequos.] Hebraïcè habetur: *In pueris Principum prouinciarum.* Pueri non ætate dicuntur, sed officio ministrãdi in re militari: Principes enim prouinciarũ proprios habebãt iuuenes assistentes eis in armis.

Et ait: Quis incipiet prælium? & dixit: Tu.] Iunge subiunctam executionem: & perpende, quòd non quæsiuit Ach-ab à Propheta: Quis inter nos Israëlitas incipiet prælium? sed, Quis incipiet, an Rex Syriæ, an ego. Quæsiuit enim, an expectandum esset, quòd hostes inciperent prœliari, an ipsi Israëlitæ deberent aggredi hostes: & propterea Propheta respõdit: Tu inchoabis prælium.

hoc est, tu cum gente tua pueris prouinciarum præcedentibus aggredieris hostes.

Vers. 15. *Recensuit ergo pueros Principum prouinciarum, & fuerunt ducenti, & triginta duo: & post eos recensuit totum populum omnium filiorum Israël, septem millia.*

Vers. 16. *Et egressi sunt in meridie: Benhadad autem bibebat ebrius in tabernaculo.*] Legendum est, *in tabernaculis, ipse & triginta duo Reges.* referuntur enim tabernacula multa ipsius, & aliorum Regum ab æstu meridiani Solis protegentia Reges.

Cum eo.] Superfluunt istæ duæ dictiones.

Qui in auxilium eius venerant.

Vers. 17. *Egressi sunt autẽ pueri Principum prouinciarum in prima fronte: misitque Benhadad, qui nunciauerunt.*] Legendum est: *Et nunciauerunt ei dicendo: Viri egressi sunt de Someron.*

Vers. 18. *Et ait: Si pro pace egressi sunt, capite eos vines; & si ad prælium egressi sunt, viuos capite eos.*] Priùs nunciauerunt Regi egressum virorũ de Samaria: deinde misit Rex ad exercitũ circa ciuitatem existentem, mandando, quòd, siue pro pace, siue pro bello venerint, non interficiant eos; sed apprehendant viuos: verè enim potatum vinum magnam confidentiam Regi Syriæ dabat. vt pro nihilo haberet hostes, & in potestate sua arbitraretur esse capere illos viuos.

Vinum potatum magnã dat confidentiam.

Vers. 19. *Egressi sunt ergo pueri Principum prouinciarum de ciuitate: & exercitus, qui sequebatur eos.*

Vers. 20. *Et percussit vnusquisque.*] Proculdubiò puer Principum prouinciarum.

Virum contra se venientem.] vt impleretur verbum Prophetæ: percussit autem tantò facilius, quantò ad capiendum eos viuos veniebant Syri.

Fugerintque Syri, & persecutus est eos Israël.] Ecce victoria.

Et ensis Ben-hadad Rex Syria in equo cum equitibus suis.] Hebraicè habetur, *& equites.* vt intelligamus pedites percussos fuisse, & versos in fugam: & ideò equites fugisse.

Vers. 21. *Egressus est autem Rex Israel, & percussit equos, & currus: & percussit Syros plaga magna nimis.*] Superfluit dictio, *nimis.*

Vers. 22. *Accessit autem Propheta ad Regem Israël.*] idem, vt par est credere.

Et dixit ei: Vade, confortare, & scito, & vide, quæ faciás: sequenti enim anno Rex Syriæ ascendet.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *In reuersione anni Rex Aram ascendens contra te.* tempus enim idoneum ad bellum sequentis anni significatur.

Vers. 23. *Serui autem Regis Syriæ dixerunt ei: Dij montium sunt Dij eorum, ideo superauerunt nos: veruntamen pugnemus contra eos in campestri, & videbis, quòd superabimus eos.*] Vide cæcitatem existimantium limitatam virtutem ad montes esse diuinam potentiam.

Vers. 24. *Et rem hanc fac: amoue Reges vnumquemque de loco suo, & pone duces pro eis.*

Vers. 25. *Tu autem numerabis tibi exercitum secundum exercitum, qui tibi cecidit, & equos secundum equos priſtinos, & currus secundum currus, quos ante habuisti: & pugnemus contra eos in campestribus; & videbis, quòd superabimus eos: audiuitque vocem eorum, & fecit sic.*

Vers. 26. *Et fuit in reuersione anni, recensuit Benhadad Syros: & ascendit in Aphec, vt pugnaret contra Israel.*

Vers. 27. *Porrò filij Israël recensiti sunt, & acceptis cibariis profecti sunt in occursum eorum: & castrametati, sunt filij Israël contra eos, quasi duo parui greges caprarum; Syri autem repleuerunt terram.*

Vers. 28. *Et accessit vir Dei.*] Illemet creditur Propheta, qui præterito anno prædixerat: & nominatur Deus *Elohim.*

Et dixit ad Regem Israël: Sic dixit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium est dominus, & non est Deus vallium.] Hebraicè habetur: *Elohe montium Iehouah, & non Elohe vallium.*

Dabo totam multitudinem hanc magnam in manum tuam.] Manifestè blasphemauerant ipsum fontem essendi summum Deum: & non ex merito Israëlitarum, sed ad confutandam blasphemiam Syrorum, diuina iustitia manifestatur exercenda aduersùs Syros.

Et scietis, quòd ego sum Dominus.] experimento etiam hoc vos Israëlitæ scietis, quòd ego sum Iehouah. Ita quod fructus duplex prædicitur: & confutationis Syrorum, & notitiæ Israëlitarum.

Vers. 29. *Dirigebant itaque septem diebus ex aduerso hi, atque illi acies.*] Legendum esset: *Et castrametati sunt isti è regione illorum septem dies.* modus enim castrametandi, & tempus describuntur.

Septimo autem die commissum est prælium, percusserúntque filij Israël de Syris centum millia peditum in die vna.

Vers. 30. *Fugerunt autem, qui remanserunt in Aphec ad ciuitatem, & cecidit murus super viginti septem millia virorum, qui remanserant.*] Mirabilis Deus in tanta plaga.

Ben-hadad autem fugiens ingressus est ciuitatem in cubiculum in cubiculo.] hoc est, in penetralia domus.

Vers. 31. *Dixerúntque ei serui eius: Ecce, obsecro, audiuimus, quòd Reges domus Israel clementes sint.*] Hebraicè habetur: *Reges gratiæ ipsi.* Confidunt in gratia solita Regum Israël.

Ponamus itaque.] Licèt litera sonet inuitationem Regis ad simul eundum; subiuncta tamen testantur, quòd serui de seipsis tantùm loquuntur: & sic sonat Hebraica litera: *Ponemus nũc saccos in lumbis nostris, & funes in capitibus nostris, & egrediemur ad Regem Israël: forsitan viuificabit animam tuam.*] petituri veniam, ac vitam, signa assumunt pœnitentium induentes saccos, & apponentes funes in capitibus: loco quorum hodie ponunt cingulum in collo petentes veniam.

Pœnitentium signa.

Vers. 32. *Accinxerunt itaque saccis lumbos suos, & posuerunt funes in capitibus suis: veneruntque ad Regem Israël, & dixerunt: Seruus tuus Benhadad dixit: Viuat, quæso, anima mea. Et dixit: Si adhuc viuit frater meus est.*

Vers. 33. *Quod acceperunt viri pro omine: & festinantes rapuerunt verbum ex ore eius, & dixerunt: Frater tuus Ben-hadad viuit.*] Superfluit, *viuit.* Dixerat Rex Israël: *Si viuit frater meus ipse.* respondet statim affirmando, quod sub conditione Rex dixerat; videlicet, quòd Benhadad est frater tuus: ex illa enim conditionali statim intulerunt hanc conclusionem, quia sciebant ipsum viuere.

Et dixit eis: Ite, & adducite eum. Egressúsque est ad eum Benhadad.] Hinc apparet, quòd sine Benhadad serui eius fuerunt supplices ad Regem Israël.

Et ascendere fecit eũ in currũ suum.] Non habetur in Hebræo, *suum:* quanuis verisimile sit, quòd honorauerit eũ, tanquàm fratrẽ in proprio curru.

Vers. 34. *Dixitque ad eum: Ciuitates, quas tulit pater meus à patre tuo, reddam.*] Conditiones scribuntur fœderis oblatæ à Rege Syriæ.

Et

Plateæ ble quid signifi cent.

Et plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Someron.] An plateæ istæ fora significent venalium rerum exempta, an tribunalia dicendi ius in plateis, seu exigendi vectigalia, non est certum.

Et ego fœderatus recedam à te.] Iuxta Hebr. habetur, *& ego in fœdere mittam te.* Et sunt verba Regis Israël responsiua ad Regem Syriæ: subaudiendum est in litera: Et respondit Rex Israël: Et ego in fœdere, quod offers, mittam te in terram tuam.

Pepigitque cum eo fœdus, & dimisit eum.

Vers. 35. *Et vir vnus de filiis Prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini.*] hoc est, mandando ei ex parte Dei: hunc enim sensum subiuncta inobedientia testatur.

Vers. 36. *Percute me, quæso. At ille noluit eum percutere.*

No'o, verbum amicum Interpreti S. Script.

Dixitque ei: Quia noluisti audire.] Hebraicè habetur: *Quia non audiuisti vocem Domini.* vt enim aliàs diximus, valdè amicum fuit Interpreti verbum, *nolo*: millies enim illud addidit.

Ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cúmque paululum recessisset ab eo.] Interpres addidit, *paulum*: fortè quia Hebraicè habetur

Vers. 37. *Et iuit à latere eius.*] sed per hoc non scribitur, an paululùm, aut multùm iuerit.

Et inuenit eum leo, & percussit eum.

Inuenitque virum alium, & dixit: Percute me, quæso: & percussit eum, & vulneravit.] Intellige diuino præcepto paruisse hunc percutientem; sic quòd sanguis emanauerit: excusantur enim hæc, quia Deo iubente fiebãt. Et vt subiuncta innuũt, percussio fuit in capite, vt Propheta proprij capitis vulnere repræsentaret Regi Israël vulnus ipsius Regis in anima: assũpsit enim personã Regis, quatenus deliquerat Rex parcendo Regi Syriæ: & propterea voluit etiam vulnere sui capitis testificari vulnus, tũ supremæ partis animi Regis Israël, tũ vulnus populi in Rege illius capite: deliquerat enim Rex Israël contra diuinum honorem, parcendo blasphemo sentienti, quòd Iehouah esset Elohe montium, & non vallium.

Vers. 38. *Abiit ego Propheta, & occurrit Regi in via: & mutauit aspersione pulueris os, & oculos suos.*] Iuxta Hebr. habetur: *& mutauit se cũ linteo super oculos suos.* Dictio interpretata, *linteo*, an verè esset linteũ, noli cõtendere: plaga tamen suadet, vt intelligamus linteũ ad operiendum plagã: solent enim vulnerati in capite inuoluere caput linteo: quod iste traxit vsque ad oculos, ne agnosceretur Propheta, sed crederetur à Rege vnus de populo petens iustitiam, & sic Rex daret sententiam contra seipsum Regem nescientem.

Linteum, quid hoc loco.

Vers. 39. *Cúmque Rex transiisset.*] Legendum est: *Et cùm Rege transeunte, ipse clamauit ad Regem.* nam transeunte Rege clamauit.

Et dixit: Seruus tuus egressus est ad præliandum cominùs.] Iuxta Hebr. habetur: *In prope bellum.* hoc est, in locum propinquum loco belli.

Cúmque fugisset vir vnus.] Hebraicè habetur, *& ecce vir recessit.* Quadrat autem, vt de recessu fugæ à castris intelligatur.

Adduxit eum quidam ad me.] Hebraicè habetur: *Et venit ad me vir.* Alter vir apprehendens fugitiuum describitur: & vt subiuncta restantur, vir authoritatis fingitur: alioquin non apposuisset subiunctam pœnam Dixi, fingitur: quia non res gesta, sed parabola est ista, assumpta à Propheta ad manifestandum Regi Israël ipsius Regis peccatum, & pœnam.

Et dixit: Custodi virum istum, si deficiendo defeciet, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes.

Vers. 40. *Dum autem ego turbatus huc, illucque me verterem, subito non comparuit.*] Hebraice habetur: *Et fuit seruus tuus faciens hic, & hic, & ipse non ipse.* Occupationem variam sibi accidisse, qua non aduertit, quando datus sibi in custodiam non est amplius visus, narrat: huiusmodi enim disparitionem significat dicendo: *Et ipse non ipse.*

Et ait Rex Israel ad eum: Hoc est iudicium tuum quod ipse definisti.

Vers. 41. *At ille statim abstersit pulverem de facie sua.*] Hebraicè habetur: *Et festinauit, & amouit linteum de super oculos suos.* vt agnosceretur à Rege post datam sententiam, quòd esset Propheta.

Vers. 42. *Et agnouit eum Rex Israël, quod de Prophetis esset.*

Et ait ad eum: Sic dixit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua.] Hebraicè habetur, *destructum meum* (seu virum retis mei) *de manu.* Si prima lectio placet, Rex Syriæ appellatur à Deo, destructus meus, quia verè ipse destruxerat illius exercitum: si verò secunda amplectitur lectio, verè quoque Rex Syriæ vir retis diuini dicitur, quia tanquam comprehensus intra rete fuit ab ipso Deo.

Destructus meus, cur Rex Syria appelletur à Deo.

Erit anima tua pro anima ipsius.] Diuina iniuria in facto fœdere cũ Rege Syriæ hinc apparet.

Punitur populus pro Rege.

Et populus tuus pro populo eius.] Punitur ergo etiam populus pro peccato Regis.

Vers. 43. *Et abiit Rex Israel in domum suam auidus contemnens.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur potiùs tristitia quàm contemptus.

Et furibundus: & venit in Someron.]

CAPVT XXI.

Vers. 1. ET FVIT *post verba hæc, vinea erat Naboth Iizrehelitæ, qui erat in Iizrehel, iuxta palatium Ach-ab Regis Someron.*

Vers. 2. *Locutus est autem Ach-ab ad Naboth dicendo: Da mihi vineam tuam, & erit mihi in hortũ olerum, quia vicina est prope domum meam: dabóque tibi pro ea vineam meliorem illa, aut si bonum in oculis tuis, dabo tibi argentum pretij eius.*

Vers. 3. *Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus.*] Hebraicè habetur, *absit mihi à Iehouah, vt dem hæreditatem patrum meorum tibi.* Horrentis est alienare antiquam hæreditatem auorum.

Vers. 4. *Venit ergo Ach-ab in domum suam indignans, & frendens.*] Eædem dictiones sunt, quæ in calce præcedentis capituli scriptæ sunt: puta:

Tristis & furibundus.] passiones enim animi se sequentes significantur.

Super verbum, quod locutus fuerat ad eum Naboth Iizrehelita, dicendo: Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum: decubuitque super lectum suum, & auertit faciem suam, & non comedit panem.

Vers. 5. *Ingressa est autem ad eum Iezebel vxor eius: & dixit ei: Quid est hoc, vnde spiritus tuus tristis est, & tu non comedis panem?*

Vers. 6. *Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Iizrehelitæ, & dixi ei: Da mihi vineam tuam pro pecunia, aut si tibi placet, dabo tibi vineam pro ea: & dixit, non dabo tibi vineam meam.*

Vers.7. *Dixítque ad eum Izebel, vxor eius: Grandis authoritatis es, & benè regis regnum Israël.*] Extendit Interpres: nam Hebraicè habetur: *Tu nunc facies regnum super Israël.* nec aliud scribitur. Et ironia est, sonans: Si non tanti es, vt habeas vineam vnius ciuis, multò minùs seruabis tibi regnum super vniuersum Israël. Sonans, quòd iste non est modus seruandi regnum super Israël: sonans, quòd iustitia non debet ipsum impedire à voto habendi vineam, sicut nec à seruando regnum; sed per fas, & nefas agendum est, quemadmodum pro regno.

Ironicè loquitur Iezabel Regi Achab.

Vers.8. *Surge, comede panem, & alacri animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Izrehelitæ.*

Scripsit itaque literas nomine Ach-ab, & signauit eas annulo eius.] Vt ex nomine simul, & annulo Regis intelligamus, consentiente Rege missas esse has literas.

Et misit literas ad seniores, & Optimates, qui erant in ciuitate eius, & habitabant cum Naboth.

Vers.9. *Et scripsit in literis dicendo: Prædicate ieiunium.*] Quanuis Hebraïca dictio anceps sit ad ieiunium, vel congregationem, subiuncta tamen restantur rectiùs legi, *congregationem*: ita quòd legendum est: *Vocate congregationem, & sedere facite Naboth in capite populi.* quadrat enim huic sessioni vocatio congregationis.

Vers.10. *Et submittite duos viros filios Beli-iahal contra eum, & testificentur contra eum dicendo: Benedixit Naboth Deum, & Regem.*] Legendum est: *Benedixisti Elohim, & Regem.* In secunda persona exequendum mandatur, vt intelligerent, quòd testes in faciem ipsius Naboth auderent dicere: Blasphemasti Deum, & Regem.

Et educite eum, & lapidate eum, & moriatur.

Vers.11. *Fecerúntque viri ciuitatis eius, (seniores, & Optimates, qui habitabant in ciuitate eius,) sicut miserat ad eos Izebel: sicut scriptum erat in literis, quas miserat ad eos.*

Vers.12. *Prædicauerunt ieiunium.*] Legendum est, vt suprà: *Vocauerunt congregationem.* repetuntur enim scripta in literis.

Et sedere fecerunt Naboth inter primos populi.] Legendum est, *in capite populi.* Et insinuatur hinc, quòd Naboth ciuis erat non infimus, sed inter præcipuos ciuitatis illius.

Naboth erat ex præcipuis ciuibus.

Venerúntque duo viri filij Diaboli.] Hebraïcè habetur, *filij Beli-iahal.* hoc est, absque iugo legis, & morum.

Vers.13. *Et sederunt contra eum: & testificati sunt contra eum viri Beli-iahal coram populo, dicendo: Benedixit Naboth Elohim, & Regem.*] hoc est, blasphemauit: ex oppositio enim significat Scriptura (horrens etiam nominare) blasphemiam Dei.

Blasphemiã Dei horret Scriptura nominare.

Eduxerúntque eum extra ciuitatem, & lapidauerunt eum lapidibus, & mortuus est.

Vers.14. *Misérunque ad Izebel dicendo: Lapidatus est Naboth, & mortuus est.*

Vers.15. *Cùm autem audisset Izebel, lapidatum esse Naboth, & mortuum, dixit ad Ach-ab: Surge, posside vineam Naboth Izrehelitæ.*] Aduerte, lector, tam hîc, quàm sæpè inferius haberi Hebraicè, *hereditas*: quod sonat hæreditario iure possidendam vineam. Et ad huius modi ius spectant subiuncta verba:

Quia non est data eam tibi pro pecunia.] sonant enim, quòd ob mortem Naboth Rex tanquàm hæres acciperet vineam. Nec apparet facilior intelligentia talis iuris, quàm per viam confiscationis: ita quòd ex crimine læsæ maiestatis confiscatæ erant res Naboth: ac per hoc Rex, tanquàm hæres, succederet: & eò magis, quò inferiùs (hoc est libro 4. cap. 9.) commemoratur non solùm sanguis Naboth; sed etiam sanguis filiorum eius, qui hîc tacetur. 4 Reg.9.

Non enim viuit Naboth, sed mortuus est.

Vers.16. *Cúmque audisset Ach-ab, mortuum esse Naboth, surrexit, vt descenderet ad vineam Naboth Izrehelitæ ad possidendum eam.*

Vers.17. *Factus est autem sermo Domini ad Eli-iahu Thisbitem, dicendo:*

Vers.18. *Surge, descende in occursum Ach-ab Regis Israël, qui est in Someron. Ecce ad vineam Naboth descendit, vt possideat eam.*] Hebraïcè habetur: *Ecce in vinea Naboth, ad quam descendit ad hæreditandum eam.* Occurrit quæstio, quomodo verificantur hæc; videlicet, quòd Rex esset in Samaria, & esset in vinea Naboth; cùm vinea esset non in Samaria; sed in Izrehel, vt in principio huius capituli dictum est. Solutio est, quòd in Hebraico contextu scribitur sine verbo aliquo de Rege.

Quomodo Achab potuit esse in Samaria, & in vinea Naboth.

Qui in Someron ecce in vinea Naboth, ad quam descendit, &c.] Et significatur celeritas executionis cum aggrauatione: est enim sensus: Vade in occursum Ach-ab Regis Israël, qui residens in Samaria, audita morte Naboth, ecce sine mora est in vinea, ad quam descendit: ita quòd Samaria scribitur, vt locus residentiæ Regis: vinea autem, vt locus, in quo inueniendus erat. Sed adhuc restat quæstio altera: quomodo mandatur Eliæ, vt descendat in occursum Ach-ab, si inueniendus erat in vinea? Solutio est, quòd quia Ach-ab priùs venit ad vineam, quàm ad palatium regium in ciuitate Izrehel; ideò & verificatur occursus, & verificatur inuentio ipsius in vinea.

Quomodo mandatur Eliæ, vt descendat in occursum Achab, si inueniendus erat in vinea.

Vers.19. *Et loqueris ad eum dicendo: Sic dixit Dominus: Occidisti insuper, & possedisti.*] Hebraïcè habetur dictio significans crimen homicidij: ac si liceret dicere, homicidisti: & scribitur: *Num homicidisti?* Manifestat Propheta vtrunque peccatum ponderatum esse à Deo.

Et post hæc addes.] Sensum exposuit Interpres, vt pœnam post culpam manifestaret.

Sic dixit Dominus, in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth.] Superfluit, *hoc.* De verificatione autem horum verborum, in sequenti capitulo, vbi narrabitur mors Ach-ab, erit quæstio.

Lingent canes sanguinem tuum.] Hebraïcè adiungitur, *etiam tuum.* Assueratio est ad significandum verè tuum in individuo.

Vers.20. *Et ait Ach-ab ad Eli-iahu: Num inuenisti me inimicum tibi?*] Iuxta Hebræum habetur: *Num inuenisti me inimicus meus?* Et est sensus: Num tu, tanquàm meus inimicus, inuenisti me, qui tam mala comminaris mihi? num affectu inimicitiæ aggressus es me cum his malis?

Et dixit: Inueni.] Affirmat Elias: & rationem subdit, non ex parte ipsius Eliæ, sed ex parte ipsius Regis.

Eò quod venundatus sis ad faciendum malum in oculis Domini.] Ecce ratio inimicitiæ: quia venundatus es (hoc est, tanquàm venundatus, tanquàm seruus addictus es) ad faciendum malum in oculis summi Dei: non est ergo inimicitia ex parte mei, sed ex parte iniquitatis tuæ.

Hæc dicit Dominus.] Interpres hæc addidit, ad significandum

significandum subiuncta verba dicta esse in persona Dei.

Vers. 21. *Ecce ego inducam super te malum.*] Inchoata priùs, sed propter interrogationem Ach-ab interrupta Dei verba prosequitur Elias.

Et demetam posteriora tua.] Iuxta Hebræum habetur: *Et destruam post te.* hoc est, posteros tuos.

Et succidam de Ach-ab mingentem ad parietem, & clausum & vltimum in Israël.] Iuxta Hebræum habetur, *& retentum, & relictum in Israel.* Quemadmodum in prophetia punitionis Ieroboham primi Regis Israel, post pœnam domus Ieroboham adiuncta est punitio populi in istismet verbis in capitulo 14. ita & hìc post pœnam domus Ach-ab prænunciatur punitio populi, quem ad nouam idololatriam Ach-ab traxit. Et significatur ad literam, futura destructio populi totius, inchoando ab iis, qui frequenti retinentur collegio, vsque ad infimos, qui habentur pro derelictis.

Vers. 22. *Et dabo domum tuam, sicut domum Iarobham, filij Nebat; & sicut domum Bahasa, filij Achi-æ.*] Bahasæ peccata scripta sunt cap. 15. punitio verò cap. 16.

Propter irritationem, qua me irritasti, & peccare fecisti Israëlem.

Vers. 23. *Et etiam de Iezebel.*] Regina quæ fuerat principalis causa tot malorum.

Locutus est Dominus dicendo: Canes comedent Iezebel in agro.] Hebraicè habetur, *in valle Iizrehel.* Non significatur locus agrestis, sed locus imus.

Vers. 24. *Mortuum de Ach-ab in ciuitate, comedent canes: & mortuum in agro, comedent volucres cæli.*

Vers. 25. *Veruntamen non fuit sicut Ach-ab, qui venundatus est.*] Legendum est: *Qui se vendidit ad faciendum malum in oculis Domini: quia incitauit eum Iezebel, vxor eius.* hoc est, ad instar vendentis seipsum addixit se seruituti ad faciendum malum, vt seruitus hæc non coacta, sed voluntaria intelligatur: & occasio reiicitur in vxorem.

Vers. 26. *Et abominabilis effectus est valdè eundo post idola: iuxta omnia, quæ fecerant Emorei, quos expulit Dominus à facie filiorum Israël.*

Vers. 27. *Itaque cùm audisset Ach ab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio.*] Iuxta Hebræum habetur, *sacco carnem suam, & ieiunauit.* Pœnitentia exterior describitur.

Et dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.] Hebraïca dictio anceps est ad tria: videlicet, ad demissus, vel ad discalceatus, vel sensim. Elige quod vis.

Vers. 28. *Factus est autem sermo Domini ad Eliahu Thisbithem dicendo:*

Vers. 29. *Num vidisti, quòd humiliatus est Ach-ab coram me?*] Hebraïcè habetur, *à facie mea?* hoc est, à timore mei? Et hinc insinuatur, quòd non vsque ad amorem Dei peruenit hæc humiliatio: sed in timoris terminis sterit. Vnde & repetitur:

Quia fuit humiliatus à facie mea, non inducam malum in diebus eius. In diebus filij eius inducam malum super domum eius.] Vide Dei bonitatem, non absque præmio relinquentem humilitatem Ach-ab, quanuis ex timore. Sed ipsum præmium temporale attestatur, quod diximus; videlicet, stetisse humilitatem eius infra terminos timoris.

CAPVT XXII.

Vers. 1. TRANSIERVNT igitur tres anni absque bello inter Syriam, & Israël.

Vers. 2. *In anno autem tertio descendit Iehosaphat Rex Iehudæ ad Regem Israël.*

Vers. 3. *Dixitque Rex Israël ad seruos suos: Ignoratis.*] Hebraicè habetur: *Num nostis?* quasi dicat, nostis.

Quòd nostra sit Ramoth Ghilhad, & negligimus tollere eam de manu Regis Syriæ?

Vers. 4. *Et ait ad Iehosaphat: Veniésne mecum ad bellum in Ramoth Ghilhad?*

Vers. 5. *Dixitque Iehosaphat ad Regem Israël: Sicut ego sum, ita & tu, populus meus, & populus tuus vnum sunt, & equites mei equites tui.*] Interpres addidit: Hebraïcè enim eodem modo dicuntur omnia: *Sicut ego, sicut tu; sicut populus meus, sicut populus tuus; sicut equi mei, sicut equi tui.* modus enim loquendi Hebraicus est ad significandum indifferentiam. *Indifferētia quomodo Hebraicè significata.*

Dixitque Iehosaphat ad Regem Israël: Quære, obsecro, hodie verbum Domini.

Vers. 6. *Congregauitque Rex Israël Prophetas, quadringentos circiter viros.*] Hebraïcè habetur, *sicut quadringentos viros.* Et quia interrogandus sermo Iehouah propositus fuerat à Iosaphat, consequens est, vt intelligamus Prophetas istos tanquàm Prophetas summi Dei vocatos: erant enim, vt diximus, profitentes se diuinis laudibus vacare: & ideo Prophetæ appellabantur.

Et ait ad eos: Iréne debeo in Ramoth Ghilhad ad bellum, an quiescere? Qui responderunt: Ascende, & dabit Dominus in manum Regis.] Nomen est loco tetragrammaton. Quod ideò annotauerim, vt perspiciatur, quòd summi Dei Prophetas se esse profitebantur isti.

Vers. 7. *Dixit autem Iehosaphat: An non est hìc Propheta Domini quispiam.*] Hebraicè habetur: *Adhuc, & inquiremus ab eo?* Non petit, an sit aliquis Propheta summi Dei: sed an sit aliquis alius summi Dei Propheta. Et dicendo, *adhuc*, affirmat, illos quadringentos esse Prophetas summi Dei: aliquid enim minoris fidei se præstare multitudini illorum insinuat, petendo, an aliquis alius adhuc sit Propheta Domini: sciebat enim, (vt creditur,) relictum fuisse Micheam: & propterea interrogauit, an aliquis remanserit.

Vers. 8. *Et ait Rex Israël ad Iehosaphat: Adhuc est vir vnus, per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum.* (hoc est, abominor eum:) *quia non prophetat mihi bonum, sed malum.*) *Micha-iehu, filius Imlæ. Dixitque Iehosaphat: Ne dicat Rex ita.*

Vers. 9. *Vocauit ergo Rex Israël eunuchum vnum: & dixit: Festina adducere Micha-iehu filium Imlæ.*

Vers. 10. *Rex autem Israël, & Iehosaphat Rex Iehudæ sedebant vnusquisque super solium suum vestiti cultu regio.*] Iuxta Hebræum habetur, *vestiti vestibus in area introitus portæ Someron.* Rectè Interpretem antiquum exposuisse puto.

Et omnes Prophetæ prophetabant in cōspectu eorū.

Vers. 11. *Fecitque sibi Zid-ci-ia, filius Chenahana, cornua ferrea: & ait: Sic dixit Dominus: His ventilabis.*] Iuxta Hebræum habetur, *cum istis cornupetes Syros vsque ad cōsumptionem eorum.* Propheta iste sensibilibus signis suam prophetiam protulit, vt firmiùs crederetur, quod dicebat: cornibus enim ferreis *Sedecias sensibilibus signis suam prophetiam profert.*

ferreis vim efficacem ad domandum Syros ſignificauit aſſuturam Regi Iſrael.

Verſ. 12. *Omnéſque Prophetæ prophetabant ſic dicendo: Aſcende in Ramoth Ghilhad, & vade proſperè.*] Hebraïcè habetur, *& proſice.* profectum ſiquidem in prælio promittunt omnes Prophetæ: & ſimiliter intellige inferiùs, cùm, *vade proſperè*, repetitur.

Et tradet Dominus in manum Regis.

Verſ. 13. *Nuncius autem, qui erat ad vocandum Micha-iehu locutus eſt ad eum dicendo: Ecce, quæſo, ſermones Prophetarum ore uno bonum Regi prædicunt: ſit, quæſo, ſermo tuus, ſicut ſermo vnius ex eis, & loquere bonum.*

Verſ. 14. *Cui Micha-iehu ait: Viuit Dominus, quòd quicquid dixerit mihi Dominus, illud loquar.*

Verſ. 15. *Venit itaque ad Regem: & ait illi Rex: Micha-iehu, num ire debemus in Ramoth Ghilhad ad bellum, an quieſcere?*

Verſ. 16. *Dixitque ad eum: Aſcende, & vade proſperè, & tradet Dominus in manum Regis. Dixit autem Rex ad eum: Iterum, atque iterum.*] Hebraice habetur, *vſque quot vices.* Et ſunt verba non Regis, ſed Authoris libri: legendum eſt enim:

Et dixit ad eum Rex: Vſque quot vices ego adiuro te. hoc eſt, non ſemel, ſed multoties repetendo adiurationem ſubiunctam. *Vt non loquaris mihi, niſi quod verum eſt in nomine Domini?*

Verſ. 17. *Et ait: Vidi totum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oues non habentes paſtorem.*] Oritur quæſtio, qua ratione Micheas priùs dixit: *Aſcende, & dabit Dominus in manum Regis ciuitatem.* ſtatim autem dixit oppoſitũ. Et eò magis augetur quæſtio: tum, quia ipſe iurauerat nuncio ſe dicturum, quòd Deus loquetur ſibi; certũ eſt enim, Deum non mentiri: tum, quia ipſe non dicit, video; ſed, *Vidi omnem Iſrael*, &c. ſi enim viderat ruinam Regis & populi, quomodo dixit abſque mendacio: *Aſcende, & proficies, & tradet Dominus*, &c. Solutio eſt, quòd Micheas priora verba dixit nomine proprio, antequàm haberet viſionem hanc: quòd ex eo habetur, quòd ipſe iurauit nuncio ſe dicturũ, non quod locutus eſt; ſed quod loquetur ſibi Deus. Futurã ergo expectabat reuelationẽ diuinam: & interrogatus primùm à Rege catẽs diuina reuelatione, videns omnes Prophetas alios prophetare bonum, cõformauit ſermonem ſuum ſermoni aliorum: ſtatim autem adiuratus à Rege, vt loqueretur in nomine Domini duntaxat, diuinam habuit viſionem, quæ verbis ſubiũctis narratur. Et præteritum, *vidi*, ad tempus locutionis refertur: iam enim viderat, quando narrauit viſionem. cito enim Deus internam operatur viſionem.

An Micheas Propheta reſpexerit oppoſitũ Achabo.

Et ait Dominus: Non habent iſti dominum.] Significatur; et hoc mors Regis futura in illo prælio. Vbi nota, quod ſimul Micheas vidit Iſraelem diſperſum, tanquàm oues ſine paſtore; & audiuit ſignificatam rem ex ore Dei.

Reuertatur vnuſquiſque in domum ſuam in pace.] Et per hoc ſignificatur, quòd percuſſo Rege rediturus erat populus ad propria.

Verſ. 18. *Dixitque Rex Iſrael ad Iehoſaphat: Nónne dixi tibi, quod non prophetaret mihi bonũ, ſed malum?*

Verſ. 19. *Ille vero addidit: Ideo audi ſermonem Domini. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum.*] Aduerte, quòd viſio iſta fuit imaginaria: formatæ ſiquidem ſunt ſpecies in imaginatione Micheæ, repræſentantes Deũ in humana ſpecie, tanquam Principem ſedentẽ ſuper ſolium cum aſſiſtentia vniuerſi exercitus cæleſtis, tanquàm celebrantem concilium, & inquirentem modum puniendi Ach-ab in prælio contra Syros: & ideò ſedere, & ſtare, interrogare, & reſpondere, & reliqua eiuſmodi fuerunt oblata in imaginatione Micheæ vigilantis, quemadmodum dormientes videmus ſomniando ſedentes, loquentes, reſpondentes, &c. Quia autem diuina fuit hæc apparitio, plena ſunt omnia myſteriis: nam ſeſſio Dei principatum eius; ſtare verò aliorum ſeruitutem eorundem ſignificat.

Micheas viſione imaginaria vidit Deum.

Seſſio Dei, principatum eius; ſtare verò aliorum ſeruitutem eorundem ſignificat.

Et omnem exercitum cæli.] hoc eſt, cunctas ſpirituales ſubſtantias ſeruientes Deo ad gubernationem horum inferiorum, tanquàm exercitum ordinatum ad pugnam contra homines rebelles diuinis præceptis: cæleſtes enim omnes dicuntur; quia ſuperiores ſunt ſecundùm naturam hominibus, & reliquis habitantibus, tam in terra, quàm in aquis.

Stantem iuxta eum à dextris, & à ſiniſtris eius.] Spirituales ſubſtantiæ bonæ à dextris, malæ verò à ſiniſtris ſtabant ſubditæ ad ſeruiendum.

Verſ. 20. *Dixitque Dominus: Quis decipiet Ach-ab.*] Iſta inquiſitio præter merita Ach-ab, vt decipereretur, & ſic periret. duo ſignificat: alterum, quòd decipere alienum eſt à Deo; & propterea tanquàm id, quod non habetur inter diuina, inquiritur: alterum, quòd ipſum decipere eſt exactè cognitum. & ordinatum à Deo: Deus enim propriè nihil inquirit: ſed humano more deſcribitur interrogans, & inquirens: Quis decipiet. ad inſtruendum nos hæc duo.

Decipere, alienum eſt à Deo.

Deceptio eſt exactè cognita, & ordinata à Deo.

Vt aſcendat, & cadat in Ramoth Ghilhad?] Eece ordo deceptionis ad puniendum Ach-ab morte in prælio.

Et dixit vnus verba huiuſcemodi, & alius ſimiliter.] Hebraicè habetur, *& dixit iſte in ſic, & iſte dicens in ſic.* Varij modi decipiendi Ach-ab propoſiti à ſtantibus narrantur. Qui ideò tacentur in ſpecie, quia illis vti diuina noluit prouidentia: ideò tamen in genere referuntur, vt inſtruamur, omnes modos, omnéſque vias decipiendi cognitas exactè eſſe à Deo, & in promptu eſſe ad exequendam diuinam prouidentiam.

Verſ. 21. *Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino.*] Ex cœtu ſtantium à ſiniſtris, egreſſus narratur iſte ſpiritus: & prodiit in medium ante faciem ſedentis Dei in ſolio, & obtulit ſe ad decipiendum. Nominatur iſte ab officio, quia ſpiritus officium exercendo deceptrurus erat. Egreſſus autem eius ſignificat affectũ eius ex intimis prodeũtem ad huiuſmodi deceptionis modum ſubiunctum. Stare autem eius in medio offerendo ſe promptiſſimum, deſiderium mali ſpiritus ad huiuſmodi deceptionem ſimul cum impotentia hoc faciendi ſine permiſſione diuina, ac affectu vt permittat Deus, ſignificat: inſtruimur enim hinc, quòd Dæmones, quamuis valdè cupiant decipere nos, non niſi permiſſi ſpecialiter poſſunt facere quod cupiunt.

Dæmones impotentes ſi necundum ſine permiſſione diuina.

Verſ. 22. *Et ait: Ego decipiam illum.*] hoc eſt: ego efficaciter exequar deceptionem.

Dixitque dominus ad eum, in quo? quo medio vteris ad efficaciter illum decipiendum? Et introducitur Deus (vt dictum eſt) inquirens modum decipiendi, non quia neſciret: ſed vt inſtrueremur, & alienas eſſe à diuinis machinationes diabolicas, & ſubditas in ſpecie ſingillatim diuinæ prouidentiæ.

Diabolicæ machinationes ſubduntur prouidentiæ diuinæ.

Et

Et ait, egrediar.] Verè dicit, egrediar, quoniam extra se tantùm hanc operatio eius futura erat.

Et ecce spiritus mendax,] Hebraicè habetur, *falsus*. Verè fuit spiritus falsus in ore Prophetarum, qui non mentiebantur, sed falsum dicebant putantes se verum dicere. Et fuit efficium spiritus esse spiritum falsum in ore Prophetarum: hoc est, mouere, atque impellere Prophetas ab intimis ad vaticinandum falsum: potest enim permissa spiritualis substantia mouere phantasmata, & consequenter gignere apparitionem alicuius falsi, tanquàm veri: necnon similiter excitare affectum ad illud dicendum, &c.

Spiritualis substantia potest gignere apparitionem falsi.

In ore omnium Prophetarum eius.] non Prophetarum absolutè; sed eorum, qui placent ei.

Et dixit: Decipies, & etiam prævalebis.] Manifestat Deus efficaciam huius medij. Vbi aduerte officium esse Diaboli, decipere, & prævalere: & hoc officium diabolicum vsque adeò versari in curiis, vt Diogenes diffinierit, curiam esse locum ad decipiendum & prævalendum.

Officiū Diaboli decipere.

Curia diffinitio à Diogene.

Egredere, & fac ita.] Verba hæc relata ad malum culpæ (actionem, videlicet, iniquam Dæmonis) permissiua sunt: relata autem ad punitionem ipsius Ach-ab, præceptiua sunt: & præter hæc significant relaxationem vinculorum (hoc est, ablationem impedimenti) potestatis Dæmonis, quantum ad hæc facienda: habet enim Dæmon potestatem ligatam ob peccatum suum.

Vers. 23. *Et nunc ecce dedit Dominus spiritum mendacij.*] Legendum est, *spiritum falsum, in ore omnium Prophetarum tuorum istorum.* Dedit Deus modo prædicto; videlicet, efficiendo relatiuè ad pœnam; permittendo autem relatiuè ad culpam.

Et locutus est Dominus super te malum.

Vers. 24. *Accessit autem Zid-ci-iahu, filius Chenahanæ, & percussit Micha-iehu in maxillam: & dixit: Mémé ergo dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi?*] Hebraicè habetur: *Quà iste transiuit spiritus Iehouah a mecum ad loquendum tibi?* Manifesta indignatio contra Micheam, quòd Sedechias desertus fuerit à spiritu summi Dei, mouit eum ad facta, & verba hæc.

Vers. 25. *Et ait Micha-iehu: Visurus es.*] Hebraicè habetur: *Ecce tu videns in die illo, quo intrabis cubiculum in cubiculo, vt abscondaris.* Citò, experientia teste, videbis, cùm quæres latibula: occiso enim Ach-ab Rege, Sedechias iste videns se falsum vatem fuisse, quæsiuit latibula.

Vers. 26. *Dixitque Rex Israël: Tollite Micheam, & maneat apud Amon.*] Hebraicè habetur: *Tolle Micha-iehu, & fac redire eum ad Amon Principem ciuitatis.* Hinc apparet, quòd Micheas priùs fuerat detentus sub custodia Amon: alioquin non dixisset Rex ministro: Tolle Micheam, & fac redire eum ad Amon.

Et ad Ioas filium Hamelech.] Iuxta Hebræum habetur, *filium Regis.* Crediderim ego antiquum Interpretem rectiùs intellexisse Melech esse nomen proprium viri, & non esse nomen appellatiuum significans Regem hoc in loco.

Melech, *quod nomen.*

Vers. 27. *Et dices: Sic dixit Rex: Ponite hunc in domo carceris, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ, donec reuertar in pace.*

Vers. 28. *Dixitque Micha-iehu: Si reuertendo reuersus fueris in pace, non est Dominus locutus in me. Et ait: Audite.*] hoc est, scitis testes verbi, quod dixi. *Populi omnes.*] Et aduerte, nouitie, quòd iste Micheas alter est ab illo, qui inter duodecim supputatur Prophetas: nam iste prior fuit, videlicet, tempore Ioſaphat Regis Iudæ: ille autem tempore posteriorum Regum, vt liber eius testatur in principio.

Micheas hic quis fuerit.

Ascendit itaque Rex Israël, & Iehosaphat Rex Iehudæ in Ramoth Ghilhad. Vers. 29.

Dixitque Rex Israël ad Iehosaphat: Sume arma, & ingredere in prælium.] Iuxta Hebræum habetur, *mutari, & venire in prælium.* Sic iacet in Hebræo: & immediatè subditur: Vers. 30.

Et tu indue vestes tuas. Et mutauit se Rex Israël, & venit in prælium.] Contextus itaque aperit illa verba infinitiui modi absolutè dicta (videlicet, *mutari, & venire in prælium*) de seipso Rege Israël dixisse eum ad Ioſaphat. Et subintelligitur, decet me: nam causa honorandi Ioſaphat simulauit Rex Israël se non cum apparatu regio ingressurum prælium, vt totus honor exhiberetur Ioſaphat. Secundùm tamen rei veritatem mutauit se timore Syrorum, vel sciens mandatum Regis Syriæ aduersùs Regem Israël in specie, quod in litera subiungitur; vel sollicitatus ex audita prophetia per os Micheæ de ipsius Regis occubitu in illo prælio: cogitauit enim sibi minùs imminere periculum, si non agnitus protegeretur vehiculo currus. Prima tamen ratio videtur reddi in litera, eo ipso, quòd immediatè subiungitur mandatum Regis Syriæ.

Rex autem Syriæ præceperat Principibus curruum suorum triginta duobus dicendo: Non pugnabitis cum paruo, & cum magno; sed cum Rege Israel solum. Vers. 31.

Et fuit, cùm vidissent Principes curruum Iehosaphat, suspicati sunt, quòd ipse esset Rex Israël.] Vers. 32. Iuxtà Hebræum habetur: *Dixerunt: Certè Rex Israel ipse.* Vox ista (vt in exercitu fieri solet) fuit vox publica, & excitatiua omnium ad pugnandum contra illum reputatum Regem Israël iuxta Regis Syriæ mandatum.

Et declinauerunt contra eum ad pugnandum: & exclamauit Iehosaphat.] ad manifestandum, se non esse Regem Israël; audierat enim Syros dicentes: Hic est Rex Israël: pugnemus cõtra eum.

Cùmque intellexissent Principes curruum, quòd non esset Rex Israël ipse, auersi sunt ab eo. Vers. 33.

Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens.] Hebraicè habetur, *& vir iaculatus est arcu in puritate sua.* hoc est, absque intentione percutiendi Regem Israël: ab huiusmodi enim intentione purus dicitur hic iaculator. Vers. 34.

Et percussit Regem Israel inter pulmonem, & stomachum.] Iuxta Hebræum habetur, *inter coniuncturas, & inter loricam.* Et coniuncturæ corporis cum cruribus insinuari videntur, loca confinij inter loricam, & crura.

Dixitque auriga suo: Verte manum tuam, & educ me de castris: quia grauiter vulneratus sum.] Iuxtà Hebræum habetur, *quia ægrotaui.* Noluit indicare, quòd vulneratus esset; sed simulauit ægritudinem sibi superuenisse, ne exterreretur exercitus audiens Regem vulneratum. Et eò magis occultare suum vulnus sperabat, quò in curru erat ignoto, vtpote sine apparatu regio.

Achab vulneratus in bello cur simulauerit languorem.

Commissum est ergo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ascendit prælium in die illa.* Post descripta particularia circa Iehoſaphat, & Ach-ab, describitur magnitudo prælij, nomine ascensus: ne putaretur statim cessasse, aut leue prælium. Vers. 35.

Et Rex Israël stabat in curru suo contra Syros.] Superfluit, *suo.* Suppletur, quod non fuerat adhuc

huc explicitè dictum; videlicet, Regem Israël stetisse in curru, quanuis incognitum.

Et mortuus est vespere.] vt adimpleretur verbum Michææ Prophetæ.

Et effluebat sanguis plagæ ad finum currus.

Vers. 36. *Et præco personuit in vniuerso exercitu, antequam Sol occumberet.*] Hebraicè habetur: *Et transiuit præco in castris, sicut occumbente Sole dicendo: Vnusquisque ad ciuitatem suam, & vnusquisque ad terram suam.* Vt etiam impleretur visio Michææ de redditu populi ad propria.

Vers. 37. *Mortuus est autem Rex, & perlatus est in Someron: & sepelierunt Regem in Someron.*

Vers. 38. *Et lotus est currus in piscina Someron, & linxerunt canes sanguinem eius, & habenas lauerunt.*] Hebraicè habetur, *& arma lauerunt*: *iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat.* Ordo literæ est: Currus quidem lotus in piscina Samariæ est; arma verò, quibus erat indutus, lauerunt, & linxerunt canes sanguinem eius iuxta verbum Domini: ex eo enim, quòd iuxta verbum Domini factum dicitur, intelligimus, quòd, licèt currus fuerit lotus in piscina Samariæ; arma tamen fuerunt lota in Izrehel, vbi occisus fuerat Naboth: sic enim dixerat Deus per Eliam: *In loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lingent quoque sanguinem tuum.*

Vers. 39. *Reliquum autem verborum Ach-ab, & omnia, quæ fecit, & domus eburnea, quam ædificauit.*] hoc est, domus crustis eboris tecta in superficie parietum intrinsecùs. Sumptuosa ac rarissima fuit fabrica hæc: ego tamen intelligo nomine domus aulam.

Omnésque ciuitates, quas extruxit: nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel?

Vers. 40. *Dormiuit ergo Ach-ab cum patribus suis: & regnauit Achaz-iahu filius eius, pro eo.*

Vers. 41. *Iehosaphat verò filius Asa regnare cœpit super Iehudam, anno quarto Ach-ab Regis Israel.*

Vers. 42. *Et Iehosaphat filius triginta quinque annorum erat, cum regnare cœpit, & viginti quinque annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Hazuba, filia Silchi.*

Vers. 43. *Ambulauitque in omni via Asa patris sui, & non declinauit ab ea, faciendo, quod rectum est in oculis Domini.*

Vers. 44. *Veruntamen excelsa non abstulerunt: adhuc populus immolabat, & thurificabat in excelsis.*] Intellige huiusmodi sacrificia offerri summo Deo, nec intercessisse peccatum, nisi tatione loci: assuetus enim populus non potuit distrahi etiam ædificato templo ab hac delectatione sacrificandi in locis excelsis: ibi enim conuiuia faciebant inter arbores, & refrigerium auræ æstiuo tempore.

Pacémque fecit Iehosaphat cum Rege Israël. Vers. 45.

Reliquum autem verborum Iehosaphat, & fortitudo eius, quam fecit, & qua pugnauit; nónne ipsa scripta sunt in libro verborũ dierum Regum Iehudæ? Vers. 46.

Et reliquias effœminatorum, qui remanserant in diebus Asa patris eius abstulit è terra.] Iam diximus, quòd meritorij significantur, non penitùs extirpari tempore patris. Vers. 47. Effœminati qui.

Nec erat tunc Rex constitutus in Edom.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Rex non in Edom, Præfectus Rex.* hoc est, Idumæa non habebat Regem, sed Præfectus vices Regis agebat, officio, authoritatéque regia fungebatur, quanuis titulum Regis non haberet. Et scribitur hoc ad significandum, quòd Idumæa adhuc erat sub Rege Iudæ tempore Iosaphat. Vers. 48.

Iehosaphat fecit naues Tharsis ad eundum in Ophir pro auro, & non iuit: quia confractæ sunt naues in Hez-iongaber. Vers. 49.

Tunc dixit Achaz-iahu, filius Ach-ab ad Iehosaphat: Vadant serui mei cum seruis tuis in nauibus: & noluit Iehosaphat.] secunda vice: nam prima vice consensit, vt simul irent, & fractæ sunt naues: vt Paralipomenon testatur: reprehensus enim fuit, quòd iunctus esset impio Regi Israël. Vers. 50.

Dormiuitq; Iehosaphat cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid patris sui: & regnauit Ieboram filius eius pro eo. Vers. 51.

Achaz-iahu filius Ach-ab, regnare cœpit super Israël in Someron, anno decimoseptimo Iehosaphat Regis Iehudæ: & regnauit super Israel duobus annis. Vers. 52.

Fecitq; malum in oculis Domini: & ambulauit in via patris sui, & in via matris sua, (Izebel:) & in via Iarobham filij Nebat, qui peccare fecit Israelem Vers. 53.

Seruiuitq; Babali, & adorauit eum: & irritauit Dominum Deum Israel, iuxta omnia, quæ fecerat pater eius.] Et sic finitur tertius liber Regum: Romæ die vndecimo Nouembris, M. D. XXXI. Vers. 54.

D.D. THOMÆ

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. SYXTI,

IN QVARTVM LIBRVM REGVM COMMENTARII.

CAPVT I.

Vers. 1. RÆVARICATVS *est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Achab.*] Defectio Moabitarum à Rege Israël narratur: erat enim tributarium regnum Moab Regi Israel, vt infrà narratur.

Moabita tributum pendebant Regi Israël.

Vers. 2. *Cecidítque Acham-iahu per cancellum in cœnaculum suum, quod habebat in Someron, & ægrotauit: misítque nuncios, & dixit ad eos: Ite, consulite Baal-zebub Deum Hec-ron, an viuam de infirmitate hac.*

Vers. 3. *Angelus autem Domini locutus est ad Eli-iahu Thisbitem. Surge, ascende in occursum nunciorum Regis Someron, & loquere ad eos: An non est Deus in Israël, quòd itis ad consulendum Baal-zebub, Deum Hec-ron?*

Vers. 4. *Quamobrem sic dixit Dominus: De lecto, super quem ascendisti, non descendes; sed morte morieris. Et abiit Eli-ia.*] Dictis his verbis disparuit: nisi enim admirabilis fuisset abscessus eius, non fuisset illius abscessus narratus tanquàm ratio reuersionis nunciorum immediatè subiunctæ: sed ex hoc, quòd mirabiliter abiit, cogitauerunt nuncij Regis, quòd Angelus Dei fuisset, qui eos allocutus erat, & ideò reuersi sunt.

Vers. 5. *Reuersíque sunt nuncij ad eum.*] absque prosecutione itineris ad Acharon.

Et dixit ad eos: Quare reuersi estis?

Vers. 6. *Dixerúntque ad eum: Vir ascendit in occursum nostrum.*] Minus dicitur & plus significatur: nam significatur modus, quo occurrit, & disparuit Elias, sic quòd existimauerunt nuncij Angelum in specie viri fuisse.

Eliam Angelum esse putant nuncij Ochozia.

Et dixit ad nos: Ite, reuertimini ad Regem, qui misit vos, & loquimini ad eum: Sic dixit Dominus, an non est Deus in Israël, quòd mittis ad consulendum Baal-zebub, Deum Hec-ron? Idcircò de lecto, super quem ascendisti, non descendes; sed morte morieris.

Vers. 7. *Dixítque ad eos: Cuius figuræ est, & habitus vir, qui occurrit vobis.*] Hebraïcè habetur: *Quæ dispositio viri, qui ascendit in occursum vestrum, & locutus est ad vos verba hæc?*] Nisi Rex quoque dubitasset de illo, qui occurrerat, non quæsisset de forma eius.

Vers. 8. *Dixerúntque ad eum: Vir pilosus.*] Non dicitur veste pilosa; sed vir pilosus: quia caro Eliæ pilosa describitur: multos enim videmus viros adeò refertos pilis, vt meritò viri pilosi vocentur.

Vir pilosus cur Elias dicatur.

Et zona pellicea accinctus lumbos suos: & dixit: Eli-ia Thisbites est.] nouerat enim eum, vtpote quem apud patrem suum sæpè viderat.

Vers. 9. *Misítque ad eum Principem quinquagenarium, & quinquaginta viros, qui erant sub eo: & ascendit ad eum, & ecce sedebat in vertice montis; & ait ei: Vir Dei.*] Nomen est *Elohim*: & idem intellige in sequentibus, dum pluries repetitur, *vir Dei.*

Rex præcepit, vt descendas.] Legendum est: *Rex dixit: Descende.* Honestiùs locutus est: veruntamen præceptum detulit descendendi.

Vers. 10. *Respondénsque Eli-iahu dixit quinquagenario: Si vir Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendítque ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta eius.*] Mirabilis profectò iustitia Dei, non solùm defendès Eliam; sed puniens venientes ad capiendum eum si vocatus non veniret ad Regem. Ex verbis autem dictis: *Si vir Elohim ego, descendet ignis è cælo.* manifestat, non nisi iustitiam diuino iudicio se velle: vir enim summi iudicis par est, vt non imperatur à ministris vnius Regis. Et ex propriis verbis eorum, damnationem mereri eos simul manifestat: ipsi enim dixerãt ad eum, *vir Elohim.*

Iustitia Dei defendit Eliã, & punit necare volentes eum.

propriam

propriam præsumptionem suis verbis accusantes: & propterea Elias ex propriis illorum verbis ipsos damnat ad pœnam, quam merebantur.

Rursúmque.] Hebraice habetur: *Et reuersus est.* proculdubiò Rex. Nisi audita combustione eorum, quos miserat, deterruisset propositum capiendi Eliam, non scriberetur de Rege, & reuersus est ad animum capiendi Eliam: nullus enim reuertitur illuc, vnde non recessit.

Vers. 11. *Et misit ad eum Principem quinquagenarium alium, & quinquaginta eius: qui locutus est ei: Vir Dei, sic dixit Rex: Festina, descende.*] Principem quoque iste executurus detulit: & ideò similiter punitus est.

Vers. 12. *Respondítque Eli-ia, & dixit ad eos. Si vir Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Et descendit ignis Dei de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta eius.*

Vers. 13. *Iterum misit.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et reuersus est, & misit Principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta eius.* Insinuatur enim, quòd audita combustione etiam istorum iterum, desistit à proposito vexandi Eliam: sed posteà reuersus est ad idem propositum, & misit tertium Principem ad capiendum eum, si venire renueret.

Ascenditque, & venit Princeps quinquagenarius tertius, & genu flexus est super genua sua contra Eli-iahu.] Iste tertius prudens fuit: & timens diuinum iudicium, & nolens perdere gratiam Regis humiliauit seipsum: nec detulit præceptum regium præcipiendo Eliæ; nec coëgit ad veniendum ad eum.

Et precatus est eum, & ait: Vir Dei, noli despicere animam meam.] Hebraicè habetur: *Pretiosa, quæso, sit anima mea, & anima seruorum tuorum horum quinquaginta in oculis tuis.* Quod in pretio habetur, non facilè destruitur; sed charũ habetur, ac seruatur. Vitam itaque suam, & suorum seruari petit, & non comburi, sicut primos, & secundos.

Vers. 14. *Ecce descendit ignis de cælo, & deuorauit duos Principes quinquagenarios primos, & quinquaginta eorum: sed nunc, obsecro, ut misereatis animæ meæ.*] Iuxta Hebræum habetur. *& nunc pretiosa sit anima mea in oculis tuis.* repetitur enim supplicatio ex magnitudine timoris.

Vers. 15. *Locutus est autem Angelus Domini ad Eli-iahu: Descende cum eo, ne timeas.*] Deficit, *à facie eius.* Vide actiones Eliæ angelica directione gubernari per singula: hõc est, tam exteriores motus, quàm interiores: dicitur enim ei, & quòd descendat cum eo, & quòd non timeat ab eo.

Angelica directione gubernantur actiones Eliæ.

Surrexit, & descendit cum eo ad Regem.

Vers. 16. *Et locutus est ei: Sic dixit Dominus: Quia misisti nuncios ad consulendũ Baal-zebub, Deum Hec-ron, quasi non esset.*] Hebr. repetitur supradicta verba.

An non Deus in Israel ad requirendum in verbo eius? Ideo de lecto, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.] Elias enim impertertitus dicit Regi corã, quæ dixerat nuncijs eius.

Vers. 17. *Mortuus ergo est iuxta sermonẽ Domini, quẽ locutus est Eli-iahu, & regnauit Iehoram frater eius pro eo.*] Interpres addidit, *frater eius*, pro maiori claritate.

Anno secundo Iehoram filij Iehosaphat Regis Iehudæ.] Quæstio de veritate huius supputationis, in principio tertij capitulj tractanda est, vbi oppositum videtur scribi.

Non enim habebat filium. Ratio redditur, quare frater eius loram successerit in regno.

Vers. 18. *Reliquum autem verborum Achiam-iahu, quæ fecit: nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel.*]

CAPVT II.

Vers. 1. ET *fuit, cùm leuare vellet Dominus Eli-iahu in turbine in cælum; abiit Eli-iahu, & Elisah de Ghilgal.*

Vers. 2. *Dixítque Eli-iahu ad Elisah: Sede hic.*] Iuxta Hebr. habetur: *Sede, obsecro,* seu nunc, *hic.* Et similiter adiunge in sequentibus huius capituli reperiris verbis similibus.

Quia Dominus misit me vsquè in Beth-el. Cui ait Elisah: Viuit Dominus, & viuit anima tua, si derelinquam te.] Ex tanta resistentia apparet, Eliam non præcipiendo, sed obsecrando dixisse: *Sede hic.* & propterea legendum esse: *Sede, obsecro, hic.* Ratio autem huiusmodi resistentiæ erat: quia nouerat eũ tollendũ à se, vt inferiùs ipse fatetur.

Et descenderunt in Beth-el.

Vers. 3. *Egressíque sunt filij Prophetarum, qui erant in Beth-el ad Elisah.*] Idem appellantur, & Prophetæ, & filij Prophetarum: nam superiùs appellati sunt *Prophetæ*, & modò appellantur *filij Prophetarum*: & Hebraico more filij appellantur non solùm naturaliter geniti, sed etiam instructi à Prophetis, imitatoresque eorum ad vacandum diuinis laudibus. Et hinc quoque apparet, quòd in diuersis locis regni Israël permittebantur à Rege professores diuini cultus.

Filij Prophetarum, qui, & cur sic appellati.

Et dixerunt ei: An nosti, quòd hodie Dominus tollet dominum tuum.] Duo hinc habentur: alterum, quòd isti filij Prophetarum habebant vere donum propheticæ, prægnoscendo raptum Eliæ: alterũ, quòd vno, eodemque die peractum fuit vniuersum hoc iter Eliæ, & Eliæi hic descriptum: alioquin non esset verum: *Hodie Dominus tollet dominum tuum.*

Filij Prophetarum habebant donum prophetiæ.

A te.] Hebraicè habetur: *A supra caput tuum.* Non solùm prædicunt raptum Eliæ, & rapientem Deum, & tempus; sed etiam modum; quòd. videlicet, versùs cælos rapietur, dicendo: *A supra caput tuum.* ad differentiam raptus ad partem collateralem quamcunque.

Qui respondit: Et ego noui.] Hinc insinuatur etiam, Elisæum dono prophetiæ præditũ fuisse.

Silete.] Ne me impediatis ab attentione erga raptum Eliæ domini mei: sollicitus enim erat, ne ex improuiso Elias tolleretur. Et similiter intelligo, & corrige subsumpta in Iericho.

Vers. 4. *Dixit autem ei Eli-iahu: Elisah, sede, quæso hic, quia Dominus misit me in Iericho. Et ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua, si derelinquam te. Et venerunt in Iericho.*

Vers. 5. *Accesserúntque filij Prophetarum, qui erant in Iericho ad Elisæum, & dixerunt ei: An nosti, quod hodie Dominus tollet dominum tuum a te? Et ait: Et ego noui, silete.*

Vers. 6. *Dixit autẽ ei Eli-iahu: Sede, quæso, hic, quia Dominus misit me ad Iardem. & ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua, si derelinquam te. Et abierunt ambo.*

Vers. 7. *Et quinquaginta viri de filijs Prophetarum secuti sunt eos.* Hebraice habetur: *Iuerunt, & steterunt è regione à longè.* vt viderent, si possent exitum rei.

Et illi ambo steterunt iuxta Iarden.

Vers. 8. *Tulítque Eli-iahu pallium suũ, & inuoluit illud.*] quasi idoneum ad percutiendum.

Et percussit aquas, & diuisæ sunt huc, & huc.] Quemadmodum illo eodem pallio tacto super Elisæum traxerat eum; ita diuisit aquas, vtente Deo pallio illo, vt instrumento sensibili ad huiusmodi

Eliæ mira miracula fiebant.

iusmodi miracula: vt cognoscerемus Eliæ meritis miracula hæc fieri.

Et transierunt ambo per siccum.

Vers. 9. *Cùmque transissent: Eli-iahu dixit ad Elisah: Postula, quod vis, vt faciam tibi, antequàm tollar à te. Et dixit Elisah: Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et erit, obsecro, os duorũ in spiritu tuo mihi.* Scito, prudens lector, quòd hac appellatione (videlicet, os duorũ) Scriptura aliàs nominat portionem duplicẽ, quæ primogenito debebatur; ita quòd pars primogeniti appellabatur os duorũ: quia loco duorum succedebat. Et eodem modo Elisæus petit *os duorum*; hoc est, succedere Eliæ, non in agris, aut aliis corporeis bonis; sed in spiritu Eliæ, tanquam primogenitum in duplici portione: ita quòd plus petit, quàm duplicem spiritum prophetiæ, videlicet, & miraculorum: quoniam petit succedere in spiritu Eliæ iure primogeniti, quod est præferri cæteris filiis Eliæ spiritualibus: & est succedere non solùm in spiritu miraculorum, & prophetiæ, qui erat in Elia; sed etiam excellenter habere huiusmodi spiritum, sicut primogenitus excellenter succedit in bonis paternis.

Os duorum Scriptura nominat partem primogeniti, &c.

Vers. 10. *Et ait: Rem difficilem postulasti.*] Iuxta Hebræum habetur, *durasti postulando.* hoc est, duram petitionem fecisti: quemadmodum enim verba dura appellantur, quæ non cedunt votis eius, ad quem dicuntur; ita petitio dura dicitur, quæ non cedit intentioni eius, qui obtulerat: *Pete, quod vis.* intendebat enim Elias dare Elisæo, quod petebat, intra limites eorum, quæ communiter postulantur: & propterea Elisæo petente donum tam arduum, excedens communes petitiones, dixit duram esse petitionem eius, vtpote obsistentem intentioni ipsius Eliæ.

Dura petitio, quæ.

Si videbis me tolli à te, erit tibi sic: si autem non videbis, non erit.] Quia conditionalis fuit gratia reuelata Eliæ, ideò conditionaliter respondit: nec excessit limites diuinæ reuelationis sibi factæ. Quare autem Deus sub hac conditione promiserit, ratio fuit, vt accenderetur magis Elisæi mens, & præpararetur ad tantum donum, & ipsius Eliæ preces crescerent pro Elisæo: dum vterque incertus redditur de gratia hac, cum spe tamen.

Vers. 11. *Cùmque pergerent pergendo, & loquendo, ecce currus, & equi ignei.*] proculdubiò trahentes currum. Nec intelligas verum ignem, sed speciem ignis, quemadmodum ignis, qui apparuit Mosi in rubo, & qui apparuit super Apostolos in die Pentecostes. Et congruit species ignis igneo animo Eliæ erga Deum: congruit ad vehendum Eliam in cælum; leuis enim est ignis, & naturaliter ascendens: congruit & officio, ad quod exercendum reseruatus Elias; videlicet, ad præueniendum glorioſum Messiæ aduentum, iuxta Malachiæ vaticinium. Curru autem vehendus, & vectus monstratus est, vt illæsus, suauitérque transferendus agnosceretur: simúlque dignitas eius apud Deum patefieret nobis.

Currus ignitus, cum equis ignei, quo vectus est Elias: qualis, & quàm bene illi congruat.

Et diuiserunt inter vtrunque.] Vide imperterritos ambos, vt non nisi ab equis diuidentibus eos separati fuerint.

Et ascendit Eli-iahu in turbine in cælum.] Species ignis in curru, & equis qualiter mota fuerit versus cælum, describit, dicendo, per turbinem, siue in turbine: ascendit siquidem Elias currum igneum, & per modum turbinis; hoc est, tanquam inuolutus in illa ignis specie, quasi in turbine ascendente ascendit ad cælos; hoc est, ad superiorem partem aëris.

Vers. 12. *Elisah autem videbat.*] Ecce adimpleta conditio. si videris, quando tollar: præparatus est enim Elisæus. & Eliæ meritis, ac precibus obtenta est gratia hæc, vt Elisæus videret ipsum tolli.

Et clamabat: Pater mi, pater mi.] Aptissimè qui succedere, vt primogenitus, petierat, & expectabat, clamauit: *Pater mi, pater mi.* præter hoc, quòd etiam affectus filialis manifestatur Elisæi cum paterno simul officio Eliæ.

Currus Israel, & auriga eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Currus Israëlis, & equites eius.* Alludens ad apparitionem currus, & equorum, laudat Eliam, quòd eminenter habuerit officium curruum, & officium equitum in Israël; hoc est, quòd eminenter fuerit robur Israëlis quoad diuina; quemadmodum militare robur regni est in curribus, & equitibus: gesta enim Eliæ præclarissima, & aduersùs Ach-ab, & aduersùs Prophetas idolorum, & aduersùs Ochoziam Regem, hoc testantur.

Quòd fuerit translatus Elias.

Et non vidit eum amplius.] Monstratus est Elias ascendens ad suprema aëris Elisæo: sed non est illi demonstratum, vbi quieuerit: & propterea dicitur, *& non vidit eum amplius.* Creditur autem translatus in locum, qui dicitur Paradisus terrestris: nam ipsum viuere, & venturum esse, testatur Malachias Propheta, in calce sui lib.

Apprehenditque vestimenta sua, & scidit ea in duas partes.] Orbatus patre, more lugentium scidit vestimenta sua, vera scissione; nam Hebraicè habetur: *Et scidit ea in duas scissiones.*

Vers. 13. *Et leuauit pallium Eli-iahu, quod ceciderat ei.*] Non casu, sed diuinæ largitatis dono pallium Eliæ non relictum in terra, sed demissum à superis cecidisse describitur, vt etiam sensibili veste Elisæus merita Eliæ præ se ferret.

Reuersusque est, & stetit super ripam Iarden.

Vers. 14. *Tulitque pallium Eli-iahu, quod ceciderat ei, & percussit aquas, & dixit: Vbi est Deus Elia etiam nunc?*] Hebraicè habetur: *Vbi Iehouah Elohe Eli-iahu etiam ipse. Percussitque aquas, & diuisa sunt huc, & illuc, & transiuit Elisah.* Quia non fuerant aquæ Iordanis diuisæ à pallio Eliæ, ad merita Eliæ inuocanda apud Deum confugit: & sic altera percussione diuisæ sunt aquæ. Disposuit autem Deus, vt Elisæus non sic securus attentaret operari miracula, tanquàm confidens in veste sensibili Eliæ, & in promissione ei facta ab Elia: sed disceret humiliter (hoc est, cum speciali inuocatione Dei præmissa) attentare miracula: quod prima vice non fecerat, sed securè percussit. Quod autem dicitur, *etiam ipse*, ad distinguẽdum rationes inuocandi Deum pertinet: est enim ordo literæ, vbi Iehouah summus Deus fons essendi etiam ipse Elohe Eliæ: inuocat enim & ipsum summum Deum secundùm seipsum, & secundùm quod erat Deus disponens ea, quæ sunt Eliæ. Inexpertus autem modum operandi miracula, admirando simul, & supplicando dicit, *vbi Iehouah.* non secundùm se, sed secundùm effectum istum diuisionis aquarum.

Miracula Elisæus operabatur non sine speciali inuocatione Dei.

Vers. 15. *Viderunt autem eum filij Prophetarum, qui erant in Iericho è regione:*

Vers. 16. *Et dixerunt: Requieuit spiritus Eli-iahu super Elisah.*] non vnus, atque idem spiritus migrando de Elia in Elisæum, sed communicatus Eliæ spiritus; hoc est, donum spirituale ad faciendum miracula.

Venerúntque in occursum eius, & adorauerunt in terram.] honoris signum tanquam nouo patri loco Eliæ exhibuerunt.

Dixerúntque ei: Ecce, quæso, sunt cum seruis tuis quinquaginta viri fili fortitudinis: eant, quæso, & quærant dominum tuum, ne forte tulerit eum spiritus Domini, & proiecerit eum in vnum montium, aut in vnam vallium.] Iunge hæc cum verbis Habdiæ scriptis superiùs in lib. 3. cap. 18. & percipies, contigisse sæpè Eliæ tolli à spiritu Dei ex aspectu aliorum: alioquin nec illi, nec isti dixissent hæc. Iunge quoque hunc timorem cum paulò superiùs verbis filiorum Prophetarum Iericho, habitis ad Elisæum; videlicet; *Nosti, quod hodie dominus tuus tolletur à supra caput tuum?* & perpendes reuelatum illis fuisse Eliæ raptum futurum, sed non fuisse illis reuelatum, an raptus iste fuerit ad segregandum penitus Eliam à consortio mortalium hominum, an ad tempus aliquod more solito: si enim hoc sciuissent, quod Elisæus sciebat, nequaquam obtulissent inquisitionem per loca diuersa.

Eliæ sapiùs sublatus est à spiritu Dei.

Vers. 17. *Et dixit: Nolite mittere.*] Iuxta Hebræum habetur: *Non mittite.* sciebat enim Elisæus, quòd penitus separatus erat Elias à nostro consortio.

Et coegerunt eum, donec acquiesceret, & diceret, mittite.] Sententia rectè redditur: quanuis, *acquiescere*, Hebraicè non habeatur; sed *tardare*: significatur enim, quòd vsquequò tardauit Elisæus ad dicendum, *mittite*, coëgerunt eum. Et per hoc insinuatur, quòd non citò acquieuit Elisæus votis eorum; sed tandem quasi vexatus dixit, *mittite*: non hæsitando, sed satisfaciendo illis.

Miserúntque quinquaginta viros, & quæsierunt tribus diebus, & non inuenerunt eum.] Etiam hoc testimonio voluit Deus cognosci hunc Eliæ raptum non fuisse similem aliis.

Vers. 18. *Reuersique sunt ad eum, & ipse habitabat in Iericho. Et dixit eis: Nónne dixi vobis: Nolite mittere?*] Hebraice habetur: *Non ibitis?* Ad manifestandum, se non consensisse, sed permisisse, vt irent, repetit sua verba: confirmans per hæc se nosse, quod Elias est translatus penitus.

Vers. 19. *Dixerunt autem viri ciuitatis ad Elisæum: Ecce, obsecro, habitatio ciuitatis optima est.*] Hebraice habetur, *bona, sicut dominus meus videt.* Habitationem in Iericho laudant.

Sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis.] Hebraicè habetur, *& aquæ malæ, & terram orbantes.* Situs ciuitatis ad habitandum laudatus est: aquæ verò viuæ in territorio Iericho malæ dicuntur: & earum malitia explicatur per hoc, quòd orbant terram, proculdubiò vegetabilibus. Non enim ali, atque ad perfectum prouehi poterant ibi arbores propter malitiam aquarum: & propterea dicuntur orbantes terram filiis ipsius terræ: homines autem aqua pluuiali vtebantur ad victum.

Aquæ Iericho malæ, cur.

Vers. 20. *Et dixit: Tollite mihi phialam nouam, & ponite in ea sal, & attulerunt ei.*] Quemadmodum ex simplici Dei præcepto fuit, vt vteretur sale pro instrumento ad sanandas istas aquas; ita ex eadem voluntate diuina fuit, quòd sal poneretur in vase nouo: neutrum enim aliquid conferebat naturali virtute ad sanandas aquas. Congruentiæ tamen ratio reddi potest ex eo, quòd sal conseruatiuus à putrefactione, aquas conseruatiuas deinceps fore vegetabilium significabat: vasis autem nouitas nouitatem futuram aquarum præ se ferebat.

Cur sal adhibitum in vase nouo ad sanandas aquas Iericho.

Vers. 21. *Egressúsque est ad exitum aquarum, & misit in illũ sal: & dixit: Sic dixit Dominus: Sanaui aquas has, non erit inde amplius mors, & sterilitas.* Hebraicè habetur, *& orbatio.* Sed tam hîc, quàm superiùs significatur, non quæcunque orbatio, sed filiorum, vt per hæc duo, (mortem, videlicet, & orbationẽ.) non intelligamus duos effectus; sed vnum, atque eundem: qui relatus ad ipsa vegetabilia, quæ mortificabantur ex malitiâ aquarũ, appellatur mors: relatus verò ad terram, quæ priuabatur filiis, appellatur orbatio. Hic enim sensus quadrat supradictis; scilicet, aquæ malæ, & terram orbantes: solus enim hic effectus narratus est à viris ciuitatis Iericho.

Mors, & orbatio causata ab aquis Iericho, quomodo intelligende.

Sanatæ ergo sunt aquæ vsque ad diem hanc; iuxta verbum Elisæi, quod locutus est.] Ne intelligeretur ad paruum tempus, sed perfectum fuisse opus miraculi scribitur, *vsque in diem hanc*; hoc est, simpliciter, & absolutè. Vers. 22.

Ascendit autem inde in Beth-el: cúmque ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illuserunt ei dicentes: Ascende, calue; ascende, calue. Vers. 23.

Qui cùm respexisset, vidit eos.] Hebraicè habetur: *Et vertit post se, & vidit eos.* Hinc apparet, quòd post tergum Elisæi ascendentis in montem pueri clamabant. Vers. 24.

Et maledixit eis in nomine Domini.] Recole, quòd ciuitas Beth-el electa fuerat à Ieroboham patre idololatriæ, & in ea positus vitulus aureus, vt in tertio libro scriptum est; & propterea Elisæus ad puniendum patres in filiis, diuina authoritate maledixit pueris paruis irridentibus eum ascendentem ad filios Prophetarum: diuina siquidem authoritas significatur dicendo, *in nomine Domini*: vt nulla ira, sed Spiritu sancto motum Elisæum intelligamus ad maledicendum pueris.

Bethel electa à Ieroboham, & in ea vitulus aureus positus.

Pueris cur maledixerit Elisæus.

Egressíque sunt duo vrsi de saltu, & laceranerunt ex eis quadraginta duos pueros.] Innuitur, quòd non omnes lacerati sunt ab vrsis dicendo, *ex eis*: diuinæ enim iustitiæ executio facta est, prout Deus voluit, & in quos voluit. Vers. 25.

Abiit autem inde in montem Charmel: & inde reuersus est in Samariam.

CAPVT III.

IEHORAM *verò filius Ach-ab regnauit super Israel in Samaria anno decimooctauo Iehosaphat Regis Iehudæ.*] Quæstio statim occurrit, quomodo stant hæc duo simul: videlicet, quòd Ioram filius Ach-ab inceperit regnare decimooctauo anno Iosaphat, vt hîc dicitur, & inceperit regnare anno secundo Ioram, filij Iosaphat, vt in calce primi cap. scriptum est. Occurrit & altera quæstio, quomodo Ioram, filius Ach-ab, inceperit regnare anno 18. Iosaphat, & cũ hoc successerit Ochoziæ fratri suo, qui duobus annis regnauerat, & inceperat regnare anno 17. Iosaphat, vt in calce 3. lib. scriptum est. Solutio primæ quæstionis est, quòd vtrunque est verum: quia anno 17. Iosaphat, corregnauit super regnum Iudæ Ioram, filius ipsius Iosaphat, de ipsius voluntate: & propterea anni isti, & supputantur inter annos regni Iosaphat, & inter annos Ioram filij eius, & decimusoctauus annus Iosaphat appellatur etiam annus secũdus Ioram filij eius. Creditur autem, quòd Iosaphat pergẽs ad prælũ cum Ach-ab contra Syros, vt in tertio Vers. 1.

Duæ quæstiones de tempore regni Ioram, dirimuntur.

lib. narratum est subrogauerit sibi loram filium in Regem: vt si forte moreretur, non oriretur dissensio circa successorem in regno. Solutio autem secundæ ex supradictis facilè patet: videlicet, quòd duo anni regni Ochoziæ fuerunt imperfecti, & partem decimiseptimi, partem verò decimioctaui anni Iosaphat comprehenderunt: & in calce eiusdem decimioctaui regnauit loram filius Ach-ab frater Ochoziæ.

Regnauitque duodecim annis.

Vers. 2. *Fecitque malum in oculis Domini, sed non sicut pater, & mater eius.*] Erat ergo filius Izebel.

Tulitque statuam Baal, quam fecerat pater eius.

Vers. 3. *Verumtamen peccatis Iarobbaam, filij Nebat, qui peccare fecit Israelem* (idola scilicet vitulorum aureorum) *adhæsit: non recessit ab eis.*

Vers. 4. *Porrò Mesa, Rex Moab, habebat pecora, & reddebat Regi Israel centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus suis.*] Iuxta Hebræum habetur, *centum millia arietum, & centum millia veruecum.* primùm enim supputatur numerus arietum, & deinde par numerus castratorum eiusdem speciei.

Cum lana.] hoc est, non tonsos.

Vers. 5. *Cumque mortuus fuisset Ach-ab prævaricatus est fœdus, quod habebat cum Rege Israel.*] Hebraicè habetur: *Et defecit Rex Moab à Rege Israel.* reperitur enim, quod in principio huius libri dictum est.

Vers. 6. *Egressus est igitur Ioram in die illa de Someron: & recensuit vniuersum Israelem.*] Omittam à fratre suo Ochozia recuperationem tributi debiti à Moabitis ille loram aggressus est.

Vers. 7. *Et abiit, & misit ad Iosaphat Regem Iudæ dicendo: Rex Moab defecit a me, veni mecum.*] Hebraicè habetur: *Num venies mecum contra Moab ad bellum?* Non mandat, sed postulat.

Et dixit: Ascendam: qui meus est, tuus est, populus meus, populus tuus; & equi mei, equi tui.] Hebraicè habetur: *Sicut ego, sicut tu; sicut populus meus, sicut populus tuus; sicut equi mei, sicut equi tui.* Modus loquendi Hebraicus est ad significandum indifferentiam.

Indifferentia quomodo Hebraicè significata.

Vers. 8. *Dixitque: Per quam viam ascendemus?*] Iosaphat quærit, qua via incedendum est.

Et dixit: Per viam deserti Edom.

Vers. 9. *Et abiit Rex Israel, & Rex Iudæ, & Rex Edom.*] Non propriè Rex erat ille tertius; sed Præfectus tanquàm Rex, vt supernus dictum est: erat enim Rex officio, quamuis non titulo. Et quoniam erat sub Rege Iudæ, ideò adueniente Rege Iudæ conuenit & ipse.

Rex Edom erat Rex officio, nò titulo.

Et circumierunt per viam septem dierum: & non fuit aqua exercitui, & iumentis, quæ sequebantur eos.] Qua incuria, vel occasione incurrerint hanc penuriam aquæ, latet nos.

Vers. 10. *Dixitque Rex Israel: Heu, heu, heu.*] Hebraicè habetur semel duntaxat, *heu*, seu, *va.*

Congregauit Dominus tres Reges istos, vt traderet eos in manum Moab.

Vers. 11. *Et ait Iosaphat: Estne hic Propheta Domini, vt consulamus Dominum per eum? Respondítque vnus de seruis Regis Israel: Hic est Eliſab, filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ.*] Ab hoc officio describitur Elisæus domesticus minister Eliæ: vt hinc crederetur, quòd non nisi vir sanctus esse posset tam domesticus Eliæ.

Vers. 12. *Et ait Iosaphat: Est apud eũ sermo Domini?* Interrogatiuè legẽdũ est, an haberet donũ prophetiæ: responsio enim data non manifestauerat hoc.

Descenderúntque ad eum Rex Israël, & Iosaphat, & Rex Edom.] Hinc apparet responsum fuisse Iosaphat Regi, quòd Elisæus habebat donum prophetiæ: descensus enim trium Regum ad eum, testatur hoc.

Dixit autem Eliſab ad Regem Israël: Quid mihi, & tibi est? Vade ad Prophetas patris tui, & ad Prophetas matris tuæ. & ait illi Rex Israel: Quare congregauit.] Manca est littera, legendum est: *Nequaquam.* subaudi, ibo ad Prophetas patris mei, & matris meæ. Deinde immediatè subiungitur:

Vers. 13.

Quia vocauit Iehouah tres Reges istos, vt traderet eos in manum Moab.] Rationem reddit, quare non ad Prophetas Baal; sed ad ipsum Prophetam summi Dei confugit: quia timet summum Deum induxisse eos in locum, in quo vastarentur à Moabitis.

Dixitque Eliſab: Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto.] Heb. habetur, *in cuius steti facie.* Didicerat à magistro, & patre suo Elia hunc iurandi modum: quo & vnum fontem essendi exercitibus cælorum, & terræ esse, & se cultorem eius intima contemplatione profitetur.

Vers. 14.

Iuramento quid profiteatur Elisæus.

Nisi quòd faciem Iosaphat Regis Iehudæ erubescerem.] Hebraicè habetur, *eleuarem*, hoc est, honorarem.

Sire, piscerem te, & si viderem te.] Verè spiritui Eliæ successit tam magnanimus Eliæus.

Et nunc tollite mihi psaltem.] Hebraicè habetur, *pulsatorem*, proculdubiò instrumenti musici: & similiter cùm subiungitur:

Vers. 15.

Cùmque cangret psantes.] Legendum est: *Et fuit cùm pulsaret pulsator.* Ad disponendum seipsum in mentis eleuationem vsus est Elisæus sono musico: nouerat enim huiusmodi sonum excitare in se collectionem animi internam: & consequenter mentis eleuationem in Deum.

Musica quid in sacris operetur.

Facta est super eum manus Domini.] Ne putares virtute soni musici adiutum Elisæum ex propriis prophetasse; sed intelligeres diuinum superuenisse donum Elisæo iam dispositio intus, narratur, quòd fuit super eum manus (hoc est, operatio interna) summi Dei.

Et ait: Sic dixit Dominus: Fac torrentem hunc fossas fossas.] hoc est, multitudinem fossarum ad recipiendam multitudinem aquarum.

Vers. 16.

Quia sic dixit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluuiam, & torrens ipse replebitur aquis.] Prædicit non solum affuturam multitudinem aquæ replentem alueum, quantuncunque cauaretur; sed etiam modum; videlicet, sine vento, & sine pluuia.

Vers. 17.

Et bibetis vos, & familia vestra.] Hebraicè habetur, *& pecora vestra.* quæ secum duxerant pro alendo exercitu.

Et iumenta vestra.

Et leue erit hoc in oculis Domini: tradetque Moab in manus vestras.

Vers. 18.

Et percutietis omnem ciuitatem munitam, & omnem ciuitatem electam, & omnem arborem bonam deiicietis.] Mirum est, quòd Elisæus succidenda ligna fructifera dixerit: cùm in lege Mosis Deut. 20. prohibeatur excidere ligna fructifera hostium. Veruntamen, quia Elisæus non propria, sed diuina authoritate hæc dixit, admiratio cessare debet: Deus enim non alligauit suam iustitiam legi, quam per Mosem promulgauit; sed est Dominus legis: atque ad puniendum Moabitas voluit etiam fructiferas arbores succidi.

Vers. 19.

Eliſæus cur contra legem arbores fructiferas Moabitarum succidendas dixerit.

Deut. 20.

Cunctósque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum bonum operietis lapidibus.

Vers. 20. *Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet.*] Hebraicè habetur: *Quando ascendit munus.* hoc est, hora, qua sacrificium matutinum offertur Deo: vt intelligamus, non solùm horam scribi, sed etiam virtutem sacrificij matutini, quod offerebatur in templo, cooperatam esse ad hoc miraculum: nisi enim diuina gratia, ob illud sacrificium, beneficium hoc contulisset, nequaquam Scriptura tempus beneficij descripsisset ab illo sacrificio. Et attestatur hoc verbis Elisæi: vt quemadmodum ipse propter Iosaphat Regem Iudæ admisit Reges, & orauit; ita Deus propter iugo sacrificium matutinum, quod Iosaphat Rex Iudæ faciebat offerri in templo, beneficium aquarum contulerit.

Propter Sacrificium matutinum beneficia sua largitur Deus.

Et ecce aquæ veniebant de via Edom: & repleta est terra aquis.

Vers. 21. *Omnes autem Moabitæ audierunt, quòd ascendissent Reges ad pugnandum contra eos: & congregauerunt omnes, qui accincti erant baltheo desuper.*] Iuxta Hebræum habetur, *& congregati sunt ab omni accincto cingulo, & suprà.* ætas siquidem certa putà sedecim annorum, vel circa, in qua incipiebant vti cingulis, describitur dicendo: Ab omni accincto cingulo, & suprà: hoc est, ab omni tantæ ætatis, & suprà: insinuatur enim per hoc, quòd conuenerunt omnes Moabitæ ad defendendum se contra hostes Regis.

Sedecim annorum ætas quomodo significetur.

Et steterunt in terminis.] defensuri enim in propriis sistebant terminis impotentes ad aggrediendum hostes.

Vers. 22. *Primóque mane surrexerunt, orto iam Sole ex aduerso aquarum.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et Sol illuminauit super aquas.* narratur enim hoc, ad describendum causam apparentis coloris aquarum.

Viderúntque Moabitæ à regione aquas rubras, quasi sanguinem.] Turbidæ aquæ videntur fuisse: vt percussæ radiis solaribus apparerent iis, qui è regione erant à longè, coloris rubri.

Vers. 23. *Dixerúntque: Sanguis est, dimicatione dimicati sunt Reges: & percussit vnusquisque proximum suum: nunc igitur ad prædam Moab.*

Vers. 24. *Cumque venissent in castra Israel.*] ad prædam, vt dixerant.

Surrexerúntque Israelitæ, & percusserũt Moabitas, & fugerunt à facie eorum. Venerunt igitur qui vicerant, & percusserunt Moab. Hebraicè habetur, *& percusserunt eum, & percutiendo Moab.*

Vers. 25. *Et ciuitates destruxerunt, & in omnem agrum bonum proiecerunt vnusquisque lapidem suum, & repleuerunt eum, & omnem fontem aquarum obturauerunt, & omnem arborem bonam deiecerunt.*] narratur enim prosecutio victoriæ narrando, quòd percusserunt eum, scilicet, Moab: & quid consequenter percutiendo Moab fecerint.

ita vt muri tantum fictiles remanerent. Iuxta Hebræum habetur: *Vsquequò fecerunt remanere lapides eius in muro forti.* Ad destructionem ciuitatum hæc refertur exceptio: vt intelligamus, ciuitates destructas, non tamen omnes: sed vsque ad ciuitatem muri fortis exclusiuè, quoniam fecerunt remanere in muro forti lapides eius: ciuitas enim, in qua erat Rex, mansit in muro suo forti.

et circundata est ciuitas à fundibulariis.] Iuxta Hebræum habetur, *& circumdederunt lapides magnos, & rotundos.* Ad destruendum murum fortem, magnos, rotundósque lapides artificio militari iaciebant: rotundos quidem, vt habiles essent ad motum: magnos autem, vt valerét percutere, impetuoso siquidem iactu ad murum percutiendum, cum magno impetu tormenti lignei (vt creditur) iaciebant circuncirca.

Tormentum ligneum ad euertendos muros apud Hebræos.

Et magna ex parte percussa.] Iuxta Hebræum habetur, *& percusserunt eam.* ciuitatem fortem.

Quod cùm vidisset Rex Moab, praeualuisse, scilicet, hostes.] Hebraïce habetur: *Et vidit Rex Moab, quòd praeualuit sibi praelium.* iactantium lapides plusquàm credebat. Vers. 26.

Et tulit secum septingentos viros educentes gladium ad irrumpendum in Regem Edom: & non potuerunt.] Distinctas enim partes exercitus Reges isti circundantes ciuitatem habebant: & propterea specialiter nominatur Rex Edom.

Tulítque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eó, & obtulit eum holocaustum super murum.] In maxima necessitate constitutus Rex, maximum Deo suo obtulit holocaustum. Super murum autem; tum, vt murus seruaretur; tum, vt hostes videntes auerterentur virtute tanti holocausti. Vers. 27.

Et facta est indignatio.] Iuxta Hebræum habetur, *& fuit ira magna in Israel: & recesserunt ab eo, & reuersi sunt in terram.* Ex eo, quòd non aliter narratur, aduersùs quos fuit hæc ira, sed dicitur duntaxat, *in Israel*, significatur ira Israëlitarum inter se. Et quia causa iræ narratur holocaustum primogeniti Regis, & effectus iræ narratur recessus ab oppugnatione Regis Moab, intelligimus Israëlitas idololatras viso illo holocausto magnipendisse cooperante Diabolo illud, & desperasse de victoria aduersùs Regem munitum præsidio tanti holocausti, & propterea commotos ad iram contra Israëlitas volentes persistere in bello: & tandem magnitudo iræ vicit, & effecit recessum à bello. Intelligo tamen recessum hunc, renouato fœdere cum Rege Moab, de tributo dando Regi Israël, vt sine suscepti belli recessus nõ abstulerit.

CAPVT IV.

Vers. 1. VLIER *autem vna de vxoribus Prophetarum.*] Legendum est, *de vxoribus filiorum Prophetarum* hoc est, discipulorum Prophetarum: genus enim discipulorum huiusmodi vacabant diuinis laudibus; habentes tamen vxores, &c.

Clamauit ad Elisæum dicendo: Seruus tuus, vir meus, mortuus est, & tu nosti, quòd seruus tuus fuit timens Dominum: & creditor venit ad tollendum duos filios meos sibi in seruos.] Licitum erat tunc, homines liberos in seruitutem redigere ob debita, si aliter non haberent; vnde soluerent.

Apud Hebr. liberos ingenuos licebat in seruitutem redigebantur.

Dixítque ad eam Elisæus: Quid vis, vt faciam tibi? Vers. 2.] Superfluunt duæ dictiones: legendum est. *Quid faciam tibi?* Et deinde subditur:

Dic mihi.] quod conuenientiùs adiungitur cum sequenti clausula.

Quid habes in domo tua?] vt primũ ex propriis dixerit, quid faciam tibi ego pauper non habens, vnde tibi subueniam: deinde tactus à Spiritu sancto dixerit: Indica mihi, quid habes in domo tua?

Et ait: Non habet ancilla tua quicquam in domo, nisi parum olei, quo vngar.] Iuxta Hebræum habetur, *nisi vas olei.* nullaque fit mentio vnctionis.

Cui

Vers. 3. *Cui ait: Vade, pete tibi vasa foris ab omnibus vicinis, vasa vacua non pauca.*

Vers. 4. *Et ingredieris, & claudes ostium super te, & super filios tuos.*] Ne demerita aliquius impedirent executionem miraculi, solam religiosam matrem cum filiis rectè instructis mandat adesse miraculo, clauso ostio,

Demerita aliquando impediunt miraculorum effectū.

Et fundes super omnia vasa hæc: & cum plena fuerint, tolles.] Hebraicè habetur, *& plenum facies mouere.* Instruit ipsam, vt fundendo oleum non desistat videns primum, aut secundum, aut quodcunque vas impletum; sed faciat illud impletum amoueri, & impleri aliud.

Vers. 5. *Iitque ab eo, & clausit ostium super se, & super filios suos.*] Vide sanctæ mulieris fidem: & propterea assecutam effectum promissi miraculi.

Illi afferebant vasa ad eam: & ipsa infundebat.

Vers. 6. *Cumque plena essent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi adhuc vas. Et dixit ad eam: Non est vltrà vas. Stetitque oleum.*

Vers. 7. *Venit autem illa, & indicauit viro Dei.*] Nomen est Elohim. Non audet mulier inconsulto viro Dei vti oleo diuinitus multiplicato: vt vndique huius mulieris sanctitas monstretur.

Qui ait: Vade, vende oleum, & redde creditori tuo, & tu, & filij tui, viues de reliquo.

Vers. 8. *Fuit autem quadam dies, & transiuit Elisæus ad Sunem: erátque ibi mulier magna* (opibus,) *quæ coegit eum ad comedendum panem: cumque frequenter inde transiret.*] Superfluit, *frequenter.*

Diuertebat ad eam ad comedendum panem.

Vers. 9. *Dixítque viro suo: Animaduerto, quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter.*] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce nunc noui, quòd vir Elohim sanctus ipse transiens per nos iugiter.* Dicendo, *Ecce, nunc noui,* manifestat vsque ad tempus illud sollicitè vacasse ad cognoscendum, an Elisæus esset vir sanctus: & ex frequenti diuersione ad comedendum ibidem, nouisse sanctitatem eius: sobrietatem enim videre pluries potuit: famam, quòd esset vir Elohim sciebat: modestiam eiusdem toties viderat: nec est à ratione alienum, quòd aliquod miraculum eius audierat: & propterea ex exterioribus signis humano more dixit; *Ecce nunc noui, quòd vir Elohim Elisæus sanctus ipse.*

Sanctitas Elisæi, vnde patuerit Sunamithi.

Vers. 10. *Faciamus, quæso, cœnaculum parum.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Cœnaculum muri parum.* muratam ergo aulam faciendam proponit: subiuncta innuunt, quòd non noua aula est ex integro ædificata, sed in superiori parte domus ædificatus est murus distinguens aulam paruam pro Elisæo à reliqua parte amplitudinis illius contignationis: nam inferiùs subiungitur, quòd mulier hæc ascendit in aulam Elisæi ad ponendum super illius lectulum filium defunctum: ideò enim meminit hîc muri, quia solo interstitio muri fieri poterat aula.

Ponamúsque ei ibi lectum, & mensam, & sellam, & candelabrum: & cùm veniet ad nos, manebit ibi.

Vers. 11. *Fuit igitur dies, & veris illuc: diuertítque in cœnaculum, & requieuit ibi.* aliis enim vicibus diuerterat ad comedendum, modò autem etiam ad dormiendum.

Vers. 12. *Dixítque ad Ghechazi, puerum suum: Voca Sunamithen istam. Et vocauit eam, & stetit ante eum.*

Elisæus nec per seipsum alloquitur mulierem.

Et dixit ad puerum suum.] Vide modestiā Elisæi: quòd nec per seipsum alloquitur mulierem.

Vers. 13. *Dic, quæso, ad eam: Ecce sedulò in omnibus ministrasti nobis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce sollicitasti nobis omnia sollicitudine ista.* Hebraica dictio sollicitudinem cum timore significare potiùs videtur: ad insinuandum reuerentiam, qua mulier hæc prosequebatur Elisæum exhibendo ei, & ministro eius omnia opportuna.

Quid vis.] Superfluit, *vis*: legendum est: *Quid faciam tibi?* Gratum se exhibere nititur, interrogando, si quid facturus est pro ea.

An est loquendum pro te ad Regem, vel ad Principem militiæ?] Hinc apparet, quòd iam Elisæus fecerat miraculum aquarum in bello contra Moabitas: & propterea gratiam Regis, ac Principis militiæ habebat.

Quæ respondit: In medio populi mei habito.] non sum vaga, non exosa, sed quiesco non solùm inter consanguineos, sed etiam cum vniuerso populo meo: ac per hoc non egeo intercessore ad Regem, aut Principem militiæ.

Vers. 14. *Et ait: Quid ergo vult, vt faciam ei?*] Recesserat mulier à conspectu Elisæi: & colloquendo cum ministro suo dixit Elisæus iuxta Hebræum, *& quid faciendum ei?* Sollicitudo grati animi ipsius Elisæi per hoc describitur.

Grati animi sollicitudine vegetatur Elisæus ergo Sunamithē.

Et dixit Ghechazi: Ne quæras: filium enim non habet.] Hebraicè habetur: *Sed filius non ipsi, & vir eius senex.* Non audet Ghezi ministet Elisæi petere filium mulieri: sed percontanti Elisæo, quid faciendum à se est mulieri, aperit indigentiam mulieris: videlicet, quòd caret filio, & (quod ampliùs est) habet maritum senem,

Vers. 15. *Et ait: Voca eam.*] Hinc apparet, quod diximus; mulierem, videlicet, recessisse.

Vocauítque eam, & stetit in portæ.] Hinc insinuatur, quòd etiam prima vice non ingressa est aulam Elisæi, sed mansit in porta: commendatur enim mulieris modestia, ac reuerentia.

Vers. 16. *Et dixit ad eam.*] Interpres addidit, *ad eam*: subiuncta tamen testantur, quòd non vt priùs per ministrum, sed per seipsum allocutus est eam.

In tempore isto, in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in vtero filium.] Iuxta Hebræum habetur: *Parationi isti, sicut tempus vitæ, tu amplectens filium.* Tempus vitæ significat annum solarem, eò quòd viuificatiuus est motus Solis, vt vbique experimur. Ita quòd paratio ista, *sicut tempus vitæ,* demonstrat idem tempus futurum in anni circulo: totum enim hoc circūlocutio est eiusdem temporis in illius annī reuolutione. Parationis autem nomen commune valdè est apud Hebræos diuersis materiis. Dicit itaque in paratione ista: & declarando de quali paratione loquitur, subdit, *sicut tempus vitæ,* subaudi, efficiet parationem istam: tempus enim vitæ (hoc est, solaris circulus) efficit singulis annis dispositionem vnam, & eandem secundùm mensuram temporis. Hunc autem esse literalem sensum, testatur repetitio horum verborum paulò inferiùs. Et dicendo, *tu amplectens filium,* plus promittit, quam conceptionem, & generationem filij: nam promittendo amplexum filij, promittit etiam vitā matris in partu.

Paratio, sicut tempus vitæ, quid.

Parationis nomen commune multis materiis apud Hebr.

At illa respondit: Noli, quæso, Domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ.] Hebraicè habetur: *Non, Domine mi, vir Elohim, non mentieris ancillæ tuæ.* Reuerenter supplicat, vt non imprecādo concupitum bonum, hoc dicat Elisæus (quoniam imprecationes non sunt certæ, sed sæpè vanæ:) sed vt dicat efficacia veritatis diuini verbi: hoc enim est rogare, vt nō mētiatur. Non est enim sēsus, nō

Imprecationes non sunt certæ, sed sæpè vanæ.

mentieris,

mentieris, hoc est, non dices mandacium: iam enim dixerat; nec suspicabatur Elisæum ex intentione mentiri: sed est sensus, non mentieris quoad effectum futurum, quem dicis: quod est dictu, non sit imprecatio, sed prophetia verbum tuum.

Vers. 17. *Et concepit mulier, & peperit filium in tempore, & in hora eadem, qua dixerat Elisæus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et peperit filium parationi isti, sicut tempus vita, quam dixit ei Elisah.* Pondera, prudens lector, hanc repetitionem eorundem verborum, significantium tempus prophetatum ab Elisæo: vt perpendas circunlocutionem esse temporis redeuntis ex circulo solari: clarè enim repetitur totũ hoc pro tempore natiuitatis filij.

Vers. 18. *Creuit autem puer: & cum esset quadam dies, egressus est ad patrem suum, & ad messores.*] Superfluit, *&*: significatur enim, quòd iuit ad patrem suum existentem cum messoribus.

Vers. 19. *Et dixit patri suo: Caput meum doleo.*] Hebraicè repetitur, *caput meum*. nec explicatur verbum aliquod dolendi, sed subintelligitur.

Et dixit puero: Tolle, & duc eum ad matrem suam.

Vers. 20. *Tulitque eum, & adduxit eum ad matrem suam: sedítque super genua eius vsque ad meridiem, & mortuus est.*

Vers. 21. *Ascendit autem, & collocauit eum super lectum viri Dei.*] Semel, pro semper, intelligo nomen *Elohim*, cum Elisæo, dictum vt ei.

Et clausit ostium super eum.] ne ab aliquo videretur puer mortuus, sperans filius reuiuiscationem ab Elisæo.

Et egressa est.

Vers. 22. *Vocauitque virum suum, & ait: Mitte mecum, obsecro, vnum de pueris, & vnam, & curram vsque ad virum Dei, & reuertar.*

Vers. 23. *Et dixit: Cur vadis ad eum? Hodie non sunt Calendæ, neque Sabbatum.* Hinc apparet, quod diebus festis conuenirent ad Prophetas ad audiendum verbum Dei.

Quæ respondit: Vade.] Hebraicè habetur, *pax*. hoc est, *Ego securula me moueo*: quia sciebat enim vir eius cautam & idoneam ipsa respondere bonam esse exitum. pax enim Hebraicè vim omne bonum significat.

Stringítque asinam, & dixit puero: Mina, & vade, ne mihi moram facias equitando, nisi dixero tibi.

Vers. 25. *Profecta est igitur, & venit ad virum Dei in montem Charmel. cumque vidisset eam vir Dei è contra, ait ad Giezi puerum suum: Ecce Sunamitis illa.*

Vers. 26. *Nunc curre, quæso, in occursum eius, & dic ei: Rectè ne agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum?* Quæ respondit: *Recte.* Hebraicè habetur: *Num pax tibi, num pax viro tuo, num pax puero? & dixit: Pax.* Hebraico more loquuntur. Nec mentita est mulier respondendo, *pax*: quorum vtrumlibet ipsum hoc dixit: sancta enim mulier maternum superando affectum, interpretata est sibi mortem in bonum a diuina sibi prouidentia: & propterea secundùm culmen passionis loquens verum dixit, tacens, quod erat matrem affectus.

Vers. 27. *Et venit ad virum Dei in montem, & apprehendit pedes eius. accessítque Giezi, vt amoueret eam: & dixit vir Dei: Dimitte illam: quia anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit a me, & non indicauit mihi.*] Hinc clarè habetur, quòd donum prophetiæ, neque semper est in Prophetis, neque adest eis ad libitum.

Et dixit: Ani petiui filium a domino meo?] Verùm dicit: quia ipsa non petierat, sed Ghezi proposuerat. Vers. 28.

Nonne dixi: Ne illudas me?] Orbatam esse tam citò filio censet, perinde ac si non habuisset filium: & propterea falsum sibi prædictum fuisse deflet, cùm prædictũ fuit ei: *Habebis filium*, &c.

Et ille ait ad Ghechazi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade: si inueneris quempiam non salutes eum, & si salutauerit te quispiam non respondeas ei.] Propter duo fit huiusmodi mandatum: alterum est ad tollendum moras inter salutandum solitas obrepere: alterum est, ad indicendum silentium ministro, vt deuotè absque distractione mentis properaret ad executionem tanti miraculi. Vers. 29.

Cur Elisæus prohibeat Giezi salutationem per viam.

Et pones baculum meum super faciem pueri.] Sensibili enim signo vti consueuerant ad faciendum miraculum: & propterea baculum suum apponendum super faciem pueri mandat Elisæus, sperans operaturum Deum per hoc medium vitam pueri.

Porrò mater pueri ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua, si dimittam te.] Quanuis mater clauem cubiculi Elisæi dederit ministro eunti cum baculo Elisæi, (clauserat enim ostium;) non tamen credidit sufficere ad resuscitationem pueri ministrum, sed ipsum exegit Elisæum. Vers. 30.

Surrexit ergo, & secutus est eam.] tum victus precibus, tum minùs confidens de efficacia missi ministri cum suo baculo.

Ghechazi autem præcesserat eos, & posuerat baculum super faciem pueri: & non erat vox, neque sensus.] Non est mirum hoc: quia nec matris, nec ipsius Elisæi plena fiducia suffragata est. Vers. 31.

Cur Giezi non potuerit resuscitare puerum sunamitis.

Reuersúsque est in occursum eius, & nunciauit ei dicens: Non surrexit puer.

Ingressúsque est Elisæus in domum: & ecce puer mortuus iacebat super lectum eius. Vers. 32.

Ingressúsque est, & clausit ostium super se, & puerum.] ne impediretur oraturus Deum pro tanto miraculo. Vnde & statim subditur: Vers. 33.

Et orauit ad Dominum.] vt intelligamus non ex potestate miraculum facere, sed supplicando.

Et ascendit, & incubuit super puerum.] Modus orandi describitur imitando patrem suum Elisæum, resuscitatorem filium viduæ: simili siquidem modo portauit se Elisæus orando super puerum, tanquàm super materiam miraculi. Vers. 34.

Posuítque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incurmauit se super eum. Quanuis non sit explicitè scriptum similem modum seruatum ab Elia fuisse; explicatio tamen istæc scripta hic insinuat similem modum seruatum fuisse ab Elia, & significatum implicitè scribendo, quòd mensus est se super puerum. Pertinet autem ad manifestandum meritum, tam Eliæ, quàm Elisæi, modus iste: manifestat enim, quòd valde magnipendebat vterque opus miraculi huius: in aliis enim miraculis apponebatur manus: in hoc autem tam arduo totum corpus expanditur, singula membra singulis commensurando, vt arduum valdè opus insinuetur. Et nihilominùs quemadmodum sale vsus fuerat ad sanandum aquas Iericho; ita hac commensuratione corporis vtitur ad resuscitandum puerum, vt instrumento sensibili diuinitùs sibi inspirato.

Resurrectio mortui opus arduum, ideo &c.

Et caro facta est caro pueri.] Ne sis ita rudis, vt

Mors & vita à domino, prius non ita præcipue.

Donum prophetiæ non semper adest prophetis.

vt intelligas ex calore carnis Eliſæi calefactam carnem pueri: quoniam apertè ſcriptum eſt, quòd puer mortuus iacebat in lecto: ſed primus effectus vitæ in puero reſuſcitato deſcribitur, caro pueri calefacta, proculdubiò ab interna vita: patratum eſt ſiquidem miraculum hoc, non ſimul perfectum quoad omnes effectus vitæ, ſed paulatim: & primus apparens vitæ effectus fuit calor carnis. Lege in Euangelio Marc. cap. 8. cæcum paulatim illuminatum à Domino: & non miraberis miraculi opus quandoque non ſimul integrè fieri, ſed paulatim.

Mortuus puer Sunamitis paulatim ad vitam redijt.

Marci 8.

Verſ. 35. *Reuerſuſque eſt, & deambulauit in domo ſemel huc, & illuc.*] Reuerſus ex lectulo ad pauimentum aulæ bis deambulauit, ſemel huc, & ſemel illuc, vt ſcribitur Hebraïce. Diuerſos orandi modus deſcribitur: primùm enim orauit proſtratus ſuper corpus pueri mortui; deinde orauit deambulando: vt ipſa diuerſitas modi corporalis ſitus inſinuaret diuerſitatem mentis Eliſæi: quemadmodum enim diuerſitas ſitus renouatio eſt corporis; ita profectus mentis eius per hoc aperitur, & tanquàm renouata mens Prophetæ ſignificatur: ſicut verè vita reſuſcitatione pueri in carne calida, iam certus de obtento miraculo longè maiori fiducia cum magna animi hilaritate orabat pro perfectione miraculi. Scribitur autem cùm terminis bis deambulaſſe, ne longum tempus interceptum putares.

Diuerſus orandi modus Eliſæi ad reſuſcitandum puerum.

Et aſcendit, & incubuit ſuper eum.] Iterum proprio corpore vtitur, vt inſtrumento diuinæ operationis; iterum ſe humiliat proſternendo ſe ſuper puerum in oratione, vt priùs.

Et oſcitauit puer ſepties.] Hebraicè habetur, *& ſternutauit puer vſque ad ſeptem vices, & aperuit puer oculos ſuos.* Ecce progreſſus in effectibus vitæ.

Verſ. 36. *Et ille vocauit Ghechazi, & dixit: Voca Sunamithem hanc. Quæ vocata venit ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum.*

Verſ. 37. *Quæ venit, & corruit ad pedes eius, & adorauit ſuper terram.*] Maximum honoris ſignum; ſolitum tantùm exhiberi etiam hominibus exhibuit mulier Eliſæo. Vbi & cerne diſparitatem, quòd mœrore affecta ob mortem filii tenuit pedes Eliſæi: læta autem ob reſuſcitatum filium non tangit pedes Eliſæi, ſed iuxta pedes ſuper terram, ſe proſternit, ſolitam ſeruans modeſtiam; qua non audebat tangere Eliſæum, quam maternus dolor obliuioni tradiderat.

Sunamitis per mortem vitam filij ab Eliſæo, tangit eius pedes: non autem lætam, cur.

Mulieres non decent conuerſari cum viris ſpiritualibus.

Tulitque filium ſuum, & egreſſa eſt.] Nihil moræ traxit in aula Eliſæi, ſed ſuſcepto filio egreſſa ſtatim eſt: ad exemplum mulierum conuerſantium cum viris ſpiritualibus.

Verſ. 38. *Et Eliſæus reuerſus eſt in Ghilgbal.*] non quòd inde immediatè veniſſet, ſed quia alias ibi fuerat.

Filij autem Prophetarum habitabant coram eo: dixitque ſeruo ſuo de pueris ſuis:] Hebraicè habetur, *puero ſuo.* Non ſcribitur multos habuiſſe miniſtros.

Pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis Prophetarum.

Verſ. 39. *Et egreſſus eſt vnus in agrum, vt colligeret olera: inuenitque vitem agreſtem, & collegit ex ea colocynthidas agreſtes.*] Tanquam ſylueſtres cucurbitas, & amaras valdè dicuntur.

Et impleuit pallium ſuum: & reuerſus concidit in ollam pulmenti, non enim cognouerunt.

Verſ. 40. *Et diſtribuerunt viris, vt comederent: cùmque guſtaſſent de pulmento, clamauerunt, & dixerunt: Mors in olla vir Dei.*] Magna amaritudo quaſi præ ſe ferens mortem clamatur: & ad virum Dei (qui ollam præparari fecerat) recurſus habetur.

Et non potuerunt comedere.

Verſ. 41. *Et dixit: Afferte farinam.*] Tali ſigno ſenſibili inſpiratus à Deo vſus eſt ad hoc miraculum.

Cumque attuliſſent, proiecit in ollam, & ait: Infunde populo, & comedant: & non fuit amplius quicquam amaritudinis in olla.] Hebraïcè habetur, *& non fuit res mala in olla.* Miraculum verè fuit, vt cucurbitæ illæ redditæ fuerint habiles ad eſum ex ſolius farinæ appoſitione.

Verſ. 42. *Vir autem quidam venit de Baal-ſaliſa, deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos.*] Hebraïcè habetur, abſque coniunctione, *panes primitiarum, panes viginti hordeaceos.* exponendo ſiquidem panes primitiarum ſubiungitur appoſitiuè, panes viginti hordeaceos. Appellantur autem panes primitiarum, panes ex primis frugibus facti.

Panes primitiarum, qui.

Et frumentum nouum.] Hebraicè habetur, *& toſtum*, hoc eſt, grana tritici ex præcocibus ſpicis toſta.

Toſtum, quid.

In pera ſua.] Hebraïcè habetur, *in veſte ſua:* vt hinc modica quantitas intelligatur.

Et dixit: Da populo, & comedant.] ſciebat enim futurum miraculum.

Verſ. 43. *Reſpondit que miniſter eius: Quid dabo hoc coram centum viris? Et dixit: Da populo, & comedant: ſic enim dixit Dominus, comedet, & ſupererit.*

Verſ. 44. *Poſuit itaque coram eis: qui comederunt. Et ſuperfuit iuxta verbum Domini.*] Nullum ſenſibile inſtrumentum appoſuit Eliſæus ad multiplicandum hos panes, niſi diuinum verbum, vt cognoſcamus diuinam virtutem operari miracula, prout vult.

Diuina virtus operatur miracula, prout vult.

CAPVT V.

Verſ. 1. NAAMAN *autem Princeps militiæ Regis Syriæ erat vir magnus coram domino ſuo, & honoratus.*] Hebraïcè habetur, *& elevatus facie.* non ſolùm magnus apud Regem ſuum; ſed etiam excellens ſecundùm ſe ipſum narratur. Et vtriuſque ratio ſubditur ſalus Syriæ ab hoſtibus per eum à Deo data.

Per illum enim dederat Dominus ſalutem Syriæ: erátque vir fortis, & dives.] Hebraïcè non habetur dives, ſed, *& vir fuit potens fortitudine leproſus.* Fortitudo tam animi, quàm corporis deſcribitur ſimul cùm lepra.

Verſ. 2. *Porrò de Syria egreſſi fuerant latrunculi.*] Hebraicè habetur, *aſſociati.* Non malè Interpres antiquus intellexit latrunculos, pro quanto proculdubiò ſignificantur aſſociati viri ad prædandum; hoc eſt, excurſiones faciendas in terra hoſtium.

Latrunculi, vel aſſociati, iidem.

Et captiuam duxerant de terra Iſraël puellam paruam: quæ erat in obſequio vxoris Naaman.

Verſ. 3. *Dixitque ad dominam ſuam: Vtinam dominus meus eſſet coram Propheta, qui eſt in Samaria, profectò.*] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur; *tunc curaret eum à lepra ſua.* ſonant enim verba puellæ, quòd ſtatim curaretur à Propheta.

Verſ. 4. *Ingreſſus eſt itaque Naaman ad dominum ſuum, & nunciauit ei dicendo: Sic, & ſic locuta eſt puella, quæ eſt de terra Iſraël.*

Verſ. 5. *Dixitque Rex Syriæ. Vade, & mittam.*] Hebraicè

cè habetur: *Vade, veni, & mittam literas ad Regem Israël.* hoc est, dispone te ad iter, & redi ad me, & mittam literas.

Et profectus est, & tulit secum decem talenta argenti, & sex millia aureorum, & decem mutatoria vestimenta.

Vers. 6. *Et detulit literas ad Regem Israël in hac verba: Cùm acceperis epistolam hanc, scito, quòd misi ad te Naaman seruum meum, vt cures eum à lepra sua.*] Executio scribitur simul cum præparatis, & rebus, & literis.

Vers. 7. *Cúmque legisset Rex Israël literas, scidit vestimenta sua.*] ob verba sonantia blasphemiam: vtpote petendo ab homine id, quod solus Deus præstare potest.

Et ait: An ego sum Deus.] Nomen est *Elohim*: sed de vero Deo se loqui manifestat subiungendo opera propria summo Deo.

Vt occidere possim, & viuificare.] quod Hebraïcè habetur, *ad mortificandum, & viuificandum.* solius enim summi Dei est, ad libitū mortificare, & viuificare, qui solus est dominus vitæ, & mortis.

Quòd iste mittit ad me ad curandum virum à lepra sua? ideo, scitote, quaso, & videte, quòd occasionem quærat contra me.

Vers. 8. *Et fuit, cùm audisset Elisah vir Dei, quòd scidisset Rex Israël vestimenta sua, misit ad Regē dicēdo: Cur scidisti vestimenta tua? veniat, quaso, ad me, & sciat, Prophetā esse in Israël.*] Rex Israël ad verba attendit: Elisæus autem attendit ad sensum verborū, & ideò dixit: Quare scidisti vestimenta tua, tanquàm nō esset Propheta in Israel, à quo possit miraculum huius sanitatis haberi? non enim Rex Syriæ petebat, vt Rex Israël per seipsum sanitatem redderet Naaman, sed per Prophetam, quem puella dixerat.

Vers. 9. *Venit ergo Naaman cum equis suis, & curru suo: & stetit ad portam domus Elisah.*

Vers. 10. *Misitque ad eum Elisah nuncium } dicendo.*] Cerne, in quanta Deus Propheram suum authoritate seruat, vt inspirauerit eū ad non egrediēdū; sed ad mittendū nuncium venēti ad se Principi.

Deus Prophetis suis magnam authoritatem tribuit.

Septem, numerus consecratus in lege Mosis.

Vade, & lauare septies in Iarden, & reuertetur caro tua tibi, & mundabitur.] Numero consecrato in lege Mosis vtendum inspirauit Deus, in testimonium veritatis legis à Deo datæ Mosi.

Vers. 11. *Iratúsque est Naaman, & abiit, & dixit: Putabam, quòd egrediendo egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me.*

Vers. 12. *Nónne meliores sunt Amana, & Parpar, fluuij Damasci, omnibus aquis Israëlis? nónne lauabor in eis, & mundabor? Vertitque se, & abiit in ira.*] Ipsemet testificatur, quòd non ex qualitate aquarum Iordanis mundari poterat.

Vers. 13. *Accesserunt autem serui eius, & locuti sunt ad eum, atque dixerunt: Pater.*] Hebraïcè habetur, *pater mi.* Honorabile nomen patris apud priscos fuisse hinc patet.

Patris nomen honorificè apud priscos.

Si rem grandem Propheta dixisset tibi, certè facere debueras.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Nónne fecisses?* sententia enim in idē redit.

Vers. 14. *Quantò magis, cùm dixit tibi: Lauare, & mundaberis?*

Descendit igitur, & lauit se in Iarden septem vicibus iuxta sermonem viri Dei: & reuersa est caro eius, sicut caro pueri parui, & mundatus est.

Vers. 15. *Reuersúsque est ad virum Dei cum toto comitatu suo: & venit, & stetit coram eo, & dixit: Verè scio, quòd non sit Deus alius in tota terra, nisi tantùm in Israël.*] Hebraïcè habetur: *Ecce nunc noui, quòd non Elohim in totā terra, nisi in Israël.* Curatus est non solùm in corpore, sed etiam in animo: agnouit, & professus est, non solùm Deum Israëlis esse verum Deum; sed etiam esse solum Deum, & omnes Deos gentium non esse Deos.

Nunc igitur tolle, quaso, benedictionem à seruo tuo.] Munera appellat benedictionem, eò quòd non vt merces; sed loco gratiarum actionis prodibant ab animo eius.

At ille respōdit: Viuit Dominus, ante quem sto, Vers. 16. *quia non accipiam.*] Hebraïcè habetur, *in cuius steti facie, si accipiam.* Iuxta morem Eliæ iurat manifestādo se orasse pro ipso Naaman: hoc enim sonant verba, *in cuius steti facie.* Iurauitque se nō accepturum munus etiam pro gratiarum actione, vt arctiùs afficeretur Naaman cultui summi Dei, videndo omni ex parte liberalissimam gratiam in Propheta summi Dei.

Vimque faciebat, vt tolleret, & renuit.

Dixitque Naaman, vt vis.] Superfluit, *vt vis.* Vers. 17.

Sed, obsecro, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra.] Hebraïcè habetur. *Et non dabitur, quaso, seruo tuo onus paris mulorum terra?* Interrogatiuè legendum est: scribitur enim supplex petitio, vt onerentur duo muli terræ. Et modus petendi negatæ susceptioni munerum cōgruit: perinde ac si dixisset: Negas suscipere mea, nunquid etiam negabis dare tuum, modicum, videlicet, terræ? Poterat siquidem Naaman absque Elisæi donō operare mulos proprios terra ad vehendum illam: sed voluit Prophetæ dono affici terram vehendam, vt prophetica benedictione benedicta esset illa terra vehenda. Et dicendo, *dabitur*, innuit, quòd de terra domus, in qua erat Elisæus, petebat onus duorum mulorum: non enim nisi datam poterat illam accipere. Ita quod benedictionem propheticam cupiebat vtrinque: ex dono, videlicet, & ex terra data, vtpote re ipsius Prophetæ.

Non enim faciet vltrà seruus tuus holocaustum, & sacrificium Dijs aliis, nisi Domino.] Hinc insinuatur, quòd pro altari construēdo summo Deo terram hanc petebat: alioquin non subiunxisset: Quia non faciet vltrà seruus tuus holocaustum, & sacrificium Elohim aliis, nisi Iehouah: verè enim conuersus erat non solùm ad credendum, sed etiam ad sacrificandū summo Deo duntaxat.

A quid Naaman petit terram ab Elisæo.

Hoc autem solum est, de quo deprecaris Dominū Vers. 18. *pro seruo tuo.*] Hebraïcè habetur: *In re ista ignoscet Iehouah seruo tuo.* Non petit, vt roget Deum pro se: sed proponit, se in omnibus, quæ diuini sunt cultus, recte habiturum, & in vnā duntaxat actione petit tolerari, vt non imputetur sibi ad peccatum contra Deum.

Quando ingredietur dominus meus domū Rimmon, vt adoret ibi, & ipse innixus erit super manum meā, & adorabo in domo Rimmō.] Aduerte, prudēs lector, quòd Hebraica dictio, quæ vis communiter interpretata sit, *adorare*, propriè tamen non significat adorationem, sed exhibitionem signi honoris in ipsius honorantis personæ curuatione, siue curuatio huiusmodi fieret genuflexione, siue prostratione, siue capitis, & humerorum inclinatione: ita quòd non significatur actus interior, sed actus duntaxat exterior honoris. Est itaque sensus, quòd cum ante te Rege in templo Rimmon Deo suo Rimmon, ego quoque me curuabo: quia Rex innititur super me. Et hæc est actio, quam ignoscī sibi à Deo petit.

Adoratio, quomodo hic capienda.

Adorante

Adorante eo in eodem loco, ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro re hac.] Iuxta Hebræum habetur: *Adorante me in domo Rimmon, ignoscet Iehouah seruo tuo in re ista.* Magni affectus testis est repetitio ista.

Vers. 19. *Dixitque ei: Vade in pace.*] Quæstiones duæ hinc oriuntur: altera, an verba ista Elisæi annuant voto Nahaman, affirmando, quòd Deus ignoscet: altera est, an incuruatio huiusmodi fuerit licita. Solutio primæ quæstionis est, quòd verba Elisæi, cùm sint valdè communia, stant cum permissione illius curuationis: & propterea ex vi sermonis non affirmant, Deum ignoscturum, seu non imputaturum ad peccatum. Solutio autem secundæ quæstionis est, quòd aliud est loqui de genuflexione imitatiua genuflexionis regiæ, & aliud est loqui de genuflexione obsequij: nam genuflexio imitatiua est eiusdem speciei cum genuflexione, quam imitatur: & propterea esset genuflexio idololatra, quemadmodũ genuflexio Regis. Sed de huiusmodi genuflexione non esse sermonem testantur verba ipsius Nahaman proponentis conscientiæ suæ scrupulum consistere in loco, & tempore talis obsequij: quia, videlicet, in templo Rimmon, tempore, quo Rex adorabat Rimmon, ipsum Nahaman genuflectente Rege oportebat genuflectere, eò quòd Rex innitebatur super eum: & quemadmodum Rege stante oportebat ipsum stare; ita Rege genuflectente oportebat ipsum genuflectere. De huiusmodi itaque genuflexione obsequij est quæstio: & dicimus, quòd secundùm se erat licita: eò quòd obsequebatur genuflexioni Regis absolutè, & non relatiuè ad idololatriã: genuflexio enim ipsa Regis, actio quædam est secundùm se nó mala; sed iniquitatẽ idololatriæ habet annexam ex idololatra mente Regis; minister autẽ obsequens genuflexioni, & non relationi ad idolum, non est particeps criminis: quemadmodum nobiles comitantes Regem euntem ad concubinam, non sunt participes peccati: eò quòd non comitantur eum, quatenus vadit ad peccandum; sed quatenus vadit illuc absolutè: ipsum enim ire secundùm se nullum est peccatũ. Quanuis autem huiusmodi genuflexio obsequij secundùm se non sit mala; speciem tamen mali præ se fert ratione loci, & temporis, nisi persona cognita sit exempta ab idololatria: nam si persona obsequens ibi tunc similis aliis habetur, genuflexio eius, quantuncunque ex propria intentione non sit mala; occasionem tamen præsentibus dat existimandi, quòd ipse facit, sicut alij genuflectentes idolo: si verò persona nota esset aliena ab idololatria, cessaret species mali; & consequenter ratio scandali, seu existimationis, quòd ipse genuflecteret idolo. Et quia Nahaman, & verbo, & facto (ædificando summo Deo altare, illique sacrificando, & profitendo ipsum solum esse Elohim) publicabat se alienum esse ab idololatria, ideò obsequium, quod præstabat Regi in tẽplo Rimmon adoranti, nec in se erat malum, nec habebat speciem mali; & propterea Elisæus non dixit ei, hoc esse peccatum, nec affirmauit ignoscendum à Deo: sed dixit: *Vade in pace.* ipse autem Nahaman more bonarum mentium timebat culpam: & propterea petiit sibi ignosci, non imputando ad culpam.

An Elisæus promiserit Nahaman, quòd Deus illi ignosceret.

An genuflexio Nahaman genuflectẽte rege in templo Remmon, fuerit licita.

Nobiles comitantes Regem euntem ad cõcubinã, ne peccent.

Abiitque ab eo electo tempore.] Iuxta Hebræum habetur, *prandio terræ.* hoc est, abiit per tantum terræ spatium, quantùm itur vsque ad prandium, vel quantùm itur durãte prandio: narratur enim, quòd non longè aberat, quando Ghezi, minister Elisæi, venit ad eum: hic enim locus describitur priùs: & deinde narratur aduentus Ghezi ad eum, inchoando à cogitatione ipsius Ghezi.

Dixit autem Ghechazi, puer viri Dei: Ecce pepercit Dominus meus Nahaman Syro huic, non accipiendo de manu eius, quæ attulit; viuit Dominus, si non curram post eum, & accipiam ab eo aliquid. Vers. 20.

Et secutus est Ghechazi post Nahaman: vidit-que eum Nahaman currentem post se, & desiliit de curru in occursum eius.] ex reuerentia Elisæi. Vers. 21.

Et ait: Recténe sunt omnia? Et ille ait: Rectè.] Vers. 22. Hebraïcè habetur: *Num pax? Et dixit: Pax.* Modus est loquendi Hebræorum, &, vt hinc habetur, Syrorum.

Dominus meus misit me dicendo: Ecce modò venerunt ad me duo pueri de monte Eph-raim ex filiis Prophetarum: da, quæso, eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices.] Heb. habetur, *duas.* Vide, quot finxerit auaritia istius ministri.

Auaritia Ghezi notatur.

Dixitque Nahaman: Melius est, vt accipias duo talenta.] Hebraïcè habetur: *Velis, tolle duo talenta.* Vtrunque verbum est imperatiui modi: precatur enim, vt non vnum; sed duo, & velit, & tollat talenta argenti. Vers. 23.

Et coëgit eum.] Simulantem Ghezi nolle duo talenta, sed vnum, Nahaman coëgit ad accipiendum duo ex magnitudine deuotionis suæ ad Propheram Dei.

Ligauitque duo talenta argenti in duobus saccu-lis, & duo mutatoria vestimenta, & imposuit duobus pueris suis.] hoc est, ipsius Nahaman.

Et portauerunt ante eum.

Cúmque venisset iam vesperi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venit ad locum celsum, & tulit de manu eorum, & deposuit in domo.* Nescio quis locus excelsus, qui etiam munimen quoddam dicitur, narratur terminus ad quem venit Ghezi, & in quo posuit res delatas à famulis Nahaman: non enim in domum Elisæi intulit illas, sed in domum quandam illius loci excelsi. Crediderim ego, finxisse Ghezi, quòd in loco illo hospitabantur filij Prophetarum, & propterea illuc vehendas esse res illas: & fortè secundùm veritatem locus excelsus erat, in quo etiam habitabant filij Prophetarum, qui erant in Samaria. Vers. 24.

Dimisitque viros, & abierunt.

Ipse autem ingressus est, & stetit ante Dominum suum.] Hinc apparet, quòd non in domo Elisæi recondidit res. Vers. 25.

Dixitque ei Elisæh: Vnde venis, Gechazi?] Ab itinere incipit discutere, vt conuincat eum.

Qui respondit: Non iuit seruus tuus quoquam. Vers. 26.

At ille ait ad eum: Nónne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Nónne cor meum iuit, quando vertit se vir de curru suo in occursum tui.* Affirmat Propheta internam sui partem iuisse: hoc est, instar euntis spiritualiter attigisse mentis oculis gesta inter Nahaman, & Ghezi: & hoc manifestat, narrando actum, quem fecerat Nahaman occurrendo Ghezi: ex hoc enim conuicit eum.

Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti ves-tes, vt emas olineta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas.] Iuxta Hebræum habetur: *An tempus ad accipiendum argentum, & ad accipiendũ vestes.* Cõuicto Ghezi ex narrato, tam occursu, quàm modo occurrẽdi, arguit eum, quòd acceperis

cepérit argentum, & veſtes: arguit autem à tempore, dicendo: Num tempus ad tollendum, &c. Et manifeſtat per hoc, quòd tépore, quo ipſe Eliſæus nolebat accipi oblata, nec ipſe Ghezi accipere poterat. Et dicit hoc ad differentiam aliorum temporum, quibus Eliſæus annuebat, vt tollerentur oblata.

Vt emas oliueta.] Interpres pro claritate addidit, *vt emas*: nam Hebraice immediatè ſequitur.

Et olinas, & vineas & oues, & boues & ſeruos & ancillas.] poſtquam enim arguit eum de acceptione, arguit etiam de retentione: quòd non pro filiis Prophetarum acceperit, ſed pro oliuetis, vineis, &c.

Verſ. 27. *Et lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo in ſempiternum.*] Poſt reprehenſionem adiungitur punitio terribilis: & tanto maior, quanto diuina authoritate extenta ad ſemen eius in ſempiternum, ſeu in ſæculum eſt.

Egreſſuſque eſt a facie eius leproſus, ſicut nix.] Vide diuinam iuſtitiam, ſtatim etherentem, quod Prophera dixit.

CAPVT VI.

Verſ. 1. *DIXERVNT autem filij Prophetarum ad Eliſæum: Ecce, quæſo, locus, in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis. Eamus.*] Hebraice habetur: *Surgamus, quæſo, vſque ad Iarden,*

Verſ. 2. de ſeipſis enim loquuntur, petendo, vt ire eis liceat.

Et tollant ſinguli de ſylua materias ſingulas.] Hebraicè habetur: *Et tollemus inde quilibet trabem vnam.* Sententia clara eſt.

Et faciemus nobis ibi locum ad habitandum.] Deficit, *ibi.* Proponunt ſe ædificaturos ibi hoc eſt, iuxta Iordanem, locum capacem ad habitandum ibi.

Et dixit: ite.

Verſ. 3. *Et ait vnus: Veni ergo, & tu cum ſeruis tuis.*] Hebraicè habetur: *Vel eius, obſecro, & veni cum ſeruis tuis.* Supplex loquitur bonus diſcipulus.

Et dixit: Ego veniam.

Verſ. 4. *Et abiit cum eis: veneruntq; ad Iarden, & ſciderunt ligna.*

Verſ. 5. *Accidit autem, cum vnus materiam ſuccidiſſet.*] Hebraice habetur: *Et fuit vnus cadere faciens trabem, & ferrum ſecuris cecidit in aquam.* Superfluit, *ſecuris*: non fit mentio formæ inſtrumenti ferrei.

Exclamauitque ille, & dixit: Heu, heu, heu. Hebraice ſemel tantum habetur, *heu* (ſeu, *va*) *domine mi.* Violentis eſt.

Et ipſum mutuo acceperam.

Verſ. 6. *Dixit autem vir Dei: Vbi cecidit? At ille monſtrauit ei locum: præcidit ergo lignum, & proiecit illuc, & natare fecit ferrum.*] Ecce manifeſtum miraculum, propter quod narrata eſt hæc hiſtoria.

Verſ. 7. *Et ait: Tolle tibi.* Extendítque manum ſuam, & tulit illud.

Verſ. 8. *Rex autem Syriæ pugnabat contra Iſrael: conſiliúmque iniebat cum ſeruis ſuis dicendo: In loco illo, & illa ponamus inſidias.*] Iuxta Hebr. habetur: *Ad locum occultum inuitum mansiones.* Inuidiæ ſignificantur nomine *inuitorum*: concludebat ſiquinem in ſecreto conſilio Rex mittendos aliquos milites ad certum locum, tum occultum hoſtibus, tum inuitum: hoc eſt, tum occulte, tum cum ſilentio, vt ex improuiſo caperet hoſtes.

Locus mutatus.

Verſ. 9. *Miſit itaque vir Dei ad Regem Iſrael dicendo: Caue, ne tranſeas ad locum illum: quia illuc Syri in inſidias ueni.* Hebraicè habetur: *Quia illuc Aramæi deſcendentes.* Non dicit, Syros ibi eſſe; ſed illuc deſcendere

Miſit itaque Rex Iſrael ad locum, quem dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum.] Iuxta Hebr. habetur, *& ſolicitabunt eum.* Miſſi à Rege ſollicitè inſtantes ad videndum, ſi Syri veniunt ad locum ſignificatum ab Eliſæo narrantur: & futurum tempus refertur ad miſſionem Regis. Verſ. 10.

Et obſeruauit ſe ibi.] Legendum eſſet, *& cuſtodietur ibi non ſemel, & non bis.* Effectus deſcribitur: quòd videlicet, Rex, tam in ſe quàm in ſuis ex huiuſmodi reuelatione Eliſæi cuſtoditus eſt ab inſidiis in illis locis non ſemel, aut bis, ſed ſæpè; & futurum *cuſtodietur*, refertur ad reuelationem Eliſæi.

Et conturbatum eſt cor Regis Syriæ propter hanc rem: vocauitq; ſeruos ſuos, & ait eis: Quare non indicatis mihi, quis proditor meus ſit apud Regē Iſrael?] Sententia rectè redditur: quamuis Hebraicè verba breuiora ſint. Verſ. 11.

Dixit: Non ſeruorum eius: Non, domine mi Rex, ſed Eliſæus Propheta, qui eſt in Iſrael, indicat Regi Iſrael verba, quæ locutus fueris in cubiculi tui.] Hebraicè habetur, *in aula cubilis tui.* hoc eſt, in ſecretiſſimo loco tuo. Verſ. 12.

Dixitque: Ite, & videte, vbi ſit, & mittam, & capiam eum. Nunciatumq; eſt ei ascendo: Ecce eſt in Dothaim.] Hebraicè habetur, *in Dothan.* Nomen eſt ciuitatis, vt ſubiuncta teſtantur. Verſ. 13.

Dothan, nomen ciuitatis.

Miſit ergo illuc equos, & currus, & robur exercitus: veneruntq; nocte, & circumdederunt ciuitatem. Verſ. 14.

Surrexit autem diluculo miniſter viri Dei, egreſſuſq; eſt, & vidit exercitum in circuitu ciuitatis.] Iuxta Hebræum habetur, *& egreſſus eſt, & ecce exercitus circundans ciuitatem, & equi, & currus.* Non dicitur, quòd egreſſus viderit exercitum: ſed tacetur modus, quo nouit exercitum adeſſe. Incertum eſt enim, an exierit e ciuitate exiſtente in loco eminenti, & viderit inferiùs exercitum circundantem, an exierit ab aula ad locum ſub diuo & apparuerit exercitus circundans ciuitatē. Verſ. 15.

Dixit puer eius: Heu, heu, heu, domine mi.] Hebraicè habetur ſemel tantùm, *heu*, vt ſuperiùs.

Quid faciemus?] Hebraicè habetur: *Quomodo faciemus?* obſcuriùs vt eadem vox.

Et dixit: Noli timere.] Et hic quoque Interpres addidit, *noli*: Hebraice enim habetur: *Non timebis: quia plures, qui nobiſcum, quam qui cum eis.* Ex quibus Eliſæi verbis apparet, quòd ipſe Eliſæus vidit multitudinem cuſtodientium ipſum, quam miniſter eius non videbat. Verſ. 16.

Cumq; orraſſet.] Legendum eſt: *Et oranit Eliſæus, & dixit:* ad conſolandum miniſtrum ſuum. Verſ. 17.

Domine, aperi, quæſo, oculos eius.] non corporis, ſed interni ſenſus.

Et videat.] multitudinem, quam ego video, ſi viſio hæc fuit imaginaria; vel aperi oculos, hoc eſt, ad inſtar aperientis oculos concede, vt iſte videat corporeis oculis multitudinem, quam ego video. Et hic tenſus quadrat contextui: nam Eliſæus multitudinem apparentem ſibi perit videri etiam à puero ſuo, ita quod vnum & idem viſibile videatur ab vtroque: quod non ſaluaretur in viſione imaginaria; ſed in viſione corporali: quoniam viſibile oculis corporeis vnum & idem eſt apud diuerſos videntes: imaginabile autem, cum ſitus in imaginatione ſit, diuerſum eſt apud diuerſos.

Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum ignearum in circuitu Eliſæi. Ex eo, quòd ſit mentio mon-

tis,

tis, & deſcribuntur in circumitu Eliſæi equi, & currus, inſinuatur, quòd mons ille, in quo erat Eliſæus, apparuit plenus equis, & curribus igneis: non quòd eſſent verè ignei; ſed in ſimilitudinem ignis; quemadmodum currus, & equi apparentes in raptu Eliæ: & erant non res ignis currus, aut equorum; ſed ſimilitudines eorum, quemadmodũ ſimilitudines rerum apparentes in ſpeculis: & propterea erant viſibiles corporeis oculis, non ab omnibus, ſed ab iis, quibus apparebant. Prouidit autem Deus hanc apparitionem ad ſecuritatem Eliſæi, & miniſtri eius, ſignificando per hanc angelicam cuſtodiam longè potentiorem hoſtibus circundantibus ciuitatem.

Quomodo mons plenus equorum, & currũ igneorũ apparuerit Eliſæo, & puero eius.

Verſ. 18. *Hoſtes verò deſcenderunt ad eum.*] Hebraïcè habetur: *Et deſcenderunt ad eum.* proculdubiò exercitum Syrorum Eliſæus, & puer eius iam ſecuri.

Oranítque Eliſah ad Dominum, & ait: Percute, quæſo, gentem hanc cæcitate.] non quoad actum videndi; ſed quoad actum iudicandi: vt, videlicet, videndo non diſcernerent, quò irent, & quis eos duceret.

Et percuſſit eos, ne viderent.] Legendum eſt, *cæcitate iuxta verbum Eliſah.* hoc eſt, non cæcitate abſolutè, ſed cæcitate petita ab Eliſæo. Et ſcito, quòd priùs orauit Eliſæus pro huiuſmodi cæcitate, & obtinuit gratiam; & poſteà deſcendit ad eos: quanuis ſcribatur priùs deſcenſus, quàm ratio deſcendendi.

Verſ. 19. *Dixit autem ad eos Eliſah: Non eſt hæc via, nec eſt hæc ciuitas.*] Sciens eos iam huiuſmodi cæcitate percuſſos, dicit: Non eſt hæc via: deſcenderat enim ad eos circũdantes ciuitatem: & propterea exiſtentes adhuc in via. Nec mentitus eſt: quia verè non erat illa via, qua eundum illis erat ad inueniendum Eliſæum notum eis: & ſimiliter non erat illa ciuitas, in qua inueniendus erat Eliſæus, quem quærebant. Secundùm enim ſenſum hunc Eliſæum locutum fuiſſe, teſtantur ſubiuncta ipſius verba.

Sequimini me, & oſtendam vobis virum, quem quæritis.] Hebraïcè habetur: *Venite poſt me, & ducam vos ad virum, quem quæritis.* Et in hoc amicum ſe præbuit eis, manifeſtans ſe ſcire, quem quærunt. Neq; decepit eos: quoniam verè duxit eos ad virum quæſitum, ſeipſum, videlicet, cognoſcendum in Samaria.

Verſ. 20. *Et duxit eos in Someron.*

Cúmque ingreſſi fuiſſent Someron, dixit Eliſah: Domine, aperi oculos iſtorum.] ſimiliter, non quoad videndum (venerant enim apertis oculis,) ſed quoad diſcernendum, vbi ſunt, &c.

Et videant: aperuítque Dominus oculos eorum, & viderunt, ſe eſſe in medio Someron.

Verſ. 21. *Dixítque Rex Iſraël ad Eliſah, cùm vidiſſet eos: An percutiam eos, pater mi?*] Hebraïcè repetitur, *percutiam*, ad ſignificandum percuſſionem omnium. Reuerentiáque Regis erga Eliſæum commendatur ex eo, quòd appellabat Eliſæum patrem ſuum: & merito; quia curam Regis habebat, tanquàm pater: vt ſupraſcripta teſtantur.

Reuerentia Regis Iſraël erga Eliſæũ.

Verſ. 22. *Et ait: Non percuties: neque enim cepiſti eos gladio tuo, aut arcu tuo, vt percutias.*] Hebraïcè habetur: *An quos tuliſti in gladio tuo, & in arcu tuo tu percutiens?* quaſi dicat, non eſſes percutiens captos à te: percutere tibi liceret, ſi in arcu, & gladio tuo iſtos cepiſſes.

Pone panem, & aquam.] hoc eſt, cibum, & potum. Verſ. 23.

Coram eis, & comedant, & bibant, & vadant ad Dominum ſuum.

Apparauítque eis apparatum magnum, & comederunt, & biberunt, & dimiſit eos, & abierunt ad Dominum ſuum: & vltrà non venerunt latrones Syriæ.] Hebraïcè habetur, *ſocietatem Aram in terram Iſraël.* vt etiam ſuperiùs dictum eſt: non enim propriè latrones, ſed cœtus hoſtium, tanquàm ad excurſiones faciendas, ſignificantur. Et hinc apparet fructus officij Eliſæi ſubſecutus etiam apud hoſtes.

Eliſæus officioſus etiam erga hoſtes.

Et fuit poſt hæc, congregauit Ben-hadad Rex Syriæ totum exercitum ſuum: aſcenditque, & obſedit Someron.] Hinc habetur, quòd geſta prænarrata fuerunt tempore Benhadad Regis Syriæ, & Ioram Regis Iſraël: nam Elias vſque ad mortem Ochoziæ Regis, cui ſucceſſit Ioram, fuit inter homines, & Eliſæus erat miniſter illius. Verſ. 24.

Factáque eſt fames magna in Someron, & ecce obſidebant eam: donec venundaretur caput aſini octoginta argenteis, & quarta pars Cab ſtercoris columbarum quinque argenteis.] Nomen menſuræ eſt *Cab*: ſtercus autem columbarum non pro cibo, ſed pro igne emebatur ob penuriam lignorum. Verſ. 25.

Cab, *nomen menſuræ.*

Cúmque Rex Iſraël tranſiret per murum, mulier exclamauit ad eum dicendo: Salua me, Domine mi Rex. Verſ. 26.

Qui ait: Non te ſaluet Dominus.] Irati verba ſunt imprecatiua mali, eò quòd petebatur ab eo, quod dare non poterat: putabat enim peti ſubſidium; & conſcius penuriæ, & impotentiæ ſuæ exanduit dicens: *Non te ſaluet Iehouah.* Et quaſi iuſtificans iram ſuam, ſubiungit penuriam, ac impotentiam ſuam. Verſ. 27.

Vnde te ſaluabo, an de area, vel de torcular? Dixítque ei Rex: Quid tibi eſt? *Quæ reſpondit:*

Mulier hæc dixit mihi: Da filium tuum, & comedamus eum hodie, & filiũ meum comedemus cras. Verſ. 28.

Coximúſque filium meum, & comedimus eum. Verſ. 29.

Dixi autem ei die altera: Da filium tuum, & comedamus eum. Et abſcondit filium ſuum.

Quod cùm audiſſet Rex, ſcidit veſtimenta ſua.] Verſ. 30. execrando facinus tam dirum.

Et ipſe tranſibat ſuper murum: viditque populus cilicium, quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus.] Ecce fructus Eliſæi in Rege: affligebat ſiquidem ſe Rex cilicio inſtructus ab Eliſæo. Nec refert, quòd Hebraicè ſcribitur, *ſaccum*: in idem enim redit ſententia: quoniam ad carnem ſacco vtebatur pro afflictione pœnitentiali in tanta eorum penuria, & obſidione Rex ipſe ad placandum Deum.

Rex Iſraël cilicio induebatur ad placãdum Deũ, inſtructus ab Eliſæo.

Et ait Rex: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.] Nomen eſt *Elohim.* & eſt modus iurandi per imprecationem mali ſibiipſi. Verſ. 31.

Modus iurandi per imprecationem.

Si ſteterit caput Eliſah, filij Saphat, ſuper eum hodie.] Hinc innuitur, quòd Eliſæo ſuadente Rex ſufferebat obſidionem, expectando Dei gratiam: ob hoc enim reiecit cauſam in Eliſæum, & furibundus iurat ſe ablaturum caput Eliſæi.

Eliſah autem ſedebat in domo ſua, & ſeneſ ſedebant cum eo.] Qui, qualéſve fuerint ſenes iſti, certum non eſt: ſed ipſe confeſſus atteſtatur, viros graues, Deúmque timentes fuiſſe. Verſ. 32.

Præmiſítque Rex virum.] ad præcidendum caput Eliſæi, tantus fuit furor in Rege.

Et antequàm veniret nuncius ad eum, dixit ad ſenes.]

senes.] Eliseus diuinitùs illustratus manens in domo vidit, quæ aduersùs ipsum mandauit Rex, & manifestauit senibus.

Nunquid scitis?] Hebraicè habetur: *Num vidistis?* Et hinc quoque innuitur, quòd viri spirituales erant senes isti: alioquin non dixisset ad eos Elisæus: *Num vidistis?*

Ioram cur filius homicidæ ab Eliæo vocatus.

Quòd miserit filius homicidæ hic.] Legendum esset, *quod misit filius homicidæ iste.* Ioram Regem demonstrat nominando eum *filium homicidæ:* quia erat filius Ach-ab, qui homicidium commiserat occidendo Naboth, vt Elias in faciem illi dixerat. Apte quoque nominat ipsum *filium homicidæ*, quia in hac actione imitatus est patrem homicidam.

Vt præcidatur caput meum.] Hinc apparet, quod nuncius ille ad præcidendum caput Elisæi missus erat.

Videte ergo, cùm venerit nuncius, claudite ostium, & non sinatis intrare eum: ecce enim sonitus pedum domini eius post eum est.] Vt intrepide obsisterent nuncio Regis, prædicit eis, quòd Rex sequitur nuncium suum, pœnitens, quòd miserit eum: ideò enim Rex sequebatur nuncium; quia pœnituerat eum præcepisse, vt præcideretur caput Elisæi: rediit enim ad seipsum, & personaliter venit ad querelam proponendam coram Elisæo.

Vers. 33. *Adhuc illo loquente cũ eis, apparuit nũcius, qui descendebat ad eum, & ait.* non nuncius, sed Rex.

Ecce tantum malum a Domino est, quid amplius expectabo à Domino?] Hebraice habetur: *Ecce istud malum à Domino, quid sperabo ad Iehouah amplius?* Malum istud demonstrat tantam penuriam, vt matres comedant filios: & reiicit malum hoc in esse cum summo Deo tanquam in causam; eò quòd Elisæi consilio Rex sustinebat obsidionem, expectando Dei opem: & propterea subiungit tanquam desperans: *Quid amplius sperabo ad Iehouah?* Hinc enim manifestè patet, quòd hactenus sperauerat in summo Deo: & videns tantum malum, tanquam nihil boni supersit perdita vita hominum, dicit: *Quid amplius sperabo ad Iehouah?* hoc est, summum Deum.

CAPVT VII.

Vers. 1. DIXIT *autem Elisæus: Audite verbum Domini: sic dixit Dominus: In tempore hoc cras modius similæ in statere vno erit, & duo modij hordei in statere vno in porta Samariæ.*] Nec nomen modij, nec nomen staterijs ponderandum est: quoniam Hebraicè mensura quædam, & quoddam pondus significatur. Et similæ nomine florem farinæ intellige; hoc est, farinã optimam.

Vers. 2. *Respondit que Dux, super cuius manum Rex innitebatur, viro Dei: & ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, an erit, quod loqueris? Qui ait: Ecce videbis oculis tuis, & inde non comedes.*] Cataractarum nomine intellige fenestras: incredulus enim dux obiicit Prophetæ, quòd si etiam Deus faceret fenestras in cælo, & plueret farinam, ac hordeum, non verificaretur verbum Elisæi: propter quod meritò audiuit tunc futuram ipsius pœnam, quam posteà passus est.

Cataractarum nomine intelligenda fenestræ.

Vers. 3. *Quatuor autem viri erant leprosi iuxta introitum portæ: qui dixerunt ad se inuicem: Quid hic esse volumus, donec moriamur.*

Vers. 4. *Si ingressi fuerimus ciuitatem, fames est in ea, & moriemur ibi: & si mansérimus hic, moriemur. Venite ergo, & transfugiamus ad castra Syrorum: si pepercerint nobis, viuemus, & si occidere voluerint, moriemur.*

Vers. 5. *Surrexerunt igitur vespere, vt venirent ad castra Syrorum: cúmque venissent vsque ad principium castrorum Syrorum, neminem ibi repererunt.*

Vers. 6. *Dominus autem audire fecerat castra Syrorum sonitum curruum, & equorum, sonitum exercitus magni.*] Non imaginarius, sed sensibilis sonus magni exercitus sensu auditus perceptus est: non falsus quoad sonum, qui auditu sentiebatur, quanuis quantùm ad sensatum per accidens exercitum curruum, & equorum, &c. fuerint decepti: quia merebantur, & decipi, & terreri, vt fugerent à meritis Elisæi, quem nouerant, & experti fuerant protectorem Israelis.

Dixerunt̃q; ad se inuicem: Ecce mercede conduxit aduersùm nos Rex Israël Reges Gethæorum.] Legendum est, *Chetæorum, & Reges Ægyptiorum ad veniendum contra nos.* finitimos enim Reges putauerunt conductos.

Vers. 7. *Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris.*] Legendum est, *in crepusculo.* Intelligendo tamen crepusculum non dici, sed noctis: in principio enim noctis fugerunt, vt subiuncta testantur.

Et reliquerunt tentoria sua, & equos, & asinos suos, castra secundum quod erant: fugerúntq;, animas tantùm suas saluare cupientes.

Vers. 8. *Igitur cùm venissent leprosi isti ad principium castrorum, ingressi sunt tentorium vnum, & comederunt, & biberunt: tulerúntque inde argentum, & aurum, & vestes; & abierunt, & absconderunt: & reuersi sunt, & venerunt ad tentorium aliud, tulerúntque inde, & abierunt, & absconderunt.*

Vers. 9. *Dixerunt̃q; ad se inuicem: Non rectè facimus: hæc enim dies boni nuncij est, & nos tacemus: si expectauerimus vsque ad lucem matutinam, sceleris nos arguemur: nunc igitur venite, & eamus, & nunciemus in domo Regis.*

Vers. 10. *Cumq; venissent, & clamassent ad portam ciuitatis, narrauerunt eis dicentes: Venimus ad castra Syrorum, & nullum hominem ibidem reperimus, nisi equos, & asinos ligatos, & fixa tentoria.*

Vers. 11. *Clamauerunt̃q; portarij: & nunciauerunt in palatio Regis intrinsecus.*

Vers. 12. *Qui surrexit nocte, & ait ad seruos suos: Indicabo nunc vobis, quid fecerint nobis Syri: sciunt, quod fame laboramus, & idcircò egressi sunt de castris, vt latitent in agris dicendo: Cùm egressi fuerint de ciuitate, capiemus eos viuos, & ciuitatem ingrediemur.*

Vers. 13. *Respondit autem vnus seruorum eius, & dixit: Tollantur, quæso, quinque equi, qui remanserunt in ciuitate (quia ipsi tantum remanserant in tota multitudine Israel, alij enim consumpti erant,) & mittamus, & videamus.*

Vers. 14. *Adduxerunt ergo duos equos.*] Hebraicè habetur: *Et tulerunt duos currus equorum.* Ad differentiam curruum, qui non trahebantur equis, dicitur currus equorum.

Misitque Rex in castra.] Hebraicè habetur, *post castra Syrorum dicendo: Ite, & videte.* hoc est, misit ad videndum loca, quæ erant post castra Syrorum, ti latérent ibi Syri.

Vers. 15. *Et iuerunt post eos vsque ad Iarden: & ecce omnis via plena erat vestibus, & vasis, quæ proiecerant Syri, cùm turbarentur.*] Legendum esset, *festinantibus eis*: proculdubiò fugiendo.

Reuersi q; sunt nuncij, & indicauerunt Regi.

Egressíque

Vers. 16. *Egressúsque est populus, & diripuit castra Syrorum: & fuit modius similæ in statere vno, & duo modij hordei in statere vno, iuxta verbum Domini.*] Intellige mensuram, & pondus, vt diximus: & mensuram quidem alij vocant, *satum*: pondus autem, *sicium*, seu *seclum*.

Modius, & statera, quid.

Vers. 17. *Porro Rex ducem illum, super cuius manum innitebatur, constituit super portam, conculcauitque eum populus in porta, & mortuus est: sicut locutus fuerat vir Dei, quando descendit Rex ad eum.*

Vers. 18. *Et fuit secundum quod locutus est vir Dei ad Regem, dicendo: Duo modij hordei in statere vno, & modius similæ in statere vno erit hoc eodem tempore cras in porta Someron.*

Vers. 19. *Et respondit dux ad virum Dei, & ait: Etiamsi Dominus fecerit cataractas in cælo, an erit, quod loqueris? Et dixit: Ecce tu videbis oculis tuis, & inde non comedes.*

Vers. 20. *Euenitque ei sic: & conculcauit eum populus in porta, & mortuus est.*

CAPVT VIII.

Vers. 1. *Eliſah autem locutus est ad mulierem, cuius filium viuere fecerat, dicendo: Surge, & vade tu, & domus tua, & peregrinare vbicunque reperieris.*] Rependit Propheta gratiam mulieri iam viduæ: ſi enim maritus vixiſſet, non illam, ſed virum monuiſſet.

Vocauit enim Dominus famem, & venit.] Hebraïcè habetur: *Et etiam venit ſuper terram ſeptem annos.* Verba ſunt Authoris, narrantis adimpletum fuiſſe verbum Eliſæi. & explicantis tempus famis, videlicet, ſeptem annos.

Vers. 2. *Quæ surrexit, & fecit iuxta verbum viri Dei: & abiit cum domo ſua, & peregrinata est in terra Philisthim diebus multis.*] Legendum eſt: *In terra Philisthim ſeptem annis.* iuxta numerum annorum penuriæ. Et ex eo, quòd ipſa cum domo ſua deſcribitur iuiſſe, inſinuatur, quòd ipſa erat caput domus: ac per hoc, vt diximus, vidua.

Vers. 3. *In fine autem ſeptem annorum reuersa est mulier de terra Philisthim: & egressa est, vt interpellaret Regem pro domo ſua, & pro agris ſuis.*] occupatis, vel à fiſco, vel ab aliis.

Vers. 4. *Rex autem loquebatur cum Ghechaſi puero viri Dei, dicendo: Narra, quæſo, mihi omnia magnalia, quæ fecit Eliſah.*] Niſi Nahaman leproſus magnus apud Regem Syriæ obſtaret, dicerem hoc colloquium fuiſſe, antequàm Ghezi eſſet leproſus: ſed ab exemplo Nahaman incertus reddor, tum de tempore, tum de Rege; quis, ſcilicet, fuerit Rex iſte. Imò an hoc fuerit poſt mortem Eliſæi: quod verius videtur ex eo, quòd ſi Eliſæus vixiſſet, non oportuiſſet, mulierem hanc venire ad clamandum coram Rege, vt Hebraïca ſonat litera. Eliſæus enim aliàs ei obtulerat intercedere apud Regem pro ea: vt ſuperiùs ſcriptum eſt cap. 4.

Vers. 5. *Cumque ille narraret Regi, quomodo mortuum ſuſcitaſſet, ecce mulier, cuius vivificauerat filium clamans ad Regem pro domo ſua, & pro agris ſuis. Dixit Ghechazi: Domine mi Rex, hæc est mulier, & hic est filius eius, quem ſuſcitauit Eliſah.*

Vers. 6. *Et interrogauit Rex mulierem, quæ narrauit ei vera esse.*] Superfluit, *vera eſſe*, narrauit enim mulier rem geſtam, & non dixit, ſic eſt.

Dedítque ei Rex eunuchum vnum dicendo: Reſtitue omnia, quæ habebat, & omnes fructus agrorum à die, qua reliquit terram vſque ad præſens.] Hinc coniectura ſit, quòd fiſco applicata fuerant bona illius mulieris tanto tempore abſentis; vtpote habita pro derelictis. Et hoc fecit Rex inſcitu Eliſæi: ita quòd & mortuus Eliſæus profuit huic mulieri.

Et venit Eliſah Damaſcum.] ad exequendum iniuncta ſibi ab Elia de regno Hazaël ſuper Syriam. Vers. 7.

Et Ben-hadad Rex Syriæ ægrotabat: nunciatúmque eſt ei dicendo: Venit vir Dei vſque huc.

Et ait Rex ad Chazaël: Tolle tecum munera, & vade in occurſum viri Dei, & conſule Dominum per eum dicendo: An viuam de infirmitate hac? Vers. 8.

Iuit igitur Chazael in occurſum eius, habens ſecum munera, & omnia bona Damaſci.] hoc eſt, ex omni genere bonorum, quibus floret Damaſcus. Vers. 9.

Onera quadraginta camelorum: venítque, & ſtetit coram eo, & ait: Filius tuus Ben-hadad, Rex Syriæ, miſit me ad te dicendo.] Vide cum quanta reuerentia ethnici Principes adeunt Prophetam.

Ethnici Principes reuerebantur Prophetas.

Si ſanari potero de infirmitate mea hac?] Hebraïcè habetur: *An viuam à malo iſto?* Libra petitionem.

Dixítque ei Eliſah: Vade, dic ei: Sanaberis.] Hebraïcè habetur: *Vade, dic ei: Viuendo viues.* Scito, prudens lector, dictionem Hebraïcam interpretatam, *ei*, apud ipſos Hebræos ſonare, vel *ei*, vel *non*, prout diuerſimodè ſcribitur: & vtroque modo ab eis legi hanc literam: ſed conſiderato contextu, ſubiunctáque relatione Hazaëlis ad ſuum Regem, probanda eſt lectio affirmatiua: *Vade, dic ei: Viuendo viues.* Et verum dixit, reſpondendo ad interrogata: ſubauditur enim ex infirmitate iſta: nam petierat, an victurus eſſet ex ægritudine iſta: & Eliſæus reſpondit: *Vade, dic ei: Viuendo viues.* procul dubiò quantùm eſt ex parte ægritudinis. Et hoc non fuit falſum: quia non eſt mortuus ex ægritudine illa. Vers. 10.

Porrò oſtendit mihi Dominus.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et fecit videre me Iehouah, quòd moriendo morietur.* Duo dixit: alterum, reſpondendo ad quæſitum de vita ex ægritudine: alterum, non interrogatus adiungit de Regis vita abſolutè, dicendo, quòd morte morietur. Non dicit, quòd morietur ex hac ægritudine; ſed abſolutè, quòd morte morietur. Et hoc quoque fuit verum: quia mortuus eſt quàm citiùs occiſus ab ipſo Hazaël. Et reuelauit Deus etiam hoc Eliſæo, ne Propheta eius appareret falſus: occiſo Rege tunc in lecto ægritudinis ſuæ. Nec manifeſtauit Eliſæus Hazaëli, quòd ipſe eſſet occiſurus Regem: ſed dixit ei, vt diceret Regi, quòd non morietur ex hac ægritudine: & quòd ipſe Hazael ſciret, quòd tamen aliter Rex moreretur.

Stetítque cum eo, & conturbatus est vſque ad ſuffuſionem vultus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit ſtare faciem ſuam, & poſuit, donec teſtauit.* hoc eſt, fixit Eliſæus faciem ſuam, & ſic fixam tenuit diu firmam: vt meditantes facere ſolent: huiuſmodi enim tam fixio, quàm mora deſcribitur. Vers. 11.

Flenitque vir Dei.] Fletus ipse subsecutus testatur, quid quasi raptus contemplatus fuerit Elisæus: videlicet, futura mala populi Israël. Et fortè illa immobilitas faciei cù tanta mora fuit diuinitùs tunc facta ad reuelandum tunc Elisæo huiusmodi futura mala in specie. Et mora longior fuit: quia Elisæus tentauit supplicando Deo, si posset reuocari hæc sententia aduersùs etiam innocentes Israëlitas: sed videns firmatam esse diuinam sententiam, prorupit in fletum compassionis.

Eliæi prolata sententia cõtra Benadad mouetur meditans, & deinde fletu cur.

Vers. 12. *Cui Chazael ait: Quare dominus meus flet? Et ait: Quia noui, quod facturus sis filiis Israël malum: munitiones eorum succendes igne, & iuuenes eorum interficies gladio, & parvulos eorum allides, & prægnantes eorum diuides.*

Vers. 13. *Dixitque Chazaël: Quid est enim seruus tuus canis, vt faciat rem hanc magnam?*] Modus loquendi illius temporis est ad significandum se infimum relatiuè ad tam magnum opus.

Modus loquendi ad significandũ se infimũ ad aliquod opus.

Et ait Elisæus: Ostendit mihi Dominus te Regem Syriæ fore.] Ecce executio, pro qua venerat, quæ præcepta fuerat Eliæ: nam ex iniunctione Eliæ Elisæus sic vngit Hazaelem in Regem Syriæ: prædicta priùs punitione Israëlis idololatræ per eum iuxta reuelationem factam Eliæ in monte Horeb.

Vers. 14. *Recessitque ab Elisæo, & venit ad dominũ suum: qui ait ei: Quid tibi dixit Elisæus? At ille respondit: Dixit mihi: Recipies sanitatem.*] Hebraïcè habetur: *Humendo viues.* Hinc enim apparet probanda lectio suprædicta verborum Eliæi.

Vers. 15. *Cumque venisset dies altera, tulit stragulum, & infudit aquam.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit in crastino, & tulit puluinar, & intinxit illud in aqua.*

Et expandit super faciem eius, & mortuus est.] Manifestè describitur suffocatio Regis ab Hazaele facta. Et modus suffocandi valdè congruit; tum ne vestigium aliquod violentæ mortis appareret; tum ne clamare Rex posset, aqua cum puluinari superiecto tollente vocem.

Suffocandi modus, quo Hazael vsus in Benadad.

Et regnauit Chazael pro eo.] Ecce ratio suffocandi Regem: & sic verificata sunt dicta Eliæi.

Vers. 16. *Anno autem quinto Ioram, filij Ach-ab, Regis Israël, regnauit Iehoram filius Iehosaphat, Regis Iehudæ.*] Quæstiones duæ hinc oriuntur, altera ex eo, quòd in calce primi capituli scriptum est de isto Ioram, filio Ach-ab, quòd regnauit anno secundo Ioram, filij Iosaphat: quomodo ergo modò Ioram filius Iosaphat regnauit anno quinto Ioram, filij Ach-ab? Altera est ex eo, quòd in principio capituli tertij scriptum est, Ioram filium Ach-ab regnasse decimooctauo anno Iosaphat: hinc enim sequitur, quòd Ioram filius Iosaphat, non quinto, sed septimo anno Ioram filij Ach-ab regnauerit: nam Iosaphat regnauit annis vigintiquinque, vt in capitulo vltimo tertij libri scriptum est. Solutio vtriusque quæstionis consistit in distinctione modi regnandi: vterque siquidem Ioram regnauit duobus modis: primùm corregnando, deinde succedendo. Ioram enim, filius Iosaphat, corregnauit patri à decimoseptimo anno paterni regni, vsque ad vigesimumquintum: deinde regnauit succedens patri. Similiter Ioram, filius Ach-ab, primum corregnauit Ochoziæ fratri decumbenti ob casum per cancellos à decimooctauo anno Iosaphat vsque ad vigesimum: deinde regnauit succedens fratri. Ex his enim patet in primis solutio primæ quæstionis; videlicet, quòd in primo capitulo fuit sermo de regno per modum corregnandi: & verè dictum est, quòd Ioram, filius Ach-ab, per modum corregnandi fratri regnauit anno secundo corregni Ioram, filij Iosaphat: in hoc verò capitulo sermo est de regno successionis, & supputatio fit è contra; videlicet, quòd anno quinto ab initio, quo successit Ioram in regno Israël, successit Ioram in regno Iudæ: erat enim annus ille quintus, annus vigesimusquintus regni Iosaphat, quo mortuus est. Patet quoque solutio secundæ quæstionis: quoniam in capitulo tertio est sermo de regno Ioram, filij Ach-ab, per modum corregnandi: hîc autem est sermo de regno per modum succedendi: & propterea quinque tantùm anni supputantur vsque ad mortem Iosaphat.

Duæ quæstiones super annis regni vtriusque Ioram soluuntur.

3. Reg. 22.

Filius triginta duorum annorum erat, cùm regnare cœpit: & octo annis regnauit in Ierusalaim. Vers. 17.

Ambulauitque in via Regum Israël, sicut fecerat domus Ach-ab.] hoc est, in idololatria cultus Bahal, quam introduxerat domus Ach-ab. Vers. 18.

Filia enim Ach-ab (nomine Hathal-ia) *fuit ei in vxorem: feceruntque malum in oculis Domini.*] Vxor Regis Iudæ causa dicitur iniquitatum Regis Iudæ: vxor enim idololatra facilè traxit virum ad idololatriam.

Vxor mala facilè coniugẽ ad malum trahit.

Noluit autem Dominus disperdere Iehudam propter Dauid seruum suum: sicut dixerat ei, quòd daret ei lucernam, filiis eius omnibus diebus.] Inserit hæc Author ad insinuandum, quòd quamuis peccata Regis, & consequenter populi mererentur destructionem; Deus tamen propter Dauidem non destruxit eos. Vers. 19.

In diebus eius defecit Edom à Iehuda.] Quamuis Deus abstinuerit à destructione; puniuit tamen priuatione Idumææ, quam possederant Reges Iudæ à tempore Dauidis. Vers. 20.

Et constituit sibi Regem.] Hinc apparet, quod superiùs diximus, non fuisse verum Regẽ eum, qui in capitulo tertio nominatus est Rex Edom, vt ibi declarauimus: tempore enim Ioram incepit Idumæa iterum habere Regem, sicut habebat ante tempora Dauidis.

Transiuitque Ioram in Sehir, & omnes currus cum eo.] Eandem intellige nationem nomine *Sehir*, & nomine Idumææ. Vers. 21.

Sehir, & Idumæa, eadem regio.

Surrexitque nocte, & percussit Idumæos, qui eum circundederant, & Principes curruum.] Prudentia Ioram describitur, quâ industria, cùm esset cum exercitu suo obsessus ab Idumæis, se liberauerit: videlicet, aggrediendo hostes nocte, tanquam ex improuiso.

Populus autem (Idumæus) *fugit in tentoria sua.*

Et defecit Edom à Iehuda vsque ad diem hanc.] Victoria Ioram in campo non sufficit ad subiiciendum iterum Idumæam; sed libera à Regibus Iudæ mansit. Vers. 22.

Tunc defecit & Libna.] Ciuitas (vt aiunt) propinqua Idumææ.

Libna, quæ ciuitas.

In tempore illo.

Reliquum autem verborum Ioram, & omnia, quæ fecit: nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iehudæ? Vers. 23.

Et dormiuit Ioram cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid: regnauitque Achazia filius eius pro eo. Vers. 24.

Anno duodecimo Ioram, filij Ach-ab Regis Israel, regnauit Achaz-iahu, filius Iehoram Regis Iehudæ. Vers. 25.

Filius viginti duorum annorum erat Achaz-iahu, Vers. 26.

cum

cùm regnare cœpit.] Quæstio de ætate huius Ochoziæ, cùm incepit regnare, tractanda est
2. Paralip. 22. in 2. Paralip. cap. 22. vbi dicitur oppositum.

Et anno vno regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Hathal-iahu, filia Homri, Regis Israël.]
Hathalia, cuius fuit filia. Quæstio oritur ex eo, quòd in hoc eodem capitulo ista dicta est filia Ach-ab. Solutio est, quod fuit filia naturalis Homri, patris Ach-ab: ac per hoc soror ipsius Ach-ab: superiùs autem nominata est filia Ach-ab, quia tanquam filia ab ipso Ach-ab alita fuit: & præcipuè, quia quatenus causa idololatriæ mariti fuit, erat filia Ach-ab: traxerat enim maritum ad cultum Bahal, quem Ach-ab introduxerat.

Vers. 27. *Et ambulauit in via domus Ach-ab, & fecit malũ in oculis Domini, sicut domus Ach-ab: gener enim domus Ach-ab fuit.*] Nõ dixit, gener enim Ach-ab: sed dicendo, *gener domus Ach-ab*, manifestat vxorem Ochoziæ fuisse de domo Ach-ab. ad hoc enim subiuncta hæc verba sunt, vt intelligeremus, quòd mater eius procurauit, quòd filius haberet vxorem è domo ipsius matris, vt pleniùs dominaretur ipsa mater.

Vers. 28. *Abiit quoque cum Ioram filio Ach-ab, ad bellum contra Chazael Regem Syriæ in Ramoth Ghilhad.*] Superfluit præpositio, *cum*: quanuis secundum historiam verum etiam sit, Ochoziam iuisse cum Ioram, vt Paralipomenon testatur.

Et vulnerauerunt Syri Ioram.

Vers. 29. *Qui reuersus est.*] Relicto exercitu in Ramoth Ghilhad.

Vt curaretur in Iizrehel à vulneribus, quibus vulnerauerunt eum Syri in Rama, dum pugnaret contra Chazael Regem Syriæ. Porrò Achaz-iahu filius Ieboram, Rex Iehudæ, descendit ad videndum Ioram filium Ach-ab in Iizrehel.] Diuino iudicio deducente eum, vt occideretur propter idololatriam cum ipso Ioram Rege Israël, & vniuersa domo Ach-ab: siquidem & ipse ex domo Ach-ab natus erat ex parte matris.

Diuinũ iudicium in Ochoziam.

Quia ipse agrotabat.]

CAPVT IX.

Vers. 1. *Eliseh autem Propheta vocauit vnum de filiis Prophetarũ, & ait ei: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Ghilhad.*]

Lenticula, apud Hebræos quid. Ne ponderes lenticulæ nomen: quoniam Hebraicè vasculum solitum ad gestandum oleum absque figura, tam lentis, quàm alia quacunque, significatur.

Vers. 2. *Cúmque veneris illuc, videbis Iehu, filium Iehosaphat, filij Nimsi.*] Mittit Elisæus ad exequendum aliud iniunctum sibi ab Elia; vnctionem, videlicet, Iehu in Regem Israël.

Ingressúsque suscitabis eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Facies surgere eum de medio fratrum suorum.* prædicit enim, quòd inueniet eum sedentem inter amicos, (quos fratres vocat,) & mandat, vt faciat eum surgere.

Et introduces ad cubiculum in cubiculo.] Consulit suo nuncio Elisæus mandando, vt nõ publicè, sed in loco secreto vngat in Regem Iehu: ne, videlicet, aliquid nocumenti inferretur illi, vtpote contra domum regiam agenti.

Vers. 3. *Tollésque lenticulam olei, & fundes super caput eius: & dices: Sic dixit Dominus: Vnxi te in Regem super Israël.*] Ex tribus vnctionibus mandatis à Deõ Eliæ, hæc sola legitur impleta in forma vnctionis: nam neque Elisæus ipse, neque Hazael vnctus vnquam legitur.

Vnctio Iehu sola impleta est ex tribus mandatis à Deo Eliæ.

Aperiésque ostium, & fugies, & non expectabis.] Supradicta ratione hæc mandantur.

Vers. 4. *Abiit ergo adolescens puer Prophetæ.*] Hebraicè habetur: *Et iuit puer, puer Prophetæ in Ramoth Ghilhad.* Nomen pueri apud Hebræos valdè extenditur: nam & milites pueri vocantur. Iuuenis itaque erat iste discipulus Prophetarum, non quicunque, sed ministri Prophetæ Elisæi, cuius nomen nescitur: quanuis Hebræi dicant hunc fuisse Ionam Propheta.

Pueri significatio apud Hebræos multiplex.

Ionas Propheta fuit minister Eliæ.

Vers. 5. *Ingressúsque est: & ecce Principes exercitus sedebant, & ait: Verbum mihi ad te, ô Princeps. Dixítque Iehu: Ad quem ex omnibus nobis? Et dixit: Ad te, ô Princeps.*

Vers. 6. *Et surrexit, & ingressus est in domum, & fudit oleum super caput eius: dixítque ei: Sic dixit Dominus Deus Israël: Vnxi te in Regem super populum Domini, super Israel.*

Vers. 7. *Et percuties domum Ach-ab domini tui: & vltiscar sanguinem seruorum meorum Prophetarum & sanguinem seruorum meorum Prophetarum & sanguinem omnium seruorum Domini de manu Izebel.*] Non addidit puer hæc de percussione domus Ach-ab ex seipso, sed Elisæus mandauerat ei, vt hæc subiungeret: & propterea voluit in loco secreto hæc dici contra Ioram Regem Israël. Et in hoc aperitur finis, quare Deus elegerit ipsum Iehu in Regem: videlicet, ad exterminandum domum Ach-ab. Et hinc absque peccato Iehu interfecit vniuersam domum Ach-ab: diuina enim authoritate fultus erat. Profuit quoque hæc reuelatio ad hoc, vt credibilis fieret hæc prophetia: sciebant enim scelera domus Ach-ab, & crudelitatem eorum aduersùs seruos Dei: consentaneúmque rationi erat, vt Deus vltionem mandaret.

Iehu non peccauit interficiẽdo vniuersam domũ Achab.

Vers. 8. *Perdámque tota domus Ach-ab, & excidam de Ach-ab mingentem ad parietem, & clausum, & nouissimum in Israël.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et retentum, & derelictum in Israël.* vt enim pluries iam expositum est, extéditur prophetia diuinæ vltionis etiam ad populum Israël, inchoando ab iis, qui sunt in frequentia hominum, vsque ad eos, qui pro derelictis habentur. Nec hanc vltionem dicit efficiendam à Iehu; sed ipse Deus prædicit se facturum.

Retentus, & derelictus in Israël, quid.

Vers. 9. *Et dabo domum Achab, sicut domum Ieroboã filij Nebat; & sicut domũ Bahasa, filij Achi-a.*] Vtræque enim istæ familiæ regiæ videlicet, Ieroboã, & Bahasæ,) diuino iudicio extinctæ fuerãt gladio: quibus addita est tertia domus Ach-ab.

Vers. 10. *Izebel quoque.*] Relictam Ach-ab, quæ fuerat causa omnium malorum.

Comedent canes in agro Iizrehel, & non erit sepeliens. Aperuítque ostium, & fugit.

Vers. 11. *Iehu autem egressus est ad seruos domini sui.*] Principes exercitus, à quorum consensu recesserat.

Qui dixerunt ei: Rectène sunt omnia?] Hebr. habetur: *Num pax?* pace enim bona significant.

Pax, bona significat Hebr.

Cur venit insanus iste ad te?] Verificatur scriptũ in Sapientia: *Nos insensati vitã illorũ æstimabamus insaniã.* nam insanũ appellant discipulũ Prophetarum, eò quòd proficerétur Prophetarũ filij futuræ vitæ studium, vacando diuinis laudibus.

Sapient. 5. 4.

Filij Prophetarum insani appellati ab impiis

Qui ait eis: Nostis virum.] Quia ille discipulus Prophetarum minister erat Elisæi, optimè noti in Regis Curia; ideò dicit: Nostis hominem, vtpote qui vidistis eum cum Elisæo.

Et quid locutus sit.] hoc est, & consequenter nostis, quid dixerit, putà congruentia sibi.

Vers. 12. *Et dixerunt: Falsum est.*] Non primum, sed secundum: vnde & subiungitur.

Indica, quaso, nobis.] Quid dixerit.

Qui ait eis: Hæc, & hæc locutus est mihi.] Intellige vniuersam suprascriptam prophetiam comprehendi ab Authore sub aduerbiis, *sic*, & *sic*: quæ Interpres vertit in pronomina non semel, aut sæpè, sed infinities.

Hæc, & hæc pro sic, & sic infinities ponitur in Scriptura.

Et ait: Sic dixit Dominus: Vnxi te in Regem super Israël.

Vers. 13. *Festinauerũt itaque, & tulerunt vnusquisque pallium suum, & posuerunt sub pedibus eius in simus tudinem tribunalis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Sub eo in esse graduum.* Per ossa graduum, sustentantia gradus, significantur tecta vestibus ad ornatum in honorem noui Regis sedentis in summitate illorum graduum: vt per hoc intelligeremus, vniuersos gradus opertos vestibus.

Ossa graduũ, quid.

Et clanxerunt tuba, atque dixerunt: Regnabit.] Legendum est: *Regnauit Iehu.* acclamatur enim iam institutus Rex.

Vers. 14. *Coniurauit ergo Iehu, filius Iehosaphat, filij Nimsi, contra Ioram.*] Ne putarentur ludicra gesta hæc, inscribitur coniuratio Iehu cum Principibus exercitus contra Ioram, Regem Israël: Deus enim operabatur in animis eorum. Nec coniuratio ista fuit coniuratio mala: quoniam Iehu iam diuina authoritate institutus erat Rex cum mandato aduersùs domum Ach-ab, cuius filius erat Ioram Rex Israël.

Coniuratio Iehu contra Ioram non fuit mala.

Porrò Ioram obsederat Ramoth Ghalahad ipse, & omnis Israel, contra Hazael Regem Syriæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Ioram fuit custos in Ramoth Ghilhad ipse, & omnis Israël, a facie Chazaëlis Regis Syriæ.*] Iunge, prudens lector, isti literæ, tum suprascripta de aduẽtu pueri in Ramoth, & ingressu in internum cubiculum, & de gradibus: tum subiuncta paulò inferiùs verba Iehu (videlicet, quòd non egrediatur aliquis ex ciuitate;) & perpendes præsupponi in hac historia ciuitatem Ramoth fuisse tunc ipsius Regis Israël: & propterea scribi, quòd Ioram, Rex Israël, fuit custos in Ramoth Ghalahad à facie Hazaëlis attentãtis capere ciuitatem ipsam: bellum enim defensiuũ ipsius ciuitatis significatur dicendo: *Et fuit custos in Ramoth à facie Regis Syriæ.* Nisi enim ciuitas fuisset tunc Regis Israël, nequaquã cauisset Iehu, ne aliquis egrederetur è ciuitate ad annunciandum Ioram, Regi Israël. Quando autem Ioram recuperauerit ciuitatem Ramoth, non est scriptum: rationi tamen consentaneum est, vt occiso Ben-hadad Rege Syriæ, vacante Hazaële ad occupandum regnum, Ioram recuperauerit ciuitatem Ramoth.

Ramoth, ciuitas erat Regis Israël.

Vers. 15. *Et reuersus fuerat Ioram Rex, vt curaretur in Izrehel à vulneribus, quibus vulnerauerant eũ Syri, cùm pugnaret contra Chazael, Regẽ Syriæ.*] Quanuis non perdiderit ciuitatem Ramoth, vulneratus tamen fuit ibidem in bello defensiuo: & relicto exercitu ibidem ad custodiã ciuitatis, reuersus est in Izrehel, vt curaretur à vulneribus.

Et dixit Iehu: Si est voluntas vestra, nemo egrediatur profugus de ciuitate.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Non egredietur euasor è ciuitate, vt vadat ad annunciandum in Izrehel.* Sciebat enim non posse esse, quin aliquis amicus Regis Ioram annunciaret ei, si liberum haberet egressum è ciuitate: & propterea tanquàm euadens ex coniuratione eorum timetur aliquis egrediens è ciuitate. Et hinc (vt dictum est) patet, quòd ciuitas erat ipsius Regis Israël.

Et ascendit.] Hebraicè habetur: *Et equitauit Iehu.* vt celeriùs iret. Vers. 16.

Et perfectus est in Izrehel: Ioram enim decumbebat ibi, & Achaz-iahu Rex Iehudæ descenderat ad visitandum Ioram.

Speculator autem stabat super turrim in Izrehel.] Tempus enim belli inter Ioram, & Hazaëlem exigebat speculatorem. Vers. 17.

Et vidit globum Iehu venientis, & ait: Ego globum video. Dixitque Ioram: Tolle currum.] Iuxta Hebræũ habetur: *Tolle equitem.* nulla fit mentio currus.

Et mitte in occursum eorum, & dicat: Rectène sunt omnia.] Iuxta Hebræum habetur: *Num pax?* More solito loquuntur.

Abiit igitur, qui ascenderat currum.] Hebraicè habetur, *equitator equi.* velocior cursu. Vers. 18.

In occursum eius: & ait: Sic dixit Rex: Pacatáne sunt omnia?] Lege, vt suprà: *Num pax?* timebat enim ne esset globus hostium.

Dixitque Iehu: Quid tibi, & paci? Gyra post me.] Non respondet Regi, sed nuncio. Non tua interest pax, aut bellum; sed sequere me.

Nunciauitque speculator dicendo: Venit nuncius vsque ad eos, & non reuertitur.

Et misit currum equorum secundum.] Hebraicè habetur, *equitatorem equi secundum.* Et similiter corrige subiuncta. Vers. 19.

Venitque ad eos, & ait: Sic dixit Rex: Num pax? Dixitque Iehu: Quid tibi, & paci? Gyra post me.

Nunciauitque speculator, dicendo: Venit vsque ad eos, & non reuertitur: est autem incessus.] Rectiùs legeretur, ducatus: nam de toto globo loquitur: nec discernebat incessum vnius; sed totius globi: & propterea ducatum globi furiosum vidẽs diuinauit, quòd esset ducatus Iehu, soliti ducere globũ suum furiosè. Legendum est ergo: *Et ducatus sicut ducatus Iehu filij Nimsi, quia furiosè ducet.* hoc est, quia furiosè perseuerat ducendo. Vers. 20.

Dixitque Ioram: Iunge currum. Et iunxit currum eius: & egressus est Ioram Rex Israël, & Achaz-iahu Rex Iehudæ, vnusquisque in curru suo, & egressi sunt in occursum Iehu, & inuenerunt eum in agro Naboth Izrehelitæ.] Vide diuinæ prouidentiæ factum mirabile. Vers. 21.

Diuina prouidentia facti mirabile.

Cùmque vidisset Ioram Iehu, dixit: Pax est Iehu?] Hebraicè clariùs habetur: *Num pax Iehu?* Verè excæcatus Rex apparet, adhuc quærendo: Num pax? Vers. 22.

Et dixit: Qua pax? adhuc.] Legendum est: *Qua pax, donec fornicationes Izebel matris tuæ.* Impossibile est, quòd sit pax in Israël, quandiu durat multitudo scelerum matris tuæ. Et verum dixit iuxta dicta Prophetarum, Eliæ, & Elisæi. Fornicationes autem multiplicatam idololatriam appellat: eò quòd in sacris literis idololatria appellatur fornicatio animæ cum iis, qui non sunt Dij, ad instar mulieris fornicantis contra ius matrimonij: sic enim animæ fornicantur contra ius Dei.

Idololatria fornicatio animæ appellata.

Et veneficia eius multa vigent.] Legendum est: *Et maleficia eius multa.* Et verè maleficia Izebel accusantur post illius idololatrias: quia mala multa, & magna fecit seruis Dei, & innocentibus ex sua idololatria, & mala voluntate, & sortilegiis, à quibus maleficia nominantur.

Versus autem Ioram manum suam, & fugit: dixitque ad Achaz-iahu: Insidiæ, Ochosia.] Hebraicè habetur: *Dolus, Achaz-iahu.* Dolum iudicat: Vers. 23.

&

& verè, nisi diuina assuisset authoritas.

Vers. 24. *Porro Iehu implenit manum suam arcu: & percussit Iehoram inter scapulas.*] Hebraïcè habetur, *inter brachia eius*, in loco magis propinquo cordi.

Et egressa est sagitta per cor eius: statimque corruit.] Hebraicè habetur: *Et genuflexit in curru suo.* hoc est, super genua cecidit in ipso curru.

Vers. 25. *Dixitque Iehu ad Badacher ducem.*] Legendum est, *ad Ridcar ducem suum.* Ducis nomine intellige quencunque principatum: erat enim ille vnus ex Principibus exercitus, qui cum eo conjurauerat.

Tolle proiice eum.] Legendum est: *Fac proiicere eum.* proculdubiò per ministros.

In partem agri Naboth Iizrahelitæ: memini enim, quando ego, & tu sedentes in curru sequebamur Ach-ab patrem huius.] Iuxta Hebræum habetur, *equitantes pares post Ach-ab patrem eius.* Sed Interpreti valdè amicus fuit currus.

Quòd Dominus onus hoc leuauerit super eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Iehouah eleuauit super eum eleuationem istam*, Quia exaltatio diuinæ iustitiæ est punitio iniquorum; ideò de vindicta hac dicitur, quòd eleuauit Dominus eleuationẽ istam, quãdo prophetata fuit per Eliã.

Vindicta diuina vocatur onus, & eleuatio.

Vers. 26. *Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius, quem vidi heri, dicit Dominus.*] Legendum est:

Si non sanguines Naboth, & sanguines filiorum eius vidi vespere, dixit Iehouah; & reddam tibi in agro isto, dixit Iehouah. Verba fuerunt Eliæ ad Ach-ab, postquàm occiderat Naboth. Commemoratur autem hic occisio filiorum Naboth, tacita in libro tertio. Nec est quærenda ratio legis: quoniam tyrannicè occisi sunt, vt fiscus succederet in agro Naboth. Quòd autem dicitur ad Ach-ab: *Reddam tibi in agro isto Naboth*, non fuit adimpletum in persona Ach-ab; sed filij eius Ioram Regis: quia pœnitente ipso Ach-ab, transtulit Deus vindictam prophetatam in filium: vt in calce capituli vigesimi secundi, tertij libri scriptum est.

Punitio patris pœnitentis transfertur in filium.

3. Reg. 22.

Nunc igitur tolle, fac proiicere eum in agrũ iuxta verbum Domini.] Translatum in filium Ach-ab.

Vers. 27. *Achaz-ia autem, Rex Iehudæ, videns hoc, fugit per viam domus horti: persecutúsque est eum Iehu, & ait: Etiam hunc percutite in curru suo.*] Superfluit, *suo.* Quia non poterat comprehendere eum; mandauit, vt sagittis impeterent fugientem: erat enim etiam Ochozias de domo Ach-ab ex parte matris: & propterea meritò percuti iubetur à Iehu destinato ad exterminium domus Ach-ab.

Et percusserunt eum.] Istæ tres dictiones non habentur in Hebræo: sed immediatè sequitur:

In ascensu Gur, quæ est iuxta Ibleham.] Locus describitur, vsque ad quem persecutus est Iehu Ochoziam: an autem fuerit tunc percussus, scriptum non est.

Et fugit in Megiddo.] Euasit ergo tunc. Megiddo autem regia ciuitas olim fuerat: vt legitur Iosuæ 12.

Megiddo, ciuitas regia. Iosuë 12.

Et mortuus est ibi.] Tacentur hîc tria præcedentia mortem Ochoziæ: videlicet, quòd latuit in Samaria, & quòd adductus est ad Iehu, & quòd Iehu interfecit eum: hæc enim tria scribuntur in secundo lib. Paralip. cap. 22. tacito loco mortis: qui quoniam hîc explicatur, manifestat, quòd Ochozias ex Samaria adductus est ad Iehu in Megiddo: & tunc occisus ab eo, mortuus est ibi, & non prima vice, quando ipse fugerat in Megiddo.

2. Paralip. 22.

Et retulerunt eum serui eius in Ierusalaim: & sepelierunt eum in sepulcro suo cum patribus suis in ciuitate Dauid. Vers. 28.

Et anno vndecimo Ioram, filij Ach-ab, regnauit Achaz-ia super Iehudam.] Quæstio statim oritur ex eo, quòd in præcedenti capitulo dictum est, quòd anno duodecimo istius Ioram, filij Ach-ab, regnauit Ochozias super Iudam: quomodo ergo nunc dicitur, quòd anno vndecimo eiusdem regnauit? Solutio est, quòd vtrumque est verum diuersimodè: nam anno vndecimo regnauit corregnando patri grauissima ægritudine laboranti, vt scribitur in Paralipomenon: anno verò duodecimo regnauit succedens patri defuncto. Vers. 29.

Controuersia dirimitur de anno regni Ochozia.

Venitque Iehu in Iizrehel. Vers. 30.

Porrò Izebel, introitu eius audito, depinxit oculos suos stibio.] Hebraïca litera sonat, quòd posuit nescio quid fuci in oculis suis: & propterea non fiat vis in verbis: clarum est enim, quòd ad ornatum apposuit, quicquid posuit: vt ornatus capitis subiunctus testatur.

Et ornauit caput suum.

Et respexit per fenestram ingredientem Iehu per portam.] Palatium regium in platea iuxta portam ciuitatis (vtpote nobilissimo loco) erat: & ideò Izebel è fenestra vidit Iehu ingredientem ciuitatem. Vidit autem sic ornatam, non libidinis, sed maiestatis gratia: vt subiuncta verba testantur. Vers. 31.

Et ait: Nunquid pax potest esse Zimri?] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Num pax Zimri occidens dominum suum?* In tertio lib. c. 16. narratum est, quòd Zimri occidit Elam Regẽ Israël dominum suum, vniuersámque domum Bahasæ: & quòd septem diebus regnauit, succenditque seipsum capta ciuitate ab Homri patre Ach-ab. Opprobrando itaque assimilat Izebel Zimri Iehu: vtpote imitatorem eius, in hoc, quòd occidit Regem dominum suum: & comminatur futurum ei bellum statim ad ipsius ruinam, quemadmodum euenit Zimri, dicendo: *Num pax.* Intendit enim negatiuam. Vnde de commoto statim Iehu subiungitur:

3. Reg. 16.

Izebel opprobrãdo assimilat Iehu Zimri.

Leuauitque faciem suam ad fenestram, & ait: Quæ est ista.] Hebraïcè habetur: *Quis mecũ quis?* non interrogauit, quænam esset, (quoniã agnoscebat eam:) sed excitauit ministros ipsius Izebel cum ipsa existentes, sciscitando quis eorum consentiret ipsi Iehu. Vnde & subditur: Vers. 32.

Et inclinauerunt se ad eum duo, vel tres eunuchi.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et respexerunt ad eum duo, tres eunuchi.* Sic iacet in Hebræo: hoc est, & respexerunt ad eum, tanquàm offerentes seipsos ad obsequium illius, primùm duo, deinde superuenit tertius ad fenestram domus regiæ.

Et dixit: Præcipitate eam. & præcipitauerunt eam: aspersúsque est sanguine paries, & equorum vngulæ.] Hebraïcè habetur, *& equi* aspersi sunt sanguine. Deinde sequitur: Vers. 33.

Et calcauerunt eam.] Potest tamen legi: *Et calcauit eam.* vtroque tamen modo significatur, quòd multitudo equorũ calcauit eam: & fortè ipsemet Iehu equo suo calcauit eam primus.

Cumque introgressus esset, vt comederet, atque biberet, ait.] Legendum est: *Et venit, & comedit, & bibit, & dixit.* Post prandiũ enim dixit subiũcta. Vers. 34

Ite, & videte.] Hebraïcè habetur: *Ordinate nunc maledictamistam, & sepelite eam.* Disponi de sepultura, & sepeliri mandat.

Quia filia Regis (Sidoniorũ) *est.*] Non detulit regiæ domui Ach-ab, sed Regi Sidoniorũ.

Vers. 35. *Iuerúntque, vt sepelirent eam: & non inuenerunt ex ea nisi caluariam, & pedes, & palmas manuum.*

Vers. 36. *Reuersíque sunt, & nunciauerunt ei: & ait Iehu: Sermo Domini est, quem locutus est in manu serui sui Eli-iahu Thisbita dicendo: In agro Iizrehel comedent canes carnes Iezebel.*

Vers. 37. *Et erit cadauer Iezebel sicut stercus super faciem terræ in agro Iizrehel: ita vt præterèuntes dicant: Haccine est illa Iezebel.*] Iuxta Hebræum habetur: *quòd non dicent: Ista Iezebel.* Ex eo, quòd cadauer Iezebel derelictum, vt fimus agri est, & canes comederunt ferè totum illius corpus, consequens fuit, vt non demonstraretur amplius Iezebel: & propterea verificata est prophetia, quòd non erunt dicentes: *Ista Iezebel:* quia nec cadauer eius demonstrabile erit.

CAPVT X.

Vers. 1. ERANT *autem Ach-ab septuaginta filij in Someron: scripsítque Iehu literas, & misit in Someron ad Optimates ciuitatis, & ad maiores natu.*] Iuxta Hebræum habetur: *Ad Principes Iizrehel senes, & ad nutritios Ach-ab dicendo.*] Quia Samaria erat ciuitas regia, ideò magnates Iizrehel erant in Samaria tanquàm Optimates regni: nutritij autem Ach-ab appellantur illi, qui nutriebant filios Ach-ab.

Nutritij Achab, *qui dicantur.*

Vers. 2. *Statim cum acceperitis literas has, qui habetis filios domini vestri, & currus, & equos, & ciuitates firmas, & arma.*

Vers. 3. *Eligite optimum, & rectíssimum filiorum domini vestri, & ponite eum super solium patris sui, & pugnate pro domo domini vestri.*] Optionem eis dat pacis, vel belli.

Vers. 4. *Timuerúntque vehementer.*] Hebr. habetur, *valdè valdè.* vt intelligamus magnitudinẽ timoris.

Et dixerunt: Ecce duo Reges non steterunt coram eo, & quomodo stabimus nos?

Vers. 5. *Miserúntque præpositi domus, & præpositi ciuitatis, & senes, & nutritij ad Iehu dicendo: Serui tui sumus, & omnia, quæ dixeris nobis, faciemus: non constituemus nobis Regem: quicquid bonum est in oculis tuis, fac.*

Vers. 6. *Scripsit autem eis litteras secundas dicendo: Si mei estis, & voci meæ obeditis, tollite capita virorum filiorum domini vestri, & venite ad me hac eadem hora cras.*] Iuxta Hebræum habetur: *Sicus tempus crastini diei in Iizrehel.* nihilque dicitur de hora. Phrasis autem Hebraicæ est, hoc modo significare tempus. *Porro filij Regis septuaginta viri apud Optimates ciuitatis nutriebantur.* Legendum esset, *grandescebant.* insinuatur enim hinc, quòd pueri erant.

Hebræi quomodo significent tempus.

Vers. 7. *Cúmque veníssent literæ ad eos, tulerunt filios Regis, & iugulauerunt septuaginta viros: & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Iizrehel.*

Vers. 8. *Venit autem nuncius, & indicauit ei dicendo: Attulerunt capita filiorum Regis: & dixit: Ponite ea in duobus aceruis iuxta introitum portæ vsque mane.*

Cúmque diluxísset, egressus est, & stans dixit ad totum populum: Iusti estis.] Hebraicè habetur, *Iusti vos.* hoc est, vos habemini iusti nemini nocentes: ac per hoc vos inuoco Iudices, & testes subiunctorum. Vers. 9.

Si ego.] Legendum est: *Ecce ego coniurani contra dominum meum, & interfeci eum, & quis percussit omnes hos?* Proponit è regione gestorum à se, occisionem filiorum Regis à propriis amicis Regis: vt populus conferendo hæc gesta, capax reddatur, quòd diuina est authoritate factum totum contra domum Ach-ab: & propterea subiungit intentam conclusionem.

Videte ergo nunc, quod non cecidit de sermonibus Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Scitote nunc, quod non cadet ex sermone Iehouah in terram, quem locutus est Dominus contra domum Ach-ab.* hoc est, quòd nihil sermonis Domini cecidit à veritate: ad dissimilitudinem enim gestarum rerum, quarum aliquid cadens in terram perit, loquitur. Vers. 10.

Et dominus fecit, quod locutus est in manu serui sui Eli-iahu.

Dissimilitudo indicant veritatem diuini sermonu.

Percussítque Iehu omnes, qui remanserant de domo Ach-ab in Iizrehel, & omnes Optimates eius, & notos eius, & Sacerdotes eius: donec non remãsit ei superstes.] Declarata diuina sententia contra domum Ach-ab, processit ad vlteriorem cladem. Vers. 11.

Et surrexit, & iuit in Someron: venítque ad cameram pastorem.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *ad domum officinæ pastorum in via.* Communi vocabulo officinæ vtimur: quia caremus proprio correspondente Hebraicæ dictioni. Vers. 12.

Et Iehu inuenit fratres Achaz-iahu, Regis Iehudæ.] Fratres appellantur filij fratrum, & amici ex Iuda, vt Paralipomenon manifestat. Vers. 13.

Fratres, *qui appellentur.*

Et dixit: Qui estis? Qui responderunt: Fratres Achaz-iahu sumus, & descendimus ad salutandum filios Regis, & filios Reginæ.] Nesciebant isti occisos esse filios Regis.

Et dixit: Comprehendite eos vivos. Comprehenderúntque eos vivos; & iugulauerunt eos in cisterna iuxta cameram.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *In puteo domus officinæ quadraginta duos viros, & non reliquit ex eis quenquam.* iugulati enim narrantur, vbi sunt inuenti, tanquam fautores domus Ach-ab. Vers. 14.

Cúmque abisset inde, inuenit Iehonadab, filium Rechab, in occursum sibi.] Hic est pater Rechabitarum non bibentium vinum, quorum apud Ieremiam laus est. Vers. 15.

Iehonadab. pater Rechabitarum.

Et benedixit ei.] benedictione laudis pro vindicta aduersùs domum Ach-ab tam profanam.

Et ait ad eum: An est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Iehonadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille leuauit eum ad se in currum.

Et dixit: Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino. Et equitare fecit eum in curru suo. Vers. 16.

Venítque in Someron, & percussit omnes, qui remanserant de Ach-ab in Someron, donec deleret eum: iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Eli-iahu. Vers. 17.

Congregauítque Iehu totum populum, & dixit ad eos: Ach-ab coluit Baal parum; ego autem colam eum valdè.] Fuisse mendacium officiosum effectus testatus est, non casu; sed intentus & prædictus ad Ionadab, dicendo ei: *Veni, & vide zelum meum pro Domino.* At si quæris, Vers. 18.

Mendacium officiosum Iehu an fuerit perniciosum.

an mendacium hoc ratione scandali fuerit perniciosum; respondeo, quod mendacium hoc ex suo genere erat perniciosum, vtpote professio, quòd ipse Iehu esset cultor Bahal: sed ex intentione loquentis vna, eademque ratione excusatur à pernicie sui generis, & scandali: quia, videlicet, breuissimo tempore visuri erant vniuersi animum loquentis: hæc enim sufficere videtur ad excusandum mortale peccatũ mendacij officiosi coram Deo vid-nte cor loquentis à pernicie coram hominibus, qualis erat hæc: quia in verbis consistit nociuis apud homines nescientes sanctum finem loquentis: existimauit enim Iehu mendacium illud celerrimè profuturum diuinæ gloriæ; interum nec sibi, nec alteri nociturum: moram enim modici temporis pro nihilo reputauit.

Intentio mẽtis potest excusare a peccato mortali.

Parum pro nihilo reputatur.

Vers. 19. *Nunc igitur omnes Prophetas Bahal, omnes seruos eius, & omnes Sacerdotes eius vocate ad me: nullus desit: sacrificium enim grande est mihi Bahal: quicunque defuerit, non viuet. Porrò Iehu faciebat hoc insidiosè.*] Legendum esset, *cum fallacia.* de qua dictum est, & cuius finis subiungitur:

Vt disperderet cultores Bahal.

Vers. 20. *Dixitque Iehu: Sanctificate diem solẽnem Bahal.*] Hebraicè habetur: *Parate frequentiam Bahali.* hoc est, parate pro frequentia cultorum Bahal animalia, pro victima, & quæcunque paranda erant. Et hæc verba, & similia, quanuis sonent imperium actionum idololatrarum; intelligenda tamen sunt secundùm intentionem loquentis, non ad inducendum ad idololatriæ actus; sed ad dirigendum illorum idololatriam in vindictam intentam: quemadmodum verba Eliæ ad populum, & cultores Bahal, quòd sacrificarent Bahal, &c. vt in tertio libro scriptum est.

Verba sunt intelligenda secundùm intentionem loquentis.

Vocauitque.] Hebraicè habetur: *Et parauerunt.* Executio narratur.

Vers. 21. *Misitque Iehu in totum Israël, & venerunt omnes serui Bahal, non remansit quisquam, qui non venerit: ingressique sunt domum Bahal, & repleta est domus Bahal ab extremo vsque ad extremum.*

Vers. 22. *Dixitque ei, qui erat super vestes: Proser vestes omnibus seruis Bahal: & protulit eis vestes.*

Vers. 23. *Ingressus est autem Iehu, & Iehonadab filius Rechab, domum Bahal: & ait cultoribus Bahal: Perquirite, & videte, ne quis sit hîc vobiscum de cultoribus Domini; sed sint cultores Bahal soli.*

Vers. 24. *Ingressi sunt igitur, vt facerent victimas, & holocausta: Iehu autem posuerat sibi foris octoginta viros, & dixerat: Quicunque euaserit de hominibus, quos ego adduco ad manus vestras, anima eius erit pro anima illius.*

Vers. 25. *Et fuit, cùm completum esset holocaustum, præcepit Iehu militibus.*] Hebraicè habetur, *cursoribus, & ducibus.* Pedites militares, cursores appellat, tam hîc, quàm inferiùs.

Cursores, sunt pedites militares.

Ingredimini, & percutite eos; nullus euadat. Et percusserunt eos in ore gladij, & proiecerunt eos milites.] pro, *cursores, & duces.* Priuatio sepulturæ narratur: proiecerunt enim occisos inhumatos feris, auibus, & canibus.

Et ierunt in ciuitatem templi Bahal.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ierunt vsque ad ciuitates domus Bahal.* Sacellum Bahal in ciuitate Samariæ quodcunque lustrarunt ad destruendum.

Vers. 26. *Et extraxerunt statuam domus Bahal, & combusserunt, & comminuerunt eam.*] Ordo præposterus, familiaris Hebraïcæ phrasi: priùs enim comminuerunt, & postea combusserunt.

Ordo præpostorus familiaris est Hebræo.

Et diruerunt domum Bahal, & fecerunt ex ea latrinas vsque ad diem hanc. Vers. 27.

Deleuit itaque Iehu Bahalem de Israël. Vers. 28.

Veruntamen à peccatis Iarobham filij Nebat, qui peccare fecit Israëlem, non recessit Iehu: non reliquit vitulos aureos, qui erant in Beth-el, & qui erant in Dan. Vers. 29.

Dixit autem Dominus ad Iehu.] Quanuis non sit scriptus modus, quo Deus allocutus est Iehu; rationi tamen consentaneum est, vt per Eliæum Prophetam, qui eum vnxerat in Regem, dixerit subiuncta: Vers. 30.

Quomodo Deus allocutus sit Iehu.

Quia studiosè egisti quod erat, & placebat.] Iuxta Hebræum habetur: *Pro eo, quòd fecisti benè ad faciendum rectum in oculis meis, iuxta omnia, quæ erant in corde meo, fecisti domui Achab; filij quarti sedebunt tibi super solium Israël.* Non dicit pro eo, quòd benè locutus es: sed benefecisti: non laudat Deus verba, sed facta Iehu, quoniam facta fuerunt non solùm recta secundùm se; sed etiam bene facta: in verbis autem admixtum fuerat peccatum; saltem officiosi mendacij.

Laudat Deus facta, non dicta Iehu, cur.

Porro Iehu non custodiuit, vt ambularet in lege Domini Dei Israël in toto corde suo, non recessit à peccatis Iarobham, qui peccare fecit Israëlem. Vers. 31.

In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *In diebus illis cœpit Iehouah excidere in Israel.* Manifestat Author, quòd toties comminatam punitionem populi Israël, & quo idololatriam Ieroboham incepit, Deus exequi cœpit in diebus Iehu, excidendo multitudinem non paruam in Israël. Et manifestauit hoc Author; tum ne putares, Deum punire domus regias, & cultores Bahal; obliuisci autem populi idololatræ: tum vt intelligeremus prophetiam paulatim executioni mandari à Deo, vt haberet populus occasionem pœnitendi ab exemplo multitudinis tantæ fratrum suorum excisæ. Vers. 32.

Deus tempore Iehu incepit exequi comminatam punitionem populo Israël.

Percussitque eos Chazaël in omnibus finibus Israël.] Executio narratur prophetiæ, tum Eliæ, tum Elisæi, valdè extensa: vt subiuncta loca testantur. Et hæc fuit prima punitio populi Israël propter idololatriam inchoatam à Rege Ieroboam.

A Iarden ad ortum Solis totam terram Ghilhad, Gaditam, & Reubenitam, & Menassitam: ab Haroher, quæ est super torrentem Arnon, & Ghilhad, & Basan. Vers. 33.

Reliquum autem verborum Iehu, & omnia, quæ fecit, & fortitudo eius: nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israël? Vers. 34.

Et dormiuit Iehu cum patribus suis, & sepelierunt eum in Someron: regnauitque Ieho-achaz filius eius pro eo. Vers. 35.

Dies autem, quibus regnauit Iehu super Israël, vigintiocto anni sunt, in Someron.] Vers. 36.

CAPVT XI.

Athal-ia autem mater Achaz-iahu videns mortuum filium suum surrexit, & interfecit omne semen regium.] Non dicit, omne semen Dauidis: multi enim ex Dauide orti erant, qui non suppura- Vers. 1.

bantur cum semine regio: vtpote per tot generationes exclusi non solùm à successione in regno; sed etiam à cogitatione de regno, redacti in priuatos ciues, & fortè etiam paupere: vt facilè contingit in successu temporum.

Vers. 2. *Tulit autem Iosebah, filia Regis Ioram, soror Achaz-iahu Ioas filium Achaz-ie, & furata est eum de medio filiorum Regis, qui interficiebantur.*] Vide crudelitatem non humanam, sed ferinam: vtpote sæuientem in propriam sobolem, in filium filij infantulum.

Crudelitas ferina.

Ipsum & nutricem eius de triclinio.] Iuxta Hebræum habetur: *In aula lectorum.* Locus, vbi inuenit infantulum, & nutricem eius, describitur:

Et abscondérunt eum à facie Hathal-iahu, & non fuit interfectus.

Vers. 3. *Fuitque cum ea in domo Domini absconditus sex annis.*] Ne sis ita rudis, vt intelligas intra templum; sed in habitaculo, quod erat supra templum, quod cum templo supputabatur.

Porrò Hathal-ia regnauit super terram septem annis.] Superfluit, *septem annis.*

Vers. 4. *Anno autem septimo.*] ab occultatione infantuli.

Misit Ioho-iadah Pontifex.] Superfluit, *Pontifex:* quanuis verum sit, quòd erat Pontifex.

Et assumpsit Centuriones, & milites.] Legendum est: *Centuriones ducibus, & cursoribus.* Institutio Centurionum, tum inter equites, tum inter pedites narratur: hoc est enim primum, quod fecit statim post initum cum eis fœdus subiunctum.

Et introduxit eos ad se in domum Domini: pepigitque cum eis fœdus, & iurare fecit eos in domo Domini, & ostendit eis filium Regis.] A iuramento inchoauit seruandi secretum, quod audituri erant ab ipso Pontifice; & hoc in domo Domini: vt ex diuino loco iuramentum haberetur firmius. Deinde pepigit fœdus intelligẽtiæ communis inter eos ad constituendum, & fouendum legitimum Regem: & posteà ostendit eis Regem infantulum: & sic fecit eos Cẽturiones, si eorum non erant in officio Centurionis.

Vers. 5. *Præcepitq; eis dicendo: Hæc est res, quam facietis.*

Vers. 6. *Tertia pars vestrum introeat Sabbatho, & obseruet excubias domus Regis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Tertia ex vobis venientes Sabbatho & custodes custodiæ domus regis.* Præsupponit hæc litera, mutationem solitam fieri Sabbatho hominum pro templo Dei, quemadmodum fiebat mutatio panis singulis Sabbathis in mensa propositionis: ita quòd multitudo quædam veniebat ad obsequia templi Sabbatho: & hæc appellatur in litera, *venientes Sabbathi.* & multitudo alia, quæ seruierat, egrediebatur rediens ad propria: & hæc appellatur in litera subiuncta, *exeuntes Sabbathi.* Mandat itaque Pontifex, vt tertia pars Centurionum assumat venientes Sabbathi ad custodiam domus regiæ: & hinc apparet, quòd ordinauit opus hoc creationis Regis fieri in die Sabbathi.

Mutabantur homines Sabbatho pro templo Dei, sicut panes propositionis.

Tertia autem pars sit ad portam Sur.] Legendum est, *ad portam Sur.* Nomen proprium est portæ septi spatij circa templum.

Sur, nomen portæ.

Et tertia pars ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum.] Iuxta Hebræum habetur: *in porta post cursores.* Et hæc etiam porta eiusdem septi erat post habitaculum cursorum; hoc est, peditum ad custodiam templi.

Et custodietis excubias domus M. sacri.] Iuxta Hebræum habetur: *Et custodietis custodiam domus destructionem.* Dixerat primis, vt assumptis venientibus Sabbathi custodirent domum Regis: declarat modò, ad quid ordinatur hæc custodia, videlicet, ne domus regia destruatur in ista nouitate: timebat enim, ne Hathal-ia desperata incenderet domum regiam: quemadmodum Zimri Rex desperatus succenderat palatium regium Regum Israël.

Duæ vero partes è vobis omnes egredientes Sabbatho.] Iuxta Hebræum habetur: *Et duo loca in vobis omnes exeuntes Sabbathi.* Completa dispositione eorum, quæ agenda erant à prima tertia parte Centurionum, disponit, quid agendum sit à duabus aliis tertiis collocatis in locis duobus, (videlicet, in porta Sur, & in porta post cursores,) mandando eis, vt assumant exeuntes Sabbathi, quos iam declarauimus: & Vers. 7.

Custodiant excubias domus Domini circa Regem.] Legendum est, *Regi.* Ecce officium, vt rorunque, videlicet, custodire domum Domini; hoc est, sepia circa domum Domini ad securitatem Regis infantis. Et hinc apparet, quòd illæ portæ erant portæ septi circa templum: alioquin non dixisset, & duo loca in vobis habeant exeuntes Sabbathi ad custodiam templi Regi.

Et vallabitis eum habentes arma in manibus vestris.] Hebraïcè clariùs habetur: *Et circundabitis Regem in circuitu vnusquisque, & arma eius in manu eius.* Quia ambæ istæ duæ custodiæ ordinabantur ad securitatem Regis, ideò mandat, vt circuncirca inuigilent armati. Vers. 8.

Si quis autem ingressus fuerit.] hoc est, violenter ingredi voluerit.

Septem templi, occidatur: eritisque cum Rege egrediente, & ingrediente.] Extenditur horum officium ad custodiam etiam posteà.

Et fecerunt Centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioho-iadah Sacerdos: tulerúntque vnusquisque viros suos venientes Sabbathi cum exeuntibus Sabbathi, & venerunt ad Ioho-iadah Sacerdotem. Vers. 9.

Qui dedit eis hastas, & arma.] Legendum est: *Dedítque Sacerdos Centurionibus lanceas, & clypeos, quæ fuerant Regis Dauid: quæ erant in domo Domini.* Erant enim hæc in domo Domini pro custodia ipsius. Vers. 10.

Et steterunt singuli habentes arma in manu sua.] Legendum est: *Et steterunt cursores vnusquisque, & arma eius in manu eius.* Ordinata distributio executioni mandata describitur; videlicet, quòd Pontifex dedit arma Centurionibus; Centuriones autem distribuerunt etiam cursoribus. Vers. 11.

A parte domus dextera vsque ad partem domus sinistram altari, & domui; super Regem in circuitu.] Circundederunt extrinsecum quidem locum templi, in quo erat altare holocaustorum cum atrio Sacerdotum; sed & internum septum circa templum: & propterea describitur ab altaris, & ædis Dei dextera ad sinistram, vt nulla ex parte aliqui possent irrũpere in Regẽ.

Eduxítque filium Regis, & posuit super eum diadema, & testimonium.] Dictio interpretata, *testimonium*, interpretati quoque potest, *ornamentum.* Et si legitur, *testimonium*, phylacterium, in quo erat summa legis scripta, intelligitur. Et per hoc insinuatur mos coronandi Regem: Vers. 12.

Mos coronandi Regem apud Hebræos.

vt,

vt, videlicet, diademate ornaretur pro dignitate regia; diuinæ autem legis studium ad seruandum eam profiteretur. Si verò legitur, *ornamentum*, expositione non eget: sed admonitione, quod minus quadrat, vt specialis mentio fiat ornamenti: quia narrato diademate, cointelliguntur ornamenta omnia Regis.

Feceruntque eum Regem, & vnxerunt eum.] vt nihil omitterent.

Plauseruntque manu, & dixerunt: Viuat Rex.

Vers. 13. *Audiuit autem Hathal-ia vocem currentis populi.*] Hebraicè habetur, *cursorum populi*: hoc est, peditum populariũ.

Et ingressa est ad populum in templum Domini.] hoc est, intra septum circa templum. Sed quæstio tunc oritur, quare non interfecta est secundùm mandatum Pontificis: *Quicunque ingressus fuerit, occidatur.* Solutio est, quod Hathai-ia non peruenit ad septum interuum, de quo dixerat Pontifex: *Qui ingressus fuerit, occidatur.* & propterea significantius dicitur de Hathal-ia: *Et venit ad populum in domum Iehouah.* vt intelligeremus, quòd non peruenit ad septum custoditum a Centuriombus, & militibus; sed ad locum, in quo erat populus; intra tamen sepia templi: & propterea non fuit interfecta à populo, qui non acceperat huiusmodi mandatum.

Quare Hathal-ia interfecta non fuit secundùm mandatum Pontificis.

Vers. 14. *Viditque Regem stantem super tribunal.*] Hebraicè habetur: *Viditque, & ecce Rex stabat super columnam iuxta morem.* Excelsus locus columnis fultus in quo consueuerat Rex manere in templo, significatur.

Rex in templo Iudæorum vbi manebat.

Et canores.] Hebraicè habetur: *Et Principes, & tuba Regis.* hoc est, in fauorem, & gloriam Regis.

Et totus populus terræ gaudens, & clangens tubis: & scidit Hathal-ia vestimenta sua.] In signum execrationis.

Et dixit: Coniuratio, coniuratio.

Vers. 15. *Præcepit autem Iehoiadah Sacerdos Centurionibus, qui erant super exercitum, & ait eis: Educite eam extra septum templi, & qui secutus eam fuerit, interficiatur gladio: dixerat enim Sacerdos: Non occidatur in domo Domini.*

Vers. 16. *Imposuerúntque ei manus, & venit per viam introitus equorum iuxta palatium.*] Hebraicè explicatur, *domus Regis.* & superfluit, *iuxta.*

Et interfecta est ibi.

Vers. 17. *Percussitque Iehoiadah fœdus inter Dominum, & inter Regem, & inter populum, vt esset in populum Domini: & inter Regem, & inter populum.*] Inter Deum ex vna, & Regem, ac populum ex altera parte, vt esset populus colens summum Deum: & deinde pepigit fœdus inter Regem, & populum, vt esset obediens legitimo Regi ex domo Dauidis.

Vers. 18. *Ingressúsque est.*] Legendum est: *Et ingressi sunt totus populus terræ domum Bahal, & diruerunt eam, altaria eius, & imagines eius confregerunt benè, & Mathan Sacerdotem Bahal occiderunt coram altaribus.* Executio narratur fœderis inter Deum, & populum in opere destruendi cultum Bahal.

Et posuit Sacerdos custodias.] Hebraicè habetur, *ordinationes super domum Domini.* Non sat fuit exterminare cultum Bahal; sed oportuit ordinare diuinum cultum in domo summi Dei ad exequendum fœdus primum.

Vers. 19. *Tulitque Centuriones.*] Executio narratur secundi fœderis; videlicet, inter Regem, & populum.

Et Cherethi, & Pelethi legiones.] Hebraicè habetur, *& duces, & cursores.* quos intellige vt suprà.

Et totum populum terræ: descenderéque fecerunt Regem de domo Domini, & venerunt per viam portæ scutariorum.] Legendum est, *cursorum.* eadem enim cursorum porta commemoratur.

In palatium.] Hebraicè scribitur, *in domum Regis.* vtpote propriam.

Et sedit super thronum Regum.] tanquàm accipiens possessionem regni.

Lætatúsque est totus populus terræ, & ciuitas conquieuit: Hathal-iahu autem occiderunt gladio in domo Regis.] Nisi infra sepia domus regiæ occisa fuisset Hathal-ia non repetitum fuisset quòd occisa est in domo Regis. Vers. 20.

CAPVT XII.

ILIVS *septem annorum erat Iehoas,* Vers. 1.
cùm regnare cœpit.

Anno septimo Iehu regnauit Iehoas, & quadraginta annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Zib-ia de Beersebah.

Feciqúe Iehoas rectum in oculis Domini omnibus diebus suis: quibus docuit eum Iehoiadah Sacerdos. Vers. 2.

Veruntamen excelsa non abstulit: adhuc populus immolabat, & thurificabat in excelsis. Vers. 3.

Dixitque Iehoas ad Sacerdotes: Omnem pecuniam Sanctorum.] Legendum est, *sanctitatum:* in genere enim appellatur pecunia sanctitatum, pecunia Deo oblata. Vers. 4.

Quæ inferetur in domum Domini.] ad differentiam pecuniæ non oblatæ templo Dei, sed pro redemptione primogenitorum, quæ erat Sacerdotum.

A prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam sponte, & arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Argentum transeuntis viri, argentum animarum æstimationis eius; omne argentum, quod ascendit super cor viri ad adducendum in domum Iehouah.* Iuxta planum literæ sensum triplex genus pecuniæ commemoratur: videlicet, pecunia, quæ offertur à viro transeunte ad nomen idoneorum ad bellum, iuxta promulgatam legem Exod. 30. & hæc pecunia erat medius siclus pro quolibet, tam paupere, quàm diuite. Secundum genus est, pecunia animarum: & si nihil aliud diceretur, quàm argentum animarum, anceps valdè esset sensus, an significaretur appositiuè eadem pecunia, quæ soluebatur in numeratione populi, (quoniam illa appellatur ibidem redemptio animæ;) sed ex eo, quòd dicitur, *argentum animarum æstimationis eius* insinuatur significari pecuniam redemptionis animarum, quæ voto oblatæ erant Deo iuxta decretum legis scriptæ Leuit. 27. erat enim propriè pecunia illa pecunia æstimationis animarum: quoniã æstimatio valde diuersa erat secundùm diuersas ætates hominũ voto oblatorũ Deo. Tertium autẽ genus expositione non eget: quia manifestè sonat pecuniã spontanearũ oblationum. Hæc itaque tria genera pecuniæ duntaxat commemorantur: & de eis mandatur:

Triplex genus pecuniæ offerendæ in templo Iudæorũ commemoratur.

Exod. 30.

Leuit. 27.

Accipiant

Vers. 5. *Accipiant illam.*] Legendum est: *Accipient sibi Sacerdotes.* Ordinat Rex, vt Sacerdotes ad se trahant triplex hoc genus pecuniæ.

Iuxta ordinem suum.] Iuxta Hebræum habetur: *Vnusquisque à noto suo.* Disponit Rex, vt Sacerdotes colligant huiusmodi pecunias sic, vt vnicuique Sacerdoti incumbat onus colligendi ab amicis, & conuersantibus cum eo: vt facilior esset collectio.

Sacerdotes Iudæorũ colligebant pecunias ab amicis, & conuersantibus cum eis.

Et instaurent sarta tecta domus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ipsi fortificabunt requisitionem domus.* Requisitionem appellat rem requisitam, seu potiùs partem quamlibet indigentem reparatione: nominat siquidem eam à requisitione, quia requirenda erat, & diligentia, & opere. Et est sermo de domo Dei.

Requisitio, erat pars omnis in templo indigens reparatione.

Si quid necessarium viderint instauratione.] Iuxta Hebræum habetur: *Omni, quæ inuenietur, ibi requisitioni.* eadem enim dictio repetitur: & manifestat, quòd requisitionem vocat omnem partem, quæ in templo indigebat reparatione. Causa autem huius indigentiæ, in secundo Paralip. cap. 24. narratur, Hathal-ia Regina.

2. Paralip. 24.

Vers. 6. *Igitur vsque ad vigesimumtertium annum Regis Ieboas.*] Ne intelligas negligentia Sacerdotum vigintitribus annis duraſſe: quoniam nescimus, quoto anno sui regni Ioas mandauerit suprascriptam collectionem pecuniæ, & instaurationem templi per Sacerdotes faciendam: certum est enim, quòd post multos annos sui regni mandauit hoc: quia regnare cœpit puer septem annorum. Quanto igitur tempore durauerit negligentia Sacerdotum remanente incerto, narratur, quòd vtique ad vigesimumtertium annum regni Ioas neglexerunt.

Tempore Ioas negligentia Sacerdotum vigintitribus annis duravit.

Non instauraverunt Sacerdotes sarta tecta templi.] Hebraicè habetur: *Non fortificauerunt Sacerdotes requisitionem domus.* quod intellige, vt suprà.

Vers. 7. *Vocauitque Rex Ieboas Ieho-iadah Pontificem, & Sacerdotes: & dixit eis: Quare non instauratis sarta tecta templi.*] Legendum est, vt suprà.

Quare vos non fortificastis requisitionem domus?] eadem enim verba repetuntur.

Nolite ergo amplius accipere pecuniam iuxta ordinem vestrum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc non tolletis argentum à notis vestris.* Reuocat Rex ordinationem olim à se factam.

Sed ad instaurationem templi reddite eam.] Legendum est: *Quia pro requisitione domus dabitis illud.* Hinc coniectura fit, quòd Sacerdotes fortè vsurpabant in vsus proprios pecuniam illam: alioquin non dixisset Rex, quòd pro instauratione domus darent illam.

Sacerdotes pecuniã collectam fortè in suos vsus expendebant.

Vers. 8. *Prohibitique sunt Sacerdotes vltrà accipere pecuniam à populo, & instaurare sarta tecta domus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et voluerunt Sacerdotes non tollere argentum à populo, & non fortificare requisitionem domus.* Concordes narrantur Regi Sacerdotes, exonerando seipsos ab vtraque cura; colligendi, videlicet, pecuniam, & reparandi templum.

Vers. 9. *Et tulit Ieho-iadah Pontifex Gazophylacium vnum, & fecit foramen in ostio eius: posuitque ipsum iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini.*] Aliud inuentum medium ad colligendum pecuniam narratur sanus clarum.

Mittebantque in eo Sacerdotes, qui custodiebant ostia omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabunt ibi Sacerdotes custodes vasis omne argentum allatum in domum Domini.* Hinc apparet, quod theca illa perforata in superiori parte non erat ad hoc posita, vt populus per foramen illud iaceret pecuniam intra thecã; clarè enim hic dicitur, quòd Sacerdotes omnem pecuniam allatam in domum Dei ponebant ibi; sed populus offerebat debitam, vel spontaneam pecuniam suprædictam in aliquibus vasis, quæ Sacerdotes publicè euacuabant super foramen illius thecæ, quæ gazophylacium in vulgata editione dicitur. Habetur quoque hinc, deputatos fuisse quosdam Sacerdotes ad custodiam vasis, in quo offerebat populus pecuniam. Nec oportet, vnicum tantùm vas intelligere: quoniam sæpè singulari numero apud Hebræos multitudo significatur.

Hebrai multitudinẽ sæpè numero singulari exprimunt.

Cumque videbant, numiam pecuniam esse in gazophylacio.] Legendum est, *multam pecuniam esse in theca, ascendebat scriba Regis, & Pontifex.* Patui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et Sacerdos magnus.* vt intelligamus claues thecæ apud Regem, & Pontificem seruari. Vers. 10.

Effundebántque, & numerabant.] Hebraicè habetur, *& ligauerunt, & numerauerunt.* ordine præpostero.

Pecuniam inuentam in domo Domini.

Et dabant eam iuxta numerum, atque mensuram.] Hebraicè habetur: *Et dabunt pecuniam paratã.* & nihil explicatur de numero, aut mẽsura. Vers. 11.

In manu eorum, qui præerant cementariis domus Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Per manum factorum operis, ordinatorum in domo Iehouah.* Per ordinatos in templo effectores operis (hoc est, præfectos operi reparandi templi) dabatur pecunia.

Et extrahebant eam pro fabris lignorum, & pro cementariis, ut, qui operabantur in domo Domini.] Legendum est, *& pro ædificatoribus, facientibus domum Iehouah.* Quod autem immediatè sequitur in vulgata additione.

Et sarta tecta faciebant.] Legendum est: *Et pro paratoribus.* significantur in genere præparatores materiæ. Vers. 12.

Et pro cæsoribus lapidum, & ad emendum ligna, & lapides dolationis, ità vt impleretur instauratio domus Domini in omnibus, quæ indigebant expensa ad muniendum domum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad fortificandum requisitionem domus Iehouah: & ad omne, quod egredietur super domum ad fortificandum.* Duo dicuntur: alterum, quòd hæc omnia impendebantur ad reparationem templi: alterum, quòd non solùm prædicta; sed etiam quicquid necessarium erat ad fortificandum templum, emebatur dicta pecunia. Tertium autem subiungitur:

Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia.] Superfluit, *ex eadem pecunia.* Hoc superat explicandum; videlicet, quòd illa pecunia non expendebatur ad aliud, quàm ad fortificandum templum. Vers. 13.

Hydriæ templi Domini.] Iuxta Hebræum scribuntur nescio quæ vasa argẽtea: sed de propriis nominibus instrumentorum, aut vasorum non sum sollicitus, propter incertitudinem; & quia subiungitur vniuersaliter non esse facta ex hac pecunia vasa quæcunque aurea, aut argentea.

Fuscinula, malluvia, tuba, omne vas aureum, & vas argenteum: de pecunia allata in domum Domini.

Facientibus enim opus dabant eã: & instaurabant Vers. 14.

ex

2. Paralip. 24. Cur non scribatur, quid factum fuerit de pecunia superflua post reparationē templi.

ex ea domum Domini.] Hinc soluitur quæstio consurgens ex scriptis 2. Paralip. c. 24. quandiu enim indiguit templum reparatione, pecunia illa ad reparationem templi duntaxat impensa significatur: nihilque hic scribitur, quid factum fuerit de pecunia superflua post completam reparationem templi, quod in Paralipomenis explicatur.

Vers. 15. *Et non fiebat ratio hominibus, per quorum manus dabant pecunias ad dandum facientibus opus: sed in fide tractabant eam.*] Iuxta Hebræum habetur: *quia cum fide ipsi facientes.* Ratio redditur, quare non exigebatur supputatio à præfectis operis, eò quòd tantæ probitatis erant, vt eorum fidelitas satisfaceret.

Vers. 16. *Pecunia pro delicto, & pecunia pro peccatis non inferebatur in domum Domini: quia Sacerdotum erat.*] Superfluit, *quia*: pura narratio est, non redditio causæ.

Vers. 17. *Tunc ascendit Chazaël Rex Syriæ, & pugnauit contra Gath, & cepit eā: posuitque Chazael faciem suam ad ascendendū contra Ierusalem.* Dicendo, *tunc*, significat completa reparatione templi venisse Hazaëlem: ad differentiam alterius belli, etiam Syrorum, contra Ioas, quod posteà factum est, cuius fit mentio in Paralipomenis.

Vers. 18. *Quamobrem tulit Iehoas Rex Iehudæ omnia sanctificata, quæ consecrauerant.*] Legendum est, *quæ sanctificauerūt Iehosaphat, & Ioram, & Ochoziahu patres eius Reges Iehudæ.* Sed memento, quòd sanctificationis nomine non significatur aliqua consecratio, sed sola oblatio, seu dicatio Deo: vnde & antiquus Interpres bene explicat subiungendo:

Sanctificationes, quid.

Et quæ ipse obtulerat.] Hebraicè enim scribitur, *& sanctificationes suas.* sanctificatum enim appellant oblatum Deo.

Et totum aurum, quod inuentum est in thesauris domus Domini, & domus Regis: misitque Chazaeli Regi Syriæ, & ascendit à Ierusalem.] Ab hoc exēplo pecuniæ & iocalia Ecclesiarū pro redimenda vexatione populi ab infidelibus vexati, seu vexādi bello, licitè impenduntur: simul tamen cum toto thesauro regio, vt hìc narratur factū: iniquū siquidem esset inchoare ab expoliatione Ecclesiarum: sed, vbi publicus thesaurus non sufficit, Ecclesiarum opes subuenire debent.

Vers. 19. *Reliquum verborum Ioas, & omnia, quæ fecit: nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iehudæ?*

Vers. 20. *Surrexerunt autem serui eius, & coniurauerunt inter se: percusserúntque Ioas in domo Millo in descensu Silla.*

Vers. 21. *Et Iosachar, filius Simhath, & Iehozabad, filius Somer, serui eius, percusserunt eum, & mortuus est: sepelierúntque eum cum patribus suis in ciuitate Dauid, & regnauit Amaz-ia filius eius pro eo.*]

CAPVT XIII.

Vers. 1. ANNO vigesimotertio Ioas, filij Achaziahu, Regis Iehudæ, regnauit Iehu-achaz, filius Iehu, super Israel in Samaria, decem & septem annis.

Vers. 2. *Fecitque malum in oculis Domini, & secutus est peccata Iarobham, filij Nebat, qui peccare fecit Israelem, & non declinauit ab eis.*

Vers. 3. *Iratúsque est furor Domini contra Israel: & tradidit eos in manum Chazaël Regis Syriæ, & in manū Ben-hadad, filij Chazael, omnibus diebus.*] hoc est, in seruitutem redegit Israëlitas, sub dominio Regis Syriæ.

Vers. 4. *Deprecatus est autem Iehu-achaz faciem Domini, & exaudiuit eum Dominus: vidit enim angustiam Israël, quia attriuerat eos Rex Syriæ.*] Legendum esset: *Quia vidit oppressionem Israelis, quia oppressit eos Rex Syriæ.* Vere benignus Deus etiam in peccatores: Rege enim supplicante Deo, misertus est populi oppressi à tyrannide Syrorum: quanuis videret, quod nòn propterea recessuri essent ab idololatria vitulorum aureorum, vt clarè subiungitur:

Deus benignus est etiā in peccatores.

Vers. 5. *Et dedit Dominus Israeli saluatorem.*] Quis fuerit iste saluator, nescitur: alienum tamen à ratione non est, vt fuerit Elisæus, optime notus Hazaëli Regi Syriæ.

Elisæus fuit saluator Israelis.

Et liberatus est de manu Regis Syriæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et exierunt de sub manu Aram.* hoc est, Syriæ. Ecce primus effectus istius saluatoris, satis quadrans Elisæo: vt intelligamus, ipsius intercessione Reges Syriæ cohibuisse suos, ne amplius opprimerent illos paucos Israëlitas, qui erant residui: hoc enim consonat secundo effectui; videlicet, quòd securi habitauerunt Israëlitæ in tabernaculis suis, sicut priùs soliti erant. Significāter autem dicitur de manu Aram (hoc est, de oppressione Syrorum) & non dicitur, quòd exierunt de manu Regis Syriæ: nam de Regibus præmissum est, quòd tradidit eos Deus in manu Hazaëlis, & Ben-hadad Regum cunctis diebus Ioachaz. Ab oppressione igitur eorum saluati dicuntur, vt securè possent habitare in tentoriis agrorum suorum: & propterea valde quadrat, vt Elisæus fuerit iste saluator.

Habitauerúntque filij Israël in tentoriis suis, sicut heri, & nudiustertius.

Vers. 6. *Verumtamen non recesserunt à peccatis domus Iarobham, qui peccare fecit Israelem: sed in ipsis ambulauerunt: & etiam lucus stetit in Someron.*] Non sola idololatria vitulorum aureorum introducta à Ieroboham perseuerauit: sed etiam lucus in Samaria ad superstitiones, & fortè obscœna, vel etiam ad sacrificia permansit.

Vers. 7. *Et non sunt relicti Iehu-acham de populo, nisi quinquaginta equites, & decem currus, & decem millia peditum.*] Vide immensam cladem, ex tam modico numero relictorum.

Relicti, qui intelligendi.

Disperdiderat enim eos Rex Syriæ, & posuerat eos veluti pulueren in tritura.] Qualitas relictorum insinuatur ex hac similitudine: vt intelligamus relictos eos, qui pro nihilo habebantur, similes pulueri cuadenti ex tritura.

Vers. 8. *Reliquum autem verborum Iehu-acham, & omnia, quæ fecit, & fortitudo eius: nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel.*

Vers. 9. *Dormiuitque Iehu-acham cum patribus suis, & sepelierunt eum in Someron: & regnauit Ioas, filius eius, pro eo.*

Vers. 10. *Anno trigesimoseptimo Ioas Regis Iehudæ, regnauit Ioas filius Iehu-acham super Israël in Someron sedecim annis.*] Intellige hoc initium regni per modum coregnandi patri suo: nam Ioachaz pater regnauit annis decem, & septem; hoc est, à vigesimo tertio anno Ioas Regis Iudæ, vsque ad trigesimumnonum, seu quadragesimum, vt in principio huius capituli scribitur. Viuebat igitur Ioachaz pater hoc trigesimoseptimo an-

no

no Ioas Regis Iudæ, quo coregnauit ei filius eius Ioas.

Vers. 11. *Et fecit malum in oculis Domini: non declinauit ab omnibus peccatis Iarobham filij Nebat, qui peccare fecit Israel; sed in eis ambulauit.*

Vers. 12. *Reliquum autem verborum Ioas, & omnia, quæ fecit, & fortitudo eius, qua pugnauit cum Amazia Rege Iehudæ: nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel?*

Vers. 13. *Dormiuitque Ioas cum patribus suis, & Iarobham sedit super solium eius: sepultúsque est Ioas in Someron cum Regibus Israel.*

Vers. 14. *Elisah autẽ ægrotauit infirmitate, qua & mortuus est: descenditque ad eũ Ioas Rex Israel.*] Ecce vsque ad quod tẽpus peruenit Elisęus iãsenex: vtpote, qui post raptum Elię vixit annis ferè sexaginta.

Et flens coram eo, & dixit: Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga eius.] Legendum est, *& equites eius.* Quia Elisæus pluries saluauerat Israëlem, ideò deplorat eum Rex æquipollentem & curribus, & equitibus (hoc est, vniuerso exercitui) Israëlis: saluauerat enim primùm eos contra Mohabitas, & pluries contra Syros: vt suprascripta testantur.

Vers. 15. *Et ait ei Elisah: Affer arcum, & sagittas: Attulítque arcum, & sagittas.*

Vers. 16. *Et dixit ad Regem Israël: Pone manũ tuã super arcũ. Posuítque manum suã.*] Omnes istæ actiones sensibiles mãdatæ, & factæ, non humana ratione sunt dispositæ, sed diuina inspiratione ordinãte, per hæc sẽsibilia manifestari opera futura Dei in saluté populi: vt vel ex his sensibilibus, & perciperent, & retinerent idololatræ, summi Dei prouidentiam, & gubernationem certam.

Actiones sensibiles ordinantur ad manifestandum futura opera Dei.

Et posuit Elisah manus suas super manus Regis.] vt etiam in hoc intelligeretur meritum Prophetæ esse illud, quod operabatur.

Et ait: Apers fenestram orientalem.] quia illa respiciebat Syriam.

Vers. 17. *Et aperuit: dixítque Elisah: Iace sagittam. & iecit: & ait Elisah: Sagitta salutis Domini.*] Legendum est, *sagitta salutis Domino, & sagitta salutis contra Syriam.* Dupliciter salus significatur: primùm ad manifestandum, quid significauerit superposita manus Elisæi; videlicet, vt salus futura ex bello referatur ad summum Deum, ita quòd agnoscatur ab illo: deinde manifestatur, quid significet iactus illius sagittæ per illam fenestram; videlicet, salutarem sagittam contra Syriam. Et dixit hæc, vt etiam mortuus prodesset Regi, & populo.

Salus dupliciter significatur.

Percutiesque Syriam in Aphec vsque ad consumptionem.] Nomen ciuitatis est, *Aphec*, cuius superiùs mentio facta est.

Aphec, nomen ciuitatis.

Vers. 18. *Et ait: Tolle sagittas. & tulit: dixítque ad Regem Israël: Percute iaculo terram.*] Superfluit, *iaculo.*

Vers. 19. *Et percussit tribus vicibus, & stetit.*

Iratúsque est contra eum vir Dei, & ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies.] Superfluit, *siue septies.*

Tunc percussisses Syriam vsque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties Syriam.] Nota contextum: quoniam ex Elisæi verbis habetur, reuelatum ei fuisse, vt faceret Regẽ percutere terram: & si quinque, aut sex vicibus, Rex percuteret terrã, percussurus esset Syriam vsque ad destructionem: sin autem, tot vicibus esset percussurus Syriam, quot vicibus percuteret terram. Nec quæras rationem, quare Deus sic incertè reuelauit Elisæo: quoniam Spiritus sanctus diuidit dona sua prout vult. Et est fermo de numero percussionum terræ continuato motu: & propterea cùm Rex destitisset percutere terram, iratus est Elisæus ægrè ferens minorem victoriam futuram.

Spiritus sanctus diuidit dona sua, prout vult.

Mortuúsque est Elisah, & sepelierunt eum: latrunculi autem.] Iuxta Hebræum habetur, *& societates.* ad excursiones faciendas. Vers. 20.

Venerunt in terram sequenti anno.

Quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos.] Legendum est: *Et fuit ipsis sepelientibus virum, & ecce viderunt exercitum.* proculdubiò illarum societatum. Vers. 21.

Et proiecerunt cadauer.] Hebraïcè habetur: *Et proiecerunt virũ in sepulcrũ Elisah.* nunquã enim nominatur hîc vir mortuus, sed vir sepelitẽdus.

Quod cùm tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo, & stetit super pedes suos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iuit, & tetigit vir ossa Elisah, & vixit, & surrexit super pedes suos.* Ita iacet in Hebræo. Quæ ideò annotauerim, vt perpendatur, non esse certum, quòd vir ille fuisset verè mortuus: Scriptura enim non narrat, ipsum fuisse mortuum: & potuit contingere, vt passionem aliquam subisset viuus, ita quòd apparebat mortuus, priuatus externo sensu, & motu: & propterea sepeliendus erat, & tanquam mortuus proiectus est in sepulcrum Elisæi: & Elisæi meritis vixit actualibus operibus vitæ, sensus & motus statim, qui si fuisset in proprio sepulcro sepultus, fuisset penitùs extinctus.

Meritis Elisæi vir priuatus externo sensu, & motu, conualescit.

Chazaël autem Rex Syriæ oppressit Israël cunctis diebus Iehoacham.] Non contrariatur sententia hæc paulò superiùs dictis, quòd deprecatus est Ioacham faciem Domini, & dedit eis saluatorem: quoniam ad diuersa referuntur: saluator siquidem ille refertur ad quietẽ ab oppressione reliquiarum populi: perseuerantia autem oppressionis omnibus diebus Ioachã, refertur ad occupatas ciuitates: quòd, videlicet, eas semper tenuit Rex Syriæ regnante Ioacham in Israël. Vers. 22.

Et misertus est Dominus eorum, & reuertit se ad eos, propter pactum suum cum Abraham, Isaac, & Iahacob: & noluit disperdere eos, nec proiecit eos à facie sua vsque in præsens tempus.] Ioas tempus significatur per tempus præsens, quo merebatur eiici à facie Dei, ad differentiam temporis Hoseæ Regis, quo eiectus est: dilatio siquidem pœnæ significatur propter Abraham, si fortè populus ad pœnitentiam reuocaretur. Vers. 23.

Mortuus est autem Chazaël, Rex Syriæ: & regnauit Ben-hadad, filius eius pro eo. Vers. 24.

Reuersúsque est Ioas, filius Ioachaz, & tulit ciuitates de manu Ben-hadad, filij Chazaël, quas tuleras de manu Ioachaz patris eius iure prælij.] Hebraïcè habetur, *in bello*, factum enim narratur non ius prælij. Vers. 25.

Tribus vicibus percussit eum Ioas.] iuxta Elisæi vaticinium.

Et reddidit ciuitates Israëlis.]

CAPVT XIV.

IN anno secundo Ioas, filij Ioacham, Regis Israel, regnauit Amazias, filius Ioas, Regis Iehuda.] Si supputaueris quadraginta annos regni Ioas Regis Iudæ, ac per hoc Amaziam filium eius regnasse quatuor annos à trigesimo septimo anno regni patris sui, perpendes, quod suprà diximus: videlicet, quòd Ioas Rex Israël biennio coregnauit patri, & quòd secundo anno regni sui, postquam Vers. 1.

Quot annis Ioas regnauerit.

postquàm successit patri regnauit, vt hîc scribitur, Amazias, filius Ioas, Regis Iudæ.

Vers. 2. *Filius viginti quinque annorum erat, cùm regnare cœpit, & nouem annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Iehohaddan de Ierusalaim.*

Vers. 3. *Fecitque rectum in oculis Domini.*] Intellige hoc in principio regni sui, & propterea subditur:

Veruntamen non vt Dauid pater eius: iuxta omnia, quæ fecit Ioas pater eius fecit.]Rectitudo Amaziæ non assimilatur rectitudini Dauidis primi patris Regum Iudæ: sed assimilatur rectitudini proprij patris ipsius, qui fecit rectum quodam tempore, & postea fuit malus. Et vere sic fuisse, clarè patet ex scriptis in secundo Paralip. cap. 25.

2. Paral. 25.

Vers. 4. *Nisi tantùm quòd excelsa non abstulit.*] Iuxta Hebræum habetur: *Tantùm excelsa non abstulerit: adhuc populus immolabat, & thurificabat in excelsis.* hoc est, etiam tempore, quo Amazias fecit rectum coram Domino, non abstulerunt excelsa: hoc est, permittebatur sacrificare vero Deo extra altare Domini in locis excelsis. Et hoc propter pronitatem populi ad sacrificandum in locis illis, quamuis prohibitum hoc esset in lege.

Lex non permittebat sacrificare vero Deo extra altare Domini.

Vers. 5. *Cúmque obtinuisset regnum.*] Legendum est: *Et fuit, cum roboratum fuisset regnum in manu eius.* Sententia est clara.

Vers. 6. *Percussit seruos suos, qui percusserant Regem patrem eius.*

Filios autem percussorum non occidit: sicut scriptum est in libro legis Mosis, (Deut. 24.) *vbi præcepit Dominus dicendo: Non morientur patres pro filiis, & filij non morientur pro patribus: sed vnusquisque pro peccato suo morietur.*] Et hinc habes, quòd etiam in crimine læsæ maiestatis non occidebantur filij innocentes.

Deut. 24.

In crimine læsæ maiestatis non occidebantur filij innocentes apud Hebræos.

Vers. 7. *Ipse percussit Edom in valle Salis decem millia: & apprehendit petram in prælio.*] Vt scripta in Paralipomenon testantur, petra hæc apprehensa est ad vsum præcipitationis: erat enim rupes quædam, ex qua præcipitauit alia decem millia virorum, quos ceperat viuos.

Petra ad vsū præcipitationis.

Vocauitque nomen eius Iezechel.] Legendum esset: *Iocthoel vsque ad diem hanc.* Sonat autem Iocteel obedientiam Dei: vt nossent omnes, quòd ex diuino mandato vicerat, & punierat Idumæos.

Vers. 8. *Tunc misit Amaz-ia nuncios ad Iehoas, filium Ieho-acham, filij Iehu, Regem Israël, dicendo.*]Tempus post victoriam contra Idumæos demonstratur: & idem fuit tempus, quo Amazias auersus est à Deo ad idololatriam, vt Paralip. testatur.

Veni, & videamus nos facie.] Inuitatio his honestis verbis significatur ad prælium.

Vers. 9. *Remisitque Iehoas, Rex Israël, ad Amaz-iahu Regem Iehudæ dicendo: Carduus, qui est in Libanon, misit ad cedrum, quæ est in Libanon, dicendo: Da filiam tuam filio meo in vxorem.*] Parabola est manifesta: nec significatio eius est occulta: assimilat enim Amaziam carduo; Libani tamen, propter culmen regium: seipsum verò assimilat cedro Libani, vt nullam proportionem inter eos esse manifestet.

Parabola de carduo Libani ad cedrū.

Transierúntque bestiæ agri, quæ sunt in Libanon, & conculcauerunt carduum.]Periculum imminens Amaziæ per hoc proponit: quòd, quemadmodum carduus expositus est calcandus à bestiis transeuntibus per Libanum: ita ipse exponitur calcandus facilè ab illis, qui sunt cum ipso Ioas cedro Libani.

Vers. 10. *Percutiendo percussisti Edom, & elenauit te cor tuum: gloriare, & sede in domo tua, cur prouocas in malum, vt cadas tu, & Iehuda tecum.*

Et non acquieuit Amaz-iahu.] sano pacis consilio, sed ad bellum inferendum progrediebatur. Vers. 11.

Ascendítque Ieboas, Rex Israël, & viderunt se facie ipse, & Amaz iahu, Rex Iehudæ, in Bethsemes oppido Iehudæ.

Et percussus est Iehuda coram Israël: & fugerunt vnusquisque in tentoria sua. Vers. 12.

Amaz-iahu verò Regem Iehudæ, filium Ieboas, filij Achaz-iahu, cepit Ieboas, Rex Israël, in Bethsemes: & adduxit eum in Ierusalem.] Iuxta Hebr. habetur: *Et venerunt Ierusalaim.* victores. Vers. 13.

Et interrupit.] Ioas Rex Israël.

Murum Ierusalaim à porta Eph-raim, vsque ad portam anguli quadringentis cubitis.

Tulítque omne aurum, & argentum, & omnia vasa, quæ inuenta sunt in domo Domini, & in thesauris domus Regis, & filios obsides.] Iuxta Hebr. habetur, *& filios fideiussorum.* insinuatur enim per hoc, quòd multi in Ierusalem fideiusserunt Regi Israël pro pace cum eo, & propterea dederunt filios obsides. Vers. 14.

Filij fideiussorum pro pace, obsides dati Regi Israël.

Et reuersus est in Someron.

Reliquum autem verborum Ieboas, quæ fecit, & fortitudo eius, qua pugnauit.] Legendum est: *Et qua pugnauit cum Amaz-iahu, Rege Iehudæ; nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israël:*] multa enim fuit fortitudo huius Ioas contra Syros: & illi accumulatur fortitudo contra Amaziam. Vers. 15.

Dormiuitque Ieboas cum patribus suis, & sepultus est in Someron cum Regibus Israël: & regnauit Iarobham, filius eius, pro eo. Vers. 16.

Vixit autem Amaz-iahu, filius Ioas, Rex Iehudæ, postquàm mortuus est Ieboas, filius Ieho-acham, Rex Israël, viginti quinque annis.] Corrupta est litera: legendum est, *quindecim annis.* sic enim habetur in Hebræo. Et fit mentio numeri annorum, quibus superstes fuit Amazias: tum ad insinuandum, quòd mortuo Ioas Rege Israël, coniuratio facta est contra Amaziam, & fugit ad ciuitatem Lachis, in qua vixit multis annis: tum ad insinuandum tempus, quo regnare cœpit Hazarias, filius Amazię, videlicet, post mortem Ioas, & fugam patris; quæ infra biennium, vel circa, post mortem Ioas fuit, vt subiuncta in sequenti capitulo innuunt. Vers. 17.

Reliquum autem verborum Amaz-iahu, nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iehudæ? Vers. 18.

Factáque est contra eum coniuratio in Ierusalaim, & fugit in Lachis: miserúntque post eum in Lachis, & interfecerunt eum ibi. In fine duodecim annorum à fuga. Vers. 19.

Et asportauerunt eum in equis: sepultusque est in Ierusalaim cum patribus suis in ciuitate Dauid. Vers. 20.

Tulit autem totus populus Iehudæ Hazar-iam, annos natum sedecim: & constituerunt eum Regem pro patre eius Amaz-iahu.]Vt subiuncta innuunt, viuente adhuc Amazia, factus est à populo Rex, filius eius Hazarias, qui alio nomine vocatur Ozias. Vers. 21.

Ipse ædificauit Elath: & restituit eam Iehudæ: postquam dormiuit Rex cum patribus suis.] Nisi Hazarias fuisset etiam Rex, viuente patre, nequaquam scriberetur, quòd restituit Elath Iudæ, postquàm mortuus est pater: ad differentiam siquidem temporis, quo regnauit, viuente patre, dicitur: *Postquàm iacuit Rex.* Vers. 22.

Vers.23. *Anno quintodecimo Amaz-iahu, filij Ioas, Regis Iehudæ: regnauit Ieroboham filius Ioas, super Israel in Someron quadraginta & vno annis.*] Supputa hinc initium regni Ieroboham, ex quo regnauit succedens patri.

Vers. 24. *Et fecit malum in oculis Domini: non declinauit ab omnibus peccatis Ieroboham, filij Nebat, qui peccare fecit Israelem.*

Vers.25. *Ipse restituit terminum Israël, ab introitu Ghamath vsque ad mare solitudinis: iuxta sermonem Domini Dei Israël, quem locutus est in manu serui sui Ionæ, filij Amitthai Prophetæ.*] Aiunt hunc esse Ionam, qui inter duodecim connumeratur Prophetas.

An Ionas hic fuerit ille, qui inter duodecim Prophetas numeratur.

Qui erat de Ghath.] Si hoc verum est, non fuit iste filius mulieris Sunamithis, resuscitatus ab Elisæo, nec filius viduæ Sarepthanæ resuscitatus ab Elia: sicut nec Sunem, nec Sarepta est ciuitas Ghath.

Quæ est in Ophir.] Hebraïcè habetur, *Chepher*. Ad differentiam Ghath ciuitatis Philithinorum (quæ dicebatur absolutè *Ghath*) adiungitur appositiuè *Chepher*, dicendo, *de Ghath Chepher*.

Vers.26. *Vidit enim Dominus afflictionem Israel.*] Rationem reddit Author (vel fortè ipse Ionas) victoriarum Ieroboam.

Amaram nimis.] Hebraicè habetur, *mutabilem valdè*. hoc est, quæ facilè in varias mutationes agebatur ab hostibus.

Et quòd consumpti essent vsque ad clausos carceris, & extremos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non retentus, & non relictus, & non auxilians Israëli.*

Vers.27. *Et non locutus est Dominus ad delendum nomen Israël de sub cœlo: & saluauit eos in manu Ieroboam, filij Ioas.*] Reuoca ad memoriâ repetitas prophetias à tempore Ieroboham primi Regis idololatræ comminantes, quòd in Israel, nec retentus, nec relictus erit: & perpende narrari nunc adimpletas fuisse prophetias, dicendo quòd non retentus, neque derelictus. Et est hyperbolica locutio, significans defecisse omnes, tam retentos in frequentia ciuium, quàm habitos pro derelictis: pauciſſimi enim remanserât in Israël, vt numerus eorum in præcedenti scriptus capitulo testatur: & propterea tanquam executa comminatione narratur diuina gratia, vt non penitùs deleretur nomen regni Israel.

Vers.28. *Reliquum autem verborum Ieroboham, & omnia, quæ fecit, & fortitudo eius, qua pugnauit, & qua restituit Damascum, & Chamath Iehudæ in Israel.*] Non dicitur, restituit Iudæ, sed, *restituit Iudæ in Israel*: quæ (non regno Iudæ cuius olim, tempore, scilicet, priscorum Regum, fuerant,) sed regno Israël tanquàm succedenti loco Iudæ restituit.

Nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel?

Vers. 29. *Dormitque Ieroboham cum patribus suis, cum Regibus Israel: & regnauit Zechar-ia filius eius pro eo.*]

CAPVT XV.

Vers.1. IN anno vigesimoseptimo Ieroboham, Regis Israel, regnauit Azar-ia, filius Amazia, Regis Iehudæ.] Aduerte, prudens lector, quòd si hoc intelligatur secundùm supputationem annorum scriptam, manifestè sequitur, vacasse regnum Iudæ annis duodecim: nam, vt in præcedenti scriptum est capitulo, iste Ieroboham cœpit regnare anno quintodecimo Amaziæ Regis Iudæ, qui regnauit annis vigintinouem, vt in principio præcedentis capituli scribitur: ab vltimo ergo anno Amaziæ, vsque ad vigesimùseptimum annum Ieroboham, fluxerunt anni duodecim: ac per hoc, iuxta istam literam, duodecim annis vacauit regnum Iudæ. Quod non esse verum, scripta in præcedenti capitulo de isto Hazaria insinuant: sonantia, quòd incepit regnare, etiam viuente patre: nullum ergo fuit tempus vacationis regni Iudæ. Qua veritate suppositâ, restat per hãc scripturam intelligendum, significari, quòd iste Ieroboham corregnauit patri suo Ioas annis duodecim: & istum vigesimumseptimum annũ supputari non ab initio, quo regnauit Ieroboham succedens patri; sed ab initio, quo regnauit corregnando patri. Consonat autem scriptis in præcedenti capitulo, quòd Ieroboham corregnauerit patri: eò quòd ei attribuitur salus Israëlis destructi vsque ad retentos, & derelictos; quæ tamen destructio fuerat tẽpore aui eius Ioacham: hoc enim est signum, quòd ipse Ieroboham tempore patris sui Ioas saluauerit populum, & corregnauerit post quartum ipsius Ioas annum. Est itaque sensus literæ, quòd anno vigesimoseptimo, à tempore, quo corregnauit patri Ieroboham Rex Israël, regnauit, hoc est, regnare incepit, tanquàm succedens patri Hazarias. Et dicimus, tanquàm succedens patri, ad differentiam annorum, quibus etiam ipse Hazarias regnauit viuente patre.

Filius sedecim annorum erat, cùm regnare incepit.] viuente patre: ita quòd in his duabus lineis diuersimodè sumitur regnare Hazariæ: nam ætas sedecim annorum refertur ad initium regni eius, viuente patre: vigesimusseptimus autem annus Ieroboham refertur ad initium regni, mortuo patre. Vers.2.

Et quinquaginta duobus annis regnauit in Ierusalem: & nomen matris eius, Iechol-iahu de Ierusalem.

Feciſque rectum in oculis Domini: iuxta omnia, quæ fecit Amaz-iahu pater eius.] Assimilatur rectitudo Hazariæ rectitudini Amaziæ patris, quoad hoc, quòd vterque fuit bonus in principio regni sui, sed postèa vterque peccauit. Vers.3. *Azarias & Amazias in principio regni boni, postèa mali*

Veruntamen excelsa non abstulerunt: adhuc populus immolabat, & thurificabat in excelsis. Vers. 4.

Percussit autem Dominus Regem, & fuit leprosus vsque ad diem mortis suæ.] De hac percussione, & lepra scribitur diffuse in 2. Paralip. cap. 26. Vers 5. 2. Paral 26.

Et habitabat in domo libera seorsum.] Superfluit, *seorsum*: & appellatur domus libera à frequentia hominum, & occupatione negotiorum regni.

Iotham verò, filius Regis, gubernabat palatium, iudicans populum terræ.

Reliquum autem verborum Hazar-ia, & omnia, quæ fecit, nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iehudæ? Vers.6.

Et dormiuit Hazar-ia cum patribus suis, & sepelierunt eum cum patribus suis in ciuitate Dauid: regnauitque Iotham filius eius pro eo. Vers.7.

Anno trigesimooctauo Hazar-iahu, Regis Iehudæ, regnauit Zechar-iahu, filius Ieroboham, super Israel in Someron sex mensibus.] Aduerte, prudens lector, quòd si spectetur ad annos scriptos, inuenitur vacasse regnũ Israël annis vigintiquatuor: nam à vigesimoseptimo anno Ieroboham inchoando annos Hazariæ, sequitur manifestè, Ieroboham mortuum fuisse quartodecimo anno Hazariæ: Vers.8. *Quibus annis vacauerit regnum Israel.*

Vers.1. *An vacauerit regnũ Iudæ tempore Amazia, & Ieroboham.*

Hazariæ: (regnauit enim Ieroboham vno, & quadraginta annis,) & sic à quartodecimo anno Hazariæ vsque ad trigesimumoctauum annum eiusdem vacasse regnum Israël viginti quatuor annis: quod esse factum testantur tot vsurpatores regni Israël in hoc capitulo subiuncti post mortem Ieroboham. Ad euitandum igitur hoc, intelligimus per hanc literam significari, quòd Hazarias decimooctauo anno Amaziæ patris sui cœperit regnare: sic enim trigesimusoctauus annus regni eius inuenitur quadragesimusprimus annus regni Ieroboham: vtpote qui cœpit regnare anno quintodecimo eiusdem Amaziæ Regis Iudæ. Ita quòd iste Zecharias, filius Ieroboham, statim successit patri defuncto, & sex duntaxat mensibus regnauit.

Quando, & quandiu regnauerit Hazarias.

Zecharias quandiu regnauerit.

Vers. 9. *Et fecit malum in oculis Domini, sicut fecerant patres eius. non declinauit à peccatis Iarobham, filij Nebat, qui peccare fecit Israelem.*

Vers. 10. *Coniurauit autem contra eum Sallum, filius Iabes, percussítque eum palam.*] Iuxta Hebræum habetur, *eum populo, & occidit eum: regnauitq; pro eo.* Sententia est clara: & sic terminata est progenies Regum ex domo Iehu.

Vers. 11. *Reliqua autem verborum Zechar-iahu, ecce ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel.*

Vers. 12. *Hoc est verbum Domini, quod locutus fuerat ad Iehu dicendo: Filij quarti sedebunt tibi super solium Israël: & fuit sic.*

Vers. 13. *Sallum autem, filius Iabes, regnauit trigesimonono anno Huzi-ia Regis Iehuda: regnauitque vno mense in Someron.*

Vers. 14. *Et ascendit Menachem, filius Ghadi de Thirza, & venit in Someron, & percussit Sallum, filium Iabes, in Someron: interfecitque eũ, & regnauit pro eo.*

Vers. 15. *Reliquum autem verborum Salluṁ, & coniuratio eius, qua coniurauit: ecce ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel.*

Vers. 16. *Tunc percussit Menachem Thiphsach, & omnes, qui erant in ea.*] Nomen ciuitatis est *Thiphsach*

Thiphsach, *quid.*

Et terminos eius de Thersa.] Legendum est: *A Thirza, quia non aperuerat, percussit.* Et nomen est ciuitatis alterius, ex qua oriundus erat iste Rex: describitur enim, quòd percussit terminos illius vicinæ ciuitatis, quæ noluerat illi aperire portas ad recipiendum eum in Regem vsque ad terminos eius conterminos Thirzæ.

Thirza, *quid.*

Et omnes prægnantes eius scidit.

Vers. 17. *Anno trigesimonono Hazar-ia Regis Iehuda, regnauit Menachem, filius Ghadi, super Israel decem annis in Someron.*

Vers. 18. *Fecitque malum in oculis Domini, non recessit à peccatis Iarobham, filij Nebat, qui peccare fecit Israelem omnibus diebus suis.*

Vers. 19. *Veniebat Phul, Rex Assyriorum, in Thersa.*] Legẽdum esset: *Venit Pul, Rex Assur, super terram,* & non dicitur, quòd venit in Thersa. An autem venerit inuocatus à nouo Rege Israël, vt fauore eius firmaretur in regno, an venerit oppressurus regnum Israël, & placatus argento, ac submissione Regis Israël, non aliter oppresserit, non est vsquequaque perspicuum. Stylus tamen Hebraïcus insinuat, quòd venit vocatus à Rege Israël: familiaris siquidem est Hebraïco stylo præposterus ordo: & propterea significatur priùs factum, quod posteà narratur; videlicet:

Pul Rex Assur ad quid venerit in terram Israel.

Præposterus ordo familiaris Hebræis.

Et dabat.] Legendum est, *& dedit Menachem Pul mille talenta argenti: vt essent manus eius cũ eo ad firmandũ regnum in manu eius.* Et sic Rex Assyriorũ venit in terrã Israël in fauorem noui Regis.

Indixitque Menachem argentum super Israël, cunctis potentibus, & diuitibus.] Superfluit, *& diuitibus:* ita quòd Hebraice nihil aliud habetur, nisi, *super Israel, super cunctos potentes fortitudinis.* Et *nisi* apposititiè legatur: Indixit argentum, & super populum, & super Principes exercitus, qui soliti erant lucrari. Non desunt tamen, qui dictionem interpretatam, *fortitudinis,* interpretantur, *substantiam,* intelligendo per potentes substantiæ, homines diuites. Vers. 20.

Ad dandum Regi Assur quinquaginta siclos argenti per singulos.] Hebraïcè habetur, *per virum vnum.* proculdubiò prædictorum potentum; hoc est, vt vnusquisque eorum solueret quinquaginta siclos argenti.

Reuersúsque est Rex Assur, & non stetit ibi in Therza.] Legendum est, *in terra.* subaudi, Israël.

Reliquum autem verborum Menachem, & omnia, quæ fecit: nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel? Vers. 21.

Dormiuitque Menachem cum patribus suis: & regnauit Pecach-ia filius eius pro eo. Vers. 22.

Anno quinquagesimo Hazar-ia Regis Iehudæ, regnauit Pecach-ia, filius Menachem, super Israël in Someron duobus annis. Vers. 23.

Fecitque malum in oculis Domini: non declinauit à peccatis Iarobham, filij Nebat, qui peccare fecit Israelem. Vers. 24.

Coniurauit autem contra eum Phacee, filius Remal-iahu, dux eius.] Pertranseo corrupta vocabula nominũ propriorum: hic enim appellatur Pecach: sed iam consueuimus ipsum appellare Phacee. Vers. 25.

Et percussit eum in Someron in turre domus regiæ.] Appellatam turrim aiunt sonare palatium: in proprio enim palatio occisus narratur.

Iuxta Argob, & iuxta Ariph.] Hebraïcè habetur, *cum Arghob, & cum Ar-ia.* Nomina propria virorum existentium cum Rege, & percussorum tum eo sunt.

Et cum eo quinquaginta viros.] Legendum est, *& cum eo quinquaginta viri de filiis Ghilhaditarum.* priùs enim descripsit socios Regis, & posteà socios interfectoris. Hæc tamen non vt omninò asserta accipe: possunt enim hæc aliter, & legi, & intelligi quoad compercussores, & compercussos.

Interfecitque eum, & regnauit pro eo.

Reliquum autem verborum Pecach-ia, & omnia, quæ fecit: nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel? Vers. 26.

Anno quinquagesimosecundo Hazar-ia Regis Iehuda, regnauit Pecach, filius Remal-iahu, super Israel in Someron viginti annis. Vers. 27.

Fecitque malum in oculis Domini: non declinauit à peccatis Iarobham, filij Nebat, qui peccare fecit Israelem. Vers. 28.

In diebus Pecach Regis Israël, venit Thig-lath-pil-eser, Rex Assur, & cepit Hi-ion, & Abelbethmahacham, & Ianoach, & Cedes, & Chazor, & Ghilhad, & Ghalilam, totam terram Naphthali: & transtulit eos in Assur.] Ista fuit prima captiuitas Israëlis in Assyrios, quam oportet annotare pro intelligentia Scripturarum: ex hac enim captiuitate nunquam redierunt. Vers. 29.

Coniurauit autem, & tetendit insidias.] Iuxta Hebræum habetur: *Et coniurauit coniuratione.* gaudet enim Hebraïca lingua hoc loquendi modo. Vers. 30.

Hoseah, filius Ela, contra Pecach, filium Remal-iahu, & percussit eum, & interfecit eũ, & regnauit

uit pro eo anno vigesimo Iotham, filij Huzi-ia.] Qui hactenus vocatus est *Hazarias*, modò vocatur *Huzias*. Vigesimum autem annum annotabis propter subiuncta; videlicet, quòd iste Iothan regnauit anno secundo Phacee, & sedecim annis regnauit. Hinc enim quæstio oritur: quia secundùm hæc subiuncta, Iotham non peruenit ad vltimum annum Phacee, sed ad decimumseptimum illius annum duntaxat: quomodo ergo verificatur, quòd vigesimo anno ipsius Iotham regnauerit Hoseas interfector, & successor Phacee. Et aduerte, quòd est hìc duplex difficultas: altera verificandi annum vigesimum Iotham, cùm inferiùs scribantur tantùm sedecim: altera verificandi, quòd Iotham superstes fuerit Phacee. Solutio primæ difficultatis facilis est, distinguendo de annis, quibus regnauit post mortem patris, (isti enim dicuntur sedecim;) & de annis, quibus regnauit, supputato tempore, quo regnauit cum patre leproso. Sed altera difficultas ex hoc non soluitur: quoniam à secundo anno Phacee, quo mortuus est Huzias, pater Iotham, supputando annos sedecim, non peruenitur ad vigesimum annum regni Phacee: ac per hoc non verificatur, quòd Iotham viuus fuerit post mortem Phacee, incipiente regnare Hosea. Restat ergo intelligendum per hæc omnia scripta simul iuncta, quòd Hoseas cœperit regnare viuente Phacee, ita quod etiam viuente Phacee regnum eius supputatur: & dicitur, quòd regnauit vigesimo anno Iotham ab initio, quo corregnauit patri: & quia nescimus, quot annis corregnauerit patri, incertum remanet tempus, quo Hoseas incepit regnare, regnante quoque Phacee: nescimus quoque quotus annus illorum sedecim Iotham fuerit iste vigesimus: & cum istis omnibus falsum supponitur, videlicet, quòd Iotham superstes fuerit Phacee: contrarium enim verum fuisse patet in sequenti capitulo. Vigesimus itaque iste annus Iotham nihil habet certi, nisi quòd erat vigesimus à lepra Huziæ: ex tunc enim Iotham inchoauit regium officium.

An possint verificari tempora regnorũ Iothã, & Hoseæ.

Vers. 31. *Reliquum autem verborum Pecach, & omnia, quæ fecit: ecce ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel.*

Vers. 32. *Anno secundo Pecach, filij Remal-iahu, Regis Israël, regnauit Iotham, filius Huzi-iahu, Regis Iehudæ.*

Vers. 33. *Filius viginti quinque annorum erat, cùm regnare cœpit, & sedecim annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Ieruſa, filia Zadoc.*

Vers. 34. *Fecitque rectum in oculis Domini, iuxta omnia, quæ fecit Huzi-iahu pater eius, fecit.*] Intellige, non quoad bonum, & malum; sed duntaxat quoad bonum.

Vers. 35. *Verumtamen excelsa non abstulerunt: adhuc populus immolabat, & thurificabat in excelsis.*] Ab integritate perfectæ rectitudinis temporis Iotham excipitur, quòd excelsa non abstulerunt; in quibus tamen vero Deo sacrificabatur.

Ipse ædificauit portam domus Domini sublimissimam.] Hebraicè habetur, *excelsam*. Insignis porta significatur.

Vers. 36. *Reliquum autem verborum Iotham, & omnia, quæ fecit: nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iehudæ?*

Vers. 37. *In diebus illis cœpit Dominus mittere in Iehudam Rezin, Regem Syriæ, & Pecach, filium Remaliahu.*] An demonstrentur dies Iotham, an dies filij eius, non est vsquequaque clarum: quia tamen litera sonat tempus Iotham, ponderandum est verbum, *cœpit mittere*, vt intelligamus, quod non misit; sed cœpit mittere. Ita quòd initium veniendi ad bellum aduersùs Iudam fuerit tempore Iotham: executio autem tempore filij, vt in sequenti subiungitur capitulo: disposuerunt enim hi duo Reges, Rezin, & Phacee, pugnare contra Iudam, viuente Iotham: venerunt autem ipso mortuo, tempore Achaz, filij eius. Et nota, quòd quemadmodum superiùs in cap. 10. scriptum est, quòd cœpit Dominus excidere Israël: ita modò dicitur, quòd cœpit Dominus punire Iudam: vtrunque enim regnum pollutum erat multa idololatria. Et initia punitionis vtriusque scripta sunt ad manifestandum nobis, quòd Deus pedetentim processit puniendo vsque ad electionem vtriusque ex terra promissionis.

An dicitur Iotham, an diebus filij eius, Reges Syriæ missi fuerint contra Iudam.

Deus pedetentim procedit puniendo.

Vers. 38. *Dormiitq; Iotham cum patribus suis, sepultúsque est cum eis in ciuitate Dauid patris sui: & regnauit Acham, filius eius, pro eo.*]

CAPVT XVI.

Vers. 1. IN *anno decimoseptimo Pecach, filij Remal-iahu, regnauit Acham, filius Iotham, Regis Iehudæ.*] Et hinc, & ex subiuncto bello Phacee contra Acham, clarè patet, quòd Iotham, pater Acham, mortuus est, viuente, & regnante Phacee, Rege Israël: ac per hoc, vt diximus, Hoseam corregnasse ipsi Phacee.

Vers. 2. *Filius viginti annorum erat Acham, cùm regnare cœpit, & sedecim annis regnauit in Ierusalaim: & non fecit rectum in oculis Domini Dei sui, sicut Dauid pater eius.*

Vers. 3. *Sed ambulauit in viis Regum Israel.*] hoc est, idololatriam sectando

Insuper & filium suum consecrauit transferens per ignem.] Iuxta Hebr. habetur: *Et etiam filium suum fecit transire in igne.* Non significatur occisio, sed transitus filij per ignem: cæremonia idololatriæ erat.

Transitus filij per ignem, cæremonia idololatriæ.

Secundum idola gentium, quæ dissipauit Dominus.] Hebraicè habetur: *Sicut abominationes gentium, quas expulit Dominus à facie filiorum Israel.* Hinc clarè patet, ad idololatriæ cultum spectasse transitum filij per ignem.

Vers. 4. *Immolabat quoque, & thurificabat in excelsis, & super colles; & sub omni arbore frondosa.*] Ex eo, quòd non dicitur, (quemadmodum scriptum est de tempore aliorum Regum,) quòd excelsa non abstulerunt; sed dicitur, quòd immolabat in excelsis, &c. insinuatur, quòd promiscuè quibuscunque Diis in locis nominatis sacrificabat.

Vers. 5. *Tunc ascendit Rezin, Rex Syriæ, & Pecach, filius Remal-iahu, Rex Israël, in Ierusalaim ad bellum.*] Significanter scribitur, *tunc*, ad insinuandum, hanc esse executionem diuinæ missionis scriptæ in calce capituli præcedentis.

Obsederúntque Acham, & non valuerunt superare eum.] Quoad expugnationem ciuitatis Ierusalem: nam prælualuerunt quoad alia multa, & magna valdè, quæ hìc tacentur, sed scribuntur in 2. Paralip. cap. 28. 2. Paral. 28.

Vers. 6. *In tempore illo restituit Rezin, Rex Syriæ, Elath Syriæ, & eiecit Iehudæos de Eloth.*] Pars victoriæ Regis Syriæ scribitur.

Et Idumæi, & Syri.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Aromim venerunt in Elath, & habitauerunt ibi vsque ad diem hanc.* Aromim est nomen nationis eorum, qui venerunt ad habitandum in Elath.

Aromim, nomen nationis.

Misit

Vers. 7. *Misit autem Acham nuncios ad Thig-lath-peleser, Regem Assur, dicendo: Seruus tuus, & filius tuus sum: ascende, & saluum me fac de manu Regis Syria, & de manu Regis Israel, qui surrexerunt aduersùm me.*

Vers. 8. *Tulitque Acham argentum, & aurum, quod inuentum est in domo Domini, & in thesauris domus Regis: & misit Regi Assur munus.*] Omittuntur hic multa, quæ passus est Acham à Rege Israel, & à Rege Syriæ, relata in Paralipomenis: omittitur quoque diuina missio Esaiæ Prophetæ ad Acham, scripta Esaiæ cap. 7.

Esaïæ 7.

Vers. 9. *Et exaudiuit eum Rex Assur: ascenditque Rex Assur in Damascum, & vastauit eam.*] Iuxta Hebræum habetur, *& cepit eam*: nihilque dicitur de destructione ciuitatis.

Et transtulit habitatores eius Cirenem.] Iuxta Hebræum habetur, *ad Cir.* Nomen est regionis.

Et Rezin interfecit.

Vers. 10. *Perrexitque Rex Acham in occursum Thig-lath-pel-eser Regis Assur.*] Tacentur hic gesta à Rege Assyriorum aduersùs Regem Israel: nam ab vtroque liberari petierat Acham.

In Damascum.] Hinc patet, quòd post victoriam Regis Assyriorum iuit Acham obuiam Regi Assyriorum.

Vidítque altare, quod erat in Damasco, & misit Rex Acham ad Vri-iam Sacerdotem exemplar altaris, & similitudinem iuxta omne opus eius.] Legendum esset: *Similitudinem altaris, & figuram eius ad omne opus eius.* exactè enim retraxit similitudinem altaris secundùm materiam, qualitatem, quantitatem, & cælaturas.

Vers. 11. *Extruxitque Vri-ia Sacerdos altare: iuxta omnia, quæ miserat Rex Achã de Damasco, sic fecit Vri-ia Sacerdos, donec venit Rex Achã de Damasco.*

Vers. 12. *Cúmque venisset Rex de Damasco, vidit altare: & veneratus est illud.*] Iuxta Hebræum habetur, *& appropinquauit Rex super altare, & ascendit super illud.* Hæc verba aliud significant secundùm se, & aliud secundùm appropriationem: nam appropriantur ad significandum actiones cultus, videlicet, offerre, & immolare super altare in genere: deinde in specie subditur:

Et immolauit holocausta, & sacrificium suum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et suffiuit holocaustum suum, & munus suum.* Ita tamen, vt per *suffire* intelligas instar thuris cremare.

Suffire, quid.

Vers. 13. *Et libauit libamen suum: & asperſit sanguinem pacificorum, quæ erant ei super altare.*

Vers. 14. *Porrò altare æreum, quod erat coram Domino.*] quod fecerat Salomon.

Transtulit de facie templi, & de loco altaris, & de loco tẽpli Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Fecit appropinquare eum à cum facie domus, ab inter altare, & ab inter domum Iehouah.* Insinuantur duo. Alterũ, quòd altare nouũ ad instar altaris Damasceni constructũ fuerat à súmo Sacerdote absque destructione altaris ærei facti à Salomone: constructũ autem fuerat in loco, ante altare æreum, versùs populũ, ita quòd altare Salomonis remanserat mediũ inter altare nouum, & domum Dei. Alterum, quòd ex hoc loco medio iussit Acham Rex amoueri altare Salomonis, quod dicitur æreum: ad insinuandum, quòd hoc altare nouum non erat æreum, sed lapideum ex lapide secto, contra diuinam legem.

Posuítque illud ex latere altaris.] Hebraïcè habetur: *Super coxam altaris.* proculdubiò, noui.

Ad Aquilonem.] vt intelligamus, quòd nec collaterale posuit illud, sed in parte inferiore.

Vers. 15. *Præcepit quoque Rex Acham Vri-æ Sacerdoti dicendo: Super altare maius.*] Iuxta Hebræum habetur: *Super altare magnum suffi holocaustum matutinum & munus vespertinum, & holocaustum Regis & munus eius, & holocaustum totius populi terræ & munus eorum & libamina eorum, & omnem sanguinem holocausti & omnem sanguinem sacrificij super illud asperges: altare verò æreum erit ad requisitionem meam.*] Et hinc insinuatur quòd altare nouum erat altare maius altari æreo: mandatúrque sacerdoti, vt vtatur altari nouo, & pro derelicto habeat altare æreum.

Vers. 16. *Fecitque Vri-ia sacerdos iuxta omnia quæ præceperat Rex Acham.*

Vers. 17. *Tulit autem Rex Acham calatas baſes.*] Hebraicè habetur: *Et incidit Rex Acham clausuras basium.* Vt penitus destrueret ordinem diuini cultus à lege & patribus sancitum, non abstulit, sed præcidit bases æreas constructas à Salomone ibidem.

Et luterem, qui erat desuper.] Iuxta Hebræum habetur, *& abstulit a super eas & concham.* Ordine præposteró narratur, ablata vniuersa quæ erant super basem vsque ad concham inclusiuè fuisse, & abscissas clausuras earum.

Vers. 18. *Et mare deponi fecit de bobus æreis qui erant sub eo: & posuit ipsum super pauimentum lapideum.*

Musach quoque sabbati quod ædificauerat in tẽplo, & ingressum Regis exterius, conuertit in templũ Domini: propter Regem Assyriorum.] Iuxta Hebr. habetur: *Et tectum sabbati quod ædificauerunt in domo & ingressum Regis foris, fecit circundare domũ Iehouah, à facie Regis Assur.* Hæc vltima particula (videlicet, à facie Regis Assur) refertur ad omnia antecedẽtia: redditur enim ratio, quare Acham abstulit altare æreũ, & destruxit bases, &c. videlicet timore Regis Assyriorum, ne ab eo discreparet in religionis cultu. Exosus enim erat regi Assyriorum cultus diuinus secũdũ legem Mosis: propter quod etiam, vt Paralipomena testantur, clausit Acham ianuas templi facti à Salomone: inter alia autem exosa Regi Assyriorum insinuatur hoc: videlicet, quòd extra templum ante faciem ipsius templi immolabantur sacrificia secundùm legem Mosis: ethnici enim in templis Deorum suorum immolabant: & propterea Acham spatium ambiens, altare nouum & locũ in quo manebat Rex ingressus ad sacrificia & locum tectum pro sabbatis, quæ loca erant foris (hoc est extra templum) redegit in templum Iehouah: vt sacrificia immolarentur intra templum more Ethnicorum, & Rex & illi qui soliti erant manere sub tecto, intra templum essent. Hic est sensus literalis huius partis. Tectum autem sabbati an fuerit prò optimatibus & sacerdotibus maiori frequentia concurrentibus sabbato, vel etiam pro populo ad protegendum à pluuia sabbatis, quando concursus erat populi & deuotarum præcipuè personarum, incertum est.

Vers. 19. *Reliquum autem verborum Achaz quæ fecit: nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iehuda.*

Vers. 20. *Dormiuitque Achaz cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid.*] In ambitu Siõ sepultus hic scribitur, qui in Paralipomenis negatur sepultus in sepulcris Regum: quia quamuis excluſus fuerit à cœmeterio Regum, non tamen fuit excluſus ab ambitu montis Sion.

Et regnauit Ezechias filius eius pro eo.

CAPVT XVII.

Vers. 1. ANno *duodecimo Achaz Regis Iehudæ, regnauit Hoseah, filius Elæ, in Someron, super Israel nouem annis.*] Quæstio statim oritur, quomodo verificatur hoc: cùm superius in cap. 15. scriptum sit, quòd iste Hoseas regnauit anno vigesimo Iotham, qui fuit pater Achaz. Solutio est, quod duo initia regni Hoseæ scribuntur: alterum, quo inchoauit regnare viuente Phacee Rege etiam Israël: & hoc scriptum est cap. 15. alterum, quo cœpit regnare solus: & hoc scribitur hîc. Et quoniam à morte Phacee, vsque ad duodecimum annum Achaz fluxerunt octo anni (vt patet supputanti) insinuatur ex istis annis scriptis, quòd regnum Israël vacauit annis octo, ita quòd sedes regia fuit sine Rege, ita quòd interruptum fuit regnũ Hoseæ inchoatum tempore Phacee. Quare autem, non est scriptum: coniicere tamen possumus, quòd Rex Assyriorum audita coniuratione Hoseæ contra Phacee, & quòd interfecerit eum, persecutus fuerit Hoseam: ac per hoc interruptum fuerit regnum Hoseæ, & non inceperit regnare solus anno quarto, seu quinto Achaz Regis Iudæ: postea autem mortuo Thiglathphalasar Rege Assyriorum, Hoseas assumpserit regnum anno duodecimo Achaz.

Hoseas quandiu regnauerit.

Vers. 2. *Fecitque malum in oculis Domini: verumtamen non sicut Reges Israel, qui fuerunt ante eum.*] Minus malum fecisse hunc Regem, sed quid fuerit illud minus malum, non scribitur.

Vers. 3. *Contra eum ascendit Salmanaser, Rex Assur.*] Mortuo itaque Thiglathphalasar persecutore Hoseæ, cùm Hoseas regnare cœpisset, Salmanaser Rex Assyriorum ascendit contra Hoseam.

Et factus est ei Hoseah seruus.] Submisit collum iugo Hoseas, impar Regi Assyriorum.

Munus apud Hebræos significat tributum.

Reddebatque quotannis tributum.] Iuxta Hebræum habetur, *munus*, proculdubio tributarium: describitur enim per hoc qualitas seruitutis.

Vers. 4. *Cumque deprehendisset Rex Assyriorum Hoseah, quod rebellare niteretur misisset nuncios ad So Regem Ægypti, ne præstaret tributa Regi Assyriorum sicut singulis annis solitus erat.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et inuenit Rex Assur in Hoseah coniurationem, quia misit nuncios ad So Regem Ægypti, & non fecit munus Regi Assur annuatim.* Non temere, sed inuenta coniuratione, compertis nuncijs ad Regem Ægypti, & experta non redditione tributi motus Rex Assyriorum significatur: coniurationem autem intellige ad rebellionem à Rege Assyriorum.

Obsidit eum, & vinctum misit in carcerem.] Iuxta Hebræum habetur, *& strinxit eum Rex Assur, & vinxit eum in domo carceris.* Quod vltimò factum est, prius narratur: & postea more solito narratur modus, quo res hæc facta est.

Ordine præposteræ narrationi gestas Hebræi.

Vers. 5. *Peruagatusque est omnem terram.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et ascendit Rex Assur in omnem terram*, proculdubio regni Israël.

Ascenditque in Someron, & obsedit eam tribus annis. Ecce modus quo strinxit Regem, ac vinxit eum: longa enim obsidione cepit tandem Samariam cum Rege.

Vers. 6. *Anno autem nono Hoseah cepit Rex Assur Someron, & transtulit Israel in Assur.* Hæc tunc vltima captiuitas, ac desolatio Israelis, à qua nunquam redierunt.

Et habitare fecit eos in Chalach, & in Chabor flumine Ghozan, in ciuitatibus Medorum.] Deficit coniunctio: legendum est, *Et in ciuitatibus Madai.*] Tria loca narrantur (videlicet, Chalach Chabor iuxta flumen Ghozan, & ciuitates Medorum) deputata pro habitatione Israëlitarum. Et hinc apparet, fabellas esse, quæ dicuntur de clausis Israëlitis istis: ciuitates enim Medorum non sunt obtrusæ, sed omnibus peruiæ. Quocirca Israëlitæ ex locis illis dispersi sponte sunt per varias mundi partes in hodierum vsque diem: magnam tamen partem eorum ibidem adhuc manere rationi consentaneum est: eò quòd multi ibidem nati, ex incolis effecti sunt ciues.

Fabella de clausis Israëlitis explodituri.

Vers. 7. *Factúmque est, cùm peccassent filij Israël Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Ægypti, de sub manu Pharaonis Regis Ægypti.*] Ratio redditur eiectionis Israëlis ex terra promissionis; tum ex peccato aduersùs summum Deum Iudicem, & gubernatorem eorum; tum ex ingratitudine aduersùs eundem eductorem eorum de seruitute Pharaonis; tum ex timore aliorum Deorum; tum ex declinatione in præcepta ethnicorum ad colendum eorum Deos: ethnicorum autem propter huiusmodi abominationes consumptorum à Deo coram Israëlitis: tum ex obseruatione decretorum per Reges Israël de cultu vitulorum, &c. Dixi, ex timore: quia vbi vulgata editio habet:

Coluerunt Deos alienos.] Hebraïcè habetur, *& timuerunt Elohim alios.* Internus enim actus timoris priùs culpatur, & deinde exterior cultus: simúlque narratur, quòd non solùm exteriori cultu, sed etiam animo coluerunt alios Deos: timor enim internus actus est.

Vers. 8. *Et ambulauerunt in statutis gentium, quas eiecerat Dominus à facie filiorum Israël: & Regum Israël, quia similiter fecerunt.*] Hebraïcè habetur, *quæ fecerunt*: narratur enim, quòd filij ambulauerunt in præceptis, non solùm ethnicorum; sed etiam, quæ fecerunt Reges Israël, Ieroboham, & Acham, &c.

Vers. 9. *Et irritauerunt filij Israel verbis non rectis Dominum Deum suum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et texerunt filij Israel verba, quæ non recta super Iehouah Elohe suum.* Quo colore, quo pallio vsi fuerint filij Israël ad regendum verba, seu facta super Iehouah Elohe eorum, nescitur: Scriptura de hoc peccato nihil aliud tradit, nisi quòd palliatis verbis, vel factis aduersùs Deum vsi sunt.

Et ædificauerunt sibi excelsa in omnibus ciuitatibus suis, à turre custodum.] In qua soli custodes morantur.

Vsque ad ciuitatem munitam.] vniuersa siquidem loca habitata comprehenduntur à turre, in qua solus custos habitat, vsque ad ciuitatem munitam, in qua frequentia magna est hominum.

Vers. 10. *Statuerúntque sibi statuas, & lucos: super omnem collem sublimem, & sub omni arbore frondosa.*

Vers. 11. *Et thurificauerunt ibi in omnibus excelsis, sicut gentes, quas transtulerat Dominus à facie eorum: & fecerunt verba pessima irritantes Dominum.*] Res malæ significantur: carent enim superlatiuo Hebræi.

Hebræi carẽt superlatiuo.

Vers. 12. *Et coluerunt idola, de quibus dixerat Dominus eis: Non facietis rem hanc.*

Vers. 13. *Et contestatus est Dominus in Israël, & Iehuda.*] Exaggeratur peccatum Israelis, tum ex diui-

na

na inhibitione, tum ex destinatione Prophetarum monentium eos.

[Per manum omnium Prophetarum, omnium videntium dicendo: Reuertimini a viis vestris malis, & custodite precepta mea, & statuta mea, iuxta omnem legem, quam precepi patribus vestris, & quam misi ad vos in manu seruorum meorum Prophetarum.

Vers. 14. *Et non audierunt: indurauerúntque ceruicem suam, iuxta ceruicem patrum suorum, qui non crediderunt Domino Deo suo.*] Quanuis in libro primo inter Videntem, & Prophetam nulla fiat differentia, hîc tamen differentia insinuatur: & Prophetæ quidem appellantur ab officio, illi, qui profitebantur officium vacandi diuinis laudibus, & monendi alios ad diuina, tanquàm nuncij Dei: Videntes verò illi, qui absque huiusmodi officij professione visiones diuinarum habebant reuelationum, & per vtrosque moniti, in sua perseuerauerunt obstinatione.

Differentia inter Videntem, & Prophetam.

Vers. 15. *Et contempserunt statuta eius, & pactum eius, quod pepigit cum patribus eorum, & contestationes eius, quibus contestatus est eis: ambulauerúntque post vanitates, & vanè egerunt; & post gentes, quæ erant per circuitum eorum, de quibus praeceperat Dominus, vt non facerent sicut illæ.*

Vers. 16. *Dereliquerúntque omnia præcepta Domini Dei sui, & fecerunt sibi conflatile, duos vitulos: fecerúntque lucum, & adorauerunt vniuersam militiam cæli.*] Hebraicè habetur, *vniuersum exercitum cælorum.* Solem, videlicet, & Lunam, & stellas: appellantur enim exercitus, quia Moses in principio Geneseos sic appellauerat.

Exercitus cælorum, quis.

Vers. 17. *Et seruierunt Baali.*

Et consecrauerunt ei.] Legêdum est: *Et fecerunt transire filios suos, & filias suas per ignem.* proculdubiò superstitiosè, ad consecrandum (vt creditur) prolem alicui opinato Deo: qui fortè erat ignis ipse, ex quo putabant constare Solem, & Lunam, & stellas.

Et inseruierunt diuinationibus, & augurijs.] Iuxta Hebræum habetur, *& incantationibus.* Per hæc tamen duo, diuinationes, & incantationes, intelligo, & id genus reliqua.

Et tradiderunt se.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vendiderunt se ad faciendum malum in oculis Domini irritando eum.* hoc est, ad instar vendentium se, redegerunt se in seruitutem faciendi malum.

Vers. 18. *Iratúsque est Dominus valdè contra Israël, & remouit eos à facie sua: non remansit, nisi Tribus Iehudæ sola.*

Vers. 19. *Etiam Iehuda non custodiuit præcepta Domini Dei sui: verùntamen ambulauit in erroribus Israël, quos operatus fuerat.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et iuerunt in statutis Israëlis, quæ fecerunt.* hoc est, imitati sunt regnum Israëlis in decretis, non quæ fecit Deus; sed, quæ fecerunt ipsi Reges Israël.

Vers. 20. *Proiecítque Dominus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et abominatus est Dominus omne semen Israël,* peccatis eorum hoc exigentibus instar abominantis tractauit Deus eos.

Et afflixit eos, & tradidit eos in manum diripientium: donec proiceret eos a facie sua.

Vers. 21. *Ex eo iam tempore.*] Interpres addidit has quatuor vltimas dictiones: nam Hebraicè habetur: *Quia scidit Israël à domo Dauid, & Regem constituerunt Iarobham filium Nebat: separauítque Iarobham Israëlem à Domino, & peccare fecit eos peccato magno.*

Vers. 22. *Et ambulauerunt filij Israël in omnibus peccatis Iarobham, quæ fecit: non recesserunt ab eis.*

Vers. 23. *Vsquequo amouit Dominus Israelem à facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium seruorum suorum Prophetarum: & transtulit Israëlem à terra sua in Assur vsque ad diem hanc.*] Aduerte, quòd quanuis scissio decem Tribuum à domo Dauidis relata ad Dei ordinationem iusta fuerit propter peccata Salomonis, & diuina facta voluntate, vt in tertio libro scriptum est; relata tamen ad ipsos scissores vnitatis populi Israël, culpatur hîc, præcipuè propter recessum à cultu vnius summi Dei, & propter recessum à lege Mosis statuente vnum locum diuini cultus communem omnibus Israëlitis. Repetuntur autem hæc ad manifestandam diuinam patientiam tanto tempore. Vbi aduerto, prudens lector, quòd hoc in lòco redditur causa demeritoria ejectionis Israëlis; causa autem finalis tacetur: & fuit, vt Israël dispersus in orbem terrarum, testis esset mundo vniuerso de aduentu Messiæ per Prophetas promissi à Deo. Nisi enim Iudæi per mundum sparsi fuissent tempore apostolicæ prædicationis, contestantes se expectare Messiam, creditum fuisset, tanquàm figmentum, Euangelium Christi: & similiter nisi perseuerarent Iudæi sparsi in mundo contestantes se expectare Messiam, testésque sacrorum librorum veteris Testaméti, putaretur Christianorum adinuentione euangelizati vtrunque Messiæ aduentum, & fictos esse sacros veteris Testamenti libros: sed Iudæis ipsis inimicis Christiani nominis perseuerantibus inter nos, tum expectando Messiam, tum profitendo solos canonicos libros veteris Testamenti, quos nos, vt canonicos profitemur, habemus iuge testimonium nostræ fidei ab hostibus.

Scissio regni Dauidis iusta relata ad Deum, culpabilis tamen relata ad ipsos scissores.

Deus quàm patiens & longanimis.

Causa demeritoria ejectionis Israëlis.

Vers. 24. *Adduxit autem Rex Assur viros de Babel, & de Chutha, & de Hauua, & de Chamath, & Sepharuaim, & habitare fecit in ciuitatibus Someron pro filiis Israël: hæreditauerúntque Someron, & habitauerunt in ciuitatibus eius.*] Nomen Samariæ, quanuis sit nomen vrbis vnius, quia tamen erat caput regni, omnes ciuitates regni appellantur ciuitates Samariæ; hoc est, regni Samariæ.

Vers. 25. *Et fuit in initio habitationis eorum ibi, non timuerunt Dominum: immisítque eis Dominus leones, qui interficiebant eos.*

Vers. 26. *Nunciatúmque est Regi Assur dicendo: Gentes, quas transtulisti, & habitare fecisti in ciuitatibus Someron, ignorant ritum Dei terræ, & misit in eos leones, & ecce ipsi interficiunt eos, eò quòd ignorent ritum Dei terræ.*

Vers. 27. *Præcepit autem Rex Assur dicendo: Ducite illuc vnum de Sacerdotibus, quos transtulistis inde: & vadat, & habitet ibi, & doceat eos ritum Dei terræ.*] Stultitia ethnicorum narratur in hoc, quòd putabant proprios Deos diuersarum terrarum: & Deum, qui colebatur ab Israële, putabant Deum terræ illius.

Vers. 28. *Venítque vnus de Sacerdotibus, qui translati erant de Someron, & habitauit in Beth-el: & docebat eos, quomodo colerent Dominum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quomodo timebùnt Iehouah.* Modum timendi summum Deum docti à Sacerdote narrantur.

Vers. 29. *Et fecit vnaquæque gens Deum suum, posuerúntque in domo excelsorum, quæ fecerat Someronita, vnaquæque gens in ciuitatibus suis, in quibus habitabat.*

Vers. 30. *Et viri Babel fecerunt Succoth Benoth, & viri Chuth fecerunt Nergal: viri autem Chamath fecerunt Asimam.*

Vers. 31. *Porrò Hauuei fecerunt Nibcham, & Tarthach: Sepharuaim autem comburebant filios suos igni Adramelech, & Hanamelech diis Sepharuaim.*

Vers. 32. *Et nihilominùs colebant Dominum.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et fuerunt timentes Iehouah.* Sacerdos quidem docuit modũ timendi summum Deum; sed ipsi timuerunt quidem summum Deum; sed non eo modo, quo debebant timere: nam sic timebant summum Deum, vt etiam colerent alios Deos.

Fecerúntque sibi de nouissimis Sacerdotes excelsorum.] Potest significari, vel vt vulgata habet editio, viles personas electas in Sacerdotes, vel ex parte (hoc est, ex quibusdam) eorum electos fuisse Sacerdotes. Et vtroque modo significatur, quòd non de Tribu Leuitica fuerũt Sacerdotes.

Et ponebant eos in fanis sublimibus.] Iuxta Hebr. habetur: *Et fuerunt facientes eis in domũ excelsorum.* Pronomen, *eis*, tam summum Deum, quàm Deos alios istorum demonstrat: nam facere sacrum, intelligimus significari.

Et cùm Dominum colerent.] Hebraïcè habetur, *timerent.* non amarent.

Diis quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant.

Vers. 33. *Vsque in hunc diem ipsi faciunt iuxta consuetudines primas: ipsi non timent Dominum.*] Non est contrarius sibiipsi Author libri, qui pluries dixit de istis, quòd timent Dominum: quoniam affirmauit timoré seruilem, & particularem (videlicet, quoad aliquid, putà offerendum sacrificia summo Deo, & huiusmodi:) negat autẽ timorem filialẽ, & vniuersalem: & propterea manifestat negationem ex non obseruatione legis diuinæ.

Vers. 34. *Neque custodiunt cæremonias eius, atque iudicia.*] Sensus rectè redditur: quanuis Hebraïcè pronomen sit numeri pluralis.

Neque faciunt iuxta statuta sua, & iuxta iudicia sua, & iuxta legem, & iuxta mandatum, quod præceperat Dominus filiis Iahacob, cui imposuit nomen Israël.] Et statuta quidem ad cæremonialia; iudicia verò ad iudicialia; lex autem ad moralia spectia per legem scriptam à Mose: mandatum denique ad ea, quæ Deus ore proprio promulgauit, audiente populo, & scripsit digito proprio referturque vt testatur istorum subiuncta repetitio.

Statuta, iudicia, lex, & mandatum, *ad quæ referantur.*

Vers. 35. *Et percusserat Dominus cum eis fœdus, & præceperat eis dicendo: Non timeatis Deos alienos, & non adoretis eos, nec colatis eos, nec immoletis eis.*

Vers. 36. *Sed Dominum, qui ascendere fecit vos de terra Ægypti in fortitudine magna, & in brachio extento, ipsum timete: illumque adorate, & ei sacrificate.*

Vers. 37. *Et statuta, & iudicia, & legem, & mandatum, quod scripsit vobis, custodite, vt faciatis cunctis diebus: & non timeatis Deos alienos.*

Vers. 38. *Et fœdus, quod percussi vobiscum, non obliuiscamini: & non timeatis Deos alienos.*

Vers. 39. *Sed Dominum Deum vestrum timete: & ipse liberabit vos de manu omnium inimicorum vestrorum.*] sunt enim verba Dei de seipso in tertia persona.

Vers. 40. *Illi verò non audierunt: sed iuxta consuetudinem suam primam faciunt.*] Iuxta planum literæ contextum pronomen, *illi*, demonstrat incolas Samariæ: qui auditis recitatis præceptis Dei, quæ dederat filiis Iacob, nominati Israël, noluerunt parere; sed secundùm pristinas traditiones, & consuetudines suas operati sunt.

Vers. 41. *Fuerunt igitur gentes istæ timentes Dominum, & idolis suis seruientes, etiam filij eorum, & filij filiorum eorum, secundùm quod fecerunt patres eorum ipsi, faciunt vsque in præsentem diem.*] Post manifestationem, quòd incolæ Samariæ non habent filialem, & integrum Dei timorem, concluditur, quòd partim timent summum Deum, & partim Deos suos.

CAPVT XVIII.

Vers. 1. IN ANNO *autem tertio Hoseah, filij Ela, Regis Israel; regnauit Chizcias, filius Acham, Regis Iehudæ.*

Vers. 2. *Filius viginti quinque annorum erat, cùm regnare cœpit, & viginti nouem annis regnauit in Ierusalaim.*] Admirandum valdè naturæ opus narratur; videlicet, quòd Acham, pater Ezechiæ, vndecimo anno ætatis suæ genuit Ezechiam: nam in principio sextidecimi capituli narratur, Acham vixisse triginta & sex annos: & hìc scribitur, Ezechiam filium eius vigesimumquintum annum egisse, cùm successit patri in regno.

Et nomen matris eius Abi, filia Zechariæ.

Vers. 3. *Fecitque rectum in oculis Domini: iuxta omnia, quæ fecerat Dauid, pater eius.*

Vers. 4. *Ipse remouit excelsa.*] tam, in quibus sacrificabatur summo Deo, quàm in quibus sacrificabatur aliis Diis.

Et contrinit statuas.] proculdubiò idolorum.

Et succidit lucum. similiter idolorum.

Confregitque serpentem æneum.] Parui refert, quòd Hebraïcè significatur contusio serpentis ænei: tundendo enim, formam serpentis abstulit, & in æs nudum redegit.

Quem fecerat Moses.] Lege cap. 21. Numeri: & inuenies causam, & fabricam huius serpentis. Num. 21.

Quia vsque ad illud tempus.] Perseuerantia describitur huius abusionis vsque ad tempus Ezechiæ ad manifestandum magnanimitatem Ezechiæ ad exterminandum etiam toleratas superstitiones tanto tempore.

filij Israel adolebant ei incensum.] Venerabantur serpentem illum thurificantes illi ratione recepti beneficij, non adorando illum vt Deum; sed honorando, vt beneficum signum datum à Deo: quæ veneratio superstitiosa erat, vtpote præter legem diuinam: & propterea Ezechias abstulit illam tundendo serpentem.

Serpentis ænei à Moyse fabricati superstitiosa veneratio.

Vocauitque eum Noesthan.] Aiunt legendum esse, *Nechusthan*; hoc est, *annulũ eorum.* Declarauit hoc nomine modicum æris veneratum fuisse ab eis, ne putarent Numinis aliquid in serpente illo fuisse. Totum itaque nominauit à materia (& hoc diminutiuè) dicendo, *annulus*: in contemptum siquidem vsus est diminutiuo.

Æneolus, vocatus serpens æneus.

In Domino Deo Israel sperauit: & post eum non fuit, sicut ipse in omnibus Regibus Iehudæ, & qui fuerunt ante eum.] Præfertur Ezechias, tam prioribus Regibus Iudæ in huiusmodi actionibus: & meritò: quia nec Dauid abstulit excelsa, aut abstulit serpentem æneum: nec vlli posteriorum reseruatæ sunt actiones istæ: sed ipse Ezechias primus hæc fecit, exemplum se præbens posterioribus: & propterea meritò præfertur etiam Iosiæ posteriori. Vers. 5.

Ezechias cur præferatur Regibus prioribus, & posterioribus Iudæ.

Adhæsitque Domino, & non declinauit ab eo: custodiuitque præcepta eius, quæ præceperat Dominus Mosi. Vers. 6.

Et fuit Dominus cum eo, in omnibus, ad quæ processit, prosperatus est: rebellauitque contra Regem Assur, Vers. 7.

Assur, & non seruiuit ei.] Quia Acham pater eius dederat se Regi Assyriorum (vt in c. 16. scriptum est,) ideò Ezechias dicitur rebellasse à Rege Assyriorum, nolens seruire ei, quemadmodum seruierat ei pater ipsius.

Vers. 8. *Ipse percussit Philisthæos vsque ad Hazzam, & terminos eius: à turre custodum vsque ad ciuitatem munitam.*] Omnia loca habitata comprehenduntur: vt etiam superiùs diximus.

Vers. 9. *Anno quarto Regis Chizci-iahu (qui erat annus septimus Hoseah, filij Ela Regis Israël,) ascendit Salman-eser Rex Assur contra Someron, & obsedit eam.*

Vers. 10. *Ceperúntque eam in fine trium annorum: in anno sexto Chizci-iahu (qui erat nonus annus Hoseah Regis Israël) capta est Someron.*] In præcedenti capitulo narrata est captio Samariæ: hìc autem narratur, quoto anno obsessa est, & quoto capta.

Vers. 11. *Et transtulit Rex Assur Israelem in Assur: collocauitque eos in Chalach, & in Chabor fluuiis Ghozan.*] Iuxta Hebræum habetur, *flumine Ghozan, & ciuitatibus Mederum.* repetitio enim est suprascriptorum præcedenti capitulo.

Vers. 12. *Eò quòd non audierunt vocem Domini Dei sui, & transgressi sunt pactum eius: omnia, quæ præcepit Moses seruus Domini, non audierunt, neque fecerunt.*

Vers. 13. *Anno quartodecimo Regis Chizci-iahu ascendit Sancherib, Rex Assur.*] qui successerat Salmaneser.

Contra omnes ciuitates Iehuda munitas, & cepit eas.] Recole scriptum esse superiùs in calce capituli quintidecimi, quòd Deus cœpit punire regnum Iudæ propter peccata eorum: & perpende prosecutionem pœnæ exerceri à Deo per Sancherib, non obstante tanta Ezechiæ bonitate: paulatim enim properabat ad eiiciendum etiam regnum Iudæ ex terra promissionis, electo iam regno Israël.

Vers. 14. Lachis, nomẽ ciuitatis. *Misitque Chizci-ia Rex Iehuda ad Regem Assur in Lachis dicendo.*] Lachis est nomen ciuitatis, quam obsedit Rex Assyriorum, vt in Paralipomenis scribitur: & tandem cepit, vt hìc narratur dicendo, quòd ad omnes ciuitates Iudæ munitas ascendit, & cepit eas.

Peccaui.] in te, rebellando à te. Nec falsum dixit, quanuis non peccauerit absolutè: humiliat ergo se Ezechias, eligendo minus malum pœnæ.

Recede à me, & quod imposueris mihi, feram: imposuitque Rex Assur Chizci-ia Regi Iehuda trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri.

Vers. 15. *Dedítque Chizci-ia omne argentum, quod inuentũ est in domo Domini, & in thesauris domus Regis.*

Vers. 16. *In tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat.*] Iuxta Hebræum habetur: *In tempore illo decorticauit Chizci-ia valuas templi Iehouah, & liminaria, quæ vestiuit Chizci-ia Rex Iehuda: & dedit ea Regi Assur.* Non sufficientibus pecuniis, tam domus Dei, quàm domus regiæ, excrustauit valuas templi, & liminaria laminis aureis, quibus ipsemet Ezechias eas texerat. Et quoniam Ezechias sanctus proculdubiò fuit, vt obiicitur facto Ioas, omni exceptione maius est exemplum hoc Ezechiæ, vt pro redemptione vexationis ab infidelibus liceat exhaustis publicis thesauris ex Ecclesiæ localibus subuenire publicæ libertati Christianorum

Ezechias maior quàm Ioas.

Vers. 17. *Misit autem Rex Assur Thartan, & Rabsaris, & Rabsacem de Lachis ad Regem Chizci-iahu.*] Recepta pecunia indicta, Rex Assyriorum perfidus misit contra Ierusalem exercitum.

Cum manu valida.] Iuxta Hebræum habetur, *in exercitu graui Ierusalaim.* Non qualitcunque, sed magnus, ac fortis exercitus significatur missus cum his tribus Principibus.

Ascenderúntque, & venerunt Ierusalaim, & steterunt iuxta aquæductum piscinæ.] Hebræi legunt, *in canali cisternæ superioris, quæ est in via agri fullonis.* sed in idem redit sententia.

Vers. 18. *Vocauerúntque Regem: & egressus est ad eos El-iacim, filius Chilci-iahu, præpositus domus, & Sebna scriba, & Ioach, filius Asaph, à commentariis.*] Sæpè dictum est, Hebraïcè significari recordatorem, quem vulgata editio appellat à commentariis.

A commentariis, quis.

Vers. 19. *Dixítque ad eos Rabsaces: Dicite, quæso, ad Chizci-iahu: Sic dixit Rex magnus, Rex Assur: Quæ est fiducia ista, qua niteris?*] Hebraïcè habetur: *Cui fisus fuisti?* resistendo mihi.

Vers. 20. *Forsitan inisti consilium, vt præpares te ad prælium.*] Iuxta Hebræum habetur: *Dixisti tantum verbum labiorum, consilium, & fortitudo ad prælium.* De fiducia loquitur Ezechiæ: & arguit ipsum, quòd confidit in verbis propriis, quibus exhortatus erat populum, & dixerat verbum Elisæi: *Plures sunt nobiscum, quàm cum eis.* vt in Paralipomenis refertur. Non esse confidendum in huiusmodi sermonibus, dicit Rabsaces, opprobrando Ezechiæ: *Dixisti tantum verba labiorum,* (hoc est, verba, quæ non habent efficaciam, nisi quantùm labia pronunciando efficiunt in animis auditorum ad persuadendum,) sed ad prælium non sufficit eloquentia verborum: consilio enim, & fortitudine opus est ad prælium, consilio directiuo, & fortitudine executiua.

Tãtùm verba labiorum dicere, quid.

Vers. 21. *Nunc cui confisus es, quòd rebellasti contra me?*

An speres in baculo arundineo, atque confracto Ægypto, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius?] Heb. habetur: *Nunc ecce confisus es tibi super baculum, arundinem fractam istam, super Ægyptum, cui si innitatur quispiam, ingredietur in manum eius, & perforabit eam: sic est Pharo Rex Ægypti omnibus sperantibus in eo.* Dixerat, opus esse consilio, & fortitudine ad prælium: prosequitur declarando neutrum inueniri apud Ezechiam, inchoando à consilio, tum confidendi in Ægypto, tum confidendi in Deo. Et primùm quidem confutat assimulando Regem Ægypti baculo arundineo semifracto, cui vir innixus manum refert perforatam. Tres conditiones huius baculi electi ad sustentandum euntem describuntur: prima ex materia arundinea: secunda ex aduentitia imbecillitate; quia semifracta Hebraïcè significatur: tertia, quia læsiua est manus appositæ super eum; canna enim perforatrix est carnis. Et quia nunquam legitur Ezechiam inuocasse opem ab Ægypto, ideò interrogatiuè legenda sunt: *Nunc ecce confisus es?* vel præsupponendo, quòd Ezechias habeat in animo hoc consilium inuocandi Ægyptios.

Assimilatio Regis Ægypti baculo arundineo, expenditur.

Vers. 22. *Quòd si dixeritis mihi: In Domino Deo nostro habemus fiduciam.*] Hinc apparet, quòd discurrendo, ac inquirendo enumerat consilia fiduciæ Ezechiæ.

Nónne hic est, cuius abstulit Chizci-iahu excelsa, & altaria; & dixit Iehuda, & Ierusalaim: Ante altare hoc adorabitis in Ierusalaim?] Putauit iste

iſte pertinere ad diminutionem diuini cultus (ac per hoc ad iniuriam ſummi Dei) ablationem excelſorum, & altarium, in quibus extra altare domus Domini ſacrificabatur ſummo Deo: & propterea arguit non eſſe confidendum in ſummo Deo; quia Ezechias iniuriatus eſt illi. Nec dicit hoc credens in Deum, ſed arguens ad hominem.

Verſ. 23. *Nunc igitur tranſite ad Dominum meum Regem Aſſyriorum: & dabo vobis duo millia equorum; & videte, an habere valeatis aſcenſores eorum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc fideiube, obſecro, Domino meo Regi Aſſur: & dabo tibi duo millia equorum, ſi poteris dare tibi equitatores eorum.* Ad Ezechiam dirigitur ſermo: poſtquàm enim confutauit conſilium, confutare intendit fortitudinem. Et primò fortitudinem Iudæorum propriam ex eo, quòd Rex Ezechias non habet tantùm exercitus, vt poſſit præliari aduersùs vnum paruum ducem Regis Aſſur: quod probat per hoc, quòd fideiuſſione data accipiat duo millia equorum, nec habebit equitatores eorum.

Verſ. 24. *Et quomodo poteſtis reſiſtere ante vnum Satrapam de ſeruis Domini mei minimis?*] Hebr. ſcribitur: *Et quomodo facies vertere faciem ducis vnius ſeruorum paruorum domini mei?* Sententia eſt clara.

An fiduciam habetis in Ægypto?] Iuxta Hebræum habetur, *& confiſus es ſuper Ægyptum propter currus, & equites.* Quemadmodum confutauit conſilium fidendi Ægypto ex parte Regis Ægypti; ſic confutat modò fortitudinem Ægypti conſiſtentem in curribus, & equitibus.

Verſ. 25. *Nunc an abſque Domino aſcendi contra locum iſtum, vt demoliar eum?*] Nomine tetragrammaton vtitur iſte Ethnicus, arguendo (vt prædiximus) ad hominem: ita quòd apud præferentes diuinam opem fortitudini curruum, & equitum, vtitur hac ratione, quòd ſummi Dei ſermone aſcendit ad deſtruendum terram Iudæ. Et dicit hoc, ad excludendum ſubſidium à curribus, & equitibus Ægypti.

Dominus dixit mihi: Aſcende contra terram hanc, & demolire eam.] Nomen repetit tetragrammaton. An penitùs finxerit Rabſaces hæc, an ex relatis verbis Eſaiæ Prophetæ hæc dixerit, incertum eſt: certum eſt autem, quòd Eſaias Propheta (vt ſcribitur in eius octauo capitulo) prædixit Regem Aſſur inſtar inundantis aquæ tranſiturum regnum Iudæ vſque ad collum: quod adimpletum eſſe per Sancherib patet ex eo, quòd cepit omnes ciuitates Iudæ ſolo capite non ſubmerſo; hoc eſt, ſola Ieruſalem ſalua: ſed iſte ethnicus ampliauit ſenſum prophetiæ.

Verſ. 26. *Dixit autem El-iacim, filius Chilci-iahu, & Sebna, & Ioach ad Rabſacem: Loquere, quæſo, ad ſeruos tuos Syriacè, (quia nos intelligimus:) & ne loquaris nobiſcum Iehudaicè in auribus populi, qui eſt ſuper murum.*

Verſ. 27. *Dixitque eis Rabſaces: Num ad dominum tuum, & ad te miſit me dominus meus, vt loquerer ſermones hos, & non potiùs ad viros ſedentes ſuper murum, vt comedant ſtercora ſua, & bibant vrinam ſuam vobiſcum?*

Verſ. 28. *Stetit itaque Rabſaces, & clamauit voce magna Iehudaicè: & ait: Audite verba Regis magni, Regis Aſſur.*

Verſ. 29. *Sic dixit Rex: Non vos ſeducat Chizci-iahu: quia non poterit liberare vos de manu eius.*

Verſ. 30. *Neque fiduciam tribuat vobis Chizci-iahu ſuper Dominum dicendo: Liberando liberabit nos Dominus, & non tradetur ciuitas hac in manum Regis Aſſur.*] Non poteſt occultare infidelitatem ſuam, volens penitùs extinguere in populo fiduciam in ſummo Deo.

Verſ. 31. *Non audiatis Chizci-iahu: ſic enim dixit Rex Aſſur: Facite mecum, quod vobis eſt vtile.*] Hebraicè habetur: *Facite mecum benedictionem.* recipiendo me in dominum pacificè.

Et egredimini ad me, & comedite vnuſquiſque de vite ſua, & vnuſquiſque de ficu ſua, & bibite vnuſquiſque aquam putei ſui.

Verſ. 32. *Donec veniam, & tollam vos ad terram, ſicut terram veſtram, terram frumenti, & vini, terram panis, & vinearum, terram olivæ, olei, & mellis: & viuetis, & non morieminis: & non audiatis Chizci-iahu; quia decipiet vos dicendo: Dominus liberabit nos.*

Verſ. 33. *An liberando liberauerunt Dij gentium vnuſquiſque terram ſuam, de manu Regis Aſſur?*

Verſ. 34. *Vbi eſt Deus Chamath, & Arpad? vbi eſt Deus Sepharuaim, Henah, & Hiu-ne? an liberauerunt Someron de manu mea?*

Verſ. 35. *Qui ſunt in omnibus Diis terrarum, qui liberauerint terram ſuam de manu mea, quòd liberabit Dominus Ieruſalaim de manu mea?*] Manifeſtè aperit, vanam eſſe fiduciam in ſummo Deo ex impotentia aliorum Deorum: vt hinc manifeſtè intelligamus, quòd argumenta ſuperiora de deſtructis altaribus, & de mandato ſummi Dei ad ipſum directo, protulit ad hominem.

Verſ. 36. *Tacuitque populus, & non reſpondit ei verbum: quia præceptum Regis erat dicendo: Non reſpondeatis ei.*

Verſ. 37. *Venerúntque El-iacim, filius Chilci-iahu, Præpoſitus domus, & Sebna, Scriba, & Ioach, filius Aſaph, à commentariis, ad Chizci-iahu, ſciſſis veſtibus: & nunciauerunt ei verba Rabſacis.*]

CAPVT XIX.

Verſ. 1. QVæ *cùm audiſſet Rex Chizci-iahu, ſcidit veſtimenta ſua.*] in execrationem blaſphemiæ auditæ.

Blaſphemia audita quomodo exterabantur Iudæi.

Et opertus eſt ſacco.] veſte lugentium, ac pœnitentium.

Ingreſſúſque eſt domum Domini.] proculdubiò ad ſupplicandum Deo in habitu humili.

Verſ. 2. *Et miſit El-iacim Præpoſitum domus, & Sebnam Scribam, & ſeniores Sacerdotum.*] Non ſat fuit per ſeipſum ſupplicare, ſed per ſolennes nuncios adhibet interceſſorem Eſaiam Propheram.

Opertos ſaccis.] vt etiam humili habitu prouocarent Prophetam ad commiſerationem, & videntem populum ad pœnitentiam.

Ad Ieſah-iahu Prophetam, filium Amoz.

Verſ. 3. *Qui dixerunt ad eum: Sic dixit Chizci-iahu: Dies tribulationis, & increpationis, & blaſphemiæ, dies iſte.*] relatiuè ad nos, dies iſte eſt anguſtiæ: relatiuè autem ad Deum, reſpectu noſtri, eſt increpationis; relatiuè verò inter ethnicos, & Deum, eſt blaſphemiæ, ſeu irritationis.

Venerunt enim filij vſque ad partum, & vires non habet parturiens.] Anguſtiam, quam dixerat: manifeſtat ſimilem anguſtiæ parturientis imbecillis ad pariendum, quam eſſe anguſtiam maximam teſtatur ſæpè mors conſequens. Et intendit per hoc Ezechias adueniſſe iã tempus impatiẽs dilationis diuinæ opis, cùm iam præliatur nõ ſolùm aduersùs homines obſeſſos, & imbecilles; ſed aduersùs ſummũ Deum, tã manifeſtè parui pendendo eum.

Tempus impatiens dilationis diuinæ opis, anguſtia parturientis imbecillis comparatur.

Fortè

Vers.4. *Fortè audiet.*] quanuis nos non mereamur; blasphemiæ tamen Rabsacis merentur vltionem.

Dominus Deus tuus.] Non audet dicere, *Deus noster*, propter multitudinem peccatorum: sed humiliter dicit Prophetæ sancto, *Deus tuus.*

Omnia verba Rabsacis, quem misit Rex Assur Dominus eius, vt exprobraret Deum viuentem.] Hebraicè habetur, *Elohim viuum*, ad differentiam Elohim Ethnicorum, qui non viuunt; vtpote aurei, lapidei, &c.

Et argueret verbis, quæ audiuit Dominus Deus tuus: & fac orationem pro residuo, quod inuenitur.

Vers.5. *Venerunt ergo serui Regis Chizci-iahu ad Iesaiahiahu.*

Vers.6. *Dixitque eis Iesaiah-iahu: Sic dicetis Domino vestro: Sic dixit dominus, nolite timere.*] Hebraicè habetur, *nō timebis.* ad Ezechiam dirigitur sermo.

A facie sermonum, quos audisti, quibus blasphemauerunt pueri Regis Assur me.

Vers.7. *Ecce ego immittam ei spiritum.*] Internum spiritum reuelat Deus se daturum Regi Assyriorum; hoc est, internum impulsum ad redeundum: hoc enim modo præcipuè Deus operatur in hominibus, quæ vult.

Et audiet nuncium.] Iuxta Hebræum habetur, *& audiet auditionem.* Suauis contextus huius prophetiæ inuitat ad intelligendum illam de auditione, qua audiuit exercitum suum vna nocte interiisse, quod inferiùs dicetur: huic enim sensui quadrat subiuncta reuersio eius in terram suam, subiunctáque occisio eius.

Et reuertetur in terram suam: & cadere faciam eum gladio in terra sua.

Vers.8. *Reuersus est ergo Rabsaces.*] Primò narratur recessus blasphemi, ad insinuandum, quòd perpenderat difficultatem inuadendi Ierusalem; & ad hoc denunciandum Regi suo iuerat relicto exercitu.

Et inuenit Regem Assur expugnantem Lobnam.] Hebraicè habetur, *oppugnantem Libnam.* ciuitatem in sorte Iudæ.

Audierat enim, quòd recessisset de Lachis.] ciuitate etiam Iudæ, quam ceperat, & iuerat in Libnam.

Vers.9. *Audiuitque de Thirhaca Rege Chus dicendo: Ecce egressus est, vt pugnet contra te.*] Narratur hæc auditio ad insinuandum causam occasionis retracti exercitus ab obsidione Ierusalem: audiens enim Regem Æthiopiæ venientem contra se, vniuit exercitum suum, quem diuiserat; partem mittendo contra Ierusalem, & parte vtendo ad expugnandas ciuitates Iudæ.

Et iuit contra eum.] Iuxta Heb. habetur, *& reuersus est, & misit nuncios ad Chizci-iahu dicendo.* Nihil dicitur de itinere eius contra Regē Æthiopiæ: sed scribitur, quòd reuersus est ad terrendum Ezechiam epistolis, qui primò terruerat eundem verbis Rabsacis, & exercitu: retrahendo siquidem obsidionem, mittit epistolas, ne confidat in Deo, videndo hanc retractionem, quia reuerteretur aduersùs Ierusalem.

Vers.10. *Sic dicetis ad Chizci-iahu Regem Iehuda: Non te seducat Deus tuus.*] Solita sunt nomina, *Elohe iam.*

In quo tu habes fiduciam dicendo: Non tradetur Ierusalaim in manum Regis Assur.

Vers.11. *Ecce tu audisti, quæ fecerunt Reges Assur omnibus terris vastando eas: & tu liberaberis?*

Vers.12. *An liberauerunt Dy gentium eos, quos deleuerunt Haran, & Reseph, & filios Heden, qui erant in Thelasar?*

Vbi est Rex Chamath, & Rex Arpad, & Rex ciuitatis Sephar-naim, Henah, & Hiu-ue? Vers.13.

Tulit autem Chizci-iahu literas de manu nunciorum, & legit eas: ascenditque in domum Domini, & expandit eas coram Domino.] Iunge hæc cum antedictis: & perpendes, tum literas, tum verba nunciorum plena huiusmodi blasphemiis. Vers.14.

Orauitque Chizci-iahu coram Domino, & dixit: Domine Deus Israël sedens super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terra, tu fecisti cælum & terram. Vers.15.

Inclina, Domine, aurem tuam, & audi. Aperi, Domine, oculos tuos, & vide.] Humano more Deum alloquitur: in quo non sunt huiusmodi corporalia membra aurium, & oculorum; sed eminentius est in Deo quicquid est aurium, & quicquid oculorum, & reliquorum sensuum. Vers.16.

Et audi omnia verba Sancherib, quæ misit, vt exprobraret nobis Deum viuentem.] Iuxta Hebræum habetur, *ad vituperandum Elohim viuum.* directè enim contra summum Deum inuehebatur.

Verè, Domine: vastauerunt Reges Assur gentes, & terras omnium.] Legendum est, *& terram earum.* sic enim habetur Hebraicè. Vers.17.

Et miserunt Deos eorum in ignem (quia nō erant Dij, sed opera manuum hominum, lignum, & lapis,) & perdiderunt eos. Vers.18.

Nunc igitur, Domine Deus noster, saluos fac nos, obsecro, de manu eius: & sciant omnia regna terræ, quòd tu es Dominus Deus solus.] Hebraicè habetur, *Elohim solus tu.* quemadmodum etiam superiùs scribitur, cùm dicitur: *Tu es Deus solus, tu ipse Elohim solus tu.* solus enim fons essendi est Elohim, (hoc est, gubernator, & Iudex,) vniuersorum regnorum. Vers.19.

Misit autem Iesaiah-iahu, filius Amoz, ad Chizci-iahu dicendo: Sic dicit Dominus Deus Israël: Quæ deprecatus es me super Sancherib Regem Assur, audiui.] Non est dubium, hunc esse Esaïam Prophetam, cuius præclarum habemus librum: & non interrogatus mittit ad Regem, per hoc manifestans Deum reuelasse sibi exauditionem orationis Ezechiæ. Vers.20.

Esaïas missus ad Ezechiam quis fuerit.

Hoc est verbum, quod locutus est Dominus super eum: spreuit te, subsannauit te virgo filia Zi-ion, post te caput mouit filia Ierusalaim.] Ad populum Ierusalem dirigitur sermo propheticus: illum enim appellat virginem filiam Sion, filiam Ierusalem metaphorico sermone, instar puellæ virginis penitùs imbellis spretum, & irrisum à Rege Assyriorum. Vers.21.

Cui exprobrasti, & quem blasphemasti.] Iuxta Hebræum habetur: *Quem vituperasti, & iniuriatus es, & super quem exaltasti vocem?* Apostrophat Propheta ad ipsum Sancherib, pro quanto aduersùs summum Deum verba protulit, & per nuncios, & per epistolam. Vers.22.

Et eleuasti in excelsum oculos tuos.] De internis mentis oculis est sermo, quòd eleuauerit eos supra Deum, despiciendo diuinam potentiam.

Contra sanctum Israël.] Legendum est, *super sanctum Israëlis.* hoc est, summum Deum veneratum ab Israële, verè sanctum, mundum ab omni imperfectione.

Per manum nunciorum tuorum exprobrasti Domino.] Hebraicè habetur, *vituperasti Iehouah.* Eundem declarat esse fontem essendi, & sanctum Israëlis; hoc est, actum purum cultum in Israel. Vers.23.

Et

Montes excel. si metaphoricè significans potentatum.

Et dixisti: In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium.] Metaphoricus est sermo iste, significãdo per montes excelsos potentatus.

In summitate Libani.] Hebraicè habetur, *coxas Lebanon.* hoc est, sustentantia excelsorum, quemadmodum coxis innititur corpus.

Et succidi sublimes cedros eius, & electas abietes eius.] Gloriabatur in potentia exercitus inuasisse potentatus magnos, & cedros, & abietes (hoc est, magnos Principes) succidisse: vt in epistola eius scriptum erat.

Et ingressus sum vsque ad terminos eius, & saltum Charmeli eius.] Iuxta Hebr. habetur: *Et veni in cubiculum finis eius, syluam Charmeli eius.* Non solùm Principes succidisse, sed etiam vniuersa cubicula penetrasse, quasi syluam deliciarum omnium gloriatur.

Vers. 24. *Ego succidi.*] Hebraicè habetur:

Ego cauaui, & bibi aquas alienas. Instar cauantis terram, & sic peruenientis ad aquam subterraneam alienam ab humanis vsibus, gloriatur, se occultis potitum fuisse thesauris, alienis olim ab humano vsu; vtpote reconditis ab eorum dominis, sed prolatis vi armorum.

Et siccam vestigijs pedum meorum omnes aquas clausas.] Iuxta Hebr. habetur: *Et feci destrui in planta passuum meorum omnes riuos fortitudinis.* Auxiliares copias sonant riui fortitudinis: quas destruxisse se gloriatur peruagando, sicut riui aquarum destruuntur ambulando super eos.

Riui fortitudinis, *sunt auxiliares copiæ.*

Vers. 25. *Nónne audisti.*] Deficit, *à longè.* Deum loquentem ad Sancherib introducit Propheta: Nunquid non audisti à longè? Et dicendo, *à longè*, insinuat, se loqui de re gesta in loco certo, cuius fama extensa est ad partes remotas: de huiusmodi enim rebus dicimus: Nunquid non audisti à longè? hoc est, in distanti regione.

A lõgè, *quid.*

Quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plasmaui illud.] Iuxta Hebræum habetur, *ipsam feci in a diebus antiquitatis, & formaui ipsam.* ita iacet in Hebræo. Res audita à longe à Rego Assur explicatur; videlicet, quòd ipsam gentem Israëliticam ego Deus feci in tempore à diebus antiquitatis. Et *dies antiquitatis* dicuntur dies ab Abrahæ segregatione vsque ad exitum populi de Ægypto: totum enim illud tempus supputatur tempus, quo factus est Israël in populum liberum: & hoc publica fama diuulgatum erat ad remotissimas orbis partes. Alterum quoque similiter diuulgatum adiungitur, *& formaui ipsam*: ego siquidem Deus gentem ipsam formaui lege mea in monte Sinai: hæc enim duo audita erant à longè ab aliis nationibus. Et in hac formatione comprehenditur illud valdè peruulgatum, quod etiam in lege scriptum est: videlicet, quòd Israëlitis seruantibus legem Deus assisteret, prospera efficiendo: recedentibus autem à Deo, Deus adesset puniendo: vnde & Achior coram Holoferne audita hæc retulit, vt in lib. Iudith scribitur. Commemorat igitur Deus, quòd ipse peculiarem curam Israëliticæ gentis habuit: vt hinc intelligat Sancherib, vt non glorietur in fortitudine exercitus sui, sed agnoscat diuinæ dispensationis fuisse, quòd gens Israëlitica post tot victorias, tantámque eminentiam in terra promissionis tradita sit in manus Regum Assur. Et propterea subiungit:

Dies antiquitatis, *qui.*

Iudith 5, 17.

Et nunc adduxi.] Iuxta Hebr. habetur: *Nunc feci venire ipsam, & erit ad faciendum desolare in aceruos desertionum ciuitates munitas.* Quòd tu gloriaris fecisse in fortitudine exercitus tui aduersùs Israëliticam gentem, scito me fecisse: ego enim nunc moderno tempore feci venire ipsam Israëliticam gentem ad hoc, quòd erit ad faciendum meritoriè desolare proprias ciuitates munitas in aceruos desertionum. Et verificatur, Deum fecisse hæc, quoad malum quidem culpæ, relinquendo eos proprio arbitrio; quoad malum verò pœnæ, efficiendo. Futurum autem, *erit*, relatiuè ad præteritum, *feci venire*, intelligendum est: respectu enim diuinæ permissionis optimè significatur futura punitio: priùs enim Deus permittit peccatum, & posteà punit. Loco quorum verborum vulgata editio habet:

Deus quomodo faciat mala quoad culpam, & quoad pœnã

Erúntque in ruinam collium pugnantium ciuitates munitæ.] Quod autem sequitur:

Vers. 26. *Et qui sedent in eis humiles manu.*] non longè ab Hebraica est veritate: iuxta quam habetur: *Et habitatores earum breuiati manu.* continuatur enim, quòd erit etiam ad hoc, quòd habitatores ciuitatum decurtabuntur manu, hoc est, potestate, vt experientia testabatur: vna enim ciuitas non poterat succurrere alteri.

Contremuerunt, & confusi sunt.] Prima dictio sonat, *passos fractionem*; secunda autem, *passos pudorem.* Non solùm minorata est potentia Israëlitarum, sed etiam ipsi fracti, & verè fracti in illis paruis viribus remanentibus: verèque pudore affecti, humiliatis eorum mulieribus ab hostibus.

Facti sunt fœnum agri.] vtile duntaxat bestiis.

Herba tecti peior viriditate herbarij, & herba agri.

Et virens herba tectorum.] Iuxta Hebr. habetur: *Et viriditas herbarij, fœnum tectorum.* Minùs vtilis est viriditas herbarij, quàm herba agri: quoniam herba agri vtilis est pecoribus, viridis & sicca: viriditas autem solo viriditatis tempore seruit. Peior autem ambabus est herba tecti, quæ nec etiam brutis animalibus vtilis est.

Israëlita assimilantur quatuor differentijs herbarum.

Qua arefacta est, antequam veniret ad maturitatem.] Iuxta Hebr. habetur, *& vsta ante segetem.* Dictio interpretata, *vsta*, circunloquitur percussionem à vento vrente factam circa frumentorum culmos, antequam impleantur spicæ: assimilantur siquidem Israëlitæ his quatuor differentijs herbarum, ad Insinuandum, quòd omnes (vtpote inutiles rationali vitæ, quæ secundùm Deum est) puniti sunt alij quidem vt herba agri, hoc est, addicti vitæ brutali: alij vt viriditas herbarij addicti vanitatibus: alij, vt herba tectorum, in vana celsitudine: alij, qui videbantur fructum allaturi, vrente vento humanæ gratiæ nullum afferentes fructum: quales erant multi Principes videntes miracula Eliæ, & Elisæi, & aliorum Prophetarum, & confitentes summi Dei veritatem, factis autem negantes ob humanam gratiam.

Vers. 27. *Habitationẽ autem tuã, & egressum tuum, & introitũ tuum.*] Declarata propria cura populi Israëlitici, Deus consequenter declarat, quòd ipso Sancherib vtitur Deus, vt instrumẽto, manifestando, quòd nouit omnes actiones, & quietes eius.

Deus notitia practica gubernat singula

Ego præscius.] Iuxta Hebr. habetur, *scius.* Et est sermo de notitia practica: hoc est, qua gubernat Deus singula: declarat enim, quòd sua gubernatione disposuit ipsius Sancherib, tum quietem, tum egredi, tum ingredi.

Et furorem tuum contra me.] hunc enim, quatenus peccatum, permissiuè disposuerat; sed quatenus puniendum, disposuit, vt subiungit.

Insanisti in me, & superbia tua.] Iuxta Hebr. habetur, *pro eo, quòd ira tua in me, & tumultus tuus ascendit in aures meas.* Verè aduersùs Deum insurrexerat, & tumultuosus fuerat epistolis, & verbis

verbis Rabſacis.

Ponam itaque circulum.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *& ponam hamum meum in naribus tuis.* inſtar bubalorum.

Et camum.] Legendum eſt, *& frænum meum in labiis tuis.* inſtar equorum: declarans per hoc, quòd non minùs ſubditus eſt Sancherib ipſi Deo, quàm equus fræno ſeſſoris, & bubalus hamo vertentis ipſum.

Et reducam te per viam, qua veniſti.] Ecce effectus, qui poſteà ſubſecutus eſt.

Verſ. 29. *Tibi autem, Ezechia, hoc erit ſignum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et hoc tibi ſignum.* Cætera addidit Interpres, ad declarandum, quòd pronomen, *tibi*, demonſtrat Ezechiam Regem, ad quem vniuerſam hanc prophetiam miſit Eſaias. Et dicendo, *ſignum*, inſinuat miraculum præcedens futuram libertatem à Rege Aſſyriorum: vt videndo hoc ſubiunctum ſignum antecedens, credat ſubſequentem libertatem.

Comede hoc anno, quæ repereris; in ſecundo autem anno, quæ ſponte naſcuntur: porrò in tertio anno ſeminate, & metite.] Iuxta Hebr. habetur: *Comedendo anno cadiua, & in anno ſecundo naſcentia ex cadiuis: & in anno tertio ſeminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructus earum.*] Ex eo, quòd vſque ad tertium annum differtur ſeminare, & metere, habetur primò, quòd biennium fluxit à tempore, quo Rex Aſſur miſit epiſtolam ſupradictam ad Ezechiam, poſt quam Eſaïas protulit hanc prophetiam vſque ad libertatem Ieruſalem, occiſis vna nocte centum octogintaquinque millibus. Habetur ſecundò, quòd in hoc biennio medio Ieroſolymitæ, nec erant obſeſſi, nec erant liberi; ſed medio modo ſe habentes: nam ſi fuiſſent penitùs obſeſſi, non potuiſſent veſci ex cadiuis primo anno, & ex ortis cadiuorum ſecundo anno: obſidio ſiquidem vetuiſſet colligere eos hæc: & ſi fuiſſent penitùs liberi, potuiſſent ſeminare, & metere, nec dilata fuiſſet ſeminatio, & meſſis in tertium annum. Medio igitur modo (hoc eſt, nec penitùs obſeſſi, nec penitùs liberi) ſignificantur futuri per biennium. Rationi ſiquidem conſentaneum eſt, quòd Rex Aſſyriorum in omnibus ciuitatibus Iudæ, quas ceperat, reliquerit præſidia militum, quanuis reuocando exercitum ab obſidione Ieruſalem, vt vnitum haberet exercitum aduersùs Regem Æthiopiæ venientem contra ſe: milites autem in præſidiis relictis, quanuis nó ſufficerent ad obſidionem Ieruſalem, ſufficiebant tamen ad terrendum eos, & retrahendum à ſeminatione, & reliquis actionibus agriculturæ: quoniam facile fuiſſet excurſionibus ſata omnia deſtruere, & etiam ipſos agricultores inuadere. Conſiſtit autem ſignum diuinum à Propheta datum, in hoc mirabili diuinæ gratiæ opere, quòd abſque noua ſeminatione colligent frumenta ſufficientia ad eorum victum: videlicet, comedẽdo anno illo cadiua; hoc eſt, fruméta, quæ ex calcatis, & concuſſis agris ſatis, ab hoſtibus remanſerunt non metenda, ſed caſura per ſeipſa: tã pauci ſiquidem, & iam rari culmi frumentorum perducendi erant ad fructum, vt ab hoſtibus pro nihilo haberentur, & à Ieroſolymitis non eſſent metẽdi, ſed colligendi: & propterea vniuerſum hoc Hebraïcè etiam appellatur cadiuum, eò quòd non meſſui, ſed caſui relinquebantur grana illa pauca ab hoſtibus: & ſimiliter caſui relicta fuiſſent à Ieroſolymitis tempore libertatis. Et ad cumulũ miraculi adiungitur, quòd ſecundo anno ex granis, quæ ceciderunt in terram, tanquam reliquiis primi anni, naſcentur tot frumenta, quòd ſufficient ad victum pro ſecundo anno. Verè mirabile opus diuinæ gratiæ, & verè ſignum ſufficiens futuræ libertatis datum eſt.

Ex eo, quòd vſque ad tertium annum differt ſeminare, & metere Eſaias, quid inferatur.

Signum diuinũ ab Eſaia datum Ezechiæ, in quo conſiſtebat.

Cadiua et meſſa quæ, & cur.

Verſ. 30. *Et quod reliquum fuerit de domo Iehudæ, addet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum.*] Proſperitatem reliquiarum populi Iudæ prædicendo deſcribit ad ſimilitudinem plantarum, quæ radicantur ſubter, & fructificant in parte ſuperiore: vt vtrinque proſperitas ſignificetur, & quoad terrena, & quoad diuina.

Proſperitas quoad diuina, & terrena, quomodo deſcripta.

Verſ. 31. *De Ieruſalaim enim egredientur reliquiæ, & ſaluatum de monte Zi-ion.*] Dixerat, proſperitatem domus Iudæ, adiungit proſperitatem in ſpecie ciuitatis Ieruſalem, quæ ſola remanſerat non ſubdita Regi Aſſyriorum.

Zelus Domini exercituũ faciet hoc.] nõ merita veſtra; ſed zelus diuinus (zelus, inquã, diuini nominis blaſphemati ab Aſſyriis) faciet vniuerſum hoc.

Verſ. 32. *Quamobrem ſic dixit Dominus de Rege Aſſur: Non ingredietur ciuitatem hanc, nec iaciet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeo, nec circundabit eam munitio.*] Iuxta Hebr. habetur, *& non verſabit ſuper eã aggerem.* Non ſolùm libertatẽ promittit; ſed etiam non futuram obſidionẽ ciuitatis Ieruſalẽ: negatio enim obſidionis ſignificatur per nõ tactum ſagittæ, & reliquas negationes ſubiũctas.

Verſ. 33. *Per viam, qua venit, reuertetur, & ciuitatẽ hanc non ingredietur.*] Hebraicè habetur, *& ad ciuitatem iſtam non veniet, dicit Dominus.* Ad literam enim prædicitur, perſonã Regis non venturam ad obſidionem. Et verificatũ eſt: quia perſona Regis nõ fuit inter illos cẽtũ & octoginta millia percuſſos.

Verſ. 34. *Protegámque ciuitatem hanc ad ſaluandum eam: propter me, & propter Dauid ſeruum meum.*] non propter veſtra merita; ſed propter merita Dauidis, & propter gloriã nominis mei ſaluabo ciuitatem hanc. Et hinc habes, quanti pendit Deus merita Sanctorum etiam defunctorum, in iis quæ reliquerunt poſt ſe: ciuitas enim Ieroſolymitana à Dauide primùm eſt erecta in ciuitatem, tum diuini templi, tum regiæ ſedis: & propterea tanquàm ſanctum opus Dauidis protegendum, & ſaluandum à ſe promittit Deus.

Deus quanti pendat merita Sanctorũ, etiam defunctorum.

Verſ. 35. *Factum eſt igitur in nocte illa.*] Hebraicè habetur: *Et fuit in nocte illa.* Hebraicè habetur: *Et fuit in nocte illa.* Interpres ſemper ferè vtitur, *factum eſt*, pro *fuit.* Pronomen autem, *illa*, ſeu *ipſa*, demõſtrat noctem ſequentẽ aduentum exercitus Sancherib poſt bienniũ à ſupradicta propheria: prædixerat enim Propheta, quòd biennio futuri erãt Ieroſolymitæ, nec penitùs obſeſſi, nec penitùs liberi; tertio autem anno penitùs liberi abſque obſidione, ita quòd reuerteretur Rex Aſſyriorum, & occideretur in terra ſua: & in hoc comprehenſum eſt, quòd iterum venturus eſſet contra Ieruſalem, ſed non obſeſſurus, ſed reuerſurus in terrã ſuam occidendus. Et propterea Author libri huius recitata prophetia, ſtatim ſubjunxit: *Et fuit in nocte ipſa.* quæ, videlicet, immediatè ſecuta eſt aduentũ exercitus Regis Aſſyriorũ ad obſidendũ Ieruſalẽ.

Factum eſt, pro fuit.

Venit Angelus Domini.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et exiuit Angelus Iehouah, & percuſſit in caſtris Aſſur centum, & octoginta quinque millia.*] Verè adimpleta narratur prophetia, quòd nec fecit ſagittam, nec obſedit: vtpote qui ſtatim percuſſus eſt à Deo. Qualitas autem percuſſionis huius non eſt vſquequaque certa: creditur tamen fuiſſe aduſtio circa reſolutionem cor-

Qua plaga percuſſi fuerint Aſſyrij obſidentes Ieruſalem.

porum in cineres: & quadrat tum salubri aëri pro Ierosolymitis, tum seruationi spoliorum pro eisdem.

Cúmque diluculo surrexissent, vidit omnia corpora mortuorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexerunt diluculo, & ecce omnes ipsi interfecti mortui.* Ex eo, quòd prima nocte occisus est exercitus, qui venerat ad Ierusalem, insinuatur, quòd Rex Assyriorum personaliter non venerat ad locum exercitus; sed more Regum sequebatur venturus post ordinatum exercitum ad obsidionem ciuitatis: & de illis, qui cum Rege erant, narratur, quòd surrexerunt mane diluculò, & apparuerunt cadauera omnium interfectorum, qui erant in exercitu. Et hinc clarè habetur, quòd non fuerunt in cinerem resoluta corpora. Nec dicitur Regem Assur vidisse corpora mortua, sed subiungitur:

Reges non solent personaliter venire ad locũ exercitus.

Vers. 36. *Et mouit, & iuit, & reuersus est Sancherib Rex Assur.*] tunc enim audiuit auditionem tantæ plagæ, & spiritu reuertendi in terram suam actus est iuxta Esaiæ vaticinium: & sic libertatem omnimodam adepta est Ierusalem: nam & milites qui fuerant in præsidiis, conuenerant ad exercitum: vt plena esset libertas, vt Esaiæ 9. patet dum assimilatur hæc victoria diei Madian, tempore Mosis, &c.

Esaiæ 9.

Et habitauit in Nin-ue.

Vers. 37. *Cúmque adoraret in domo Nis-roch, Dei sui, Ad-ramelech, & Sar-ezer, filij eius, percusserunt eum gladio.*] Ecce adimpleta penitus prophetia Esaiæ.

Fugerúntque in terram Ararat: & regnauit Esarchadon, filius eius pro eo.]

CAPVT XX.

Vers. 1. IN *diebus illis ægrotauit Chizci-iahu.*] Iunge tempus suprascriptum cap. decimo-octauo (videlicet, quòd anno quartodecimo regni Ezechiæ ascendit prima vice Sanchetrib aduersùs Ierusalem, & misit Rabsacem, & successiuè epistolam) cum infrascripto tempore, videlicet, quòd post hanc ægritudinem vixit Ezechias annis quindecim: & perpendes manifestè, hanc ægritudinem Ezechiæ fuisse eodem anno quartodecimo, quo comedebant eadiua: nam Ezechiæ regnum durauit annis vigintinouem, vt in principio eiusdem decimioctaui capituli dicitur. Cùm ergo dicitur: *In diebus illis ægrotauit Ezechias.* pronomen, *illis*, demonstrat dies medios inter prophetiam Esaiæ acceptam epistola Sancherib, & reditum Sancherib ad obsidendum Ierusalem. Et ex hac clara supputatione habes, vnde conuincas fabellas multas.

Quo anno ægrotauerit Ezechias, & quandiu post eã vixerit.

Vsque ad mortem.] hoc est, ægritudine mortali.

Venitque ad eum Iesab-iahu, filius Amoz, Propheta, & dixit ei: Sic dixit Dominus: Præcipe domui tuæ.] hoc est, præcipiendo dispone morituris, quæ circa domum tuam ordinanda sunt.

Morieris enim tu.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Quia morturus tu, & non viues.* intelligitur enim, quòd pro mortuo haberis. Et verum dixit secundùm dispositionem causarum naturalium præsentium: manifestauit enim Deus, quòd ægritudo illa secundùm naturalem dispositionem, quam tunc habebat, ducebat illum ad mortem.

Vers. 2. *Qui vertit faciem suam ad parietem.*] vt collecto toto spiritu deuotiùs oraret, non impedimus à visu aliorum.

Et orauit ad Dominum dicendo.] Hinc apparet, quòd rectè intellexit sermonem Domini per Propheram: intellexit enim non vt prophetiam prædestinationis, sed comminationis: & propterea sperando mutationem diuinæ sententiæ supplicauit pro vita propria.

Ezechias sperans mutationem diuinæ sententiæ, supplicat.

Vers. 3. *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Qui ambulaui coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis feci.* Suipsius non absolutè, sed quatenus ambulauit coram Deo (intùs quidem, tum in veritate quoad partem intellectiuam, tum in perfectione cordis quoad partem affectiuam, extrà autem faciendo bona opera) recordationem proponit Deo supplex: non vt merita ex propriis viribus, sed vt merita ex diuina gratia in eo proponat ad obtinendam prorogationem vitæ: tum, quia verè opera eius ex diuina gratia merebantur longè maius, quàm prorogationem vitæ corporalis: tum, vt tolleretur occasio relinquendi viam Dei videntibus ipsum mori absque liberis cum tanta sanctitate: firmassent enim errorem illum, quòd seruientes Deo mala patiuntur: tum innixus promissioni legis, in qua sectantibus Deum temporalis prosperitas multiplex promittitur.

Ezechias proponebat Deo merita ex diuina gratia, non merita ex propriis viribus.

Prosperitas temporalis à lege promittitur sectantibus Deum.

Fleuitque Chizci-iahu fletu magno.

Vers. 4. *Et antequam egrederetur Iesab-iahu mediam partem atrij.*] Iuxta Hebræum habetur, *à ciuitate medij.* sed Hebraïca phrasis vertenda est, & intelligendum, à medio ciuitatis. Et est sermo de ciuitate Dauidis; hoc est, de monte Sion: adhuc enim recedendo non transierat medium montis Sion.

Factus est sermo Domini ad eum dicendo:

Vers. 5. *Reuertere, & dic Chizci-iahu duci populi mei.*] Meritum Ezechiæ commemoratur in hoc, quòd verè exhibuerat se populi Dei rectorem, ac ducem: per hoc manifestans Deus placuisse sibi rectitudinem Ezechiæ.

Meritũ Ezechiæ commemorat Deus.

Sic dixit Dominus Deus Dauid patris tui.] Ideò commemoratur Dauid pater Ezechiæ, vt intelligamus Ezechiam ideò orasse, & fleuisse, ne ipse primus inter Reges filios Dauid moreretur, absque filio succedente super solium Dauid: putabat enim ex regali illa linea nasciturum promissum Abrahæ, & Dauidi Messiam: & valdè tristabatur, quòd ipse excluderetur ab hac genealogia, qui verè erat filius Dauidis, vtpote non solùm genere, sed imitatione.

Cur Ezechias pater Dauid dicatur.

Audiui orationem tuam, vidi lacrymam tuam, & ecce sanaui te.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce ego sanans te.* quanuis ægritudo sit ducens te ad mortem; ego tamen, qui supra naturales dispositiones sum, sano te.

Die tertio ascendes domum Domini.] Non subitò sanauit Deus, sed in diem tertium distulit perfectam sanitatem distribuens dona sua, prout vult. Subiuncta tamen insinuant rationem dilatæ sanitatis fuisse, vt daretur occasio petendi signum, & multiplicandi mirabilia Dei ad augmentum gloriæ diuini nominis: si enim statim fuisset sanatus, non postulasset signum.

Cur Deus sanitatem Ezechiæ distulerit.

Et addam diebus tuis quindecim annos, & Vers. 6. *de manu Regis Assur liberabo te, & ciuitatem hanc: & protegam ciuitatem istam, propter me, & propter Dauid seruum meum.*] Ex futura liberatione de manu Regis Assyriorum, etiam comprobatur.

comprobatur, quòd pendebat adhuc reditus Regis Assyriorum comminatus: vnde & repetuntur verba in priore prophetia dicta: videlicet, propter me, & propter Dauid seruum meum.

Vers. 7. *Dixitque Iesab-iahu: Afferte massam ficuum.*] Vtitur Deus Propheta etiam vt Medico, inspirando vt caricas adhibeat loco ægritudinis: vt per hoc Ezechias magis incitetur ad petendum signum, considerando, quòd medicina caricarum non erat allatura illi perfectam sanitatem infra triduum.

Et attulerunt, & posuerunt super vlcus eius.] Hinc habetur ægritudo innata, sed non locus ægritudinis.

Et curatus est.] Iuxta Hebræum habetur, *& sanatus est*, non tamen statim, sed die tertio.

Vers. 8. *Dixerat autem Ezechias ad Esaiam.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit Chizci-iahu ad Iesab-iahu.* Non significatur, quòd ante medicinam caricarum manifestatam Ezechias petierit signum.

Quod erit signum, quòd sanabit me Dominus, & quòd ascendam die tertio domum Domini?] Superfluit, *erit.* Promiserat sanitatem à Deo, & perfectam in die tertio: & propterea vtriusque petit signum. Nec peccauit petendo signum: tum, quia imitabatur Abraham: tum, quia reprehensus fuerat pater eius Acham ab eodem Esaia Propheta, eò quòd noluisset petere signum, vt scribitur Esai. 7. Petiit ergo Ezechias signum non incredulus, sed ad multiplicandum gloriam diuini nominis.

An Ezechias peccauerit petendo signum. Isai. 7.

Vers. 9. *Cui ait Iesab-iahu: Hoc tibi signum a Domino, quòd faciet Dominus rem, quam locutus est. Vis, vt ascendat vmbra decem lineis; aut, vt reuertatur totidem gradibus?*] Iuxta Hebræum habetur: *Fuit vmbra decem gradibus; an reuertetur decem gradibus?* sic iacet in Hebræo. Affirmat Propheta in horologio solari iuisse vmbram iam per decem gradus: & optionem dat, an velit Ezechias pro signo regressum vmbræ per decem gradus, vel progressum eiusdem decem gradibus. Mutilo autem sermone scribitur data optio, scribendo vnicum optandum: testatur enim responsio Ezechiæ subiuncta, quòd duorum optionem proposuit Propheta Ezechiæ.

Vers. 10. *Et ait Chizci-iahu: Facile est vmbram crescere decem lineis, nec hoc volo, vt fiat; sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Leue vmbram inclinari decem gradibus, non quòd reuertetur vmbra retrorsum decem gradibus.* Hæc responsio clarè manifestat optionem Ezechiæ datam: & non elegisse ipsum progressum vmbræ per decem gradus, dicendo, non, sed regressum per gradus decem subdendo, quòd reuerteretur vmbra decem gradibus. In quibus quoad formam horologij, apparet in primis, quòd horologium hoc solare erat: vtpote, in quo vmbra Solis erat monstrans horas diei. Deinde, quòd per gradus distinctę erãt partes recipientes, & monstrantes vmbram. Gradus autem intelligo pictos, seu fabrefactos: sic vt per modum ascendentis vmbra progrederetur vsque ad meridiem, & per modũ descendentis vmbra progrederetur à meridie vsque ad noctẽ: hoc enim insinuat verbum, *inclinari*, dicente Ezechia: *Leue vmbram inclinari.* hoc manifestat nomen graduum. Habetur tertiò, quòd singuli gradus non monstrabant singulas horas, neque maius temporis spatium; sed minus: quod ex hoc conuincitur, quòd viginti gradus vmbræ erant in horologio illo, vt verba Esaiæ ad Ezechiam testantur: alioquin non fuisset data optio progressus vmbræ decem gradibus, vel regressus decem gradibus: certum est enim, & quòd vmbræ non fiunt, nisi Sole existente supra terram, & quòd in Ierusalem nunquam dies excedit tempus quindecim horarum: cùm in quarto sita sit climate, in quo maximus dies dimidiam supra quatuordecim horas non excedit: impossibile est igitur viginti gradus vmbræ solaris respondisse singulis horis partientibus diem naturalem in partes viginti quatuor æquales: minus ergo spatium, quàm vnius horæ respondebat vmbræ vnius gradus in illo horologio. Quoad miraculum verò habetur in primis, quòd data optio progressus, vel regressus intelligitur subitò, seu in momento temporis: hoc est, quòd in momento temporis progrediatur vmbra per decem gradus, vel in momento temporis regrediatur per decem gradus. Et hunc esse literalem sensum, ex eo patet, quòd alioquin nullum promisisset miraculum in progressu vmbræ: nam secundùm naturalem motum Solis erat illo die vmbra per illos decem gradus reliquos progressura solito tempore: ex hoc igitur, quòd optio duorum miraculorum data est, habetur, quòd de momentaneo progressu, vel regressu vmbræ per decem gradus fuit sermo. Habetur secundò ratio, quare Ezechias dixerit: *Leue vmbram inclinari.* inter inclinationem siquidem vmbræ per decem gradus momentaneam, & retrocessionem momentaneam per decem gradus, hæc est differentia, quòd inclinatio quoad rem erat naturalis, sed quoad modum erat miraculosa: nam vmbram inclinari à Meridie in Occidens est naturale, & fit à natura, sed tali modo, (videlicet, in momento per gradus decem,) miraculosum erat: retrocessio autem à Meridie in Oriens, nec quoad modum, nec quoad rem, potest à natura fieri: & propterea in retrocessione erat miraculum, non solùm in modo faciendi; sed etiam in substantia facti: in progressu verò erat miraculum, non quoad substantiam facti, sed quoad modum faciendi duntaxat: & propterea Ezechias dixit: *Leue est vmbram inclinari decem gradibus.* Leue dixit, relatiuè ad arduum regrediendi opus. Habetur tertiò, quòd ex hoc miraculo patrato tempore Ezechiæ, regresso Sole per decem gradus, non creuit dies ille, nisi decem graduum illius horologij spatio, quod esse minus decem horis manifestatum est: nam in momento rediit per decem gradus vmbra Solis, & postea solito tempore per eosdem gradus ascendit iterum ad Meridiem. Et hinc clarissimè patet, verum scriptum fuisse in lib. Iosuæ, quòd nec antè, nec pòst, fuit dies tam longus, sicut ille, tempore Iosuæ, &c. Iosue. 10. 14.

In Ierusalem dies nunquã excedit tepus 15. horarũ.

Cur Ezechias dixerit. Leue vmbrã inclinari.

Quantùm creuerit dies, regresso Sole per decem gradus.

Ezechias non elegit progressum vmbræ, sed regressum, super quo tria examinantur.

Vers. 11. *Clamauit itaque Iesab-iahu Propheta ad Dominum: & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Acham, retrorsum decem gradibus.*] Iuxta Hebræum habetur, *& reuersa est vmbra in gradibus, quos descendit, in gradibus Acham, retrorsum decem gradibus.* Miraculum describitur, quòd vmbra reuersa est descendendo in gradibus appositiuè in gradibus Acham, (hoc est, horologij solaris facti à Rege Acham,) & rursus appositiuè retrorsum gradibus decem: singula enim declarantur singillatim.

Vers. 12. *In tempore illo misit Berodach Bal-adan, filius Bal-adan, Rex Babel.*] Pronomen, *illo*, monstrat quidem tempus post hoc miraculum, sed non immediatè post: tum, quoniam peccatum Ezechiæ commissum in aduentu Legatorum Regis Babylonis fuit, vt creditur, post plenam libertatem Ierusalem à Rege Assyriorum: tum quia clarè subiungitur, Ezechiam monstrasse Legatis istis argentum, & aurum proprij thesauri: constat enim ex suprascriptis in cap. 18. quòd thesaurus regius euacuatus fuerat, vt daretur Sancherib. Post igitur plenam libertatem Ierusalem, & reconditos iterum thesauros, tempus demonstratur: ab hoc autem miraculo vsque ad plenam libertatem fluxit annus vnus, quintusdecimus, scilicet, regni Ezechiæ. Tam nomen autem Regis, quàm titulus regni monstrat hunc Regem non fuisse Regem Assyriorum. Sancherib enim successit Esarchadon in regno Assyriorum: vt in calce præcedentis capituli scriptum est.

Quo tempore scripserit Rex Babylonis literas ad Ezechiam.

Literas & munera ad Chizci-iahu.] honorando eum.

Audierat enim, quòd egrotasset Chizci-iahu.] Mutila est relatio, significans Regem Babylonis audisse, quòd propter Ezechiæ ægritudinem Sol retrocessisset: propterea enim misit ad eum Legatos cum literis, & muneribus, vt certior redderetur de causa retrocessionis Solis, & modo, quo res gesta est ex ore ipsius Ezechiæ Regis: vt in Paralipomenon suppletur cap. trigesimosecundo. Et hinc apparet Babylonios nõ solùm admiratos fuisse viso regressu Solis, sed sollicitos fuisse ad inquirendum causam: & cùm audissent propter ægritudinem Regis Ezechiæ factum oratione Prophetæ hoc fuisse, procurarunt à Rege, vt mitterentur Legati ad sciendum hoc. Quocirca dubitandum non est scriptum à Babyloniis fuisse hunc mirabilem motum Solis: sed perditi sunt libri non solùm Annalium; sed etiam Astrologorum Babyloniorum, & aliorum antiquorum: & propterea non est mirum, si non inuenitur hoc scriptum in libris Astrologorum, quos habemus.

De qua vt ad eum scripserit.

Vers. 13. *Lætatus est autem in aduentu eorum Ezechias.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et audiuit super eos Chizci-iahu.* Hebræi *audire*, pro *exaudire* vtuntur: & propterea scribitur hîc, quòd exaudiuit Legatos Ezechias in eo, quod petebant, manifestando eis tempus, causam, & modum rei gestæ ad hoc, vt Sol retrocederet.

Et ostendit eis domum aromatum.] Iuxta Hebræum habetur, *& ostendit eis omnem domum reconditi sui.* Hebraïco more priùs in genere describitur vniuersum monstratum, deinde descenditur ad species.

Hebræi priùs describũt genus, deinde species.

Et aurum.] Hebraicè absque coniunctione subiungitur:

Argentum, & aurum, & aromata, & oleum bonum, & domum vasorum suorum, & omne, quod fuit inuentum in thesauris eius.] Hæc in specie enumerantur affirmatiuè iuxta Hebraicam veritatem: deinde immediatè subiungitur negatiua.

Non fuit res, quam non ostendit eis Chizci-iahu in domo sua, & in omni potestate sua.] Et per oleum quidem bonum significatur vnguentum pretiosum, quo Reges vtebantur in regione illa, vbi frequens erat vsus vnctionum. An autem per id, quod dicitur, *in omni potestate sua*, comprehendantur monstrata etiam ea, quæ erant in templo, perspicuum non est: nam hinc videtur affirmandum, eò quòd sub potestate Regis erant res templi; inde autem videtur negandum, eò quòd superueniens Propheta nihil dicit de rebus templi, arguendo Regem; quæ tamen causa debuisset esse præcipua ad arguendum Regem.

Oleum bonum, quid.

An Ezechias ostenderit Legatis res templi.

Venit autem Iesah-iahu Propheta ad Regem Chizci-iahu, & dixit ei: Quid dixerunt homines isti, & vnde venerunt ad te?] Interrogat Propheta, non vt sciat, sed vt materiam ipsemet Rex proponat propriæ reprehensionis. Vers. 14.

Dixitque Chizci-iahu: De terra longinqua venerunt, de Babel.

At ille respondit: Quid viderunt in domo tua?] Nihil dicit de templo: & propterea rationabilius videtur intelligendum, quòd Ezechias non commiserit hoc sacrilegium, vt ad arcana templi admiserit Ethnicos. Et hoc confirmatur per responsionem Ezechiæ vtentis pronomine, *mea*, dicendo, *in domo mea*, & similiter *in thesauris meis*: nullâque fit mentio domus Domini, aut thesaurorum domus Domini. Vers. 15.

Dixitque Chizci-iahu: Omnia, quæ sunt in domo mea, viderunt: non fuit res, quam non ostenderim eis in thesauris meis.

Dixit itaque Iesah-iahu ad Chizci-iahu: Audi sermonem Domini: Vers. 16.

Ecce dies venient.] Parui refert, quòd Hebraïcè legitur, *venientes.* propinqui enim monstrantur dies futuri. Vers. 17.

Et deferetur omne, quod est in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsque ad diem hanc, in Babel: non remanebit quicquam, ait Dominus.] Impleta fuit hæc prophetia post mortem Iosiæ: vt in sequentibus scribitur.

Et de filiis tuis, qui egredientur de te (quos generabis) tollent.] Filij appellantur non immediatè ab eo geniti, sed mediatè: & hoc fuisse adimpletum scribitur Dan. 1. Vers. 18.

Daniel. 1.

Et erunt eunuchi in palatio Regis Babel.] Appellatione eunuchorum non intelligo castratos, sed eunuchos officio; ministros, scilicet, præcipuos Regis. Et ex hac pœna apparet, Ezechiam peccasse vanitate cordis, ostentando diuitias suas.

Eunuchi, ministri præcipui Regu.

Dixitque Chizci-iahu ad Iesah-iahu: Bonus est sermo Domini.] Pœnitens Rex laudat diuinam iustitiam, nec excusat se. Vers. 19.

Quem locutus est.] Parui refert quòd Hebraïcè habetur: *Quem locutus es.* tu Esaia.

Sit tantùm pax, & veritas in diebus meis.] Iuxta Hebræum habetur, *& dixit: Nonne si pax, & veritas erit in diebus meis?* Priùs laudauit diuinam iustitiam relatiuè ad pœnam futuram in thesauris, & in filiis: modò adiungit gratiarum actiones relatiuè ad diuinum beneficium collatum personæ propriæ in hoc, quòd in diebus eius non erit hæc punitio. Et est sensus: Nónne gratia mihi fit, si pax, & veritas erit in diebus meis? Et pax quidem refertur ad comminatum à Propheta bellum inferendum à Babyloniis; veritas autem ad ipsam prophetiam promittentem dilationem.

Reliquum autem verborum Chizci-iahu, & omnis fortitudo eius, & quomodo fecit piscinam, & aquæductum, & introduxit aquas in ciuitatem; nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iehudæ?] Multa hîc commemoran- Vers. 20.

tur,

tur, quæ ideò ignoramus: quia libri, in quibus gesta hæc scripta sunt, non habentur.

Dormiitque Chizci-iahu cum patribus suis: & regnauit Menasses filius eius pro eo.]

CAPVT XXI.

Vers. 1. IEHVS *duodecim annorum erat Menasses, cùm regnare cœpit.*] Hinc insinuatur, quòd Ezechias absque liberis erat tempore ægritudinis suæ, postquàm vixit annis quindecim.

Et quinquaginta quinque annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Chephzi-ba.

Vers. 2. *Fecitque malum in oculis Domini, iuxta idola.*] Legendum esset, *sicut abominationes gentium, quas expulit Dominus a facie filiorum Israël.* assimilantur enim mala opera Menassis abominationibus expulsarum gentium.

Vers. 3. *Conuersúsque est.*] Hebraicè habetur: *Et reuersus est.* quatenus Rex: Rex enim Iudæ recesserat in persona Ezechiæ ab iis, quæ subiunguntur. & reuersus ad hæc significatur in persona Menassis.

Et ædificauit excelsa, quæ dissipauerat Chizci-iahu pater eius: & erexit aras Babali, & fecit lucum, sicut fecerat Ach-ab Rex Israel, & adorauit omnem militiam cæli, & coluit eas.

Vers. 4. *Extruxitque aras in domo Domini: de qua dixit Dominus: In Ierusalaim ponam nomen meum.*

Vers. 5. *Et extruxit aras vniuersæ militiæ cæli in duobus atriis domus Domini.*

Vers. 6. *Et traduxit filium suum per ignem, & hariolatus est.*] Iuxta Hebræum significatur obseruatio temporum: ita quòd inter superstitiones Menassis supputatur obseruatio temporum.

Et obseruabat augurium.] Hebraicè incantatio significatur.

Et fecit Pythonem, & Aruspices.] Rectiùs diceretur: *Magos.* quædam enim magicæ artis species significatur.

Multiplicauit facere malum in oculis Domini irritando eum.

Vers. 7. *Posuit quoque idolum luci, quem fecerat.*] Hebraicè habetur, *dolatum quercus, quod fecit.* lignea statua significatur.

In domo, de qua dixerat Dominus ad Dauid, & ad Salomonem filium eius, in domo hac, & in Ierusalaim, quam elegi de cunctis Tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum.

Vers. 8. *Et vltrà non faciam moueri pedem Israël de terra, quam dedi patribus eorum: tantùm si custodierint, vt faciant omnia, quæ præcepi eis, & iuxta totam legem, quam præcepit eis seruus meus Moses.*

Vers. 9. *Et non audierunt: sed seducti sunt à Menasse, vt facerent malum super gentes.*] Hebraicè habetur: *Et errare fecit eos Menasses ad faciendum malum præ gentibus, quas deleuit Dominus à facie filiorum Israël.*] Sententia est clara.

Vers. 10. *Locutúsque est Dominus in manu seruorum suorum Prophetarum dicendo:*

Vers. 11. *Quia fecit Menasses Rex Iehuda abominationes istas, faciendo malè super omnia.*] Hebraicè habetur, *plus omnibus, quæ fecerunt Emoræi, qui fuerunt ante eum.* peiora enim dicuntur hæc iniquitatibus gentium expulsarum.

Et peccare fecit etiam Iehudam in immunditiis suis.] Hebraicè habetur, *in abominationibus suis.*

Propterèa sic dixit Dominus Deus Israël: Ecce ego induco malum super Ierusalaim, & Iehudam, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius. Vers. 12.

Et extendam super Ierusalaim funiculum Someron, & pondus domus Ach-ab.] Sensus est, Vers. 13. quòd similem faciet Ierusalem, tum Samariæ, tum domui Ach-ab: hæc enim deletà est penitùs: illa autem in captiuitatem ducta ad ciuitates Medorum. Parabola autem sumitur à fabris ventibus filo, pondere plumbeo, vt iuxta mensuram ædificent.

Parabola sumpta à fabris ventibus pondere plumbeo.

Et delebo Ierusalem.] Rectiùs legeretur, *& expurgabo Ierusalaim.* similitudo enim subiuncta hunc sensum aperit.

Sicut deleri solent tabulæ: delens vertam, & ducam crebrius stylum super faciem eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut expurgabit scutellam, expurgauit, & vertet super faciem suam.* Ad instar expurgantis scutellas (qui expurgando eas, postquàm expurgauit, vertit eas super faciem earum, ne quid humoris in eis remaneat,) expurgaturum se Ierusalem comminatus est per Prophetas.

Dimittam verò.] Iuxta Hebræum habetur, Vers. 14. *& derelinquam reliquias hereditatis meæ.* Prosecutio est mali pœnæ; videlicet, quòd non custodiet Iudam, & Ierusalem reliquias hæreditatis suæ: decem enim Tribus iam in captiuitatem ductæ fuerant: & propterea regnum Iudæ appellatur reliquiæ hæreditatis Dei.

Reliquiæ hereditatis cur regnum Iuda.

Et tradam eas in manum inimicorum eorum: erúntque in vastitatem, & in rapinam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erunt in prædam, & in direptionem omnibus inimicis suis.* vt subsecutus probauit euentus.

Eò quòd fecerunt malum in oculis meis.] Tres Vers. 15. causæ iunguntur supradictæ pœnæ: prima est multiplicatio malorum ad irritandum Deum ab exitu de Ægypto vsque in præsens: secunda est multitudo effusi sanguinis innoxij à Menasse: tertia est multitudo peccatorum Menassis, quibus peccare fecit populum idola colendo.

Causa trés punitionis Israelitarum.

Et perseuerauerunt.] Iuxta Hebræum haberur, *& fuerunt irritantes me a die, qua egressi sunt patres eorum ex Ægypto, vsque ad diem hanc.* non enim perseuerantia, sed multiplicatus reditus sæpè ad irritandum Deum significatur.

Et etiam sanguinem innoxium effudit Menasses multùm valdè, donec impleret Ierusalaim vsque ad os: præter peccatum eius, quo peccare fecit Iehudam, faciendo malum in oculis Domini. Vers. 16.

Reliquum autem verborum Menassis, & omnia, quæ fecit, & peccatum eius, quo peccauit: nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regũ Iehuda. Vers. 17.

Dormiitque Menasses cum patribus suis, & sepultus est in horto domus suæ, in horto Huzza.] Vers. 18. vtpote, qui non meruit sepeliri cum Regibus Iudæ fidelibus.

Et regnauit Amon filius eius pro eo.

Filius viginti duorum annorum erat Amon, cùm regnare cœpit, & duobus annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Mesullemeth, filia Charuz, de Iotha. Vers. 19.

Fecitque malum in oculis Domini, sicut fecerat Menasses pater eius. Vers. 20.

Et ambulauit in omni via, per quam ambulauerat pater eius, seruiítque immunditiis.] Hebraicè habetur, *abominationibus, quibus seruierat pater eius.* idola autem significantur: vt patet ex eo, quòd subiungitur: Vers. 21.

Idola, abominationes gentium.

Et adorauit eas.

Vers.22. *Et dereliquit Dominum Deum patrum suorum: & non ambulauit in via Domini.*] Peior Ethnicis, qui in Samaria erant (qui colentes idola, etiam summum Deum colebant) describitur.

Vers.23. *Tetenderúntque ei insidias serui sui.*] Hebraicè habetur: *Et coniurauerunt serui Amon super eum: & interfecerunt Regem in domo sua.*] Sententia est clara.

Vers.24. *Percussit autem populus terra omnes, qui coniurauerant contra Regem Amon: & Regem constituit sibi populus terra Iosi-iahu filium eius pro eo.*

Vers.25. *Reliquum autem rerum Amon, quas fecit, nónne scriptum est in libro verborum dierum Regum Iehuda?*

Vers.26. *Sepelierúntque eum in sepulcro suo in horto Huzza.*] Et iste quoque indignus fuit sepulcro fidelium Regum.

Et regnauit Iosi-iahu filius eius pro eo.]

CAPVT XXII.

Vers.1. IEIVS octo annorum erat Iosi-iahu, cùm regnare cœpit, & triginta & uno annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Iedida, filia Hada-ia de Bozcath.

Vers.2. *Fecitque rectum in oculis Domini: & ambulauit per omnes vias Dauid patris sui, & non declinauit ad dexteram, & sinistram.*

Vers.3. *Et fuit in anno decimooctauo Regis Iosi-iahu, misit Rex Saphan, filium Azal-iahu, filij Mesullam, scribam ad domum Domini dicendo.*

Vers.4. *Ascende ad Chilci-iahu Sacerdotem magnum, vt confletur pecunia.*] Hebraicè habetur, *& finiet argentum illatum in domum Domini.* hoc est, vt vsque ad finem, vt totum argentum illatum in domum Domini supputet: summus enim Sacerdos, & scriba Regis hoc officium habebant: vt supertius tempore Ioas decretum fuit cap.12.

Officium Sacerdotis, & Scribæ Regis supputare argentum templi.

Quam collegerunt ianitores templi.] Hebraicè habetur, *custodes mallauij à populo.* Ibidem dictum fuit, quòd isti erant custodes vasis, in quo offerebatur pecunia à populo: & quòd euacuabant vas in thecam perforatam desuper.

Vers.5. *Detúrque fabris per præpositos domus Domini.*] Hebraicè habetur: *Et dabunt eam super manum factorum operis, ordinatorum in domo Iehouah.* De Sacerdote summo, & Scriba Regis dicitur: *Et dabunt eam Præfectis operis in domo Dei faciendi.*

Et dabunt ipsam factoribus operis, quod est in domo Domini, ad instauranda sarta tecta.] Pluries dictum est, Hebraicè haberi, *ad fortificandum requisitionem domus.* hoc est, ad fortificandum ea, quæ requisitione egent (non tam oculi, quam operis) in domo Dei.

Vers.6. *Tignariis, videlicet, & cæmentariis, & iis, qui interrupta componunt.*] Hebraicè habetur: *Fabris, & ædificatoribus, & parietibus.* proculdubiò materiæ. Deinde immediatè subiungitur:

Et ad emendum ligna.] Quod autem subditur:

Et lapides de lapidicinis.] Hebraicè habetur, *& lapides dolatos.* ad differentiam lapidum, qui promiscuè ponuntur in fabrica.

Ad fortificandum domum.

Vers.7. *Verumtamen non supputetur eis argentum datum ad manum eorum, sed in potestate habeant, & in fide.*] Iuxta Hebræum habetur, *quia in fide ipsi facientes.* De Præfectis est sermo: & ab exemplo seruati ordinis tempore Ioas Regis, & Ieiadæ Pontificis ordinauit hoc Iosias.

Vers.8. *Dixit autem Chilci-iahu Sacerdos magnus ad Saphan Scribam: Librum legis inueni in domo Domini.*] Tanto enim tempore neglecta fuerant diuina tempore Menassis, vt liber legis tanquàm res nouiter inuenta scribatur.

Neglectus rerum diuinarum tempore Manassis.

Dedítque Chilci-iahu librum Saphan Scribæ, qui & legit ipsum.

Vers.9. *Venítque Saphan Scriba ad Regem, & renunciauit ei, quod præceperat.*] Hebraicè habetur, *& retulit Regi verbum* executum.

Et dixit, conflauerunt.] Hebraïca dictio anceps est ad colare, vel finire: & quia suprapositia dictio significat finire, ideò rectiùs hîc legeretur:

Finierunt serui tui argentum inuentum in domo.] Sacerdos, & ego finiuimus (hoc est, ad finem vsque supputauimus) pecuniam inuentam in templo.

Et dederunt, vt distribueretur fabris, ac præfectis operum templi Domini.] Iuxta Hebræum habetur, *& dederunt super manum effectorum operis, ordinatorum in domo Iehouah.* repetuntur enim verba paulò superiùs scripta: & significatur, eos dedisse pecuniam Præfectis, vt Rex iusserat.

Vers.10. *Narrauit quoque Saphan Scriba Regi dicendo: Librum legis Domini dedit mihi Chilci-ia Sacerdos.*] Superfluit, *legis Domini.*

Legítque illum Saphan coram Rege.

Vers.11. *Et fuit, cùm audisset Rex verba libri legis, scidit vestimenta sua.*] in execrationem tantæ transgressionis agnitæ ex auditione legis, necnon in horrorem tot talíumque pœnarum comminatarum in lege.

Vers.12. *Præcepítque Rex Chilci-ia Sacerdoti, & Achicam filio Saphan, & Hackbor filio Micha-ia, & Saphan Scribæ, & Hasa-ia seruo Regis dicendo:*

Vers.13. *Ite, consulite Dominum pro me, & pro populo, & pro toto Iehuda super verbis libri huius, qui inuentus est: magna enim est ira Domini, quæ succensa est contra nos, eò quòd non auscultauerint patres nostri ad verba libri huius, vt facerent iuxta omne, quod scriptum est nobis.*

Vers.14. *Iuit itaque Chilci-iahu Sacerdos, & Achicam, & Hackbor, & Saphan, & Hasa-ia, ad Huldam prophetissam uxorem Sallum, filij Thicua, filij Charcham, custodis vestium.*] Deuotus Rex ad consulendum Dominum, occiso Eiaia à patre suo Menasse, mittit ad mulierem solennes valdè nuncios: quanuis enim Ieremias Propheta per quinquennium ante incepisset habere visiones Dei (anno, videlicet, tertiodecimo istius totiæ Regis, vt patet Ierem.1.) tempore tamen illo (videlicet, decimooctauo anno eiusdem Iosiæ, quo repertus est liber) non erat in authoritate apud Regem, & Principes, & populum, sicut ista mulier: qualitas enim personarum missarum à Rege ad eam, testatur, fuisse eam tunc in maxima authoritate sanctitatis, & prophetiæ: & propterea Rex ad eam misit.

Ieremiæ 1.

Quæ habitabat in Ierusalaim in secunda.] Dictio Hebraica à secunda deriuatur: sed non significat quodcunque secundum, sed per modum repetitionis: ita quòd Latinè rectiùs redderetur *in repetitione*, quàm *in secunda.* Et significatur ad literam, quòd mulier ista habitabat in Ierusalem quoad locum; in repetitione autem quoad officium: quia, videlicet, repetebat diuina: frequens enim legis, & diuinorum repetitio non solùm medit[illegible], sed priuatim instruendo

Secunda, quid.

ſtruendo alios, ſignificatur officium eius.

Locutique ſunt ad eam.

Verſ. 15. *Quæ reſpondit eis: Sic dixit Dominus Deus Iſrael: Dicite viro, qui miſit vos ad me.*

Verſ. 16. *Sic dixit Dominus: Ecce ego adduco malum ſuper locum hunc, & ſuper habitatores eius.*] Affirmat mulier executurum Deum comminata in lege reſpondendo nunciis.

Omnia verba libri, quem legit Rex Iehuda.] Quæſtio oritur ex eo, quòd in Ieruſalem non fuerunt executioni mandata omnia maledicta legis. Solutio eſt, quòd omnia legis maledicta, quanuis non abſolutè; relata tamen ad merita, & demerita Ieruſalem, adimpleta ſunt in ea: & cum hoc moderamine intelligenda ſunt verba huius prophetiæ.

Cur in Ieruſalem nõ ſunt adimpleta omnia maledicta legis.

Verſ. 17. *Pro eo, quòd dereliquerunt me, & thuriſicauerunt diis alienis, vt irritarent me in omnibus operibus manuum ſuarum: ſuccendetur indignatio mea in locum iſtum, & non extinguetur.*]Prædicit mulier, quòd inſtar ignis ſuccenſi non extinguendi erit vindicta Dei ſuper Ieruſalem: ſignificans per hoc, definitam eſſe apud Deum conſumptionem Ieruſalem.

Verſ. 18. *Regi autem Iehuda, qui miſit vos, vt conſuleretis Dominum, ſic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro eo, quod audiſti verba voluminis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Sic dixit Iehouah Elohe Iſraelis verba, quæ audiſti.* Concluſio præcedentium, initium conſtituitur ſubiunctorum de ipſo Rege Ioſia in indiuiduo: concludit enim in primis, dicendum eſſe Regi, quòd ſic diffinitiuè locutus eſt Deus de Ieruſalem verba audita, quæ, videlicet, ipſa dixerat: deinde immediatè ſubiungitur:

Verſ. 19. *Pro eo, quòd mollitum eſt cor tuum, & humiliatus es à facie Domini, cùm audiſti, quæ locutus ſum ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius.*] Diriguntur hæc ad perſonam Ioſiæ, declarando, quòd in veritate coram Deo humiliauerat ſe teneraſcente corde eius, audiendo diuina verba.

Quòd, videlicet, fierent in ſtuporem.]Hebraïcè habetur: *Vt ſint in deſolationem, & in maledictum.* Et verè deſolata fuit Ieruſalem ſecundùm rem: & fuit in maledictum in ſermonibus imprecantium mala, dicendo: Eueniat, ſicut euenit Ieruſalem.

Et ſciſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me: & etiam ego audiui, dicit Dominus.

Verſ. 20. *Idcirco colligam te ad patres tuos.*] Conſidera fructum orationis Ioſiæ: obſtante enim tanta mole ſcelerum patrum, & populi, non eſt exauditus pro patria, ſed pro perſona propria.

Fructus orationis Ioſiæ.

Et colligeris ad ſepulcra tua in pace.] Non obſtat huic promiſſæ ſepulturæ in pace, quòd occiſus fuerit Ioſias in bello, vt ſequenti dicitur capitulo: quia ad literam ſermo eſt de pace oppoſita bello, quo deſtruenda erat Ieruſalem: nam de huiuſmodi deſtructione loquebatur mulier manifeſtè. Quanuis etiam non dicatur Ioſiæ, quòd morieris in pace; ſed, quòd ſepelieris in pace in ſepulcris tuis.

Vt non videant.]Hebraïcè habetur: *Et non videbunt oculi tui omnia mala, quæ induco ſuper locum iſtum.* Ecce declaratio ſepulturæ eius in pace, quòd erit, antequàm veniant mala efficienda à Deo in ciuitate Ieruſalem: hoc enim fuit ad literam adimpletum. Nec paruum fuit beneficium eximi à viſione tot malorum patriæ propriæ: cruciatus enim magnus fuiſſet Ioſiæ, videre tot mala patriæ, & templi Dei.

Et retulerunt Regi verbum.]

CAPVT XXIII.

MISIT *autem Rex: & congregati ſunt ad eum omnes ſenes Iehuda, & Ieruſalaim.* Verſ. 1.

Aſcenditque Rex in domum Domini, Verſ. 2. *& omnes viri Iehuda, & omnes habitatores Ieruſalaim cum eo, & Sacerdotes, & Prophetæ, & totus populus à paruo vſque ad magnum.* Accenſus Rex ad diuina, cùm audiſſet Deum iratum comminantem etiam per mulierē ſanctam, executurum ſe in Ieruſalem maledicta legis, ſperando placare iram Dei bonis operibus populi, præcepit congregari vniuerſos in templum Dei: & ibidem legi repertum librum audientibus omnibus, & fœdus renouari inter Deum, & populum.

Legitque in auribus eorum omnia verba libri fœderis, qui inuentus eſt in domo Domini.] Dicit, *libri fœderis*, vt intelligamus non fuiſſe lectum totum textum libri Moſis; ſed illam partem, quæ continet fœdus inter Deum, & populum, quæ ſcripta eſt in fine Deuteronomij. Liber fœderis, *qui.*

Steteritque Rex ſuper gradum.] Hebraïcè habetur, *ſuper columnam.* Locus ſignificatur ſuffultus colũnis, in quo Rex manebat, cùm erat in tẽplo. Verſ. 3.

Et fœdus percuſſit coram populo, vt ambularent poſt Dominum, & vt cuſtodirent præcepta eius, & teſtimonia eius, & ſtatuta eius in toto corde, & in tota anima, vt ſuſcitarent.] Iuxta Hebræum habetur, *ad firmandum verba fœderis huius, quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Renouatio ſignificatur fœderis ad firmandum ea, quæ ſcripta erant in libro Dei: firmandum autem opere.

Acquieuitque populus.]Vide, quanti boni cauſa eſt bonus Princeps.

Præcepit autem Rex Chilci iahu Sacerdoti magno, & Sacerdotibus ſecundi ordinis.] Circunlocutio eſt: nam Hebraicè habetur: *Et Sacerdotibus reſecundationis.* ſi ſic liceat loqui; hoc eſt, Sacerdotibus iterum, atque iterum ſuccedentibus: per hoc deſcribendo Sacerdotes ſuccedentes ſecundùm vices ſuas iuxta ordinem decretum à Dauide Rege. Verſ. 4.

Et ianitoribus.] Hebraïcè habetur, *& cuſtodibus vaſis*, ſeu malluuij. Iſti ſunt, qui ſuperiùs deſcripti ſunt ſuperintendentes oblationi pecuniæ à populo: & idem modò ſignificantur cuſtodes vaſorum Domini: & propterea in ſpecie nominantur, tanquàm ad quos ſpectabat cura vaſorum domus Dei. Cuſtodes vaſis, *qui.*

Vt efferri facerent è templo Domini omnia vaſa facta Babali, & luco, & toti militiæ cœli: & combuſſit ea extra Ieruſalaim in conualle Cidron.]Non dicitur in torrente, ſed in planitie iuxta torrentem Cid-ron.

Et tulit pulueren eorum in Beth-el. vt nec puluis remaneret in terra Iudæ: Beth-el enim locus erat profanatus à primo Rege Iſraël idolatra Ieroboham.

Et delenit aruſpices.] Hebraïcè habetur: *Et faciet ceſſare Sacerdotes, quos dederunt Reges Iehuda ad thuriſicandum in excelſis, in ciuitatibus Iehuda, & in circumitibus Ieruſalaim.* Non dicitur, quòd occiderit iſtos, ſed quòd cum effectu fecit eos ceſſare ab officio ſacrificandi in excelſis. Verſ. 5.

Et thurificantes Baali, Soli, & Lunæ, & duodecim signis.] Superfluit duodecim: significantur tamen signa Zodiaci duodecim.

Vers. 6. *Et tots militiæ cæli.*

Et efferri fecit lucũ è domo Domini extra Ierusalem ad torrẽtem Cid-ron, & combussit eum ibi, & redegit in puluerem: & proiecit puluerem eius super sepulcra vulgi.] Hebraicè habetur, *super sepulcrum filiorum populi.* Suspicor sepulcrum fuisse filiorum consecratorum idolis: ita quòd pro veneratione consecrationis habebant sepulcrum commune filij populi, separatum à sepulcris non consecratorum; consecrati autem filij Regum propria habebant sepulcra. Tanquam igitur ad profanum locum proiectus est cinis lignorum luci idolorum.

Sepulcra Regum distincta erant à sepulcris vulgi.

Vers. 7. *Destruxit quoque adiculas effœminatorum.*] Hebraicè habetur, *paratorum.* & vt suprà diximus, meritorij pueri significantur.

Parati, *meritorij dicuntur.*

Vers. 8. *Quæ erant in domo Domini: in quibus mulieres texebant domunculas luco.*

Fecitque venire omnes Sacerdotes de ciuitatibus Iehuda, & contaminauit excelsa, in quibus thurificauerant Sacerdotes, à Gheba vsque ad Beer-sebah.] imitatus Ezechiam Regem.

Et destruxit excelsa portarum, quæ erant in introitu portæ Iosiæ.] Corruptum est vocabulum: legendum est: *Iehosuah Principis ciuitatis.* Iste valdè magnus erat in ciuitate Ierusalem, & ideò Princeps dicitur. Et fit eius specialis mentio ad commendandam Regis magnanimitatem, quòd nullius personæ rationem habuit.

Rex magnanimus nullius personæ rationem habet.

Quæ erant ad sinistram viri in porta ciuitatis.

Vers. 9. *Verumtamen non ascendebant Sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Ierusalaim: sed comedebant azyma in medio fratrum suorum.*] Quia polluti erant sacerdotio sacrilego, ideò priuati sunt ministerio altaris summi Dei; non tamen sunt priuati participatione azymorum, quæ solis Sacerdotibus concessa erant. Et quia est sermo de azymis, quæ supputabantur inter Sancta Sanctorum, Leuit. c. 6. hinc habentur duo: alterum, quòd isti Sacerdotes non erant priuati portione similæ oblatæ Deo, cuius pars cremata erat instar thuris Deo; alterum, quòd licitum quoque erat istis vesci, etiam cum comedentibus hostiam pro peccato; quoniam paris erat sanctitatis.

Leuit. 6.

Vers. 10. *Contaminauit quoque Thopheth, quod est in valle filij Hinnon.*] *Hinnon*, est dictio Hebraïca anceps ad ardorem, vel sonitum: prima tamen derivatio certior est ad materiam ignis, per quem transibant, qui ibi consecrabantur.

Hinnon, *quid apud Hebræos.*

Vt nemo consecraret.] Hebraicè habetur, *ad non faciendum transire aliquem filium suum, & filium suum per ignem ipsi Molech.*] Modus consecrandi describitur; videlicet, facere transire filium, aut filiam per ignem idolo Molech.

Modus consecrandi filios Molech.

Vers. 11. *Abstulit quoque equos, quos dederant Reges Iehudæ Soli in introitu domus Domini iuxta exedram Nethan-melech eunuchi, quæ erat in Par-uarim.*] Iuxta Hebræum hæc clausula sic habetur: *Ab introitu domus Iehouah, ad aulam Nethan-melech eunuchi, quæ in platea ibus.* Quæstio, an equi isti fuerint naturales, an artificiales, solui videtur, tum ex loco, tum ex diuersitate actionum: ex his enim insinuatur: quòd fuerint equi naturales adducti à Regibus ad trahendum currum Solis: hâm currus ipse subiungitur combustis; equi autem ablatis: qui si fuissent artificiales, fuissent & ipsi combusti. Extensio quoque loci equorum, (videlicet, ab introitu domus Domini, vsque ad aulam illius eunuchi in platea,) denotat naturales fuisse equos, & ibidem habuisse mansionem ad honorem Solis.

Equi Soli à Regibus Iudæ dati vtrum naturales fuerint, an artificiales.

Et currus Solis combussit igni.

Altaria quoque, quæ erant super tectum cœnaculi Achaz, quæ fecerant Reges Iehuda.] Ignotus est nobis locus iste, & quorsum. Vers. 12.

Et altaria, quæ fecerat Menasses in duobus atriis domus Domini, destruxit Rex: & cucurrit inde.] Modus, quo Iosias, tanquàm currens iuit ad purgandum loca extra Ierusalem, describitur.

Et proiicere fecit puluerem eorum in torrentem Cid-ron.

Excelsa quoque, quæ erant super faciem Ierusalaim, ad dexteram partem montis offensionis.] Iuxta Hebræum habetur, *montis destructionis*: ad literam enim significatur mons Oliueti: qui cognominatur, *destructionis*, ratione constructæ in eo idololatriæ à Salomone. Vers. 13.

Mons Oliueti, mons destructionis, cur.

Quæ ædificauerat Salomo Rex Israël Hastoreth idolo Zidoniorum, & Chemos offensioni Moab, & Milchon abominationi filiorum Haminon; polluit Rex. Eadem in Hebraico textu repetitur dictio, quam Interpres in idolum, & offensionem variauit: & significatur semper idolum, quod abominatio ab Hebræis dicitur.

Et contriuit statuas, & succidit lucos: repleuitque loca eorum ossibus hominum.] vt profanus haberetur deinceps locus. Vers. 14.

Et etiam altare, quod erat in Beth-el in excelso, quod fecerat Iarobham, filius Nebat, qui peccare fecit Israëlem, etiam altare illud, & etiam excelsum destruxit: combussitque excelsum, contriuit in puluerem, & combussit lucum. Vers. 15.

Vertitque se Iosi-iahu, & vidit sepulcra, quæ erant ibi in monte, misitque, & tulit ossa de sepulcris, & combussit super altare.] Fecit Iosias, quod prædixerat Deus tempore Ieroboham, vt clarè subiungitur per virum Elohim missum ex Iudæa vt superiùs in 3. lib. cap. 13. scriptum est. Vers. 16. 3. Reg. 13.

Et polluit illud, iuxta verbum Domini, quod locutus est vir Dei, qui prædixit verba hæc.

Et ait: Quid est titulus iste, quem ego video? Dixerúntque ei viri ciuitatis.] Quamuis Rex Assyriorum transtulerit decem Tribus in Medos, multi tamen, qui fugerant, euaserunt captiuitatem, & postea redierunt: & isti sunt ciues Bethel, qui dederunt notitiam Osiæ de titulo, seu signo, quod videbat: signum enim quoddam speciale præ se ferebat sepulcrum illud. Vers. 17.

Sepulcrum est viri Dei, qui venit de Iehuda.] Iterum est nomen, *Elohim*: scitur enim nomen proprium illius Prophetæ, & nominatur semper *vir Elohim.*

Et prædixit res has, quas fecisti super altare Beth-el.

Et ait: Dimittite ipsum, nemo moueat ossa eius: & saluata sunt ossa eius cum ossibus Prophetæ, qui venerat de Someron.] Verè diuinauit ille Pseudopropheta disponendo, vt parceretur ossibus suis, vt ibidem scriptum est. Vers. 18.

Et etiam omnes domos excelsorum, quæ erant in ciuitatibus Someron.] Obedientibus reliquiis Israëlitarum Iosiæ, extendit zelum suum ad ciuitates Samariæ. Vers. 19.

Quas fecerant Reges Israël ad irritandum Dominum.] ad differentiam ararum, quas fecerunt Ethnici missi à Rege Assyriorum ad habitandum

dum regnum Samariæ : ad illas enim non se extendit Iosias.

Abstulit Iosi-iahu : fecitque eis iuxta omnia opera , quæ fecerat in Reth-el.

Vers. 20. *Et occidit vniuersos Sacerdotes.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et sacrificauit omnes Sacerdotes excelsorum , qui ibi super altaria.* Quanuis littera sonet, & intelligi possit , quòd Iosias mouerit aliquos Hebræos obstinatos ad sacerdotio fungendum super altaria excelsorum , & ipsos super altaria occiderit ; ego tamen intelligo sacrificium hoc exponi per subiunctam clausulam.

Sacrificare secundum similitudinem, quid sit.

Et combussit ossa humana super ea.] Ita quòd sacrificare Sacerdotes , qui erant ibi , fuit comburere ossa defunctorum Sacerdotum sepulcrorum ibi super ipsa altaria : hoc enim in detestationem altarium , & Sacerdotum fiebat , & appellatur , sacrificare secundùm similitudinem. Et hic sensus magis quadrat tempori illi , quo regnum Samariæ subiectum erat Regi Assyriorum : nec permisissent incolæ , quòd Rex Iudæ occideret habitatores terræ in ipso regno Samariæ : sed , quòd expurgaret veteres cultus contrarios cultui summi Dei , gratum erat alienigenis cupientibus propitium habere Deum terræ, vt superiùs cap. 17. scriptum est.

Reuersúsque est in Ierusalaim.

Vers. 21. *Præcepitque Rex toti populo dicendo : Facite Pesach Domino Deo vestro , secundum quod scriptum est in hoc libro fœderis.*

Vers. 22. *Non enim factum est Pesach tale à diebus Iudicum , qui iudicauerunt Israël : & omnibus diebus Regum Israël , & Regum Iehudæ.*] Non dicitur: Non est factum Pesach. absolutè : sed , *Pesach sicut hoc.* qualitas enim præcipua commendatur, non substantia sacrificij , nec quantitas populi. In quo autem consistebat ista qualitas , scriptum non est.

Qualitas sacrificij Pesach ignota.

Vers. 23. *Nisi decimooctauo anno Regis Iosi-iahu , factum est Pesach hoc Domino in Ierusalaim.*

Vers. 24. *Et etiam Pythones , & Hariolos , & Theraphim , & idola , & omnes abominationes visas in terra Iehudæ , & in Ierusalaim , abstulit Iosi-iahu: vt statueret verba legis , quæ scripta sunt in libro, quem inuenit Chilci-iahu Sacerdos in domo Domini.*

Vers. 25. *Similisque ei non fuit ante eum Rex , qui reuerteretur ad Dominum in toto corde suo , & in tota anima sua , & in tota virtute sua , iuxta totam legem Mosis : & post eum non surrexit similis ei.*] Quæstio statim oritur : quia in cap. decimooctauo scriptum est , quòd post Ezechiam non surrexit Rex illi similis. Solutio est , quòd vtrunque verificatur diuersimodè : Ezechias enim præfertur cunctis Regibus Iudæ quoad actiones permissas tollendas ad honorem Dei : primus enim abstulit sacrificia extra templum Dei , & cultum serpentis ænei. Iosias autem præfertur cunctis Regibus quoad studium seruandæ legis diuinæ simpliciter , & absolutè : vt textus clarè sonat.

Quomodo post Ezechiã non surrexerit Rex illi similis.

Vers. 26. *Veruntamen non est auersus Dominus ab ira furoris sui magni , quo iratus est furor eius in Iehudam : propter irritationes , quibus irritauit eum Menasses.*

Vers. 27. *Dixitque Dominus : Etiam Iehudam auferam à facie mea , sicut abstuli Israël , & reprobabo ciuitatem hanc , quam elegi Ierusalaim ; & domum, de qua dixi , erit nomen meum ibi.*] Diffinitio diuina de electione Iudæ significatur , non obstante electione Ierusalem , & templi ibidem.

Reliquum autem verborum Iosi-iahu , & omnia, quæ fecit : nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iehudæ? Vers. 28.

In diebus eius ascendit Pharo Necho , Rex Ægypti , contra Regem Assur , iuxta flumen Euphratem : & iuit Rex Iosi-iahu in occursum eius.] Vers. 29.

Historia hæc latiùs scribitur in trigesimoquinto cap. secundi Paralipomenon , vbi tractabitur de causa occursus istius. 2. Paral. 35.

Et occisus est in Megiddo.] Mirabilia sunt iudicia Dei in tam sancto viro.

Cùm vidisset eum.] hoc est, in primo congressu. Vers. 30.

Et leuauerunt eum serui eius mortuum de Megiddo , & pertuleruns in Ierusalaim , & sepelierunt eum in sepulcro suo : tulitque populus terræ Iehoacham , filium Iosi-iahu , & vnxerunt eum , & Regem constituerunt eum pro patre eius.] Cùm iste Ioacham non esset primogenitus , (vt testatur collatio ætatum ipsius , & fratris : nam ipse viginti trium annorum erat ; frater autem viginti quinque , vt in hoc capitulo subditur ,) nescitur causa , quare populus constituerit Regem minorem omisso primogenito : subiuncta tamen causam innuunt nunc declarandam.

Cur populus constituerit Ioacham Regem , primogenito eius omisso.

Filius viginti trium annorum erat Iehoiacham, cùm regnare cœpit , & tribus mensibus regnauit in Ierusalaim : & nomen matris eius Chamutal , filia Irme-iahu de Libna. Vers. 31.

Fecitque malum in oculis Domini: iuxta omnia, quæ fecerant patres eius. Vers. 32.

Vinxitque eum Pharo Necho in Rib-la in terra Chamath.] Aiunt Rib-lam esse Antiochiam: Rex enim Ægypti victor contra Regem Assyriorum subegit Syriam : & ex Antiochia accersiuit Ioacham , Regem Iudæ, ibique vinxit eum. Vers. 33.

Rib-la est Antiochia.

Ne regnaret in Ierusalem.] Iuxta Hebræum habetur , *in regnare Ierusalaim.* Causa vinculorum narratur : quia ausus est regnare in Ierusalem : occiso siquidem Iosia , & profligato exercitu eius ab ipso Pharaone , censet , nullum debuisse vsurpare sibi regium titulum regni Iudæ sine gratia ipsius Pharaonis : & propterea vinxit Ioacham , priuans eum regno , libertate & patria. Et hinc innuitur , quòd primogenitus prudentior recusauerit succedere in regno , cùm vidit , patre occiso , & exercitu fuso patriam oportere subiici Regi victori : & propterea præceps populus tulerit Ioacham , & constituerit illum Regem.

Et imposuit multam terræ , centum talenta argenti , & talentum auri.] Non solùm puniuit Regem , sed etiam puniuit populum.

Regémque constituit Pharo Necho Eliacim , filium Iosi-iahu pro Iosi-iahu patre eius.] Et hæc constitutio primogeniti Iosiæ in Regem , quadrat dictæ causæ : rationi enim consentaneum fuit , vt primogenitus , qui abstinuerat à regno deferens Pharaoni victori , ab eodem erigeretur in Regem. Vers. 34.

Et vertit nomen eius Iehoiacim.] vt hinc tanquàm creatura ipsius Pharaonis noua , ex nouo nomine haberetur.

Tulitque Iehoiacham , & venit in Ægyptum, & mortuus est ibi.

Argentum autem , & aurum.] impositum à Pharaone super terram Iudæ in pœnam , vt paulò superiùs scriptum est. Vers. 35.

Dedit Iehoiacim Pharoni. Veruntamen æstimare fecit terram ad dandum argentum ad imperium Pharonis:

Parhonis : vir iuxta æstimationem eius exegit argentum, & aurum à populo ad dandum Parhoni Necho.

Vers. 36. *Filius vigintiquinque annorum erat Ioachim, cùm regnare cœpit, & vndecim annis regnauit in Ierusalaim : & nomen matris eius Zebida, filia Pedaia de Ruma.*

Vers. 37. *Fecitque malum in oculis Domini : iuxta omnia, quæ fecerant patres eius.*]

CAPVT XXIV.

Vers. 1. IN *diebus eius ascendit Nebu-chadnezar, Rex Babel.*] Quoto anno regni eius fuerit aduentus iste Regis Babylonis, non est perspicuum : quia nescitur, quantum temporis fluxerit inter defectionem Ioacim à Rege Babylonis, & mortem eius.

Et fuit ei Ioachim seruus tribus annis.] Inuitus Ioacim fecit se tributarium Regi Babylonis, qui prævaluerat aduersùs Regem Ægypti in regione Syriæ.

Et reuersum rebellauit contra eum.] Iuxta Heb. habetur, *& reuersus est, & rebellauit in eum.* reuersus quidem ad deuotionem Regis Ægypti, rebellis autem à Rege Babylonis.

Vers. 2. *Immisitque ei Dominus.*] Quanuis subiunctæ excursiones ordinatæ fuerint à præfectis Regis Babylonis in regione Syriæ ; Scriptura tamen primam causam tangit diuinam iustitiam.

Latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Hammon, & misit eos in Iehudam ad disperdendum eum : iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu seruorum suorum Prophetarum.] Quater repetitur dictio interpretata, *latrunculos*, quæ Latinè sonat *societates* : ita quòd missæ dicuntur societates quatuor nationum : quarum quia prima est Chaldæorum, insinuatur, quòd Prætecti Chaldæorum mouerint reliquas aduersùs Ioacim rebellem.

Latrunculi Hebraicè, Latine sonãt societates.

Vers. 3. *Factum est autem hoc per verbum Domini contra Iudam, propter peccata Manassæ, & omnia, quæ fecit.*] Hebraicè habetur : *Tantum iuxta os Iehouah fuit in Iehudam ad remouendum à facie sua : in peccatis Menassis, sicut totum, quod fecit.*] Narrat Author, quòd quicquid mali euenit Iudæ, fuit propter verbum diuinum Prophetarum ore prolatum propter peccata Menassis.

Vers. 4. *Et etiam propter sanguinem innoxium, quem effudit, & implenit Ierusalaim sanguine innoxio : noluitque Dominus parcere.*

Vers. 5. *Reliquum autem verborum Ioachim, & omnia, quæ fecit : nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iehudæ ? Et dormiuit Ioachim cum patribus suis.*] pessimis. Omittuntur autem hîc multa, & specialiter modus mortis, & sepulturæ : nam occisus est, & inhumatus, iuxta verba Ierem. cap. 22. *Sepultura asini sepelietur.*

Ierem. 22.

Vers. 6. *Et regnauit Ioachin, filius eius, pro eo.*] Aduerte, prudens lector, ac scriptor, differentiam inter nomen patris, ac filij : vt nomen patris terminetur per *m*, filij vero per *n*, vt ille Ioachim, iste Ioachin scribatur, & nominetur.

Differentia inter nomen patris, & filij.

Vers. 7. *Et vltrà non addidit Rex Ægypti, vt egrederetur de terra sua : tulerat enim Rex Babel a torrente Ægypti vsque ad fluuium Euphratem, totum, quod fuerat Regis Ægypti.*] Omnis ablata ipes Regibus Iudæ conndendi in Rege Ægypti, narratur.

Filius decem & octo annorum erat Ioachin, cùm regnare cœpit, & tribus mensibus regnauit in Ierusalaim.] Adolescentulus iste tribus tantùm mensibus regnauit : & ratio subiungitur, quia Ierusalem obsessa est à Chaldæis, ita quòd Rex Babylonis venit personaliter. Vers. 8.

Et nomen matris eius Nechustha, filia El-nathan, de Ierusalaim.

Fecitque malum in oculis Domini : iuxta omnia, quæ fecerat pater eius. Vers. 9.

In tempore illo ascenderunt serui Nebu-chadnezar Regis Babel in Ierusalaim : & circundata est ciuitas munitionibus Vers. 10.

Venitque Nebu-chadnezar, Rex Babel, contra ciuitatem : & serui eius obsidebant eam. Vers. 11.

Egressusque est Ioachin Rex Iehudæ ad Regem Babel ipse, & mater eius, & serui eius, & Principes eius, & eunuchi eius.] Consilio acquiescens Ieremiæ Prophetæ dedidit se discretioni Regis Babylonis. Vers. 12.

Et suscepit eum Rex Babel anno octauo regni sui.] proculdubiò Regis Babylonis.

Et eduxit inde omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus Regis : & concidit omnia vasa aurea, quæ fecerat Salomo, Rex Israël, in templo Domini, sicut locutus est Dominus.] Ne putares ex improuiso absque prophetico sermone spoliatum fuisse templum summi Dei. Vers. 13.

Et transtulit omnem Ierusalaim, & omnes Principes, & omnes potentes fortitudine decem millia in captiuitatem.] Hæc est, prudens lector, quæ vocatur transmigratio Babylonis. Vers. 14.

Et omnem artificem, & inclusorem.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *& facientem claudere*, non est enim perspicuum, an significetur specialis ars (putà aurificum claudentium gemmas in auro, ad insinuandum, quòd omnes artifices rerum non necessariarũ pauperibus transfati sunt,) an significetur quilibet habens facultates indigentes clausura ad custodiam, ad insinuandum, quòd quilibet habens aliquid concupiscibile indigens speciali custodia, transfatus est in Babylonem. Ad quod magis explicandum subiungitur :

Non remansit nisi paupertas populi terræ.

Transtulitque Ioachin in Babel : & matrem Regis, & vxores Regis, & eunuchos eius, & fortes terræ duxit in captiuitatem de Ierusalaim in Babel. Vers. 15.

Et omnes viros fortitudinis septem millia, & artifices, & inclusores mille.] Aduerte, prudens lector, paulò superiùs numerum totius captiuitatis scriptum esse decem millia : hîc autem declaratur quòd illorum decem millium erant septem millia virorum exercitus, & mille artifices, & inclusores. Deinde immediatè subditur vniuersalis : Vers. 16.

Omnes potentes bellatores.] Ad insinuandum, quòd nullus relictus est vir potens ad bellum.

Duxitque eos Rex Babel captiuos in Babel.

Et constituit Mathathiam.] Hebraicè habetur : *Et fecit regnare Rex Babel Matthan-iam patruum eius pro eo.* Quantuluncunque attenuatum, imò destructum regnum dedit patruo Ioachin, fratri, scilicet, patris eius : & sic tres Iosiæ filij fuerunt Reges. Vers. 17.

Imposuitque ei nomen Zidci-iahu.] Hebraica dictio est Zedechias, composita ex tribus dictionibus : sonat enim, *iustitia mea Deus.* & componitur ex *zedech* quod est, iustitia) cum pronomine, *mea*, & *Iah*, quod est nomen Dei. Imposuit autem hoc nomen Rex Babel Regi Iudæ, vt proprium nomen iugiter reuocaret illi

Zedechias non erat antea nomen eius, & mutatum est.

illi in memoriam seruare fidem, quam iureiurando per nomen summi Dei promittebat, vt semper hanc iustitiam præ oculis haberet. Quanuis etiam iustitia hæc referri possit ad comminatam vindictam, si imitaretur perfidiam fratris sui Ioacim.

Vers. 18. *Filius viginti, & vnius annorum erat Zidciiahu, cùm regnare cœpit, & vndecim annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Chamutal filia Iirmeiahu de Libna.*

Vers. 19. *Feciqué malum in oculis Domini: iuxta omnia, quæ fecerat Ioho-iacim.*

Vers. 20. *Irascebatur enim Dominus.*] Hebraïcè habetur: *Quia superfuror Iehouah fuit in Ierusalaim, & in Iehudam, quousque fecit proiicere eos à superfaciem suam.* Ratio iniquorum Regum redditur excellens furor diuinus tunc vigens, donec exterminaret Iudam. Vbi duo discimus: alterum, quòd diffinita iustitia diuina inter alias pœnas etiam hac vtitur, quòd permittit regnare impios: sic enim impletur mensura scelerum prouocantium vindictam. Alterum, quòd ipse progressus ad vindictam appellatur superfuror Dei, tanquàm sit furor superior appositus ad vindictam exequendam: humano enim more diuina describuntur.

Deus cur permittat impios regnare.

Progressus Dei ad vindictam appellatur superfuror.

Recessitque.] Hebraïcè clarè habetur, *& rebellauit Zidci-iahu in Regem Babel.* parui pendens proprium nomen.

CAPVT XXV.

Vers. 1. IT *fuit in anno nono regni eius, mense decimo, decima die mensis, venit Nebuchadnezar, Rex Babel, ipse, & totum robur eius contra Ierusalaim.*] Multa hic omittuntur, quæ apud Ieremiam leguntur: describitur autem tempus obsidionis Ierusalem.

Et circundederunt eam.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *& castrametatus est super eam.* Ierusalem.

Et extruxerunt in circuitu eius munitiones.] Dictio Hebraïca, interpretata *munitiones*, anceps est ad turrim, vel vallum: subiuncta tamen longa obsidio à nono vsque ad vndecimum annum, suadet, vt intelligamus constructum vallum in circuitu Ierusalem: vt nullus posset inde exire liber, nullúsque posset ad eam ire, vt vel sic fame periret.

Ad Ierusalem debellandam vallum in circuitu eius extructum.

Vers. 2. *Et clausa est ciuitas, atque vallata.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et venit ciuitas in obsidionem, vsque ad vndecimum annum Regis Zidci-iahu.*] Hinc patet, quòd tempus vltimæ obsidionis describitur.

Vers. 3. *Nona die mensis.*] Subintelligendum est quarti: nam & cap. 39. & cap. vlt. Ierem. explicatur nona dies mensis quarti. Et quia clausula hæc non iungitur præcedentibus, sed sequentibus; ideò non significatur mensis quartus anni vndecimi Sedechiæ; sed significatur mensis quartus in decursu anni. Et quia tres menses primi constituunt ver, quartus mensis initium est æstatis. Nono itaque die mensis inchoantis æstatem capta describitur Ierusalem vndecimo anno regni Zedechiæ; decimooctauo autem anno regni Nabu-chodnosor, vt ex vltimo cap. Ieremiæ insinuatur.

Praualuit fames in ciuitate: nec fuit panis populo terræ.] Causam, quare capta est ciuitas, narratur fames. Et quia appellatione panis quilibet cibus in sacra Scriptura nominatur, defectus omnis cibi significatur. Et verè defecit: nam, vt Ieremias in Threnis scribit, *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, & facti sunt illis in cibum.*

Panis appellatione quilibet cibus in Scriptura significatur. Thren. 4. 17.

Et rupta est ciuitas.] Impotentes ampliùs tolerare famem, ruperunt ciuitatis murum, vel ianuas, vt deditio fieret ciuitatis. Hæc ruptio die supradicto effecta est. Vers. 4.

Et omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ est inter duos muros, qui sunt ad hortum Regis.] Superfluit, *fugerunt.* Tempus nocturnum describitur, quo rupta est ciuitas, & omnes bellatores cum Rege collegerunt se inter duos muros in via super hortum Regis.

Porrò Chaldæi obsidebant in circuitu ciuitatem.] Hinc insinuatur, quòd ciuitas est rupta, non à Chaldæis; sed ab obsessis: non enim describerentur Chaldæi in circuitu descripta ciuitate rupta, & fuga bellatorum, ac Regis, quæ subiungitur sine vlla clade, aut pugna, si ipsi Chaldæi rupissent ciuitatem: sed ideò commemorantur in circuitu, vt intelligamus, ipsos vidisse tam fractam ciuitatem, quàm fugientes.

Fugit itaque Sedechias per viam, qua ducit ad campestria solitudinis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iuit via planitiei.* Et proculdubiò de Rege est sermo, vt testantur subiuncta: videlicet, quòd exercitus Chaldæorum persecutus est Regem, & quòd apprehenderunt eum in campestribus Iericho.

Et persecutus est exercitus Chaldæorum Regem, & comprehendit eum in campestribus Iericho: & omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum.] Hebraïcè habetur, *& omnis exercitus eius dispersus est ab eo.* Hinc habetur, quòd cum exercitu suo fugit nocte Sedechias: alioquin non scriberetur sparsum fuisse ab eo exercitum eius, narrando apprehensionem fugientis à persecutoribus factam. Vers. 5.

Apprehenderúntque Regem, & ascendere fecerunt eum ad Regem Babel in Rib-lam.] Hinc habetur, quòd protracta diutiùs obsidione Rex Babylonis non mansit in obsidione, sed iuit in Antiochiam. Vers. 6.

Qui locutus est.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et locutus sunt cum eo iudicium.* vt intelligamus indignum habitum conspectu Regis Babylonis, à ministris iustitiæ damnatum.

Rex damnatus indignus conspectu Regis Babylonis

Filiósque Zidci-iahu iugulauerunt in oculis eius: & oculos Zidci-iahu effodit, & vinxit eum compedibus, & adduxit eum in Babel. Vers. 7.

Mense autem quinto, septima die mensis (ipse est annus decimusnonus Regis Nebu-chadnezar Regis Babel) venit Nebu-zar-adan.] Concordant Ieremiæ verba cap. vlt. nisi in numero dierum; quoniam ibi scribitur *decima die mensis*; hîc autem *septima.* Solutio est, quòd cùm tam hic, quàm in Ieremia narrentur duæ actiones sub eodem tempore (videlicet, & aduentus Nebuzar-adan, & combustio templi,) potest intelligi quòd die septimo Nebu-zar-adan ad comburendum venerit; die autem decima combusserit. Potest & nihilominus aliter intelligi: videlicet, quòd die septima venerit, & ordinauerit, & inchoauerit saltem appositione materiæ combustionem; die verò decima fuerit solennis combustio; vel quòd die septimo templum incepit comburi, Vers. 8. Ierem. vlt.

Concordantur verba Ieremiæ cum istis.

comburi, & die decimo perfecta est combustio.

Mensis quintus quis apud Hebræos.

Mensis autem quintus proculdubio est quintus anni mensis, in quo viget æstas. Et quia eodem anno combustum intelligimus templum, quo capta est Ierusalem, vnus tantùm mensis fluxit à tempore, quo capta est ciuitas, (videlicet, à die nona mensis quarti,) vsque ad tempus combustionis templi, videlicet, diem septimam, seu decimam mensis quinti. Et quia ille mensis erat conterminus anni decimioctaui, & anni decimononi regni Nabuchdonosor; ideò apud Ieremiam vterque annus nominatur: decimusnonus quidem die combustionis templi; decimusoctauus autem in translatione octingentarum & triginta duarum animarum: primùm enim emisit illos Nebu-zar-adan, & deinde combussit templum, &c.

Princeps exercitus.] Iuxta Hebræum habetur: *Princeps laniorum, seruus Regis Babel in Ierusalaim.* Et ne sæpè oporteat in hoc capitulo repetere, corrige sic semper titulum Nebu-zar-adan: quia semper cognominatur Princeps laniorum. Intelligo tamen significari non laniantes carnes macelli; sed lanios hominum: ita quòd ad terrorem aliorum suos milites appellabat lanios, & se Principem laniorum. Vel Princeps laniorum nomen est officij præsidentis ministris iustitiæ regiæ in criminalibus: nam simili titulo apud Ægyptios insignitus erat ille, in cuius carcere erat Ioseph: & hic sensus complectendus est ad literam: vt hunc præsidentem intelligamus missum à Rege Babel ad exequendam iustitiam contra Ierusalem rebellem.

Princeps laniorum, quis

Vers. 9. *Et combussit domum Domini, & domum Regis, & domos Ierusalaim.*] Deficit, *omnes*: ita quòd narratur combustas fuisse omnes domos Ierusalem: & deinde adiungitur:

Et omnem domum magnam combussit igni.] quod sonat combustas quoque fuisse magnas domos extra Ierusalem, quasi suburbanas.

Vers. 10. *Et muros Ierusalaim in circuitu, destruxit totus exercitus Chaldæorum, qui erat cum Principe laniorum.*] Penitùs inhabitabilem effecit Ierusalem, destructis muris, & combustis domibus vniuersis.

Vers. 11. *Residuum autem populi, qui remanserat in ciuitate, & transfugas, qui transfugerant ad Regem Babel, & residuum multitudinis transtulit Nebuzar-adan Princeps laniorum.*

Vers. 12. *Et de pauperibus terra reliquit Princeps laniorum vinitores, & agricolas.*] vt nec homines remanerent intùs, vel extra, nisi habitantes in vineis, & agris pauperes cultores agri, & vinearum, qui labore rustico manuum suarum victitant.

Vers. 13. *Columnas autem æreas, quæ erant in domo Domini, & bases, & mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi: & tulerunt æs eorum in Babel.*

Vers. 14. *Et ollas, & scopas, & fuscinulas, & cyathos, & omnia vasa ærea, in quibus ministrabant, tulerunt.*

Vers. 15. *Et palas, & malluuia (quæ aurea aurea, & quæ argentea argentea) tulit Princeps laniorum.*

Vers. 16. *Columnas duas, mare vnum, & bases, quas fecerat Salomon in domo Domini: non erat pondus æris omnium vasorum istorum*

Vers. 17. *Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna vna, & capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum, & retiaculum, & malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea.*] Iuxta Hebræum habetur: *Octo, & decem cubitorum altitudo columnæ vnius, & corona super eam ærea: & altitudo coronæ trium cubitorum, & rete, & malogranata super coronam in circuitu omnia ærea.* Hæc ideò annotauerim, vt perpendatur, quòd hinc primum habetur quantitas partium coronæ, quæ erat super columnam: in tertio siquidem libro cap. 7. scripta est quantitas totius coronæ quinque cubitorum secundum altitudinem: sed cùm corona distincta esset in partes duas (inferiorem, & superiorem) pársque inferior esset in forma circuli lati, quemadmodum etiam coronæ habent partem inferiorem circularem; pars verò superior esset per modum retis; non fuit ibidem scripta quantitas certa istarum partium, sed hîc scribitur, quòd pars superior erat altitudinis trium cubitorum: & consequenter pars inferior erat duorum cubitorum. Ita quòd nomine coronæ significatur hîc pars superior, quæ distincta erat per retia, & catenas cum malogranatis: rationi siquidem consentaneum est, vt latus circulus minor sit superiecto ornamento tot zonarum.

3. Reg. 7.

Quantitas partium coronæ, quæ erat super columnam, qualis.

Similem & columna secunda habebat ornatum.

Vers. 18. *Tulit quoque Princeps laniorum Sera-iam Sacerdotem primum, & Zephan-iahu Sacerdotem secundum: & tres ianitores.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et tres custodes vasis.* de quibus superiùs habitus est sermo,

Vers. 19. *Et de ciuitate tulit eunuchum vnum, qui erat Præfectus super viros bellatores, & quinque viros ex videntibus faciem Regis, qui inuenti sunt in ciuitate, & Sopher.*] Hebraice habetur: *Et scribam Principem exercitus.* Non est nomen proprium, sed nomen officij.

Qui probabat tyrones de populo terræ.] Hebraicè habetur, *facientem exercitare populum terræ.* Ad declarandum, qualis erat principatus scribæ in exercitu, dicitur, quòd ipse faciebat exercitare populum terræ; hoc est, quòd ipsi cura demandata erat super iuuenum exercitationem, vt essent idonei ad exercitum.

Principatus scribæ in exercitu qualis.

Et sex viros è vulgo.] Iuxta Hebr. habetur, *& sexaginta viros de populo terræ, qui inuenti sunt in ciuitate.* omnes enim prænumerati erant alicuius qualitatis: & propterea missi sunt in Antiochiam ad Regem.

Vers. 20. *Tulitq; eos Nebu-zar-adan, Princeps laniorum: & ire fecit eos ad Regem Babel in Rib-lam.*

Vers. 21 *Percussitque eos Rex Babel, & interfecit eos in Rib-la in terra Chamath: & translatus est Iehuda de terra sua.*

Vers. 22. *Et populo, qui remanserat in terra Iehuda, quem remanere fecerat Nebu-chadnezar Rex Babel: præfecit Ghedal-iahu, filium Achicam, filij Saphan.*] Destructa penitùs Ierusalem, relictus est aliquantus populus in reliquis partibus Iudæ: & istis præfectus est Godolias.

Vers. 23. *Audierunt autem omnes Principes militum ipsi, & viri, qui erant cum eis, quod præfecisset Rex Babel Ghedal-iahu.*] Isti sunt, qui dispersi fuerant Chaldæis persequentibus Sedechiam Regem.

Et venerunt ad Ghedal-iahu in Mizpam.] Nomen est ciuitatis, in qua residebat Godolias.

Mizpa, nomen ciuitatis.

Et Ismahel filius Nethan-ia, & Iochanan filius Careah, & Sera-ia filius Than-chumeth Nethophathites, & Iaazan-iahu filius Machachathi, ipsi & viri eorum.

Vers. 24. *Iurauitque eis Ghedal-iahu, & viris eorum, & dixit eis: Nolite timere seruire Chaldæis, manete*

nite in terra, & seruite Regi Babel, & benè erit vobis.

Vers. 25. *Et fuit in mense septimo (à præfectura Godoliæ) venit Ismahel filius Nethan-ie, filij Elisamah, de semine regni, & decem viri cum eo, & percusserunt Ghedal-iahu, & mortuus est: Iehudæósque, & Chaldæos, qui erant cum eo in Mizpa.*

Vers. 26. *Surrexitque totus populus à paruo vsque ad magnum, & Principes militum, & ierunt in Ægyptum: quia timuerunt à facie Chaldæorum.*] Historia hæc latius scribitur apud Ieremiam à 40. cap. vsque ad 44. tum de occisione proditoria ista: tum de iis, quæ superuenerunt contra proditorem: tum de recessu populi in Ægyptum propter timorem Chaldæorum, ne in eos sæuirent, eò quòd Præfectus occisus fuerat.

Ierem. 40 ad 44.

Vers. 27. *Et fuit in anno trigesimo septimo transmigrationis Iehoiachin, Regis Iehudæ, in duodecimo mense, in vigesima septima die mensis.*] Impositurus finem historiæ Regum Iudæ Author libri, narrat, quid euenerit Ioachin Regi Iudæ, qui adolescentulus dederat se discretioni Regis Babylonis.

Subleuauit Euilmerodach Rex Babel in anno, quo regnare cœpit, caput Iehoiachin Regis Iehudæ de domo carceris.] Nouus Rex Babylonis primo sui regni anno misertus est Ioachin Regis Iudæ: vt etiam in hoc appareret consilium Ieremiæ Prophetæ fuisse vtile ipsi Ioachin.

Et locutus est cum eo bona: posuitque sedem eius super sedem Regum, qui erant cum eo in Babel. Vers. 28.

Mutauitque vestes carceris eius: & comedit panem iugiter in conspectu eius omnibus diebus vitæ suæ. Vers. 29.

Annona quoque eius annona continua dabatur ei à Rege per singulos dies, omnibus diebus vitæ eius.] Vtrunque datum est ei; videlicet, & conuiuam esse in mensa Regis, & definita est certa portio quotidiana pro victu domus eius. Et sic finitur liber quartus Regum. Romæ die 16. Decembris, 1531. Vers. 30.

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. SYXTI,

IN LIBROS PARALIPOMENON COMMENTARII.

Titulus huius libri examinatur.

CIRCA titulum huius libri aduerte, quòd apud Hebræos vocatur, *Verba dierum*; & non, Verba dierum Regum Iudæ, aut Israël: vt ex ipso titulo intelligas, non citari hunc librum, quando in libris Regum legitur scripta esse in libro dierum Regum Iudæ, vel Israël. Appellatur autem, *Verba dierum*, indefinitè: quia & quædam verba, & quorundam dierum notificat, quæ in libris sacris non inueniuntur.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Vers. 1. ADAM, *Seth, Enos.*
Vers. 2. *Cenam, Mahalal-el, Iered.*
Vers. 3. *Chanoch, Metuselach, Lemech.*
Vers. 4. *Noach, Sem, Cham, & Iepheth.*
Vers. 5. *Filij Iepheth, Ghomer, Magog, & Madai, & Ia-uan, & Thubal: & Mesech, & Thiras.*
Vers. 6. *Porrò filij Ghomer, Aschenaz, & Riphath, & Thogarma.*
Vers. 7. *Filij autem Ia-uan Elisa, & Tharsisa: Chittim, & Dodanim.*
Vers. 8. *Filij Cham: Chus, & Mizraim, Put, & Chenahan.*
Vers. 9. *Et filij Chus, Seba, & Chauilą, & Sabtha, & Rah-ma: & Sabthæa: filiique Rah-mą, Seba, & Dedam.*
Vers. 10. *Chus autem genuit Nimrod: ipse cœpit esse potens in terra.*
Vers. 11. *Mizraim verò genuit Ludim, & Hanamim, & Lehabim, & Naphthuchim.*
Vers. 12. *Et Path-rusim, & Casluchim (è quibus egressi sunt Philisthim,) & Chaphthorim.*
Vers. 13. *Chenaham autem genuit Zidon primogenitum suum, & Cheth.*
Vers. 14. *Et Iebusæum, & Emoræum, & Ghirghasæum.*
Vers. 15. *Et Chiuæum, & Harcæum, & Sinæum.*
Vers. 16. *Et Aruadæum, & Zemaræum, & Chamathæum.*
Vers. 17. *Filij Sem, Helam, & Assur, & Arpachsad, & Lud, & Aram: & Huz, & Chul, & Gether, & Mesech.*
Vers. 18. *Arpachsad autem genuit Selach: & Selach genuit Heber.*
Vers. 19. *Porrò Heber nati sunt duo filij: nomen vnius Peleg, (quia in diebus eius diuisa est terra,) & nomen fratris eius Ioctan.*
Vers. 20. *Ioctan autem genuit Almodad, & Seleph: & Chazarmaueth, & Iarach.*
Vers. 21. *Et Hadoram, & Vzal, & Dic-lam,*
Vers. 22. *Et Hebal, & Abimaël, & Sebam,*
Vers. 23. *Et Ophir, & Chauilam, & Iobab: omnes isti filij Ioctan.*
Vers. 24. *Sem, Arpachsad, Selach.*
Vers. 25. *Heber, Peleg, Rehu.*
Vers. 26. *Serug, Nachor, Therach.*
Vers. 27. *Ab-ram, ipse est Ab-raham.*
Vers. 28. *Filij Ab-raham, Iizchac, & Iizmahel.*
Vers. 29. *Istæ generationes eorum: primogenitus Iizmahelis Neba-ioth, & Cedar, & Adbeel, & Mibsam.*
Vers. 30. *Misma, & Duma, Massa, Chadad, & Thema.*
Vers. 31. *Ietur, Naphis, & Cedmą: isti sũt filij Iizmahelis.*
Vers. 32. *Et filij Ceturæ concubinæ Ab-raham, peperit Zimram, & Iocsan, & Medan, & Mid-ian, & Issbac, & Suach: & filij Ioc-an Seba, & Dedan. Et filij Dedan fuerunt Assurim, & Letusim, & Leummim.*
Vers. 33. *Et filij Mid-ian Hepha, & Hepher, & Chanoch, & Abidah, & Eldaæ: omnes isti filij Ceturæ.*

Genuit

Vers. 34. *Genuit autem Ab-raham Iizchac: filij Iirzchac Heſau, & Iſrael.*

Vers. 35. *Filij Heſau, Eliphum, Rehu-el, & Iehus, & Iah-lam, & Corach.*

Vers. 36. *Filij Eliphaz, Theman, & Omar, Zephi, & Gah-than, Cenam, & Thimnah, & Hamalec.*

Vers. 37. *Filij Rehu-el, Nachath, Zerach, Samma, & Mizza.*

Vers. 38. *Filij autem Sehir, Lotan, & Sobal, & Zibbon, & Hana, & Diſon, & Ezer, & Diſan.*

Vers. 39. *Et filij Lotan, Chori, & Homan, & ſoror Lotan Thimnah.*

Vers. 40. *Filij Sobal, Hal-ian, & Manachath, & Hebal, Sephi, & Onam: & filij Zibbon, Aia, & Hana.*

Vers. 41. *Filii Hana Diſon: & filii Diſon, Chamran, & Eſban, & Iith-ran & Cheran.*

Vers. 42. *Filii autem Ezer, Bilhan, Zahauan, Iahacan. Filii Diſan, Huz, & Aran.*

Vers. 43. *Iſti autem ſunt Reges, qui regnauerunt in terra Edom, antequàm regnaret Rex filiis Iſrael: Belah filius Behor, & nomen ciuitatis eius Dinhaba.*

Vers. 44. *Mortuúſque eſt Belah: & regnauit pro eo Iobab filius Zerach de Bozra.*

Vers. 45. *Mortuúſque eſt Iobab: & regnauit pro eo Chuſam de terra Themanæorum.*

Vers. 46. *Mortuúſque eſt Chuſam: & regnauit pro eo Hadad, filius Bedad, qui percuſſit Mid-ian in agro Moab, & nomen ciuitatis eius Hauith.*

Vers. 47. *Mortuúſque eſt Hadad: & regnauit pro eo Samla de Maſreca.*

Vers. 48. *Mortuúſque eſt Samla: & regnauit pro eo Saül de latitudinibus fluuii.*

Vers. 49. *Mortuúſque eſt Saul, & regnauit pro eo Baal-chanan filius Hachbor.*

Vers. 50. *Mortuúſque eſt Baal-chanan: & regnauit pro eo Hadad, & nomen ciuitatis eius Pahi, & nomen uxoris eius Mehetabel filia Matred filia Me-zahab.*

Vers. 51. *Mortuúſque eſt Hadad: & fuerunt duces Edom, dux Timnah, dux Hal-ia, dux Ietheth.*

Vers. 52. *Dux Aholibama, dux Ela, dux Pinon.*

Vers. 53. *Dux Cenan, dux Theman, dux Mibzar.*

Vers. 54. *Dux Magdiel, dux Hiram: iſti duces Edom.*] In hoc primo capitulo libri Paralip. nihil occurrit ſcribendum, ne repetantur ſcripta priùs: niſi declarare, quòd pertranſire intendo genealogias uſque ad capitulum decimum, Pauli Apoſtoli monitis acquieſcens.

CAPVT II.

Vers. 1. *HAEC filii Iſraelis: Reuben, Simhon, Leui, & Iehuda, Iiſaſchar, & Zebulun.*

Vers. 2. *Dan, Ioſeph, & Bin-iamin, Naphthali, Ghad, & Aſer.*

Vers. 3. *Filii Iehuda, Her, & Onan, & Sela, hi tres nati ſunt ei de Bathſuah Chenahanithide: & fuit Her primogenitus Iehuda malus in oculis Domini, & occidit eum.*

Vers. 4. *Thamar autem nurus eius peperit ei Perem, & Zerach: omnes filii Iehuda quinque.*

Vers. 5. *Filii Perem Chezron, & Chamul.*

Vers. 6. *Filii autem Zerach Zimri, & Ethan, & Heman, & Chalchol, & Dara: omnes ipſi quinque.*

Vers. 7. *Filii vero Charmi, Hachar turbator Iſraëlis, qui prauaricatus eſt in anathemate.*

Vers. 8. *Filii autem Ethan, Hazar-ia.*

Vers. 9. *Filii autem Chezron, qui nati ſunt ei Ierachmeel, & Ram, & Chelubai.*

Ram autem genuit Hamminadab: & Hamminadab genuit Naaſſon Principem filiorum Iehuda. Vers. 10.

Naaſſon autem genuit Salman: & Salma genuit Booz. Vers. 11.

Booz autẽ genuit Obed: & Obed genuit Iiſai. Vers. 12.

Iiſai autem genuit primogenitum ſuum Eliab: & Abinadab ſecundum, & Simham tertium, Vers. 13.

Nathanael quartum, Raddai quintum. Vers. 14.

Ozem ſextum, Dauid ſeptimum.] De naturalibus filiis eſt hic ſermo: in primo autem libro Regum cap. 16. Dauid non ſupputatur ſeptimus, quia (vt ibidem diximus) mixtus eſt naturalibus filius adoptiuus. Vers. 15. 1. Reg. 16.

Sorores autem eorum fuerunt Zeruia, & Abigail, & filii Zeruia Abiſai, & Ioab, & Haſahel tres. Vers. 16.

Abigail autem genuit Hamaſam: & pater Hamaſæ fuit Iether Iſmahelita. Vers. 17.

Chaleb autem filius Chezron, accepit Hazubam uxorem, & genuit ex ea Ieriboth: & iſti filii eius, Ieſer, & Sobab, & Ardon. Vers. 18.

Mortua eſt autem Hazuba: & accepit ſibi Chaleb Ephrath, quæ peperit ei Chur. Vers. 19.

Chur autem genuit Vri: & Vri genuit Bezaleel. Vers. 20.

Poſteà autem ingreſſus eſt Chezron ad filiam Machir patris Ghilhad, & ipſe accepit eam, & ipſe erat filius ſexaginta annorum: quæ peperit ei Segub. Vers. 21.

Segub autem genuit Iair: & fuerunt ei viginti tres ciuitates in terra Ghilhad. Vers. 22.

Cepitque Gheſur, & Aram villas Iair ab eis, Cenath, & filias eius ſexaginta ciuitates: omnes iſti filii Machir patris Ghilhad. Vers. 23.

Poſtquam autem mortuus eſt Chezron in Chaleb Ephrata, uxor Chezron Abia peperit ei Aſchur patrem Thecoah. Vers. 24.

Fuerunt autem filii Ierachmeel primogeniti Chezron, primogenitus Ram: & Buna, & Oren, & Ozem Achia. Vers. 25.

Et fuit alia uxor Ierachmeeli nomine Hatara, quæ fuit mater Onam. Vers. 26.

Fuerunt autem filii Ram primogeniti Ierachmeelis: Maham, & Iamin, & Hecer. Vers. 27.

Fuerunt autem filii Onam, Sammai, & Iadah: & filii Sammai, Nadab, & Abiſur. Vers. 28.

Et nomen uxoris Abiſur Abihail: quæ peperit ei Achban, & Molid. Vers. 29.

Filii autem Nadab, Seled & Appaim: & mortuus eſt Seled abſque filiis. Vers. 30.

Filii autem Appaim Iiſhi: & filii Iiſhi Seſan, & filii Seſan Achlai. Vers. 31.

Filii autem Iadah fratris Sammai, Iether, & Ionathan: & mortuus eſt Iether abſque filiis. Vers. 32.

Filii autem Ionathan, Peleth & Zaza: iſti fuerunt filii Ierachmeelis. Vers. 33.

Seſan autem non habuit filios, ſed filias.] Quæſtio occurrit: quia paulò ſuperiùs ſcriptum eſt, Seſan genuiſſe Achlai: quomodo ergo nunc dicitur, quòd non habuit filios? Solutio eſt, quòd mortuus eſt filius, antequàm generaret nepotem Seſan: & propterea de nepote eius ex parte filij agitur. Vers. 34. *An Seſan genuit filios.*

Habuitque Seſan ſeruum Ægyptium, nomine Iarchah.

Dediſque Seſan filiam ſuam Iarchah, ſeruo ſuo, in uxorem: quæ peperit ei Hatthai. Vers. 35.

Hatthai autem genuit Nathan, & Nathan genuit Zabad. Vers. 36.

Zabad autem genuit Ephlal: & Ephlal genuit Obed. Vers. 37.

Obed autem genuit Iehu: & Iehu genuit Hazar-iam. Vers. 38.

Vers. 39. *Hazar-ia autem genuit Chelem: & Chelem genuit Elhasam.*

Vers. 40. *Elhasa autem genuit Sismai: & Sismai genuit Sallum.*

Vers. 41. *Sallum autem genuit Iecam-iam: & Iecam-ia genuit Elisamah.*

Vers. 42. *Filij autem Chaleb fratris Ierachmeelis Mesah primogenitus eius ipse fuit pater Ziph: & filij Maresa patris Cheb-ron.*

Vers. 43. *Filij autem Cheb-ron, Chorach, & Thapuach, & Recem, & Semah.*

Vers. 44. *Semah autem genuit Racham patrem Iorceham: & Recem genuit Sammai.*

Vers. 45. *Filius autem Sammai Maon: & Maon fuit pater Bethsur.*

Vers. 46. *Hepha autem concubina Chaleb, peperit Charan, & Mozam, & Ghazem: & Charan genuit Ghazem.*

Vers. 47. *Filij autem Iah-dai: Regem, & Iotham, & Gesan, & Pelet, & Hepha, & Sahaph.*

Vers. 48. *Concubina Chaleb Maacha, peperit Seber, & Thirchanam.*

Vers. 49. *Sahaph autem peperit patrem Madmanna, Seuam patrem Machbena, & patrem Gibba: & filia Chaleb Achsa.*

Vers. 50. *Isti fuerunt filij Chaleb filij Chur, primogeniti Eph-ratha: Sobal pater Cir-iath-iearim.*

Vers. 51. *Salma pater Beth-lechem, Chareph pater Beth-ghader.*

Vers. 52. *Fuerúntque filij Sobali patri Cir-iath-iearim; qui videbat dimidium requietionum.* Nomen proprium loci esse, tam hic, quàm infernis dictionem interpretatam, *requietionum*, aiunt Hebræi. Possessio igitur medietatis certi loci significari videtur.

Requietiones, *quid.*

Vers. 53. *Familiæ autem Cir-iath-iearim, Iethrens, & Puthens, & Sumathens, & Misrahens: ex istis egressi sunt Zor-hatheus, & Estha-uleus.*

Vers. 54. *Filij Salme Beth-lechem, & Netophati, corona domus Ioab.*] Dictionem quoque interpretatam, *corona*, aiunt esse nomen proprium. Si tamen appellativum est, significantur isti ad gloriam domus Ioab.

Coronæ, *quid.*

Et dimidium requietionis Zorhi.

Vers. 55. *Familiæ autem Scribarum habitantium in Iabem, canentes, resonantes in tabernaculis commorantes.* Omnia hæc aiunt esse nomina propria familiarum, seu patrumfamiliæ scribarum habitantium in Iabes. Et de his subiungitur.

Ipsi Cinæi, qui venerunt de calore.] Hebraicè habetur, *venientes de Chamath patre domus Rechab.* Nomen proprium viri est Chamath.

CAPVT III.

Vers. 1. *ISti autem fuerunt filij Dauidis, qui nati sunt ei in Cheb-ron: primogenitus Amnon ex Achinoham Iizrehelitide. Secundus Daniel ex Abigail Charmelithide.*

Vers. 2. *Tertius Absalon filius Mahacha, filia Thalmai Regis Gesur. Quartus Adoni-ia filius Chagith.*

Vers. 3. *Quintus Sephath-ia ex Abital. Sextus Iithreham ex Hegla uxore eius.*] Hebraïcam dictionem reliquerunt: vt enim in libris Regum diximus, non est nomen proprium Hegla, sed significat vitulam: & ad literam significatur Michol, prima vxor Dauidis, filia Regis Saül: de ipsa enim genuit Dauid in Hebron filium vnum. Appellatur autem vitula propter teneram illius dilectionem, Hebraica (vt aiunt) consuetudine. Vxor autem eius specialiter dicitur: quia fuit prima.

Hegla, *quod nomen & cur vitula dicta.*

Sex nati sunt in Cheb-ron, regnauitque ibi septem annis, & sex mensibus, & triginta tribus regnauit in Ierusalaim. Vers. 4.

Porrò in Ierusalaim nati sunt ei: Simha, & Sobab, & Nathan, & Salomo, quatuor ex Bathsuah.] Vers. 5. vxore olim Vriæ Ethæi. Hunc filiorum numerum annotabis, & recoles in parabolis Salomonis cap. 4. vbi Salomon dicit, se *vnigenitum coram matre sua*, ne intelligas de vnigenito secundũ naturã: clarè enim litera restatur, quòd isti filij Bersabeæ fuerunt filij naturales Dauidis: nã expressè dicitur: *Et isti nati sunt ei in Ierusalaim, Simha, & Sobab, & Nathan, & Salomo, quatuor de Bathsuah, filia Hammiel.* Nullus relinquitur inficiationi locus: sed ita narrantur naturales filij Dauidis isti, sicut, seu clarius quàm alij. Verba autem Salomonis, in parabolis sunt exponenda: nunc hîc sufficit nosse, quòd non est ibi sermo de vnigenito, seu vnico secundùm naturam.

Salomon an fuerit vnigenitus Bersabeæ.

Et Iibehar, & Elisamah, Vers. 6.

Et Elisphelet, & Noga, & Nepheg, & Iaphiah. Vers. 7.

Et Elisamah, & El-iadah, & Elisphelet nouem. Vers. 8.

Omnes filij Dauidis: præter filios concubinarum.] Vers. 9. tanquàm matres prænominatorum habitæ fuerunt, vt præcipuæ vxores, concubinæ autem quasi famulæ.

Et Thamar sororem eorum.

Filius autem Salomonis Rechabham: Abi-ia, filius eius: Asa, filius eius: Iehosaphat, filius eius. Vers. 10.

Ioram filius eius, Achaz-iahu filius eius, Ioas filius eius. Vers. 11.

Amaz-iahu filius eius, Hazar-ia filius eius, Iotham filius eius. Vers. 12.

Achaz filius eius, Chizci-iahu filius eius, Manasses filius eius, Amon filius eius, Iosi-iahu filius eius. Vers. 13.

Filij autem Iosi-iahu, primogenitus Iochanan, secundus Iehoiacim: Tertius Zidci-iahu, quartus Sallum. Vers. 14. Vers. 15.

Filij autem Iehoiacim: Iechon-ias filius eius, Zidci-ias filius eius. Vers. 16.

Filij autem Iechon-ia Assir, Sealtbiel filius eius. Vers. 17.

Et Malchiram, & Peda-ia, & Sen-azar: Iecam-ia, Hosamah, & Nedab-ia. Vers. 18.

Filij autem Peda-ia Zerubbabel, & Simei: & filius Zerubbabel, Messullam, & Chanan-ia, & Selomith soror eorum. Vers. 19.

Et Chasuba, & Ohel, & Berech-ia, & Chasadia, & Iusab-chesed quinque. Vers. 20.

Filius autem Chanan-ia Pelat-ia, & Iesab-ia.] Vers. 21. Aduerte, prudens lector, genealogiam hanc vsque ad finem capituli: & supputando inuenies æqualem generationum numerum à transmigratione Babylonis recenter ab authore huius libri, & à Matthæo Euangelista secundum vulgatam editionẽ. Et hinc scito, quàm erronea sit vulgata editio: quæ ex fratribus facit filios, vel ex disparatis familiis facit vnam genealogiam. Opus est autem mutatione magna, vt corrigatur iuxta Hebraicam veritatem: & breuius fiet recitando Hebraicum textum, non totum, sed illam particulam vulgatæ editionis.

Æquales generationes numerat à transmigratione Babylonis recenter ad Matthæi Euang.

Vulgata editio quam erronea.

Cuius filius Rephaia, huius quoque filius Arnan, de quo natus est Obdia, cuius filius fuit Sechènias.] Iuxta Hebræum habetur, *filij Rephaia filij Arnan, filij Hodad-ia filij Sechen-ia.* Et quia filij est nominativus pluralis in his quatuor, clarè liquet, quod narrantur 4. disparatæ familiæ

liæ in textu Hebræo. Et ex hac particula ſufficiat monſtraſſe errorem vulgatæ editionis hoc in loco, ne erres & tu.

Verſ. 22. *Filij autem Sechan-ia Semah-ia: & filij Semah-ia Chatus, & Iig-al, & Bari-ach, & Nehar-ia, & Saphath, ſex.*

Verſ. 23. *Filius autem Nehar-ia Eliohenai, & Chizki-ia, & Hazricam, tres.*

Verſ. 24. *Filij autem El-iohenai Hodai-uahu, & El-iaſib, & Pela-ia, & Haccub, & Iochanan, & Dela-ia, & Hanani, ſeptem.*]

CAPVT IV.

Verſ. 1. ILII *Iehudæ: Terem, Chez-ron, & Charmi, & Cur, & Sobal.*

Verſ. 2. *Rea-ia autem filius Sobal genuit Iachath, & Iachath genuit Achumai, & Lahad: iſta familiæ Zorhathæorum.*

Verſ. 3. *Et iſti filij Hetam, Iizrehel, & Iiſma, & Iidbas: & nomen ſororis eorum Haze-lelphoni.*

Verſ. 4. *Penuel autē pater Gedor, & Hezer pater Chuſæ: iſti filij Chur primogeniti Ephrathæ patris Bethlechē.*

Verſ. 5. *Aſchur autem patri Tecoah fuerunt duæ vxores: Chel-a, & Nahara.*

Verſ. 6. *Peperitque ei Nahara Achuzam, & Chepher, & Themni, & Ha-achaſthari: iſti filij Nahara.*

Verſ. 7. *Filij autem Chel-a: Zereth, Iezochar, & Ethnā:*

Verſ. 8. *Coz autem genuit Hanub, & Hazobebam: & familias Acharchel filij Harum.*

Verſ. 9. *Fuit autem Iah-bes inclytus præ fratribus ſuis: & mater eius vocauit nomen eius Iah-bes dicendo: Quia peperi eum in dolore.*

Verſ. 10. *Inuocauitque Iah-bes Deum Iſrael dicendo.*] Nomen eſt Elohæ.

Si benedicendo benedices mihi, & dilatabis terminos meos, & erit manus tua mecum.] Quia nihil ſubiungitur promiſſum Deo, non eſt dictio, *ſi*, intelligenda, vt conſtituat conditionalem votiuam: ſed interrogatiuè, ita quòd ſupplicantis eſt nota: ſæpè enim hoc loquendi modo vtuntur Hebræi ad affirmandum. Eſt igitur ſupplicantis affirmatio, in ſpe tamen. Et benedictio refertur ad multiplicationem, tum filiorum, tum rerum: dilatatio autem terminorum ad terras: manus autem diuina cum eo, ad prævalendum.

Dictio, ſi, interrogatiuè accipitur.

Et facies me à malitia non opprimi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facies à malo non dolere me.* Tria prima pertinent ad aſſecutionem boni: hoc autem quartū ſpectat ad præſeruationē à malo.

Et præſtitit Deus, quæ petiit.] Nomen eſt Elohim. Ideò relata eſt oratio Iabez, vt ſciatur, quòd in his quatuor fuit inclytus; & quòd hæc habuit à Deo intercedente illius oratione: vt & hinc cognoſcamus tertium, videlicet, quòd non ſolùm fuit potens, ſed religioſus.

Iabez oratio cur referatur.

Verſ. 11. *Caleb autem frater Suaa, genuit Machir.*] Hebræi dicunt, legendum eſſe, *& Chelub frater Suchæ genuit Machir.* nec admittunt, quòd idem ſit nomen Chelub, & Chaleb.

Qui fuit pater Eſthon.

Verſ. 12. *Eſthon autem genuit Beth-rapham, & Paſeach, & Thechinnam patrem ciuitatis Nachas: hi ſunt viri Recha.*

Verſ. 13. *Filij autem Cenan, Hothniel, & Sera-ia: & filij Hothniel Chathath.*

Verſ. 14. *Meonothai autem genuit Hoph-ram: & Sera-ia genuit Ioab patrē vallis artificū, ibi quippe artifices erant.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Quia magiſtri fuerūt.* Et eſt ſermo de magiſtris artium.

Filij autem Chaleb filij Iephunnæ, Hiru, Ela, & Verſ. 15.
Maham: & filiæ Ela Vcenam.

Filij autem Iehal-lel-el: Ziph & Zipha, Thi- Verſ. 16.
ria & Aſar-el.

Filius autem Hezræ, Iether & Mered & He- Verſ. 17.
pher & Ialon: genuitque Mir-iam & Sammai, & Iisbach patrem Eſthemoah.

Vxórque eius Iehudi-ia peperit Iered patrem Verſ. 18.
Gedor, & Cheber patrem Socho, & Iecuthiel, patrem Zanoach: & iſti filij Bith-ia filiæ Par-honis, quam accepit Mered]Nō intelligo Pharaonē Regē Ægypti, ſed Hebræum aliquem nominatū Pharao.

Quis Pharao hic intelligatur.

Filij autē vxoris Hodi-ia ſororis Nacham patris Verſ. 19.
Cebila, Hagharmi & Eſthemoah Mahachathæus.

Filij autem Simon Amnen & Rinna, Ben-cha- Verſ. 20.
nan, & Thilō: & filij Iiſhi Zocheth, & Ben-zochet.

Filij autem Sela filij Iehudæ, Her pater Lecha, Verſ. 21.
& Lah-da pater Mareſæ: & familiæ domus operantium byſſum in domo iuramenti.] Hebrei nomina propria aiunt eſſe dictiones interpretatas operantium byſſum: & ſimiliter dictionem interpretatam iuramenti.

Et qui ſtare fecit Solē.] Iuxta Hebr. habetur: *Et* Verſ. 22.
Iocim. loco omnium iſtorum verborum. Ita quòd vnum nomen proprium hic ſcribitur, quod Interpres dixit, qui ſtare fecit Solem. non eſt opus fingere hæc miracula.

Virique mendacij.] Iuxta Hebræum habetur: *& viri Cozeba.* Et ſimiliter quod ſubiungitur:

Et ſecurus & incedens.] Hebraïcè habetur, *& Ioas & Saraph.* Nomina ſunt propria virorum, de quibus ſubditur.

Qui Principes fuerunt in Moab.] Principatum quendam iſtos habuiſſe in regno Moab narratur.

Et quæ reuerſa ſunt in Lechem.] Iuxta Hebr. habetur, *& Iaſubi Lechem.* Et aiunt eſſe nomina propria.

Hæc autem verba vetera.] Iuxta Heb. *& verba antiqua.* Ne intelligeremus geſta hæc, quæ non ſunt ſcripta in ſacris libris, quos habemus, fuiſſe poſt tempora Regum, dicit Author hæc eſſe verba antiqua; hoc eſt, rerū antiquitùs geſtarum.

Ipſi ſunt figuli & habitantes in plantationibus, Verſ. 23.
& in ſepibus.] Etiam dictiones iſtæ interpretatæ plantationes & ſepes, nomina propria locorum dicuntur, in quibus habitabant iſti. Nonnulli autem fauent vulgatæ editioni: dicendo quòd vetè erant Iſraelitæ apud Regem Moab, tum figuli, tum ſcientes artem plantandi arbores, tum magiſtri ſepium pulchrarum, quæ fiunt intra hortos Principum: & propterea ſubditur:

Apud Regem in operibus eius, commoratique ſunt ibi.] Iuxta Hebræum habetur: *cum Rege in opere eius habitabūt ibi.* De Rege Moab eſt ſermo, apud quem magni erant iſti.

Filij Simhon: Nemuel, & Iamin, Iarib, Zerach, Verſ. 24.
Saul.

Sallum filius eius, Mibſam filius eius, Miſmah Verſ. 25.
filius eius.

Filij autem Miſmah: Chammuel filius eius, Verſ. 26.
Zacchur filius eius, Simhi filius eius.

Simhi autem fuerunt filij ſedecim, & filiæ ſex: Verſ. 27.
fratres vero eius non habuerunt filios multos, & tota cognatio eorum non potuit adæquare ſummam filiorum Iehudæ.

Habitauerunt autem in Beer-ſebah, & Molada, Verſ. 28.
& Chaſar-ſuhal.

Et in Bilha, & in Hezem & in Tholad. Verſ. 29

Et in Bethuel, & in Chorma, & in Ziclag. Verſ. 30.

Vers. 31 *Et in Beth-marchaboth, & in Chazar-susim, & in Bethbir-in, & in Sabaraim:*

Vers. 32. *Hæ ciuitates eorum vsque ad regnum Dauid.*] Ad differentiam aliarum ciuitatum, quas acquisiuerunt, postquàm regnauit Dauid, dicitur, *vsque ad regnum Dauidis.* subiunguntur enim duæ regiones, in quibus filij Simeon acquisiuerunt postea possessionem.

Vers. 33. *Villæ quoque eorum Etam, & Haim, Rimmon, & Thochen, & Hasan: ciuitates quinque. Et omnes villæ earum, quæ erant in circuitu ciuitatum istarum vsque ad Baal: hæc est habitatio eorum, & sedium eorum distributio.*

Vers. 34. *Et Mesobab, & Iamlech, & Iosa filius Amazia.*

Vers. 35. *Et Ioel, & Iehu filius Iosibia, filij Seraia, filij Hasiel.*

Vers. 36. *Et Elioenai, & Iaacoba, & Iesocaia, & Hasaia, & Hadiel, & Iesimiel, & Benaia.*

Vers. 37. *Et Ziza filius Siphi, filij Allon, filij Iedaia, filij Simri, filij Semaiæ.*

Vers. 38. *Isti sunt nominati Principes in familiis suis: & domus patrum suorum multiplicauerunt vehementer.*

Vers. 39. *Et profecti sunt ad introitum Gedor vsque ad orientem vallis, ad quærendum pascua ouibus suis.*

Vers. 40. *Inuenerúntque pascuum pingue, & bonum, & terram latissimam, & quietam, & fertilem: quia de Cham fuerunt sedentes ibi anteà.*

Vers. 41. *Venerúntque isti scripti per nomina in diebus Iechizeiahu Regis Iehuda, & percusserunt tentoria eorum, & habitacula, quæ inuenta sunt ibi, & deleuerunt eos vsque ad diem hanc, & habitauerunt pro eis: quia pascuum pro ouibus eorum erat ibi.*] Historia hæc in libris Regum non habetur: sed hic suppletur.

Vers. 42. *Ex eisque de filiis Simeon profecti sunt in montem Sehir, viri quingenti: & Pelatia, & Neharia, & Repbaia, & Huzziel, filij Iishi, fuerunt duces eorum.*] Hæc quoque historia noua est.

Vers. 43. *Et percusserunt reliquum eorum, qui euaserant de Hamalec: & habitauerunt ibi vsque ad diem hanc.* Recole, quòd ipse scripsit tempore Cyri, vel paulò pòst: & dicit, quòd vsque in diem hanc aliqui de Tribu Simeon habitant in monte Sehir.

CAPVT V.

Vers. 1. *Filij quoque Reuben primogeniti Israël: ipse enim fuit primogenitus: sed cum violasset thorum patris sui.*] Historiam hanc habes in Geneſi.

Geneſ. 35. 22.

Data est primogenitura eius filijs Ioseph filij Israël.] Et hoc quoque scriptum est in Geneſi, decernente sic Iacob.

Et non est ille reputatus in primogenitum.] Iuxta Hebræum habetur, *& non recensendus in primogenitura.* Rationem reddit Author, quare non recensuit prius genealogiam Rubenquia, videlicet, priuatus fuit à patre iuribus primogeniti.

Vers. 2. *Porrò Iudas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de ipso ortus Princeps egressus est: primogenita autem reputata sunt Ioseph.*] Iuxta Hebræum habetur. *Quia Iehuda vincebat præ fratribus suis, & ad ducem ex ipso: & primogenitura ad Ioseph.* Sic nacet in Hebræo. Non sat fuit reddere rationem, quare postponta est genealogia Rubenſed rationem addit, quare præposuit genealogiam Iudæ: quia, videlicet, Tribus Iudæ fuit fortis. reliquis Tribubus, & principatus ex ipsa fuit: à tempore enim Dauidis vsque ad captiuitatem Babylonicam semper regnauit Tribus Iudæ ex semine Dauidis: aliarum verò Tribuum Reges in Israël parum durauerunt, frequentissima mutatione interueniente. Pores & altiùs intelligere hanc rationem: quia, videlicet, ex Tribu Iudæ promissus est Messias dux populi: vt verba Iacob benedicendo Iudam testantur: & ideò quanuis primogenitura data sit Ioseph, præponendus fuit Iudas propter Messiam ducem ex Tribu Iudæ. Et dicit hoc, quia ipse præposuit genealogiam Tribus Iudæ reliquis.

Cur genealogia Iudæ præponitur genealogiæ Rubenis.

Filij ergo Reuben primogeniti Israël: Chanoch, & Phallu, Chezron & Charmi. Vers. 3.

Filij Ioël: Semaha ia filius eius, Ghog filius eius, Simbi filius eius. Vers. 4.

Micha filius eius, Reaia filius eius, Baal filius eius. Vers. 5.

Beera filius eius, quem captiuum duxit Thilgath-pilneeser Rex Assur: ipse Princeps Reubenitis. Vers. 6.

Et fratres eius per familias suas, cùm recensentur per generationes suas: caput Iehiel, & Zecharias. Vers. 7.

Et Belah filius Hazam: filij Semah, filij Ioel: ipse habitabat in Haroher, vsque ad Nebo, & Baal-meon. Vers. 8.

Et ad orientem habitauit vsque ad introitum deserti, à flumine Euphrate: quia greges eorum multiplicati fuerant in terra Ghilhad. Vers. 9.

In diebus autem Saul fecerunt bellum cum Hagriim, & interfecerunt eos: habitauerúntque in tentoriis eorum in omni plaga Orientis Ghilhadi. Vers. 10.

Filij verò Ghad è regione eorum habitauerunt in terra Basan vsque ad Salcham. Vers. 11.

Ioel caput, & Sapham secundus: & Iah-nai, & Saphat in Basan. Vers. 12.

Fratres autem eorum secundùm domum patrum suorum Michael, & Meshullam, & Sebah, & Iorai, & Iah chan, & Ziah, & Hebed, septem. Vers. 13.

Isti filij Abichail, filij Churi, filij Iaroach, filij Ghilhad, filij Michael, filij Iesisai, filij Iachdo, filij Buz. Vers. 14.

Achi filius Habdiel, filij Ghuni, dux domus patrum suorum. Vers. 15.

Habitauerúntque in Ghilhad in Basan, & in filiabus eius: & in omnibus suburbanis Saron super exitus eorum. Vers. 16.

Omnes hi recensiti sunt in diebus Iotham Regis Iehuda, & in diebus Iarobham Regis Israël. Vers. 17.

Filij Reuben, & Ghad, & dimidia Tribus Manassis de filiis fortitudinis, viri portantes scutum, & gladium, & tendentes arcum, & eruditi ad bellum: quadraginta quatuor millia, & septingenti, & sexaginta egredientes in exercitum.]Lege capitulum quartumdecimum quarti Reg. & videbis quadrare subiuncta gesta fuisse tempore Ieroboham, non primi Regis Israël; sed illius, qui fuit ex stirpe Iehu: de eo enim præclarissima gesta ibidem scripta sunt: ita quòd hic suppleantur, quę ibi omissa sunt. Et quod hîc dicitur de inuocatione Dei, & prælio Domini, ibi tactum est, mediante Iona Propheta, factum esse. Vers. 18.

Et fecerunt bellum cum Hagriim: & Ietur, & Naphis, & Nodab præbuerunt eis auxilium. Vers. 19.

Traditique sunt in manum eorum Hagrim, & omnes, qui fuerunt cum eis: quia Deum inuocauerunt, cùm præliarentur, & exaudiuit eos, quia speranerunt in eo. Vers. 20.

Prædatique sunt camelos eorum, camelorum quinquaginta Vers. 21

quinquaginta millia, & ouium ducenta, & quinquaginta millia, & asinorum duo millia: & animarum hominum centum millia.

Vers. 22. *Interfectique multi corruerunt: quia à Deo fuit prælium, & habitauerunt pro eis vsque ad transmigrationem.*

Vers. 23. *Filij autem dimidiæ tribus Manassis habitauerunt in terra: à Basan vsque ad Baal-chermon, & Senir, & montem Chermon ipsi multiplicati sunt.*

Vers. 24. *Et isti capita domus patrum suorum: & Hepher, & Iesi, & Eliel, & Azriel, & Iirme-ia, & Hodauia, & Iachdiel, viri potentes robore, viri nominati capita domus patrum suorum.*

Vers. 25. *Mentiti sunt autem in Deum patrum suorum: & fornicati sunt post Deos populorum terræ, quos delere fecit Dominus à facie eorum.*

Vers. 26. *Et suscitauit Deus Israël spiritum Pul Regis Assur.* In quarto Regum cap. 15. narratur, quòd iste Pul Rex Assyriorum venit quidem in terram Israël, sed in fauorem Menahem Regis Israël: hîc autem connumeratur inter hostes Israël. Solutio est, quòd vtrunque est verum: videlicet, quòd iste Pul hostis fuit Israël, quanuis placatus pecunia Menahem Regis Israël. Et quantùm hîc insinuatur, incepit captiuitatem Tribuum habitantium trans Iordanem.

4. Reg. 15. *Pul fuit hostis, & amicus Menahẽ, quomodo.*

Et spiritum Thig-lath-pilneser Regis Assur. De hoc clarè scribitur 4. Reg. 15. quòd tempore Phaceæ Regis Israël transtulit in captiuitatem etiam Ghalilæam. Et dicendo spiritum, manifestat Deum commouisse interna horum Regum ad exequendam iustitiam diuinam contra Israëlitas.

4. Reg. 15. *Et transtulit Reubenitas, & Ghaditas, & dimidiam Tribum Manassis.* Si iunxeris hæc cum scriptis ibidem in quarto Regum, inuenies, longè maiorem fuisse captiuitatem istam, quàm hic describatur: hîc enim describitur duntaxat captiuitas habitantium trans Iordanem; ibi autem adiungitur manifestè Tribus Nepthtalim cum Ghalilæa.

Et adduxit eos in Chalach, & Chabor, & Haram, & fluuium Ghosan vsque ad diem hanc.

CAPVT VI.

Vers. 1. Vers. 2. *Leui: Gherson, Cehath, & Merari. Filij autem Cehath, Haram, Iizhar, & Chebron, & Huzziel.*

Vers. 3. *Filij autem Hamram, Aharon, & Moses, & Mir-iam:*

Vers. 4. *Et filij Aharon, Nadab, & Abihu, Elhazar, & Ithamar. Elhazar genuit Pinchas: Pinchas genuit Abisuah.*

Vers. 5. *Abisuah autem genuit Bucci: & Bucci genuit Huzzi.*

Vers. 6. *Huzzi autem genuit Zerach-iam: & Zerachia genuit Mera-ioth.*

Vers. 7. *Mera-ioth genuit Amar-iam: & Amar-ia genuit Achitub.*

Vers. 8. *Achitub autem genuit Zadoc: & Zadoc genuit Achimahaam.*

Vers. 9. *Achimahaam autem genuit Hazar-iam: & Hazar-ia genuit Iochanam.*

Vers. 10. *Iochanam autem genuit Hazar-iam: ipse est, qui sacerdotio sanctus est.* Parui refert, quòd Hebr. habetur: *Sacerdotauit in domo, quam ædificauit Salomo in Ierusalem.* si sic licet loqui. Intelligimus enim per hoc significari, quòd iste Hazarias fuit ille, qui pro sacerdotio pugnauit, inhibendo Oziæ Regi officium Sacerdotis, vt inferiùs cap. 26. secundi libri narratur.

Vers. 11. *Hazar-ia autem genuit Amar-iam: & Amaria genuit Achitub.*

Vers. 12. *Achitub autem genuit Zadoc: & Zadoc genuit Sallum.*

Vers. 13. *Sallum autem genuit Chilci-iam: & Ghilci-ia genuit Hazar-iam.*

Vers. 14. *Hazar-ia autem genuit Sera-iam: & Sera-ia genuit Iehozadac.*

Vers. 15. *Iehozadac autem abiit, quando transtulit Dominus Iehudam, & Ierusalem in manu Nebuchadnezar.*

Vers. 16. *Filij Leui Gherson, Cehath, & Merari.*

Vers. 17. *Et hæc nomina filiorũ Gherson, Libni, & Simhi.*

Vers. 18. *Filij autem Cehath: Haram, & Iizhar, & Chebron, & Huziel.*

Vers. 19. *Filij Merari, Machli, & Musi: & istæ familiæ Leui per patres eorum.*

Vers. 20. *Gherson, Libni, filius eius; Iachath, filius eius, Zimma, filius eius.*

Vers. 21. *Joach, filius eius; Hiddo, filius eius; Zerach, filius eius, Jeath-rai, filius eius.*

Vers. 22. *Filij Cehath, Haminadab, filius eius: Corach, filius eius; Assyr, filius eius.*

Vers. 23. *Elcana, filius eius, & Eb-iasaph, filius eius, & Assyr, filius eius.*

Vers. 24. *Thachath, filius eius; Vriel, filius eius; Huzi-ia, filius eius; & Saul, filius eius.*

Vers. 25. *Filij autem Elcana, Hamasai, & Achimoth.*

Vers. 26. *Elcana: filij Elcana Saphai, filius eius, & Nachath filius eius.*

Vers. 27. *Eli-ab filius eius, Ierocham filius eius. Elcana filius eius.*

Vers. 28. *Filij Samuël, primogenitus Vasni, & Abi-ia.*

Vers. 29. *Filij Merari, Machli; Libni filius eius; Simhi, filius eius; Huza, filius eius.*

Vers. 30. *Simha, filius eius, Cha-ghi-ia, filius eius; Hasaia, filius eius.*

Vers. 31. *Isti sunt autem, quos constituit Dauid super cantum domus Domini, à quiete Arcæ.*

Vers. 32. *Fuerunt que ministrantes coram tabernaculo tentorij adunationis in cantu, donec ædificauit Salomo domum Domini in Ierusalem: & steterunt iuxta ordinem suum in ministerio suo.* Diffusus erit inferiùs sermo de ordinatis à Dauide: hîc autem tanguntur tria capita cantorum iuxta tres filios Leui singulos ex singulis filiis; videlicet, Hemam ex stirpe Cehath, & Asaph ex stirpe Gherson, & Ethã ex stirpe Merari: vt nulla esset dissensio.

Vers. 33. *Isti sunt, qui stabant, & filij eorum: de filiis Cehathitarum, Heman cantor, filius Ioel, filij Samuel.*

Vers. 34. *Filij Elcanæ filij Ierochã, filij Eliel, filij Thoach.*

Vers. 35. *Filij Zuph, filij Elcana, filij Machath, filij Hamasai.*

Vers. 36. *Filij Elcana, filij Ioel, filij Hazar-ia, filij Zephan-ia.*

Vers. 37. *Filij Thachath, filij Assir, filij Eb-iasaph, filij Corach.*

Vers. 38. *Filij Iizhar, filij Cehath, filij Leui, filij Israël. Et fratres eius.* Iuxta Hebræum habetur:

Vers. 39. *Et frater eius Asaph, stans ad dexteram eius.* Duo dicuntur: & quòd Asaph erat frater Heman: quod verificatur ratione communis patris Leui. Alterum, quòd Asaph erat à dextris Heman, ad insinuandum ordinem inter istos tres: videlicet, quòd primus fuerat Heman, secundus Asaph, & tertius Ethan: hic enim ordo significatur per dexteram, & sinistram; in qua sini-

stra subiungitur Ethan ex stirpe Merari.

Asaph, filius Berechiahu, filij Simha.

Vers. 40. *Filij Michael, filij Baaseia, filij Malchi-ia.*

Vers. 41. *Filij Ethni, filij Zerach, filij Hada-ia.*

Vers. 42. *Filij Ethan, filij Zimma, filij Simhi.*

Vers. 43. *Filij Iachath, filij Gherſom, filij Leui.*

Vers. 44. *Filij autem Merari fratres eorum ad ſiniſtram.*] Hic fiat punctus: & deinde immediatè ſubiungatur: *Ethan, filius Ciſi, filij Habdi, filij Malluch.*

Vers. 45. *Filij Chaſab-ia, filij Amaz-ia, filij Chilci-ia.*

Vers. 46. *Filij Amzi, filij Bani, filij Samer.*

Vers. 47. *Filij Mach-li, filij Muſi, filij Merari, filij Leui.*] Appoſitiuè ſiquidem ſubiunguntur filij Merari, fratres filiorum Gherſom in vno (videlicet, Ethan) capite aliorum.

Vers. 48. *Et fratres eorum Leuitæ: dati in omne miniſterium tabernaculi domus Dei.*

Vers. 49. *Aharon autem, & filij eius adolebant incenſum ſuper altare holocauſti, & ſuper altare thymiamatis in omne opus ſancti ſanctorum.* Iſti enim ſoli erant Sacerdotes, quorum quatuor narrantur officia: videlicet, ſuper altare holocauſti offerre inſtar thuris, & ſimiliter ſuper altare thymiamatis, & ad omne opus Sācti Sāctorū: in quo cōprehenditur id, quod erat menſæ propoſitionis & candelabri.

Sacerdotum Iudaicorum quatuor officia.

Nec mireris, quòd appellatur opus Sācti Sanctorū, opus, quod fiebat in prima parte tabernaculi, quæ nō appellabatur Sanctū Sanctorū, ſed Sanctum: quoniā nō ratione loci, ſed ratione operis dicitur hic opus Sācti Sāctorū: relatiuè enim ad opera Leuitarum appellantur hæc opera Sancti Sanctorum: quemadmodū cibus licitus ſolis Sacerdotibus appellatur inter cibos, Sāctū Sāctorū.

Opus Sancti Sanctorum, quod appellatur.

Et vt precarentur.] Iuxta Hebr. habetur: *Et ad expiandum ſuper Iſraël, iuxta omnia, quæ præcepit Moſes ſeruus Elohim.* Quartum Sacerdotum officium ſcribitur expiare ſuper populum: de qua actione ſcripſimus in Moyſe.

Vers. 50. *Iſti autem filij Aharon: Elhazar filius eius, Pinchas filius eius, Abiſuah filius eius.*

Vers. 51. *Bucci filius eius, Huzzi filius eius, Zerach-ia filius eius.*

Vers. 52. *Mera-ioth filius eius, Amar-ia filius eius, Achitub filius eius.*

Vers. 53. *Zadoch filius eius, Achimahaz filius eius.*

Vers. 54. *Et hæc habitacula eorum in domos eorū in terminis eorum: pro filiis Aharon familiæ Cahathitarum: quia ipſis ſunt ſors.*

Vers. 55. *Dederúntque eis Cheb-ron in terra Iehuda: & ſuburbana eius per circuitum eius.*

Vers. 56. *Agrum autem ciuitatis, & villas eius, dederunt Chaleb filio Iephunne.*] Clarificatur hîc, quod in libro Ioſuæ ſcriptum eſt de proprietate Hebron reſpectu Chaleb.

Vers. 57. *Filiis autē Aharō dederunt ciuitates Iehuda ad confugiēdū, Cheb ron.*] Eſto prudens, tum lector, tu ſcriptor, & fac punctum poſt ciuitates Iehudę: narratur enim, quòd dederunt ciuitates ſubiunctas, & deinde prima ſupputatur cum illius qualitate; videlicet ad cōfugiendū, Hebron: hoc eſt, quarum prima fuit Hebron ciuitas refugij. Et ſimili modo facies punctum inferius cum ſubiungitur, fuerunt ciuitates ad confugiendum Sichem: eodem enim modo contruenda eſt litera.

Et Libnan, & ſuburbana eius:

Vers. 58. *Et Iathir, & Eſthemoah, & ſuburbana eius. Et Chilē, & ſuburbana eius; Debir & ſuburbana eius.*

Vers. 59. *Haſan, & ſuburbana eius: & Beth-ſemes, & ſuburbana eius.*

Vers. 60. *Et de Tribu Bin-iamin Gheba, & ſuburbana eius; & Alemeth, & ſuburbana eius; & Anathoth, & ſuburbana eius: omnes ciuitates eorum, tredecim ciuitates per familias eorum.*

Vers. 61. *Filiis autem Cahath reſiduis de familia Tribus, dederunt de dimidia Tribu dimidij Menaſſis in ſortem ciuitates decem.*

Vers. 62. *Filiis autem Gherſom per familias eorum, de Tribu Iſaſchar, & de Tribu Aſer, & de Tribu Naphthali, & de Tribu Menaſſis in Baſan, ciuitates tredecim.*

Vers. 63. *Filiis Merari per familias eorum, de Tribu Reuben, & de Tribu Ghad, & de Tribu Zebulum in ſortem, ciuitates duodecim.*

Vers. 64. *Dederúntque filij Iſraël Leuitis ciuitates, & ſuburbana eorum.*

Vers. 65. *Dederúntque per ſortē ex Tribu filiorum Iehudæ, & ex Tribu filiorū Simhon, & ex Tribu filiorū Bin-iamin ciuitates has, quas vocauerūt per nomina.*

Vers. 66. *Et de familiis filiorum Cahath fuerunt ciuitates termini eorum de Tribu Eph-raim.*

Vers. 67. *Et dederunt eis ciuitates refugij Sechem, & ſuburbana eius in monte Eph-raim: & Gheſer, & ſuburbana eius.*

Vers. 68. *Et Iecmeham, & ſuburbana eius: & Beth-choron, & ſuburbana eius.*

Vers. 69. *Et A-ialon, & ſuburbana eius; & Ghath-rimmon, & ſuburbana eius.*

Vers. 70. *Et ex dimidia Tribu Menaſſis, Haner, & ſuburbana eius; & Bilham, & ſuburbana eius: familiæ filiorum Cahath, qui reſidui erant.*

Vers. 71. *Filiis Gherſom de familia dimidiæ Tribus Menaſſis Golan in Baſan, & ſuburbana eius: Haſtharoth, & ſuburbana eius,*

Vers. 72. *Et de Tribu Iſaſchar, Cedes, & ſuburbana eius:*

Vers. 73. *Dab-rath, & ſuburbana eius. Et Ramoth, & ſuburbana eius; & Hanem, & ſuburbana eius.*

Vers. 74. *Et de Tribu Aſar, Maſal, & ſuburbana eius:*

Vers. 75. *& Habdon, & ſuburbana eius. Et Chucec, & ſuburbana eius: & Rechob, & ſuburbana eius.*

Vers. 76. *Et de Tribu Naphthali Cedes in Ghalil, & ſuburbana eius: & Chammon, & ſuburbana eius; & Cir-iathaim, & ſuburbana eius.*

Vers. 77. *Filiis Merari reſiduis, de Tribu Zebulum, Rimmono, & ſuburbana eius: Thabor, & ſuburbana eius.*

Vers. 78. *Et de trans Iarden Iericho ad Orientem Iarden, de Tribu Reuben: Beſer in deſerto, & ſuburbana eius: & Iah-zam, & ſuburbana eius.*

Vers. 79. *Et Cedemoth, & ſuburbana eius: & Mephahath, & ſuburbana eius.*

Vers. 80. *Et de Tribu Ghad, Ramoth in Ghilhad, & ſuburbana eius: & Machanaim, & ſuburbana eius.*

Vers. 81. *Et Chesbon, & ſuburbana eius: & Iahazer, & ſuburbana eius.*]

CAPVT VII.

Vers. 1. ILII *autem Iſaſchar, Tholah, & Pua, & Iaſub, & Simron, quatuor.*

Vers. 2. *Filij autem Tholah Huzzi, & Repha-ia, & Ieriel, & Iachmas, & Ibſam, & Semuel Principes per domos patrum ſuorum de Tholah potentes fortitudine per generationes ſuas: numerus eorum in diebus Dauid viginti duo millia, & ſexcenti.*

Vers. 3. *Filij autem Huzzi Iſrach-ia, & filij Izrachia Michael, & Hobad-ia, & Ioel, & Iſſi-ia quinque Principes omnes ipſi.*

Vers. 4. Et *cum eis per generationes ſuas per domos patrum ſuorum milites exercitus belli, triginta ex millia: quia multiplicauerunt vxores, & filios.*

Vers. 5. Et *fratres eorū per omnes familias Iſaſchar potentes virib. octoginta ſeptē millia, recēſēdo eos per ſingulos.*

Bin-iamin

Vers. 6. *Bin-iamin Belah, & Becher, & Iedihael tres.*

Vers. 7. *Filij autem Belah Ezbon, & Huzzi, & Huzziel, & Ierimoth, & Hiri, quinque Principes domus patrum potentes viribus: & recensiti sunt viginti duo millia, & triginta quatuor.*

Vers. 8. *Filij autē Becher Zemira, & Ioas, & Eliezer, & El-ioenai, & Aomri, & Ieremoth, & Abi-ia, & Hanathoth, & Halameth: omnes isti filij Becher.*

Vers. 9. *Et recensiti sunt per generationes suas Principes domus patrum, potentes fortitudinē: viginti millia & ducenti.*

Vers. 10. *Filij autem Iedihael Bilhan: & filij Bilhan Iehus, & Bin-iamin, & Ehud, & Chenahana, & Zethan, & Tharsis, & Achisachar.*

Vers. 11. *Omnes isti filij Iedihael Principes familiarum potentes viribus: decem & septem millia, & ducenti, egredientes in exercitum ad bellum.*

Vers. 12. *Et Suppim, & Chuppim, filij Hir-chusim, filij Acher.*

Vers. 13. *Filij Naphthali Iach-ziel, & Guni, & Iezer, & Sallum filij Bilha.*

Vers. 14. *Filij Manassis Asriel, quem peperit concubina eius Arami-a, peperit Machir patrem Ghilhad.*

Vers. 15. *Machir autem accepit vxorem ipsi Chuppim, & Suppim.*

Vers. 16. *Et nomen sororis eius Maacha: nomen autem secundi Zelophchad, fuerúntque Zelophchad filia. Et peperit Maacha, vxor Machir, filium, & vocauit nomen eius Peres, & nomen fratris eius Seres: & filij eius Vlam, & Recem.*

Vers. 17. *Filij autem Vlam Bedan: isti filij Ghilhad filij Machir, filij Manassis.*

Vers. 18. *Soror autem eius Molecheth, peperit Ishod, & Abihezer, & Machlam.*

Vers. 19. *Fuerunt autem filij Semidah Ach-ian, & Sechem, & Licchi, & Aniham.*

Vers. 20. *Filij autem Eph-raim Suthelach: & Bered filius eius, & Thachath filius eius, & Elhada filius eius, & Thachath filius eius.*] Obscura est tota hæc narratio de filiis Eph-raim: conferendo autem hæc cum familiis Eph-raim scriptis Num. 26. videtur, quòd hîc est sermo de filiis Eph-raim mediatis: hoc est, genitis ex stirpe Eph-raim tempore, quo filij Israel erant in terra promissionis.

Num. 26.

Vers. 21. *Et huius filius Zabad, & huius filius Suthelah, & huius filius Hezer & Elhad.*] Similis accidit corruptio hîc ei, quæ contigit in tertio capitulo: ter enim hîc reperitur, & huius filius, significando hunc esse filium prænominati: & tamen iuxta Hebraicam veritatem significantur fratres: nam de omnibus similiter dicitur:

Et Zabad, filius eius, & Suthelach, filius eius.] & posteà immediatè subiungitur:

Et Hezer, & Elhad: occiderunt autem eos viri Ghath.] Quia Geth est ciuitas Philisthinorum, ideò locus insinuat rem gestam fuisse post ingressum Israëlis in terram promissionis.

Indigenæ.] Clarè scribitur Hebr. *nati in terra.* vt intelligamus naturales Gethæos occidisse prædictos filios Eph-raim. Et causa subiungitur:

Quia descenderant ad inuadendum possessiones eorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia descenderunt ad accipiendum armentum eorum.* Gethæi igitur defendendo proprium armentum, occiderunt istos.

Vers. 22. *Luxit igitur Eph-raim, pater eorum, diebus multis: veneruntque fratres eius ad consolandum eum.*] Non est hic termo de Eph-raim Patriarcha filio Ioseph: sed de altero quodam nominato Eph-raim, patre istorum occisorum.

Vers. 23. *Ingressúsque est ad vxorem suam, & concepit, & peperit filium: vocauitque nomen eius Beriha: quia in malo fuit domus eius.*

Vers. 24. *Et filia eius Seera, qua ædificauit.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et ædificauit Beth-choron inferiorem, & superiorem: & Vzen Seera.* Non scribitur, quòd mulier ædificauerit: sed potiùs quòd ipse Eph-raim ædificauerit. Quod autē subditur:

Vers. 25. *Porrò filius eius Rapha, & Reseph, & Thale,* cum longa genealogia vsque ad Iosuam, error est similis prioribus: nam Hebraïcè nouem fratres subiunguntur solito stylo.

Et Rephach, filius eius, & Reseph, & Thelach, filius eius, & Tachan, filius eius.

Vers. 26. *Lah-dan filius eius, Hammihud filius eius, Elisamah filius eius.*] ita quòd nunquam aliquis scribitur pater alterius. Et qui octauo loco scribitur:

Vers. 27. *De quo ortus est Nun.*] Hebraicè habetur: *Non filius eius.* & immediatè subditur:

Iehosuah filius eius.] Vbi clarè patet error vulgatæ editionis: nec enim est sermo de patre Iosuæ, qui vocatus est *Nun*: sed de quodam alio, qui vocabatur *Non*, cuius frater fuit iste Iosua, & non ille Iosua, qui introduxit populum in terram promissionis. Nec ex eo, quòd quædam correximus in istis genealogiis, credas adhibuisse me studium ad corrigendum omnes: nam ferè inutilem iudicaui hunc laborem nostris temporibus, eò quòd genealogiæ istæ sunt ignoratæ: & sat esse censui, quòd noui Interpretes Bibliæ iuxta veritatem Hebraicam hæc reddunt.

Iosua pater an filius hic Num.

Vers. 28. *Possessio autem eorū, & habitatio eorum Beth-el, & filiæ eius: & ad orientem Naharan, & ad occidentem Ghezer, & filiæ eius, & Sechem, & filiæ eius vsque ad Hazzam, & filias eius.*

Vers. 29. *Et super loca filiorum Manassis Beth-sean, & filiæ eius; Thab-nach, & filiæ eius; Megiddo, & filiæ eius; Dor, & filiæ eius: in his habitauerunt filij Ioseph, filij Israël.*

Vers. 30. *Filij autem Aser Iimna, & Iis-ua, & Iis-ui, & Beriha, & Serach soror eorum.*

Vers. 31. *Filij autem Beriha, Cheber, & Malchiel: ipse est pater Birzauith.*

Vers. 32. *Cheber autem genuit Iaph-let, & Somer, & Chotam: & Suham sororem eorum.*

Vers. 33. *Filij autem Iaph-let, Pasach, & Chimhal, & Has-nath: isti filij Iaph-let.*

Vers. 34. *Filij autem Somer, Achi, & Rauib-gha, Iechubba, & Aram.*

Vers. 35. *Filius autem Helem fratris eius: Zophach, & Iimnah, & Seles, & Hamal.*

Vers. 36. *Filij Zophach: Suach, & Chadnepher, & Subal, & Beri, & Iimra.*

Vers. 37. *Bezer, & Hod, & Samma, & Silsa, & Iith-ran, & Beera.*

Vers. 38. *Filij autem Iether: Iephunne, & Phispa, & Ara.*

Vers. 39. *Filij autē Hullæ: Arach, & Canniel, & Riz-ia.*

Vers. 40. *Omnes isti filij Aser Principes cognationum electi, atque fortissimi duces ducum.*] Iuxta Hebræum habetur, *capita domus patrum electi, potentes fortitudine, capita ducum.*] Laudes sunt prædictorum filiorum Aser.

Et cum recenserentur in exercitu in bello, numerus eorum viri viginti, & sex millia.]

CAPVT VIII.

Vers. 1. Iniamin *autem genuit Belah primogenitum suum: Asbel secundum, & Ach-rach tertium.*

Vers. 2. *Nocham quartum, & Rephan quintum.*

Fuerunt

Vers. 3. *Fuerunt autem filij Belah : Addar, & Gera, & Abihud.*

Vers. 4. *Et Abisuach, & Nab-man, & Achoach.*

Vers. 5. *Et Gera, & Sephuphan, & Churam.*

Vers. 6. *Isti autem filij Echud, Principes cognationum habitantium in Ghabaa, qui transtati sunt in Manath.*] Iuxta Hebræum habetur : *Isti sunt capita patrum habitantibus Ghebah, & fecerunt in captiuitatem duci eos ad Manachath.*

Vers. 7. *Et Nahaman, & Achi-iam.*]Nomina propria locorum hæc tria videntur, ad quæ deducti sunt captiui habitantes in Ghebah.

Et Gera ipse transtulit eos.] Iuxta Hebræum habetur : *Et Gera in ipse fecit duci in captiuitatem eos.* Quando hoc fuerit, nescitur : sed videtur fuisse tempore Iudicum.

Genuitque Huzzam, & Achichud

Vers. 8. *Porrò Sacharaim genuit in agro Moab, postquam dimisit Chusim, & Baharam vxores suas.*

Vers. 9. *Genuit autem de Chodes vxore sua : Iobab, & Zib-iam, & Mesam, & Malcham.*

Vers. 10. *Et Iehuz, & Sach-iam, & Mirmam : isti filij eius capita familiarum.*

Vers. 11. *De Chusim autem genuit Abitub, & Elpahal.*

Vers. 12. *Et filij Elpahal, Heber, & Misham, & Samer : ipse adificauit Ono, & Lod, & filias eius.*

Vers. 13. *Beriha autem, & Semah, ipsi capita patrum habitantibus Ai-alon : ipsi fugauerunt habitatores Ghath.*

Vers. 14. *Et Ach-io, Sasac, & Ieremoth.*

Vers. 15. *Et Zebad-ia, & Harad, & Hader.*

Vers. 16. *Et Michaël, & Iispa, & Iocha filij Beriha.*

Vers. 17. *Et Zebad-ia, & Mesullam, & Chizci, & Chaber,*

Vers. 18. *Et Iismerai, & Iizlia, & Iobab filij Elpahal.*

Vers. 19. *Et Iacim, & Zich-ri, & Zabdi.*

Vers. 20. *Et Elihenai, & Zillethai, & Eliel.*

Vers. 21. *Et Hada-ia, & Bera-ia, & Simrath filij Simhi.*

Vers. 22. *Et Iispan, & Heber, & Eliel.*

Vers. 23. *Et Habdon, & Zich-ri, & Chanan.*

Vers. 24. *Et Chanan-ia, & Helam, & Hanthothi-ia*

Vers. 25. *Et Iiphde-ia, & Penuel filu Sasac.*

Vers. 26. *Et Samserai, & Sechar-ia, & Hathal-ia.*

Vers. 27. *Et Iehares-ia, & Eli-ia, & Zich-ri filii Ierocham*

Vers. 28. *Isti capita familiarum, generationibus suis capita : isti habitauerunt in Ierusalaim.*

Vers. 29. *In Ghibbon autem habitauerunt Abi-ghibbon : & nomen vxoris eius Maahacha.*

Vers. 30. *Et filius eius primo genitus Habdon & Zur, & Cis, & Baal, & Nadab.*

Vers. 31. *Et Gedor, & Ach-io, & Zacher.*

Vers. 32. *Et Mic-loth genuit Sim-am : & etiam ipsi ex aduerso fratrum suorum habitauerunt in Ierusalaim cũ fratribus suis.*] Nulla describitur discordia, sed localis separatio, quòd isti è regione fratrum suorum filiorum Ben-iamin habitauerunt in Ierusalem cum fratribus suis de Tribu Ben iamin.

Vers. 33. *Ner autem genuit Cis, & Cis genuit Saul.*] Non est iste Ner, pater Abner, in primo libro Regum : sed iste Ner est auus, tum Saulis Regis, tum Abner : fuit enim pater, & Cis, & Ner : sed Author prosequitur tantum lineam Saulis Regis.

Ner auus fuerit Saul.

Et Saul genuit Ichonathan, & Malchi-suah, & Abinadab, & Esbahal.] Hinc apparet clare diuersitas nominum in lingua Hebraica respectu eiusdem viri : nam filius Saul, qui in libro Regum vocatur Isboseth, hic vocatur Esbahal. Et similiter subiungitur de filio Ionathæ, qui hic vocatur Meribbahal : ibi autem Mephiboseth. Quæ ideò expedit nosse, ne ex diuersitate nominum fallaris.

Vers. 34. *Filius autem Iehonathan Merib-bahal ; & Merib-bahal genuit Micham.*

Vers. 35. *Filii autem Micha : Pithon, & Melech, & Thaarech, & Acham.*

Vers. 36. *Acham autem genuit Iehohadam, & Iehohada genuit Halemeth, & Hazmaueth, & Zimri : & Zimri genuit Mozam.*

Vers. 37. *Moza autem genuit Binham : Rapha filius eius, Elhasa filius eius, Azel filius eius.*

Vers. 38. *Azeli autem fuerunt sex filii : & ista nomina eorum, Hazricam primogenitus eius, & Ismahel, & Sebar-ia, & Hobad-ia, & Chanan : omnes isti filii Azel.*

Vers. 39. *Filii autem Hesec fratris eius : Vlam primogenitus eius, Iehus secundus, & Elipheleth tertius.*

Vers. 40. *Fuerunt autem filii Vlam viri potentes fortitudine, tendentes arcum, & multiplicantes filios, & filios filiorum, centum & quinquaginta : omnes isti de filiis Ben-amin.*]

CAPVT IX.

Vers. 1. VNIVERSVS *autem Israël dinumeratus est.*] Hebraïcè habetur, *genealogizatus est* : si sic licet loqui.

Et summa eorum scripta est in libro Regum Israël, & Iehuda.] Narrat Author omnes Tribus Israël secundùm generationes suas recensitas, & scriptas fuisse in libris Regum, tum Israël, tum Iudæ, ad manifestandum, quòd in vtroque regno adhibebatur studiũ ad scribendum genealogias omnium vsque ad captiuitatem Babylonicam. Et dixit hoc etiam ad excusandum se, quòd non omnium meminisset : & ad citandum loca, vnde ipse hausit genealogias non scriptas apud Mosem, & libros Regum.

Translatiq; sunt in Babel propter delictum suum.

Vers. 2. *Qui autem habitauerunt primi in possessionibus, & vrbibus suis : Israël, & Sacerdotes, & Leuita, & Nethinæi.*]Aduerte, prudens lector, ordinem literæ ex Hebraico contextu : nam ibidem sic habẽtur præcedentia : *Et ecce ipsi scripti in libro Regum : Israël, & Iehuda in captiuitatem ducti sunt ad Babel in mentiri eorum. Et habitantes primi, qui in possessione sua in ciuitatibus suis Israelis : Sacerdotes, Leuita, & Nethinæi.* Ex quo contextu apparet scribi duo. Alterum, quòd scripti fuerunt in captiuitatem ducti in Babylonem : & quòd non ipsi soli fuerunt genealogizati, sed etiam Sacerdotes, Leuitæ & Nethinæi, qui primi habitauerunt in possessionibus suis in vrbibus suis in Israël. Ita quòd non suffecit Authori narrare, quòd omnis Israël fuit per genealogias recensitus ; sed explicauit, quod etiam Sacerdotes, Leuitæ, & Nethinæi fuerunt per genealogias suas scripti. Oportuit autem horum specialiter meminisse : quia, cùm scribebatur populus numeratus in libris Regum, non numerabantur, nec scribebantur Sacerdotes, & Leuitæ : vtpote exempti secundùm legem Mosis. Nethinæi quoque ; quia non erant ex genere Israël, non comprehendebantur sub nomine Israël. Dicendo autem : *Primi, qui in possessione sua in vrbibus.* manifestat se loqui de Sacerdotibus, & Leuitis post ingressum terræ promissionis : ad differentiam Sacerdotum,

Quorum Israelitarum genealogiæ descriptæ sint, & quare.

&

& Leuitarum ante ingreſſum terræ promiſſionis,
Nethinæi, qui. quorum numerus ſcriptus eſt à Moſe. Nethinæi verò Ghabaonitæ dicuntur: ſonat enim *dantes*, ſeu *dates*: quia illi ſe dederunt Iſraëlitis, & ipſi ſunt dati in ſeruitutem templi Dei. Nec te moueat, quòd poſt narratum vniuerſum Iſraël recenſitum ſubiungitur, quòd fuerunt ducti in captiuitatem in Babel: quoniam ſenſus eſt, quòd poſtremò fuerunt ducti in captiuitatem Babel, ita quòd conſummatio captiuitatis ſcribitur.

Verſ. 3. *Commorati ſunt in Ieruſalē de filiis Iuda.*] Iuxta Hebræum poſt ſupradicta immediatè ſubiungitur: *Et in Ieruſalaim habitauerunt ex filiis Iehuda, & ex filiis Bin-iamin: & ex filiis Eph-raim, & Menaſſis.* Et ſtatim appoſitiuè ſubiungitur:

Verſ. 4. *Huthai, filius Hammihud, filij Homri, filij Imri, filij Bani, de filiis Perem, filij Iehuda.*]Narrare intendit (vt initium, medium, ac finis teſtantur) prærogatiuam ciuitatis Ieruſalem quoad hoc, quòd aliæ vrbes contentæ erant habitatoribus ſuæ Tribus; Ieruſalem autem habuit habitatores diuerſarum Tribuum à principio, quo filij Iſraël obtinuerunt terram promiſſionis. Vnde & inchoat ab Huthai viro de Tribu Iudæ: patet enim in libro Ioſuæ Tribum Iudæ primùm obtinuiſſe Ieruſalem.

Tribus Iuda primùm obtinuit Ieruſalem.

Verſ. 5. *Et de Siloni, Haſa-ia primogenitus, & filij eius.*

Verſ. 6. *Et de filiis Zerach Iehuel: & fratres eorum ſexcenti, & nonaginta.*] Omnes de Tribu Iudæ ſub hoc numero comprehenduntur: quemadmodum poſteà ſubiungitur numerus filiorum Beniamin habitantium in Ieruſalem, & poſteà numerus Sacerdotum.

Verſ. 7. *Porrò de filiis Bin-iamin: Sallu, filius Meſullam, filij Hodau-ia, filij Haſſenuæ.*

Verſ. 8. *Et Ibne-ia, filius Ierocham, & Ela, filius Huzzi, filij Mich-ri: & Meſullam filius Sephatia, filij Rehuel filij Ibni-ia.*

Verſ. 9. *Et fratres eorum per generationes ſuas, nongenti & quinquaginta ſex: omnes iſti viri capita familiarum per domos patrum ſuorum.*

Verſ. 10. *De Sacerdotibus autem: Iedab-ia & Ioiarib & Iachin.*

Verſ. 11. *Et Hazar-ia filius Chilci-ia filij Meſullam filij Zadoc filij Mera-ioth filij Achitub, Pontifex domus Dei.*]Iuxta Hebræum habetur, *filij Achitub ducis domus Elohim.* Quare iſte Achitub (in quem poſteritas habitans in Ieruſalem reducitur) appellatus fuerit dux domus Elohim, ſcriptum non eſt expreſsè: tamen hinc inſinuatur, quòd ipſe fuerit tranſlator domus Dei ex Silo in Nobe: nam in cap. vigeſimoprimo primi Reg. legimus domum Dei fuiſſe in Nobe, & ibidem Sacerdotem Achimelech filium Achitub tempore Saulis. De iſto iſtitur Achitub intelligimus dici quòd fuit dux domus Elohim, quia duxit domum Elohim de Silo in Nobe.

Verſ. 12. *Et Hada-ia filius Ierocham, filij Paſchur filij Malchi-ia: & Maaſai filius Hadiel, filij Iahzerach, filij Meſullam, filij Meſillemith, filij Immer.*

Verſ. 13. *Et fratres eorum capita per domos patrum ſuorum, mille & ſeptingenti & ſexaginta: potentes fortitudine ad faciendum opus miniſterii in domo Dei.*]Nomen eſt Elohim.

Verſ. 14. *De Leuitis autem: Semah-ia filius Chaſub, filii Hazricam, filij Chaſab-ia de filiis Merari.*

Verſ. 15. *Et Bacbacar carpentarius.*] Hebraicè habetur, *faber.* Singularis enim virtus artis in iſto deſcribitur: nili ſit nomen proprium, vt aliqui Hebræi putant.

Et Galal & Matthan-ia filius Miche, filij Zich-ri, filij Aſaph.

Et Hobad-ia filius Semah-ia, filij Ghalal, filij Ieduthon: & Berech-ia filius Aſa filij Elcana, qui habitabat in villis Nethophathi. Verſ. 16.

Et ianitores Sallum & Hachub & Talmon & Aehiman: & fratres eorum, Sallum caput. Verſ. 17.

Vſque ad illud tempus in porta Regis viciſſim ad orientem obſeruabāt per vices ſuas de filiis Leui.] Iuxta Hebræum habetur: *Et hucuſque in porta Regis ad Orientem: ipſi ianitores caſtris filiorum Leui.*] ſic iacet in Hebræo. Et hinc habentur tria. Primùm, quòd ea, quæ ſcribuntur hîc, narrantur de tempore ante captiuitatem Babylonicam: alioquin non extendiſſet author obſeruationē ordinis ianitorum vſque ad tempus ſuum, dicendo, *Et hucuſque.* Alterum, quòd Author libri poſt reditum ex captiuitate Babylonica, poſt ordinatum diuinum cultum in Ieruſalem, ſcripſit hæc: alioquin non dixiſſet: *Et hucuſque ianitores caſtris filiorum Leui in portam Regis ad Orientem.* Habetur tertiò, quòd poſt captiuitatem Babylonicam reparauerunt non ſolùm res, ſed & nomina: appellauerunt enim portam Regis, vt prius appellabatur, porta ad Orientem.

Verſ. 18.

De quo tempore mentio hic habeatur.

Quādo ſcripſerit Author Paralipomenon.

Res, & nomina reſtaurata poſt captiuitatem babylonicam.

Et Sallum filius Chore, filij Ebiaſaph filij Corach, & fratres eius pro domo patris ſui Corchitæ ſuper opus miniſterij, cuſtodes veſtibulorum tabernaculi teſtimonij.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *cuſtodes liminum tentorii.* in idē enim redit ſenſus.

Verſ. 19.

Et familiæ eorum per vices caſtrorum Domini cuſtodientes introitum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et patres eorum ſuper caſtra Iehouah cuſtodes introitus.* ſignificatur enim, quòd & ipſi, & patres eorum habuerunt officiū cuſtodiendi introitum.

Et Pinehas, filius Elhazar, erat dux eorum coram Domino.] Hinc clarè apparet, quòd recenſet Author priſcum ordinem ſeruatum in terra promiſſionis, qui poſteà tranſlatus eſt in Ieruſalem: iſte enim Phinees fuit ſummus Sacerdos: & propterea dicitur dux eorum coram Domino. Et deficit, *cum eo.* Ita quòd ſignificatur Phinees dux ſuper Leuitas coram Iehouah cum eo Phinees exiſtente: bonitas ſiquidem Phinees deſcribitur in hoc, quòd Deus erat cum eo.

Verſ. 20.

Ezechar-ia filius Meſelem-ia ianitor portæ tentorii adunationis.

Verſ. 21.

Omnes ipſi electi ianitores in liminibus, ducenti, & duodecim: ipſi in villis ſuis recenſiti ſunt.] Hinc apparet, quòd Author appellat habitatores Ieruſalem non ſolùm illos, qui iugiter ibi habitabant; ſed etiam illos, qui tempore vicis ſuæ habitabant in Ieruſalem: Leuitæ enim narrantur ſcripti ſecundùm ſuas genealogias in propriis villis: & tamen ſupputantur inter habitatores Ieruſalem; quia tempore vicis ſuæ habitabant in Ieruſalem.

Verſ. 22.

Habitatores Ieruſalem, qui hic vocati.

Quos conſtituerunt Dauid, & Samuel videns in fide ſua.] Iuxta Hebræum habetur: *Ipſos fundauit Dauid, & Semuel videns in firmitate eorum.* firmitas iſtius ordinis à Samuēle priùs, & poſteà à Dauide fundamentum habuit. Et bene nota, quòd non ordo, ſed firmitas fundata dicitur à Samuēle, & Dauide.

Et ipſi, & filij eorum in portis domus Domini, & in tabernaculo vicibus ſuis.] Hebraicè habetur, *domus tentorii in cuſtodijs.* appoſitiuè enim legitur, declarando cuſtodias eorum eſſe in oſtiis domus Domini non immediatè, ſed in oſtiis domorum, quæ erant circa tabernaculum. Quod magis declarando ſubiungit:

Verſ. 23.

Ad

Vers.24. *Templum habebat portam vnicam, septũ verò quatuor.*

Ad quatuor ventos erant ianitores : ad Orientem, Occidentem, Aquilonem, & Meridiem.] Cùm enim templum vnica esset porta contentum, ostiarij ad quatuor mundi plagas decreti, testantur, quòd non de portis templi ; sed de portis sepri circa templum est sermo: septum enim illud quatuor portas habebat ad quatuor cæli plagas.

Vers.25. *Sacerdotes per vices in templo ministrabant.*

Fratres autem eorum in villis suis erant, & veniebant in Sabbathis suis de tempore vsque ad tempus.] Iuxta Hebræum habetur : *Ad veniendum in septem diebus de tempore in tempus cum istis.* Non dicitur, quòd Sabbatho veniebant ; sed, quòd septimo quoque die veniebant: mutabantur siquidem singulis Sabbathis secundùm vices suas : sed qui venturi erant, veniebant feria sexta, in qua licebat iter agere. Et isti sunt, qui in quarto libro Regum cap. 11. appellati sunt *Ingredientes Sabbathi, & egredientes Sabbathi.* Vnde & hîc dicitur, quòd fratres eorum in villis suis erant ad veniendum de tempore in tempus cum istis exituris : vicissim enim mutabantur.

4.Reg.11.

Vers.26.

His quatuor Leuitis creditus erat omnis numerus ianitorum.] Hebraicè habetur : *Quia in fide illorum quatuor potentium ianitorum, ipsi Leuita.* Describitur numerus Principum ianitorum, dicendo, quòd erant quatuor de numero potétium: & ne putaretur, quòd essent Sacerdotes, explicatur, quòd isti quatuor Principes erant Leuitæ.

Vers.27.

Et erant super exedras, & thesauros domus Domini.] Hebraicè habetur : *Et erunt super aulas, & super thesauros domus Elohim.* Narratur istorum quatuor cura multiplex: & subiungitur:

Per gyrum quoque templi Domini morabantur.] Iuxta Hebr. habetur : *Et in circumitibus domus Elohim dormient.* Hoc de vniuersis Leuitis ianitoribus dicitur. Et ratio loci, in quo dormiebant, subiungitur:

In custodiis suis, vt cùm tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores.] Hebraicè habetur : *Quia super eos custodia, & ipsi super clauem, & in mane in mane.* Multiplex ratio redditur; tum, quia custodiæ onus erat super eos; tum, quia eorum erat vsus clauium ianuarum : de quo vsu subiungitur, quòd erat de mane in mane.

Vers.28.

De eorum grege erant.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur : *Et de eis super vasa ministerij.* Leuitæ demonstrantur : narratur enim, quòd Leuitæ erant super vasa ministerij.

In numero enim inferebant ea, & in numero efferebant ea.]

Vers.29. *Duo genera vasorũ templi.*

De ipsis, & qui credita habebant vtensilia Sanctuarij.] Iuxta Hebr. habetur: *Et de eis Prafectis super vasa, & super omnia vasa sanctitatis.* Duo genera vasorum tanguntur: primum in communi: alterum in specie ; vasa, scilicet, sanctitatis. Et vtraque sub cura Leuitarum fuisse, nec solum vasa ; sed etiam res sacrificandæ sub eorundem cura describuntur: nam subiungitur:

Et super florem, & vinum, & oleum, & thus, & aromata.] Florem autem intellige florem farinæ, qui in vulgata editione appellatur simila.

Vers.30. *Officia filiorũ Sacerdotum.*

De filiis autem Sacerdotum, vnguenta ex aromatibus conficiebant.] Distinguuntur officia filiorum Sacerdotum ab officiis Leuitarum relatiuè ad vltimò narratum, videlicet, aromata : dicitur enim, quòd officium filiorum Sacerdotum erat componere aromata. Nec est facile fingere vocabula correspondentia Hebraïcis. Nam hoc in loco scribuntur duntaxat tres dictiones : prima, nomen verbale ; secunda, nomen abstractum; & tertia, *aromatibus*, ita quòd tam nomen verbale, quàm nomen abstractum, aromatis est : finge, si potes. Sed sensus est, quòd filij Sacerdotum erant confectores compositionis, pro aromatibus. Et est sermo de aromatibus thymiamatis, quod offerebatur Deo intra templum in altari thymiamatis.

Vers.31. *Matthith-ia autẽ Leuita primogenitus Sallũ Corchites, præfectus erat eorũ, qua in sartagine frigebãtur.*] Iuxta Hebr. habetur, *in fide super opus sartaginum.* non restringendo tamen sartaginis nomẽ ad frixorium: sed frixorio similia vasa intelligendo.

Vers.32. *Filij Cehath præparabant panes propositionis: tamen verò præsunt.*

Porrò de filiis Cehathitarum de fratribus eorum erant super panes propositionis : vt nouos per singula Sabbatha præpararent.] Non erat officiũ filiorum Cehath, ponere panes propositionis; sed præparare : hoc enim erat Leuitarum, illud Sacerdotum.

Vers.33.

His sunt Principes cantorum per familias Leuitarum, qui in exedra morabantur, ita vt die, ac nocte iugiter suo ministerio deseruirent.] Iuxta Hebræum scribitur epilogus prædictorum habitantium in Ierusalem. Tertiò enim repetitur pronomen, *isti*: & primùm repetuntur cantores.

Vers.34. *Licentiati inter Leuitas, qui dicuntur.*

Et isti cantores capita patrum Leuitis in cameris licentiati : quia die, & nocte super eos in opere.] Tres fuerunt descripti cantores Principes iuxta tres filios Leui : & illos iugiter fuisse in templo dicit : quia onus operis diuini cultus, tam die, quàm nocte, erat super eos. Et nisi aliquis cultus fuisset nocte exhibitus per Leuitas, non scriptum fuisset, *die ac nocte.* Et dicuntur licentiati, hoc est, licitè liberi ab oneribus Leuitarum, ad quæ vicissim tenebantur Leuitæ. Deinde immediatè subditur:

Isti capita patrum Leuitis secundùm nationitates suas.] Demonstrantur prænarrati Leuitæ in tot prædictis officiis, quot fuerunt capita familiarum Leuiticarum secundùm naturales eorum origines. Et demum subditur:

Capita ista habitarunt in Ierusalaim.] Huc tendebat intentio totius istius tractatus : & demonstrantur capita omnia prænarrata, & non Leuitarum tantùm.

Vers.35. *In Ghibbon autem commorati sunt Abi-ghibbon Iehiel: & nomen vxoris eius Maahacha.*

Vers.36. *Filius autem eius primogenitus Habdon: & Zur, & Cis, & Baal, & Ner, & Nadab.*

Vers.37. *Et Gedor, & Ach-io, & Zechar-ia, & Mic-loth.*

Vers.38. *Mic-loth autem genuit Sim-am : & etiam ipsi è regione fratrum suorum habitauerunt in Ierusalaim cum fratribus suis.*

Vers.39. *Ner autem genuit Cis, & Cis genuit Saul : & Saul genuit Iehonathan, & Malchisuah, & Abinadab, & Esbahal.*

Vers.40. *Filius autem Iehonathan Merib baal: & Merib-baal genuit Micham.*

Vers.41. *Filij autem Micha : Pithon, & Melech, & Thachreah.*

Vers.42. *Acham autem genuit Iah-ram, & Jah-ra genuit Halemeth, & Hazmaueth, & Zimri : Zimri autem genuit Mozam.*

Vers.43. *Moza autem genuit Binham : & Rephaia filius eius, Elhasa filius eius, Azel filius eius.*

Vers.44. *Azelis autem fuerunt sex filij : & ista nomina eorum: Hazricam primogenitus eius, & Jsmahel, & Sehar-ia, & Hobad-ia, & Chanan isti filij Azel.*] Repetitio est scriptorum in præcedenti cap. & prima quidem pars repetitur ad adiungendum ex Tribu Ben-iamin nonnullos habitatores Ierusalem: secunda autẽ de linea Saulis, ad inchoandam historiam

historiam translationis regni de Saüle in Dauidem: intendit enim Author libri huius (vt scripta testantur) gesta per lineam Dauidis Regum Iudæ narrare, supplendo omissa in libris Regum.

CAPVT X

Vers. 1. PHILISTHIM *autem pugnauerunt contra Israel: fugerúntque viri Israel à facie Philisthim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboah.*

Vers. 2. *Assecutique sunt Philisthim Saulem, & filios eius: & percusserunt Philisthim Ionathan, & Abinadab, & Melchisuach filios Saulis.*

Vers. 3. *Et aggrauatum est prælium super Saülem: inuenerúntque eũ sagittarij in arcu, & timuit à sagittariis.*

Vers. 4. *Et dixit Saul ad armigerum suum: Euagina gladium tuum, & perfode me: ne veniant incircumcisi isti, & illudant mihi. Et noluit armiger eius: quia timuit valdè. Arripuit itaque Saul gladium, & cecidit super eum.*

Vers. 5. *Vidítque armiger eius, quòd mortuus esset Saül: & cecidit etiam ipse super gladium, & mortuus est.*] Historia hæc sumpta est ex vltimo capitulo primi Regum: propter quod pauca restant declarandà.

Vers. 6. *Mortuúsque est Saül, & tres filij eius, & tota domus illius pariter concidit.*] Intellige hanc simultatem non secundùm terminum, sed secundùm viam: hoc est, quòd ex tunc cœpit ruina totius domus Saül, quæ terminata est occiso post aliquot annos Isboseth. Author enim libri taciturus regnum Isboseth, narrat ruinam domus Saülis simul cum Saülis morte.

Vers. 7. *Quod cum vidissent viri Israel, qui habitabant in campestribus, fugerunt: & Saul, ac filij eius mortuis, dereliquerũt vrbes suas, & huc, illúcque dispersi sunt.*] Iuxta Hebræum legendum est: *Et viderũt omnes viri Israel, qui in valle, quod fugerunt, & quòd mortuus est Saul & filij eius: & dereliquerunt ciuitates suas, & fugerunt, venerúntque Philisthim, & habitauerunt in eis.* Sententia est clara, & tractata, vbi suprà.

In crastino autem.] Post mortem Saül.

Vers. 8. *Venerunt Philisthim ad expoliandum interfectos: & inuenerunt Saul, & filios eius iacentes in monte Gelboah.*

Vers. 9. *Spoliauerúntque eum, & tulerunt caput eius, & arma eius: & miserunt* (caput Saülis) *in terram Philisthim per circuitum, vt ostenderetur idolorũ templis.*] Hebraïcè habetur: *Ad annunciandum sculptilibus eorum, & populo.* Et significatur non simplex nunciatio; sed læta, atque festiua.

Vers. 10. *Et posuerunt arma eius in domo Dei sui: & caput eius affixerunt in domo Dagon.*] Tandem post circumlatum caput Saülis, affixum est in templo Dagon in honorem ipsius Dagon, tanquàm ab eo subactus fuerit Rex Saül.

Vers. 11. *Audiuit autem tota Iabes-Galhad omnia, quæ fecerant Philisthim Sauli.*

Vers. 12. *Surrexerúntque omnes viri fortes: & tulerunt corpus Saul, & corpora filiorum eius.*] proculdubiò absque capite Saülis.

Et attulerũt ea in Iabes: sepelierúntque ossa eorum sub arbore in Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.

Vers. 13. *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eò quòd præuaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, & non custodierit illud.*] Author libri hæc non scripta in libro Regum addidit: verùm Hebraïcè habetur: *Et mortuus est Saul in mentiri suo, quo mentitus est in Iehouah, super verbum Iehouah, quod non custodiuit.* Et est proculdubiò sermo de sermone diuino per Samuëlem directo ad Saulem de destruendis etiã rebus Hamalec, vt scribitur 1. Reg. c. 15. Deinde immediatè subditur: 1. Reg. 15.

Et etiã ad interroganaũ in Pythone ad quærendũ.

Et non quæsiuit in Iehouah, & interfecit eum.] Vers. 14. Alterum peccatum Saülis scriptum 1. Reg. 28. affertur causa mortis eius. Nec caret quæstione vltimum verbum, videlicet: *Et non quæsiuit in Iehouah.* Quoniam 1. Reg. 28. expressè dicitur: *Et consuluit Saul Dominum.* Quomodo ergo verificarur, quod hic dicitur: *Et nõ quæsiuit Dominum?* Solutio est, quòd quia Saül non perseuerauit quærendo à Domino; sed diuertit ad quærendum in Pythone; ideò vertitur, quod non quæsiuit in Iehouah: religio enim non perseuerans non est religio. 1. Reg. 28. *Causa mortis Saülis, quæ. Religio non perseuerãs nõ est religio.*

Et transtulit regnum ad Dauid filium Isai.] In morte quidem Saülis inchoatiuè, (quia tunc incepit Dauid regnare in Hebron:) infra octo autem annos complendè.

CAPVT XI

CONGREGATVS *est autem totus Israël ad Dauid in Cheb-ron dicendo: Ecce os tuum, & caro tua sumus.* Vers. 1.

Heri quoque, & nudiustertius, etiam cùm esset Rex Saul, tu eras educens, & reducens Israelem. Dixítque Dominus Deus tibi: Tu pasces populum meũ Israël: & tu eris dux super eũ.] Vers. 2. Festinat Author ad Dauidis regnum, inchoando ab initio regni Dauidis super totum Israël: quod fuit post septem annos à morte Saülis. Gesta igitur scripta 2. Reg. 5. incipit narrare: quæ ibi declarauimus. 2. Reg. 5.

Venerúntque omnes seniores Israël ad Regem in Cheb-ron, & percussit cum eis Dauid fœdus in Cheb-ron coram Domino: vnxerúntque Dauidem in Regem super Israël, iuxta sermonem Domini in manu Samuelis.] Vt hinc intelligamus, populum innixum authoritati diuinæ per Samuëlem manifestatæ, vnxisse in Regem Dauidem. Vers. 3.

Abiítque Dauid, & totus Israel in Ierusalaim, hæc est Iebus: vbi erant Iebusæi habitatores terræ.] Vers. 4. Statim enim Dauid ad constituendum sibi regiam sedem in Ierusalem properauit.

Dixerúntque habitatores Iebus Dauidi: Non ingredieris huc.] Hinc clarè habetur, Iebusæos negasse Dauidi ciuitatem, vel saltem arcem Sion: ex eo enim, quòd subditur: Vers. 5.

Et cepit Dauid arcem Sion, ipsa est ciuitas Dauid.] Vers. 6. nec dicitur: Et cepit Ierusalem. innuitur, quòd de arce erat quæstio: volebant enim Iebusæi tenere arcem; quam tamen præcipuè petebat Dauid.

Dixit autem Dauid: Omnis percutiens Iebusæum in primis, erit Princeps, & dux.] Iuxta Hebræum habetur: *Erit in caput, & in Principem.* his enim titulis intelligimus Principem totius exercitus significari.

Et ascendit in primis Ioab filius Zeruiæ, & fuit in caput.] Ecce quomodo Ioab lucratus est principatum.

Vers. 7. *Habitauit autem Dauid in arce: & idcirco vocauerunt eam ciuitatem Dauid.*

Vers. 8. *Ædificauitque ciuitatem à circumitu, à Millo vsque ad gyrum: Ioab autem reliquum ciuitatis extruxit.*] Hebraïcè habetur, *viuificauit*. De eadē ciuitate Sion est sermo', ita quòd Rex ædificauit in monte Sion palatium suum, & munuit plenitudinem montis circunciirca muro: reliquum autem spatium vacuum montis Sion viuificasse dicitur Ioab, eò quòd repleuit illud habitatoribus. Nec per hoc negatur, quòd ibidem etiam ædificauerit domum Ioab iam Princeps totius exercitus, vt ibi esset cum militibus ad custodiam Regis.

Vers. 9. *Et iuit Dauid eundo, & crescendo: & Dominus exercituum erat cum eo.*

Vers. 10. Hi *Principes virorum fortium Dauid, qui adiuuerunt eum, vt Rex fieret super omnem Israel: iuxta verbum Domini, quod locutus est ad Israel.*] Iuxta Hebræum particula ista sic legitur: *Et isti Principes potentium, qui Dauidi, qui inualuerūt cum eo in regno eius cum toto Israel ad faciendum regnare ipsum: iuxta verbum Iehouah super Israel.* Modum, quo adimpletus est diuinus sermo de regno Dauidis super Israël, describit: simul narrādo causam, quare subiuncti fuerunt Principes potentiū in regno Dauidis: ex eo enim quòd isti simul cum Dauide ex vna parte inuasuerunt, partim armis, partim attractu contra totum Israël in illo septennio, quo Dauid regnauit in Hebron, & totus conatus eorum tendebat ad hoc, vt Dauid regnaret super Israël; ideò fuerunt Principes potentium.

Vers. 11. 2. Reg. 23. *Iesbaā, filius Ahamoni. quæ.* *Et iste numerus potentium Dauidū: Iesbaā filius Ahamoni, Princeps inter triginta.*] Ex 2 Reg c. 23. sumpta sunt subiuncta. Verùm iste primus, qui hic nominatur Iesbaam, filius Ahamoni, Hebraïcè autem, *Iabsobham filius Chachmoni* (vt diximus in 23. cap. secūdi Reg.) si vt litera sonat, *Iasobham*, nomen est proprium istius primi viri in catalogo fortiū Dauidis, manifestatur hinc, quòd illa verba scripta in libro secūdo Regum (videlicet, *sedens in sede sapientificās me.*) nō erant interpretanda, quia erant nomina propria istius viri: nā, quod hic scribitur, *Iasobhā filius Chachmoni*, & interpretatur, *sedu. in populo filius sapientificantis me*, ibi scribitur, *Ioseb Basebeth Tachchemoni*, & interpretatur, *sedens in sede sapientificabit me.* Hæc enim in vnum, atque idem concurrere facilè patet. Nec obstat, quòd ibidem subditur ipse Hadino Heznita: quia ibi aliud nomen eius explicatur, adiuncto nomine patrio. Et confirmatur esse nomen proprium: quia in sequenti capitulo vir antepenultimus, priusquàm narrentur viri de Ghaditis', qui in vulgata editione vocatur, *Iesbaam*: in Hebræo vocatur Iasobham: quo nomine iste caput omnium fortium hoc in loco vocatur. Quo fit, vt non incertum reddatur, an primus hic sit vnus, & idem cum primo ibi: nomina enim diuersa iam monstratum est in octauo cap. non cogere ad intelligendum diuersitatem virorum. Quod autem dicitur Princeps inter triginta, Hebraïcè habetur: *Princeps fortium.* Simili titulo intignitur primus in catalogo fortium, in libro Regum, dicendo caput tertij.

Ipse leuauit lanceam suam super trecentos interfectos vice vna.] In libro Regum scribitur, quòd octingentos occidit vna vice: diuersus enim occidendi modus interuenisse videtur: ita quòd occisorum numerus comprehendit octingentos: modus autem occidendi lanceæ comprehendit duntaxat trecentos: nam hic clarè dicitur, quòd eleuauit lanceam suam super trecentos occisos vice vna: ibi verò duntaxat dicitur, quòd occidit octingentos vice vna: alio enim modo occidit reliquos eodem impetu.

Et post eum Eleazar.] Similiter iste scribitur Vers. 12. in libro Regum secundo loco.

Filius patrui eius Ahoites.] Iuxta Hebræum habetur: *Filius Dodo Achochi: ipse inter tres potentes.* Etiam in descriptione istius nonnulla interuenit dissonantia: quia in libro Regum iste scribitur filius Dodo, filij Achochi; ita quòd narratur eius, tam pater, quam auus: hic autem mentio fit patris dicendo, *filius Dodo*, sed non subiungitur, filij Achochi: sed dicitur Achochi, vel quia subintelligitur filij, vel quia Achochi nomen erat loci, aut cognationis, & non aui: & propterea non oportuit interponere dictionem filij Incerta sunt hæc, &, vt possumus, diuinamus.

Ipse fuit cum Dauid in Pasdamim, & Philisthim congregati erant ibi ad prælium, & erat ager regionis illius.] Puto interpretem optimè vertisse Hebraïcam phrasim, qua scribitur: *Et fuit pars agri pleni.* vt nomine partis intelligatur regio, & significetur, quòd regio illa erat cultus ager. Quòd autem subditur, *hordeo*, & in libro Regum dicitur, *lentibus*, non contrariantur: quia diuersæ sunt historiæ: nam ibi scribitur, *ager plenus hordeo*, in gestis secundi: vt patet intuenti contextum. Vers. 13.

Fugerátque populus à facie Philisthinorum. Vers. 14.

Hic *stetit in medio agri, & defendit eum, & percussit Philisthæos.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et steterunt in medio partis, & fecerunt euadere eam, & percusserunt Philisthinos: & saluauit Dominus saluatione magna.* Quia dictum est, *iste erat cum Dauide*, ideò subiunctum est in numero plurali, *steterunt.* Admirabilis tamen actio istius narratur in libro Regum: & propterea ipsi attribuitur victoria hæc.

Descenderunt autem tres de triginta Principibus super petram ad Dauid ad speluncam Hadullam.] Vers. 15. Omittitur tertius Samma scriptus in libro Regū: & transitur ad tres præcipuos inter triginta.

Et Philisthim castrametati erant in valle Rephaim. Vers. 16.

Porrò *Dauid tunc erat in præsidio.*] Hebraïcè habetur, *in arce.* Sed parui refert: quia arcem naturalem, quam rupes efficiebat, significat munitam præsidio militum.

Et Præfectus Philisthinorum tunc erat in Bethlechem.

Desiderauit autem Dauid, & dixit: Quis propinabit mihi aquam de puteo Beth-lechem, qui est in porta? Vers. 17.

Irruperúntque tres in castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de puteo Beth-lechem, qui est in porta, & portauerunt, & attulerunt ad Dauid: & noluit bibere eam: sed libauit eam Domino,] hoc est, obtulit illam in sacrificio diuino. Vers. 18.

Et dixit: Absit, vt in conspectu Dei mei hoc faciam.] Iuxta Hebræum habetur: *Absit mihi ab Elohe meo a facere hoc.* Horrentis sunt verba. Deinde immediatè sequitur: Vers. 19.

Num sanguinem virorum istorum bibam in animabus eorum, quia in animabus suis attulerunt eam? & noluit bibere eam.] Rationem reddit manifestam, quare horruerit bibere aquam illam. Et ex

ex hac ratione insinuatur, quòd Dauid non eo animo dixerit se concupiscere aquam Beth-lehem, vt viri sui irent pro ea: sed, vt contingit, aperuit appetitum suum: tres autem viri inuisi confidentes in agilitate, fortitudine, & dexteritate iuerunt in animabus suis; hoc est, exponentes proprias vitas periculo.

Hæc fecerunt tres potentes.

Vers. 20. *Abisai quoque frater Ioab ipse fuit caput triũ, & ipse leuauit lanceã suam super trecentos interfectos.*

Vers. 21. *Et ipse erat inter tres nominatissimus.*] Hebraicè habetur, *& ei nomen inter tres.* hoc est, inter illos tres præcipuos erat nominatus nomine gloriæ.

Inter tres secundus inclytus, & Princeps eorum.] Hebraicè habetur: *Ex tribus in duobus est honoratus, & fuit eis in Principem.* Explanatur gloria Abisai inter tres præcipuos: quòd, videlicet, inter eos non erat secundus, aut tertius; sed inter ipsos tres honorabatur à duobus: & ad hoc magis explicandum subiungitur, quòd fuit eis in Principem.

Abisai inter tres præcipuos primus.

Verumtamen vsque ad tres primos non peruenerat.] Hebraice habetur: *Et vsque ad tres non venit.* Fuit enim Abisai Princeps secundæ trinitatis fortium; non tamen peruenit ad primam fortium trinitatem, quæ simpliciter, & absolute constituebat tres fortes: quorum duo duntaxat sunt hic nominati.

Vers. 22. *Bena-ia, filius Iehoi-adah, filij viri fortitudinis, magnus operibus de Cabzeel: ipse percussit duos Ariel Moab.*] Dictio Hebraïca relicta est: cùm potuisset interpretari, *leones*, hoc est, viros fortes vt leones.

Et ipse descendit, & percussit leonem in medio putei in die niuis.

Vers. 23. *Et ipse percussit virum Ægyptium, virum mensura quinque cubitorum, & in manu Ægyptij erat lancea sicut licinatorium texentium: descendítque ad eum cum virga, & extorsit lanceam de manu Ægyptij, & occidit eum lancea eius.*

Vers. 24. *Hæc fecit Bena-iahu, filius Iehoi-iadab: qui erat inter tres robustos nominatissimus.*] Hebraicè habetur: *Et ei nomen inter tres potentes.* in quorum numero erat Abisai.

Vers. 25. *Inter triginta primus.*] Hebraicè habetur: *Ex triginta ecce ipse honoratus.* Recole, quòd ista trinitas in principio narrata est descendisse ex triginta: & propterea iste Benaias gloriosus in hac trinitate, honoratus dicitur ex triginta.

Verumtamen vsque ad tres non peruenit.] De prima trinitate est sermo.

Posuitque eum Dauid ad auditionem suam.

Vers. 26. *Potentes autem viribus: Hasaël, frater Ioab; Elchanan, filius Dodo de Beth-lechem.*

Vers. 27. *Samnoth Charorites, Chelez Pelonites.*

Vers. 28. *Hira, filius Hucces Thecohites; Abihezer Anthothites.*

Vers. 29. *Sibbechai Chusathites, Hilai Achochites.*

Vers. 30. *Maharai Netophathites; Heled, filius Bahana Netophathites.*

Vers. 31. *Ithai, filius Ribai de Ghibha filiorum Bin-iamin; Bena-ia Pirhathonites.*

Vers. 32. *Churai de torrentibus Gahas: Abiel Harbathithes; Hazmaueth Bacharumites; Eliaba Sualbonites.*

Vers. 33. *Filij Sẽ Ghizonites: Ionathã filius Sagé Hararites.*

Vers. 34. *Achi-am, filius Sachar, Hararites.*

Vers. 35. *Eliphal, filius Vr.*

Vers. 36. *Chepher Mecherathites; Achi-ia Pelonites.*

Vers. 37. *Chezro Charmelites; Naharai, filius Ezbai.*

Vers. 38. *Ioel, frater Nathan; Mibchar, filius Hageri.*

Zelec Hammonites; Nacharai Berothites, armiger Ioab filij Zeru-iæ. Vers. 39.

Hira Ii-therites; Ghareb Ii-therites. Vers. 40.

Vri-ia Chethites: Zabad, filius Ach-lai. Vers. 41.

Hadina, filius Siza; Reubenita, caput Reubenitarum, & cum eo triginta. Vers. 42.

Chanã, filius Mahacha, & Iosaphat Mithenites. Vers. 43.

Huzi-ia Hasthteratites: Samab, & Iehuel, filij Chotam Haroherites. Vers. 44.

Iedihael, filius Simri: & Iocha, frater eius Thizites. Vers. 45.

Eli-el Machanim, & Ieribai, & Iosau-ia, filij Elnaham: & Iuhma Moabites. Eli-el, & Hobed, & Iahasiel Mezoba-ia.] Vers. 46.

CAPVT XII.

Hi sunt autem, qui venerunt ad Dauid in Sic-lag, cum adhuc fugeret.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Adhuc eiemum à facie Saul filij Cis.* Tempus enim, quo Dauid retinebat seipsum in Siceleg Philisthinorum timens Saulem describitur. Vers. 1.

Qui erant fortissimi, & egregij pugnatores.] Hebraïcè habetur: *Et ipsi inter potentes auxiliatores belli.* Non quilescunque adiutores; sed potentes describuntur.

Armati arcu, dextera, & sinistra iacientes lapides, & sagittas arcu.] Magna laus istorum in vsu arcus, tã emittendo lapides, quàm sagittas scribitur, dum vtraque manu ad hæc scribũtur vti. Vers. 2.

Egregy sagittary describuntur.

De fratribus Saul.] hoc est, vt exponitur subiungendo: *Ex Bin-iamin.* vt hinc intelligamus, etiam vtuente Saüle, proprios Saulis contribules iuisse ad Dauidem.

Dux Achihezer, & Ioas, filij Semaha Ghibbathithes, & Ieziel, & Pelet, filij Hazmaueth: & Beracha, & Iehu Anthothites. Vers. 3.

Et Isimah-ia Ghibbonites, potens in triginta, & super triginta.] Iste ideò inter triginta, & super triginta laudatur potens, vt intelligamus, quòd ipse erat vnus ex tribus secundæ trinitatis. Vers. 4.

Et Ierme-ia, & Iachaziel, & Iochanan, & Iozabad Ghederathites.

Elhuzai, & Ierimoth, & Behal-ia, & Semar-iahu, & Sephat-iahu Caruphites. Vers. 5.

Elcana, & Isi-iahu, & Hazar-el, & Iobezer, & Iasobham Chorchites. Vers. 6.

Et Iohela, & Zebad-ia, filij Ierocham de Ghedor. Vers. 7.

Et de Ghaditis transfugerunt.] Hebraicè habetur: *Diuisi fuerunt ad Dauid.* Sed sententia in idem redit: significatur enim quòd isti segregauerunt se à regno Saulis, eundo ad Dauidem profugum à facie Saulis. Vers. 8.

Cum lateret in deserto.] Hebraïcè habetur: *Ad arcem in desertum.* Intellige tamen arcem naturalem, quam rupes facit.

Potentes fortitudine, viri exercitus ad bellum, tenentes clypeo, & lancea: facies leonis, facies eorum.] Impauidi, ac terribiles.

Et quasi capreæ in montibus ad festinandum.

Hezer Dux: Hobad-ia secundus, Eliab tertius. Vers. 9.

Mismanna quartus, Ieremo-ia quintus. Vers. 10.

Hatthei sextus, Eliel septimus. Vers. 11.

Iochanan octauus, Elzabad nonus. Vers. 12.

Ierme-iahu decimus, Machbanai undecimus. Vers. 13.

Isti de filiis Ghad duces exercitus.] Omnis excluditur ambiguitas totius præcedentis clausulæ quoad genus prænarratorum virorum. Vers. 14.

Nouissimus centum militibus præerat, & maximus mille.] Iuxta Hebræum habetur: *Vnus per centum paruus, & magnus per mille.* Sic iacet in Hebræo absque nullo adiuncto verbo: iungitur enim hæc clausula præcedenti, videlicet: *Isti ex filijs Ghaa duces exercitus, vnus per centum paruus, & magnus per mille.* Et est sensus, quòd omnes isti vndecim fuerunt duces exercitus de numero eorum, quorũ vnusquisque erat Centurio, si erat paruus dux, aut erat Tribunus, si erat magnus dux: intelligendo per Tribunum præfectum mille militibus. Vbi, prudens lector, aduerte duo: alterum, quòd narratur ducatus istorum, non qui tunc (quando Dauid fugiebat à Saule,) sed qui posteaquàm Dauid factus est Rex, datus est eis: alterum, quòd hinc insinuatur ordo exercitus seruatus in regno Dauidis: videlicet, quòd duces exercitus sic decreuit, vt minimi essent Centuriones; maximi autem Tribuni. Et per hos intellige multos gradus mediorum ducum exercitus.

Duo hic aduertenda.

Vers. 15. *Isti sunt, qui transierunt Iarden mense primo, & ipse plenus erat super omnes ripas suas: & fugauerunt omnes, qui morabantur in vallibus ad Orientem, & Occidentem.*] Laudantur isti Ghaditæ; sed quando, & quomodo res hæc gesta fuerit, nescitur.

Vers. 16. *Venerunt quoque de filijs Ben-iamin, & Iehuda ad præsidium, in quo morabatur Dauid.*] Hebraicè habetur: *Vsque ad arcem ad Dauidem.* Significanter describuntur ex Ben-iamin, & Iuda simul venientes ad Dauidem vsque ad ipsam rupem, in qua se seruabat Dauid profugus, ad insinuandum, quòd ex improuiso venerunt isti.

Vers. 17. *Egressusque est Dauid obuiam eis.*] Hebraicè habetur: *Et exiuit Dauid ad facies eorum.* venerant enim vsque ad ipsam rupem.

Et ait.] Hebraicè habetur: *Et respondit, & dixit eis.* inquirentibus enim eum respondit.

Si pacifice venistis ad me, vt auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis.] Legendum esset, *iungetur.* affirmat siquidem Dauid, se ex corde complexurum eos, si adiutores veniunt.

Si autem insidiamini mihi pro aduersarijs meis.] Hebraicè habetur: *Et si ad decipiendum me angustiatoribus meis absque iniquitate in palmis meis.* subaudi, tradituri me venistis. Dubitabat enim Dauid: & militari libertate vtitur in primo sermone cum eis.

Videat Deus patrum nostrorum, & iudicet.] Hebraicè habetur: *Videbit Elohe patrum nostrorum, & increpabit.* Reseruat Deo iudicium cordium, & vindictam. Ex quibus verbis apparet, quòd Dauid, vtro fuerint corde, suscipiebat eos: prædicendo tamen eis diuinam vltionem; imò increpationem, si cum dolo veniebant.

Vers. 18. *Spiritus verò Domini induit Abisai Principem inter triginta.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et spiritus induit Hamasai Principem potentium* Non dicitur spiritus Domini; sed spiritus absolutè, significatur enim interno quodã impulsu prodeũte extra actũ Hamasai: & propterea describitur spiritus induens: spiritus quidem ad significandum internum impulsum: induens autem ad significandum exteriorem illius apparentiam diffusam in corpus ipsius Hamasai.

Et ait.] Hoc addidit pro claritate Interpres.

Tui sumus, ô Dauid, & tecum sumus, fili Isai.] Hebraicè habetur: *Tibi, Dauid, & tecum, fili Isai, pax.* Respondet pro omnibus iste accentus benignitate Dauidis, & illius fiducia in Deo. Deinde immediatè sequitur:

Pax tibi, & pax adiutori tuo: quia adiuuit te Elohe tuus.] Tertiò imprecatur pacem cum tali gestu ex interno spiritu prodeunte, vt Dauid crediderit eos venire coadiutores sibi.

Susceptit ergo eos Dauid, & constituit eos Principes turmæ.] Hoc potest verificari ex tunc; rectius tamen intelligitur verificari post assecutum regnum: quoniam tunc tam pauci erant, vt tot Principibus deessent subditi: nunquam enim, viuente Saüle, numerus militum Dauidis excessit sexcentos: vt libri Regum historia narrat.

Viuente Saüle numerus militum Dauid nunquã excessit sexentos.

Porrò de Menasse transfugerunt ad Dauid, cùm veniret cum Philisthinis contra Saül ad prælium: & non adiuuit eos: quia inito consilio remiserunt eum Principes Philisthinorum dicendo: In capitibus nostris transfugiet ad Dominum suum Saul.] Historia hæc narratur 1. Reg. 29. Vers. 19.

1. Reg. 29.

Quando reuersus est in Zic-lag, transfugerunt ad eum de Menasse Hadna, & Iozabad, & Iedihuel, & Michael, & Iozabad, & Elihu, & Zillethai.] Declarando quod dixerat, cùm veniret, explicat, quòd illud, quando non fuit in eundo ad castra; sed in eundo ad Siceleg: quod pro claritate maiori Interpres dixit, *reuersus est.* Narratur ergo, quòd isti de Menasse venerunt ad Dauidem, tempore, quo Dauid abiectus à Satrapis Philisthinorum ibat in Siceleg. Vers. 20.

Principes millium in Menasse.] Iuxta Hebræum habetur: *Principes millium, qui in Menasse.* Magni valdè describuntur isti, qui capita non centum, sed millium dicuntur.

Et ipsi prabuerunt auxilium Dauidi aduersùs latrũculos.] Hebraicè habetur, *societatem.* sed proculdubiò significatur cœtus Hamalecitarum, qui incenderant Siceleg, quem persecutus est Dauid, vt scribitur 1. Reg. 30. Vers. 21.

1. Reg. 30.

Quia potentes fortitudine omnes ipsi & facti sunt Principes in exercitu.] Intellige post assecutum regnum.

Quia in tẽpore per singulos dies veniebant ad Dauid ad auxiliandũ ei.] Tria tempora Dauidis tractat Author hic. Primũ, quo viuente Saule Dauid profugus seruatus est, & auctus: & de hoc hactenus habitus est sermo. Alterum tempus, quo mortuo Saüle Dauid regnauit in Hebron, longáque concertatio fuit inter domum Dauidis, & domum Saülis: & de hoc tempore dicitur, quòd per singulos dies veniebant ad Dauidem. Vers. 22.

Tria tempora Dauidis distinguuntur.

Vsque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei.] Hebraicè habetur: *Vsque ad castra magna, sicut castra Elohim.* Augmentum militum tantum narratur, quòd peruenit ad constituendum exercitum, sicut exercitum Elohim. Etsi nomine *Elohim* intelligimus Deum, augmentum hoc intelligendum est vsque ad tempus, quo Dauid factus est Rex totius Israël inclusiuè: quoniam tunc habuit castra, sicut castra Dei, quæ habuerat, tam Moses, quàm Iosue. Si verò nomine *Elohim* intelligemus potentes Principes, sensus est, quòd quotidie augebantur milites Dauidis in Hebron regnantis, vsque adeò vt constituerent exercitum iuxta magnitudinem exercitus soliti apud Principes mundi: significatur enim per hoc, quòd augmentum fuit tantum, quòd peruenit ad quantitatem ordinarij exercitus.

Isti sunt numeri capitum expeditorum ad exercitum, qui venerunt ad Dauid in Cheb-ron, vt transferrent regnum Saul ad eum iuxta verbum Domini. Vers. 23.

Filij

Vers. 24. *Filij Iehudæ portantes clypeum, & hastam: sex millia, & octingenti expediti ad exercitum.*

Vers. 25. *De filiis Simhon potentes fortitudine ad exercitum: septem millia, & centum.*

Vers. 26. *De filiis Leui quatuor millia, & sexcenti.*

Vers. 27. *Et Iehoiadah dux de stirpe Aharon: & cum eo tria millia, & septingenti.*] Tertium tempus (videlicet, quo Dauid post septennium in Hebron constitutus est Rex super vniuersum Israël) tractatur.

Vers. 28. *Et Zadoc puer egregia indolis.*] Hebraïcè habetur: *Puer potens fortitudine: & domus patris eius, Principes viginti viro.* Laudatur enim, tum à propria persona, tum à tot Principibus domus paternæ.

Vers. 29. *De filiis autem Bin-iamin fratribus Saül tria millia: magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum Saul.*] Hebraicè habetur: *Et adhuc multitudo eorum custodientes custodiam domus Saul.* Ratio redditur paucitatis eorum, qui venerunt ex Tribu Ben-iamin ad constituendum Dauidem Regem: quia multitudo virorum militarium illius Tribus, etsi non pugnarét aduersùs Dauidem: seruabant tamen adhuc familiam Saülis, tanquàm illam cui ex successione debebatur regnum: viuebat enim tunc filius Ionathæ Mephiboseth.

Vers. 30. *De filiis verò Eph-raim, viginti millia, & octingenti: potentes fortitudine, viri nominati in cognationibus suis.*

Vers. 31. *Et ex dimidia Tribu Menassis, decem, & octo millia: qui nominati fuerunt per nomina, vt venirent ad constituendum Regem Dauidem.*

Vers. 32. *Et de filiis Issaschar, viri eruditi, qui nouerant singula tempora, ad præcipiendum, quid facere deberet Israël.*] Hebraïcè habetur: *Scientes intelligentiam temporibus, ad sciendum quid faciet Israel.*

Filij Issachar pollebãt prudentia politica.

Prudẽtia adscribitur filiis Issachar politica: qua, videlicet, tanta intelligentia vigebant, vt secundùm tempora scirent, quid expediret vniuerso Israëli: est enim prudentia circa singularia: ac per hoc prudentia politica circa singularia communia reipublicæ.

Principes eorum ducenti: omnis autem reliqua Tribus consilium eorum sequebatur.] Hebraice habetur: *Et omnes fratres eorum super os eorum.* Fratres eorum Israëlitas intellige adhærentes consilio sapientum de Tribu Issachar. Et hinc insinuantur duo: alterum, quòd istorum prudentiæ non est visum infra illud septennium concurrere Tribus Israël ad constituendum Dauidem Regem: alterum, quòd post septennium censuerunt isti prudentes, vt omnes Tribus conuenirent in Hebron ad constituendum Dauidem Regem: propter hoc enim narrantur duo: & quòd ipsi venerunt ad Dauidem, & quòd ex ore eorum pendebat omnis Israël.

Vers. 33. *De Zebulum egredientes ad exercitum, dispositi ad prælium in omnibus armis bellicis quinquaginta millia: & ad ordinandum sine corde duplici.*

Vers. 34. *Et de Naphthali Principes mille: & cum eis cum clypeo, & lancea triginta septem millia.*

Vers. 35. *Et de Danitis præparati ad prælium, viginti octo millia & sexcenti.*

Vers. 36. *Et de Aser egredientes ad exercitum, & in acie pronocantes.*] Hebraïcè habetur, *ad ordinandum bellum.* hoc est, ad ordinem prælij sustinendum periti, seu exercitati: non parua siquidem militum laus est præliando sistere in ordine.

Militũ laus.

Quadraginta millia.

Vers. 37. *Et de trans Iarden de Reubenitis, & Gaditis, & dimidia Tribu Menassis cum omnibus armis exercitus bellici, centum & viginti millia.*

Vers. 38. *Omnes isti viri bellatores, & expediti ad pugnandum.*] Hebraïcè habetur: *Viri belli cultores ordinis.* proculdubiò militaris. *Corde perfectò venerunt in Cheb-ron ad constituendum Regem Dauid super totum Israël: & etiam omnes reliqui ex Israël vno corde erant, vt Rex fieret Dauid.*] Ex eo, quòd præmissum est, multitudinem Tribus Ben-iamin adhuc mansisse in custodia domus Saülis, significatur, nomine residui Israëlis vniuersitas Israëlitarum, qui remanserant in propriis domibus præter prænarratos ex Tribu Ben-iamin: qui tamen post factum (post constitutum Dauidem Regem) vertentes necessitatem in virtutem, acquieuerunt aliis obediendo Dauidi.

Nomine residui Israëlis quid intelligatur.

Vers. 39. *Fuerúntque ibi cũ Dauide diebus tribus comedentes, & bibentes: præparauerãt enim eis fratres eorum.*

Vers. 40. *Et etiam propinqui eis vsque ad Issaschar, & Zebulum, & Naphtali, afferebant panem in asinis, & camelis, & mulis, & bobus, escam farinæ, palatas, & vuam passam, & vinum, & oleum, & boues, & oues in multitudine: quia lætitia erat in Israël.*]

CAPVT XIII.

Vers. 1. INIIT autem Dauid consilium cum Tribunis & Centurionibus, cum omnibus ducibus.

Vers. 2. *Et ait ad totum cœtum Israël.*] Cœtus Israël appellatur Senatus omnium Principum Israël, qui erant apud Regem in concilio: nam eis proponit conuocationem populi Israël.

Cœtus Israël, quis.

Si placet vobis, & à Domino Deo nostro egredietur sermo, quem loquor.] Iuxta Hebræum habetur: *Si super vos bonum, & a Iehouah Elohe nostro.* Sic iacet in Hebræo absque vllo verbo. Et est sensus: Si quod propono, habet vtrunque, videlicet, & quod est vobis bonum, & quod est à Deo: hoc est, si censetis hoc conducere vobis, & esse conforme diuinæ voluntati. Deinde immediatè sequitur:

Mittamus.] Deficit vna dictio.

Diuidemus, mittemus ad fratres nostros residuos in omnibus terris Israël.] Modum mittendi significat verbo diuisionis: vt, videlicet, diuidantur nuncij ad diuersas partes mittendi: multitudo enim nunciorum per hoc insinuatur. Residui autem appellantur militares viri electi: erant enim residui relatiuè ad Cẽturiones, & Tribunos, qui erãt cũ Dauide. Testatur enim historia 2. lib. Reg. c. 6. quòd congregauit Dauid ex hoc concilio triginta millia electorum virorum. Isti ergo appellantur hic residui in vrbibus Israël.

2. Reg. 6.

Et ad Sacerdotes, & Leuitas, qui habitãt in ciuitatibus suburbanorum suorũ: & congregentur ad nos.

Vers. 3. *Et reducamus Arcam Dei nostri ad nos.*] Nomen est, *Elohe.* Et significanter dicit, *Arcam*, ad differentiam tabernaculi facti à Mose: de cuius translatione nihil dicit.

Non enim requisiuimus eam in diebus Saül.] Nulli facimus iniuriam: si enim tempore Saülis Regis requisiuissemus Arcam Dei, collocantes eam alicubi; iniuria forte fieret, tum Regi, tum Israëli, tum loco: sed, quia nunquam tempore Saülis Regis requisita est Arca, vt collocaretur alicubi; ideò nulli fit iniuria

iuria transferendo eam ad nos in Ierusalem. Et hinc insinuatur, quòd Arca nullibi habuit mansionem post percussionem Bethsemitarum, nisi in ciuitate syluarum: ibi enim inuenit eam Rex Saul, & ibi dimisit eam.

Vers. 4. *Et dixit totus cœtus, vt ita fieret: placuerat enim sermo omni populo.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quia rectum verbum in oculis totius populi.* Concordis responsionis ratio redditur: quia audita à populo huiusmodi futura translatio visa est recta.

Vers. 5. *Congregauit ergo Dauid cunctum Israël.*] In triginta millibus electis: vt liber Regum aperit.

A Sichor Ægypti.] Fluuius Ægypti conterminus regno Israël significatur.

Vsque ad introitum Chamathi ad adducendum Arcam Dei.] Nomen est Elohim.

De Cir-iath-iearim.]Nomen est ciuitatis, Latinè ciuitate syluarum.

Vers. 6. *Et ascendit Dauid, & totus Israël ad collem Cariathiarim.*] Hebraïcè clariùs habetur: *In Bahalam ad Cir-iath-iearim, quæ Iehuda.* In 2. Reg. cap. 6. diximus, Bahala nomen esse regionis, seu districtus, in quo erat ciuitas syluarum: ita quòd nominatur locus, & à regione, & à ciuitate.

2. Reg. 6.

Ad faciendum ascendere inde Arcam Dei Domini.] Hebraïcè habetur: *Elohim Iehouah sessoris Cherubinorum.* Aliàs reddita est ratio nominum, & quare dicatur, sedentis super Cherubim.

Vbi inuocatum est nomen eius.] Hebraïcè habetur: *Cuius vocatum est nomen.* Et est ordo literæ: Ad faciendum ascendere inde thecam Elohim, cuius vocatum est nomen Iehouah, sessor Cherubinorum. Elohim siquidem nomen commune erat Diis omnibus: & ideò ad aliorum Deorum differentiam dicitur: *Cuius vocatum est nomen Iehouah:* (hoc est, fons essendi) *sedens super Cherubinos.* Et cautè non dicit: Qui est, sed cuius vocatum est nomen: eò quòd nec ipsum nomen tetragrammaton significat Deum, sicuti est, eò quòd non tam ipse quàm multiplex nomen eius notum est nobis.

Vers. 7. *Imposuerúntque Arcam Dei super plaustrum nouum de domo Abinadab.*] Dictio interpretata, *Dei*, est nomen *Elohim*: & idem nomen repetitur, cùm subiungitur coram Deo.

Huzza autem, & Ach-io minabant plaustrum.

Vers. 8. *Porrò Dauid, & totus Israël ludebant coram Deo in omni virtute: & in canticis, & citharis, & psalteriis, & tympanis, & cymbalis, & tubis.*

Vers. 9. *Venerúntque vsque ad aream Chidon.*] Non te moueat, quòd in libro Regum scribitur ad aream Nachon: eadem enim area hîc & ibi significatur diuersis nominibus.

Et extendit Huzza manum suam ad tenendum Arcam, bos quippe lasciuiens paululum inclinauerat eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia declinabãt boues.* Expectauit Deus punire peccatum, vsquequò effectus peccati palam fieret: peccatum siquidem commissum est, cùm Arca posita est vehenda super plaustrum; (vtpote quæ vehi debebat super humeros Leuitarum,) sed distulit Deus punitionem vsque ad sensibilem effectum peccati; quando, videlicet, ipsa Arca inclinari cœpit propter boues trahentes.

Deus differt punitionem peccati vsque ad sensibilem eius effectũ.

Vers. 10. *Iratus est itaque Dominus.*]Deficit vna dictio: legendum est: *Et iratus est furor Iehouah in Huzzam.* Instar furoris describitur punitio, tanquam repente vehemens.

Et percussit eum, eò quòd tetigisset Arcam.] Iuxta Hebræum habetur: *Super quod misit manum suam ad Arcam.* Non causam, sed tempus intelligo significari: videlicet, quòd vltio diuina superuenit, quando extendit manum ad Arcam: meritum enim vltionis non fuit extensio manus ad Arcam: sed illius causa, videlicet, vehere super plaustrum.

Causa meriti Oza, non fuit extensio manus in Arcam.

Et mortuus est ibi coram Deo.] Nomen est Elohim.

Contristatúsque est Dauid.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ira fuit Dauidi.* Magnitudo tristitiæ excandescentiam causauit. Vers. 11.

Eò quòd diuisisset Dominus Ozam.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Quia diuisit Iehouah diuisionem in Huzza.* Et hinc insinuatur, quòd percussio fuit per modum scissionis.

Et vocatus est locus ille, diuisio Huzza, vsque in præsentem diem.

Timuítque Dauid Deum in die illa dicendo.] Vers. 12. Nomen est Elohim: & similiter, cùm subiungitur, *Arcam Dei*: & idem nomen repetitur, cùm iterum subiungitur, *Arca Dei.* Reliqua exposita sunt in libro Regum.

Quomodo introducam ad me Arcam Dei?

Et non declinare fecit Dauid Arcam Dei ad se in Vers. 13. *ciuitatem Dauid: declinauítque eam ad domum Hobed-edom Ghithæi.*

Mansítque Arca Dei cum domo Hobed-edom Vers. 14. *in domo eius tribus mensibus: & benedixit Dominus domui Hobed-edom, & omnibus, quæ habebat.*]

CAPVT XIV.

Vers. 1. MIsit autem Chiram, Rex Tyri, nuncios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices lignorum: ad ædificandum ei domum.] Vide hæc 2. Reg. cap. 5.

2. Reg. 5.

Vers. 2. *Cognouítque Dauid, quod confirmasset eum Dominus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd direxit eum Iehouah in Regem super Israel.* Ab effectu, & ab interno motu cognouit Dauid opus diuinæ directionis in se ad hoc, vt regnaret super Israël.

Et subleuatum est regnum suum super populum eius Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia elevatum fuit desuper regnum eius propter populum eius Israël.* Ecce effectus directionis diuinæ, ex quo cognouit diuinam directionem Dauid; ex eo enim, quòd vidit eleuatum regnum suum propter bonum populi Israël, hausit, quòd diuina esset directio, cui cura est de bono populi Israël.

Vers. 3. *Accepítque Dauid adhuc vxores in Ierusalaim: & genuit Dauid adhuc filios, & filias.*

Vers. 4. *Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Ierusalaim: Sammuah, & Sobab, Nathan, & Salomo.*

Vers. 5. *Et Iibechar, & Elisuah, & Eliphelet.*

Vers. 6. *Et Noga, & Nepheg, & Iaphiah.*

Vers. 7. *Et Elisamah, & Behel-iadah, & Eliphelet.*

Vers. 8. *Audierunt autem Philisthiim, quòd vnctus esset Dauid in Regem super totum Israel, & ascenderunt omnes Philisthiim ad quærendum Dauidem* (prælio:) *audiítque Dauid, & egressus est contra eos.*

Vers. 9. *Porrò Philisthiim venerunt: & diffusi sunt in valle Rephaim.*

Vers. 10. *Consuluit autem Dauid Deum dicendo.*] Nomen est Elohim.

An ascendam contra Philisthæos, & an trades eos in manum meam?] Modus interrogandi Deum, intelligendus est per Sacerdotem solito legis more. *Deus quemadmodo interrogabatur legis tempore.*

Et dixit ei Dominus: Ascende, & tradam eos in manum tuam.] Modus, quo reuelauit Deus, ignotus est nobis.

Vers. 11. *Cumque illi ascendissent.*] Hebraïcè habetur: *Et ascenderunt in Baal-perazim.* Executio narratur diuini præcepti: & in quinto capitulo secundi Regum expoſuimus hæc cum sequenti historia.

Et percussit eos ibi Dauid: & dixit: Diuisit Deus inimicos meos in manu mea, sicut diuiduntur aqua: idcircò vocatum est nomen loci illius, Baal-perazim.

Vers. 12. *Dereliquerúntque ibi Deos suos, quos Dauid iussit exuri.*

Vers. 13. *Alia adhuc vice Philisthim irruerunt: & diffusi sunt in valle.*

Vers. 14. *Consuluítque adhuc Dauid Deum.*] Nomen est *Elohim*: quod etiam repetitur, tam cùm subiungitur, *& dixit ei Deus*; quàm cùm posteà dicitur, *egressus est enim Deus*; & demum dicendo, *præceperat ei Deus.*

Et dixit ei Deus: Non ascendes: post eos. Diuidenda est litera hæc: & faciendus est punctus post verbum, *ascendes*: ita quòd prima sententia completur dicendo, *non ascendes.* Et est sensus, non ascendes directè contra eos. Deinde legenda est alia sententia.

Post eos recede ab eis, & venies contra illos ex aduerso pyrorum.] Hebraicè tamen habetur: *Post eos gyra à supra eos, & venies ad eos è regione arborum.* Instruit eum Deus, vt post eos ex parte superiori gyret exercitum, & è regione multitudinis arborum crebrarum ibidem existentium aggrediatur hostes. Et insinuatur hinc, quòd arbores istæ erant à parte altera Philisthinorum.

Vers. 15. *Et cùm audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum.*] Hebraicè habetur, *sonitum deambulationis in capitibus arborum.* Significantur arbores quasi condensatæ inuicem: declarauimus autem hoc in libro Regum.

Tunc egredieris ad prælium: quia exiuit Deus ante te ad percutiendum castra Philisthinorum.] Quantùm contextus insinuat, describuntur Philisthini in medio, exercitu Dauidis pugnante aduersùs eos hinc, & Deo pugnante aduersùs eosdem inde.

Vers. 16. *Fecitque Dauid, sicut præceperat ei Deus: & percusserunt castra Philisthinorum à Ghibhon vsque ad Ghazeram.*

Vers. 17. *Diuulgatúmque est nomen Dauid in omnibus regionibus.*] Hebraïcè habetur, *terris*, circuncirca. Et similiter intellige:

Et Dominus dedit pauorem eius super omnes gentes.] vicinas molestas Israëlitis.

CAPVT XV.

Vers. 1. *Fecit quoque sibi domos in ciuitate Dauid.*] multas enim habebat vxores: & propterea multis egebat domibus.

Et ædificauit.] Legendum est: *Et præparauit locum Arcæ Elohim, & tetendit ei tentorium.* Muro cinxit proprio spatium, intra quod collocauit tabernaculum, in quo ponenda erat Arca.

Tunc dixit Dauid: Illicitum est.] Scrutatus Dauid causam percussionis Ozæ, inuenit peccatum fuisse contra legem Moysis, eò quòd Arca Dei super humeros Leuitarum, & non super plaustrum vehenda erat, vt sancitur in libro Numeri cap. 7. Vers. 2. *Causa percussionis Ozæ.* Num. 7.

Vt portetur Arca, nisi à Leuitis.] Nomen est *Elohim.*

Quia eos elegit Dominus ad portandum Arcam Domini, & ad ministrandum sibi vsque in sæculum.] Hoc dicitur ad differentiam aliorum Leuitarum: nam Leuitæ ex familia Cehath electi sunt ad portandum Arcam, quando modicus erat numerus Sacerdotum: vt ex numeri quarto, & septimo colligitur. *Leuita ex familia Cehath ad quid electi.* Num. 4. & 7.

Congregauítque Dauid vniuersum Israel in Ierusalem, ad faciendum ascendere Arcam Domini ad locum suum, quem præparauerat ei.] Intellige sobriè, hoc est, ex vniuerso Israële inuitauit populos ad tantam solennitatem. Vers. 3.

Adunauit quoque Dauid filios Aharon, & Leuitas. Vers. 4.

De filiis Cehath Vriel Principem, & fratres eius centum & viginti. Vers. 5.

De filiis Merari Hasa-iam Principem, & fratres eius ducentos & viginti. Vers. 6.

De filiis Gherſom Ioel Principem, & fratres eius centum & triginta. Vers. 7.

De filiis Elisaphan Semah-iam Principem, & fratres eius ducentos. Vers. 8.

De filiis Cheb-ron Eli-el Principem, & fratres eius octoginta. Vers. 9.

De filiis Huzziel Hamminadab Principem, & fratres eius centum, & duodecim. Vers. 10.

Vocauítque Dauid Zadoc, & Eb-iathar Sacerdotes: & Leuitas Vrielem, Hasa-iam, & Ioëlem, & Semah-iam, & Elielem, & Hamminadab. Vers. 11.

Et dixit eis: Vos estis capita familiarum Leuiticarum. Sanctificamini vos, & fratres vestri.] Præparatio aliqua, quanuis non scripta, significatur. *Et facite ascendere Arcam Domini Dei Israel ad locum, quem ei præparaui.* Vers. 12.

Ne vt à principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Quia à principio non vos diuisit Iehouah Elohe nostet nos.*] Diuisionem Ozæ commemorat, quæ acciderat prima vice. Vers. 13.

Sic & nunc fiat illicitum quid nobis agentibus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia non requisiuimus eam, sicut iudicium.*] Rationem reddit percussionis Ozæ, quia ipse Dauid cum reliquis non seruauerunt legis ius decretum circa vehendam Arcam. Et hoc dicit contigisse propter absentiam capitum, tum Sacerdotum, tum Leuitarum: si enim fuissent præsentes, dixissent decretum legis Regi, & fuisset seruatum. *Cur Dauid non seruauit legem circa vehendam Arcam.*

Sanctificati sunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, ad faciendum ascendere Arcam Domini Dei Israël. Vers. 14.

Et portauerunt filij Leui Arcam Dei (sicut præcepit Moses iuxta verbum Domini) in humeris suis in vectibus super se. Vers. 15.

Dixítque Dauid Principibus Leuitarum, vt constituerent de fratribus suis cantores, cum instrumentis cantus (psalteriis, & cithara, & cymbalis,) audire faciente eleuando vocem in lætitia. Vers. 16.

Et constituerunt Leuitæ Heman filium Ioelis, & de fratribus eius Asaph filium Berech-iahu: & de Vers. 17.

filiis Merari fratribus eorũ, Ethan filium Cusa-iahu.

Vers. 18. *Et cum eis fratres eorum secundos: Zechar-iahu, Ben, & Iahu-ziel, & Semiramoth, & Iechiel, & Hunni, Eliab, & Bena-iahu, & Maasse-iahu, & Eliphelehu, & Micne-iahu, & Obed-edom, & Iehiel ianitores.*] hoc est, officium ianitorũ exercẽtes: in via enim non erat opus ianitoribus: sed officio ianitorum ad compescendum turbam, ne plusquàm liceret appropinquarent Arcæ.

Ianitorũ quod officiũ in via cùm vehebatur Arca.

Vers. 19. *Porro cantores, Heman, Asaph, & Ethan.*] Distributio subiungitur officiorum in via secundùm diuersa instrumenta musica, seu diuersas actiones. Nullam autem expectes à me circa proprietatem musicorum instrumentorum diligentiam: quoniam propria nomina eorum suspecta mihi sunt.

In cymbalis aneis concrepantes.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad faciendum audire.* resonantia enim valdè cymbala hæc significantur: ad differentiam cymbalorum parui soni, quibus vti solent mulieres in choreis.

Vers. 20. *Zechar-ia autem, & Haziel, & Semiramoth, & Iechiel, & Hunni, & Eliab, & Maasse-iahu, & Ben-iahu in psalteriis arcana cantabant.*] Hebraicè habetur, *In psalteriis super Halamoth.* Nomen proprium instrumenti musici est, Halamoth.

Halamoth instrumentum musicum.

Vers. 21. *Porrò Matthith-iahu, & Eliphelehu, & Micneiahu, & Hobed-edom, & Iechiel, & Hazaz-iahu: in citharis pro octaua canebant Epinicion super victoriis.*] Iuxta Hebræum habetur: *In citharis super octauam ad inualescendum.* Et aiunt octauam nomen esse instrumenti musici octo chordarum, modus autem Musicæ significatur inualescendo.

Octaua, instrumentum musicum.

Vers. 22. *Chonenias autem Princeps Leuitarum Prophetiæ præerat: & ad pracinendum melodiam, erat quippe valdè sapiens.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et Chenan-iahu Princeps Leuitarum in eleuatione: castigendo in eleuatione, quia intelligens ipse* Moderator eleuationis in Musica describitur iste: quia in arte Musicæ erat valdè intelligens: & propterea dirigebat alios cantores.

Vers. 23. *Berech-ia autem, & Elcana, ianitores Arcæ.*] hoc est, officium ianitorum exercentes.

Vers. 24. *Seban-iahu verò, & Iosaphat, & Nethan-el, & Hamasai, & Zechar-iahu, & Bena-iahu, & Eliezer Sacerdotes, clangebant tubis coram Arca Dei.*] Nomen est *Elohim.*

Et Hobed-edom, & Iechi-ia erant ianitores Arcæ.

Vers. 25. *Dauid igitur, & seniores Israël, & Tribuni iuerunt ad faciendum ascendere Arcam fœderis Domini.*] Eò quòd in ea continebatur fœdus diuinum scriptum in tabulis lapideis digito Dei.

De domo Hobed-edom in lætitia.

Vers. 26. *Cùmque adiuuasset Deus Leuitas, qui portabant Arcam fœderis Domini; immolabantur septem tauri.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et fuit, adiuuante Elohim Leuitas portantes thecam fœderis Iehouah: & sacrificarunt septem tauros, & septem arietes.* Duo hinc insinuantur: alterum, quòd ad differentiam primæ translationis Arcæ, in qua Deus percussit Ozam, scribitur adiuuans Deus Leuitas vectores Arcæ: ipsum siquidem fouere, & seruare eos incolumes, ac lætos, prosequendo vectionem Arcæ, appellatur diuinum auxilium. Alterum, quòd propter contrarium effectum à Deo in Leuitis prima vice, non fuerunt sacrificia oblata: hoc est, quòd antequàm prima vice duceretur Arca ad locum sacrificiorum, percussus fuit Oza. Ex opposito siquidem ad gesta prima vice scribitur hîc, quòd adiuuante Elohim Leuitas, sacrificabant tauros, & arietes: vt intelligamus, incolumitatem Leuitarum rationem fuisse continuandi sacrificia sexto quoque passu, vt dicitur in libro Regum.

Quomodo Deus adiuuerit Leuitas vehentes Arcam.

Percussio Ozæ, causa fuit, ne sacrificaretur Deo prima vice translationis Arcæ.

Porrò Dauid indutus erat stola byssina, & omnes Leuitæ portantes Arcam, & cantores, & Chenan-ia Princeps prophetiæ inter cantores.] Hebraicè habetur, *Princeps eleuationis cantorum.* Hoc iam expositum est superiùs. Vers. 27.

Et super Dauid erat ephod lineum.] Paulò superiùs scriptum est, quòd Dauid erat indutus pallio lineo: nunc autem dicitur, quòd super eum erat ephod lineum: & propterea duæ vestes lineæ significantur: altera pallium, altera ephod. Ista quidem similis erat vesti Leuiticæ, ab humeris nominata: illa autem summa vestis erat ad differentiam Leuitarum. Rex igitur in hac solennitate vtraque vsus est veste: ephod quidem subter, & pallio desuper.

Dauid indutus erat pallio, & ephod ante Arcam.

Totúsque Israel ascendere faciebat Arcam fœderis Domini in iubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis: faciens audire in psalteriis, & citharis. Vers. 28.

Cùmque peruenissent Arca fœderis Domini ad ciuitatem Dauid: Michal filia Saül respiciens per fenestram vidit Regem Dauid saltantem, & ludentem, & despexit eum in corde suo.] hoc est, ex intimis suis: ad exaggerandum siquidem peccatum despectionis, narratum est, quòd in corde suo vilipendit eum. Vers. 29.

CAPVT XVI.

ATTVLERVNT igitur *Arcam Dei.*] Nomen est *Elohim*: & similiter cùm subditur, *coram Deo.* Vers. 1.

Et constituerunt eam in medio tentorij, quod tetenderat ei Dauid: & obtulerunt holocausta & pacifica coram Deo.

Completóque Dauid offerre holocausta & pacifica: & benedixit populo in nomine Domini. Vers. 2.

Et diuisit omni homini Israël, à viro vsque ad mulierem, vnicuique tortam panis, & partem assæ carnis bubalæ, & frixam oleo similam.] Hebraicè habetur, *Placentam panis, & partem tauri vnam, & phialam.* Sic quoque habetur in libro Regum: prouidit enim de cibo, & potu populo: & ibi, quæ hîc scribuntur, exposuimus. Vers. 3.

Constituítque coram Arca Domini de Leuitis, qui ministrarent: & recordarentur operum eius, & glorificarent, atque laudarent Dominum Deum Israël.] Hebraicè habetur, *de Leuitis ministros: & ad recordandum, & ad laudandum Iehouah Elohe Israëlis.* Deuotus Rex cum debita veneratione Arcam Dei apud se colendam statuit, tum ad recolendum, tum ad gratias agendum, tum ad laudandum diuina beneficia. Vers. 4.

Asaph ducem, & secundum eius Zechar-iam: Iehiel, & Semiramoth, & Iechiel, & Matthith-iam, & Eliab, & Bena-iahu, & Hobed-edom, & Iechiel in instrumentis psalteriorum, & in citharis, & Asaph in cymbalis audire facientem. Vers. 5.

Et Bena-iahu, & Iachaziel Sacerdotes: in tubis assiduè coram Arca fœderis Dei. Vers. 6.

In

In die illo tunc fecit Dauid ducem ad confitendum
Vers. 7. *Domino, in manu Asaph, & fratrum eius.*

Vers. 8. *Confitemini Domino, invocate nomẽ eius.*] Ex tribus Psalmis sumpta sunt hæc subiuncta; videlicet, ex Psalmo centesimoquarto prima pars: secunda autem (quæ incipit, *Cantate Domino.*) ex Psalmo 95. tertia demum (incipiens: *Confitemini Domino, quoniam bonus.* (ex Psalmo 105. Et ne repetamus scripta super Psalmos, vide ibi expositionem.

Ex tribus Psalmis 104. 95. & 105. canticũ compositum à Dauide.

Notificate in populis operationes eius.

Vers. 9. *Cantate ei, psallite ei: loquimini in omnibus mirabilibus eius.*

Vers. 10. *Gloriamini in nomine sancto eius: lætetur cor quærentium Dominum.*

Vers. 11. *Quærite Dominum, & fortitudinem eius: quærite faciem eius iugiter.*

Vers. 12. *Recordamini mirabilium eius, quæ fecit: prodigiorum eius, & iudiciorum oris eius.*

Vers. 13. *Semen Israël servi eius: filij Iahacob electi eius.*

Vers. 14. *Ipse Dominus Deus noster: in vniuersa terra iudicia eius.*

Vers. 15. *Recordatus est in seculum pacti sui, verbi, quod præcepit mille generationibus.*

Vers. 16. *Quod pepigit cum Abraham, & iuramenti sui ad Isaac.*

Vers. 17. *Et statuit illud Iahacob in præceptum, Israeli pactum sempiternum.*

Vers. 18. *Dicendo: Tibi dabo terram Chenahan, portionem hæreditatis vestræ.*

Vers. 19. *Cum essetis viri numerabiles, velut pauci, & peregrini in ea.*

Vers. 20. *Et ambulauerunt de gente ad gentem, & de regno ad populum alium.*

Vers. 21. *Non permisit viro, vt vim inferret eis: & corripuit pro eis Reges.*

Vers. 22. *Ne tangatis Christos meos, & Prophetis meis ne malefacite.*

Vers. 23. *Cantate Domino, omnis terra: euangelizate de die in diem salutare eius.*

Vers. 24. *Narrate in gentibus honorem eius: in omnibus populis mirabilia eius.*

Vers. 25. *Quia magnus Dominus, & laudabilis valde: & timendus ipse super omnes Deos.*

Vers. 26. *Omnes enim Dij populorum vacuitates: Dominus autem cælos fecit.*

Vers. 7. *Confessio, & decor coram eo: fortitudo, & lætitia in loco eius.*

Vers. 28. *Afferte Domino, familiæ populorum: afferte Domino honorem, & fortitudinem.*

Vers. 29. *Afferte Domino honorem nominis eius: eleuate munus, & venite in conspectum eius: incuruate vos Domino in decore sanctitatis.*

Vers. 30. *Tremite à facie eius, omnis terra: etiam firmabit orbem, ne commoueatur.*

Vers. 31. *Lætentur cæli, & exultet terra: & dicant in gentibus: Dominus regnauit.*

Vers. 32. *Tonet mare, & plenitudo eius: gaudeat ager, & omne, quod est in eo.*

Vers. 33. *Tunc exultabunt ligna syluæ coram Domino: quia venit iudicare terram.*

Vers. 34. *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in seculum gratia eius.*

Vers. 35. *Et dicite: Saluos nos, Deus salutis nostræ, & congrega nos, & libera nos de gentibus: ad confitendum nomini sanctitatis tuæ, ad gloriandum in laude tua.*] Quod hîc mandatur rogandum: *Congrega nos ex gentibus.* non obstitit tempori Dauidis: eò quòd toties in captiuitatem, & consequenter sparsi, venundatique fuerant tempore Iudicum, & Saülis, Israelita sæpe captiui fuerãt.

Temporibus Iudicum, & Saülis, Israelita sæpe captiui fuerãt.

Benedictus Dominus Deus Israel a seculo, & vsque in seculum. & dicat omnis populus: Amen, & hymnum Deo.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et laudare Iehouah.* Et hoc non est in calce illius Psalmi: & in idem redit, cum dicere hymnum Deo. Vers. 36.

Reliquitque ibi coram Arca fœderis Domini Asaph, & fratres eius: vt ministrarent coram Arca iugiter per singulos dies, & vices suas.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad rem per singulos dies suos.* Quotidianum ministerium, provt quilibet exigebat dies, describitur iugiter. Vers. 37.

Porro Hobed-edom, & fratres eius sexaginta octo: & Hobed-edom filium Iedithun, & Chosam constituit ianitores. Vers. 38.

Sadoc autem Sacerdotem, & fratres eius Sacerdotes coram tabernaculo Domini in excelso, quod erat in Ghibhon. Vers. 39.

Vt offerrent holocausta Domino super altare holocausti iugiter mane, & vesperi: & iuxta totum, quod scriptum est in lege Domini, quam præcepit Israëli.] Vide disparitatem. Coram Arca Leuitæ duntaxat constituti leguntur, quorum caput erat Asaph: coram tabernaculo verò, quod fecerat Moses, constituuntur Sacerdotes: eò quòd ibi erat altare holocaustorum, & ibi iuge sacrificium fiebat; & vt vno verbo dicatur, ibi erat ordinarius Dei cultus: Arca autem extraordinariè venerabatur extra tabernaculum Mosis in Sion in tabernaculo, quod fecerat Dauid. A quo autem, quare, & quando fuerit translatum tabernaculum Mosis in excelsum Ghabaon, Scriptura non tradit: in tribus siquidem locis tabernaculum hoc fuisse legimus: primò in Silo Iosuæ cap. decimooctauo, deinde in Nobe 1. Regum 21. & demum in excelso Ghabaon, vt hîc scribitur. Et quia noluit Dauid, vt veneratio Arcæ in Sion minueret ordinarium cultum in diuino tabernaculo; ideò ordinauit etiam ibi Leuitas in diuersis officiis, vt subiungitur Vers. 40.

Quare Leuitæ constituti sunt coram Arca: Sacerdotes verò coram tabernaculo.

Tabernaculũ Mosi tribus in locis fuit.

Cum eis fuerunt Heman, & Iedithun, & reliqui electi, qui nominati sunt per nomina: ad confitendum Domino, quoniam in seculum gratia eius. Vers. 41.

Et cum eis Heman, & Iedithun, qui tubis, & cymbalis canebant audire, & instrumentis cantus Dei: & filij Iedithun ad portam. Vers. 42.

Abiitque totus populus, vnusquisque in domum suam: & reuersus est Dauid ad benedicendum domum suam.] Vers. 43.

CAPVT XVII.

Cum autem habitaret Dauid in domo sua, dixit ad Nathan Prophetam: Ecce ego habito in domo cedrina, & Arca fœderis Domini sub pellibus.] Hebraïcè habetur: *sub cortinis.* Expositæ sunt autem hæc in secundo libro Regum, cap. 6. Vers. 1.

Et ait Nathan ad Dauid: Omnia, quæ sunt in corde tuo fac: Quia Dominus tecum est.] Nomen est *Elohim*: & idem nomen repetitur subiungendo, sermo Domini. Vers. 2.

In nocte autem illa factus est sermo Domini ad Nathan, dicendo: Vers. 3.

Vade,

Vers. 4. *Vade, & dic ad Dauid seruum meum: Sic dixit Dominus: Non tu ædificabis mihi domum ad habitandum.*

Vers. 5. *Non enim habitaui in domo à die, qua ascendere feci Israël vsque ad diem hanc: sed fui semper mutans loca tabernaculi:*

Vers. 6. *Et in tentorio manens cum omni Israel.*] Hebr. habetur: *Et fui de tentorio ad tentorium, & è tabernaculo in omni, quo iui cum omni Israel.* Duo nominat (*tentorium, & tabernaculum*) vt discernamus inter ea: & dispariter nominantur: nam tabernaculum vnicum nominatur: tentorium autem quasi geminum significatur dicendo de tentorio in tentorium. Insinuatur enim per hæc differentia morandi: nam quando filij Israël non erant fixuri alicubi castra; Arca Dei erat sub tentorio: & propterea tanquam in itinere describitur *de tentorio in tentorium.* Quando verò figebantur castra, tunc erigebatur tabernaculum ordinarium, & Arca Dei erat in tabernaculo suo: & propterea adiungitur, *& è tabernaculo.* egrediebatur enim ordinarie à tabernaculo suo, Arca vehenda.

Tentorium & tabernaculum, *in quo differebant, & ad quem vsum erant.*

An verbum locutus sum vni Iudicum Israël, quibus præcepi, vt pascerent populum meum, dicendo: Cur non ædificastis mihi domum cedrinam?

Vers. 7. *Nunc itaque sic dices seruo meo Dauidi: Sic dixit Dominus exercituum: Ego tuli te, cùm in pascuis sequereris gregem.*] Hebraicè habetur: *Ego tuli te de habitaculo.* vile siquidem significatur pastorum habitaculum.

De post oues: vt esses dux populi mei Israël.

Vers. 8. *Et fui tecum, quocunque perrexisti, & interfeci.*] Hebraicè habetur: *Et destruxi omnes inimicos tuos coram te.* quod est verius: nam inimici Dauidis pessundati sunt potiùs, quàm interfecti.

Inimici Dauidis pessundati potius sunt, quàm interfecti.

Fecique tibi nomen quasi vnius magnorum, qui celebrantur in terra.] Hebr. habetur: *Et faciam tibi nomen iuxta nomen magnorum, qui in terra.* Similiter cùm subiungitur:

Vers. 9. *Et dedi locum.*] Hebraicè habetur: *Et ponam locum.* proculdubiò firmum, vt subiuncta testantur.

Populo meo Israel plantabitur.] Hebr. habetur: *Et plantabo eum.* Ecce firmitas instar plantæ, quæ firmatur radicibus in loco suo.

Firmitas instar plantæ.

Et habitabit in eo, & vltrà non commouebitur.] Hebraicè habetur: *Et non tremet vltrà.* hoc est, habitabit tutus sub protectione tua.

Et non addent filij iniquitatis ad atterendum eum, sicut in principio.

Vers. 10. *Et à diebus, quibus præcepi Iudicibus super populum meum Israel, & humiliaui.*] Hebraicè habetur: *Et humiliabo omnes inimicos tuos.* promissiones enim sunt.

Annuncio ergo tibi.] Hebr. habetur: *Et annunciauit tibi.* Verba sunt Dei, referenda à Nathan Dauidi, & præteritum, *annunciauit*, vel refertur ad tempus Samuëlis, per quem Deus supradicta annunciare cœpit Dauidi: vel, quia tempore relationis iam præterierat annunciationis reuelatio facta ipsi Nathan.

Quod ædificaturus sit tibi Dominus domum.] Parui refert, quod Hebraicè habetur: *Et domum ædificabit tibi Iehouah.* De seipso loquitur Deus in tertia persona. Et appellatione, *domus*, intelligitur successio filiorum in regno: progenies enim regia ex eo futura, appellatur domus, vt subiuncta manifestant.

Domus *significat successionem.*

Vers. 11. *Cumque impleueris dies tuos, vt vadas cum patribus tuis, suscitabo.*] Hebraicè habetur: *Et faciam surgere.* vel, *& leuabo.*

Semen tuum post te, quod erit de filiis tuis.] Promittit Deus post mortem Dauidis eleuaturum se semen ipsius Dauidis.

Et stabiliam.] Hebraicè habetur: *Et dirigam regnum eius.* quod plus est quàm stabilire. Idémque repetitur subiungendo:

Dirigere *plus est quàm stabilire.*

Ipse ædificabit mihi domum: & firmabo.] habetur enim, *& dirigam solium eius vsque in sæculum.* quod comprehendit, & firmare, & alia facere opportuna ad regnum, & regium.

Vers. 12.

Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: & misericordiam (Hebraicè habetur, *& gratiam meam*) *non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo, qui fuit ante te.*

Vers. 13.

Et statuam eum in domo mea, & in regno meo vsque in sæculum: & thronus eius erit firmissimus.] Hebraicè habetur: *Erit directus vsque in sæculum.* Vide horum omnium expositionem in 7. cap. 2. lib. Reg. vbi etiam exposuimus subiunctam orationem Dauidis: & propterea corrigenda duntaxat est litera: & si quid noui est, exponendum.

Vers. 14.

2. Reg. 7.

Iuxta omnia verba hæc, & iuxta vniuersam visionem istam, sic locutus est Nathan ad Dauid.

Vers. 15.

Venit autem Rex Dauid, & sedit coram Domino, & ait: Quis ego sum, Domine Deus, & quæ est domus mea, vt præstares mihi talia?] Iuxta Hebræum habetur: *Quia fecisti me venire vsque huc?* Agnitio est beneficij eleuationis talis, ac tantæ; vtpote in Regem super vniuersum Israël.

Vers. 16.

Et parum fuit hoc in oculis tuis, Deus, & locutus es super domum serui tui etiam in futurum.] Hebraicè habetur, *in longinquum.* successio enim longa futura significatur.

Vers. 17.

Et fecisti me spectabilem super omnes homines, Domine Deus meus.] Hebraicè habetur: *Et monstrasti me in ordine homini excellentium Iehouah Elohim.* Ordo literæ est: Tu Iehouah Elohim monstrasti me excellentiam in ordine hominis, hoc est, in ordine hominum. Magnitudo autem excellentiæ significatur per nomen abstractum: nam agnouit beneficium, quo collatus est, ac mundo ostensus glorioſus in ordine hominum electorum ad excellentem gradum: quales sunt Principes, regno, fortitudine & diuitiis florentes.

Per nomen abstractum significatur magnitudo excellentiæ Dauidis.

Quid vltrà addere potest Dauid? cùm ita glorificaueris seruum tuum, & cognoueris eum.] Hebraicè habetur: *Quid addet vltrà Dauid ad te, ad honorem, ad seruum tuum? & tu seruum tuum nosti.* Et est sensus: Quid ampliùs petet Dauid à te, siue ad honorem, siue ad personam serui tui spectet? omnia enim contulisti, & nihil superest petendum. Quod autem adiungitur; *& tu seruum tuũ nosti.* exinanitio est propriorum meritorum coram Deo.

Vers. 18.

Dauidis exinanitio coram Deo.

Domine, propter famulum tuum iuxta cor tuum fecisti omnem magnificentiam hanc, & nota esse voluisti vniuersa magnalia.] Iuxta Hebræum legendum est: *Iehouah propter seruum tuum, & ſicus cor tuum fecisti omnem magnitudinem istam, ad notificandum omnia magnalia.* Cùm autem subditur:

Vers. 19.

Domine, non est similis tui, & non est alius Deus absque te, ex omnibus, quos audiuimus.] Hebraicè habetur: *Iehouah non ſicus tu, & non Elohim præter te: ſicus omne, quod audiuimus auribus nostris.* subaudi, testatur.

Vers. 20.

Vers. 21. *Et quæ est sicut populus tuus Israel, gens una in terra? ad quem perrexit Deus.*] Nomen est *Elohim.*

Vt liberaret, & faceret populum sibi.] Hebraicè habetur, *Ad redimendum sibi populum.* Et immediatè sequitur:

Ad ponendum tibi nomen magnitudines, & terrores, ad expellendum à facie populi tui, quem redemisti ex Ægypto gentes.] Collectio est beneficiorum à redemptione populi ex Ægypto vsque ad introductum populum in terram promissionis.

Vers. 22. *Et posuisti populum tuum Israel tibi in populum vsque in sæculum: & tu, Domine, factus es Deus eius.*] Hebraicè habetur: *Et tu Iehouah fuisti eis in Elohim.* Sæpè hoc est expositum.

Vers. 23. *Nunc igitur, Domine, sermo, quem locutus es famulo tuo.*] Deficit vna dictio: legendum est: *Locutus es super seruum tuum, & super domum eius.* Non sibi, sed de se locutum Deum dicit.

Firmetur vsque in sæculum: & fac, sicut locutus es.

Vers. 24. *Permanetque, & magnificetur nomen tuum vsque in sæculum: & dicatur; Dominus exercituum, Deus Israel.*] Deficiunt in hac clausula duæ dictiones: legendum est: *Iehouah exercituum, Elohi Israelis. Elohim Israelis.* Primus titulus spectat ad creationem vniuersi, dum dicitur fons essendi, à quo sunt vniuersi exercitus cælorum, & terræ, iuxta scripta in principio Geneseos à Mose. Secundus titulus ad speciale regimen diuinum Israëlis pertinet: plena siquidem est Scriptura huiusmodi specialis gubernationis. Tertius autem ad cultum debitum iugiter à populo Israel summo Deo tanquam speciali gubernatori ipsius, spectat. Supplicat siquidem Dauid, vt iugiter grandescat diuinum nomen confitendo hæc tria: quibus adiungit quartum spectans ad domum propriam, vt cùm prædictis tribus etiam hoc quartum perseueret.

Tria Dei nomina ad quid spectet.

Et domus Dauid serui eius permanens coram eo.] Hebraicè habetur: *Et domus Dauid serui tui directa in facie tua.* pronomina enim mutauit Interpres.

Vers. 25. *Tu enim, Deus meus, reuelasti aurem serui tui, vt ædificares ei domum: idcircò inuenit seruus tuus fiduciam, vt oraret coram te.*

Vers. 26. *Nunc ergo, Domine, tu es Deus.*] Hebraicè habetur: *Tu ipse Elohim.* iudicans & gubernans omnia.

Vers. 27. *Et locutus es ad seruum tuum tanta beneficia.*] Hebraicè habetur: *Et locutus es super seruum tuum bonum istud.* Deinde immediatè sequitur:

Et nunc voluisti ad benedicendum domui serui tui, vt sit in sæculum coram te.] Agnitio est primæ radicis beneficiorum; voluntatis, scilicet, diuinæ, cui placuit reuelare futuram benedictionem domus Dauidis, ad hoc, vt semper sit coram Deo; hoc est, regnans.

Te enim, Domine, benedicente benedicta erit.] Hebraicè habetur: *Quia tu Iehouah benedixisti, & benedicta in sæculum.* Affirmatio est efficaciæ diuinæ benedictionis: quòd ex quo Deus benedixit domui suæ, sequetur effectus, videlicet, quòd erit benedicta in sempiternum. Reliqua vide ibi suprà.

CAPVT XVIII.

Vers. 1. VIT autem post hæc, & percussit David Philistæum, & humiliauit eos: tulitque Gheth, & filias eius de manu Philistæi.

Vers. 2. *Percussitque Moab: & fuerunt Moabitæ serui Dauidi portatores muneris.*

Vers. 3. *Et percussit Dauid Hadar-hezer, Regem Zoba, regionis Emath.*] Iuxta Hebræum habetur, *ad Chamath.* Et est nomen proprium loci, in quo commissum est prælium cum exercitu Regis Zobæ.

Chamath, nomen loci.

Quando perrexit, vt dilataret imperium suum vsque ad flumen Euphratem.] Hebraice habetur: *Ad faciendum stare manum suam in flumine Euphratis.* Promissum fuerat à Deo per Mosem, quod regnum Israëlis ad Euphratem vsque extenderetur: & propterea Dauid operam dedit, vt manus regni sui statueretur in Euphrate. Scriptum est enim hoc ad manifestandum, quòd adimpleta fuit Dauidis tempore diuina hæc promissio.

Manus Dauid quomodo dicitur stare in Euphrate.

Vers. 4. *Cepitque Dauid ab eo mille currus, & septem millia equitum, & viginti millia virorum peditum: & subneruauit Dauid omnem currum, & reliquit ex eo centum currus.*

Vers. 5. *Venit autem Syrus Damascenus, vt auxilium præberet Hadar-hezer Regi Zobæ: & percussit Dauid de Syris viginti duo millia virorum.*

Vers. 6. *Et posuit Dauid præsides in Damasco, & fuerunt Syri Dauidi serui portatores muneris: seruauitque Dominus Dauidem in omnibus, ad quæ perrexit.*

Vers. 7. *Tulit quoque Dauid pharetras aureas.*] Hebr. habetur, *clypeos aureos, qui erant super seruos Hadar-hezer: & attulit eos in Ierusalaim.*

Vers. 8. *Et de Tibchath, & de Chun ciuitatibus Hadarhezer tulit Dauid as multum valdè: ex quo fecit Salomon mare æreum, & columnas, & vasa anea.*

Vers. 9. *Audiuit autem Thohu Rex Chamath, quòd percussisset Dauid omnem exercitum Hadar-hezer Regis Zobæ.*

Vers. 10. *Et misit Hadoram, filium suum, ad Regem Dauid, ad petendum sibi pacem, & ad benedicendum ei, eò quòd pugnasset cum Hadar-hezer, & percussisset eum: quia vir belli Thohu fuit: cum Hadar-hezer:*

Vers. 11. *Et omnia vasa aurea, & argentea, & anea. Etiã ea sanctificauit Rex Dauid Domino, cum argento, & auro, quod tulerat ex vniuersis gentibus: de Edom, & Moab, & de filiis Hammon, & de Philisthim, & de Hamalec.*

Vers. 12. *Abisai autem filius Zeruiæ percussit Edom in valle salis, decem & octo millia.*] Tanquam duci exercitus illius, qui pugnauit, attribuitur Abisai hæc victoria, quæ Dauidi Regi, vt summo capiti totius exercitus attribuitur 2. Reg. 8.

Victoria vna duci & Regi attribuitur, quomodo. 2. Reg. 8.

Vers. 13. *Et constituit in Edom præsidium.*] Parui refert, quòd Hebr. habetur: *Præfectos, & fuerunt omnes Idumæi serui Dauidis.* Quoniam & Præfecti in Idumæa constituti sunt, & militare præsidium ad seruandum eam, ne deficeret à regno Dauidis.

Seruauitque Dominus Dauidem in omnibus, ad quæ perrexit.

Vers. 14. *Regnauitque Dauid super totum Israel: faciebatque iudicium, & iustitiam tot populo suo.*

Vers. 15. *Porro Ioab, filius Zeruiæ, erat super exercitum:* &

A commentariis, *apud Hebræos* recordator, *quis.*

& Iehoſaphat, filius Achilud, à commentariis.] Pluries diximus quòd Hebraicè habetur, *recordator*, vel rerum geſtarum redigendo in Annales, vel petitionum oblatarum Regi.

Verſ. 16. *Zadoc autem filius Achitub, & Abimelech, filius Eb-iathar Sacerdotes: & Sau-ſa ſcriba.*

Verſ. 17. Primi ad manum Regis, *quid ſignificet.* *Et Bena-iahu, filius Ieho-iadah, ſuper Cherethæos, & Pelethæos: & filij Dauid primi ad manum Regis.*] Primi quoad ea, quæ ſunt honoris: ad manum autem Regis quoad officia: ad differentiam ſiquidem aliorum, quorum officia certa erant, narrantur filij Regis abſque certo officio ad manum Regis; hoc eſt, ad opera regia.

CAPVT XIX.

Verſ. 1. Poſt ſic, *dictio ad quid referatur.* ACCIDIT *autem, vt mortetur.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit poſt ſic, & mortuus eſt Nachas, Rex filiorum Hammon.* Non parua eſt quæſtio, ad quid referatur, *poſt ſic*: quia certum eſt, non poſſe referri ad narrata bella in præcedenti capitulo: nam mors iſtius Regis præceſſit ignominiam illatam Legatis Dauid, quæ fuit cauſa prænarratorum bellorum: conducti enim ab Hammonitis Reges venerunt contra Dauidem. Solutio eſt, vel quòd *poſt ſic* refert ſubiuncta: & eſt ſenſus: Et fuit prænarratum bellum poſt ſic geſta, quæ ſubiunguntur: priùs enim narrauit Author bellũ cum Syriũ, & modò ſubiungit cauſam belli: & propterea quadrat, vt verbum, *fuit*, referatur ad narratũ bellum, & *poſt ſic* referatur ad ſubiunctam cauſam belli. Vel ad immediatè præcedentia (videlicet, ordinatum, quietúmque Dauidis regnum) refertur: *Et fuit poſt ſic.* Nam, vt in ſecundi Regum cap. 7. dicitur, poſt adeptam quietem ab inimicis in circumitu, Dauid accepit à Deo per Nathan reuelationem de regno domus ſuæ, & templo ædificando à filio: & poſt hæc ſuperuenit mors Nahas, Regis Hammon, quæ hic ſubiungitur:

3. Reg. 7.

Et regnauit filius eius pro eo. Dixitque Dauid: Faciam miſericordiam.] Hebraicè habetur, *gratiam.* quæ magis quadrat actioni conſolatoriæ.

Verſ. 2. *Cum Chanum filio Nachas; quia fecit pater eius mecum gratiam.*] Hæc hiſtoria ſumpta eſt ex decimo cap. 2. Reg.

2. Reg. 10. *Et miſit Dauid nuncios ad conſolandum eum ſuper morte patris eius: veneruntque ſerui Dauid in terram filiorum Hammon ad Chanum, vt conſolarentur eum.*

Verſ. 3. *Et dixerunt Principes filiorum Hammon ad Chanum: An honorat Dauid patrem tuum in oculis tuis, quod miſit ad te conſolatores? nónne ad inueſtigandum, & euertendum, & explorandum terram venerunt ſerui eius ad te?*

Verſ. 4. *Idèo Chanun pueros Dauid decaluauit, & raſit.*] Superfluit, *decalauit*: legendum eſt: *Tuliſque Chanun pueros Dauid, & raſit eos, & præcidit tunicas eorum à natibus vſque ad pedes.* Senſus rectè redditur: quanuis verba alia ſint Hebraicè.

In medio vſque ad pudenda.] Interpres enim expoſuit præciſionem factam abſcindendo partes inferiores veſtis.

Et dimiſit eos.

Abieruntque, & nunciauerunt Dauidi per viros: Verſ. 5. *& miſit in occurſum eorum: grandem enim contumeliam ſuſtinuerant.*] Hebraicè habetur: *Quia fuerunt viri ignominia affecti valdè.* propterea enim miſit Dauid ad conſolandum eos.

Et dixit Rex: Manete in Iericho, donec creſcat barba veſtra, & reuertemini.

Viderunt autem filij Hammon, quòd iniuriam fe- Verſ. 6. *ciſſent Dauidi.*] Hebr. habetur, *quòd eos faſtidiuit Dauid.* hoc eſt, quòd ipſi faſtidio habuiſſent Dauidem abominantes illius legatos.

Et miſit Chanun, & filij Hammon mille talenta argenti.] Vt intelligamus in culpa fuiſſe ad mouendum bellum contra Dauidem, non ſolùm Regem; ſed etiam populum: ita quòd duo mala fecerunt; primum ignominiæ: & deinde belli.

Et conduxerent ſibi de Meſopotamia.] Hebraicè habetur: *De Aram fluuiorum.* Et immediatè ſubditur: *Et de Aram Mahacha, & de Zoba curruſ, & equites.*

Et conduxerunt ſibi triginta duo millia curruum, Verſ. 7. *& Regem Mahachæ, & populum eius.*] Non mireris, ſi numerus maior hîc ſcribitur, quàm in libro Regum: quoniam ſæpè in ſacra contingit Scriptura, vt quod vnus liber tacet, alter ſuppleat. *Quod vnus liber tacet, alter ſupplet in Scriptura.*

Et venerunt, & caſtrametati ſunt ante Medbam.] Medbam, nomen propriũ. Nomen proprium eſt loci: reliqua huius hiſtoriæ expoſita ſunt in decimo capite ſecundi Reg. 2. Reg. 10.

Filiique Hammon congregati ſunt de ciuitatibus ſuis, & venerunt ad bellum.

Audiuit autem Dauid: & miſit Ioab, & totum Verſ. 8. *exercitum fortium.*

Egreſſique ſunt filij Hammon, & diſpoſuerunt Verſ. 9. *prælium ad introitum ciuitatis: & Reges, qui venerant, ſeorſum erant in agro.*

Vidítque Ioab, quòd præparatum eſſet contra ſe Verſ. 10. *prælium antè, & retrò: & elegit ex omnibus electis Iſrael, & direxit aciem in occurſum Syrorum.*

Reliquam autem partem populi dedit in manu Verſ. 11. *Abiſai, fratris ſui: & direxerunt aciem in occurſum filiorum Hammon.*

Dixítque: Si fortiores me fuerint Syri, eris mihi Verſ. 12. *in ſalutem: & ſi filij Hammon fuerint fortiores te, auxiliabor tibi.*

Roborare, & roboremur pro populo noſtro, & pro Verſ. 13. *ciuitatibus Dei noſtri: & Dominus, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.*

Appropinquauítque Ioab, & populus, qui erat Verſ. 14. *cum eo contra Syros ad prælium: & fugerunt à facie eius.*

Filij autem Hammon viderunt, quòd fugiſſent Verſ. 15. *Syri, & fugerunt etiam ipſi à facie Abiſai fratris eius, & ingreſſi ſunt ciuitatem: & venit Ioab in Ieruſalaim.*

Viderunt autem Syri, quòd cecidiſſent coram If- Verſ. 16. *raël, & miſerunt nuncios, & eduxerunt Syros.*] Hebr. habetur: *Aram, qui trans flumen.* Et eſt ſermo de flumine Euphratis. Hadarhezer enim Syrus miſit ad conducendum viros ex Meſopotamia.

Et Sophac Princeps exercitus Hadar-hezer erat dux eorum.

Nunciatúmque eſt Dauidi, & congregauit to- Verſ. 17. *tum Iſraelem, & tranſuit Iarden, & venit ad eos: direxítque Dauid in occurſum Syrorum prælium, & pugnauerunt cum eo.*

Vers. 19. *Et fugerunt Syri à facie Israëlis: occiditque Dauid de Syris septem millia currũ, & quadraginta millia virorũ peditũ: & Sophach Principẽ exercitus interfecit.*

Viderunt autem serui Hadarhezer, quòd cecidissent coram Israele, transfugerúntque ad Dauid.] Hebraicè habetur: *Et pacem fecerunt cum Dauid, & seruierunt ei, & non voluit Aram auxiliari filiis Hammon vltrà.* Qui olim seruierant, vt tributarij, Hadarhezer, post plenam victoriam Dauidis pace facta cum Dauide effecti sunt tributarij Dauidis, recedentes à societate Hammonitarum.

CAPVT XX.

Vers. 1. *Factum est in reuersione anni, tempore, quo egrediũtur Reges, duxit Ioab robur exercitus, & vastauit terram filiorũ Hãmon, perrexítque, & obsedit Rabbã, & Dauid manebat in Ierusalem: percussítque Ioab Rabbã, & destruxit eam.*] Ex 11. & 12. secundi Regũ sumpta est hæc historia: & omittitur, quòd cùm capiẽda esset interna ciuitas, Ioab inuitauit Dauidem, vt veniret ad exercitum, vt triũpharet victor. Verificatur itaque mansio Dauidis in Ierusalem, destruente Ioab ciuitatem: sed tacetur subsecutus aduentus Dauidis ad postremum actum victoriæ.

2. Reg. 11. & 12.

Vers. 2. *Tulit autem Dauid coronam Malcham de capite eius.*] Dictionem Hebraicam reliquerunt: cùm facilis esset interpretatio Malchã, hoc est, Regis eorũ.

Et inuenit eam ponderis talenti auri, & in ea erat lapis pretiosus, fecitque sibi inde diadema.] Hebraicè habetur: *Et fuit super caput Dauidis.* Hinc apparet, quòd verè corona Regis filiorum Hãmon erat illa: alioqui nõ vsus fuisset illa Dauid in proprio capite.

Et pradam ciuitatis extraxit multam valdè.

Vers. 3. *Populúmque, qui erat in ea, extraxit, & fecit super eos tribulas, & trabas, & ferrata carpenta transire, ita vt dissecarentur, & contererentur.*] Ista clausula tormentorum iuxta Hebr. habetur breuissimè: *Et seruauit serr-, & in cuspidibus ferri, & in securibus.* hæc tamen tractauimus in libro Regum.

Sic fecit Dauid omnibus ciuitatibus filiorũ Hammõ: & reuersus est Dauid, & totus populus in Ierusalem.

Vers. 4. *Post hæc autem initum est bellum in Gbezer cum Philistbæis.*] Ex secundi Reg. cap. 21. sumpta sunt subiuncta tria bella: ibidem tamen referuntur quatuor: nam primum hic tacetur.

2. Reg. 21.

Tunc percussit Sobbechai Chusatæus Sippai de filiis Rephaim, & humiliati sunt.

Vers. 5. *Et fuit adhuc bellum cũ Philisthim: in quo percussit Adeodatus filius saltus Bethlehemites.*] Hebraicè habetur: *Et percussit Elchanan, filius Iahir Lachmi.* similiter enim erratum est in libro Regum circa hæc nomina. Et scito, quòd Lachmi ciuem vrbis, quam dicimus Bethlehem, significat.

Lachmi ciuis Bethlehem.

Fratrẽ Gholiath Gbitthæi.] At si legas Gethæum, sententia in idem redit: frater enim illius Gholiath, quẽ olim interfecerat Dauid adolescés, significatur.

Et lignum lanceæ eius erat, sicut liciatorium textorũ.

Fuitque adhuc bellum in Gbath: in quo fuit vir mensuræ, & digiti eius sex & sex, viginti quatuor, & etiam erat de genere Raphæ.

Vers. 6.

Vers. 7. *Hic blasphemauit Israel.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et vituperauit Israël.* verbis enim ad vituperium spectantibus vsus fuerat.

Et percussit eum Ionathan, filius Simeæ, fratris Dauidis.

Isti nati sunt Raphæ in Gbath. Semen gigantẽum significatur.

Qui ceciderunt.] Hebraicè habetur: *Et ceciderunt in manu Dauidis, & in manu seruorum eius.*] Non enim arctatur casus ad istos tres gigantes prænominatos: sed post narratos istos tres natos in Geth, subiungitur, quòd gigantes Geth occisi sunt à Dauide & seruis eius: extenditur enim sermo. Et Dauid duos interfecit; videlicet, Gholiath in duello, & Isbibenob, qui hîc tacetur: tres autem istos interfecerunt serui Dauidis.

CAPVT XXI.

Vers. 1. *Consvrrexit autem Satan contra Israël.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et stetit Satan super Israël: & incitauit Dauidem ad numerandum Israelem.* In vltimo capitulo secũdi libri Regum (in quo hęc eadem historia tractatur) incitatus dicitur Dauid ad numerandum populũ, à furore Dei; hîc autem incitatus dicitur à Satan; hoc est, ab aduersario, proculdubiò Dæmone. Et vtrunque est verum: quia Dæmon animo & volũtate inducendi Dauidem ad peccandum incitauit Dauidem stans firmus ad prævalendum: furor autem diuinus incitauit permissiuè quidem quoad malum culpæ, faciendo autem quoad malum pœnæ.

2. Reg. vlt.

Dauid incitatus est ad numerãdum populum, & à furore Dei & à Satan.

Vers. 2. *Dixítque Dauid ad Ioab, & ad Principes populi: Ite, numerate Israël à Beersebah vsque Dan, & afferte ad me, & sciam numerum eorum.*] Ecce vanitas: hinc enim apparet inanis gloriæ peccatum, sine vllo rationabili fine numerare populum.

Deus permittit malum culpæ; facit autem malum pœnæ.

Vers. 3. *Respondítque Ioab: Addat Dominus super populũ suum, sicut est centum vicibus: Nónne, Domine mi Rex, omnes ipsi Domino meo sunt serui? Quare quærit hoc dominus meus, quòd in peccatum reputetur Israëli?*] quoad pœnam, non quoad culpam. Et verum dixit, vt euentus probauit.

Sermo autem Regis prævaluit super Ioab.] Ecce effectus stantis Satan. Vers. 4.

Egressúsque est Ioab, & iuit per totum Israël, & reuersus est in Ierusalem.

Vers. 5. *Deditque Ioab numerum descripti populi Dauidi: & fuit totus Israël mille millia, & centum millia virorum educentium gladium, & Iehuda quadringenta, & septuaginta millia virorum educentium gladium.*] Dissonantiæ duæ inter hanc literam, & capitulum vltimum secundi Regũ tractandæ sunt: nã ibidem numerus Israël octingẽta millia; hic autẽ lõgè maior numerus scribitur: numerus verò Iudæ ibi maior (videlicet, quingenta millia,) hîc minor, scilicet, quadringenta, & septuaginta millia scribitur. Solutio est, quòd facilè verificatur vtraque litera: nam quod alter tacet, alter suppler: & qui maiorẽ numerum ponit, minorem includit: & qui minorem scribit, non negat maiorem. Diuersa autem narratio numeri nata fuit ex eo, quòd bis relatio numeri facta fortè fuit, & à diuersis scribis: quod ideò credi potest, quia Ioab inuitus obediebat in hoc.

Dissonantia duorum locorum Scripturæ concordatur.

Vers. 6. *Leui autem, & Bin-iamin non numerauit inter eos: quia exosum fuit verbum Regis Ioabi.*

Vers. 7. *Displicuit autẽ Deo, quod iussũ erat.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et displicuit in oculis Elohim super rem istã: & percussit Israelẽ* Narrat Author priùs factum; & deinde modũ, quo Deus fecit: narrat priùs malum culpæ displicuisse summo Iudici, & iustitiam subsecutã simul cũ pœnitudine Dauidis.

Vers. 8. *Dixitque Dauid ad eum.* Legendum est, *ad Elohim.* Agnouit peccatũ suum coram summo Iudice.

Peccaui nimis, vt hoc facerem.] Hebraicè habetur: *Peccaui valdè, qui feci rem hanc.* Et immediate sequitur:

Et nunc fac transire, obsecro, iniquitatem serui tui: quia insaniui valdè.] Vanitatem affectus sui insaniã appellat magnam, quia verè aliena est à sano sensu.

Vanitas, insania appellatur.

Vers. 9. *Et locutus est Dominus ad Ghad Videntem Dauidis*

uidis dicēdo.]Fides Dauidis in visionibus Ghad describitur: ex eo enim, quòd Dauid adhibebat fidem visionibus Ghad Prophetæ, appellatur Ghad Videns Dauidis: & propterea Deus suauiter omnia disponens, illum misit ad Dauidem.

Vers. 10. *Vade, & loquere ad Dauid dicendo: Sic dixit Dominus: Trium tibi optionem do: elige tibi vnum ex his, & faciam tibi.*

Vers. 11. *Venitque Ghad ad Dauid, & dixit ei: Sic dixit Dominus: Elige quod volueris.*] Hebraicè habetur: *Recipe tibi.* sed sensus in idem redit.

Vers. 12. *Aut tribus annis pestilentiam.*]Corrupta est litera: legendū est, *famē.* penuriā, videlicet, alimentorum.

Aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, & gladium eorum non posse euadere.]Iuxta Hebr. habetur: *Aut tribus mensibus deficere à facie inimicorum tuorum, & gladium inimicorum tuorum attingentem.* Proponitur non solùm imparem esse hostibus; sed etiam attingi à gladio hostium: quod est vexari hostili gladio.

Aut tribus diebus gladiū Domini, & pestilentiā in terra, & Angelū Domini destruētem in omnis termino Israël: Nūc igitur vide, quid respōdeā ei, qui misit me.

Vers. 13. *Et dixit Dauid ad Ghad: Angustia est mihi valdè. Incidam, quaso, in manum Domini, (quia multæ valdè sunt miserationes eius,) & in manū hominū ne incidā.*

Vers. 14. *Misit ergo Dominus pestilentiam in Israël: & ceciderunt de Israël septuaginta millia virorum.*

Vers. 15. *Misit quoque Angelum in Ierusalem, vt perderet eam.*] Legendum est: *Et misit Elohim Angelum in Ierusalaim ad destruendum eam.* Visibili signo monstrauit iustitiam suam Deus supra Ierusalem Dauidi, & aliis, vt indubiè crederent, diuinam esse animaduersionem cladem illam.

Cúmque percuteretur, vidit Dominus, & misertus est super magnitudinem mali: & imperauit Angelo, qui percutiebat: Sufficit, iam cesset manus tua.] Hebraicè habetur: *Et destruente vidit Iehouah, & pœnituit super malum: & dixit Angelo destruenti: Multum, nunc contine manum tuam.* Et est sensus, quòd destruente Angelo Ierusalem, vidit Deus oculis gratiæ, & instar pœnitentis tanti mali, mandauit Angelo, vt desineret percutere. Sed aduerte, quòd more solito priùs narratur res gesta, & deinde modus, quo res est gesta: priùs narratur, quòd Deus mandauit Angelo, vt desineret occidere, & deinde narratur modus medius, qui prior fuit; videlicet, quòd fuit visus Angelus, quòd intercesserunt preces Dauidis, &c. *Porro Angelus Domini stabat iuxta aream Ornan Iebusæi.*

Præposterè ordine narrat gesta Scriptura.

Vers. 16. *Leuauitque Dauid oculos suos, & vidit Angelum Domini stantem inter terram, & cælum, & gladium eius euaginatum in manu eius extensum super Ierusalaim: cecidítque Dauid, & seniores operti saccis super facies suas.*]Hinc apparet, quòd Dauid, & sui pœnitentialem luctum assumpserant auditis verbis Ghad Prophetæ, & induerunt se saccis iuxta morem illius temporis.

Vers. 17. *Dixítque Dauid ad Deum.*]Nomen est Elohim.

Nónne ego dixi, vt numeraretur populus? ego qui peccaui, ego qui malum feci.] Hebraice habetur, & *malefaciendo feci malum.* Exaggeratio est.

Isti autem, qui oues sunt, quid fecerunt? Domine Deus meus, sit, quæso, manus tua in me, & in domum patris mei, & in populum tuum non sit plaga.

Vers. 18. *Angelus autem Domini præcepit Ghad, vt diceret Dauidi, vt ascenderet Dauid ad erigendum altare Domino in area Ornan Iebusæi.*] Vtrobique est nomen *Iehouah.* Authoritas diuina manifestatur ad constituendum altare in area illa, sine qua non præsumpsisset Dauid erigere ibi altare.

Altare non erexisset Dauid absque authoritate diuina.

Vers. 19. *Ascenditque Dauid iuxta verbum Ghad, quod locutus fuerat in nomine Domini.*

Porro Ornan, cùm aspexisset, & vidisset Angelum.] Vers. 20. Hebraicè habetur: *Et reuersus est Ornan, & vidit Angelum, & quatuor filij eius cum eo.* Absens significatur Ornan dicendo: *Et reuersus est.* ita quòd cùm reuersus præsens esset in area triturans granum, vidit Angelum, non solus, sed cum quatuor filiis.

Absconderunt se: & Ornan triturabat granum.]timentes Angelum gladium habentem euaginatum, ex area ingressi sunt tentorium.

Venit autem Dauid ad Ornan: respexítque Ornan, & vidit Dauidem, & processit ei obuiam de area.] Vers. 21. Legendum est: *Et exiuit de area.* hoc est, de loco areæ, in quo se occultauerat.

Et adorauit Dauidem facie sua in terram.

Dixitq; Dauid ad Ornā: Da mihi locū areæ, & ædificabo in eo altare Domino; argento pleno da eum mihi, & cessabit plaga à populo.]Hinc clarè apparet, quòd adhuc non desierat Angelus percutere populum. Vers. 22.

Dixit autem Ornan ad Dauid: Tolle tibi, & faciat dominus meus Rex, quod bonum est in oculis suis: vide, do boues in holocausta, & tribulas in ligna.] Instrumenta trituræ offert pro lignis. Vers. 23.

Et triticum in sacrificium.] Hebraïcè habetur, & *granum in munus.* Loco similæ offert granum torrendum in munus Dei.

Omnia do.

Dixítque Rex Dauid ad Ornan: Non, sed argentum dabo tibi, quantum valet: quia non leuabo, quod est tuum Domino, offerendo holocausta gratuita.] Intendebat enim Dauid aream illam deinceps fore locum sacrum: & propterea emit illam, vt non alienum, sed proprium solum dicaret Deo. Vers. 24.

Dedítque Dauid Ornan pro loco siclos aureos ponderis sexcentos.] In libro Regum scribitur, *pretium boum, & rerum;* hîc autem *pretium loci.* Vers. 25.

Et ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocausta & pacifica.] Simul narrantur holocausta, & pacifica: sed non simul fuerunt oblata: sed holocausta tunc; pacifica autem post diuinum ignem, vt subiungitur: *Clamauítque ad Dominum, & exaudiuit eum in igne de cælo.*] Hebraicè habetur, & *respondit ei in igne è cælis super altare holocausti.* Et est primum sacrificium, ad quod de cælis descendit ignis: nam neque Leuit. 9. in primo sacrificio Aharon ignis de cælis, sed egressus à Domino, neque Iudic. 6. tempore Gedeonis ignis de cælo, sed de petra ascendit: & simile quid accidit tempore Manuæ Iudic. 13. reseruatum siquidem est hoc demonstrationi loci in quo ædificandum erat templum. Significātèr autē dicitur holocausti, vt intelligamus, non fuisse tunc oblatū nisi holocaustum. Vers. 26.

Primum sacrificium, ad quod ignis de cælo descendit.

Leuit. 9
Iudic. 6.
Iudic. 13.

Præcepítque Dominus Angelo.] Tunc secundùm ordinem rei gestæ cessauit pestis: superiùs enim (vt dictum est) ad seruandum stylum hoc prænarratum est; sed modò texitur historia: vnde & effectus subiungitur: Vers. 27.

Et conuertit gladium suum in vaginam suam.

Protinus ergo Dauid videns, quòd exaudisset eum Dominus in area Ornan Iebusæi, immolauit ibi victimas.]Ecce sacrificia pacifica. Vers. 28.

Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moses in deserto, & altare holocausti, in tempore illo erant in excelso in Ghibhon.] In cap. 16. dictum est de hoc. Vers. 29.

Et non potuit Dauid ire in faciem eius ad consulendum Deum.]Duæ rationes redduntur, quare Dauid post holocaustum in area oblatum sacrificauerit ibidem: altera ex fiducia in Deo demonstrante locum illum placere sibi pro sacrificiis: altera ex imbecillitate ipsius Dauidis contracta ex visione percutientis Angeli, qua detinebatur, ne posset ire ad excelsum Ghabaon ad requirendum Elohim. Vers. 30.

Nimio enim fuerat timore perterritus videns gladium Angeli Domini.] Non tam ad excusandum Dauidem, quàm ad manifestandum punitionem ipsius scribitur, quòd tam perterritus fuit videndo percussorem Angelum, vt redditus fuerit impotens ad eundum ad altare Dei, quod erat in excelso Ghabaon: vt hinc intelligamus, non paruam ægritudinem contraxisse inde Dauidem.

CAPVT XXII.

Vers. 1. DIXITQVE *Dauid.*] Non solùm intellexit, sed etiam manifestauit alijs.

In eodem loco, in quo Dauid ædificauit altare, Isaac oblatus fuerat, & Iacob viderat Angelos ascendentes, & descendentes.

Hæc est domus Dei.] Hebraicè habetur: *Hæc ipsa domus Iehouah Elohim.* Tam ad præterita, quàm ad futura refertur hoc dictum: area enim antedicta demonstratur per pronomen, *hæc*: quæ in monte Moriah (vt in tertio capitulo secundi libri subiungitur) est: ipsa est, in qua oblatus fuerat olim Isaac. Et ex eo, quòd dicitur, *ipsa domus Iehouah Elohim*, creditur, quòd ipsa sit appellata à Iacob. *domus Dei*, videndo ibidem Angelos ascendentes, & descendentes: futura autem ibidem domus Dei manifestatur.

Et hoc altare in holocaustum Israëli.] Non fit demonstratio personalis, sed simplex, hoc est, non demonstratur illud altare ab eo ædificatum; sed altare ibidem successurum illi, cùm ædificatum fuerit templum: ita quòd non templum duntaxat, sed etiam altare pro holocausto ibidem electum à Deo manifestat. Et ob hanc causam finalem misit Deus Angelum super illam aream, misit ignem de cælo super holocaustum ibidem, & mandauit, vt cessaret clades: hæc enim omnia ordinata sunt ad demonstrandum Dauidi locum electum à Deo pro templo.

Vers. 2. *Et præcepit, vt congregarentur omnes proselyti de terra Israel.*] Hebraicè habetur: *Et dixit Dauid ad congregandum peregrinos, qui in terra Israël.* An peregrini isti essent proselyti, nihil scribitur: nec habetur Hebraice præceptum aliquod: sed quod Dauid dixit, vt congregarentur peregrini.

Et constituit latomos ad cædendos lapides, & poliendos.] Hebraicè habetur: *Ad cædendum lapides dolatos.* peregrinos enim peritos in huiusmodi arte fuisse, testatur indigentia artificum externorum ad ædificandum domum Dauidis suprascripta.

Ad ædificandum domum Dei.] Nomen est *Elohim.*

Vers. 3. *Ferrum quoque plurimum ad clauos ianuarum.*] Hebraicè habetur, *ad ostia portarum, & ad commissuras præparauit Dauid.* tria enim scribuntur, videlicet, ad clauos, ad ostia, & ad commissuras. Quod autem in vulgata editione additur:

Atque iuncturas.] non habetur in Hebræo.

Et æris pondus innumerabile.] Hebraice habetur, *& æs in multitudine sine pondere.* tanta enim erat quantitas, vt non ponderaretur.

Vers. 4. *Et ligna cedrina non poterant æstimari.*] Hebraicè habetur, *absque numero.* hoc est, quòd tanta erat multitudo, vt non numerarentur.

Quia attulerunt Zidonij, & Tyrij ligna cedrina in multitudine Dauidi.

Vers. 5. *Et dixit Dauid: Salomo filius meus puer paruulus est & delicatus.*] Hebraicè habetur, *puer, & tener.* Sed pueri nomen apud Hebræos frequenti vsu extenditur ad adolescentes, etiam post ætatem idoneam ad bellum. Nescitur enim ætas Salomonis tempore mortis Dauidis: tempus tamen regni manifestat, quòd iuuenis erat, non puer: & propterea Dauid adolescentiam Salomonis inter causas supputat inducentes ipsum ad præparandum opportuna ad domum Dei.

Pueri nomen apud Hebr. extenditur ad adolescentes.

Domus autem, quam ædificare volo Domino, talis esse debet, vt in cunctis regionibus nominetur.] Hebraicè habetur; *Et domus ædificanda Iehouah ad magnificandum in supra ad nomen, & ad gloriam in omnibus terris.* Altera causa ex excellentia domus ædificandæ scribitur: & est sensus, quòd domus ædificanda summo Deo, supremæ erit magnificentiæ, sic vt & nominetur, & glorificetur in omnibus terris.

Præparabo ergo ei necessaria: & ob hanc causam ante mortem suam omnes præparauit impensas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et præparauit Dauid in multitudine ante mortem suam.* Non dicitur, quòd omnes parauerit sumptus, nec quòd omnia præparauerit necessaria, (hæc enim Interpres addidit,) sed & quòd disposuit se præparaturum, & quòd præparauit in multitudine; hoc est, multa.

Vers. 6. *Vocauitque Salomonem, filium suum: & præcepit ei, vt ædificaret domum Domino Deo Israël.*

Vers. 7. *Dixitque Dauid ad Salomonem: Fili mi, fuit in corde meo, vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei.*

Vers. 8. *Sed factus est ad me sermo Domini dicendo.*] Hinc apparet, quòd præter reuelationem factam Nathan Prophetæ, habuit Dauid reuelationem diuinam factam sibi.

Cur Dauid inhabilis censeatur ad ædificandum templum.

Multum sanguinem effudisti.] Non parua est quæstio, quare inhabilis censeatur Dauid ad ædificandum templum ex eo, quòd magna bella fecit, & sanguinem multum fuderit: bella enim iusta fecerat, & similiter multitudinem sanguinis iustè fuderat. Solutio est, duos fuisse status in veteri Testamento: alterum, acquirendi terram promissionis: alterum, fruendi illa. Et status quidem acquirendi fuit status bellicus: status autem fruendi erat suapte natura status pacificus. Et propterea primus status incongruus erat ad ædificandum templum Deo; vtpote, vacans bellis, & non adhuc parta terra proprij regni: alter verò status valdè aptus fuit ad ædificandum templum; vtpote subacta iam terra, & quiete adepta. Dauid itaque ideò inhabilis ad ædificandum templum Dei censetur; quia sanguinem in multitudine effudit magna faciendo bella; hoc est, quia pertinebat ad statum bellicum, statum inquietum, ac sanguinis effusiuum ad acquirendam integram promissionis terram: & non propter peccatum. In cuius signum è regione ipsius Dauidis eligitur filius eius ad ædificandum templum in statu quietis subacta iam vniuersa terra promissa à Deo, quando erat in statu fruendi terra. Considera, prudens lector, subiuncta verba Dauidis, tum ad Salomonem, tum ad Principes: & perpende, in hunc sensum tendere hanc rationem.

Duo status in veteri Testamento, vnus acquirendi, alter fruendi.

Et plurima bella bellasti.] Hebraicè habetur: *Et magna bella fecisti.* Similiter, cùm subditur:

Non poteris ædificare.] Hebraicè habetur: *Non ædificabis domum nomini meo.* Et similiter, cùm subiungitur:

Tanto effuso sanguine,] Hebraicè habetur: *Quia sanguines multos effudisti in terram coram me.* Et dicendo, *in terram coram me*, insinuat, quòd de effusione sanguinis approbata, imò mandata à Deo pro terra promissionis integrè acquirenda, & tuenda loquitur.

Vers. 9. *Filius, qui nascetur tibi.*] Hebraicè habetur: *Ecce filius natus fuit tibi.* Non nasciturus, sed natus significatur Salomon tempore, quo Dauidi facta est hæc, quam refert, reuelatio.

Erit vir quietissimus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ipse erit vir quietis.* Et de qua quiete sit sermo, ex-

planatur subiungendo : *Et requiescere faciam eum ab omnibus inimicis suis in circuitu : & ob hanc causam pacificus vocabitur.*] Hebraicè habetur: *Quia Salomo erit nomen eius.* Salomo enim Hebraicè, sonat Latinè *pacificus.* Et est sensus, quòd res respondebit nomini.

Et pacem, & otium dabo in Israel.] Hebraïcè habetur: *Et pacem, & quietem dabo super Israël.* Hebraïco more maius præponitur minori: priùs pax, deinde quies populi significatur. Ecce res nominis pacifici.

Cunctis diebus eius.] Superfluit, *cunctis.*

Vers. 10. *Ipse ædificabit domum nomini meo, & ipse erit mihi in filium, & ego ero ei in patrem.*] Expositio hæc 2. Reg. 7. & tu annotabis, hinc haberi, quòd ad literam hæc verba dicta sunt de Salomone.

2. Reg. 7.

Firmabóque.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dirigam solium regni eius.* Non dicit, quòd dirigam eum ad regendum in perpetuum; sed quòd dirigam sedem regni eius: quod spectat ad successionem filiorum eius.

Super Israël vsque semper.]Intellige hoc, quemadmodum & præcedentia; videlicet, nisi posuerit obicem grātiæ meæ: nullus enim filius Salomonis regnauit super Israël propter peccata ipsius Salomonis: quemadmodum nec perseuerauit in veneratione Dei tanquam patris.

Vers. 11. *Nunc ergo, fili mi, sit Dominus tecum, & prosperare, & ædifica domum Domino Deo tuo.*] Hebraïcè habetur: *Nunc, fili mi, erit Iehouah tecum: & prosperaberis, & ædificabis domum Domini Dei tui, sicut locutus est super te.* Affirmat siquidem futuram executionem promissorum à Deo, quoad hæc tria.

Vers. 12. *Dèque tibi Dominus prudentiam, & sensum, vt regere possis Israël, & custodire legem Domini Dei tui.*]Hebraïcè habetur: *Tantùm dabit tibi Iehouah intellectum, & intelligentiam; & præcipiet tibi super Israël: & ad custodiendum legem Iehouah Elohæ tui.* Tribus beneficis futeris adiungit duo alia singularia: quorum primum est acumen intellectus: alterum est, cura, vt populus Israël viuat secundùm legem diuinam. Et singularitas quidem significatur dicendo tantùm, *tibi*, exclusis cæteris filiis meis ab huiusmodi donis: acumen verò intelligendi significatur dicendo, *intellectum, & intelligentiam*: vt intellectus referatur ad donum manens; intelligentia autem ad exercitationem intelligendi: cura autem, dicendo: *Præcipiet tibi super Israel, etiam ad custodiendum*, &c. Et hinc habes, quòd Regi incumbit cura, vt populus viuat secundum legem Dei.

Regi incumbit cura, vt populus colat Deum.

Vers. 13. *Tunc enim proficere poteris.*] Iuxta Hebr. habetur: *Tunc prosperaberis, si custodies ad faciendum statuta, & iudicia.* Affirmauerat futuram prosperitatem; declarat modò rationem prosperitatis, si ipse Rex seruauerit legem diuinam: simúlque declarat, quòd non sufficit Regi, quòd populus viuat secundùm legem; sed quod ipse Rex debet esse primus in obseruatione legis.

Rex debet esse primus in obseruatione legis.

Quæ præcepit Dominus Moysi, vt doceret Israel.] Hebraicè habetur: *Quæ præcepit Dominus Mosi super Israel.* Ne Salomon minùs æstimaret legem Mosis, vtpote hominis, manifestat legem datam à Deo Mosi super Israel.

Roborare, & confortare, ne timeas, neque paueas.

Vers. 14. *Ecce ego in pauperticula mea.*]Hebraicè habetur: *Et ecce in paupertate mea.* relatiuè enim ad Deum pauperem se agnoscit.

Præparaui impensas domui Domini.] Hebraicè habetur: *Præparaui pro domo Iehouah.* Res autem præparatas subiungit, aurum, argentum, & ferrum, ligna, & lapides.

Auri centũ millia talentorum, & argenti mille millia talentorum; aris verò, & ferri non est pondus; vincitur enim numerus magnitudine.] Hebraicè habetur: *Quia in multitudine sunt.* redditur enim ratio non ponderandi, magna multitudo.

Lignáque, & lapides præparaui ad vniuersa impendia.]Iuxta Hebræum habetur: *Et ligna, & lapides præparaui, & super ea addes.* Agnoscit Dauid non sufficere parata ab ipso: & propterea mandat filio, vt addat ad hoc, vt perficiatur templum Dei.

Habes quoque plurimos artifices, latomos, & cementarios, artificésque lignorum: & omnium artium ad faciendum opus prudentissimos. Vers. 15.

In auro, in argento, & in ære, & in ferro, cuius non est numerus.] Clausula hæc iuxta Hebræum habetur: *Et tecum in multitudine factores operis, incisores, & artifices lapidum, & lignorum: & omnis sapiens in omni opere: ad aurum, ad argentum, & ad æs, & ad ferreum sine numero.* Non solùm res; sed artifices, & operarios præparasse se manifestat Dauid sine numero. Vers. 16.

Surge, & fac, & erit Dominus tecum.

Præcepit quoque Dauid cunctis Principibus Israël. vt adiuuarent Salomonem filium suum. Vers. 17.

Cernitis, inquiens, quod Dominus Deus vester vobiscum sit, & dederit vobis requiem per circuitum.] Futuri temporis est, *dederit.* Vers. 18.

Et tradiderit omnes inimicos vestros in manus vestras, & subiecta sit terra coram Domino.] Hebraicè habetur: *Quia dedit in manum meam habitatores terræ, & erit acquisita terra coram Iehouah, & coram populo eius.* Ex istis colligitur sensus supradictorum verborum Dei ad Dauidem.

Præbete igitur corda vestra, & animas vestras ad quærendum Dominum Deum vestrum: surgiteque, & ædificate sanctuarium Domini Dei.] Dictio interpretata, *Dei*, est nomen Elohim. Vers. 19.

Ad introducendum Arcam fœderis Domini, & vasa Domino cõsecrata.] Hebraicè habetur: *Et vasa sanctitatis Elohim in domũ ædificatã nomini Domini.*

CAPVT XXIII.

Vers. 1. DAVID *autem erat senex, & plenus.*]Hebraicè habetur, *& saiur dierum.* Relatiuè ad complexionem Dauidis saturitas dierum scribitur: quoniam absolutè non erat excessiuè senex, cùm septuaginta non excesserit annos.

Constituítque Salomonem.]Clariùs Hebraicè dicitur: *Et fecit regnare Salomonem filium suum super Israël.* Viuens enim subrogauit eum in Regem, posuitque in possessionem regni: vt diffusè scriptum est in 3. lib. Reg.

Vers. 2. *Et congregauit omnes Principes Israël, & Sacerdotes, atque Leuitas.*

Vers. 3. *Numeratíque sunt Leuitæ à viginti annis.*] Corrupta est litera: nam Hebraicè habetur: *Et numerati fuerunt Leuitæ à filio triginta annorum, & suprà.* Et quidem ætas triginta annorum in lege Mosis Numeri 4. decreta est: & propterea iuxta legē numerati sunt Leuitæ à trigesimo anno. Quod autem adiungitur, *& suprà*, sine termino in lege Mosis statuto, hoc est, vsque ad annum quinquagesimum: vel tanquàm subintelligendum relictum est, vel quia ratio termini cessasse videtur, (imbecillitas, scilicet, ad sufferenda onera, eò quòd templum stabile ædificabatur;) ideò numerati sunt à trigesimo anno, & suprà, absque termino. Numer. 4.

Et inuenta sunt triginta octo millia virorum.

Vers. 4. *Ex his electi sunt, & distributi in ministerium domus Domini.*] Iuxta Hebræum habetur: *Ex istis ad fortiũ*

fortiter agendum super opus domus Iehouah viginti quatuor millia Ad exercendum communia Leuitarum opera deputati sunt isti.

Leuitarum officium.

Præpositorum autem, & Iudicum sex millia.] Vnum atque idem officium duobus nominibus significatur: altero dignitatis, altero officij iudicandi: erant enim isti Leuitæ, tanquam Patres conscripti ad discernendum, & ius dicendum in domo Domini.

Vers. 5. *Ianitorum officium in templo.*

Et quatuor millia ianitorum.] Communi nomine appellantur ianitores illi, quibus commissa est cura, non solùm ianuarum templi, sed ianuarum rerum spectantium ad ea, quæ erant templi.

Et totidem Psaltes canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum.] Heb. habetur: *Et quatuor millia laudantium Iehouah in vasis, quæ feci ad laudandum.* Ex eo, quòd in prima persona dicitur, *feci*, intelligimus in persona Dauidis hæc scripta: ad insinuandum, quòd ipse fecerat instrumenta musica. Collige summas: & videbis distributos omnes trigintaocto millia numeratos.

Dauid fecit instrumenta musica.

Vers. 6. *Et distribuit eos Dauid per vices filiorum Leui.*] Hebraicè habetur: *Et partitus est eos Dauid partes filiis Leui.* hoc est, secundùm partes filiorum Leui, qui fuerunt tres; videlicet, Cehath. Ghersonitæ, & Merari: vnde & statim eos numerat.

Vers. 7. *Gherson, Cehath, & Merari Ghersunitis Labdan, & Simhi.*

Vers. 8. *Filij Lah-dan Principes, Iechiel, & Zetham, & Ioël tres.*

Vers. 9. *Filij Simhi Selomith, & Cha-ziel, & Haran tres: isti Principes familiarum Lah-dan.*] Perplexa oritur quæstio, qui demonstrentur per pronomen, *isti*: nam prænumerati sunt tres filij Lah-dan, & tres filij Simhi: quomodo ergo vtrique demonstrantur spectantes ad Lah dan? Solutio est ambigua, an vnicus nominetur Simhi, an sint duo eiusdem nominis. Diuinando autem, rationabiliùs credimus, duos nominari Simhi: alterum fratrem Lah-dan; alterum nepotem: hoc est, filium filij Lah-dan, cuius specialis fit mentio: quia ex eo constitutæ sunt multæ familiæ Lah-dan.

An fuerunt duo Simhi.

Vers. 10. *Porrò filij Simhi Iachath, Zina, & Iehus, & Beriha: isti filij Simhi quatuor.*

Vers. 11. *Et fuit Iacath caput, & Zina secundus: Iehus autem, & Beriha non multiplicauerunt filios, & fuerunt domus patris in numeratione vna.*

Vers. 12. *Filij Cehath Hamram, Iizhar, Cheb-ron, & Huzziel quatuor.*] Expeditis familiis Ghersonitarum, venitur ad familias Cehath.

Vers. 13. *Filij Hamram, Aharon, & Moses: separatúsque est Aharon, vt ministraret in Sancto Sanctorum.*] Hebraicè habetur: *Et separatus fuit Aharon ad sanctificandum Sanctum Sanctorum ipse, & filij eius vsque semper.* Appellatur hîc Sanctum Sanctorum (sicut sæpè alibi) vniuersitas reseruatorum Sacerdotis officio, seu dignitati: ad hæc enim sanctificanda ordinabatur in primis sacerdotium.

Sanctũ Sanctorum quid aliquando significet.

Et adoleret incensum Domino secundùm ritum suum.] Hebraicè habetur: *Ad thurificandum coram Domino, ad seruiendum ei, & ad benedicendum in nomine eius vsque semper.* Officia Sacerdotis commemorantur, declarando, Aharon cum semine suo fuisse separatum diuina electione, etiam à contribulibus ad fungẽdũ sacerdotio in sempiternum.

Vers. 14. *Mosis quoque viri Dei.*] Nomen est Elohim: eò quòd Moses legem accepit à Deo, &c. cognominatur vir Elohim.

Filij annumerati sunt in Tribu Leui.

Vers. 15. *Et filij Mosis, Ghersom, & Eliezer.*

Vers. 16. *Filij Ghersom Sebuel caput.*

Vers. 17. *Fuerunt autem Filij Eliezer Rechab-ia caput: & non fuerunt Eliezer filij alij; filij autem Rechab-ia multiplicati sunt valdè.*

Filij Iizhar Selomith caput. Vers. 18.

Filij Cheb-ron: Ieri-iahu caput, Amar-ia secundus, Iacha-ziel tertius, & Iecamham quartus. Vers. 19.

Filij Huzzielis: Micha caput, & Iisi-ia secũdus. Vers. 20.

Filij Merari.] Ad tertiũ filium Leui descẽditur. Vers. 21.

Mach-li, & Musi: filij autem Machli, Elhazar, & Cis.

Mortuus est autem Elhazar, & non habuit filios, sed filias: acceperúntque eas filij Cis fratres earum. Vers. 22.

Filij Musi, Mach-li, & Heder, & Ieremoth tres. Vers. 23.

Isti filij Leui per domos patrum suorum Principes per vices, & numerum capitum singulorum.] Hebraïcè habetur: *Principes familiarum ordinationibus suis in numero nominum capitum suorum.* Epilogus est, manifestans, & numeratos esse per capita Principum, & seruatum esse ordinem familiarum. Vers. 24.

Facientes opus in ministerium domus Domini: à filio viginti annorum, & suprà.] Quæstio oritur ex eo, quòd in principio huius capituli dicitur, numeratos fuisse Leuitas à triginta annis, & suprà: quomodo igitur modò dicitur à filio viginti annorum, & suprà? Solutio est, quòd numeratio facta est secundum legem Mosis à trigesimo anno, & suprà: & in tali ætate inuenta sunt trigintaocto millia: sed post numerationem extensum est officium Leuitarum vsque ad ætatem vigesimi anni: ita quòd decretum est, vt admitterentur ad Leuitica officia Leuitæ omnes à filio viginti annorum. Author autem, & ratio huius decreti noui subiungitur in litera.

Leuitæ quomodo à diuersa ætate numerati seruabantur.

Dixit enim Dauid.] Ecce Author noui decreti. Vers. 25.

Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo.] Ecce ratio noui decreti.

Et habitationem Ierusalem.] Hebraicè habetur: *Et habitauit in Ierusalaim vsque ad semper.* Quies populi in terra promissionis cum electa habitatione diuina in Ierusalem perpetua, (hoc est, templo Dei ibidem,) ratio redditur noui decreti. Et ad hoc magis explicandum subiungitur exoneratio Leuitarum à labore portandi tabernaculum, & omnia pertinentia ad illud: ex eo enim, quòd loco tabernaculi fiebat templum immobile, cessabat labor Leuitarum ad portandum tabernaculum, & quæ illius erant de loco ad locum. Hanc enim rationem interpretatus est Dauid, fuisse occasionem ætatis limitatæ à Mose: & propterea cessante labore mutauit limites ætatis

Et etiam Leuitæ non habebunt portare tabernaculum, & omnia vasa eius ad ministerium eius. Vers. 26.

Iuxta præcepta quoque Dauid nouissima supputabitur numerus filiorum Leui.] Hebraicè habetur: *Quia in verbis Dauid posteris numerus filiorum Leui à filio viginti annorum, & supra.* Ecce conclusio scribitur, quòd post hæc postrema verba Dauidis numerati sunt Leuitæ à viginti annis, & suprà. Dicuntur autem verba Dauidis postera relatiuè ad verba Mosis. Et hinc habes, quòd, quanuis lex Mosis data esset à Deo; Rex tamen mutabat interpretando rationem legis congruam fuisse prætetito tempori duntaxat. Vers. 27.

Et erunt sub manu filiorum Aharon.] Hebraicè habetur: *Quia status eorum ad manum filiorum Aharon.* Accumulat rationes noui decreti ex eo, quòd habitatio Leuitarum facto templo erit ad manum Sacerdotum, hoc est, quòd ipsa habitatio iuxta Sacerdotes erit moderatio Leuitarum infra vigesimum, & trigesimum annum: reuerebuntur enim Sacerdotes, & domabuntur. Vers. 28.

In cultu domus Domini, in vestibulis, & in exedris, & in loco purificationis, & in sanctuario: & in vniuer-

sis operibus ministerij tẽpli Domini.] Hebr. habetur: *Ad seruitutẽ domus Iehouah, super atria, & super aulas, & super mundificationẽ ad omnem sanctuatem: & opus seruitutis domus Elohim.* narrantur enim onera Leuitarũ inchoando à locis. Quod autem subditur:

Leuitarum officia describuntur.

Vers. 29. *Sacerdotes autem super panes.*] non habetur in Hebraico: sed immediatè subiungitur:

Et pro pane ordinationis, & pro flore in munus, & pro crustulis azymorum, & pro sartagine, & ad tenerũ: & ad omnem mensuram, & mẽsuram.] Prosecutio est officiorum Leuitarũ: eis enim incũbebat præparare hæc Sacerdotibus: videlicet panes propositionis, qui ordinariè singulis Sabbathis à Sacerdote renouabantur, apponendo eos cora Deo: & florẽ farinę pro munere offerẽdo à Sacerdotibus: & sic de aliis.

Tenerti nomine quid significatur.

Teneri autem nomine, grana in spicis significãtur, quorũ certa mensura tosta offerebatur in Paschate. Et offerre quidẽ erat Sacerdotũ; præparare autẽ Leuitarũ. Mensura autem, & mensura, omnis mensurandi species describitur: diuersas enim in templo opportunas fuisse mẽsuras patet ex lege Mosis.

Vers. 30. *Leuitæ vero, vt stent mane ad confitendũ, & canendum Domino.*] Nec hoc habetur Hebraicè; sed immediatè subiungitur: *Et ad stadium singulo mane ad confitendum, & ad laudandum Iehouah: & sic vesperi.* Prosecutio est officiorũ Leuitarum singulis diebus bis; hoc est, mane, tempore holocausti matutini; & vespere, tẽpore holocausti vespertini laudare Deũ.

Vers. 31. *Tam in oblatione holocaustorũ Domini, quã in Sabbathis, & Calẽdis, & solennitatibus reliquis iuxta numerũ, & cæremonias vniuscuiusque rei iugiter corã Domino.*] Heb. habetur: *Et ad omnes facientes offerre holocausta Iehouah ad Sabbatha, & ad Calẽdas, & ad tempora: in numero iuxta rationẽ super eos iugiter coram Iehouah.* Leuitarum erat laudare Deum, nõ solùm bis in die; sed etiã tempore cuiuscunque holocausti, & in specie Sabbathis, & principijs mẽsiũ, & tẽporibus aliis numeratis secũdu dispositionẽ legis: vt sunt solẽnitates tabernaculorũ, & azymorũ, &c.

Vers. 32. *Et custodiant obseruationes tabernaculi fœderis.*] Iuxta Heb. habetur: *Et custodient custodiam tentorij adunationis.* Quod autem sequitur:

Et ritum Sanctuarij.] Hebraicè habetur, *& custodiam Sanctuarij.* Et immediatè subiungitur:

Et custodiã filiorũ Aharon fratrũ eorũ.] Tres enim custodiæ describuntur: videlicet, tabernaculi, Sanctuarij, & Sacerdotum: illis enim tribus vniuersum templi septum comprehenditur. Tabernaculũ enim erat in medio; posteà sanctuarium, in quo offerebantur sacrificia, & seruabantur sancta: & demum erat habitatio Sacerdotum.

Vt ministrent in domo Domini.] Hebraicè habetur: *Ad seruitutem domus Iehouah.* Declaratio est rationis custodiæ vltimæ: quare, scilicet, Leuitæ custodire debebant filios Aharon: quia, videlicet, erant ibi filij Aharon non pro seipsis, sed ad seruitutem domus Iehouah.

CAPVT XXIV.

Vers. 1. ORRO *filius Aharũ partitiones eorũ erãt: filij Aharon, Nadab, & Abihu, Eleazar, & Ithamar.*

Vers. 2. *Mortui sunt autem Nadab, & Abihu ante patrem suum absque liberis: & sacerdotio functi sunt Eleazar, & Ithamar.*

Vers. 3. *Et diuisit eos Dauid, id est, Zadoc.*] Iuxta Heb. habetur: *Et diuisit eos Dauid, & Zadoc de filijs Eleazar, & Achimelech de filijs Ithamar.* Inter diuidẽtes supputantur Zadoc, & Achimelech simul, cũ Davide.

Secundum vices suas, & ministerium.] Hebraicè habetur: *Ad ordinationem eorum in ministerio eorum.* Diuisio Sacerdotũ significatur facta ordinatè distribuendo eos ad propria ministeria in domo Dei.

Inuentique sunt multò plures filij Eleazar in Principibus viris.] Hebraicè habetur: *Et inuenti sunt filij Elhazar plures in capitibus virorum, quàm filij Ithamar.* Maior multitudo numerando viros per capita (hoc est, singillatim) inuenta est filiorum Eleazar: imò, vt subiuncta testantur, inuenta est multitudo filiorum Eleazar dupla ad multitudinem filiorum Ithamar: subiunguntur enim filiorum Eleazar sedecim, filiorum autem Ithamar octo capita: quia habita est ratio excessiuæ multitudinis. Vers. 4.

Et diuiserunt eos: de filijs Elhazar capita per domos patrum sedecim, & de filijs Ithamar per domos patrum eorum octo.

Porrò diuisit vtrasque inter se, & familias sortibus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et diuiserunt eos in sortibus istos cum istis.* Dauid, & Zadoc, & Achimelech diuiserunt Sacerdotes, non eligẽdo, sed sortes mittẽdo; non seorsũ filios Eleazar, & seorsum filios Ithamar, sed istos cũ istis; hoc est, simul. Hic modus diuidẽdi seruatus est pro pacifica diuisione duraturа in perpetuũ: ne relinqueretur locus querimonię, cur ille primus, iste secundus, & sic deinceps. Vers. 5.

Sacerdotes diuisi sortibus tempore Davidis Regis.

Erant enim Principes Sanctuarij, & Principes domus Dei.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia fuerunt Principes Sãctitatis, & Principes Elohim, de filijs Elhazar, & de filijs Ithamar.* Ratio redditur, quare pariter diuisi sunt sortibus: quia vtrique erant, & Principes Sãctitatis, (hoc est, rerũ, locorũ, & actionum sanctarum,) & Principes Elohim, hoc est, non ab homine; sed à Deo electi in patre eorũ Aharon.

Descripsitque eos Semah-ia, filius Nethan-el, scriba de Leui, coram Rege, & Principibus, & Zadoc Sacerdote, & Achimelech, filio Eb-iathar & capitibus familiarum sacerdotalium, & Leuiticarũ.] Hinc appareret, quòd Zadoc Põtifex erat: alioquin Author nominando Zadoc, & Achimelech, non nominasset solùm Zadoc Sacerdotem. Vers. 6.

Vnam domum, quæ cæteris præerat, Eleazar; & alteram domum, quæ sub se habebat cæteros, Ithamar.] Iuxta Heb. longè aliter habetur: *Domus patris vna capta Elhazaro, & capta capta Ithamaro.* Differentia manifestè scribitur inter domos Ithamar, & domos Eleazar, penes hoc, quòd domus Eleazar vna capiebatur sorte: domus verò Ithamar capta erat capta: adiungit siquidem Author modo diuidendi per sortes istos cum istis disparitatem hanc: videlicet, quòd extrahendo sortes vna duntaxat domus ex domibus Eleazar capta sorte, admitteretur: hoc est, quòd si immediatè capta esset sorte, altera domus etiam Eleazar non admitteretur in illo loco, ne contingeret omnes domos Eleazar præferri domibus Ithamar: in sortibus autem cadentibus super domos Ithamar non erat similis lex; sed quæcunque domus esset capta sorte, admitteretur pro capta: hoc est, etiamsi immediatè multæ domus Ithamar sortibus caperentur. Et fuit decreta hæc disparitas ad repentandum disparitatem alteram, videlicet, quòd domus Eleazar habebant sedecim loca; domus autem Ithamar octo. Diuisio itaque Sacerdotum facta est sortibus inter istos cum istis; concurrentibus tamen duabus disparitatibus: altera primùm narrata, videlicet, quòd Eleazar sedecim; Ithamar autem octo haberet loca: altera, quæ modò narratur, videlicet, quòd domus Ithamar possent (si sors tribueret) multæ immediatè iungi: domus autem Eleazar non poterant immediatè iungi vsque ad completas sortes octo Ithamar. At si quæris, quota erat sors domus Eleazar, quæ immediatè exibat post aliam domum Eleazar nondum completis sortibus Ithamar, respondetur, quòd reseruabatur colloçanda immediatè post sortem alicuius domus Ithamar primò captæ.

Differentia inter domos Ithamar. & domos Eleazar.

Quota esset sors domus Eleazar.

Exiuit

Vers.7. *Exiit autẽ sors prima Ieho-iarib, Iedah-ia secũda.*
Vers.8. *Charim tertia, Seborim quarta.*
Vers.9. *Malchi-ia quinta, Mi-iamin sexta.*
Vers.10. *Haccoz, septima. Abi-ia octaua.*
Vers.11. *Iesuah nona. Sechan-iahu decima.*
Vers.12. *El-iasib undecima, Iacim duodecima.*
Vers.13. *Chuppe tertiadecima, Ieseb-ab quartadecima.*
Vers.14. *Bilghe quintadecima, Immer sextadecima.*
Vers.15. *Chezin decimaseptima, Pizzez decimaoctaua.*
Vers.16. *Pethach-ia decimanona, Iechez-cel vigesima.*
Vers.17. *Iachin vigesimaprima, Gamul vigesimasecunda.*
Vers.18. *Dela-iahu vigesimatertia, Maaz-iahu vigesimaquarta.*] Descripto modo sortiendi, describitur consequenter subsecutus euentus: quem intellige scribi seruato moderamine antedicto.

Vers.19. *Hæ vices eorum secundùm ministeria sua, vt ingrediantur domũ Dei, & iuxta ritũ suum, sub manu Aharon patris corũ: sicut præcepit Dominus Deus Israël.*] Hebraicè habetur: *Iste ordinationes eorum ad ministeria eorum, ad veniendum in domum Iehouah, iuxta rationem eorum in manu Aharon patris eorum: sicut præcepit ei Iehouah Elohe Israëlis.* Ad quid factæ sint huiusmodi diuisiones, narratur: videlicet, ad exercenda ministeria sacerdotij in domo Dei per diuersas coordinationes (videlicet, vigintiquatuor;) & similiter ad veniendum in templum: per hoc enim insinuatur, quòd non solùm officia per vices, sed etiam mansio in templo distributa erat per has vices. Adiungitur autem subiectio eorum summo Sacerdoti, sicut ius eorum exigit, vt intelligamus summum Sacerdotem non comprehendi sub his diuisionibus, sed præesse omnibus: & ne hoc humanæ attribueretur authoritati, explicatur, sicut præcepit Deus ipsi Aharon.

Summo Sacerdoti omnes Leuitæ subiiciebantur.

Vers.20. *Porrò filiorum Leui, qui reliqui fuerant,*] Expedita partitione Sacerdotum, tractatur partitio reliquorum Leuitarum. Ita quòd hæc verba comprehendunt totum residuum Tribus Leuiticæ in genere: est enim velut rubrica quædam, vt Hebraicus sonat contextus: nam legitur: *Et filiis Leui residuis.* subauditur autem fuerunt partitiones subiunctæ. Deinde immediatè sequitur: *Filiis Hamram Subaël, filio Subaelis Iechdeiahu. Rechab-iahu.*

Vers.21. *Filiis Rechab-iahu caput Iis-ia.*
Vers.22. *Ipsi Izhari Selomith: filius Selomith Iachath.*
Vers.23. *Filiis autem Ieri-iahu: Amar-iahu secundus, Iachaziel tertius, Iecamham quartus.*
Vers.24. *Filij Huzziel Micha: filius Miche Samir.*
Vers.25. *Frater Miche Iis-ia: filius Iis-ia Zecar-iahu.*
Vers.26. *Filij Merari Mach-li, & Musi: filij Iahazi-iahu Beno.*
Vers.27. *Filij Merari de Iahazi-iahu Beno, & Sohã, & Zacchur, & Hib-ri.*
Vers.28. *Ipsi Mach-li Elhazar: & non fuerunt ei filij. Ipsi Cis filij Cis Ierachmeel.*
Vers.29. *Filij autem Musi Machli, & Heder, & Ierimoth.*
Vers.30. *Isti filij Leuitarum per domos patrum suorum.*] Incipiunt diuisiones residuorum Leuitarum à filiis Hamram, vt pote fratribus Aharonitarum.

Vers.31. *Miseruntque etiam ipsi sortes contra fratres suos filios Aharon.*] Quod dicitur, *contra fratres suos*, significat è regione fratrũ suorum; hoc est, è regione vigintiquatuor partitionum Sacerdotum: fuit siquidem etiam hæc diuisio in vigintiquatuor partes: nam vigintiquatuor personæ commemorantur in litera, vt corresponderent viginti quatuor Sacerdotibus, sic vt vna portio Leuitica assisteret vni portioni sacerdotali. Sed remanẽt dubia duo. Alterum, de qua parte Leuitarum est hîc sermo: superiùs enim in 23. cap. distributi sunt Leuitæ triginta, & octo millia in quatuor partes; videlicet, vigintiquatuor millia sine titulo, sex millia Præfectorum, & Iudicum, quatuor millia cantorum, & quatuor millia ianitorum. De qua harum partium est hîc sermo, ambigitur: nam diuisio tam cantorũ, quàm ianitorum expressè infernè subiungitur etiam per sortes facta: sed nullæ sortes leguntur circa alias duas partes in specie. Alterum est, ad quod officium ordinabantur Leuitæ isti: quoniam in litera non exprimitur. Solutio vtriusque quæstionis simul est, quòd cùm in sequentibus capitulis subiungatur partitio, tum cantorum, tum ianitorum, tum Præfectorum (vt patebit exponendo rextum) intelligendum restat, quòd diuisio ista fuerit reliquorum Leuiticæ Tribus, qui erãt in maximo numero sine titulo speciali: & propterea nullum eorum speciale officium describitur; sed ad communia Leuitarũ officia subeunda diuisi sunt per sortes in vigintiquatuor partes ad ministrandum sub vigintiquatuor Sacerdotibus.

Dua quæstiones circa Leuitas soluuntur.

Coram Dauid Rege, & Zadoc, & Achimelech, & Principibus.] Legendum est, *& capitibus patrum Sacerdotibus, & Leuitis.* quatuor enim supputantur præsidentes huiusmodi partitioni per sortes: videlicet, Rex, Zadoc, Achimelech, & Principes familiarum sacerdotalium, ac Leuiticarum.

Tam maiores, quàm minores, omnes sors æqualiter diuidebat.] Sensus redditur: Hebraïcè autem habetur: *patrium caput è regione fratris sui parui.* hoc est, in huiusmodi sortibus caput familiæ non erat melioris cõditionis, quàm frater eius paruus: ita quòd nullius inæqualitatis ratio habita est: sed iuxta ordinem sortium (vt contingebat) prima sors assistebat primæ sorti Sacerdotum, & secunda secundæ, & sic deinceps: ad hoc enim iactæ sunt sortes, vt determinaretur perpetuus inter eos seruandus ordo sine querela.

CAPVT XXV.

Vers.1. DAVID *igitur, & Principes exercitus segreganerunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Ieduthun.*] Partitio cantorum, quorum isti tres erant capita, narratur facta authoritate Regis, & Principum exercitus: ita quòd non sorte ista tria capita sunt ex Leuitis assumpta, sed authoritate Regis, & Principum exercitus.

Prophetare, pro vacare diuinis laudibus.

Qui prophetarent.] Heb. habetur: *Prophetantes in citharis, in psalteriis, & in cymbalis.* Alias diximus, prophetare sumi pro vacare diuinis laudibus, quod tunc fiebat adhibitis instrumentis musicis: & propterea hîc non describuntur absolutè prophetantes, sed prophetantes in musicis instrumentis.

Secundum numerum suum dicato filio officio seruientes.] Iuxta Hebræum habetur, *& fuit numerus eorum, viri operis ad ministerium eorum.* Velut rubrica est subiunctorum; videlicet, quòd numerus filiorum istorum trium fuit, qui subiungitur: simúlque manifestatur qualitas subiunctorum filiorum: videlicet, quòd erant viri operis ad ministerium patrum, hoc est, ad ministerium prophetandi in instrumentis musicis: appellantur enim viri operis, viri scientes, & valentes efficere opus.

Vers.2. *De filiis Asaph.*] Et hoc velut rubrica subiunctorum est: nam quatuor enumerantur.

Zacchur. & Ioseph. & Nethan ia. & Asar-ela.] Et subiungitur de ipsis.

Filij Asaph super manum Asaph.] hoc est, innitentes manui Asaph, tanquam principali in huiusmodi.

Prophetare super manus Regis, quid

Prophetantes iuxta Regem.] Hebraice habetur, *prophetantes, super manus Regis.* Non de istis, sed de ipso Asaph dicitur, quod prophetabat super manus Regis: filij siquidem, quoad opus musicum, innitebantur patri, conformantes actiones, & voces secundùm artem patri: ipse autem Asaph prophetabat innixus operibus Dauidis Regis, eo quod, & voce, & tono modulabatur hymnos editos à Dauide Rege.

Vers.3. *De Ieduthun.*] Numeratis quatuor filijs Asaph, narratur progressus ad Ieduthun.

Filij Ieduthũ.] Genitiui casus est *Ieduthũ*, in text. Heb.

Ghedal-iahu, & Zeri, & Iesah-iahu, Chasabiahu, & Mattithi-iahu, sex super manus patris eorum

Cur filij Ieduthun dicuntur sex, & nō numerantur, nisi quinque.

Ieduthun in cithara.] Insolubilis surgit quæstio, stāte litera, vt sonat: quoniam filij Ieduthun dicuntur sex; & tamen non numerantur nisi quinque: & oportet esse sex, tum ad verificandum istam literam, tum ad verificandum integrum numerum vigintiquatuor filiorum istorum trium, Asaph, Ieduthun, & Heman. Et ipsius quidem Heman litera subiungit quatuordecim filios: Asaph autem numerauit quatuor: & Ieduthun sex, quorum tamen quinque tantùm explicantur: & propterea credendum est, errore scriptorum omissum esse nomen sexti filij Ieduthun. Argumentum autem magnum huius erroris habetur ex sorte decima. In subiunctis enim vigintiquatuor sortibus cantorum repetuntur istorum filiorum nomina: & in sorte decima scribitur nomen Semeiæ in vulgata editione, Hebraicè autem Simhi, qui solus non inuenitur nominatus hic inter filios Asaph, Ieduthun, & Heman: ex eo enim, quòd cæteri filij hîc nominati repetuntur in sortibus (singuli in singulis sortibus) & iste vnus ad integrandum numerum vigintiquatuor; insinuatur, quòd iste est sextus filius Ieduthun, non solùm prænumeratus; sed sicut alij prænominatus, vtrobique scriptoris omissus in Hebraicis codicibus.

Inter confiteri, & laudare differentia.

Qui prophetabant super confitentes, & laudantes Dominum.] Hebraicè habetur: *Super confessiones, & laudare Iehouah.* Inter confiteri, & laudare hæc est differentia, quòd confiteri est affirmare, laudare autem est commendare. Applicando autem hæc ad diuina, quia quicquid verè affirmatur de Deo, laudabile est, ideò confunduntur confessio, & laus diuinorum: directè tamen, confiteri diuina, est affirmare illa; laudare verò est affirmare commendādo.

Vers. 4. *Heman quoque.*] Hebraicè similiter habetur: *Ad Heman.* sic enim significatur progressus ad Heman: sicut etiam scriptum est Hebraicè ad Ieduthun: & immediatè subiungitur:

Filij Heman.] Et est casus genitiui, *Heman*: vt etiam conuincitur ex numero filiorum subiunctorum: nam subiunguntur quatuordecim filij Heman: & textus ipse dicit esse quatuordecim.

Bucci-iahu, Matthan-iahu, Huzziel, Sebuel, & Ierimoth, Chananiā, Chanani, Eli-athā, Gheddalthi, & Romanthi-hezer, Iosbecasa, Mallothi, Hothir, Machaz-oth.

Vers. 5. *Omnes isti filij Heman Videntis Regis in sermonibus Dei, vt exaltet cornu.*] Describitur Hemā verè Propheta ex eo, quòd appellatur Videns. Describitur inde dignus, & in pretio habitus à Rege, dicendo: *Videns Regis.* Describitur veritas, seu authoritas visionis dicendo: *in verbis Elohim.* ad manifestandum, quòd non erat Videns figmenta, aut somnia, sed in verbis Dei: simulque manifestatur, quod visiones suas notificabat *in verbis Elohim*; hoc est, cum testimonio diuinæ authoritatis loquens. Describitur demum materia visa, & manifestata *in verbis Elohim*, dicendo: *Ad exaltandum cornu.* proculdubio Israelis; hoc est, ad exaltationem futuri Messiæ, qui est cornu salutis ex Israël, ex progenie Dauidis: intelligimus enim per hoc, quòd Heman prophetabat de exaltatione Messiæ.

Heman erat verus Propheta.

Messias est cornu salutis ex Israel.

Deditque Deus Heman.] Nomen est *Elohim.*

Filios quatuordecim, & filias tres.

Vers. 6. *Vniuersi.*] Hebr. habetur: *Omnes isti super manus patris sui in cantu domus Domini in cymbalis, psalteriis, & citharis.* Et demonstrantur vniuersi vigintiquatuor prænumerati: vt testantur subiuncta, videlicet, quòd erant sub Asaph, Ieduthun, & Heman: quilibet enim filij sub proprij patris manu erant.

In ministeria domus Dei.] Nomen est *Elohim.*

Iuxta Regem.] Heb. habetur, *super manus Regis, Asaph, & Ieduthun, & Heman.*] Connumeratur Rex inter eos, quibus innitebantur isti viginti-quatuor, eò quòd Dauid Rex, & faciebat hymnos, quos Psalmos dicimus, & distribuebat cantoribus: vt tituli Psalmorum testantur.

Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti Doctores.] Iuxta Heb. habetur: *Docti in cantu Iehouah: omnis intelligens ducenti & octogintaocto.* Duæ conditiones describuntur istorum ducentorum octogintaocto: altera, quòd erant docti in canticis summi Dei; altera, quòd non erant qualitercunque docti, sed prædicti intelligentia. Vers. 7.

Miserúntque sortes per vices suas.] Hebraicè habetur, *custodia è regione.* Et subauditur Sacerdotis: significatur enim, quòd miserunt sortes ad hoc, vt prima custodia cantorum è regione responderet primæ portioni Sacerdotum, & secunda secundæ, & sic deinceps. Vers. 8.

Ex æquo, tam maior, quam minor, doctus pariter, & indoctus.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut parvus, sicut magnus, intelligens cum discente.* Nulla inęqualitatis ratio habita est.

Egressáque est sors prima Ioseph, qui erat de Asaph.] Quanuis Hebr. habeatur: *Sors prima ad Asaph ad Ioseph: Ghedal-iahu secunda ipse, & fratres eius, & filij eius duodecim.* Sensus tamen optimè redditus est. Scribitur enim, quòd sors prima exiuit ad Asaph, hoc est, ad domum Asaph: ad personam autem Ioseph, qui inter filios Asaph supputatus est secundus: secunda autem sors exiuit ad primum filium Ieduthun. Quæ ideò annotauerim, ne cōfundatur lector. Vnum tamen admiratione dignum relinquitur, quòd in cæteris sortibus fit mēnto duodenarij numeri, & in sola prima tacetur. Nescio diuinare, cur hoc acciderit: illud tamē certum est, quòd similis numerus subintelligendus est in prima sorte: alioquin non adæquarent vigintiquatuor sortes supradictum numerum ducentorum, & octoginta octo: oportet enim distribuendo per numerum duodenarium exhaurire ipsum in vigintiquatuor portiones: & fortè errore scriptorum omissa est. Vers. 9.

Tertia Zaccur: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 10.

Quarta Iizri: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 11.

Quinta Nethan-iahu: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 12.

Sexta Bucci-iahu: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 13.

Septima Iesar-ele: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 14.

Octaua Iesah-iahu: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 15.

Nona Matthan-iahu: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 16.

Decima Simhi: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 17.

Vndecima Hazar-eli: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 18.

Duodecima Chasab-ia: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 19.

Tertiadecima Subaeli: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 20.

Quartadecima Matthith-iahu: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 21.

Quintadecima Ieremoth: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 22.

Sextadecima Chanan-iahu: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 23.

Decimaseptima Iosbecasa: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 24.

Decimaoctaua Chanani: filij eius, & fratres eius duodecim. Vers. 25.

Decimanona

Vers. 25. *Tertia Zacchur: filij eius, & fratres eius duodecim.*
Vers. 26. *Decimanona Mallothi: filij eius, & fratres eius duodecim.*
Vers. 27. *Vigesima Eli-iatha: filij eius, & fratres eius duodecim.*
Vers. 28. *Vigesimaprima Hothir: filij eius, & fratres eius duodecim.*
Vers. 29. *Vigesimasecunda Ghiddalthi: filij eius, & fratres eius duodecim.*
Vers. 30. *Vigesimatertia Machazi-oth: filij eius, & fratres eius duodecim.*
Vers. 31. *Vigesimaquarta Romamthi-hezer: filij, & fratres eius duodecim.]*

CAPVT XXVI.

Vers. 1. DIVISIONES *ianitorum, de Corchitis Meselem-iahu, filius Core de filijs Asaph.*
Vers. 2. *Et Meselem iahu filij Zechar-iahu primogenitus, Iedihael secundus, Zebad-iahu tertius, Iathniel quartus,*
Vers. 3. *Helam quintus, Iehochanan sextus, El-tehohenai septimus.*]Expedita partitione cantorum, describitur diuisio ianitorum, numerando primò capita ianitorum secundùm diuersas familias.
Vers. 4. *Et Hobed-edom filij: Semah-ia primogenitus, Iehozabad secundus, Ioach tertius, & Sachar quartus, & Nethan-el quintus.*
Vers. 5. *Hammiel sextus, Issaschar septimus, Pehullethai octauus: quia benedixit ei Deus.*]Nomen est *Elohim*. Et refertur hoc ad explicandum fructum diuinæ benedictionis ex Arca Dei in domo eius superiùs scriptæ: hinc est enim Hobed-edom ille.

Hobed-edom vocatur etiã Pehullethai.

Vers. 6. *Semah-ia autem filio eius nati sunt filij dominantes domui patrũ suorum: quia potentes fortitudine erãt.*
Vers. 7. *Filij Semah-ia Hothni, & Rephael, & Hobed El-zabad fratres eius, filij fortitudinis: Elihu, & Semachiahu.*
Vers. 8. *Omnes isti de filijs Hobed-edom, ipsi, & filij eorum, & fratres eorum, viri fortissimi ad ministerium: sexagintaduo de Hobed-edom.*
Vers. 9. *Et Meselem-iahu filij, & fratres eorum, filij fortitudinis decem & octo.*
Vers. 10. *Et Hosæ de filijs Merari, filij Simri Principis: non enim habuerat primogenitum.*] Iuxta Hebr. habetur: *Quia non fuit primogenitus, & posuit eum pater eius in Principem.* Non dicitur, quòd pater non habuerat primogenitum, (cùm impossibile fuerit, patrem tot filiorum non habuisse primogenitum:) sed dicuntur duo: alterum, quòd iste Simri non fuit primogenitus: alterum, quòd pater eius posuit ipsum in Principem, seu caput. Quare autem hoc effectũ fuerit, non est scriptum: fortè mortuus erat primogenitus. Et quamuis iste non fuerit etiam secundus; prælatus tamen est fratribus à patre. Et hunc sensum sonat planus contextus literæ Hebraïcæ: nam reddit rationem, quare pater eius præfecit ipsum: quia non fuit primogenitus; hoc est, quia primogenitus non erat viuus.

Quomodo primogenitum dicatur non habuisse pater miles ex filiorum.

Vers. 11. *Chilci-iahu secundus, Tebal-iahu tertius, Zechariahu quartus: omnes filij, & fratres Hosæ tredecim.*
Vers. 12. *Hi divisi sunt in ianitores, vt semper Principes custodiarum, sicut & fratres eorum ministrarent in domo Domini.*]Iuxta Hebr. habetur: *Istis divisiones ianitorum in capita virorum, custodiæ è regione fratrum suorum ad seruiendum in domo Iehouah.* Pronomen, *istis*, demonstrat prænominatos, ad manifestandum ianitorum officium distributum esse istis: modus autem distribuendi subiungitur in capita virorum; hoc est, per capita prænominatorum Principum. Quod autem subditur, *custodiæ è regione fratrum suorum*, rationem diuidendi significat; vt, videlicet, quemadmodum fratres eorum ordinatè diuisi erant ad ministrandum in domo Dei: ita ipsi correiponderent in propriis officijs ordinatè distincti ad seruiendum in domo summi Dei. Vers. 13.

Miserãt, sunt sortes ex æquo paruus, & magnis per familias suas ad vnamquamque portarum.]Ecce differentia inter sortes ianitorum, & omnium aliorum suprascriptorum: nam reliquorum sortes relatiuè ad viginti quatuor Sacerdotes; ianitorum autem sortes non relatiuè ad portiones sacerdotales, sed relatiuè ad portas iactæ sunt.

Et cecidit sors orientalis Selem-iahu.] Iuxta quatuor plagas cæli erant quatuor portæ, non in ipso templo, sed in septo templi: ipsum enim templum vnicam tantùm portam habebat, quæ respiciebat ad plagam orientalem. Prima ergo sors cecidit super portam orientalem, qua ambulabatur directè ad portam templi. Vers. 14.

Porta septi templi quatuor, templum vero habebat vnicam.

Et Zechar-iahu filio eius viro prudentissimo, & erudito. Iuxta Hebr. habetur, *consiliarius cum intellectu.* Excellentia istius viri obtinuit, vt sortirum à patre sortem haberet. Vnde & Hebraïce clare subiungitur immediatè: *Fecerunt cadere sortes, & exiuit sors eius ad sinistram.* hoc est, ad Aquilonem: singulariter enim narratur, quòd isti Zachariæ fecerunt cadere sortes, quamuis esset illius Salomiæ, cui obtigerat prima porta.

Hobed-edom verò, & filijs eius ad Austrum: in qua parte domus erat seniorum concilium.]Iuxta Hebr. habetur: *Hobed-edom ad dextram: & filijs eius domus conciliorum.* Dextra appellatur pars meridionalis, quam sortitus est Hobed-edom, & filij eius sortiti sunt domum conuentuum: dictio enim Hebraïca non sonat conuentum ad consiliandum determinatè, sed conuentum. Intelligimus tamen de conuentu ad concilium Sacerdotum, & Leuitarum: denominato ab eo, quòd conuenirent illuc etiam, qui causas spectantes ad Sacerdotum, seu Leuitarum iudicium habebant. Vers. 15.

Pars meridionalis appellatur dextra.

Suppim, & Hosæ ad Occidentem iuxta portam, quæ ducit ad viam ascensionis.]Legendum est, *ad Occidentem, cum porta Sallecheth in via ascẽsus.* Ita quòd istis duobus data est porta occidentalis simul cum porta nominata *Sallecheth*. Et aiunt portam hanc esse, per quam proiiciebantur res immundæ: & describitur via ascensionis ad superiores partes. Vers. 16.

Sallecheth porta, qua.

Custodia contra custodiam.] De cantoribus scriptũ est superiùs, custodia è regione; & nõ est scriptum, custodia contra custodiam: quia cantores, è regione Sacerdotum stabant; ianitores verò non è regione Sacerdotum, sed è regione ianitorum erant: & propterea de eis scribitur custodia contra custodiam. ita quòd vna erat è regione alterius.

Ad Orientem verò.]Superfluit, *verò*. Narratis sortibus ianitorum, narratur numerus virorum in singulis custodijs. Vers. 17.

Lenitæ sex.]In porta orientali, qua itur ad altare holocaustorum, & ad faciem templi directè, maior numerus ordinatus est.

Ad Aquilonem per diem quatuor.] Ad differentiam noctis (qua clausæ erant portæ) fit mentio diei: & refertur ad ambas portas, Orientis & Septentrionis. Et similiter intellige de subiunctis portis aliis.

Ad Meridiem per diem quatuor: & ubi erat concilium bini, & bini.] Hebraicè habetur: *Et ad conuentus duo, duo.* Eadem dictio repetitur, quæ paulò ante interpretata est *concilia*: & non quatuor, sed duo ianitores in domo conuentuum describuntur. Et dicendo, *duo, duo*, innuit, quòd plura erant loca conuentuum, & singula habebant duos ianitores.

In

Vers.18. *In cellulis quoque ianitorum ad occidentem : quatuor in via, bini que per cellulas.*] Iuxta Hebr. habetur: *Ad Parbar ad Occidentẽ quatuor in via, duo ad Parbar.* Paulò superiùs in sorte occidentali descripta sunt duo: videlicet, ipsa porta occidentalis, & porta Sallecheth per viã ascẽsionis: hic quoque describẽdo numerũ ianitorũ in porta occidẽtali, duo nominãtur (videlicet, Parbar, & ipsa plaga occidentalis,) & assignantur ianitores quatuor viæ, duo autẽ ad Parbar. Hebræi putant, Parbar nomen esse propriũ loci extremi: quidam autem interpretantur domum instrumentorum: antiquus autem Interpres cellulas ianitorum. Collatio autem huius particulæ cũ superiore mõstrat, quòd est nomẽ portę, quæ appellata est *Sallecheth*: quoniã locus extremus erat. *Ad septentrionem verò, & meridiem quaterni per dies singulos mutabantur: & ad basilicam concilij ad occidentem bini habentes subiectos alios in via, binique per cellulas.*] Tota hæc clausula superflua est: in Hebræo enim non habetur.

Parbar, nomẽ proprium loci extremi.

Vers.19. *Iste sunt distributiones ianitorum, de filiis Chorchi, & de filiis Merari.*

Vers.20. *Porro Achias erat super thesauros domus Domini.*] Deficiunt duæ dictiones: legendum est: *Et Leuitæ: Achi-ias super thesauros domus Elohim.* Expeditis distributionibus ianitorũ, narratur distributio Præfectorum, ac Iudicum, nõ quoruncunque, sed Leuitarum; illorum, scilicet, ex millium, quorũ mentio facta est, supputando trigintaocto millia numeratos Leuitas à trigesimo anno, & suprà: & propterea præmittitur: *Et Leuitæ*: subauditur enim, sunt subiuncti Præfecti. Vbi aduerte, quod licet reliquæ partes Leuiticæ fuerint distributæ per sortes; pars tamen ista continens Præfectos non narratur distributa per sortes.

Pars continẽs Præfectos Israelitarum non erat distributa per sortes.

Et vasa Sanctorum.] Hebraicè habetur, *& thesauros sanctitatum.* Ne mireris, distingui thesauros sanctitatum à thesauris domus Dei: cùm inferiùs etiã thesauris domus Elohim antedictis addantur thesauri domus Iehouah, & postea thesauri sanctificatorum à Regibus: diuersitas enim thesaurorum significatur.

Vers.21. *Filij Lahdan. filij Ghersuni: de Lahdan capita familiarum de Lahdan Ghersuni, Iechieli.*

Vers.22. *Filij Iechieli: Zetham, & Ioel frater eius, super thesauros domus Domini.*

Vers.23. *Hamramitis, Izharitis: Chebronitis, Hazielitis.*] Hebraicè habetur: *Ad Hamramitas, ad Izharitas, ad Chebronitas, ad Hazielitas.* Nomina sunt gentilia, hoc est, quatuor gentium à quatuor fratribus filiis Cehath: & tanquam rubrica præponitur subiunctorum per totum hoc cap. Vnde statim subditur de filius Hamram per Mosem dux super omnes thesaurarios.

Vers.24. *Et Sebuel, filius Ghersom, filij Mosis, præpositus thesauris.*] Hebraicè habetur: *Dux super thesauros.* iste enim ex stirpe Mosis, caput omnium super thesauros significatur.

Vers.25. *Et frater eius Eliezer.*] Hebraicè habetur: *Et fratres eius ad Eliezer.* hoc est, & fratres eius descendentes ab Eliezer.

Cuius filius Rechabia, & huius filius Iesaias, & huius filius Joram: Zichri quoque filius Zichri, & huius filius Selomith.] Totus iste contextus corruptus est: nam Hebraicè non texitur genealogia filij, nepotis, pronepotis, &c. sed describuntur quinque fratres originem habentes ab eodem: nam scribitur: *Rechab iahu filius eius, & Iesaiah iahu filius eius, & Joram filius eius, & Zichri filius eius, & Selomith filius eius.* Isti quinque fratres numerantur orti de Eliezer, altero filio Mosis.

Vers.26. *Ipse Selomith, & fratres eius super omnes thesauros sanctitatum, quas sanctificauit.*] hoc est, dicauit Deo.

Vers.27. *Dauid Rex, & capita familiarum Tribuni, & Centuriones, & duces exercitus.*

De bellis, & de spoliis sanctificauerunt ad instaurationem, & supellectilem templi Domini.] Hebraicè habetur, *ad roborandum pro domo Iehouah.* hoc est, ad faciendum thesaurum robustũ pro domo Iehouah: ad hoc enim obtulerat Dauid cũ dictis Principibus.

Vers.28. *Hæc autem vniuersa.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et omne quod sanctificauit Samuel videns, & Saul filius Cis, & Abner filius Ner, & Ioab filius Zeruia: omnis sanctificans, super manũ Selomith, & fratrũ eius.* Quanuis ista à Samuele, & Saüle non fuerint pro ædificãda domo Dei; fuerũt tamen pro opportunis ad diuinũ cultũ dicata, & sub Pręfectis istis seruata.

Vers.29. *Izharitis verò præerat Chenanias.*] Iuxta Hebr. habetur: *Ad Izhari Chenanias, & filij eius ad opus forinsecus super Israël.* Nomen proprium est Izhari gentis ortæ à fratre Hamram Izhar; prosequitur enim quatuor propositas gentes Leuiticas: perinde ac dictum fuisset, quoad Izharitas, Chenanias, & filij eius præfecti sunt ad opera forinsecus super Israël. Et est sermo de operibus subditis Leuitis. Et quod dicitur forinsecus, relatiuè ad Ierusalem intelligendum est. Quæ fuerint ista opera, non liquet: ex eo tamen, quòd dicitur, *super Israël*, insinuatur opera esse communia vniuerso Israëli. Quod autem subditur:

Ad docendum, & iudicandum eos.] Hebraicè habetur, *in Præfectos, & Iudices.* officium enim istorum explicatur ad præsidendum, & iudicandum opera foris super Israël.

Vers.30. *Porrò de Hebronitis.*] Sensus benè redditur: Hebraicè tamen habetur: *Ad Chebroni.* quemadmodum dictum est ad Izhari: significantur enim Leuitæ Hebronitæ, quemadmodum significati sunt Leuitæ Izharitæ. Nec est nomen patrium à ciuitate Hebron; sed nomen gentile à tertio filio Cehath: à quo nominata est gens Hebronita, sicut ab Hamram Hamramita, & ab Izhar izharita.

Chasab iahu, & fratres eius viri fortissimi.] Hebraicè habetur: *Filij fortitudinis mille, & septingenti.* Quòd autem subditur:

Præerant Israëli.] Hebraicè habetur, *super ordinationem Israelis trans Iarden.* Hinc colligitur, quòd Izharitę Pręfecti super Israël non intelligũtur Pręfecti super vniuersum Israël, sed super Israël cis Iordanem. Ita quòd dicendo, foris, excluditur Ierusalem, & dicendo, super Israël, comprehenditur duntaxat Israël cis Iordanem: quoniam trans Iordanem præfecti sunt Hebronitæ. Idem autem intelligo significari nomine ordinationis, quod significatum est nomine operum in vniuerso siquidem Israële sparsa erant opera ordinata, seu ordinanda ad ea, quæ sunt Dei: & super hæc præfecti sunt Leuitæ.

Contra occidentem.] Hinc apparet, quòd non Præfecti sunt isti vniuersæ regioni trãs Iordanem: sed vni duntaxat parti.

Ad omne opus Domini, & ad ministerium Regis.] Extensum est officium istorum etiam ad ea, quæ Regis erant: cùm ex proprio officio non incumberet illis cura, nisi operum relatorum ad summum Deum.

Vers.31. *Hebronitarum autem Princeps fuit Ieriae secundum familias, & cognationes eorum.*] Mutila est hæc particula: nam Hebraicè habetur: *Ad Chebroni Ieri-ia Princeps, ad Chebroni secundum generationes suas per familias.*] Ad differentiam Hasabiæ, & præscriptorum, qui Præfecti sunt trans Iordanem, describitur, quòd Ierias fuit Princeps Hebronitarum: ne erraretur enim intelligendo Hasabiam fuisse

Principem

Principem gentis Hebronitæ, declaratur, quòd Ierias fuit Princeps Hebronitarum secundum omnes familias Hebronitarum.

Quadragesimo anno regni Dauid recensiti sunt.] hoc est, parum ante mortem Dauidis: nam regnauit quadraginta annis, & mensibus sex. Et tempus hoc intellige referri non solùm ad subscriptos; sed ad suprascriptos Leuitas: insinuatur enim, quòd tunc ordinauit Dauid huiusmodi Præfectos, & similiter supradictas diuisiones Sacerdotum, & Leuitarum.

Iazer, nomen ciuitatis.

Et inuenti sunt in eis potentes fortitudine in Iahzer Ghilhad.] Nomen est ciuitatis Iazer in regione Ghalalhad: & erat ciuitas Leuitarum.

Vers. 32.

Et fratres eius.] hoc est, Hazielitæ: hæc enim quarta gens prænominata, supererat præficienda: & propterea tanquàm sola residua, non est nomine proprio repetita; sed fraterno: narratur enim, quòd fuerùt requisiti, & inuenti etiam fratres eius, scilicet, Ieriæ Hebronitarum ducis. Melius tamen legeretur: *Et fratres sui.* referendo fratres trium aliarum gentium Hazielitas: istorum siquidem fortitudo, & numerus subiungitur.

Robustioris ætatis.] Hebraïcè habetur: *Filij fortitudinis.* hoc est, valdè fortes.

Duo millia & septingenti Principes familiarum: constituitque eos Dauid Rex super Rubenitas, & Ghaditas, & dimidiam Tribum Manassis.] Hoc dicitur ad differentiam alterius partis trans Iordanem, cui præfecti sunt Leuitæ Hebronitæ. Et hinc colligitur, quòd præter Rubenitas Ghaditas, & dimidiam Tribum Manassis, erant multi alij trans Iordanem subditi regno Dauidis, & diuinis operibus.

In omne ministerium Dei, & Regis.] Hebraicè habetur, *ad omne verbum Elohim, & verbum Regis.* Etiam istorum officiũ extensum est ad ea, quæ Regis erant. Et appellatione verbi, intellige rem: tam enim ad res Dei, quàm ad res Regis præfecti sunt Leuitæ isti super istas duas Tribus, & dimidiam.

CAPVT XXVII.

Vers. 1.

ILII *autem Israel secundum numerum suum Principes familiarum, & Tribuni, & Centuriones, & Præfecti eorũ ministrantes Regi, iuxta turmas suas ingredientes, & egredientes.*] Iuxta Hebræum habetur: *Ad omnem rem diuisionũ ingredientem, & egredientem per singulos menses, per omnes menses anni: diuisio vna, viginti quatuor millia.* Expeditis distributionibus Leuitarũ quas fecit Rex Dauid, narratur dispositio regni secundùm diuersas distributiones officiorum ordinata ab ipso Dauide: & primùm describitur ordo militaris distributus in duodecim partes, iuxta duodecim anni menses: ita quòd quælibet pars suo mense ministraret Regi: & erant partes æquales; vtpote cõtinente qualibet viginti quatuor millia hominum. Ad quid autẽ quælibet pars suo mense seruiret, describitur hîc dicendo: *Ad omnem rem diuisionum ingredientem, & egredientem.* Significanter adiungitur, *diuisionum*, ad differentiã rei, tam superantis vires partis vnius (ad quam opus erat maiorem exercitum cogere,) quàm minoris, ad quam sufficiebant ordinarij ministri iustitiæ: turmę enim istæ duodecim militares erãt: & quælibet suo mense ad obuiandum rei cuilibet diuisionum (hoc est, spectanti ad huiusmodi distributionẽ militum) seruiebat. Quòd autẽ dicitur, *ingredientem, & egredientem*, significat ad omnem rem huiusmodi, vbicunque euenerit, ad quencunque locum opus fuerit ire: significant enim Hebræi per ingredi, & egredi vniuersas differentias locorum: imò & vniuersas actiones locales.

Ordo militaris Dauidi ministrabat distributus in duodecim partes.

Per ingredi, & egredi significant Hebræi vniuersas differentias.

Vers. 2.

Turmæ primæ in primo mense præerat Iasobham, filius Zabdiel: & in turma eius viginti quatuor millia.

Vers. 3.

De filiis Perez, caput omnium Principum exercitum in mense primo.] Prima turma Principi ex Tribu Iudæ data est, propter dignitatem regiam, quam assecuta erat Tribus Iudæ: & primæ turmæ Princeps propterea prælatus est non solùm suæ turmæ, sed etiam reliquis Principibus vndecim turmarum.

Vers. 4.

Turmam autẽ secundi mẽsis habebat Dodai Achochites, & post se alterũ nomine Macelloth, qui regebat partem exercitus viginti quatuor millium.] Hebraïcè habetur: *Et diuisio eius, & Mic-loth dux: & super diuisionem eius viginti quatuor millia.* Et est sensus, quòd diuisio erat propria ipsius Dodai: veruntamẽ ipse non personaliter præsidebat illi, sed Mic-loth erat dux illius diuisionis. Iste enim Dodaï: cum persona Regis fortè erat; & propterea concessum est ei subrogare ducem suæ turmæ. Simile autem quid scribitur in tertia turma.

Vers. 5.

Princeps exercitus tertij in tertio mense, erat Bena-iahu, filius Ioiada Sacerdotis: & in diuisione eius viginti quatuor millia.

Vers. 6.

Ipsa est Bena-iahu potẽs in triginta, & super triginta: & diuisioni eius præerat Hammizabad, filius eius.

Vers. 7.

Quartus in mense quarto Hasael frater Ioab.] Quæstio statim oritur: eò quòd nõ est possibile Hazaëlẽ vixisse tempore, quo Dauid hunc ordinem statuit: nam Hazael (vt patet 2. Reg. 2.) occisus est regnãte Dauide in Hebron, viuente adhuc Isboseth Rege Israël: impossibile est enim, quòd tunc Dauid ordinauerit duodecim turmas, quarum quælibet comprehenderet viginti quatuor millia virorum militarium. Solutio est, quòd ordinem duodecim Præfectorum iuxta ordinem mensiũ ordinauerat Dauid, cùm regnaret in Hebrõ: & tũc Hazaël decretus est quartus præfectus: numerum autem ad viginti quatuor millia extendit Dauid, postquã fuit Rex super vniuersum Israël. Et quarta turma data est filio Hazaelis: & propterea in litera dicitur:

Hazaël quãdo vixerit.

2 Reg. 2.

Et Zebad-ia filius eius post eũ.] quia successit patri.

Et in turma eius viginti quatuor millia.

Vers. 8.

Quintus in mense quinto, Princeps Samhuth Iizrach: & in turma eius viginti quatuor millia.

Vers. 9.

Sextus in mense sexto, Hira filius Hicces Thecohites: & in turma eius viginti quatuor millia.

Vers. 10.

Septimus in mense septimo, Chelẽ Pelonites de filiis Eph-raim: & in turma eius viginti quatuor millia.

Vers. 11.

Octauus in mense octauo, Sibbechai Chusathithes de Zarchi: & in turma eius viginti quatuor millia.

Vers. 12.

Nonus in mense nono, Abihezer Hannethothites de filiis Iemini: & in turma eius viginti quatuor millia.

Vers. 13.

Decimus in mense decimo, Maharai Netophathites de Zarchi: & in turma eius, viginti quatuor millia.

Vers. 14.

Vndecimus in mense vndecimo, Bena-ia Pir-hathonites de filiis Eph-raim: & in turma eius viginti quatuor millia.

Vers. 15.

Duodecimus in duodecimo mense, Heldai Netophathites de Hothniel: & in turma eius viginti quatuor millia.

Vers. 16.

Et super tribus Israëlis.] Narrato ordine militarium virorum in regno Dauidis seruato, subiungitur ordo seruatus in regimine populi: & scribitur, quòd singulis Tribubus præfecit Rex singulos gubernatores: quorum nomina subiunguntur.

Reubenitis dux Eliezer filius Zichri: Simeonitis Sephat-iahu filius Maachæ.

Vers. 17.

Leuitis Hasah-ia filius Cemuel: Aaroni Zadoc.

Vers. 18.

Iehudæ Elihu de fratribus Dauid: Issaschar Omri filius Michael.

Vers. 19.

Zebulun, Ismah-iahu filius Hobad-iahu: Naphthali Ierimoth filius Hazriel.

Vers. 20.

Filiis Eph-raim, Hoseah filius Hazaz-iahu: dimidia

midia Tribui Menaſſis, Ioel filius Pedaiahu.

Vers.21. *Dimidio Menaſſi in Ghilhad, Iaddo filius Zechariahu: Binſamin, Iahasiel filius Abner.*

Vers.22. *Dan-hazar-el filius Ierochamuſti Principes filiorum.*] Legendum eſt, *Tribuum Iſrael.* erant enim Præfecti tribubus.

Vers.23. *Non leuauit autem Dauid numerum eorum à filio viginti annorũ, & infrà: quia dixerat Dominus, quòd multiplicaret Iſraëlẽ quaſi ſtellas cæli.*] Ratio redditur, quare nõ ſcribitur numerus virorum cuiuſque Tribus, quemadmodũ ſcriptus eſt numerus militũ cuiuſque turmæ: ratio, inquã, redditur: quia Dauid noluit, vt numeraretur populus infra vigeſimum annum, ne offenderet Deum: qui decreuerat, populum fore innumerabilẽ, quemadmodũ ſtellas cæli, promittendo multiplicare ipsũ, ſicut ſtellas cæli.

Vers.24. *Ioab filius Zeruiæ, cœpit numerare, & non complevit.*] Ratio redditur, quare non ſcribitur certus numerus virorum cuiuſque Tribus à vigeſimo anno, & ſupra, cùm iſta numeratio nõ ſit in lege prohibita: ratio, inquam, redditur; quia ſemel duntaxat tempore Dauidis facta eſt huiuſmodi numeratio, & habuit duo impedimenta: alterum ex parte Ioab, cui commiſſa eſt numeratio, quòd incepit numerare; ſed non finiuit: alterum ex parte Dei.

Quia ſuper hoc ira Dei irruerat in Iſrael.] Hebraïce habetur, *& fuit in hoc ira ſuper Iſrael.* De hac ira ſcriptum eſt in calce ſecundi Regum. & in vigeſimoprimo capitulo huius Nec hîc deſcribitur, vt impedimentum inter numerandum, (quia Ioab retulit numerum ad Regem,) ſed vt impedimentum rediendi numerum allatum à Ioab in libros Annales Regis Dauid: media enim fuit diuina vltio inter numerationem, (quamuis imperfectam,) & relationem numeri in libros regios. Vnde Hebraïce ſubditur: *& non aſcendit numerus in numerum verborum dierum Regis Dauid.* Vbi clarè apparet ſententia poſita.

Vers.25. *Super theſauros autem Regis fuit Hazmaueth filius Hadiel: & ſuper theſauros in agro in ciuitatibus, & in villis, & in turribus, fuit Ionathan filius Huzziahu.*] Poſt Præfectos militum, poſt Præfectos Tribuum, deſcribuntur Præfecti ſuper theſauros Regis pro domeſtica familia alenda.

Vers.26. *Super facientes autem opus agri ad culturam terræ, fuit Hezri filius Chelub.*

Vers.27. *Et ſuper vineas Simin Ramathites: & ſuper cellas vinarias Zabdi Siphmites.*

Vers.28. *Super oliueta autem, & ficeta, quæ erant in campeſtribus, Baalchanan Gaederites: & ſuper cellas olearias Ioas.*

Vers.29. *Super boues autẽ paſcentes in Saron, Sitrai Saronites: & ſuper boues in vallibus, Saphat filius Hadlai.*

Vers.30. *Super camelos autem, Obil Iſmahelites: & ſuper aſinas Iechdeiahu Meronothites.*

Vers.31. *Super oues autẽ, Iaziz Hagaritesomnes iſti Principes ſubſtantiæ Regis Dauid.*] Si quaris, vnde Dauid tantam agrorum, &c. copiã habuerit, in promptu eſt reſponſio, quòd ex tot victoriis domeſticis multã habuerit præmiorum, & inde armenta &c. quæ inde capit. greges, vineis, & oliueta, &c. vt haberet Rex ex propriis prouentibus alimenta, & minùs grauaret populum vectigalibus.

Vide Dauidis animum erga Deum in hoc opere.

Vers.32. *Ionathan autem patruus Dauid: conſiliarius, vir prudens, & literatus.*] Iuxta Hebr. habetur: *vir intelligens, & ſcriba ipſe.* Quarto ſiquidem loco deſcribuntur Optimates aſſidentes regiæ perſonæ in gubernatione totius regni: & laudatur conſiliarius iſte patruus Dauidis, tum quoad intellectum, tum quoad peritiam literarum.

Et Ieiel filius Dehachamoni, cum filiis Regis.] Simultas ſignificata monſtrat hos tumules filios Regis: in cuius ſenſus ſignum ſoli ſubiunguntur viri in ſuprema dignitate conſtituti.

Et Achitophel Conſiliarius Regis.] Et hinc quoque clarè apparet, quòd Præfectorum in hoc capitulo ordinatio, non fuit facta anno quadrageſimo regni Dauidis, quo fuit decreta diſtributio Sacerdotum, & Leuitarum: ſed fuit coæua regno Dauidis, quanuis ſit poſteà ſcripta. Vers.33. *Præfectorum Dauidis ordinatio, & Sacerdotum diſtributio, eodem tempore facta.*

Et Chuſai Archites amicus Regis.

Et poſt Achithophel Iehoiadah filius Benaiahu, & Ebiathar: & Principes exercitus Regis Ioab.] Vers.34.

CAPVT XXVIII.

Vers.1. CONGREGAVIT *autem Dauid omnes Principes Iſrael, Principes Tribuũ, & Principes turmarũ, miniſtrantes Regi, & Tribunos, & Centuriones, & Principes ſubſtantiæ & poſſeſſionis Regis & filiorum eius cũ eunuchis, & potentibus, & omnibus potentibus fortitudine ad Ieruſalaim.*] Quia lege prohibitũ erat facere eunuchos, ideò quæſtio oritur, quomodo Dauid vocauerit eunuchos. Soluitio eſt, quòd eunuchus nõ eſt hîc nomen priuati generationis officio; ſed nobilis in regia curia officij: cõmunicabat ſiquidẽ in vocabulis curia Regis Dauidis cum curiis aliorum Regũ: apud quas eunuchus erat nobilis officij nomẽ, vt in ſupraſcriptis legimus hiſtoriis. *Eunuchus, nobilis officij nomen aliquando.*

Vers.2. *Cùmque ſurrexiſſet, & ſteriſſet Dauid Rex.*] Deficit, *ſuper pedes ſuos.*] Senex erat Rex Dauid, & iacebat: & propterea ſcribitur, quòd congregatis Principibus ſurrexit, & ſtetit ſuper pedes ſuos allocuturus Principes.

Audite me, fratres mei, & populus meus: Cogitaui, vt ædificarẽ domũ, in qua requieſceres Arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri.] Hinc habes, quòd Arca erat velut ſcabellũ pedũ relatiuè ad ſedentem in propitiatorio: niſi enim talis habitudo fuiſſet inter Arcam, & tabellam Propitiatorij, quæ erat velut ſedes Dei, nequaquam appellaſſet Dauid Arcam ſcabellum pedum Elohæ noſtri. *Arca non velut ſcabellum pedum Dei, Propitiatorium verò ſedes.*

Et ad ædificandum omnia præparaui.] Superfluit, *omnia.*

Vers.3. *Deus autem dixit mihi.*] Nomen eſt *Elohim*: ſed hæc expoſita ſunt ſupertus cap.22.

Non ædificabis domum nomini meo, quia vir bellorum es, & ſanguines effudiſti.

Vers.4. *Et elegit Dominus Deus Iſraël me ex tota domo patris mei, vt eſſem Rex ſuper Iſrael in ſæculum: de Iehuda enim elegit Principes.*] Hebraïcè habetur: *Elegit ducem.* Sententia eſt clara.

Et de domo Iehuda domum patris mei, & in filiis patris mei, me voluit ad regnadum ſuper totum Iſrael.

Vers.5. *Et de filiis meis (multos enim filios dedit mihi Dominus) elegit Salomonem filium meum.*] Hinc apparet, quod non proprio ſpiritu ipſius Dauidis, ſed diuina authoritate prælatus eſt Salomon fratribus ſuis. *Salomon diuina authoritate prælatus eſt fratribus ſuis.*

Ad ſedendũ ſuper thronum regni Domini ſuper Iſrael.] Agnoſcẽdo regnũ Iſrael eſſe regnũ Dei, (iuxta ſcripta Exod. 19. & in primo libro Reg cap. 8.) dicit, *ſuper thronũ regni Iehouah ſuper Iſrael:* ad manifeſtãdum, quòd humiliter agnoſcit ſedẽ regni eſſe Dei; & ſe, ac Salomonẽ electum ad regnandũ ſuper Iſraël, non tanquàm in regno proprio, ſed tanquàm in regno Dei: vt hinc sẽper præ oculis haberet Salomõ, quòd ad gubernãdũ Dei regnũ eſſet aſsũptus. Exod. 19. 1. Reg. 8.

Dixitque mihi.] Quãdo Deus dixerit Dauidi in ſpecie ſubiuncta de Salomone, ſcriptum non eſt.

Salomo filius tuus ipſe ædificabit domum meam, & atria mea: ipſum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem. Vers.6.

Et firmabo regnũ eius vſque in ſæculũ, ſi perſeuerauerit facere præcepta mea, & iudicia mea, ſicut hodie. Vers.7.

Nunc

Vers. 8. *Nunc ergo.*] Ad Principes congregatos dirigit sermonem.

Coram vniuerso cœtu Israël audiente Deo nostro.] Patui refert, quòd Hebraicè habetur: *In oculis omnis Israelis cœtus Iehouah, & in auribus Elohe nostri custodite, & requirite omnia mandata Domini Dei nostri.* Repræsentatiuè erat ibi omnis Israël in illo Principium cœtu, quem appellat cœtum Iehouah, eò quòd, tam populus, quàm Principes vniti erant in cultu summi Dei. Obtestando itaque Principes, tum à præsentia populi, tum à præsentia Dei, monet, vt custodiant mandata Dei.

Vt hæreditetis terram bonam, & relinquatis eam filiis vestris.] Hebraicè habetur: *Et hæreditare faciatis filios vestros post vos vsque in seculum.* Promissionem legis reuocat ad memoriam.

Vers. 9. *Tu autem, Salomo, fili mi, scito, Deum patris tui, & serui ei in corde perfecto, & animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit.*] Hebraicè habetur: *Et omnẽ creationem cogitationum intelligens.* Vtrunque de Deo dicitur: & quòd affectus omnes scrutatur, & quòd vndecunque pullulet cogitatio, intelligit. Et dixit hoc ad manifestandum, Deo non placere externum cultum absque interno.

Deo non placet externus cultus absque interno.

Si quæsieris eum, inuenietur tibi: si autem dereliqueris eum, proiiciet te.] Hebraicè habetur: *Faciet obliuiscere in seculum.* quod plus est quàm proiicere: obliuio enim etiam spem tollit.

Obliuio spẽ tollit.

Vers. 10. *Nunc ergo.*] Hebraicè habetur: *Vide nunc, quòd Dominus elegit te ad ædificandum domum Sanctorum: confortare, & fac.* Post dilectionem Dei monet filium ad ædificandum templum.

Vers. 11. *Dedit autem Dauid Salomoni, filio suo, descriptionem porticus, & templi.*] Iuxta Hebræum habetur, *figuram porticus, & domorum eius, & cellariorum eius.* Ex eo, quòd scribitur, non dixisse, sed dedisse Salomoni similitudinem subiectorum ædificiorum, intelligimus, quòd pictas dederit similitudines eorum.

Dauid dedit Salomoni pictas similitudines templi.

Et cœnaculi.] Hebraicè habetur, *& solariorum eius.* Quod autem subditur:

Et cubiculorum in adytis.] Hebraicè habetur, *& aularum eius internarum, & domus propitiationis.* Quòd autem sequitur:

Vers. 12. *Necnon & omnium, quæ cogitauerat atriorum, & exedrarum.*] Hebraicè habetur: *Et figuram omnis, quod fuit in spiritu cum eo, pro atriis domus Iehouah, & pro omnibus aulis in circuitu.*] Figuræ ipsorum ædificiorum adiungitur figura ornatus reuelati Dauidi in spiritu existenti pro atriis, & aulis, & thesauris, &c.

In thesauros domus Domini, & in thesauros Sanctorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Pro thesauris domus Elohim, & pro thesauris sanctitatũ.* hoc est, pro locis thesaurorum, tum domus Elohim, tum sanctitatum.

Vers. 13. *Et pro diuisionibus Sacerdotum, & Leuitarum, & pro omni opere ministerij domus Domini: & pro omnibus vasis ministerij domus Domini.*

Vers. 14. *Pro auro in pondere ad aurea, pro omnibus vasis singulorum ministeriorum.*] Multa essent in subiectis mutanda: sed quia materia non exigit, nec sententia variatur, pertranseo.

Pro omnibus vasis argenti in pondere, pro omnibus vasis singulorum ministeriorum.

Vers. 15. *Et pondus pro candelabris aureis, & lucernis eorum aureis, in pondere singulorum candelabrorũ, & lucernarum eorum, & pro candelabris argenteis in pondere, pro candelabro, & lucerna eius, secundum ministerium singulorum candelabrorum.*

Et auri pondus pro mensis propositionis pro singulis mensis: & argentum pro mensis argenteis. Vers. 16.

Et ad fuscinulas, & phialas, & thuribula ex auro purissimo: & leunculos aureos pro qualitate mẽsuræ pondus distribuit in leunculum, & leunculum, similiter & in leones argẽteos diuersum argenti põdus separauit.] Hebraicè habetur: *Et fuscinulas, & malluuia, & calamos ex auro mundo: & pro malluuiis aureis in pondere pro singulo malluuio, & pro malluuiis argenteis in pondere pro singulo malluuio.* Nulla fit mentio leonum. Vers. 17.

Altaris autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit: & vt ex ipso fieret similitudo quadrigæ Cherubum extendentium alas, & velantium Arcam fœderis Domini.] Hebraicè habetur: *Et pro altari thymiamatis aurum purificatum in pondere: & pro figura equitatus Cherubim aureos, pro expandentibus, & tegentibus super Arcam fœderis Iehouah.* Quanuis dictio Hebraica interpretata, *equitatus*, sonet equos trahentes currum absque certo numero; non tamen intelligendum est disposuisse Dauidem, vt fieret Cherubinorum currus in templo: vt testatur executio facta per Salomonem: huiusmodi enim currus nunquam fuit factus. Sed est sensus, quòd mõstrauit ei figuram Cherubinorum ad officium equitatus: hoc est, dedit ei figuram Cherubinorum, non ad hoc, vt adorarentur; sed ad hoc, vt super eos equitans Deus repræsentaretur: iuxta id, quod scriptum est in Psalm. 18. *Et equitauit super Cherubim.* Ita quòd ordo literæ est, & Cherubim aureos ad figurã, seu similitudinem equitatus repræsentandã. Quod autẽ subditur, *pro expandentibus, & tegentibus*, ex Mose sumptum est, qui descripsit Cherubinos expansis alis tegentes super Arcam, vt in Exodo declaratum est. Vers. 18. Pro figura equitatus, Cherubim aurei, *quomodo intelligendum.* Psal. 18. *Super Cherubinos equitans Deus repræsentabatur.*

Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.] Hebraicè habetur: *Omne in scriptura de manu Iehouah super me: intelligere fecit omnia opera similitudinis.* Quia multa ordinauerat Dauid, quæ nõ ordinauerat Moses circa efficienda in templo, (vt patet conferenti suprascripta cum scriptis in libro Exodi;) ideò Dauid manifestat diuina authoritate disponi hæc ab ipso. Et quòd dicit: *Omne in scriptura de manu Iehouah super me.* non de scriptura corporali intelligendum est, sed de scriptura spirituali; quòd videlicet, Deus, tanquàm per scripturam, instruxerit eum de istis. Vnde & ad hanc similitudinem manifestandam adiunxit: *Fecit intelligere omnia opera exemplaris:* insinuat siquidem hinc, quòd Deus per modum visibilis, interno visu monstrauit quasi scripta hæc, quòd non solùm dedit gratiam videndi, sed etiam gratiam intelligendi cuncta opera similitudinis datæ Salomoni: intelligentia enim opus est in visione, vt Daniel scripsit. Nec mirandum est de hac nouã reuelatione efficiendorum in tẽplo: quoniam, quemadmodum Deus noua reuelatione ordinauit fieri templum loco tabernaculi; ita multa ordinabit in templo, quæ non erant ordinata in tabernaculo. Oportuit autem diuinam interuenire authoritatem, ne cuilibet liceret templum ædificare, aut relinquere, & ne crederetur, quòd Dauid propria authoritate recesserit à decretis per Mosem. Vers. 19. *Quæ scriptura, & quo visu Deus instruxerit Dauidem de agendis in templo.* Daniel. 10. 1. *Cur diuina interuenit authoritas in ædificatione templi.*

Dixit quoque Dauid Salomoni, filio suo: Confortare Vers. 20.

tare, & roborare. Non timeas, neque paueas: quia Dominus Deus, Deus meus erit tecum. Non dimittet te, neque derelinquet te, donec perficias omne opus ministerij domus Domini.

Vers. 21. *Et ecce diuisiones Sacerdotum & Leuitarum, in omne ministerium domus Dei: & assistent tibi, & parati sunt, & nouerunt.*] Hebraicè habetur: *Et tecum in omni opere ad omnem spontaneum in scientia ad omnem seruitutem.* Potéstque iungi præcedenti clausulæ: ad insinuandum, quòd diuisiones Sacerdotum, & Leuitarum, non solùm sunt ad omne ministerium domus Elohim, (quod directè spectat ad officia eorum,) sed etiam sunt tecum in omni opere in spontaneos, & scientes ad quodcunque opus fuerit: commendátur enim Sacerdotes, & Leuitæ, quòd & spontanea polleant voluntate, & scientia ad adiuuandum Salomonem ad omne ministerium.

Tam Principes, quàm populi facere omnia præcepta tua.] Hebraicè habetur: *Et Principes, & omnis populus ad omnia verba tua.* subaudi, parati sunt.

CAPVT XXIX.

Vers. 1. *DIxitque Dauid Rex ad totam Ecclesiam: Salomonem filium meum vnum elegit Deus puerum, & tenellum: opus autem grande est, neque enim homini præparatur habitatio.*] Hebraicè habetur, *palatium.* Quod autem sequitur:

Sed Deo] Hebraicè habetur: *Sed Iehouah Elohim.* Quod etiam nomen, *Elohim*, scriptum est paulò superiùs dicendo: *Elegit Deus.*

Vers. 2. *Totis autem viribus meis præparaui impensas domus Domini Dei mei.*] Hebraicè habetur: *Præparaui domui Elohæ mei.* Sed sententia in idem redit.

Aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, lignum ad lignea.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Aurum ad aurum, & argentum ad argentum, & æs ad æs, ferrum ad ferrum, & ligna ad ligna.* Modus loquendi est Hebraïcus.

Lapides onychinos & quasi stibinos.] Hebraicè habetur genericum nomen, quasi diceretur, *& gemmas.* Et immediatè subiungitur: *Lapides stibinos, & diuersorum colorum.* secundùm antiquum Interpretem. Non desunt tamen interpretantes, *carbunculos*: sed nomina propria animalium, herbarum, & lapidum suspecta mihi sunt. Lapides autem appellantur stibini à colore simili stibio, oculos venustos reddenti.

Lapides stibini, qui.

Et omnem lapidem pretiosum, & marmor Parium abundantissimè.] Hebraicè habetur: *Et lapides marmoreos in multitudine.* Hæc enim refert se præparasse, tanquam de publico; hoc est, ex victoriis multis, quas habuerat.

Vers. 3. *Et super hæc, quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo, aurum, & argentum do in templum Dei mei, exceptis iis, quæ præparaui in ædem sanctam*] Iuxta Hebræum habetur: *Et adhuc volente me erga domum Elohæ mei, est mihi peculium auri, & argenti: dedi domui Elohæ mei, insuper à toto paraui domui sanctitatis.*

Vers. 4. *Tria millia talentorum auri de auro Ophir.*] Magnitudinem animi propensi erga ædificandã domum Dei manifestat: adiungendo, quòd ex charo sibi peculio vltra vniuersa suprædicta parata dedit Dei domui tria millia talentorũ auri, &c. Et subaudiũtur relatiua verbis, *dedi, & paraui.*

Et septem millia talentorum argenti probatissimi.] Hebraicè habetur, *mundi.* Quod autem subditur:

Ad deaurandos parietes templi.] Hebraicè habetur: *Ad glutinandum parietes domorum.* per modum enim glutini insinuatur apponendum aurum.

Aurum ad aurea, & argentum ad argentea, & ad omne opus in manu artificis: & quisquis sponte offert, implendo manum suam hodie Domino.] Inuitat ab exemplo suo Principes ad offerendum eodem die. Vers. 5.

Pollicitus sunt itaque.] Hebraicè habetur: *Et spontaneos se exhibuerunt.* proculdubiò ad offerendum. Vers. 6.

Principes familiarum, & Principes Tribuum Israel, & Tribuni, & Centuriones, & Principes operis Regis.

Et dederunt ad ministerium domus Dei, auri talẽta quinque millia, & solidorũ decẽ millia, & argenti talentorũ decem millia, & æris talentorũ decẽ & octo millia, & ferri centum millia talentorum. Vers. 7.

Et apud quẽ inuenti sunt lapides, dederunt thesauro domus Domini per manum Iechiel Gherſunitis.] Non quòd tunc exhibuerint, sed quòd tunc se dare professi sunt: & quia subsecutus est effectus, rectè scriptum est, *& dederunt.* Vers. 8.

Lætatique sũt populus cum, (ponte promiserẽt.)] Sensum reddidit Interpres: Hebraicè enim nulla fit mentio promissionis, sed tantùm spontaneæ oblationis. Vers. 9.

Quia corde toto offerebant ea Domino.] Hebraicè habetur: *Quia in corde perfecto spontaneos se exhibuerunt ad Iehouah.* vtuntur enim quodam verbo, quod circunloquimur per spontaneum se exhibere.

Et etiam Dauid Rex lætatus est lætitia magna.

Et benedixit Dauid Domino in oculis totius cõgregationis: & ait Dauid: Benedictus es, Domine Deus Israel patris nostri, ab æterno in æternum. Vers. 10.

Tua est, Domine, magnificẽtia.] Hebraice habetur: *Tibi Iehouah magnitudo.* hoc est enim primi. Vers. 11.

Et potentia, & gloria, & victoria, & tibi laus.] Hebraice habetur: *Et pulchritudo.* hæc enim quinque primum Deo attribuit Dauid: quibus adiungit alia, quorum primum est: *Quia omne in cœlis, & in terra tibi Iehouah regnũ.*] Optima ratio prædictorum assumitur ex eo, quòd totũ vniuersum est regnum ipsius Iehouah. Deinde immediatè sequitur:

Et exaltans se ad omne in caput.] Quantuncunque superbus aliquis seipsum super alios exaltet in Principem, tibi subiicitur, à te proficiscitur. Sequitur:

Et diuitiæ, & honor a facie tua.] Subaudi, proficiscuntur. Posteà sequitur: Vers. 12.

Et tu dominans in omni, & in manu tua virtus, & potentia: & in manu tua ad magnificandum, & ad fortificandũ ad omne.] Nec limitur hìc virtus pro virtute morali, sed pro viribus: profitetur enim Dauid, omnes vires hominum, & animaliũ, & rerum naturalium, omnémque potentiam subiici diuinæ operationi, & demum actiones omnes, tam grandientes, quam fortificantes, esse sub manu Dei. Virtus *pro viribus hìc sumitur.*

Nuncupatur Deus noster.] Nomen est Elohæ. Et quorsum tendit hæc oratio, manifestat. Vers. 13.

Confitemur

Gloria plus est quàm inclytum.

Confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum.] Hebraicè habetur, *gloria tua.* quod plus est quàm inclytum.

Vers. 14.

Quis enim ego, & quis populus meus, vt possimus hæc tibi vniuersa promittere?] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Quod obtinebimus virtutem, vt simus spontanei sicut hoc?* Agnoscit Dauid, quòd nec ipse, nec populus ex propriis sat est ad præsens officium spontaneæ oblationis, sicut erat illa, sed ex dono Dei hoc proficisci fatetur. Propter quod subdit:

Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.] Hebraicè habetur: *Quia à te omne, & a manu tua dabimus tibi.* Insufficientiam suam, & populi manifestat: quia omnia bona sunt à Deo, & non de manu nostra, sed de manu tua profecta dare possumus tibi.

Omnia bona sunt à Deo.

Vers. 15.

Peregrini enim sumus coram te, & aduenæ, sicut omnes patres nostri.] Lege vigesimumquintũ capitulum Leuitici: & inuenies terræ promissionis proprietatem reseruasse sibi Deum; & filiis Israël dedisse eam quoad vsum, tanquàm peregrinis: & propterea Dauid fatetur, se, & populũ coram Deo esse peregrinos, & aduenas in terra, quemadmodum & patres eorum: agnoscit enim proprietatem terræ reseruatam Deo.

Leuit. 25.

Deus terræ promissionis proprietatem sibi reseruauit; Israelitis verò vsum dedit

Sicut vmbra dies nostri super terra] Post agnitionem sui quoad locũ aptè subiungitur agnitio sui quoad tempus vitæ. Comparatur autem tempus humanæ vitæ, vmbræ: quæ quàtò magis crescit, tantò deterior fit, & ad nihilum tendit: talis enim est progressus dierum vitæ nostræ: nam cõtinuò nati desinimus esse: quilibet enim dies adiunctus adimit tempus vitæ nostræ.

Vita humana comparatur vmbræ.

Et nulla est mora.] Hebraice habetur, *& nõ spes.* subauditur, permanendi: continuè enim, dũ augentur dies nostri, properamus ad non esse, quemadmodum vmbra crescens.

Vers. 16.

Domine Deus noster, omnis copia hæc, quam parauimus ad ædificandum tibi domum nomini sancto tuo; de manu tua est, & tua sunt omnia.] Hebraicè habetur: *Et tibi omne.* supple, redditur.

Vers. 17.

Scio, Deus meus, quod probes corda, & simplicitate dilegas.] Hebraicè habetur: *Et noui, Elohe mi, quod tu dijcernens cor, & rectitudines voles.* Paruipendens vniuersas res oblatas (aurum, argentũ, &c.) manifestat se nosse, quòd Deus ponderet, non externas res sed corda offerentium; & quòd placet ei interna rectitudo cordis: & propterea subdit:

Non externa res, sed corda offerẽtium placent Deo.

Vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc.] Hebraicè habetur: *Ego in rectitudine cordis mei me spontaneum exhibui in vniuersis istis.* Faretur cum interna rectitudine spõtaneam fecisse oblationem externarum rerum.

Et nunc populum tuum hic inuentum vidi cum ingenti gaudio offerre tibi donaria.] Circunlocutio est spontaneæ voluntatis.

Vers. 18.

Domine Deus Abrahã, Iizchac, & Israël patrũ nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum: & semper in venerationem tui mens ista permaneat.] Hebraicè habetur: *Custodi hoc in æternum ad creationem cogitationum cordis populi tui: & dirige cor eorũ ad te.* Orat deuotus Rex simul pro populo, vt hunc animum spontaneum ad diuina custodiat Deus in eis in æternũ in parte intellectiua quoad omnẽ creationẽ cogitationũ, nulla cogitandi radice pullulet aliquid contra hũc spontaneũ animum: deinde quoad partem affectiuam, & cor eorum ad ipsum Deum dirigat.

Vers. 19.

Salomoni quoque, filio meo, da cor perfectum: ad custodiendum præcepta tua, testimonia tua, & statuta tua, & ad faciendum omnia, & ad ædificandum palatium, quod præparaui.

Dixit autem Dauid toti congregationi: Benedicite, quæso, Domino Deo vestro. Et benedixit tota congregatio Domino Deo patrum suorum.] Quibus verbis vtebantur laudando Deum, non est scriptum quoad populum. Vers. 20.

Et inclinauerunt se, & adorauerunt Dominum, & Regem.

Immolauerúntque victimas Domino, & obtulerunt holocausta Domino die sequenti, (tauros mille, arietes mille, agnos mille, & libamina eorũ.) & vniuerso ritu abundantissimè in omnẽ Israël.] Hebraïcè habetur: *Et sacrificia in multitudine omni Israeli.* In huiusmodi enim solennitatibus (cùm tãta erat copia victimarum) Sacerdotes, acceptis iis, quæ sufficiebant pro vsu eorum, erogabant portiones suas populo suo, vt par est credere. Vers. 21.

Apud Hebræos in solẽnitatibus Sacerdotes acceptis sufficientibus sibi, erogabant portiones suas populo.

Comederúntque, & biberunt coram Domino in die illa in lætitia magna: & regnare fecerunt secundò Salomonem, filium Dauid; vnxerúntque eum Domino in ducem.] Priùs enim vnctus erat absque conuocatione totius Israël, vt scriptum est 3. Reg. 1. voluit autem Dauid, vt iterum, præsente vniuerso Israële, & approbante vngeretur Salomon in Regem. Vers. 22.

3. Reg. 1. Bis vnctus est Salomon in Regem.

Et Zadoc in Pontificem.] Clarè patet, quòd tẽpore Dauidis Zadoc fungebatur pontificatu. Vers. 23.

Sedítque Salomo super solium Domini in Regem pro Dauid patre suo, & prosperatus est: & paruit ei totus Israël.

Et omnes Principes, & potentes, & etiam omnes filij Regis Dauid dederũt manũ sub Salomone Rege. Vers. 24.

Magnificauítque Dominus Salomonem in excelsum in oculis totius Israël: & dedit ei gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum Rex Israel. Vers. 25.

Igitur Dauid, filius Iisai, regnauit super totum Israel. Vers. 26.

Et dies, quibus regnauit super Israël quadraginta anni: in Cheb-ron regnauit septem annis, & in Ierusalem regnauit triginta tribus. Vers. 27.

Mortuúsque est in senectute bona plenus.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *saturum dierum, diuitiarum, & honoris.* super iis enim declarata est huiusmodi saturitas. Vers. 28.

Regnauítque Salomo filius eius pro eo. Vers. 29.

Gesta autẽ Dauid priora, & posteriora, ecce ipsa scripta sunt in libro Samuelis videntis.] Quanuis apud Hebræos, tam primus, quàm secundus Liber Regum Samuelis nomine sit insignitus: ex eo tamen, quòd Samuel mortuus est ante Regem Saülem, & gesta Dauidis scripta in secundo libro fuerunt post mortem Saulis, patet, quòd liber secundus non potest attribui Samueli, tanquàm Authori. Fortè vterque liber attribuitur Samüeli tanquàm materiæ, eò quòd vtriusque libri materia est Samuel, & opera eius; Saul, videlicet, & Dauid: fuerunt enim ambo Reges quasi creaturæ Samuelis; & propter hos incepit ipse Samuel scribere hos libros: & in primo quidẽ libro scripta sunt priora gesta Dauidis: in secundo autẽ (cuius Author nescitur) scripta sunt posteriora.

An Samuel sit Author secundi libri Regum.

Et in libro Nathan Prophetæ, & in verbis Ghad videntis.] Caremus libro, tã Nathan, quàm Ghad Quomodo autem fuerint perditi, aut quãdo, nescimus: neque enim apud Hebræos inueniuntur.

Libri Nathã, & Gad, perditi sunt.

Cum toto regno eius, & potentia eius: & temporibus, qua transierunt super eum, & super Israel, & super omnia regna terrarũ.] Finitur 1. liber Paralip. Romæ, die decimaseptima Ianuarij, 1532.

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. XYSTI,

IN SECVNDVM LIBRVM PARALIPOMENON COMMENTARII.

CAPVT I.

Vers. 1. ROBORATVS *est ergo Salomo filius Dauid in regno suo: & Dominus erat cum eo.*] Deficiunt duæ dictiones: legendum est: *Et Iehouah Elohe eius cum eo, & magnificauit eum in excelsum.* Deo attribuitur grandire Salomonem, & Salomon describitur cultor summi Dei.

Vers. 2. *Præcepitque.*] Hebraicè habetur: *Et dixit Salomo.* simplici enim verbo sat erat innuere.

Vers. 3. *Vniuerso Israeli, Tribunis, & Centurionibus, & Iudicibus, & omnibus ducibus totius Israel capitibus familiarum.*] Constructio est appositiua, ad declarandum, quòd non inuitauit vniuersum Israelem in seipso populo; sed in Tribunis, & Centurionibus, &c.

3. Reg. 3. *Iuitque Salomo, & tota congregatio cum eo ad excelsum, quod erat in Gibbon.*] Historia hæc tractata est 3. Reg. cap. 3. *Vbi erat tabernaculum fœderis Dei.*] Hebraice habetur: *quia ibi fuit tentorium adunationis Dei, quod fecit Moses seruus Dei in deserto.* Vide, quanto tempore duravit tabernaculum factum à Mose in deserto.

Vers. 4. *Arcam autem Dei.*] Nomen est Elohim.

1. Reg. 13 2. Reg. 6. *Ascendere fecerat Dauid de Cariath Iearim, cùm præpararet ei Dauid: quia extendit ei tentorium in Ierusalem.*] De hac deductione Arcæ scriptum est, & in primo libro cap. 13. & in secundo Regum cap. 6. hic autem commemoratur ad manifestandum, quòd Salomone eunte ad tabernaculum Dei factum à Mose, non erat Arca Dei in illo tabernaculo, sed in Sion.

Vers. 5. *Et altare æneum, quod fecerat Bezal el, filius Uri, filii Chur, ibi erat coram tabernaculo Domini: requisuitque illud Salomo, & congregatio.*

Vers. 6. *Holocausta obtulit Salomon medius Sacerdotibus.* *Ascendítque Salomo illuc ad altare æneum coram Domino, quod erat in tentorio adunationis: & obtulit super illud holocausta mille.*] Ratio ascendendi ad excelsum Ghabaon, redditur oblatio super altare illud. Ne sis ita rudis, vt intelligas, Regem obtulisse per seipsum holocausta; sed secundùm legis morem mediis Sacerdotibus.

Vers. 7. *In nocte illa apparuit Deus Salomoni.*] Nomen est Elohim: quod etiam repetitur, cùm subiungitur, quòd dixit Salomon Deo.

Dixítque ei: Pete, quod dem tibi.

Vers. 8. *Dixítque Salomo Deo: Tu fecisti cum Dauid patre meo misericordiam.*] Hebraicè habetur, *gratiam magnam, & regnare fecisti me pro eo.* Et similiter cùm dicitur.

Vers. 9. *Nunc igitur, Domine Deus, impleatur sermo tuus, quem pollicitus es Dauid patri meo.*] Hebraicè habetur: *Nunc, Iehouah Elohim, firmetur verbum tuum cum Dauid patre meo.* Interpres addidit reliqua:

Tu enim regnare fecisti me super populum multum, sicut pulverem terræ.] Modus loquendi hyperbolicus est.

Vers. 10. *Da mihi sapientiam, & intelligentiam.*] Legendum esset: *Nunc sapientiam, & scientiam da mihi.* Vt scire referatur ad notitiam, sapere autem ad iudicium.

Et egrediar coram populo isto, & ingrediar.] Vniuersæ actiones comprehenduntur sub introitu, & exitu.

Quis enim iudicabit populum tuum hunc magnum?

Vers. 11. *Dixit autem Deus Salomoni.*] Nomen est Elohim.

Quia hoc placuit cordi tuo, & non postulasti divitias, & substantiam, & gloriam.] Hebraicè habetur, *divitias, gemmas, & honorem, & animas odientium te, & etiam dies multos non postulasti: & postulasti tibi sapientiam, & scientiam, quibus iudices populum meum, super quem regnare feci te.*

Vers. 12. *Sapientia & scientia data sunt tibi, divitiasque & gemmas, & honorem dabo tibi; ita quod non fuit sic Regibus, qui fuerunt ante te: nec post te erit sic.*

Vers. 13. *Venitque Salomo ab excelso, quod erat in Gibbon in Ierusalem, coram tabernaculo fœderis.*] Heb. habetur, *a facie tentorij adunationis.* significatur enim terminus, a quo venit in Ierusalem.

Et regnauit super Israel.

Vers. 14. *Congregauitque Salomo currus, & equites.*] Ex capitulo

Semper sit. tur ad ordinem: sapere ad iudicium.

capitulo decimo tertij Regum sumpta sunt subiuncta.

3. Reg 10. *Et fuerunt ei mille, & quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & posuit eos in ciuitatibus curruum, & cum Rege in Ierusalaim.*

Vers. 15. *Prabuitque Rex argentum, & aurum in Ierusalaim, sicut lapides & cedros prabuit, sicut sycomoros, quæ nascuntur in campestribus in multitudine.*

Vers. 16. *Adducebantur autem ei equi de Ægypto, & de Choa a negotiatoribus Regis, qui ibant, & emebãt pretio.*] Hebraicè habetur: *Et exitus equorum, quos Salomoni ex Ægypto, & adunatio: mercatores Regis accipient adunationem in pretio.*] Vide hæc correcta, & expolita 3. Reg. cap. 1.

Vers. 17. *Quadrigam equorum sexcentis argenteis, & equũ centum quinquaginta: similiter de vniuersis regnis Cethæorum, & a Regibus Syriæ emptio celebrabatur.*] Hebraicè habetur: *Ascenderunt, & eduxerunt ex Ægypto quadrigam in sexcentis argenteis, & equum in centum, & quinquaginta: & sic omnibus Regibus Chetthim, & Regibus Aram in manu sua facient exire.*] Correcta, & expolita est similiter hæc littera in tertio Reguin.

CAPVT II.

Vers. 1. *Decreuit autem.*] Hebraicè habetur: *Et dixit Salomo.* Exterior siquidem actus dicendi, vt fieret, significatur.

Ædificare domũ nomini Domini, & palatium sibi.] Hebraicè habetur, *& domum regno suo.* Non condigna regno visa est domus ædificata à Dauide: & propterea dignam regno domum Salomon sibi ædificauit.

Vers. 2. *Numeraruitque Salomo septuaginta millia virorum portantium humeris.*] Hebraicè habetur, *virorum oneris.* ita quòd describuntur septuaginta millia virorum oneris: siue veherent, siue portarent, omnes ad onera deputati cõprehenduntur.

Et octoginta millia virorum, qui caderent lapides in montibus.] Superfluit. *lapides*: cæsores enim in monte nominantur, siue lapidum, siue lignorũ: nam & in hoc capitulo Salomon dicit, se mittere seruos suos ad cædendum ligna. Ex 3. Reg. 5. sumpta sunt hæc, & quæ subiunguntur:

3. Reg. 5. *Et præpositorum super eos tria milia, & sexcentos.*

Vers. 3. *Misit quoque Salomo ad Churam Regẽ Tyri dicendo: Sicut fecisti cum Dauid patre meo, & misisti ei cedros ad ædificandum sibi domum, in qua & habitauit.*] Hebraicè habetur, *ad habitandum in ea.* Similiter quid subiungitur:

Vers. 4. *Sic fac mecum, vt ædificem domum nomini Dei mei, & consecrem eam.*] Hebraicè habetur: *Ecce ego ædificans domum nomini Iehouah Eloha mei ad sanctificandum ei.* Domus Dauidis ædificata erat ad habitandum: domus autem Dei ædificatur nõ ipsi Deo, sed nomini eius ad sanctificandum illud: ad hoc enim fiunt templa, vt nomen Dei fiat sãctum; hoc est, mundum, & eleuatum publicè: ipsiè enim cultus in templo exhibitus ad hoc ordinatur: & propterea subiungitur cultus.

Templa ad quid Deo ædificentur.

Ad adolendum incensum coram illo, & fumigãdum aromata.] Iuxta Hebraicum habetur, *ad suffitum coram eo suffimentum aromatum.* Vnica siquidem sacrificij species describitur.

Et ad propositionem panum sempiternam.] Hebraicè habetur, *& ordinationem continuam*, quã Interpres intellexit ordinationem panum iugem in mensa propositionis.

Ordinatio continua, quid.

Et holocausta mane, & vespere, ad Sabbatha, & ad Calendas, & ad solennitates Domini Dei nostri: in sempiternum hoc mandatum est Israel.

Et domus, quam ædificare cupio, magna est: quia magnus est Deus noster pra omnibus diis. Vers. 5.

Quis ergo obtinebit vires ad ædificandum ei dignam domum.] Superfluit, *dignam.* Vers. 6.

Si cælum, & cæli cælorum non capiunt eum, quis ego sum, vt ædificem ei domum, nisi ad suffiendum coram eo?

Nunc igitur mitte mihi virum eruditum.] Hebraïcè habetur, *virum sapientem*, qui longè maior est erudito. Vers. 7. *Sapiens maior est erudito.*

Ad operandum in auro, & argento, & ære, & ferro, & purpura, & coccino, & hyacintho, & sciente sculpere calaturas, cum his artificibus.] Hebraicè habetur, *cum sapientibus*, qui sunt mecum in Iehuda, & in Ierusalaim, *quos præparauit Dauid pater meus.* Non qualescunque artifices, sed sapientes se habere fatetur: mittit tamen pro sapientissimo nominato in Tyro.

Mitteque mihi ligna cedrina, & arcisetina.] Hebraicè habetur, *& abiegna*; hoc est, ligna abietis. Vers. 8.

Et pinea de Libano.] De hoc ligno discordant Interpretes, sed de nominibus propriis non fit quæstio.

Scio enim, quòd serui tui sciunt cædere ligna Libani, & erunt serui mei cum seruis tuis.] Hinc apparet, quòd Salomon vnam partem numeratorum centum & quinquaginta millium misit ad Libanum pro lignis

Ad parandum mihi ligna in multitudine: quia domus, quam cupio ædificare, magna est nimis, & inclyta.] Hebraicè habetur, *magna, & mirabilis.* Vers. 9. Dignam enim admiratione domum intendebat facere.

Et ecce pro cæsoribus lignorum seruis tuis dabo in cibaria tritici choros viginti millia, & hordei choros totidem.] Hebraicè habetur: *Dedi granorũ tusorum mensuras viginti millia, & hordei mensuras viginti millia.* Non dicit granorum molitorũ, (hoc est, farinæ;) sed granorum tusorum, hoc est, semifractorum: insinuatur enim hinc, quòd ad vsum pulmenti hæc erant, non ad conficiendum panem. Species autem mensuræ (putà chorus, vt communiter intelligitur) incerta nobis est Vers. 10.

Olei quoque sata viginti millia. Deficit prouisio vini: nam Hebraice prius scribitur:

Et vini mensuras viginti millia, & olei mensuras viginti millia.] Vnde & inferius cùm scribitur executio, narrantur quatuor (triticum, hordeum, vinum, & oleum) in hoc eodem capitulo.

Dixit autem Churam, Rex Tyri, per litteras, quas misit ad Salomonẽ: Quia dilexit Dominus populum suum, idcirco tetegnauit eos super eum. Vers. 11.

Dixitq; Churam: Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cælum, & terram, qui dedit Dauid Regi filium sapientem, & eruditum, & sensatum, atque prudentem.] Hebraicè habetur, *filium sapientem, scientiæ intellectus, & intelligentiæ.* Vt intelligentia referatur ad intelligendum inuenta ab aliis, intellectus autem ad noua inuenienda. Vers. 12. Intelligentia, & intellectus, *ad quid referãtur.*

Vt ædificaret domum Domino, & palatium sibi.] Hebraicè habetur: *Qui ædificabit domum Iehouah, & domum regno suo.* quod superiùs expositum est.

Misi ergo tibi virum prudentem, & eruditissimum, Hiram fabrum patrem meum.] Hebraicè habetur: *Et nunc misi virum sapientem scientem, intelligentiam, Churam patrem meum.* Non solùm Vers. 13.

laudat hunc artificem, & quoad sapientiam in iudicando, & ordinando, & quoad scientiam in cognoscendo & penetrando quæcunque intelligenda sunt; sed etiam honorat eum, appellando patrem suum: senex enim magnæ famæ in operabilibus erat.

Vers. 14. 3. Reg. 7. *Filium mulieris de filiabus Dan: & pater eius fuit vir Tyrius.*] Vt in 3. Reg cap. 7. diximus, pater istius erat Hebræus de Tribu Nephthalim; Tyrius tamen (quemadmodum Paulus Hebræus erat, & tamen Thariensis:) quia erant nati in Tyro habitantes.

Qui nouit operari in auro, & argento, & ære, & ferro, & lapidibus, & ligno, & purpura, & hyacintho, & bysso, & coccino, & sculpere omnem caluturam, & adinuenire prudenter quodcunque in opere necessarium est.] Iuxta Hebræum habetur: *Et cogitare omnem cogitationem, qua dabitur ei.* hoc est, ad cogitandum omne cogitabile, quod petitur ab eo in huiusmodi.

Vers. 15. *Cum sapientibus tuis, & sapientibus Domini mei Dauid patris tui.*

Vers. 16. *Granum ergo, & hordeum, & oleum, & vinum, quæ dixit Dominus meus, mittet seruis suis.*

Et nos cademus ligna de Libano iuxta omnem indigentiam tuam, & faciemus venire ea tibi ratibus super mare Iapho: & tu ascendere facies ea in Ierusalaim.

Vers. 17. *Numerauitque Salomo viros proselytos.*] Hebraïcè habetur, *peregrinos*, vt etiã superiùs diximus.

Qui erant in terra Israel post dinumerationem, qua dinumerauit eos Dauid pater eius: & inuenti sunt centum, & quinquaginta millia, & tria millia, & sexcenti.

Vers. 18. *Fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent.*] Corrigenda est hæc litera, quemadmodum & in principio huius capituli: nam Hebraicè habetur, *septuaginta millia oneris.* Et licet iter nihil subinfuerit de cæsoribus lapidum: sed dicitur: *Et octoginta millia cæsorum in monte.* Nec mireris, si multa pertransimus: quia non dicimus repetenda scripta in tertio Regum.

Triamillia autem, & sexcentos præpositos ad faciendum operari populum.]

CAPVT III.

Vers. 1. Genes. 22. *Locus immolationis Isaac, idem qui templi Salomonis.* *Cœpitque Salomo ædificare domum Domini in Ierusalẽ in monte Mori-iah.*] Lege capitulum vigesimumsecundum Geneseos: & inuenies, iuxta Hebraïcam veritatem Abraham missum à Deo ad terram Mori-iah, vt ibidem immolaret Ishac: vt conferendo hunc textum cum illo, videas eundem esse locum immolationis Ishac, & locum, in quo ædificatum est templum à Salomone.

Qui demonstratus fuerat Dauid patri eius.] quando vidit Angelum percutientem Ierusalem. Vnde & subdidit. *In loco, quem parauerat Dauid in area Ornan Iebusæi.*] Lege superiùs in primo libro calcem capituli 21. & initium cap. 22. & inuenies Dauidem, postquàm sacrificauit in area Ornan Iebusæi, intellexisse, & dixisse: *Hæc est domus Dei.* ex tunc enim parauit aream illam pro loco templi ædificandi. 1. Paralip. 21. & 22.

Vers. 2. *Cœpit autem ædificare in mense secundo.*] Deficit, *in secunda*; hoc est, in secunda die mensis secundi, secundùm ordinem mensium anni incipientis à primo vere: secundo igitur mense vere fundatum est templum.

In anno quarto regni sui.] Iunge illis scripta 3. Reg. 6. vbi hæc eadem tractata sunt. 1. Reg. 6.

Et hæc sunt fundamenta, quæ fecit Salomon, vt ædificaret domum Dei.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iste fuit fundatus Selomo ad ædificandum domum Elohim.* Pronomen, *iste*, demonstrat subiectas mensuras longitudinis, &c. quibus imitatus est Salomon ad ædificandum domum Dei. Vers. 3.

Longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta.] Hebraïcè habetur: *Longitudo cubitorum in mensura prima cubitorũ sexaginta.* Aduerte, prudens lector, non facilè fuisse diuinare, quid significatur per mensuram primam, nisi inter repetitos cubitos scripta esset: ex eo enim, quòd dicitur longitudo cubitorum in mensura prima cubitorum sexaginta, insinuatur, quòd mensura prima refertur ad ipsum cubitum: hoc est, quòd erant multæ mensuræ cubiti, quòd erat cubitus primæ mensuræ: & cubitus posterioris mensuræ, erat cubitus antiquæ mensuræ, & erat cubitus nouæ mensuræ: variata siquidem erat mensura cubiti: & ad differentiam cubiti nouæ mensuræ scribitur, quòd longitudo erat cubitorum in mensura prima cubitorum sexaginta. *Mensura prima, quid.*

Et latitudo cubitorum viginti.

Porticus verò, quæ erat super faciem longitudinis super latitudinis domus faciem erat cubitorũ viginti: & altitudo centũ & viginti.] Tertij Reg. 6. altitudo scribitur triginta cubitorum. Sed nulla est contrarietas: eò quòd hîc scribitur altitudo totius ædificij templi à fundamento vsque ad supremam tectum: ibi verò vsque ad primum tectum duntaxat, quod erat tectum ipsius templi. Inter tectum enim templi, & summitatem ædificij erant multæ contignationes mediæ, in quibus reconditi erant diuersi thesauri ipsius templi: erat enim totum templi ædificium, tanquàm turris non quadrata, sed quadrangula. Vers. 4. *Conciliatur hic textus cum alijs 3 Reg. 6.*

Et vestiuit eam intrinsecus auro mundo.] Intellige hoc, non de toto ædificio; sed de domo Dei, cuius altitudo triginta duntaxat erat cubitorum, vt dictum est.

Domum quoque maiorem.] Hebraicè habetur: *Et domum magnam texit ligno abiegnis.* Cum priùs descripserit quasi confuse totum ædificium, modò describit partes templi distinctas in domũ magnam, & in domum Sancti Sanctorum: & domum magnam appellat primam templi partem longitudinis quadraginta cubitorum: reliquam verò partem quadratam (vtpote viginti vndique cubitorum) appellat domum Sancti Sanctorum. Vers. 5. *Domus magna, & domus Sancti Sanctorum quæ.*

Et laminas auri obrizi affixit per totum. Hebraicè habetur: *Et texit eam auro bono.* nihil dicitur de laminis.

Sculpsitque in ea palmas, & quasi catenulas se inuicem complectentes.] Hebraicè habetur: *Et ascendere fecit super eam palmas, & catenas.* Pronomen, *eam*, anceps est: eò quòd Hebraicè potest referri, tam ad domum, quàm ad aurum: & quãuis certum sit, quòd ideò describuntur palmæ, & catenæ ascendentes, eò quòd prominebant in interna superficie: certum tamen non est, an huiusmodi palmæ, & catenæ incisæ essent in ligno, an in auro: ambigo enim de laminis in domo magna. *Palmæ, & catenæ templi an incisæ essent in ligno, an in auro.*

Strauit quoque pauimentum templi pretiosissimo marmore decore multo.] Hebraicè habetur: *Et vestiuit domum lapide pretioso pro gloria.* quod Interpres intellexit de pauimento, & rationabiliter: alioquin non fuisset ad gloriam: nam pa- Vers. 6.

rietes

rietes tegebantur lignis, & auro.

Vers. 7. *Porrò aurum erat probatissimum.*] Hebraïcè habetur: *Et aurum aurũ Paruaim.* Nomen proprium loci dicitur.

De cuius laminis texit domum, & trabes eius, & postes.] Hebraicè habetur: *Et texit domũ, trabes, postes, & parietes eius, & ostia eius auro.*] Appositiua est cõstructio, declarans domũ per partes.

Vers. 8. *Et cælauit Cherubim super parietes. Fecit quoque domum Sancti Sanctorum, cuius longitudo erat iuxta latitudinem domus cubitorum viginti, & latitudo eius cubitorum viginti: & laminis aureis texit eam, quasi talentis sexcentis.*] Hebraicè habetur: *Et texit eam auro bono talentis sexcentis.* Ista talentorum supputatio insinuat, quòd laminis aureis tecta est domus Sancti Sanctorum: & per argumentum à contrario, quòd domus grandis non laminis aureis; sed glutino aureo erat operta: & multò magis tabernaculum Mosis erat sic opertum auro, etiam in Sancto Sanctorum: quia totum portatile erat: quanuis super Pentateuchum secutus alios, aliter scripserim.

Quomodo tecta, domus Sancti Sanctorum, & domus grãdis. Retractat Author scripta in Pentateuchum.

Vers. 9. *Et clauos fecit aureos, ita vt singuli claui ficlos quinquagenos appenderent.*] Hebraicè habetur: *Et pondus clauorum sicli quinquaginta auri.* Vtrùm autem pondus cuiusque claui significetur, non explicatur: ex eo tamen quòd modicum pondus esset clauorum omnium, intelligimus, quemlibet clauum appendisse quinquaginta ficlos.

Cœnacula quoque.] Hebraïcè habetur, *& tecta texit auro:* omnes enim partes tecti significantur opertæ auro.

Vers. 10. *Fecitque in domo Sancti Sanctorum Cherubim duos opere statuario.*] Hebraïcè habetur, *opere puerorum.* Quanuis statuæ Angelorum essent magnæ altitudinis; quia tamen imberbes erant, & facies similes pueris habebant, ideò describuntur *opere puerorum* facti.

Cur Cherubini opere puerorum facti.

Et vestierunt eos auro.

Vers. 11. *Et alarum Cherubim longitudo erat cubitorum viginti: ala vna cubitorum quinque tangebat parietem domus, & ala altera cubitorum quinque tangebat alam Cherub alterius.*

Vers. 12. *Et ala Cherub vnius cubitorum quinque tangebat parietem domus: & ala altera quinque cubitorum, iuncta erat ali Cherub alterius.*

Vers. 13. *Alæ igitur Cherubim istorum expansæ erant per cubitos viginti: ipsi autem stabant erectis pedibus.*] Iuxta Hebræum habetur. *Et ipsi stantes super pedes suos.* Non stabant erectis pedibus; sed super ipsos pedes: hoc est, habentes vtrunque pedem super tertã. Aduerte hìc, quòd, nequehìc, neque in lib. Reg. narratur, quòd Salomon fecerit Cherubinos decretos in lege Mosis, se inuicem respicientes, sustinentes propitiatorium: sed, quemadmodum tacetur vtrobique propitiatorium; ita silentio inuoluuntur Cherubini autei ex auro ductili sustinẽtes propitiatorũ: Cherubini enim in littera explicari erant lignei, deaurati tamen: vt patet in libro Regum. Confer scripta in Exodo cum scriptis in libro Regum: & videbis, quæ dicimus.

Salomon nõ fecit Cherubinos decretos in lege Mosis.

Et facies eorum versæ erant ad exteriorẽ domum.

Vers. 14. *Fecit quoque velum ex hyacintho, & purpura, & cocco, & byssо: & intexuit ei Cherubim.*] Vt seruaret legem Mosis, fecit velum simile velo facto à Mose: an autem hoc velum positum fuerit intra Sanctum Sanctorum, an in superficie exteriori ignei interstitij inter Sanctum, & Sanctum Sanctorum, scriptum non est.

Velum hoc vbi fuerit positum, nescitur.

Fecit etiam ante domum columnas duas, altitudinis triginta quinque cubitorum.] Tertij Regum septimo dicitur, quòd altitudo columnæ erat decem & octo cubitorum. Solutio est, quòd ibi est sermo de quantitate corporis columnæ duntaxat: hìc autem est sermo de toto opificio columnæ, quod constabat ex partibus quatuor; videlicet, basi, columna, capite, & corona: vniuersum enim hoc triginta quinque cubitorum erat.

Vers. 15. *Cur 3. Reg. 7. altitudo columnarũ differat ab illa huius loci.*

Porro capitella earum quinque cubitorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et operculum, quod super caput eius, cubitorum quinque.* De hac corona diffusè scriptum est in tertio libro Regum, cap. 7.

3. Reg. 7.

Nec non & quasi catenulas in oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum: malogranata etiã centum, quæ catenulis interposuit.] Hebraicè habetur: *Et fecit catenas in Deuir, & dedit super caput columnarum. & fecit malogranata centum, & dedit in catenis.* Littera ista obscura valdè redditur ex contextu: quia inter describendum columnas texitur; & tamen tractat de loco appellato, *Deuir*, (quod communiter interpretatur, *oraculũ*,) vnde diuina prodibant responsa: columnæ siquidem extra totum templum erant: Deuir autem erat propitiatorium: quomodo ergo verificatur, quòd fecit catenas in Deuir, & posuit super caput columnarum? Solutio est, quòd Deuir non est hìc nomen loci, sed officij: vt sit sensus: Et fecit catenas in Deuir, hoc est, in mysterio sermonis diuini; vt videlicet catenæ ipsæ loquerentur futuram regni captiuitatem. Et iuxta hunc sensum fit digressio: sed ratio numeri malogranatorum reddenda restat: nam in libro Regũ ducenta malogranata in qualibet describuntur corona: hìc autem centum. Solutio est, quòd ibi describuntur omnia malogranata, tam catenarum, quàm retium: hìc autem malogranata catenarum dũtaxat. quælibet enim zona coronæ (vt ibi dictum est) constabat ex reti, & appendice catena: & hìc declaratur, quòd æqualis fuit numerus malogranatorum super catenas, & numerus malogranatorũ super retia, dum dicuntur centum super catenas. Reliqua exposita vide ibi suprà.

Vers. 16. Deuir, *quis locus.*

Quomodo Salomon fecit catenas in Deuir, & posuit super capita columnarum.

Quot malogranata erant in catenis, & retibus.

Erexitque columnas iuxta faciem templi: vnam à dextris, & alteram a sinistris, vocauitque nomen dextera Iachin, & nomen sinistra Boham.

Vers. 17.

CAPVT IV.

Vers. 1. *FEcit quoque altare æneum, viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis.*] proculdubiò altare holocaustorum, quod erat sub diuo: & quia nihil dicitur de qualitate operis, credendum est, quòd fuerit factum simile alteri facto à Mose; quanuis hoc fuerit longe maius: quia illud quinque, hoc viginti cubitorum.

Et decem cubitorum altitudinis.] Contra legem videtur altitudo ista, eò quòd gradibus opus erat ad ascendendum ad altare tantæ altitudinis. Solutio est, quòd in lege non prohibetur altaris altitudo, sed ascensus ad illud per gradus: & quia Dauid testatus est diuina authoritate, se disposuisse hæc opificia; credendum quoque est, quòd non per gradus, sed aliter ascendebatur ad celsitudinem altaris, quando opus erat: quod tamen rarò contingebat, eò quòd altare æneum mensa carebat: vacuum siquidem erat ambiens altare

An altitudo huius altaris fuerit contra legem.

terreum, super quod offerebantur sacrificia. Nec altare terreum erat altitudinis decem cubitorum: sed erat parum eleuatum à terra, & proportionatum ministerio Sacerdotum, & retibus æreis altaris tuentibus ignem, & sacrificia altaris.

Vers. 2. *Fecitque mare fusile, decem cubitorum a labio vsque ad labium rotundum in circuitu: quinque cubitorum erat altitudo eius, & funiculus triginta cubitorum ambibat ipsum per circuitum. Similitudo quoque boum erat subter illud: & decem cubitis quadam extrinsecus calatura, quasi duobus versibus labium maris circumibant.*] Hebraicè amphibologica est constructio literæ: nam mensura decem cubitorum ad præcedentem clausulam referri potiùs videtur, legendo:

Vers. 3. *Et similitudo boum super illud circumcirca circundantium ipsum decem cubitis, circundantium mare in circuitu.*] Et describitur per hoc quantitas fundi maris: quòd, videlicet erat decem cubitorum secundùm circuitum fundi. Et deinde immediatè sequitur:

Vers. 4. *Duo ordines boum fusorum in fusura illius.*] Interpres autem funxit decem illos cubitos, cum istis ordinibus boum, qui opere fusorio erant quasi eçlati in circuitu maris ad ornatum. Prima tamen lectio amplectenda est, eò quòd quantitas fundi non potest respondere duobus istis ordinibus: quoniam alter saltem ampliorem circulum maris ornabat, vtpote superior.

Boues autem erant fusiles.] Diuisit Interpres contextum: nihil habetur respondens in Hebræo, nisi quod ailatum est.

Et stabat super duodecim boues, quorum tres respiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientē: & mare super eos desuper erat, & omnia posteriora eorum intrinsecus erant.

Vers. 5. *Porrò vastitas eius habebat mensuram palmi.*] Hebraicè habetur: *Et grossitudo eius latitudo manus* quod exposuimus in libro Regum.

Et labium eius erat quasi labium calicis, vel repandi lilij.] Legendum est, *floris lilij*: quamuis non desint interpretantes, *rosæ*: describitur enim labium maris instar labij poculij ornatum autem instar floris rosæ, seu lilij.

Capiebátque mensura tria millia metretas.] Hebraicè habetur, *facientis implere mensuras, tria millia ienebat.* Idem mensuræ nomen scribitur hic, & in lib. Reg. & est mensura liquidorum, & tamen 3. Reg. 7. dicitur, quòd duo millia bathorū capiebat: hic autem, quòd tria millia. Solutio est, quòd ibi describitur mensura secundùm quantitatem aquæ in communi vsu: hic autem secūdùm quantitatem aquæ, quæ poterat apponi, implendo illud vsque ad summum: & propter hoc significanter in litera dicitur, *facienti implere.*

3. Reg. 7. *Controuersia de mensuris diluitur.*

Vers. 6. *Fecit quoque conchas decem, & posuit quinque à dextris (tépli,) & quinque à sinistris.*] templi, in atrio tamen.

Ad lauandum in eis, quæ in holocaustum offerri erant. Porro in mari Sacerdotes lauabantur.

Vers. 7. *Fecit & candelabra aurea decem.*] Moses fecit vnum, Salomon autem decem.

Secūdum speciem, quam iusserat fieri.] Hebraicè habetur: *Sicut iudicium eorum.* hoc est, sicut iudicata sunt fieri ab ipso Dauide.

Et posuit in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris.] proculdubiò ipsius templi intus, hoc est, in prima parte templi, quæ vocabatur sancta.

Fecitque & mensas decem.] Moses fecit duntaxat vnam: Salomon autem decem pro parte propositionis. Vers. 8.

Et posuit eas in templo, quinque à dextris, & quinque a sinistris.] Quando vnicum erat candelabrum, & vnica mensa in templo, candelabrum erat à dextris, (hoc est, in parte meridionali,) & mensa erat à sinistris; hoc est, in parte septentrionali: sed multiplicatis mensis, & candelabris, quinque mensæ hinc, & quinque inde, & similiter quinque candelabra hinc, & quinque inde posita sunt. Ordo autem inter candelabra & mensas non est scriptus: an, videlicet mensæ essent propinquiores Sancto Sanctorum, an candelabra: & rursus, an omnes quinque mensæ essent contiguæ; & similiter quinque candelabra essent contigua, an alternatim vna mensa, & vnum candelabrum, & sic deinceps.

Mensarū & candelabrorū dispositio.

Ordo inter candelabra, & mensas, non est scriptus.

Phialas quoque aureas.] Hebraice habetur: *Et fecit mallusa aurea centum.* Non desunt tamen interpretantes, *crateras.*

Fecitque atrium Sacerdotum, & basilicam grandem.] Hebraicè habetur, *& stratum magnum.* Ita quòd tria legimus atria: primum viginti cubitorum ante faciem templi, quod erat medium inter templum, & altare holocaustorum: secundum atrium Sacerdotum, in quo, scilicet, erant Sacerdotes: & tertium atrium magnum, quod hìc appellatur stratum grande, in quo erat populus. Vers. 9.

Tria atria Salomon fecit in templo.

Et ostia in basilica, quæ texit ære.] Hebraicè habetur: *Et ostia strato, & ostia eorum vestiuit ære.* Ista ostia appellantur ostia templi: nam stratum istud appellatur templum, in quod conuenichat populus.

Mare autem posuit in latere dextro cōtra Orientem ad Meridiem.] Hebraicè habetur, *in Oriente contra Meridiem.* Locus maris describitur in humero dexrro templi, in parte orientali contra Meridiē. Humerus ergo dexter intelligitur pars dextera exeunti homini à templo. Et quia in humero describitur, intelligimus mare positum non ante faciem templi, sed extra templum in latere meridionali: ita quòd murus humeri templi erat septentrionalis mari, & ex parte meridionali nihil erat medium, sed patebat meridionali plagæ: & quia erat vicinum faciei templi, ideò dicitur collatum in Oriente. Vers. 10.

Humerus dexter quomodo intelligendus.

Fecit quoque Churam lebetes, & creagras, & phialas.] Hebraicè habetur, *& scopas, & mallusa.* Sed de nominibus propriis vasorū nō sit quæstio: scopæ tamen repetuntur inferiùs. Vers. 11.

Complsuitque Churam facere opus, quod fecit Regi Salomoni in domo Dei.] Nomen est *Elohim.*

Columnas duas, & epistylia, & capita.] Hebraicè habetur, *& rotunditates, & coronas super caput columnarum duarum.* Deinde immediatè sequitur: Vers. 12.

Et retiacula duo, ad operiendum duo rotunda coronarum, quæ super caput columnarum.] Vide, quæ scripsimus in tertio Reg. de coronis istis: & intelliges rotúda esse inferiores partes coronę.

Rotunda coronarū, quid

Malogranata quoque quadringenta duobus retiaculis.] sic enim habetur Hebraicè: sed appellatione retiaculi intelligitur hìc tā retiaculū, quàm appendix catenę. Deinde immediatè subiungitur. Vers. 13.

Duo ordines malogranatorum retiaculo vni.] alter respondens reti, alter catenæ. Integram enim zonam vnam appellamus retiaculum: non quòd propriè dictio Heb. significet retiaculū; sed neticio quid implevū cōmune operi retis, & operi catenę.

Retiaculum, quid hic.

Quæ protegerent epistylia, & capita columnarū.

Hebraicè

Hebraïcè habetur, *ad tegendum duo rotunda coronarum, quæ super sacies columnarum.* Et hoc quoque expositum est in libro Regum.

Vers. 14. *Bases, quæ fecit : & conchas fecit super bases.*

Vers. 15. *Mare vnum, & boues duodecim sub eo.*

Vers. 16. *Et lebetes, & scopas, & fuscinulas, & omnia vasa eorum, fecit Chiram pater eius Regi Salomoni pro domo Domini, ex ære mundo.*] Hinc habetur, quòd Salomon, vt morem gereret Regi Tyri, imitatus est eum, vocando Hiram supremum inter artifices, patrem suum.

Supremus inter artifices, pater vocatur ab Hiram & Salomone.

Vers. 17. *In planitie Iarden fudit ea Rex in argillosa terra, inter Succhoth, & inter Zeredatham.*

Vers. 18. *Fecitque Salomo omnia vasa hæc in multitudine valdè : quia non quæsitum est pondus æris.*

Vers. 19. *Fecitque Salomo omnia vasa, quæ erant domus Dei.*] Nomen est *Elohim.*

Et altare aureum.] De altari thymiamatis est sermo.

Et mensas, & super eas panem facierum.] Dixerat, quòd fecerat mensas decem ; sed non dixerat, ad quem vsum : & propterea repetendo explicat vsum propane propositionis, qui appellatur panis facierum, quod superiùs declarauimus.

Vers. 20. *Et candelabra, & lucernas eorum, vt arderent ante oraculum iuxta ritum ex auro puro.*

Vers. 21. *Et florentia quædam.*] Hebraïcè habetur : *Et flores.* De floribus candelabrorum est sermo.

Et lucernas, & forcipes ex auro.

Vers. 22. *Thymiamateria quoque, & thuribula, & phialas, & mortariola ex auro purissimo.*] Hebraïcè habetur : *Et instrumenta cantus, & malluuia, & cochlearia, & palas ex auro puro.*] Sententia clara est.

Et ostia celauit domus interioris, id est, Sancti Sanctorum.] Superfluit, *celauit.*

Et ostia templi forinsecus aurea.] Interpres pro claritate addidit, *forinsecus*, ad significandum vnas primę partis templi, quę appellabatur Sanctum : nam & ostia prima ipsius domus, per quæ ingrediebatur in Sanctum, & ostia interna, per quæ ingressus erat ad Sanctum Sanctorum, narrantur aurea.

CAPVT V.

Vers. 1. *Perfectúmque est omne opus, quod fecit Salomo domui Domini : & intulit Salomo omnia, quæ vouerat Dauid pater eius.*] Hebraïcè habetur, *sanctificationes Dauidis patris sui.* hoc est, dicata Deo à Dauid.

Et argentum, & aurum, & omnia vasa posuit in thesauris domus Dei.] Nomen est *Elohim.*

Vers. 2. *Post quæ.*] Hebraïcè habetur, *Tunc* : contextus enim actionum significatur.

Congregauit Salomo seniores Israël, & omnia capita Tribuum Principes familiarum filiorum Israel ad Ierusalaim : ad faciendum ascendere Arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid : ipsa est Zi-on.

Vers. 3. *Congregatique sunt ad Regem omnes viri Israël, in die solemni mensis septimi.*

Vers. 4. *Venerúntque omnes seniores Israël : & portauerunt Leuita Arcam.*

Vers. 5. *Et intulerunt eam, & omnem paratum tabernaculi.*] Hebraïcè habetur : *Et ascendere fecerunt Arcam, & tentorium adunationis, & omnia vasa sanctitatis, quæ erant in tentorio, ascendere fecerunt ea Sacerdotes, & Leuita.*] Et hæc omnia cum subiunctis exposita vide 3. Regum 8.

Vers. 6. *Rex autem Salomo, & tota congregatio Israël, quæ conuenerat ad eum ante Arcam, immolabant oues, & boues, quæ non numerabantur, nec recensebantur præ multitudine.*

Vers. 7. *Adduxerúntque Sacerdotes Arcam fœderis Domini ad locum suum, ad oraculum domus, ad Sanctum Sanctorum, subter alas Cherubim.*

Vers. 8. *Et fuerunt Cherubim expandentes alas super locum Arcæ : & tegebant Cherubin Arcam, & vectes eius desuper.*

Vers. 9. *Vectium autem, quibus portabatur Arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum : si verò quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat : fuit itaque Arca ibi vsque in præsentẽ diem.*] Tota ista clausula corrigenda est : *Et elonganerunt vectes, & fuerunt visa capita vectium de Arca ante Debir, & non erunt visa foris : & fuerunt ibi vsque in diem istum.* Similiter enim correcta fuit litera tertij Regum, vbi hæc exposita sunt.

Vers. 10. *Nihil erat in Arca, nisi duæ tabulæ, quas posuerat Moses in Choreb : quas excidit Dominus cum filius Israel in exitu eorum de Ægypto.*

Vers. 11. *Egressis autem Sacerdotibus de Sanctuario : omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerunt inueniri, sanctificati sunt, nec adhuc tempore illo vices, & ministrorum ordo inter eos diuisus erat.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et fuit in exitu Sacerdotum de Sanctuario : quia omnes Sacerdotes inuenti sanctificati sunt, non ad custodiendum diuisiones.* & nihil aliud scribitur. Et significatur, quòd in hac solennitatẽ non sunt seruatæ diuisiones Sacerdotum, & Leuitarum, quas ordinauerat Dauid : sed omnes Sacerdotes, & Leuitæ, qui inuenti sunt ibi, sanctificati sunt, communiter ad hanc solennitatem concurrentes : hunc enim sensum testantur præmissa de Sacerdotibus omnibus, & subiuncta de cantoribus Asaph, Heman, & Iedithun.

Vers. 12. *Et Leuitæ cantores de omnibus ipsis (de Asaph, de Heman, de Iedithun, & de filiis eorum, & de fratribus eorum) vestiti byssо cum cymbalis, & psalteriis, & citharis, stabant in oriente ad altare.*] Appositiuam intelligo constructionem : quòd erant relatiuè ad templum in oriente, appositiuè ad altare holocaustorum, in atrio proculdubiò Sacerdotum.

Et cum eis cantores.] Hebraïcè habetur : *& cum eis Sacerdotes centum & viginti, clangentes tubis.* Sacerdotum siquidem officium erat clangere tubis, secundùm legem Mosis.

Sacerdotes apud Israëlitas clangebant tubis.

Vers. 13. *Igitur cunctis pariter, & turbis, & voce, & cymbalis, & organis, & diuersi generis musicorum concinentibus.*] Iuxta Hebræum habetur : *Et fuit sicut vnus, clangentibus, & cantoribus ad faciendum audire vocem vnam.* Concordia canentium, & clangentium significatur. Et immediatè subditur :

Ad laudandum, & ad confitendum Iehouah.] Deinde immediatè sequitur :

Et in eleuatione vocis in tubis, & cymbalis, & instrumentis cantus, & in laudando Iehouah, quòd bonus, quod in æternum gratia eius : & domus implera est nube domus Iehouah.] Egressis Sacerdotibus ex ipsa domo Dei posita Arca in loco suo, hæc omnia subsecuta describuntur : offerendo siquidem

Musica adhibebatur in sacrificijs.

do siquidem sacrificia, sonus, & cãtus adhibebantur: & quantùm litera innuit, in tempore, quo eleuata est vox canentium Deo hymnum, *quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius:* nubes lucida similis caligini impleuit domum, domum, inquam, Iehouah.

Vers. 14. *Et non poterant Sacerdotes stare ad ministrandum.*] Redundabat extra domum caligo illa: & propterea molesta erat oculis Sacerdotum sub diuo ministrantium.

Propter caliginem.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *a facie nubis*, vt in lib. Reg. declarauimus.

Compleuerat enim gloria Domini domum Dei.] Hebraicè habetur: *Impleuit enim honor Iehouah domum Elohim*, intùs, & extrà.

CAPVT VI.

Vers. 1. *Tunc Salomo ait: Dominus pollicitus est.*] Heb. habetur, *dixit, quòd habitaret in caligine.* Et hæc quoque cum subiunctis vide expositа 3. Reg. 8.

Vers. 2. *Ego autem ædificaui domum nomini eius, vt habitaret ibi in perpetuum.*] Clausula hæc corrigenda est: nam Hebraicè habetur: *Et ego ædificaui domum habitaculum tibi: & directiones habitationi tuæ in sæcula.* Exponit ipse Salomon, qualiter sit templum, habitaculum Dei; videlicet, pro quanto est directio ad æternum. Dei habitaculum. Et verè sic est: quoniam templum ad hoc est, vt dirigat mentes, & vota hominum ad ipsum Deũ habitantem in seipso: ipsa enim directio mẽtium, quam templum causat, est habitatio Dei in tẽplo.

Templum, quomodo sit habitaculũ Dei, & ad quid.

Vers. 3. *Vertitque Rex faciem suam, & benedixit toti congregationi Israël: & omnis congregatio Israel stabat intenta.*] Superfluit, *intenta*: sed multa minutula corrigenda essent in hoc capitulo, quæ omitto, quia materia non exigit. Et capitulum hoc vsque ad finem excluſiuè ferè eisdem verbis habitum, & expositum est 3. Reg. 8.

Vers. 4. *Et ait: Benedictus Dominus Deus Israël, qui locutus est ore suo ad Dauid patrem meum, & in manu eius complenit dicendo.*

Vers. 5. *A die, qua eduxi populum meum de terra Ægypti, non elegi ciuitatem de omnibus Tribubus Israel, ad ædificandũ domum, vt esset nomen meum ibi: & non elegi virum, vt esset dux super populum meum Israël.*

Vers. 6. *Sed elegi Ierusalaim, vt sit nomen meum ibi: & elegi Dauid, vt sit super populum meum Israël.*

Vers. 7. *Voluitque Dauid pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israël.*

Vers. 8. *Et ait Dominus ad Dauid patrem meum: Quia fuit in corde tuo, vt ædificares domum nomini meo, benè fecisti: quia fuit in corde tuo.*

Vers. 9. *Veruntamen tu non ædificabis domum: sed filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis.*] Hebraicè habetur: *Quia filius tuus egrediens de lumbis tuis, ipse ædificabit domum nomini meo.* Et significatur per hoc, quòd nondum erat natus ille filius.

Vers. 10. *Confirmauitque Dominus sermonem suum, quem locutus est: & surrexi pro Dauid patre meo, & sedi super solium Israël, sicut locutus est Dominus, & ædificaui domum nomini Domini Dei Israël.*

Vers. 11. *Et posui ibi Arcam, in qua est fœdus Domini, quod pepigit cum filijs Israël.*

Vers. 12. *Stetitque coram altari Domini, è regione totius cœtus Israël: & expandit palmas suas.*

Vers. 13. *Siquidem fecerat Salomon basim æneam, & posuerat eam in medio basilicæ.*] Hebraice habetur: *Quia fecit Selomo concham æream, & posuit eam in medio strati: quinque cubitorum longitudo eius, & quinque cubitorum latitudo eius, & cubitorum trium altitudo eius.* Duo de hoc suggesto narrãtur notanda. Primum, quòd erat in forma conchæ, non quoad rotunditatem, (quia erat quadratum: vtpote quinque cubitorum, tam in longitudine, quam in latitudine;) sed quoad latera: habebat enim quasi parietes parum altos, sicut habet cõcha: ita quòd planities suppedanea existenti in illo suggesto, non videbatur ab extra existentibus; pẽtiona autem ibidem etiam genuflexa videbatur. Alterum, quòd non in atrio Sacerdotũ, sed in supradicto magno strato posuit Salomon regium suggestum: ex tunc enim cœpit diuersitas locorũ pro Sacerdotibus, & pro Regibus: & Rex in loco populi suum habebat suggestum, non in Sacerdotum choro.

Stetitque super illam, & genuflexit se super genua sua è regione totius cœtus Israël, & extendit palmas suas ad cælum.

Vers. 14. *Et ait: Domine Deus Israël non est similis tibi Deus in cælo, & in terra, custodiens pactum, & gratiam seruis tuis ambulantibus coram te in toto corde suo.*

Vers. 15. *Qui custodisti seruo tuo Dauid, patri meo, quod locutus es ei: locutusque es ore tuo, & manu tua implesti secundum diem hanc.*

Vers. 16. *Et nunc, Domine Deus Israël, custodi seruo tuo Dauid patri meo, quod locutus es ei, dicendo: Non excidetur tibi vir à facie mea sedens super thronum Israël: veruntamen si custodierint filij tui viam suã, vt ambulẽt in lege mea, sicut ambulasti coram me.*

Vers. 17. *Et nunc, Domine Deus Israel, firmetur verbum tuum, quod locutus es seruo tuo Dauid.*

Vers. 18. *(Sed an verè habitabit Deus cum homine super terram? Ecce cælum, & cæli cælorum non capiunt te, quantò magis domus hæc, quam ædificaui?)*

Vers. 19. *Et respicias ad orationem serui tui, & ad deprecationem eius, Domine Deus meus: ad audiendum hymnum, & orationẽ, quã seruus tuus orat coram te.*

Vers. 20. *Vt sint oculi tui aperti ad domum istam die, ac nocte, ad locum, de quo dixisti, quòd poneres nomen tuum ibi, ad audiendum orationem, quã orat seruus ad locum istum.*

Vers. 21. *Et exaudias deprecationem serui tui, & populi tui Israel, quã orauerint ad locum istum: & tu exaudias de loco habitationis tuæ de cælo, & exaudias, & parcas.*

Vers. 22. *Si peccauerit quispiam in proximum suum, & leuauerit contra eum iuramentum ad faciendũ iurare eum: & venerit iuramentum coram altari tuo in domo ista.*

Vers. 23. *Et tu exaudias de cælo, & facias, & iudices seruos tuos: reddens impio, dando viam eius in caput eius, & iustificans iustum, dando ei secundum iustitiam eius.*

Vers. 24. *Et si casu fuerit populus tuus Israel coram inimico, quia peccabunt tibi: & reuersi fuerint, & confessi fuerint nomen tuum, & orauerint, & deprecati fuerint coram te in domo hac.*

Vers. 25. *Et tu exaudias de cælo, & parcas peccato populi tui Israël: & reducas eos ad terram, quam dedisti eis, & patribus eorum.*

Vers. 26. *Cùm clausum fuerit cælum, & non fuerit pluuia, quia peccabunt tibi; & orauerint ad locum istum, & confessi fuerint nomen tuum, & à peccato suo reuersi fuerint, cùm afflixeris eos.*

Et

Vers. 27. *Et tu exaudias de cælo, & parcas peccato seruorũ tuorum, & populi tui Israel, quia docueris eos viam bonam, per quam ambulent, & dabis pluuiam super terram quam dedisti populo tuo in hæreditatem.*

Vers. 28. *Fames si fuerit in terra, aut pestis, aut corruptus aer, aut aruigo, aut locusta, aut bruchus, si obsederit eum inimicus eius in terra portarum eius: omnis plaga, & omnis infirmitas.*

Vers. 29. *Omnis oratio, omnis deprecatio, quæ erit omni homini, & toti populo tuo Israel: qui cognoscent unusquisque plagam suam, & dolorem suum, & expanderit palmas suas ad domum istam.*

Vers. 30. *Et tu exaudias de cælo, loco habitationis tuæ; & parcas, & des unicuique iuxta vias eius, qui nosti cor eius: tu enim solus nosti cor filiorum hominis.*

Vers. 31. *Vt timeant te ambulando in viis tuis, omnibus diebus, quibus viuunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris.*

Vers. 32. *Et etiam alienigena, qui non est de populo tuo Israël, si venerit de terra longinqua propter nomen tuum magnum, & manum tuam robustam, & brachium tuum extentum, & orauerit ad domum istam.*

Vers. 33. *Et tu exaudias de cælo, de loco habitationis tuæ, & facias iuxta omnia, pro quibus invocabit te alienigena: vt noscant omnes populi terræ nomen tuum, & timeant te, sicut populus tuus Israël, & vt cognoscant, quod nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificaui.*

Vers. 34. *Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos per viam, qua miseris eos, & orauerint ad te in via ciuitatis huius, quam elegisti, & domus, quam ædificaui nomini tuo.*

Vers. 35. *Exaudias de cælo orationem eorum, & deprecationem eorum: & facias iudicium eorum.*

Vers. 36. *Si peccauerint tibi, (non est enim homo, qui non peccet,) & iratus fueris contra eos, & tradideris eos coram inimico, & captiui ducti fuerint ad terram longinquam, vel propinquam.*

Vers. 37. *Et redierint ad cor suum in terra, ad quam captiui ducti fuerint, & reuersi fuerint, & orauerint ad te in terra captiuitatis suæ, dicendo: Peccauimus, iniquè egimus, impiè egimus.*

Vers. 38. *Et reuersi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, in terra captiuitatis suæ, ad quam ducti fuerint, & orauerint in via terræ eorum quam dedisti patribus eorum, & ciuitatis, quam elegisti, & domus, quam ædificaui nomini tuo.*

Vers. 39. *Exaudias de cælo, de loco habitationis tuæ, orationem eorum, & deprecationem eorum: & facias iudicium eorum, & parcas populo tuo, qui peccauerit tibi.*

Vers. 40. *Igitur, Deus meus, sint, quæso, oculi tui aperti, & aures tuæ intentæ ad orationem loci huius.*

Vers. 41. *Nunc igitur consurge, Domine Deus, in requiem tuam.*] Hæc verba in calce orationis Salomonis ex Psalmo Dauidis sumpta, petitiones quinque continent iuxta Hebraicam veritatem: *Et nunc surge, Iehouah Elohim, in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ.* Hac prima petitione supplicat pro perseuerantia diuinæ gratiæ in templo: vt ad instar surgentis fiat fons effendi, & gubernator ad quiescendum in templo, ipse collator gratiarum, & sensibile signum eius, Arca fortitudinis eius: vtpote, quæ tot fortitudinis effectus monstrauerat temporibus elapsis, siccando Iordanem, diruendo Iericho, &c.

Quinque rogat Salomon in hac inuocatione.

Sacerdotes tui, Iehouah Elohim, induantur salute.] Orat secundò pro Sacerdotibus, vt tantam habeant salutem, vt illa vestiantur.

Et misericordes tui lætentur in bono.] Petit tertiò pro vniuersis misericordibus propter Deum: vtpote, qui assimilantur Deo, cui proprium est misereri: vt qui pro alienæ miseria sertiles reddunt commiserando, diuina lætentur largitate.

Vers. 42. *Iehouah Elohim, ne auertere faciem Christi tui.*] Quartò petit pro scipso, vt Deus exaudiat ipsam: quando enim non exaudítur aliquis, tunc facies orantis vertitur vacua gratia, tanquam repulsa à non exaudiente.

Memento gratiarum Dauidis serui tui.] Quintò petit, vt quas pollicitus est Deus gratias Dauidi pro semine illius, instar recordantis impleat.

CAPVT VII.

Vers. 1. *CVmque complesset Salomo orare, ignis descendit de cælo & deuorauit holocaustum.*] Secundus est iste de cælo ignis deuorans holocaustum.

Et victimas.] hoc est, adipes, & munera, quæ incendebantur Deo.

Et maiestas Domini.] Hebraïcè habetur, *& honor Iehouah implent domum.* Secunda est hæc splendida caligo implens domum Dei: prima enim ante orationem Salomonis fuerat: hæc autem completa oratione simul cum igne aduenit.

Vers. 2. *Nec poterant Sacerdotes ingredi domum Domini: quia impleuerat honor Domini domum Domini.*] Maior narratur caligo hæc, quàm prima, ex hoc, quòd ista etiam ingressum in templum prohibebat.

Vers. 3. *Omnesque filij Israël videbant descendentem ignem, & honorem Domini super domum.*] Hinc apparet, quòd nubes illa implebat domum intus, & extrà.

Et corruerunt proni in terram super pauimentum, & adorauerunt confitendo Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.] Hebraïcè habetur, *gratia eius.* Vbi vides, quòd etiam prostratus populus hymnum hunc Dauidis sonabat gratias agendo.

Vers. 4. *Rexque, & totus populus immolabant victimam coram Domino.*

Vers. 5. *Et sacrificauit Rex Salomo sacrificium, boum vigintiduo millia, & ouium centum & viginti millia: & dedicauerunt domum Dei Rex, & totus populus.*] Dictio interpretata, *Dei*, est nomen *Elohim*. Et intelligedicationem factam ab vnoquoque proportionaliter: a Rege, vt Rege; à populo, vt populo; à Sacerdotibus, vt Sacerdotibus; ab vnoquoque secundùm proprium officium honorandi, offerendi, consecrandi, &c.

Dedicatio templi facta est ab vnoquoque proportionaliter.

Vers. 6. *Sacerdotes autem in custodia sua stabant, & Leuitæ cum instrumentis cantus Domini, quem fecit Dauid Rex ad confitendum Domino, quoniam in sæculum gratia eius, hymnos Dauid canentes per manus suas.*] Hebraïcè habetur, *laudante Dauide in manibus eorum.* Narratur siquidem, quòd ea canebant, quæ fecerat Dauid, dum laudaret Deum per manus cantorum.

Sacerdotesque clangebant è regione eorum, & totus Israel stabat.

Vers. 7. *Sanctificauitque Salomo medium atrij, quod erat ante domum Domini.*] quod, videlicet, erat inter templum, & altare. Sanctificauit autem opera Sacerdotum ad offerendum ibi holocausta, & adipes crematudos Deo.

Quia

Quia fecit ibi holocaustũ,& adipes pacificorum: quia altare æneum, quod fecerat Salomo, non poterat sustinere holocaustum, & sacrificia.] Hebraïcè habetur, *& munus*; hoc est, similam cremandam Deo.

Et adipes.] Sola ea, quæ Deo cremabantur, in altari holocaustorum erant posita: sed tunc tanta fuit multitudo cremandorum Deo, vt oportuerit partem atrij supplere pro altari.

Vers. 8. *Fecitque Salomo festiuitatem in tempore illo septem diebus, & totus Israël cum eo, Ecclesia magna valdè: ab introitu Chamath vsque ad torrentem Ægypti.*

Vers. 9. *Fecerúntque die octauo collectam.*] Hebraïcè habetur, *strictionem*, de qua aliàs diximus super Pentateuchum: est enim sermo de die octauo relatiuè ad initium festi tabernaculorum iuxta legem Mosis.

Eò quòd dedicassent altare.] Hebraïcè habetur, *domum*; hoc est, templum. *Septem diebus, & festiuitatem septem diebus.*] Septem enim diebus durauit dedicatio templi: & iterum septem durauit solennitas tabernaculorum.

Vers. 10. *Die autem vigesimaquinta mensis septimi dimisit populum ad tentoria sua, lætos & alacri corde super bono, quod fecerat Dominus Dauidi, & Salomoni, & Israël populo suo.*] Festum tabernaculorum incipiebat die 15. & consequenter dies 22. erat dies octauus: ac pro hoc 23. die populus abiit perfectis festiuitatibus. Reliqua vide

3. Reg. 8. expósita in tertio Regum, cap. 8.

Vers. 11. *Complenítque Salomo domum Domini, & domum Regis: & omne, quod venit in cor Salomonis ad faciendum in domo Domini, & in domo sua, prosperè fecit.*

Vers. 12. *Apparuítque Dominus Salomoni in nocte.*]

1. Reg. 9. Apparitio hæc tractata est 3. Reg. 9. (vt patet ibidem) apparitio ista non fuit immediatè post istam solennitatem; sed vigesimoquarto anno regni Salomonis: nam fuit post ædificatam etiam domum regiam, vt ibidem dicitur.

Et ait ei: Audiui orationem tuam, & elegi mihi locum istum in domum sacrificij.

Vers. 13. *Si clausero cælum, & non fuerit pluuia; si præcepero locustæ, vt deuoret terram; & si misero pestilentiam in populum meum.*

Vers. 14. *Et humiliauerit se populus meus, super quos inuocatum est nomen meum, & orauerint, & exquisierint faciem meam, & reuersi fuerint à viis suis malis: ego exaudiam de cælo, & parcam peccato eorum, & sanabo terram eorum.*

Vers. 15. *Et nunc oculi mei erunt aperti: & aures meæ attendentes ad orationem loci huius.*

Vers. 16. *Et nunc elegi, & sanctificaui domum hanc, vt sit nomen meum ibi vsque in sæculum: erúntque oculi mei, & cor meum ibi omnibus diebus.*

Vers. 17. *Tu quoque si ambulaueris coram me, sicut ambulauit Dauid pater tuus, & faciendo iuxta omnia, quæ præcepi tibi: & statuta mea, & iudicia mea seruaueris.*

Vers. 18. *Firmabo solium regni tui: sicut pollicitus sum Dauidi patri tuo, dicendo: Non succidetur tibi vir dominans in Israël.*

Vers. 19. *Si autem auersi fueritis, & dereliqueritis statuta mea, & præcepta mea, quæ proposui vobis: & abieritis, & seruieritis Diis alienis, & adoraueritis eos.*

Vers. 20. *Euellam eos de terra mea, quam dedi eis: & domum hanc, quam sanctificaui nomini meo, proiciam à facie mea, & dabo eam in parabolam, & in exemplum in omnibus populis.*

Vers. 21. *Et domus ista erit in prouerbium omnibus transeuntibus.*] Hebraïcè habetur: *Et domus ista, quæ fuit excelsa, omni transeunti iuxta eam erit in stuporem.* Sententia clara est: reliqua exposita sunt in dicto nono capitulo.

Et dicet: Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic?

Vers. 22. *Et dicent: Eò quòd dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxit eos de terra Ægypti, & apprehenderunt Deos alienos, & adorauerunt eos, & seruierunt eis; ideò adduxit super eos omne malum hoc.*

CAPVT VIII.

Vers. 1. *EXpletis autem viginti annis, postquàm ædificauit Salomon domum Domini.*] Hebraïcè habetur: *Et fuit à fine viginti annorum, quibus ædificauit Salomo domum Iehouah, & domum suam.* septem siquidem annis ædificauit domum Dei, & tredecim domum suam: vt patet in libro Regum.

Vers. 2. *Ciuitates, quas dederat Churam Salomoni, ædificauit Salomo: & habitare fecit ibi filios Israël.*] Tertij Regum nono scribitur oppositum: videlicet, quòd Salomon dedit Regi Tyri ciuitates viginti. Solutio est, quòd hîc explicatur id, quod implicitè ibi scribitur; videlicet, restitutio ciuitatum: nam ibidem dicitur, quòd Hiram, Rex Tyri, despexit ciuitates illas: hîc autem explicatur, quòd dedit eas Salomoni: & propterea Salomon ædificauit eas, & habitare ibi fecit filios Israël: vt hinc etiam perpendamus, ciuitates illas meritò displicuisse Regi Tyri, vt pote malè ædificatas. Quid autè reperierit Salomon Rex Tyri loco harum ciuitatum, non est scriptum: sicut nec est scriptum, an Rex Tyri dederit Salomoni ciuitates illas omnes, an quasdam. Et fortè Salomon ædificauit illas, vt Rex Tyri acciperet illas: in cuius signum scribitur hîc significâtet, quòd fecit habitare ibi filios Israël: ex eo nanque, quòd de istis ciuitatibus specialiter dicitur: *Et fecit habitare ibi filios Israël.* insinuari videtur, quòd ciuitates istæ dissimiles erant aliis: vtpote agnoscentes Regem Tyri pro domino, & cum hoc habitatores erant filij Israël, iubente sic Salomone.

3. Reg. 9. *An Rex Salomon iuerit ciuitates Regis Tyri, vel à contrario.*

Vers. 3. *Iuit quoque Salomo in Chamath Zobe: & obtinuit eam.*] Hebraïcè habetur, *& roborauit super eam.* Quod autem robur adiecerit in regione Chamath, subiungitur manifestando ciuitates ibidem ædificatas.

Vers. 4. *Ædificauítque Thadmor in deserto: & alias ciuitates munitíssimas.*] Hebraïcè habetur, *& omnes ciuitates thesaurorum*; rerum, scilicet, spectantium ad victum, & ad bellum.

Quas ædificauit in Chamath.

Vers. 5. *Ædificauítque Beth-choron superiorẽ, & Beth-choron inferiorem: ciuitates munitas muris, ostiis, & vectibus.*

Vers. 6. *Et Baalath, & omnes ciuitates thesaurorum, qui fuerunt Salomoni, & omnes ciuitates currum, & ciuitates equitum: & quicquid desiderauit Salomo ædificare in Ierusalem, & in Libano, & in tota terra ditionis suæ.*

Vers. 7. *Totum populum, qui remanserat de Chetthæis, & Emorræi,*

Emoræis, & Pherezæis, & Chiuæis, & Iebuſæis, qui non erant de filiis Iſrael.

Verſ. 8. *De filiis eorum, qui remanſerant poſt eos in terra, quos non deleuerunt filij Iſrael: fecit Salomon tributarios vſque ad diem hanc.*

Verſ. 9. *De filiis autem Iſrael non poſuit Salomon in ſeruos ad opus ſuum: ipſi enim erant viri bellatores, & Principes potentium eius, & Principes curruum, & equitum eius.*

Verſ. 10. *Omnes autem Principes exercitus Regis Salomonis, fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et iſti Principes Præfectorum, qui Regi Salomoni quinquaginta, & ducenti: dominantes in populo.* In capitulo nono tertij Regum ſcribitur, quòd Principes Præfectorum erant quinquaginta, & quingenti. Solutio eſt, quòd ibi eſt ſermo de Principibus Præfectorum populo operario, vt clarè ibidem dicitur: hìc autem eſt ſermo de Principibus Præfectorum populi, vt Textus ipſe manifeſtat.

3. Reg. 9.

Verſ. 11. *Filiam vero Pharaonis tranſtulit Salomon de ciuitate Dauid in domum, quam ædificauerat ei: dixit enim: Non habitabit vxor mea in domo Dauid Regis Iſraël, quia ſanctificata eſt, eò quòd ingreſſa eſt in eam Arca Domini.*] Hoc eſt, quia ad diſtrictum eius ingreſſa eſt Arca Dei.

Verſ. 12. *Tunc obtulit Salomon holocauſta Domino, ſuper altare Domini, quod ædificauerat ante porticum.*

Verſ. 13. *Et in re quotidiana ad offerendum iuxta præceptum Moſis, in Sabbathis, & Calendis, & in feſtis diebus ter in anno: in ſolennitate azymorum, & in ſolennitate hebdomadarum, & in ſolennitate tabernaculorum.*] hoc eſt, offerenda donauit holocauſta, tã per ſingulos dies, quàm in Sabbathis, Calendis, & feſtis diebus: regio enim ſumptu voluit hæc ſacrificia fieri.

Verſ. 14. *Et conſtituit iuxta diſpoſitionem Dauid patris ſui diuiſiones Sacerdotum miniſterio ſuo, & Leuitas in cuſtodia ſua ad laudandum, & miniſtrandum coram Sacerdotibus ad rem quotidianam, & ianitores in diuiſionibus ſuis ad portam, & portam: quia ſic erat præceptum Dauid viri Dei.*] Nomen eſt *Elohim*. Vbi nota commendari Dauidem, excellenti nomine appellatum vir Elohim.

Verſ. 15. *Et non declinauerunt a mandato Regis Sacerdotes, & Leuitæ in omni re, & in theſauris.*] Hìc eſt punctus: executio ſiquidem diſtinctionum Sacerdotum, Leuitarum, ianitorum, & theſaurariorum iuxta diſpoſitionem Dauidis hìc finitur.

Verſ. 16. *Omnes impenſas præparatas habuit Salomon.*] Hebraicè habetur: *Et directum eſt totum opus Salomonis, à die, quo fundauit domum Domini vſque in diem, quo perfecit eam.* Rectè actum, vniuerſum Salomonis opus à principio ædificationis templi vſque ad finem ſignificatur.

Verſ. 17. *Tunc iuit Salomon.*] Perfectò templo perſonaliter iuit Salomon.

In Hez-iongheber, & in Eloth ad oram maris rubri.] Superfluit, *rubri*.

In terra Edom.

Verſ. 18. *Miſitque ei Chiuram per manum ſeruorum ſuorum naues, & ſeruos gnaros maris.*] Salomon ſiquidem fecit propriam claſſem in illo mari: Rex autem Tyri miſit naues ſuas ad ſeruiendum Salomoni ſimul cum propriis nauibus Salomonis.

3 Reg. 9.

Et ierunt cum ſeruis Salomonis in Ophir.] Regio Indiæ dicitur. Reliqua vide expoſita 3. Reg. 9. aduertendo duo. Alterum, quòd quia nauigatio in Ophir per mare Oceanum erat, ideò Salomõ ad eundam nauigationem per mare mediterraneum vſque ad Oceanum, perrexit ad oram maris rubri, (quod eſt quidem ſinus maris Oceani,) & ibi conſtruxit claſſem: ad hoc enim illuc iuit. Alterum, quod Rex Tyri naues, quas miſit, non niſi per mediterraneum mare mittere ex Tyro potuit, ad coniungendum illas cum nauibus Salomonis.

Duo notanda in nauigatione Salomonis in Ophir.

Et tulerunt inde quadringenta, & quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad Regem Salomonem.]

CAPVT IX.

Verſ. 1. *REgina autem Sabæ audiuit famam Salomonis, & venit ad tentandum Salomonem in ænigmatibus in Ieruſalem, cum magnis opibus.*] Hebraicè habetur, *in exercitu grauis valde*. armata enim (vt par erat) Regina venit.

Et camelis, qui portabant aromata.] Hebraicè habetur, *& camelis oneratis aromatibus*. quod plus eſt, quàm portare aromata.

Et auro in multitudine, & lapidibus pretioſis: veniſque ad Regem Salomonem, & locuta eſt ei, quicquid erat in corde eius.

Verſ. 2. *Et indicauit ei Salomon omnia verba eius: neque fuit verbum latens Regem, quod non indicauerit ei.*

Verſ. 3. *Viditque Regina Sabæ ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat ei.*

Verſ. 4. *Et cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum eius, & aſſiſtentiam miniſtrorum eius, & veſtimenta eorum, & pincernas eius, & holocauſta eius, quæ offerebat in domo Domini.*] Aduerte, prudens lector, æquiuocam eſſe literam hanc, propterea quòd Hebraicè nominatur *aſcenſus*: & incertum eſt, an ſignificetur via, qua aſcendebat Rex ad templum; an ſignificetur ſacrificium, quod offerebat Rex: eò quòd Scriptura aſcendendi vocabulo ſæpè vtitur pro oblatione victimæ ſuper altare. Scribitur itaque Hebraicè: *Et aſcenſum eius, quem aſcendet domum Iehouah.* Conſtrue, & intellige, vt vis.

Aſcendendi verbum pro oblatione victimæ vſurpatur in Scriptura.

Et non erat vltrà in ea ſpiritus.

Verſ. 5. *Dixitque ad Regem: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea de virtutibus.*] Hebraicè habetur, *ſuper verbis tuis*. Si tamen legeris, *ſuper rebus tuis*, nullus erit error.

Et ſuper ſapientia tua.

Verſ. 6. *Et non credidi verbis eorum, donec veni, & viderunt oculi mei: & ecce non fuit indicatum mihi dimidium multiplicis ſapientiæ tuæ: addidiſti ſuper famam, quam audiui.*

Verſ. 7. *Beati viri tui, & beati ſerui tui iſti: ſtantes coram te ſemper, & audientes ſapientiam tuam.*

Verſ. 8. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuit in te ad ponendum te ſuper ſolium ſuum in Regem Domini Dei tui.*] Legendum eſſet, *Iehouah Eloha tuo*. in caſu datiuo: hoc eſt, ad gloriam Domini Dei tui.

Eo quod diligit Deus tuus Iſraelem ad faciendum ſtare eum in ſæculum, idcircò poſuit te ſuper eum Regem ad faciendum iudicium, & iuſtitiam.

Verſ. 9. *Dediſque Regi centum, & viginti talenta auri, & aromata multa valdè, & lapides pretioſos: & non fuit ſicut aroma illud, quod dedit Regina Sabæ, Regi Salomoni.*

Verſ. 10. *Et etiam ſerui Churam, & ſerui Salomonis, qui attulerunt aurum de Ophir, attulerunt ligna thina, & lapides pretioſos. Fecitque Rex de lignis thinis gradus domus Domini, & domus Regis.*] Hebraicè habetur

habetur dictio quædam significans nescio quid, quod calcatur: non enim eadem dictio scribitur hic, & 3. Reg. 10. quocirca nescio diuinare, quid factum ex illis lignis significetur hic.

3. Reg. 10.

Et citharas, & psalteria cantoribus: & non sunt visa, sicut ipsa prius in terra Iehuda.

Vers. 12. *Rex autem Salomo dedit Reginæ Sebæ omnia, quæ voluit, & postulauit, & multo plura quam attulerat ad eum*] Hebraicè habetur, *absque quod fecit venire ad Regem.* Et quia absurdus est sensus, vt significetur, præter id, quod Regina dederat Regi (quoniam significatur Regem restituisse Reginæ, quod illa dederat;) ideò idem intelligendũ est significari hîc, quod scriptum est 3. Reg. 10. vt sit sensus, præter id. quod Salomõ sua sponte fecit venire, vt decebat Regem.

3. Reg. 10

Reuersaque est, & abiit in terram suam cũ seruis suis.

Vers. 13. *Erat autem pondus auri, quod obueniebat Salomoni per singulos annos, sexcenta, & sexaginta sex talenta auri.*

Vers. 14. *Exceptis ea summa, quam Legati diuersarum gẽtiũ, & negotiatores afferre conueuerant.*] Hebraicè habetur: *Præter viros negotiatores, & mercatores facientes venire.* Hæc expolita vide 3. Reg. 10.

Omnésque Reges Harabiæ, & Satrapæ terrarum.] Hebraice habetur: *Omnésque Reges Harab, & duces terræ, adducentes aurum, & argentum Salomoni.* Sed nihil refert. Sed ratio, qua tam viri excellentes in mercatura (qui hîc appellantur negotiatores) quàm alij mercatores aurum afferebant Salomoni clara est; videlicet, mercatura. Ratio verò, qua Reges Harabum, & duces terræ aurum Salomoni faciebant, venire, (vt Hebraica littera sonat,) non est manifesta, si notabile quid erat: quod dico propter munera aureorum vasorum, quæ paruipendenda censeo.

Vers. 15. *Fecitque Rex Salomo ducenta hastas aureas.*] Hebraicè habetur, *ducenta scuta auri extensi.* Et immediate sequitur:

Sexcentum auri extensi ascendet super scutum vnum.] Puto sexcentos siclos extensi (hoc est, ductilis) auri significari in quolibet scuto

Scutum quodlibet factum à Salomone, erat sexcentorum siclorũ auri ductilis.

Trecenta quoque scuta aurea.] Hebraicè habetur. *Et trecentos clypeos auri extensi.* Et immediate sequitur

Vers. 16. *Trecentum auri ascendet super clypeum vnum.*] quod expone, vt antecedens.

Posuitque eam in armamentario, quod erat constitum nemore.] Hebraicè habetur, *in domo saltus Lebanon.* cuius opificium diffusè scriptum est in libro Regum.

Vers. 17. *Fecit quoque Rex solium eburneum grande: & vestiuit illud auro mundo.*

Vers. 18. *Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium, & scabellum aureum.*] Hebraicè habetur: *Et sex gradus sedis, & pontem in auro sedi cõtignantes.* In 3. Reg. descriptum est hoc solium nulla facta mentione istius pontis, qui ad sustentandũ gradus constructus est: & propterea officium eius describitur contignare: tigni enim eius contignationem graduum faciebant. Nec dicitur, quòd pons, esset aureus. sed in auro: ex eo enim, quòd vniuersa spectantia ad hoc solium erant eburnea, deaurata tamen; ita intelligendum est de ponte, quòd fuerit eburneus, & deauratus. Reliqua intellige vt in tertio Reg.

Pons solij Salomonis, a quid, & an aureus.

Et manus hinc, & hinc super locum sessionis: & duo leones stantes iuxta manus.

Vers. 19. *Et duodecim leones stantes ibi super sex gradus hinc & hinc: nõ est factũ tale opus in omnibus regnis.*

Omniáque vasa conuiuij.] Hebraïcè habetur: *Et omnia vasa potus.* quod minùs est, quam vasa conuiuij. Vers. 20.

Regis Salomonis erant aurea, & omnia vasa domus saltus Lebanon ex auro puro: non reputabatur argentum in diebus Salomonis quicquam.

Naues enim Regis ibant in Tharsis cum seruis Churã: semel in tribus annis veniebant naues Tharsis portantes aurum, & argentum, ebur.] Hebraïcè habetur, *elephantes.* animalia enim ipsa significantur, quemadmodum simiæ & pauones. Vers. 21.

Et simias, & pauos.

Magnificatúsque est Rex Salomo præ omnibus Regibus terræ in diuitijs, & gloria.] Hebraïcè habetur, *& sapientia.* De qua subditur: Vers. 22.

Et omnes Reges terræ quærebant faciem Salomonis ad audiendum sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius.] & est nomen Elohim. Vers. 23.

Et portabant vnusquisque munus suum, vasa Vers. 24.
argentea, & vasa aurea, & vestes, arma, & aromata, equos, & mulos: per singulos annos.] Hebraïcè habetur, *rem diei in die sua.* hoc est, vnumquodque tempore congruo.

Res diei in die sua, quid.

Habuit quoque Salomo quadraginta millia equorũ in stabulis & curruum.] Hebraicè habetur, *quatuor millia præsepia equorum, & curruum.* Quantus autem esset numerus equorum pro curribus, non est hîc scriptum. Vers. 25.

Et duodecim millia equitum: posuitque eos in ciuitatibus curruum, & cum Rege in Ierusalaim.

Et fuit dominans omnibus Regibus, à fluuine Vers. 26.
vsque ad terram Philisthiim, & vsque ad terminum Ægypti.

Et præbuit Rex argentum in Ierusalaim, sicut lapides: & cedros præbuit, sicut sycomoros, quæ nascuntur in campestribus in multitudine. Vers. 27.

Educebántque equos ex Ægypto Salomoni, & Vers. 28.
de omnibus terris.

Reliqua autem verborum Salomonis, priorum & posteriorum, nónne ipsa scripta sunt in libro Nathan Prophetæ, & in prophetia Achi-ie Silonitis, & in visionibus Iehdo videntis contra Iarobham filiũ Nebat?] Vide, quot libri citantur hîc Prophetarum, quibus caremus. Reliqua expolita vide 3. Reg. 10 Vers. 29.

Caremus multis libris Prophetarũ.

Regnauitque Salomo in Ierusalaim super totum Vers. 30.
Israel quadraginta annis.

Dormiuitque Salomo cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate Dauid patris sui, & regnauit Rechabham filius eius pro eo. Vers. 31.

CAPVT X.

IVit autem Rechabham in Sichem: quia in Sichem conuenerat totus Israel, vt constituerent eum Regem. Vers. 1.

Quod cum audiuisset] Hebraicè habetur: *Et fuit, quando audiuit* (scilicet mortẽ, procul dubiò Salomonis, Vers. 2.
Iarobham filius Nebat, (qui erat in Ægy) *pro, & fugerat à facie Salomonis Regis,*) *reuersus est de Ægypto.*

Miseruntque, & vocauerunt eum: & venit Iarobham & totus Israel, & locuti sunt ad Rechabham dicendo: Vers. 3.

Pater tuus aggrauauit iugum nostrum: nunc igitur allenia de seruitute patris tui dura, & de iugo eius graui, quod posuit super nos, & seruiemus tibi. Vers. 4.

Et dixit eis: Ite vsque in diem tertium, & reuertimini ad me. & abiit populus.] Historia hæc scripta & expolita est 3. Reg. 12. & propterea pertransi- Vers. 5. 3. Reg 12.
bimus:

bimus: quoniam sententia est eadem: & non nisi verba quædam corrigenda essent ad reducendum Iteram ad Hebraicam veritatem: sed materia non exigit.

Vers. 6. *Consuluit autem Rex Rechabham senes, qui steterant coram Salomone patre eius, cum viueret, dicendo: Quomodo vos consulitis, reddendum esse populo huic verbum?*

Vers. 7. *Qui dixerunt ei: Si fueris bonus populo huic, & complacueris ei, & locutus fueris ad eos verba bona; erunt tibi serui omnibus diebus.*

Vers. 8. *Reliquitque consilium senum, quod consuluerant ei: & consuluit pueros, qui creuerant cum eo, & assistebant ei.*

Vers. 9. *Et dixit ad eos: Quid vos consulitis, & reddemus verbum populo huic, qui locutus est ad me dicendo: Allevia iugum, quod posuit pater tuus super nos?*

Vers. 10. *Et locuti sunt ad eum pueri, qui creuerant cum eo dicendo: Sic dices populo, qui locutus est ad te, dicendo: Pater tuus aggrauauit iugum nostrum, & tu allevia nos. sic dices ad eos: Parvus digitus meus maior est lumbis patris mei.*

Vers. 11. *Et nunc pater meus posuit super vos iugum graue, & ego addam iugo vestro: pater meus castigauit vos flagellis, ego autem castigabo vos scorpionibus.*

Vers. 12. *Venitque Iarobham, & totus populus ad Rechabham die tertio: sicut locutus fuerat Rex dicendo. Reuertimini ad me die tertio.*

Vers. 13. *Respondítque Rex dura, derelicto consilio seniorum.*

Vers. 14. *Et locutus est ad eos iuxta consilium puerorum dicendo: Pater meus aggrauauit iugum vestrum, & ego addam super illud: pater meus castigauit vos flagellis, & ego castigabo vos scorpionibus.*

Vers. 15. *Et non acquieuit Rex populo: quia fuit gyratio à Deo, vt firmaret Dominus verbum suum, quod locutus fuerat in manu Achi-iahu Silonitis ad Iarobham filium Nebat.*

Vers. 16. *Totúsque Israel vidit, quòd non exaudisset se Rex: & respondit populus ad Regem dicendo: Quæ nobis pars in Dauid, & non hæreditas in filio Isai: vnusquisque in tentoria tua Israel, nunc pasce domum tuam Dauid. Et abiit totus Israel in tentoria sua.*

Vers. 17. *Super filios autẽ Israel habitantes in ciuitatibus Iehuda regnauit Rechabham.*

Vers. 18. *Misitque Rex Rechabham Hadoram, qui erat super tributum, & lapidauerunt eum filij Israel lapidibus, & mortuus est. Porrò Rex Rechabham festinus ascendit currum, ad fugiendum in Ierusalem:*

Vers. 19. *Et rebellauit Israel contra domum Dauid vsque ad diem hanc.*

Factum est autem, cùm audisset omnis Israel, quòd reuersus esset Iarobham, miserunt, & vocauerunt eum congregato cœtu, & constituerunt eum Regem super omnem Israel. Nec secutus est quispiam domum Dauid, præter Tribum Iudæ solam.] Superfluit tota hæc vltima clausula, incipiens: *Factum est autem*, &c. vsque ad finem capituli: hæc enim non habentur in Hebræo.

CAPVT XI.

Vers. 1. [V]*Enit autem Rechabham in Ierusalem, & congregauit domum Iehuda, & Bin-iamin, centum, & octoginta milia electorum facientium bellum ad pugnandum cum Israel ad reducendum regnum ad Rechabham.*

Vers. 2. *Factúsque est sermo Domini ad Semah-iahu, virum Dei, dicendo.*] Nomen est Elohim.

Vers. 3. *Dic ad Rechabham, filium Salomonis, Regem Iehuda, & ad totum Israel in Iehuda, & in Bin-iamin, dicendo.*

Sic dixit Dominus: Non ascendetis, neque pugnabitis contra fratres vestros. Reuertatur vnusquisque in domum suam: quia à me facta est res ista. Audierunt que verba Domini, & reuersi sunt ab eundo contra Iarobham. Vers. 4.

Habitauitque Rechabham in Ierusalem: & ædificauit ciuitates munitas.] Hebraice habetur, ciuitates munitas fortitudine. Vers. 5.

In Iehuda.

Et ædificauit Beth-lechem, & Etã, & Thecoah. Vers. 6.

Et Beth-zur, & Socho, & Hadullam. Vers. 7.

Et Gath, & Maresam, & Ziph. Vers. 8.

Et Adoram, & Lachis, & Hazecam. Vers. 9.

Et Zor-ham, & Aialon, & Cheb-ron, quæ in Iehuda, & in Bin-iamin, ciuitates arctæ. Vers. 10.

Cumque clausisset eas muris.] Hebraice habetur, *Et roborauit arces.* Vers. 11.

Et posuit in eis duces, & thesauros cibi, & olei, & vini.

Et in singulis ciuitatibus scuta, & hastas.] Dictio tamen interpretata, *arces*, non proprie significat *arces*; sed munitionem, seu fortitudinem loci ex naturali situ, vel arte: huiusmodi enim loca roborauit, tum Principibus, tum alimentorum thesauris, tum armis. Vers. 12.

Firmauitque eas summa diligentia.] Hebraïcè habetur: *Et roborauit eas faciendo multiplicare valde.* huiusmodi res opportunas.

Et regnauit super Iehudã, & Bin-iamin.

Sacerdotes autem, & Leuitæ, qui erant in toto Israël, venerunt ad eum de cunctis terminis suis. Vers. 13.

Reliquerunt enim Leuitæ suburbana, & possessiones suas, & tulerunt in Iehudam, & in Ierusalem: quia abiecit eos Iarobham, & filij eius à fungendo sacerdotio Domini. Vers. 14.

Et constituit sibi Sacerdotes excelsorum, & dæmonium, & vitulorum, quos fecerat. Vers. 15.

Et post eos de omnibus Tribubus Israel, dantes cor suum ad quærendum Dominum Deum Israel: venerunt in Ierusalem ad immolandum Domino Deo patrum suorum. Vers. 16.

Roborauerúntque regnum Iehudæ, & confirmauerunt Rechabham filium Salomonis, per tres annos: ambulauerunt enim in viis Dauidis, & Salomonis annis tantum tribus.] Superfluit tantum. Vers. 17.

Duxit autem Rechabham vxorem Mahalath, filiam Ierimoth, filij Dauidis, & Abichail, filiam Eliab, filij Isai. Vers. 18.

Peperítque ei filios: Iehus, & Semar-iã, & Saham. Vers. 19.

Et post eam accepit Mahacham, filiam Absalom.] Ne intelligas Absalom, filium Dauidis: tum, quoniam illius filia non poterat esse puella apta nuptiis: cũ fortè ante annos quinquaginta mortuus fuerit Absalom ille: tum, quia nomen illius differt ab illius nomine, vt in 3. Reg. cap. 15. dictum est. Vers. 20. *Mahacha, eius Absalom filia.* 3. Reg. 15.

Quæ peperit ei Abi-iam, & Hatthai, & Zizam, & Selomith.

Amauit autem Rechabham Mahacham, filiam Absalõ, super omnes vxores, & cõcubinas suas: quia vxores decẽ, & octo duxerat, & concubinas sexaginta: & genuit viginti octo filios, & sexaginta filias. Vers. 21.

Constituit autem in caput Rechabham Abi-iam, filiũ Mahacha, in ducem inter fratres suos: ipsum enim Regem facere cogitabat.] Hebraicè habetur: *Vt faceret regnare ipsum.* inchoauit enim regnum Abia filij, præferendo ipsum reliquis filiis. Vers. 22.

Quia sapientior fuit, & potẽtior super omnes filios eius, & in cunctis finibus Iudæ, & Bimamin, & Vers. 23.

Pactum salis, quod, ignotum.

ignotum nobis esse. vnde firmitas pacti cognominata sit pactum salis apud priscos : hoc enim ex Mose sumptum est.

Vers. 6. *Et surrexit Iarobham, filius Nebat, seruus Salomonis, filij Dauidis: & rebellauit contra Dominum suum.*

Vers. 7. Viri vacui, *Hebraicè otiosi.* *Congregatique sunt ad eum viri vanissimi.*] Hebr. habetur : *Viri vacui.* quales sunt, qui otio delectantur.

Filij Beli-iahal, & prævaluerunt super Rechabham filium Salomonis. Porrò Rechabham erat rudis, & corde pauido, nec potuit resistere eis.] Hebraicè habetur: *Et Rechabham puer, & tener corde, & non roboratus se ante eos.* Appellatur Roboham puer non ætate, (quoniam quadragesimum transierat annum, cùm regnare cœpisset,) sed ingenio, vt restatur responsio, quam dedit populo, quæ fuit causa scissionis regni. Animo quoque puer describitur narrando tenerum cor illius: imò muliebris per hoc describitur animus.

Roboham puer ingenio, & animo.

Vers. 8. *Nunc ergo vos dicitis, quod resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios Dauidis.*] Hebr. habetur : *Et nunc vos dicentes roboratos esse coram regno Iehouah in manu filiorum Dauidis.* Non cõtra se, sed contra regnũ Dei Rex Abia iactare Israëlem robur suum manifestat: & propterea conditiones contrarias regno Dei in Israelitis ; præceptas autem diuina lege, in Iuda subiungit.

Estisque turba multa, & vobiscum sunt vituli aurei, quos fecit vobis Iarobham in Deos.

Vers. 9. *Nónne eiecistis Sacerdotes Domini filios Aharon, & Leuitas, & fecistis vobis Sacerdotes, sicut populi terrarũ? Quicunque venerit, & imtiauerit manum suã in tauro, & in bobus.*] Hebraicè habetur, *in tauro filio bouis.* ad differentiam tauri bubalini.

Et arietibus septem, erit Sacerdos non Dijs.] Narratur, quòd apud eos sufficiebat ad sacerdotium vngere manum sanguine tauri, & septem arietum, quemadmodum Sacerdotes Gentilium consecrabantur.

Sacerdotes Gentilium quomodo cõsecrabantur.

Vers. 10. *Noster autem Dominus Deus est.*] Parui refert, quòd Hebraicè habetur : *Et nos, Iehouah Eloha noster.* vt sit punctus post pronomen, *nos.* Et è regione Israëlitarum dicit, *& nos:* statimque incipit subiungere, quod præcipuum erat, videlicet, summus Deus est gubernator noster.

Et non dereliquimus eum : Sacerdotésque ministrant Domino, filij Aharon, & Leuitæ in opere.

Vers. 11. *Et suffiunt Domino holocausta per singulos dies mane, & vespere, & thymiama aromatum, & proponitur panis in mensa munda, estque candelabrum aureum, & lucernæ eius, vt accendantur semper ad vesperam.*] Hebraicè habetur, *ad ardendum in vespera in vespera.* Nec per hoc excluditur, quin arderent etiam tota die: sed præcipui termini tanguntur; videlicet, quòd hora vespertina integra opera adhibebatur lucernis: mane autem visitabantur ad continuandum lumen vsque ad vesperam, in qua iterum parabantur lucernæ.

Nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri.] Hebr. habetur: *Quia nos custodientes custodiam Iehouah Eloha nostri, & vos reliquistis eum.* Gloriatur (in Deo tamen) quòd seruant custodias præceptas in templo, & illi è conuerso reliquerunt.

Vers. 12. *Ergo in exercitu nostro dux Deus est.*] Hebraicè habetur: *Et ecce nobiscum in caput Elohim.* qui verè est Elohim.

Et Sacerdotes eius, & tuba clangoris ad clangẽdum contra vos : filij Israel non pugnetis cum Do-

mino Deo patrum vestrorum : quia non expedit vobis.] Hebraicè habetur : *Quia non proficietis.* in bello aduersùs Elohim caput nostrum.

Hæc illo loquente.] Interpres addidit hæc verba: Vers. 13. nam Hebraicè habetur: *Et Iarobham gyrauit insidias ad veniendum post : ergo eorum.* Deinde immediatè subditur distinctio exercitus Ieroboham.

Et fuerunt coram Iehuda, & insidiæ post eos.] In istas enim duas partes distinctus erat exercitus Israël: alteram in facie, alteram in tergo Iudæ.

Respicientésque Iudæi.] Hebraicè habetur: *Et verterunt se Iehuda.* Verterunt autem facies speculando eos, qui erant à tergo. Vers. 14.

Et ecce eis bellum antè & retrò, & clamauerunt ad Dominum: & Sacerdotes clangebant tubis. Vers. 15.

Virique Iehuda vociferati sunt: & illis vociferantibus perterruit Deus.] Hebraice habetur : *Elohim mortificauit Iarobham, & omnem Israelem coram Abi-ia, & Iehuda.* animos & corpora Israelis supremus gubernator, & Iudex debilitate affecit, vt cæderentur à Iuda.

Fugerúntque filij Israel à facie Iehuda: & tradidit eos Deus in manum eorũ.] Nomen est Elohim. Vers. 16.

Percussérúntque eos Abi-ia, & populus eius plaga magna : & corruerunt vulnerati ex Israel quinquaginta millia virorum fortium.] Hebraicè habetur : *Et ceciderunt interfecti ex Israël quingenta millia virorum electorum.* Maxima clades fuit : & excessiuus numerus visus est iis, qui scripserunt quinquaginta millia. Vers. 17.

Humiliatique sunt filij Israël in tempore illo : & confortati sunt filij Iehuda, eo quod speraſſent in Domino Deo patrum suorum. Vers. 18.

Persecutus est autem Abi-ia Iarobham & cepit ab eo ciuitates; Beth-el, & filias eius; Iesanam, & filias eius; Heph-ron, & filias eius. Vers. 19.

Et non valuit fortitudo Iarobham vltrà in diebus Abi-iahu : percussitque eum Dominus, & mortuus est. Vers. 20.

Igitur Abia confortato imperio suo, accepit vxores quatuordecim.] Hebr. habetur: *Et roborauit se Abi-ia, & accepit sibi vxores quatuordecim: genuitque vigintiduos filios ; & sedecim filias.* Non narratur, quòd post roboratum imperium acceperit vxores quatuordecim, & genuerit tot filios ; sed narratur, & robur regni, & multitudo vxorum, & generatio tot filiorum. Vers. 21.

Reliquum autem verborum Abi-ia, & viarum eius, & operum eius, scriptum est in expositione Prophetæ Hiddo. Vers. 22.

Dormiuitque Abi-ia cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate Dauid, & regnauit Asa filius eius pro eo: in cuius diebus quieuit terra decem annis.] Vers. 1. cap. 14.

CAPVT XIV.

Fecit autem Asa, quod bonum, & placitum erat.] Hebraicè habetur, *bonum, & rectum in oculis Domini Dei sui.* Et rectum quidem refertur ad iustitiam: bonum autem ad vtile diuino cultui. Vers. 2.

Remouitque altaria peregrini cultus, & excelsa.] idolorum : nam excelsa, in quibus immolabatur vero Deo non abstulit : vt in calce sequentis capituli dicitur.

Et confregit statuas, & succidit lucos. Vers. 3.

Et præcepit Iehuda, vt quæreret Dami- Vers. 4.

rum Deum patrum suorum, & vt faceret legem, & mandatum.

Vers. 5. *Et removit de cunctis ciuitatibus Iehudæ aras, & fana.*] Hebraicè habetur, *excelsa, & simulacra.* Ita quòd non solùm ex Ierusalem: sed etiam de cunctis vrbibus Iudæ hæc abstulit. Verùm, non quæcunque simulacra, sed ea, quibus venerabantur Solem, sonat dictio Hebraïca.

Vers. 6. *Et quieuit regnum ante eum.*

8 *Ædificauit quoque ciuitates munitas in Iehuda: quia quietus erat, & nulla temporibus eius bella surrexerant.*] Hebraicè habetur: *Quia quieuit terra, & non cum eo bellum annis istis.* videlicet, prædictis decem.

Vers. 7. *Quia Dominus requiescere fecit eum.*

Dixit autem Iehuda: Ædificemus ciuitates istas, & vallemus muris, & turribus, & ostiis, & seris, donec à bellis requiescat terra: quia quæsiuimus Dominum Deum nostrum: quæsiuimus, & requiescere fecit nos per gyrum: ædificauerúntque, & prosperati sunt.

Vers. 8. *Habuit autem Asa in exercitu suo portantium scutum, & hastam de Iehuda trecenta millia, & de Biniamin portantium clypeum, & tendentium arcum ducenta, & octoginta millia: omnes isti potentes fortitudine.*

Vers. 9. *Egressus est autem contra eos Zerach Æthiops cum exercitu mille millium, & curribus trecentis: & venit vsque ad Maresam.*

Vers. 10. *Egressúsque est Asa contra eum: & disposuit prælium in valle Zephata iuxta Maresam.*

Vers. 11. *Clamauítque Asa ad Dominum Deum suum, & ait: Domine, non est apud te vlla distantia; vtrùm in paucis auxilieris, an in pluribus.*] Iuxta Hebræũ habetur: *Iehouah, nõn tecum ad auxiliandum cum multitudine non forti.* hoc est; non es tu talis, vt egeas multitudine ad adiuuandum eum, cui non est fortitudo; sed potes sine multitudine adiuuare.

Deus potest sine multitudine adiuuare.

Adiuua nos, Domine Deus noster, in te enim.] Hebr. habetur: *In te enim innixi sumus.* Et deinde sequitur:

Et in nomine tuo venimus contra turbam hanc: Domine Deus noster tu, non valebit tecum homo.] sed materia non exigit tam exactam literæ correctionem.

Vers. 12. *Exterruit itaque.*] Hebraicè habetur: *Et mortificauit Dominus Æthiopes coram Asa, & coram Iuda.* & intellige de mortificatione vitium corporum & animorum.

Et fugerunt Æthiopes.

Vers. 13. *Et persecutus est eos Asa, & populus, qui erat cum eo vsque ad Gherar, & ruerunt Æthiopes vsque ad internecionem, quia contriti sunt coram domino, & coram castris eius: tulerúntque spolia multa valdè.*

Vers. 14. *Et percussérunt omnes ciuitates per circuitum Gherar, quia terror Domini fuit super eas: & diripuerunt omnes ciuitates, quia præda multa erat in eis.*

Vers. 15. *Et etiam tentoria armentorum percussérunt: & ceperunt oues in multitudine, & camelos, & reuersi sunt in Ierusalaim.*

CAPVT II.

Vers. 1. *Actus est autem spiritus Dei super Hazariahu, filium Hoded.*

Vers. 2. *Qui egressus est ante Asam, & dixit ei: Audite me, Asa, & omnis Iehuda, & Biniamin: Dominus vobiscum, cùm estis cũ eo: & si quæsieritis eum, inuenietur vobis; & si dereliqueritis eũ, derelinquet vos.*

Transibunt autem dies multi in Israel absque Vers. 3. *Deo vero, & absque Sacerdote, absque Doctore quoque, & absque lege.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et dies multi Israeli: in non Elohe veritatis, & in non Sacerdote docente, & in non lege.* Non dicit, transibunt multi dies, sed dicit absolute, *dies multi:* & propterea sermo iste non arctatur ad futurum tempus. Et dicendo, *Israëli*, non arctatur ad regnum Iudæ. Et immediatè sequitur non sicut habet vulgata editio:

Cúmque reuersi fuerint in angustia sua, & clamauerint ad Dominum Deum Israël, & quæsierint eum, inuenient. sed: *Et reuersus est in angustia sibi ad Iehouah Elohe Israëlis: & quæsierunt eum, & fuit inuentus eis.* Ista verba præteriti temporis insinuant, quòd Propheta iste præterita refert: asserendo in testimonium mala præterita populi Israël, vt efficax sit exhortatio ad futura bona opera. Quòd ergo dicit: *Dies multi Israeli absque vero Deo*, verificatum erat in populo Israël, tum in regno Israël iugiter, tum in regno Iudæ ad tempus: videlicet, tempore Roboham, vt c. 12. scriptũ est: tunc enim verificata sunt omnia hæc, vt patet 3. Reg. 14. quoad idololatriam, & peccata sine iugo legis, sine sacerdotio cõmuni omnibus, sine Doctore veræ religionis. Reuersio autem ad summum Deum in angustia, verificata erat, & tempore Roboham, (vt patet superiùs cap. 12.) & tempore Abiæ filij eius, vt patet cap. 13. Vers. 4.

In tempore illo non erit pax.] Hebraicè habetur: *Et in temporibus illis non pax exeunti, & ingredienti: quia terrores multi super omnes habitatores terrarum.* Non dicit in futuro tempore: quoniam absque verbo dicit, *in temporibus illis non pax.* demonstrant enim tempora præterita, quibus coluerant non verum Deum & absque lege vixerant: nam & hæc verificata fuerunt tempore Roboham, diripiente Sesac Rege Ægypti regnum Iudæ: vt superiùs scripta testantur. Vers. 5.

Pugnabit enim gens in gentem, & ciuitas contra ciuitatem: quia Dominus conturbabit eos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuerunt contusa gens in gente, & ciuitas in ciuitate: quia Elohim conturbauit eos in omni angustia.* Verba ista præteriti temporis, testantur, quòd res gestas refert Propheta; gestas, inquam, tempore Roboham iusto Dei iudicio, mediante exercitu Sesac Regis Ægypti. Phrasi autem Hebraicę tribuendum est, gens in gente, & ciuitas in ciuitate; hoc est, gentes inter gentes, & ciuitas inter ciuitates. Et est sensus, quòd quælibet ciuitas oppressa est. Vers. 6.

Gens in gente, & ciuitas in ciuitate, *quid.*

Vos ergo confortamini, & non dissoluantur manus vestræ: eris enim merces.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et vos inualescite, & non lentescent manus vestræ: quia est merces operi vestro.* Ab exemplo præteritorum hortatur eos, vt inualescant ad ea, quæ sunt summi Dei, quoniam non erit vana opera eorum; sed mercedem in promptu vident, vtpote tunc experti. Vers. 7.

Cúmque audisset Asa verba hæc, & prophetiam Hoded Prophetæ, confortatus est, & abstulit abominationes de tota terra Iehuda, & Biniamin, & de ciuitatibus, quas cepit de monte Ephraim: & dedicauit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et renouauit altare Domini, quod ante porticum Domini.* Qua autem restauratione indigebat altare, non est scriptum. Vers. 8.

Congregauítque totum Iehudam, & Biniamin, & aduenas cum eis de Ephraim, & Manasse, & de Simeon: Vers. 9.

Simbon: quia transfugerunt ad eum de Israel in multitudine, cùm viderent, quòd Dominus Deus eius esset cum eo.

Vers. 10. *Congregatique sunt in Ierusalem mense tertio, anno quintodecimo regni Asa.*] Festum Pentecostes innuitur.

Vers. 11. *Et immolauerunt Domino in die illo de præda, quam adduxerant, bones septingentos, & ouium septem millia.*

Vers. 12. *Et iurauit ex more ad corroborandum fœdus.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et venerunt in pactũ ad quærendum Iehouah Elohe patrum suorum in toto corde suo, & in tota anima sua.* Nouum pactũ significatur communi voto factũ. Vnde subiuncta verba:

Vers. 13. *Si quis autem, inquit, non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur: à paruo usque ad magnum, à viro usque ad mulierem.*] Legenda sunt sine verbo illo, *inquit*: nam in Hebræo non habetur: sed communi scribuntur pacto decreta.

Vers. 14. *Iurauerúntque Domino voce magna, & in iubilo, & in tubis, & in buccinis.*

Vers. 15. *Et lætatus est totus Iehuda super execratione.*] Hebr. habetur, *super iuramento*. Et est sententia clara.

Quia in toto corde suo iurauerunt, & in tota voluntate sua quæsierunt eum, & inuentus est eis: præstititque eis Dominus requiem per circuitum.

Vers. 16. *Et etiam Mahacham matrẽ Asa Rex exauctoratam depositit imperio.*] Hebr. habetur, *remouit à principatu*. Aliqua regali administratione narratur priuata in pœnam: quanuis non exprimatur illa.

Mater Regis Asa erat Sacerdos Priapi.

Eò quod fecerat in luco simulacrum Priapi.] Hebraicè nulla fit Priapi mentio creditur tamẽ tale simulacrũ fuisse, cui Sacerdos erat mater Regis.

Vers. 17. *Concidítque Asa simulacrum eius, & comminuit, ac combussit in torrente Cedron.*

Excelsa autem non abstulerunt de Israel. Verumtamen cor Asæ fuit perfectum omnibus diebus eius.] quoad cultum vnius summi Dei: quanuis enim peccauerit in aliis, (vt in sequenti narratur capitulo,) non tamen peccauit colendo alios Deos, aut relinquendo ipsum Dei cultum.

Vers. 18. *Eáque, quæ vouerat pater suus, & ipse, intulit in domum Domini: argentum, & aurum, vasorúmque diuersam supellectilem.*] Hebraicè habetur: *Et intulit sanctificationes patris sui, & sanctificationes suas in domum Elohim: argentum, & aurum, & vasa.* nec aliud scribitur in Hebræo, quanuis vulgata editio aliud sonet. Sanctificationes autem appellantur res dicatæ Deo in templo.

Sanctificationes, sunt res dicatæ Deo templo.

Vers. 19. *Et bellum non fuit vsque ad trigesimum annum regni Asa.*] Hebraicè habetur, *vsque ad annum trigesimum, & quintum regni eius.* Sed hanc literam corruptam esse apud Hebræos, in principio sequentis capituli manifestabitur.

CAPVT XVI.

Vers. 1. *ANno trigesimosexto regni Asæ, ascendit Bahasa Rex Israel contra Iehudam.*] Aduerte, prudens lector, & diligenter confer scripta 3. Reg. cap. 15. & 16 cum scriptis hic: & comperies, falsum esse, quod hìc scribitur, erroréque scriptorum scriptum esse annũ trigesimumsextum, cùm debuisset scribi annus vigesimussextus: & similiter in calce præcedentis capituli debuit scribi annus vigesimusquintus: vtrobique enim decem anni sunt adiuncti. Conuincitur autem falsitas ex eo, quòd Bahasa Rex Israel incepit regnare anno tertio Asæ Regis Iudæ, & regnauit annis viginti-

3. Reg. 15. & 16.

Errore scriptorum trigesimus pro vigesimo.

quatuor: & post eum multi Reges annis ferè duodecim; ita quòd Achab post illos regnauit in Israel anno trigesimooctauo eiusdem Asæ. ex hoc itaque, quòd inter mortem Bahasæ, & initium regni Achab anno trigesimooctauo regni Asæ fluxerunt anni ferè duodecim, vel circa; manifestè patet, falsum esse, quod Bahasa mouerit bellum contra Asam anno trigesimosexto regni ipsius Asæ.

Et muro circundabat.] Hebraïcè habetur: *Et ædificauit Ramam, ad non dandum egredientem, & ingredientem Asa Regi Iehudæ.* Hæc historia tractata est 3. Reg. 15. & ideò pertranseo.

Protulit autem Asa argentum, & aurum de thesauris domus Domini, & domus Regis: & misit ad Ben-hadad Regem Syriæ, qui habitabat in Damasco dicendo. Vers. 2.

Fœdus inter me, & te est, & inter patrem meum, & patrem tuum: ecce misi ad te argentum, & aurum: vade, irrita fœdus, quod habes cum Bahasa Rege Israel, & fac eum ascendere à me. Vers. 3.

Exaudítque Ben-hadad Regem Asam: & misit Principes exercituum suorum ad ciuitates Israel, & percussérũt Hi-on, & Dan, & Abel-maim, & omnes ciuitates munitas.] Hebr. habetur: *Et omnes thesaurorum ciuitates Nephthali.* quæ erant præcipuæ: vtpote seruantes pro aliis opportuna. Vers. 4.

Quod cùm audisset Bahasa, desiit ædificare Ramam: & intermisit opus suum. Vers. 5.

Porrò Asa assumpsit totum Iehudam, & tulerunt lapides Ramæ, & ligna, qua ædificationi præparauerat.] Hebr. habetur: *Et ligna eius, qua ædificauit Bahasa.* ita quòd ex ædificio facto lapides & ligna abstulerunt. Vers. 6.

Et ædificauit ex eis Gheba, & Mizpam.

In tempore autem illo venit Chanani Propheta ad Asam Regem Iehuda, & dixit ei: Quia innixus es super Regem Syriæ, & non innixus es super Dominum Deum tuum, ideircò euasit exercitus Regis Syriæ de manu tua.] Hinc colligitur, quòd Asa timebat Regem Syriæ confœderatum Regi Israel aduersùs ipsum Asam: & timore exercitus Regis Syriæ, misit ad ipsum Syriæ Regem aurum, vt frangeret fœdus, quod habebat cum Rege Israel: nisi enim Asa timuisset exercitum Syriæ, nequaquam dixisset Propheta, ideircò euasit exercitus Regis Syriæ de manu tua. Aperit enim, quòd si innixus fuisset summo Deo, venissent vtique Syri cum Israëlitis aduersùs eum; sed non euasissent de manu ipsius: & hoc consequenter probat ab exemplo Æthiopum, de quibus suprà habitus est sermo. Vers. 7.

Asa timebat Regem Syriæ.

Nonne Æthiopes, & Lubim fuerunt cum exercitu copioso, cum curribus, & equitibus multis valde: & cùm innixus fuisti super Dominum, dedit eos in manum tuam? Vers. 8.

Oculi enim Domini contemplantur totam terrã, & præbent fortitudinem iis, qui corde perfecto credunt in eum: stulté igitur egisti.] Hebr. habetur, *insanisti super hoc.* Diuina authoritate fultus Propheta, manifestat Regi insaniam eius. Vers. 9.

Et propter hoc etiam præsentis temporis aduersùm te bella consurgunt.] Hebr. habetur: *Quia ex nunc sunt tecum bella.* Longo siquidem tempore pax fuerat: sed in pœnam diffidentiæ eius factum est, vt tunc bella aduersùs eum consurgerent.

Iratúsque est Asa contra Videntem, & iussit eum mitti in nerum.] Hebr. habetur: *Et posuit eum in domo carceris.* Ecce alterum peccatum Regis Asæ.

Valdè quippe super hoc fuit Dominus indignatus.] Vers. 10.

Hebraïcè habetur: *Quia in ira cum eo super hoc.* Nec nominatur Deus: sed Interpres, eò quòd iam scripta erat ira Regis aduersus Prophetam, exposuit de ira Dei: & rationabiliter: quia in ira diuina agebatur cum Asa propter diffidétiam eius: ratio siquidem, quare afflixerit Prophetam, redditur ex parte diuinæ iustitiæ deserentis Asam. Magna ac pessima species iræ Dei est, qua deserit hominem, qui peccauit, vt peccata peccatis accumulet.

Magna ira Dei, cùm sinit hominem peccata peccatis accumulare.

Et interfecit de populo in tempore illo plurimos.] Hebraïcè habetur: *Et fregit Asa ex populo in tempore illo.* Oppressio populi facta tunc ab Asa Rege scribitur: qualis autem, non patet.

Vers. 11. *Et ecce opera Asa prioris, & posteriora, scripta sunt in libro Regum Iehuda, & Israel.*

Vers. 12. *Ægrotauitque Asa anno trigesimonono regni sui dolore pedum vehementissimo.*] Hebraicè habetur, *vsque in supra ægrotatio eius.* Et ad literam videtur significari, quòd ægritudo pedum fuit vsque ad summum doloris gradum.

Et etiam in infirmitate sua non quæsiuit Dominum; sed magis in Medicorum arte confisus est.] Hebraïcè habetur: *Quia in Medicis.* Non arguitur, quòd vsus fuerit Medicis; sed, quòd vsus Medicorum fuerit ei ratio, vt non quæreret sanitatem à Deo: non vituperatur vsus medicinæ; sed vti sic, vt obliuiscamur diuinæ gratiæ: oportet enim hoc facere, & illud non omittere, vrgente ægritudine.

Medicis vtendum est, diuinam gratiam in memoriam reuocando.

Vers. 13. *Dormiuitque Asa cum patribus suis: & mortuus est quadragesimoprimo anno regni sui.*

Vers. 14. *Et sepelierunt eum in sepulcro suo, quod foderat sibi in ciuitate Dauid: & posuerunt eum super lectum suum.*] Superfluit, *suum.*

Plenum aromatibus.] Hebraïcè habetur: *Quem impleuit aromatibus.* Ipse siquidé Rex viuens impleuerat sibi stratũ feretri, seu loculũ aromatibus.

Et vnguentis meretricis, quæ erant pigmentariorum arte confecta.] Hebraïcè habetur: *Et aromatibus aromatizatis aromatario opere.* Dictio tamen vltimò interpretata, *aromatibus*, potest interpretari, *vasis*: & quadrat, vt etiam vasa significentur aromatizata, in quibus cadauer erat.

Et combusserunt super eum ambitione nimia.] Hebraïcè habetur, *combustione magna vsque valdè.* Prima combustio regij cadaueris post combustionem corporis Saülis legitur ista: sed, qualiter fieret, non scribitur: Saulis siquidem carnes, non ossa combusta legimus: de ista autem Hebraica litera habet: *Et combusserunt ad eum.* ita quòd incertum remanet, quid eius combustum fuerit.

Asa regis cadaueris prima cõbustio fuit post cõbustionẽ corporis Saülis.

CAPVT XVII.

Vers. 1. *REgnauit autem Iehosaphat, filius eius, pro eo: & inualuit contra Israël.*

Vers. 2. *Et posuit præsidia in omnibus ciuitatibus Iehudæ munitis: & posuit Præfectos in terra Iehuda, & in ciuitatibus Eph-raim, quas ceperat Asa, pater eius.*

Vers. 3. *Fuitque Dominus cum Iehosaphat: quia ambulauit in viis Dauid patris sui primis.*] Ad differentiam viarum posteriorum Dauidis, quibus declinauit à recto in facto Vriæ, & numeratione populi.

Et non quæsiuit Behalim.

Vers. 4. *Quia Deum patris sui quæsiuit, & in præceptis eius ambulauit: & non iuxta opera Israelis.*

Confirmauitque Dominus regnum in manu eius, Vers. 5.
& dedit totus Iehuda munera Iehosaphat: & fuerunt ei infinitæ diuitiæ, & gloria in multitudine.] Superfluit, *infinitæ*, & *gloria* ponitur loco *honoris*: sed hæc minutula pertrãseunda hîc videntur. Gloria *pro* honore.

Eleuauitque cor suum in viis Domini: & adhuc Vers. 6.
abstulit excelsa, & lucos de Iehuda.

Tertio autem anno regni sui misit Principes suos Vers. 7.
(Benchail, & Hobad-iam, & Zechar-iam, & Nethan-el, & Micha-iahu ad docendum in ciuitatibus Iehuda.

Et cum eis Leuitas, Semah-iahu, & Nethan- Vers. 8.
iahu, & Zebad-iahu, & Hasael, & Semiramoth, & Ionathan, & Adoni-iahu, & Tobi iahu, & Tobadoniam Leuitas: & cum eis Elisamah, & Ioram Sacerdotes.] Verè officium religiosissimi Principis exercuit. Iosaphat, religiosissimus Princeps.

Docuerúntque in Iehuda, & cum eis erat liber Vers. 9.
legis Domini: & circumierunt per omnes ciuitates Iehuda, & docuerunt populum.

Factúsque est pauor Domini super omnia regna Vers. 10
terrarum, quæ erant per gyrum Iehuda: & non bellauerunt cõtra Iehosaphat.] Benignitas Dei secuta eruditionem populi monstratur.

Et de Philisthim deferebant Iehosaphat munus, Vers. 11.
& vectigal argenti.] Hebraïcè habetur, *& argenteæ onus.* Tributum Philisthinorum (quod appellatũ est, munus) explicatur, quòd erat argenti onus. Tributum *appellatur* munus.

Harabes quoque adducebant ei ouium arietum *septem millia, & septingentas, & hircorum septem millia, & septingentos.*

Fuitque Iehosaphat vadens, & grandescens vsq; Vers. 12
in sublime: & ædificauit in Iehuda domos ad instar turrium, vrbésque muratas.] Hebraïcè habetur, *palatia, & ciuitates thesaurorum*; tum ad alimenta, tum ad bella.

Opúsque multum fuit ei in ciuitatibus Iehuda: Vers. 13
& viri bellatores potentes viribus in Ierusalaim.

Et isti numeri eorum per domos patrum eorum: in Vers. 14
Iehuda Principes millium, Hadna Princeps, & cum eo potentium fortitudine trecenta millia.

Post hunc.] Hebraïcè habetur: *Et super manum* Vers. 15.
eius. hoc est, & illi innitebatur.

Iehochanan Princeps, & cum eo potentium fortitudine ducenta & octoginta millia.

Post illum quoque.] Legendum similiter est: *Et* Vers. 16.
super manum eius. refertúrque secundus.

Hamas-ia, filius Zich-ri consecratus Domino.] Hebraïcè habetur, *deuotus Iehouah.* significat enim Hebraica dictio spontaneum sui datorem: Nazaræus siquidem videtur significari. Nazaræus spontaneũ datorem *significat.*

Et cum eo ducenta millia potentium fortitudine, Vers. 17.
Hunc sequebatur robustus ad prælia Eliada.] Hebraïcè habetur: *Et de Bin-iamin potens fortitudine El-iadah.* Sententia est clara.

Et cum eo armatorũ arcu, & clypeo ducẽta millia.

Post istum etiam.] Hebraïcè habetur: *Et super* Vers. 18.
manum eius Iehozabad. Alter Princeps filiorum Ben-iamin innixus primo supputatur.

Et cum eo centum, & octoginta millia expeditorum ad exercitum.

Hi omnes erant ad manum Regis.] Hebraïcè ha- Vers. 19
bentur, *Isti seruientes cum Rege.* non cũ Rege, quantum ad habitationẽ: non enim omnes isti sequebantur personam Regis: sed describuntur adhærentes Regi, ad differentiam aliorum, qui manebant in præsidiis vrbium, qui non egrediebantur cum Rege ad prælium, vt clarè subiungitur.

Exceptis iis, quos posuerat Rex in ciuitatibus munitis in toto Iehuda.]

CAPVT

CAPVT XVIII.

Vers. 1. *Habuitque Iehosaphat diuitias, & honorem in multitudine: & affinitate coniunctus est Ach-ab.*] dando Ioram filio suo filiam Achab Regis Israel in vxorem.

Vers. 2. *Descenditque post annos ad Ach-ab in Someron, & mactauit ei Ach-ab oues, & boues in multitudine, & populo, qui erat cum eo: & suasit ei, vt ascenderet in Ramoth Galaad.*

Vers. 3. *Dixitque Ach-ab Rex Israel ad Iehosaphat Regem Iehuda: Veni mecum.*] Hebraice habetur: *Num ibis mecum in Ramoth Galaad?* Honestius petit: historia hæc diffusè tractata est 3. Reg. 22. & propterea vide, quæ subiunguntur, exposita ibi.

3. Reg. 22.

Et dixit ei: Sicut ego, sic tu, & sicut populus tuus, sic populus meus, & tecum erimus in bello.

Vers. 4. *Dixitque Iehosaphat ad Regem Israel: Consule, quæso, hodie sermonem Domini.*

Vers. 5. *Congregauitque Rex Israël Prophetas quadringentos viros: & dixit ad eos: Iréne debemus in Ramoth Galaad ad bellum, an quiescere? Et dixerunt: Ascende: & tradet Deus in manum Regis.*] Nomen est, *Elohim.*

Vers. 6. *Dixitque Iehosaphat: An non est hîc adhuc Propheta Domini, & ab illo requiremus.*

Vers. 7. *Et ait Rex Israël ad Iehosaphat: Adhuc est vir vnus ad requirendum Dominum per eum: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore.*] Hebraicè habetur, *omnibus diebus suis.* Pronomen omiserat Interpres.

An Micheas iste fuerit vnus ex 12. Prophetis.

Ipse est Micha-iehu, filius Imla.] Non est iste, ille Micheas, qui supputatur inter duodecim Prophetas: quandoquidem ille fuit longè pòst: vtpote tempore Iotham, Regis Iudæ, filij Huziæ leprosi; iste autem tempore Iosaphat.

Dixitque Iehosaphat: Ne loquatur Rex hoc modo.

Vers. 8. *Vocauitque Rex Israël eunuchum vnum: & dixit: Voca citò Micha-iehu, filium Imla.*

Vers. 9. *Porrò Rex Israël, & Iehosaphat Rex Iehudæ, sedebant vnusquisque super solium suum vestiti cultu regio.*] Hebraicè habetur, *induti vestibus.* Non solùm ad differentiam armorum, (quia, videlicet, non erat armati,) sed etiam ad significandum ornamentum vestium dicitur, quòd erant induti vestibus.

Sedebántque in area introitus portæ Someron, & omnes Prophetæ vaticinabantur coram eis.

Vers. 10. *Fecitque sibi Zidei-iahu, filius Chenahana, cornua ferrea: & dixit: Sic dixit Dominus: His ventilábis.*] Hebraicè habetur, *cornupetes Syros vsque ad contritionem eorum.* quod quadrat cornibus.

Vers. 11. *Omnésque Prophetæ vaticinabántur, sic dicendo: Ascende in Ramoth Galaad, & proísperaberis, & tradet Dominus in manus Regis.*

Vers. 12. *Nuncius autem, qui erat ad vocandum Micha-iehu ait ei: Ecce verba Prophetarùm ore vno bonum annunciant Regi: sit, quæso, sermo tuus, sicut vnius ex eis, & loquere bonum.*

Vers. 13. *Cui respondit Micha-iehu: Viuit Dominus, quòd quicquid dixerit Deus meus.*] Hebraicè habetur, *Elohe meus; illud loquar.* regulariter enim, cùm adiungitur pronomen, scribitur Elohe.

Vers. 14. *Venítque ad Regem: & dixit Rex ad eum: Micha, iréne debemus in Ramoth Galaad ad bellum, an quiescere? Et dixit: Ascendite, proísperabímini, & tradentur in manus vestras.*] Vide in libro Regum expositionem, vt diximus.

Et dixit ad eum Rex iterum, atque iterum.] Vers. 15. Heb. habetur: *Vsque quot vices ego adiuro te, vt non loquaris mihi, nisi veritatem in nomine Domini?* Et hoc etiam expositum est ibi cum omnibus subiunctis.

Et ait: Vidi totum Israel dispersum in montibus, Vers. 16. *sicut oues non habentes pastorem: & dixit Dominus: Non habent isti dominos, reuertatur vnusquisque in domum suam in pace.*

Dixitque Rex Israël ad Iehosaphat: Nónne dixi Vers. 17. *tibi, quòd non prophetaret mihi bonum, sed malum?*

Et dixit: Ideò audite verbum Domini: vidi Do- Vers. 18. *minum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli stantem iuxta dextram, & sinistram eius.*

Et dixit Dominus: Quis decipiet Ach-ab Regem Vers. 19. *Israël, vt ascendat, & corruat in Ramoth Galaad? Et dixit iste sic, & ille sic.*

Processítque (Hebraicè habetur: *Et egressus est*) Vers. 20. *spíritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam eum. Et dixit Dominus ad eum: In quo?*

Et dixit: Egrediar, & ero spíritus falsus in ore Vers. 21. *omnium Prophetarum eius: & dixit: Decipies, & etiam præualebis, egredere, & fac ita.*

Et nunc ecce dedit Dominus spíritum falsum in Vers. 22. *ore omnium Prophetarum tuorum istorum: & Dominus locutus est super te malum.*

Accessit autem Zidei-iahu, filius Chenahana, & Vers. 23. *percussit Micha-iehu in maxillam, & dixit: Quæ via transiit spíritus Domini a me ad loquendum tecum?*

Dixitque Micha-iehu: Ecce tu videbis in die illo, Vers. 24. *quo ingredieris cubiculum in cubículo, vt abscóndaris.*

Dixit autem Rex Israël: Tollite Micha-iehu, & Vers. 25. *ducite.*] Hebraicè habetur: *Et facite reuerti eum ad Amon Principem ciuitatis, & ad Ioas, filium Amalech.* Quia Hebraicè habetur, *Hamelech,* Hamelech, *quid.* sunt qui putant, non esse nomen proprium, sed significari filium Regis: fortè frater erat ipsius Achab, filius Homri Regis, Præfectus Curiæ.

Et dicetis: Sic dixit Rex: Mittite hunc in carce- Vers. 26. *rem, & date ei panis modicum, & aquæ pauxillum.*] Hebraicè vtrobique habetur dictio significans oppressionem. Tam panis itaque, quàm aqua oppressionis significatur.

Donec reuertar in pace.

Dixitque Micha-iehu: Si reuersus fueris in pa- Vers. 27. *ce, non est Dominus locutus in me. & ait: Audite populi omnes.*] Testes inuocat vniuersos verborum, quæ dixerat: quòd si reuersus fuerit Rex in pace, non fuerat locutus Deus per eum.

Ascendit itaque Rex Israël, & Iehosaphat Rex Vers. 28. *Iehudæ in Ramoth Galaad.*

Dixitque Rex Israël ad Iehosaphat: Mutabo Vers. 29. *habitum, & sic ad pugnam veniam.*] Hebraicè habetur, *mutando vestem, & venire ad prælium.* Scribitur enim hîc, quemadmodum & in libro Regum, sine aliquo pronomine verbis infinitiui modi, siue gerundij: sed sensus ex subiunctis vtrobique patet.

Tu autem induere vestibus tuis: mutauitque se Rex Israël, & ingressi sunt prælium.

Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus Vers. 30. *sui.*] Hebraicè habetur, *Principibus currus sui.*

Dicendo: Non pugnabitis cum magno, & parvo, sed cum Rege Israël solum.

Et fuit, cùm vidissent Principes currûum Iehos- Vers. 31. *saphat, dixerunt: Rex Israël est. & circumdederunt eum dimicantes: clamauitque Iehosaphat ad Dominum.*] Superfluit, *ad Dominum.*

Et auxiliatus est ei, atq; auertit] Heb. habetur:

Et

Et Iehouah aduuit eum, & incauauit eos Elohim ab eo.] Cauſam ſuprematn tangit Scriptura, & modum; videlicet, internæ motionis Principum curruum Syriæ, vt declinarent à Ioſaphat.

Vers. 32. *Cumque vidiſſent Principes curruum quod non eſſet Rex Iſraël, auerſi ſunt ab eo.*

Vers. 33. *Accidit autem, vt vnus è populo ſagittam in incertum iaceret.*] Hebraicè habetur. *Et vir iaculatus eſt arcu in puritate ſua.* hoc eſt, non ad hoc vt perueteret Regem: puritas enim à regia læſione ſignificatur.

Et percuteret Regem Iſraël inter ceruicem, & ſcapulas.] Hebraïce habetur: *Et percuſſit Regem Iſrael inter iuncturas, & inter loricam.* Non dicit, inter collum; ſed *inter iuncturas*: ad inſinuandum, quòd inter iuncturas corporis (quæ ſunt in parte inferiori loricæ) fuit vulnus.

At ille aurigæ ſuo ait: Verte manum tuam, & educ me de acie.] Hebraïcè habetur, *& trahe me de caſtris.* Trahendum currum iubet extra prælij locum.

Quia vulneratus ſum.] Hebraïce habetur: *Quia egrotaui.* Nec aurigæ voluit manifeſtare vulnus, ſed ſimulauit languorem.

Vers. 34. *Achab vulneratus ſimulauit ſe languere.* *Et fuſta eſt pugna.*] Hebraïcè habetur: *Et aſcendit prælium in die illo: & Rex Iſrael fuit ſtans in curru contra Syros vſque ad veſperam.* Vehementia prælij narratur, perſeuerante Rege Iſrael in curru contra Syros, vſque ad veſperam: ad manifeſtandum, quòd Rex Iſraël non fecit ſe trahi extra prælium. ſic quòd in locum diſtantem curtus, in quo erat, traheretur; ſed iuxta exercitum in poſtremis perſeueraret, vt videret exitum prælij.

Et mortuus eſt tempore occaſus Solis.]

CAPVT XIX.

Vers. 1. *Reuerſus eſt autem Ioſaphat, Rex Iehudæ, ad domum ſuam pacificè.*] Heb. habetur, *in pace*, hoc eſt illæſus, atque incolumis: per pacem enim ſalutē ſignificant Hebræi.

Pax ſalutem ſignificat apud Hebr. *In Ieruſalaim.*

Vers. 2. *Egreſſuſque eſt ante eum Iehu, filius Chanani, Videnſ, & dixit ad Regem Ioſaphat: Impio præbes auxilium, & iis, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris.*] Hebraicè habetur: *Num impio auxiliari, & oſoribus Iehouah diliges?* Vnica eſt ſententia, num diliges auxiliari impio, & oſoribus ſummi Dei? & intendit non interrogare, ſed arguere Regem, quòd iuerit ad prælium cum Ach-ab impio, & inimico ſummi Dei.

Et ideireo iram quidem Domini mereberis.] Hebraicè habetur: *Et in hoc eſt tibi ira à facie Iehouah.* Ira pro vindicta ſumitur: manifeſtat Propheta, Ioſaphat peccaſſe ex diuina ira aduersùs eum propter hoc.

Ira, pro vindicta.

Vers. 3. *Sed opera bona inuenta ſunt in te: eò quòd abſtuleris lucos de terra, & præparaueris* (Hebraicè habetur, *& direxeris*) *cor tuum.*] Quod autem ſubiungitur:

Vt requireres Dominum Deum patrum tuorū] Hebraïce habetur: *ad requirendum Elohim.* nec adduntur tot dictiones.

Vers. 4. *Habitauit ergo Ioſaphat in Ieruſalaim: rurſumque egreſſus eſt.*] Patui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et reuerſus eſt, & egreſſus eſt in populum à Beerſebah vſque ad montem Ephraim, & reduxit eos ad Dominum Deum patrum ſuorum.* Relatiuè ad id, quod fecerat tertio regni ſui anno, mittendo Doctores, vt ſcriptum eſt in cap. 17.] dicitur: *Et reuerſus eſt.* ſimile ſiquidem opus miſſionis ad reducendum populum ad Deum, ſignificatur per egreſſum: per nuncios ſiquidē egreſſus eſt iterum.

Et conſtituit Iudices in terra in omnibus ciuitatibus Iehudæ munitis per ſingulas ciuitates. Vers. 5.

Et dixit ad Iudices: Videte, quid facitis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Dei.] Hebraïce habetur: *Quia non homini iudicabitis, ſed Iehouah.* datiui caſus: hoc eſt: quia non vices hominis, ſed vices ſummi Dei exercebitis iudicando. Dicitur autem huiuſmodi iudicium, non humanum, ſed diuinum; tum, quia regnum erat Dei; tum, quia lex erat Dei; tū, quia populus iudicandus erat populus Dei. Vers. 6. Cur Ioſaphat monuit ſuum ad iudicium diuinum.

Et quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit.] Hebraicè habetur: *Et cum vobis in verbo iudicij.* ſubaudi, eſt Iehouah. Præſentia enim diuina in iudicando deſcribitur, vt ratio ſubiuncti timoris: quanuis enim Deus omnibus actionibus humanis ſit præſens; quia tamen ſpeciali modo præſens eſt iudiciis propriis, (qualia erant iſta, quæ per proprios vicarios exercebat;) ideò deſcribitur ſpecialiter Deus præſens. Deus ſpecialiter eſſe dicitur in rebus per Vicarios ſuos exercentur.

Nunc igitur ſit timor Domini ſuper vos: & cum diligentia cuncta agite.] Hebraicè habetur, *cuſtodite, & facite.* Cuſtodite ab iniuriarum ſpecie bus ſubiunctis; & facite, quod iuſtum eſt. Vers. 7.

Quia non eſt apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, neque acceptio perſonarum, neque acceptio muneris.

Vers. 8. *In Ieruſalaim quoque conſtituit Ioſaphat de Leuitis, & Sacerdotibus, & Principibus familiarum ex Iſraël, vt iudicium, & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius.*] Superflunt duæ vltimæ dictiones: & Hebraïcè habetur, *ad iudicium Iehouah & ad litem.* Explicatur ſiquidem iudicium ſummi Dei: ſed non lis ſummi Dei: lites enim non ſunt à Deo: iudicium autem, quanuis omne ſit a Deo, peculiariter tamen iudicium ſecundùm legem diuinam attribuitur ſummo Deo. Iudicium ſecundum legem diuinam attribuitur Deo, ſed lites, quæ non ſunt à Deo.

Et reuerſi ſunt in Ieruſalaim. Vers. 9.

Præcepitque eis dicendo: Sic agetis in timore Domini, in fide, & corde perfecto.

Et omnem cauſam, qua venerit ad vos à fratribus veſtris, qui habitant in ciuitatibus ſuis inter cognationem, & cognationem, vbicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cæremoniis, de iuſtificationibus.] Hebraïcè habetur, *inter ſanguinem ad ſanguinem, inter legem ad præceptum, ad ſtatuta, & ad iudicia.* Duo iudiciorum genera tangūtur: alterum inter hominem, & hominem: & hoc appellatur, *inter ſanguinem ad ſanguinem*; eò quòd ira, quæ eſt mater litis, cauſatur ex accenſione ſanguinis: alterum inter hominem, & legem; & hoc appellatur, *inter legem*, vel *ad præceptum* morale, vel *ad ſtatuta* cæremonialia, vel *iudicialia.* Vers. 10. Duo genera iudiciorum.

Oſtendite.] Hebraicè habetur: *Sollicitate eos, & non peccabunt Domino.* Non ſolùm vt iudicent; ſed etiam, vt ſollicitent ſubditos, ne peccent, mandatur.

Et non erit ira ſuper vos, & ſuper fratres veſtros: ſic faciatis, & non peccabitis.

Et ecce Amar-iahu Sacerdos ſummus in omnibus Domini ſuper vos, & Zebad-iahu, filius Ismaël, dux domus Iehudæ in omnibus Regis.] Stipremma duo capita iudiciorum decernit: alterum eorum, quæ ad Deum pertinent; alterum eorum, quæ pertinent ad Regem: ille Pontifex, ille dux dicitur. Vers. 11.

Habebit ipſe

Habebitisque Magistros Leuitas.] Hebraïcè habetur: *Et Præfectis Leuitæ coram vobis.* Declarauit Iudicibus, vt agnoscant pro capitibus Pontificē, & ducem: declarat eisdem, vt consulant in ambiguis Leuitas Præfectos in domo Dei.

Confortamini, & agite diligenter; & erit Dominus vobiscum in bonis.] Hebraïcè habetur: *Inualescite, & facite, & erit Iehouah cum bono* procul-dubiò Iudice, fouendo, & adiuuando eum.

CAPVT XX.

Vers. 1. *POst hæc autem venerunt filij Moab, & filij Hammon, & cum eis de Hammonitis contra Iehosaphat ad bellum.*] Vt subiuncta testantur, Idumæi significantur per hoc, quod dicitur de Hammonitis: sed non sub nomine proprio, sed tanquàm ducti ab Hammonitis; eò quòd non ipsa Idumæa (quæ subdita erat Regi Iosaphat) rebellauerat; sed aliqui (vt sæpè contingit) ex Idumææ regno seducti, vel conducti ab Hammonitis venerunt contra Iosaphat.

Vers. 2. *Venerúntque nuncij, & indicauerunt Iehosaphat dicendo: Venit contra te turba magna de trans mare.*] Mare mortuum significari dicitur.

Et de Syria: & ecce consistunt in Chazzon-thamar, ipsa est Hengbedi.

Vers. 3. *Iehosaphat autem timuit, & posuit faciem suam ad requirendum Dominum, & indixit ieunium super totum Iehudam.*

Vers. 4. *Congregatúsque est Iehuda ad requirendum Dominum: sed & omnes de vrbibus suis.*] Hebraïcè habetur: *etiam ex omnibus ciuitatibus Iehuda venerunt ad requirendum Dominum* Non solùm Tribus Iudæ, sed quaruncunque Tribuum habitatores in vrbibus Iudæ venerunt ad quærendum summinum Deum in Ierusalem.

Vers. 5. *Stetítque Iehosaphat in cœtu Iehuda, & Ierusalem in domo Domini ante atrium nouum.*] Crediderim ego instauratum atrium magnum appellari atrium nouum.

Vers. 6. *Et ait: Domine Deus patrum nostrorum, nónne tu es Deus in cælo*] Nomen est Elohim.

Et dominaris omnibus regnis gentium: & in manu tua est fortitudo, & potentia; & non est, qui tibi possit resistere?

Vers. 7. *Nónne tu Deus noster interfecisti.*] Hebraïcè habetur, *expulisti habitatores terræ huius à facie populi tui Israel* Et (vt sæpè dictum est) quoties dicitur, *Deus noster*, seu cum alio pronomine, *Elohe* scribitur.

Et dedisti eā semini Abraham amici tui in sæculū?

Vers. 8. *Habitauerúntque in ea, & extruxerunt tibi in ea sanctuarium nomini tuo dicendo.*

Vers. 9. *Si venerit super nos malum, gladius iudicij, & pestilentia, & fames, stabimus coram domo hac, & coram te.* Cómemoratis beneficiis diuinis cómemorat fructum recursus ad templum Dei in dedicatione templi speratum: erat enim Salomonis orationem tunc publicè ad Deum fusam, vt núc recurrentes ad templum Dei exaudiantur.

In qua inuocatum est nomen tuum.] Superfluit, *inuocatum*: templum enim erat domus nominis diuini.

Et clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies nos, & saluos facies.

Vers. 10. *Nunc igitur ecce filij Hammon, & Moab, & mons Seir*] Hinc apparet, quod paulo antè diximus, Idumæos significari tertio loco.

Idumæa per montem Seir significati.

Per quos non concessisti filiis Israël, vt trāsirēt.] Hebraïcè habetur: *Ad veniendum, cum venirent de terra Ægypti.* Historia citatur scripta Deut. 1. & est sensus, quòd Deus mandauit filijs Israel, cùm egressi essent de Ægypto, vt non pugnarent aduersus istas tres nationes. Vnde & subditur: Deut. 1.

Sed declinauerunt ab eis, & non deleuerunt eos.

Vers. 11. *Et contrario agunt, & eniuntur eiicere de possessione, quam tradidisti nobis.*] Hebraïcè habetur: *Et ecce ipsi tribuentes super nos ad veniendum, ad expellendum nos ab hæreditate tua, quam fecisti hæreditare nos.* Nos pepercimus eis, te iubente; ipsi autem mala pro bonis retribuunt venientes ad expellendum nos, &c.

Vers. 12. *Deus noster ergo non.*] Hebraïcè habetur: *Elohe noster, nónne iudicabis eos?* tam malè meritos.

In nobis enim non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos: sed, cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.] Breuissimè habetur in Hebræo: *Et nos nescimus, quid faciemus: quia super te oculi nostri.* Interpres extendit hæc. Et verè vtrunque significatur: videlicet, & ignorare, quid faciendum, & expectare diuinum auxilium suspensis ad Deum oculis.

Vers. 13. *Totus vero Iehuda stabat coram Domino cum familiis, & vxoribus, & filiis suis.*

Vers. 14. *Super Iachaziel autem filium Zechar-iahu, filij Bena-ia, filij Iehiel, filij Mattban-ia Leuitæ de filiis Asaph. factus est spiritus Domini in medio cœtus.*] Vide spiritum diuinum tunc infusum in medio populi huic Leuitæ.

Vers. 15. *Et ait: Audite, omnis Iehuda, & habitatores Ierusalem, & Rex Iehosaphat: sic dixit Dominus vobis: non timeatis, neque paueatis a facie turbæ huius magnæ: quia non vobis est bellum, sed Deo.*] Nomen est *Elohim.*

Vers. 16. *Cras descendetis contra eos: ecce ipsi ascendunt per cliuum Ziz, & inuenietis eos in summitate.*] Hebraïcè habetur, *in fine torrentis contra solitudinem Ieruel.* Describit locum, in quo inuenient hostes, vt credibilior reddatur diuinus sermo.

Vers. 17. *Non enim eritis vos, qui dimicabitis: sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos*] Hebraïcè habetur: *Non vobis pugnandum est in hoc state, state, videte salutem Iehouah vobiscum, Iehuda, & Ierusalaim, non timete, neque pauete: cras egredimini contra eos, & Dominus erit vobiscum* Magna promissio, quam euentus comprobauit sequenti die.

Vers. 18. *Iehosaphat ergo, & totus Iehuda, & Ierusalem ceciderunt prone in terram coram Domino, & adorauerunt eum.*] Deuotus Rex primus gratus agendo Deo se prostrauit, credens verbis Prophetæ: & sic vniuersi se prostrauerunt imitantes Regem.

Vers. 19. *Porro Leuitæ.*] Hebraïcè habetur: *Et surrexerūt Leuitæ de filiis Cehathitarum, & de filiis Corehitarum, ad laudandum Dominum Deum Israel voce magna in excelsum.* Prostrauerant enim se etiam Leuitæ: & propterea à dicitur, quòd *surrexerunt.*

Vers. 20. *Surrexerúntque mane, & egressi sunt per desertum Thecboah: profectíque eis stans Iosaphat*] Hebraïcè habetur: *Et exeūtibus eis stetit Iehosaphat, & dixit.* Obedientibus vniuersis prophetico mādato, religiosus Rex accendit animos egredientiū ad confitendum in Deo.

Audite me, Iehuda, & habitatores Ierusalem, credite Domino Deo vestro, & securi eritis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et verificabimini.* non fallemini, non euenict aliter quàm creditis.

Credite

Credite Prophetis eius, & proficietis.] Monet quoque, vt credant verbis Leuitæ, quæ prophetauerat hesterno die, ne incredulitas obicem poneret diuinæ gratiæ.

Vers. 21. *Deditque consilium populo.*] Hebraicè habetur: *Et consiliatus est ad populum*, hoc est, ad confortationem populi. Quod autem fuerit hoc consilium, subiungitur narrando:

Et constituit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis.] Hebraïcè habetur: *Et laudantes in decore sanctuarij exeundo ante armatos.* Ecce consilium Regis pro populo, vt cantores templi laudarent Deum, ante armatos progrediendo: laudarent autem, non qualitercunque, sed cum eodem decore, qui seruabatur in templo, vt sic populus deuoto animo perseueraret expectans diuinum auxilium.

Et voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam in sæculum misericordia eius.] Hebr. habetur: *Et dicentes: Confitemini Domino, quoniam in sæculum gratia eius.* vt sæpè dictum est.

Vers. 22. *Cúmque incepissent laudes canere.*] Vide diuinam benignitatem statim adfuisse executioni sancti consilij Regis.

Vertit Dominus insidias eorum in semetipsos.] Hebraicè habetur: *Dedit Iehouah insidiosos super filios Hammon, & Moab, & montis Sehir venientes ad Iudam, & fuerunt mortificati.* More solito narratur priùs res gesta tota summatim, deinde distinguendo per partes. Narrantur itaque tria. Primùm, quòd vniuersæ istę tres nationes cõgregatæ aduersùs regnum Iudæ fuerunt mortificatæ: & dicitur, *venientes ad Iudam*, ad differentiam eorum, qui remanserant in locis propriis, qui non venerant ad bellum. Secundùm, quòd huiusmodi percussio fuit à summo Deo. Tertiò explicatur modus, quo vsus est Deus ad percutiendum istas nationes; videlicet, quòd dedit insidiosos inter eos ad excludendum alios modos, quibus Deus vti potuisset. Siletur tamen ratio causa insidiandi, quàm quæ natio inceperit insidiari: & an initium fuerint aliqui particulares viri vnius nationis (a quorum postea protectionem tota natio paulatim commota fuerit,) an à principio fuerint insidiæ ex communi voto nationis.

Res gestas summatim, deinde per partes Scriptura narrat.

Vers. 23. *Nanque filij Hammon, & Moab consurrexerunt aduersum habitatores montis Sehir, vt interficerent, & delerent eos.*] Declaratur per partes huiusmodi dissidium: primùm enim Hammonitæ, & Moabitæ ex vna, & Idumæi ex altera parte conflixerunt. Et huius initium nescitur; ex qua, videlicet, parte insidiæ inceperint: modus tamen, quo scripta sunt hæc in litera, innuit, quòd Idumæi insidias inchoauerint: eò quòd scribitur Hebraicè: *Et steterunt filij Hammon, & Moab super habitatores montis Sehir ad interficiendum, & destruendum.* hinc enim innuitur, quòd isti contra nationem Sehir quasi vindictam exercentes, concordarunt aduersùs insidiosos.

Idumæi insidias inchoauerunt.

Cúmque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi mutuis se concidêre vulneribus.] Hebraicè habetur: *Et cum consumpsissent habitatores Sehir, adiuuerunt vnusquisque in socio suo ad destructionem.* Altera pars dissidij describitur: videlicet, Hammonitarum, & Moabitarum inter se: & modus confligendi describitur, vnoquoque adiuuante proximum suum ad interficiendum. Per quod insinuatur, quòd particulares oboriebantur discordiæ inter ipsos, & aliqui se mutuò iuuabant ad occidendum alios, & è conuerso. Causa autem siletur:

Porro Iudas cum venisset ad speluncam, quæ respicit solitudinem.] Hebr. habetur: *Et Iehuda venit super speculam deserti*: hoc est, super locum excelsum, vnde videbatur solitudo: inde enim vidit cadauera hostium in terra. Vers. 24.

Vidit procul omnem late regionem plenam cadaueribus, nec superesse quenquam, qui necem potuisset euadere.] Mirabilis, & verè testis diuinæ actionis, est nullius euasio: Hebraicè enim breuissimè hoc describitur dicendo:

Et non euasio.] Subaudi, cuiusquam fuit. Et sic adimpleta est prophetia Leuitæ; videlicet, quòd Iudæis non pugnantibus Deus pugnaret pro eis, & saluaret eos. *Deus pugnabat pro Iudæis non pugnantibus.*

Venit ergo Iehosaphat, & populus eius ad detrahenda spolia eorum, inuenerúntque inter cadauera in multitudine substantiam, & vestes, & vasa pretiosa, & diripuerunt sibi sine pondere nec potuerunt per tres dies spolia auferre præ magnitudine prædæ.] Hebraicè habetur affirmatiua, quòd tres dies durauit præda. Vers. 25.

Die autem quarto congregati sunt in valle benedictionis: quia ibi benedixerunt Domino.] Et est sermo de benedictione laudis, quam fecerant venientes aduersùs hostes, quæ superiùs narrata est. Vers. 26.

Idcircò vocauerunt nomen loci illius, vallem benedictionis, vsque in præsentem diem.

Reuersíque sunt omnis vir Iehuda, & Ierusalem, & Iehosaphat ante eos in Ierusalem cum lætitia: quia dederat eis Dominus lætitiam de inimicis eorum. Vers. 27.

Ingressíque sunt Ierusalaim cum psalteriis, & citharis, & tubis, in domum domini.] Ad gratias agendum Deo. Vers. 28.

Irruit autem timor Dei super vniuersa regna terrarum.] Intellige, vicinarum, quæ intelligebant hæc. Vers. 29.

Cum audissent, quòd pugnasset Dominus contra inimicos Israel.

Quieuitque regnum Iehosaphat: & requiem præbuit ei Dominus.] Hebraicè habetur: *Elohe eum.* cuius est gubernare. Vers. 30.

Per circuitum.

Regnauitque Iehosaphat super Iehudam: filius triginta quinque annorum erat, cùm regnare cœpit, & viginti quinque annis regnauit in Ierusalaim, & nomen matri eius Hazuba, filia Silchi. Vers. 31

Et ambulauit in via Asa patris sui, nec declinauit ab eo faciendo rectum in oculis Domini. Vers. 32.

Verumtamen excelsa non abstulerunt: & adhuc populus non direxerat cor suum ad Deum patrum suorum.] Cerne, quanta erat induratio cordis populi, quòd cum tanta exemplaritate, doctrinàque Regis, cum tot miraculis non dirigebant corde integro ad Deum. Et nisi multitudo magna in hac culpa fuisset, non describeretur populus in hoc peccato. Vers. 33. *Induratio cordis populi.*

Reliqua autem gestorum Iehosaphat priorum, & posteriorum: ecce ipsa scripta sunt in verbis Iehu, filij Chanani, qui digessit in librum.] Hebraicè habetur, *qui fuit eleuatus super librum Regum Israel.* De ipso Iosaphat dicitur, quòd fuit eleuatus in libro Regum Israel. & non solùm in libro Regum Iudæ. Et dictio interpretata, *eleuatus* (si dicitur et) interpretanda fuisset *a cunctis*, passiuè: singularis enim est hæc laus Iosaphat Vers. 34. *Iosaphat singularis laus.*

Et post hæc iunxit se Iehosaphat, Rex Iehudæ, cum Achazia Rege Israel: ipse impie voluit facere. Vers. 35.

Iunxitque

Vers. 36. *Iunxitque se cum eo ad faciendum naues, quæ irẽt in Tharsis: & fecerũt naues in Hezion-gheber.*] Hinc apparet, quod in libro Regum tacetur hæc participatio, & hic tacetur negatio: prima enim vice societatem inierunt naugationis; sed infelix euentus iuxta prophetæ vaticinium continuit Iosaphat: vt secunda vice non admitteret Regem Ochoziam in socium negotiationis.

Vers. 37. *Prophetauit autem Eliezer, filius Dodauahu de Maresa, super Iehosaphat dicendo: Quia iunctus es cum Achaz-iahu diruit Dominus opera tua, & contrita sunt naues, & non potuerunt ire in Tharsis.*] Res iam facta prophetiæ adscribitur propter distantiam locorum, & causam: spectat siquidem ad prophetiæ spiritum manifestare in vno loco, quæ procul sunt facta, antequàm humano nuncio sciri possint: spectat ad prophetiæ spiritum manifestare causam diuini iudicij: vtrumque autem interuenisse hic intelligimus.

Prophetia spiritus in quo consistat.

CAPVT XXI.

Vers. 1. *Dormiuit autem Iehosaphat cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid. & regnauit Ioram filius eius pro eo.*

Vers. 2. *Qui habuit fratres filios Iehosaphat, Hazar-iã, & Iechiel, & Zechar-iahu, & Hazar-iahu. & Michael, & Sephat-iahu: omnes isti filij Iehosaphat regis Iuda.*] Hebr. habetur: *Israel.* Ita quòd Iosaphat appellatur rex Israel, iuxta id, quod scriptum est in calce præcedẽtis capituli, quòd eleuatus est in libro Regũ Israel; fortè enim, quia mons Ephraim subditus erat ei, hanc laudem promeruit, vt non solum appellaretur *rex Iuda*, sed etiam *rex Israel.*

Iosaphat cur non solum Rex Iudæ, sed etiam Rex Israel appellaretur.

Vers. 3. *Dedit quoque eis pater eorum munera multa in argento, & auro, & pensationes.* Hebr. habetur: *& in pomis.* sed hoc nomine intelligunt Hebræi pretiosas res. Quod autem subditur.

Cum ciuitatibus munitissimis in Iehuda.] Præter hoc, quòd Hebraice habetur, *munitis*, ambiguum est, an significentur vrbes munitæ datæ aliis filiis Iosaphat, an poma (hoc est, pretiosa) munitis vrbibus annexa data scribantur.

Poma, hoc est, pretiosa res Hebraicè.

Regnum autem dedit Ioram, quia ipse erat primogenitus.

Vers. 4. *Surrexitque Ioram super regnum patris sui: roborauitque se, & occidit omnes fratres suos gladio.*] Longè peior, quàm Caïn, nulláque iniuria lacessitus.

Et quosdam de principibus Iuda.] Hebr. habetur: *Et etiam de principibus Israel.* regnabat enim non solùm in Iuda, sed etiam in parte Israelis.

Vers. 5. *Filius triginta duorum annorum erat Ioram, cum regnare cœpit: & octo annis regnauit in Ierusalem.*

Vers. 6. *Ambulauitque in via regum Israel, sicut fecerat domus Achab, quia filia Achab erat ei vxor.*] Quarti Regum octauo scribitur, quòd vxor Ioram Hathalia, fuit filia Homri regis Israelitæ per hoc non filia, sed soror Achab. Solutio est, quòd secundum naturam Hathalia fuit filia Homri, & soror Achab, secundum verò officium, & imitationem appellatur filia Achab, officio siquidem parentis vtis est Achab tradendo eam nuptui, & ipsa imitata est idololatriam Achab.

4 Reg. 8. *Hathalia cuius fuit filia?*

Et fecit malum in oculis Domini.

Vers. 7. *Noluit autem Dominus disperdere domum Dauid, propter fœdus, quod pepigerat cum Dauid: & sicut dixerat, quod daret ei lucernam, & filiis eius omnibus diebus.*] Aliàs dictum est successionem regiam appellari lucernam, vt tanquam lux domus Dauidicæ splenderet in regno.

Successio regia appellatur lucerna.

In diebus eius defecit Edom, ne esset subditus Iehudæ: & constituit sibi regem. Vers. 8.

Transiuitque Ioram cum principibus suis, & omnes currus cum eo: surrexitque nocte, & percussit Idumæos, qui eum circumdederant, & principes curruum. Vers. 9.

Et defecit Edom à Iehuda vsque ad diem hanc: tunc defecit Libna in tempore illo ab eo: quia dereliquit Dominum Deum patrum suorum.] Vide hæc expolita 4. Reg. 8. Vers. 10. 4. Reg. 8.

Insuper & excelsa fabricatus est in vrbibus.] Hebr. habetur: *Etiam ipse fecit excelsa in montibus Iehudæ.* Et est sermo de excelsis pro idololatria. Vers. 11.

Et fornicari fecit habitatores Ierusalem, & prænaricari Iudã.] Hebr. habetur: *Et impulit Iehudã.* Impiissimus rex cogebat Iudæos ad idololatriam.

Venerunt autem ad eum literæ ab Eliahu propheta dicendo.] Alterum esse hunc Eliam ab illo magno Elia, manifestum fit ex eo, quòd tempore Iosaphat patris istius Ioram Elisæus florebat. Elia iam rapto in cœlum, vt clarè patet 4. Reg. 3. Vers. 12. *Elias hic, quis.* 4 Reg. 3.

Sic dixit Dominus Deus Dauid patris tui, quoniã non ambulasti in viis Iehosaphat patris tui, & in viis Asa regis Iehuda. Vers. 13.

Et ambulasti per viam regum Israel, & fornicari fecisti Iehudam, & habitatores Ierusalem, sicut fornicata est domus Achab: & etiam fratres tuos domum patris tui meliores te occidisti. Vers. 14.

Ecce Dominus percutiet te plaga magna cũ populo tuo.] Hebr. habetur: *In populo tuo, & in filiis tuis & in tota substantia tua.* Prius enim prophetatur ei malũ in suis: hoc est, in populo, filiis, vxoribus & rebus: deinde in propria persona.

Tu autem ægrotabis pessimo languore vteri, donec egrediatur viscera tua paulatim per dies singulos.] Hebr. habetur: *Et tu in ægritudinibus multis ægritudine viscerum tuorum: vsque egredientur viscera tua ab ægritudine die in diẽ.*] Sententia est clara. Vers. 15.

Suscitauit ergo Dominus contra Ioram spiritum Philisthiim, & Harabum, qui confines sunt Æthiopibus. Vers. 16.

Ascenderúntque in Iehudam, & vastauerunt eã, diripuerúntq; omnem substantiam, quæ inuenta est in domo regis, & etiam filios eius, & vxores eius: & non remansit ei filius, nisi Iehoacham, minimus filiorum eius.] Cerne executionẽ prophetiæ quoad primã partem factã per Philisthinos, & Harabes. Vers. 17.

Et post hæc omnia percussit eum Dominus alui languore insanabili.] Hebr. habetur: *In visceribus eius ad ægritudinem incurabilem.* Cætera subiuncta de hac ægritudine, quamuis extensa, sensum tamen seruant. Vers. 18.

Cúmq; dies succederet dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum expletus est circulus: & sic longa consumptus tabe, itavt egrederẽtur etiam viscera eius, languore pariter & vita caruit, mortuúsq; est in infirmitate pessima. Hebr. habetur: *Et mortuus est in ægritudinibus malis.* quemadmodum propheta prædixerat. Vers. 19.

Et non fecit ei populus eius combustionem iuxta combustionẽ patrum eius.] Vt suprà diximus, quales erant istæ combustiones, quæ cadaueribus regum exhibebantur, ignotum est.

Combustiones cadaueribus Regum exhibitæ apud Iudæos, ignota.

Filius triginta duorum annorum erat cum regnare cœpit, & octo annis regnauit in Ierusalem.] Bis in hoc eodem capitulo repetitur hæc sententia, vt perpendamus octo duntaxat annis regnasse siue bene, siue malè. Vers. 20.

Ambulauitq; non rectè: Hebr. habetur: *Et iuit in*

absque desiderio. hoc est, & vixit vita non desiderabili, duxit vitam infelicem, Deo illum etiam in hac vita puniente. *Et sepelierunt eum in ciuitate Dauid, sed non in sepulcris regum.*

Ochoziam esse ducatum ad eos regnant.

CAPVT XXII.

VERS. 1. *Ochozias Rex constituitur Rex Iuda.*

[*ET constituerunt regem habitatores Ierusalem Achaz-iahu filium eius minimum pro eo.*] Istemet in calce præcedentis capituli nominatus est Ioacham, qui solus e filiis regis remanserat, minimus fratrum suorum secundu ętatem. *Omnes enim maiores natu qui ante eum fuerant, interfecerunt latrones Harabum qui irruerãt in castra.*] Hebr. habetur: *Quia omnes priores occiderat societas veniens in Harabibus ad castra.* De qua in capitulo præcedente habitus est sermo. *& regnauit Achaz-iahu filius Ieroboam regis Iehudæ.*

Vers. 2. 4. Reg 8. *Filius quadraginta duorum annorum erat Achaz-iahu cum regnare cœpit, & anno vno regnauit in Ierusalem.*]

Difficultas nõ parua de annis Ochoziæ.

Insolubilis quæstio nascitur: tũ quia 4. Reg 8. de isto Ochozia scribitur viginti duorum annorũ erat Ochozias cum regnare cœpit & vno anno regnauit in Ierusalem. Tum quia sequitur quòd Ochozias natus fuisset biennio ante natiuitatem patris sui: quod nõ solum est impossibile, sed omnino alienum à quocunque scriptore: & tamẽ litera istius libri hoc impossibile sonat: nam in præcedenti capitulo bis dictum est quòd Ioram pater Ochoziæ triginta duorum annorum erat cum regnare cœpit & octo annis regnauit: vixit ergo annis quadraginta: & hîc scribitur quòd filius eius quadraginta duorum annorum erat cum regnare cœpit & vno anno regnauit.

Littera errore Scriptoris corrupta.

Solutio vtriusq; difficultatis est quòd litera errore scriptoris corrupta est, legẽdum enim est: *viginti duorum annorum erat Ochozias*, vt scribitur in 4. lib. Regum: ita quòd vbi debuit scribere *viginti duo*, scripsit *quadraginta duo*. Committitur autem error ex eo quòd in lib. Regum anni vtriusq; regni (scilicet Ioram patris & Ochoziæ filij) comprehenduntur sub annis quibus regnauit in Israel alter Ioram filius Ach-ab: quem ex 4. Regum tertio duodecim duntaxat annis regnasse perspicuũ est. Ex hac itaque collatione annorũ regni in Iuda tam Ioram patris quàm Ochoziæ filij ad annos Ioram filij Ach-ab, clarè patet vltimos octo annos vitæ Ioram regis Iudæ supputari pro octo annis regni eiusdem. Quod ideo annotãdum duxerim, ne quis fallatur ex illa adinuentione sine scripturæ testimonio: quòd Ioram rex Iudæ regnauerit bene primis octo annis & malè aliis viginti annis, qui propterea subtracti sunt à regno eius: clarè enim scriptura vltimos vitæ annos ipsius Ioram regis Iudæ octo & vnum Ochoziæ comprehendit sub annis regni Ioram regis Israel: vt patet legenti initium & finem vtriusque.

Concludo igitur quòd corrupta est Hebraica litera Paralipomenon: in cuius signum tam hîc quàm in libro Regum dicitur quòd Ochozias regnauit vno anno. Accedit ad hæc quòd iste Ochozias in litera narratur minor natu reliquis fratribus: non est autem verisimile quòd vir quadraginta annorum fuerit vltimus filius patris non senis habentis multos filios & multas vxores.

Et nomen matris eius Hathal-iahu filia Homri.

Etiam ipse ambulauit in viis domus Ach-ab: mater enim eius consuluit ei vt impiè ageret. Vers. 3.

Fecitque malum in oculis Domini sicut domus Ach-ab: ipsi enim fuerunt ei consiliarij post mortem patris eius, in interitum eius. Vers. 4.

Etiam in consilio eorum ambulauit: & perrexit cum Iehoram filio Ach-ab rege Israel ad bellum cõtra Chazaelem regem Syriæ in Ramoth Ghilhad.] Creditur superfluere *eum*: significatur enim quòd ipse Ioram filius Ach-ab rex Israel iuit ad bellum, & nihil dicitur de societate Ochoziæ. *& vulnerauerunt Syri Iehoram.* Vers. 5.

Qui reuersus est vt curaretur in Iizrehel à vulneribus quibus vulnerauerunt eum Syri in Rama dum pugnaret contra Chazaelem regem Syriæ: Igitur Ochozias.] Hebr. habetur: *& Hazar-iahu filius Iehoram rex Iehudæ descendit ad videndum Iehoram filium Ach-ab in Iizrehel, quia ipse egrotabat.*] Illemet qui primum nominatus est Ioacham, deinde Ochozias: modò nominatur Hazarias. Vers. 6. Ioram Rex Israel vulneratus à Syris. Iuachaz Othazias, Azarias, idem.

Voluntatis quippe fuit Dei aduersus Ochoziã.] Hebraicè habetur: *Et ab Elohim fuit intricatio Acha-iahu ad veniendum ad Ioram.* Iudicium diuinum pro ratione redditur quòd Ochozias rex Iudæ inuolueretur consilio veniendi ad visẽdum Ioram vt sic occideretur. Historia hæc scripta est 4. Reg. c. 8. & 9. Et licet ibi aliter scripserim, ex hoc quòd Hazarias rex Iudæ venit diuino actus iudicio ad visẽdum regem Israel, insinuatur quòd non iuerit cum eo ad bellum in quo percussus est rex Israel: si enim simul fuissent in bello illo, vidisset ibidem percussum Ioram: & non assignaretur pro rationẽ descensus à Iudæa quia ægrotabat ibi, sed cum percusso venisset in Iztehel. Vers. 7. 4 Reg. 8. & 10.

Cumque venisset: egressus est cum Iehoram ad Iehu filium Nimsi quem vnxerat Dominus vt deleret domum Ach-ab.

Cúmq; iudicium faceret Iehu cum domo Ach-ab, inuenit principes Iehudæ & filios fratrum Achaz-iahu ministrantes Achaz-iahu, & interfecit eos.] In capite 10. quarti Regum scripta est occisio istorum. Vers. 8.

Quæsiuitque Achaz-iahu, & comprehenderunt eum latentem in Someron, & adduxerunt eum ad Iehu & occiderunt eum: & sepelierunt ipsum, dixerunt enim: filius Iehosaphat est qui quæsiuit Dominum in toto corde suo.] In 9. cap. quarti Regum tractata est hæc historia: multa enim hîc scribuntur tacita ibi, quæ exposita simul ibidem vide. *Nec erat vltra spes aliqua vt de stirpe quis regnaret Ochozia.*] Hebraicè habetur: *Et non domus Achaz-iahu vis ad retinendum regnum.* Defectum virium in filiis occisi regis describit ad succedendum in regno paterno, prævalente matre regis occisi aduersus nepotes. Vers. 9. Iehu occidit Ochoziã.

Et Hathal-iahu mater Achaz-iahu vidit quod mortuus esset filius suus.] Admiranda impietas: nulla siquidem alia causa redditur tantæ crudelitatis nisi mors filij. *Surrexitque & interfecit.*] Dictio interpretata *interfecit*, non sonat iugulationem seu occisionem quæ fit gladio, sed potius occisionem velut pestiferam: propter quod suspicio est quòd veneno interfecit eos. *Omnem stirpem regiam domus Ioram.* Hebraice habetur: *Omne semen regni domus Iehudæ*, quod longe plus est: significatur enim extinctum omne semen regiæ successionis in regno Iudæ. Scripta quoq; est hæc historia quarti Regum. 11. Vers. 10. *Crudelitas Athaliæ, qua omnem stirpem regiam domus Ioram exstinxit.*

Tulit

Vers. 11. *Tulit autem Iehosabbath filia regis, Ioas filium Achaz-iahu, & furata est eum de medio filiorum regis qui interficiebantur, & posuit eum & nutricem eius in cubiculo lectorum.*] Vnus atque idem locus significatur camera lectorum & domus Dei: erat enim pars habitationum in domo Dei camera lectorum: & prius nominatur locus particularis camera lectorum, deinde locus continens cameram illam domus *Elohim*.

Exceptio Ioas quem abscõdit Iosabeth.

Absconditque eum Iehosabbath filia regis Iehoram vxor Iehoiadah sacerdotis (quia ipsa erat soror Achaz-iahu) a facie Hathal-iahu & non interfecit eum.

Vers. 12. *Fuitque cum eis in domo Dei absconditus sex annis: & Hathal-ia regnabat super terram.*

CAPVT XXIII.

VERS. 1. *ANno autem septimo confortatus est.* Hebr. habetur: *Roborauit se.*] *Iehoiadah: & assumpsit centuriones (Hazar-iahu filium Ierocham & Isimahel filium Iehochanan & Hazar-iahu filium Hobed & Mahasei-iam filium Hadaiahu & Elisaphat filium Zichri) secum in fœdere.* Historia hæc scripta est 4. Reg. 11. multa tamen ibi tacentur quæ hic explicantur.

4. Reg. 11.

Vers. 2. *Qui circumierunt per Iehudam, & congregauerũt Leuitas de omnibus ciuitatibus Iehuda & principes familiarum Israel: & venerunt in Ierusalaim.*

Vers. 3. *Et percussit totus cœtus fœdus in domo Dei cum rege.*] Nomen est *Elohim*. *Dixitq; eis Iehoiadah, ecce filius regis regnabit sicut locutus est Dominus super filios Dauid.*

Ioas septennis à Ioiada Pontifice cũ multa solẽnitate vngitur in Regem Iuda.

Hæc est res quam facietis: tertia pars vestrũ qui veniunt ad sabbatum sacerdotum & Leuitarum & ianitorum erit in portis. (Hebr. habetur: *pro sacerdotibus & Leuitis, pro ianitoribus liminum.*) Hæc limina in 4. Regum appellantur *porta cursorum*: quemadmodum porta fundamenti appellatur ibidem porta Sur: & ibi hæc expositа vide.

Vers. 4.

Vers. 5. *Et tertia pars in domo regis, & tertia pars in porta fundamenti: & totus populus in atriis domus Domini.*

Vers. 6. *Et non ingrediantur domum Domini nisi sacerdotes & qui ministrant de Leuitis, ipsi ingrediantur quia sanctificati sunt: & totus populus obseruet custodiam Domini.*

Vers. 7. *Leuitæ autem circundent regem habentes singuli arma sua, & ingrediens domum moriatur: sintque cum rege ingrediente & egrediente.*]

Vers. 8. *Fecerunt itaque Leuitæ & totus Iehuda iuxta omnia quæ præceperat Iehoiadah pontifex: & tulerunt vnusquisque viros suos venientes sabbatis cum exeuntibus sabbati, quia non dimisit Iehoiadah sacerdos diuisiones.*

Vers. 9. *Deditque Iehoiadah sacerdos centurionibus lanceas & clypeos & peltas quæ fuerunt regis Dauid.*] Species scuti est pelta. *qua erant in domo Dei.* Nomen est *Elohim*.

Pelta species scuti.

Vers. 10. *Constituitque totum populum (& vnusquisque habebat arma in manu sua) a parte domus dextera vsque ad partem domus sinistram altari & domui: iuxta regem per circuitum.*

Vers. 11. *Et eduxerunt filium regis, & imposuerunt ei diadema & testimonium: dederúntq; in manu eius tenendam legem.*] In Hebræo non habentur hæ vltimæ septem dictiones. *& constituerunt eum regem: vnxerúntque eum Iehoiadah & filij eius.* Aduerte hoc, vt videas Zachariam filium Ioiadæ adiuuisse patrem ad vngendũ regem qui postea occidit ipsum Zachariam. *& dixerunt, Viuat rex.*]

Cajetan. in S. Script. Tom. II.

Audiuit autem Hathal-ia vocem populi currentis & laudantis regem: ingressúsque est ad populum in domum Dei. Vers. 12.

Viditq; & ecce rex stabat super columnã suam.] hoc est super suggestum fultum columnis factum pro loco regis in templo. *in introitu.*] Hinc habetur quòd suggestum illud erat in introitu atrij magni: hoc est declinans versus introitum. Vers. 13.

Et principes & tuba iuxta regem, & totus populus terræ gaudens & clangens tubis, & cantores cum instrumentis cantus, & scientes laudare: & scidit Hathal-iahu vestimenta sua, & ait: coniuratio, coniuratio.] Et verum dixit aduersus se.

Egressus est autem Iehoiadah pontifex ad centuriones & præfectos exercitus.] Ex loco pontificis egressus significatur ad locum vbi erant centuriones, *& dixit eis: educite eam extra septa, & interficiatur foris gladio.*] Hebr. habetur: *& veniens post eam occidetur gladio.* Manifeste mandat occidi si quis fauisset ei vt nullus sequeretur eam. *Dixerat enim sacerdos, Non interficiatis eã in domo Domini.* Vers. 14. *Athalia interficitur.*

Et imposuerunt cruicibus eius manus. Hebraicè nihil dicitur de cruicibus: sed solummodo quòd imposuerunt ei manus. *venitque ad introitum portæ equorum domus regis: & interfecerunt eam ibi.* Vers. 15.

Pepigit autem Iehoiadah fœdus inter se, & inter totum populum, & inter regem: vt esset in populum Domini. Vers. 16.

Ingressique sunt totus populus domum Baal, & diruerunt eam, & altaria ac imagines eius confregerunt: & Matthan sacerdotem Baal occiderunt coram altaribus. Vers. 17.

Constituitque Iehoiadah præpositos domus Domini in manu sacerdotum Leuitarum quos distribuit Dauid super domum Domini ad offerendum holocausta Domino, sicut scriptum est in lege Mosis, in lætitia & cantu: iuxta dispositionem Dauid.] Nisi tempore quo regnauit Hathal-ia omissa fuissent huiusmodi holocausta, nequaquam narraretur quòd pontifex gubernator regni ordinauit ministros templi ad offerendum holocausta secundùm legem adhibitis solemnitatibus ordinatis à Dauide. Reliqua expositа vide in quarto Regum. Vers. 18.

Constituit quoque ianitores ad portas domus Domini, vt non ingrederetur immundus in qualibet re. Vers. 19.

Assumpsitque centuriones & fortissimos viros & dominantes in populo, & totum populum terræ: & descendere fecerunt regem de domo Domini, & venerunt per medium portæ superioris in domum regis, & sedere fecerunt regem super solium regni. Vers. 20.

Lætatúsque est totus populus terræ, & ciuitas quieuit: & Hathal-iahu interfecta est gladio. Dixerat quòd interfecerunt eam, sed non dixerat speciem mortis: & propterea explicat quòd gladio est interfecta. Vers. 21.

CAPVT XXIV.

FIlius septem annorum erat Ioas cum regnare cœpit, & quadraginta annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Zibia de Beersebah. VERS. 1.

Fecitque Ioas rectum in oculis Domini, omnibus diebus Iehoiadah sacerdotis. Vers. 2.

Accepit autem ei Iehoiadah vxores duas: & genuit filios & filias. Vers. 3.

Vers. 4. *Ioas instaurat domum Domini.*

Et post hæc fuit in corde Ioas instaurare domum Domini.

Vers. 5. 4.Reg. 12.

Congregauitque sacerdotes & Leuitas, & dixit eis: Egredimini ad ciuitates Iehuda.] Historia hæc scripta est 4.Reg.12.

Et colligite a toto Israel pecuniam ad farta tecta templi Dei vestri.] Hebr.habetur: *ad sacrificandũ domum Eloha vestri de anno in annum, & vos accelerabitis rem.* egebant enim ædificia templi reparatione. *Porrò Leuitæ egêre negligentius.* Sententia rectè redditur, vt etiam in 4.Reg.dicitur.

Vers. 6. *Vocauitque rex Iehoiadah principem, & dixit ei: quare non coegisti Leuitas inferre de Iehuda & de Ierusalaim pecuniam quæ constituta est a Mose seruo Domini & a congregatione Israel in tentorio testimonij?*] De pecunia soluenda in numeratione populi est sermo. hæc enim ab vniuerso Israele soluebatur pro templo, & decreta scribitur Exodi 30. in prima siquidem tabernaculi constitutione à Mose soluta primum legitur Exod.c.38.

Vers. 7. *Athal-iahu enim impia & filij eius destruxerunt domum Dei.*] Nomen est *Elohim. & ex omnibus sanctificationibus domus Domini ornauerunt fanum Behalim.*

Vers. 8. *Præcepitque rex, & fecerunt arcam.*] Hebraicè habetur: *Thecam vnam.* vt in lib.Reg. scribitur perforatam superius. *posuerũntque eam in porta domus Domini forinsecus.*

Vers. 9. *Et prædicatum est in Iehuda & in Ierusalaim vt deferrent Domino prætium.*] Hebræum habetur: *elevationem.* Dimidius siclus qui à quolibet solue batur appellatur eleuatio quia erat tanquã res offerendo eleuata Deo. *quã constituit Moses seruus Dei.* Nomẽ est *Elohim. super totũ Israel in deserto.*]

Vers. 10. *Lætatiq; sunt omnes principes & totus populus & attulerunt & proiecerunt in arcam ita vt impleretur.*] Hebr.habetur: *vsque ad finiendum.* oblatam pecuniam: ita quòd nihil oblatæ pecuniæ remanebat extra thecam.

Vers. 11. *Oblationes populi ad instaurationẽ domus Domini.*

Cúmque tempus esset vt deferrent arcam coram rege. Hebraicè habetur: *ad ordinationem regis.* hoc est ad locum ordinatum à rege, vbi erat aperiẽda theca. *in manus Leuitarum, videbant enim multam pecuniam.*] Hæc verba præ se ferunt quòd de termino oblati argenti fuit sermo: postquam enim superintendentes posuerant publicè totam pecuniam oblatam in theca per foramen superium, cùm viderent pecuniam positam esse multam, dicebant tempus esse vt theca portaretur ad locum decretum à rege & aperiretur, &c. *Ingrediebatur scriba regis & præpositus sacerdotis primi, effundebantque pecuniam quæ erat in area, & reportabant arcam ad locum suum: sicque faciebant per singulos dies, & congregata est infinita pecunia.*] Hebr. habetur: *pecunia in multitudine* sed Interpres posuit infinita.

Vers. 12. *Quam dederunt rex & Iehoiadah iis qui præerant operibus domus Domini: & illi conducebant cæsores lapidum & artifices operũ singulorum.* Hebraicè habetur: *Cæsores & artifices:* nec aliud scribitur: *ad instaurandum domum Domini: & etiam fabros ferri & æris, vt quod cadere cœperat fulciretur.*] Hebraicè habetur: *Ad fortificandum domum Primam.* Quod verò subiungitur de instauratione & creatrice domus quamuis Hebraica verba aliter sonent, sensus tamen in idem redit: nec materia exigit: tam exactam discussionem.

Vers. 13. *Egerũntque ij qui operabantur industriè, & obducta est parietum cicatrix per manus eorum: ac sustentauerunt domum Domini in statum pristinum, & firmiter eam stare fecerunt.*

Cúmque complessent, detulerunt coram rege & Iehoiadah residuum pecuniæ, & fecerunt ex ea vasa templi in ministeriũ ad holocausta.] Hebr.habetur: *Vasa domus Iehouah, vasa ministerij & mortaria, crateras & vasa auri & argenti.* sed parui refert: *& offerebant holocausta in domo Domini iugiter omnibus diebus Iehoiadah.*] Vers. 14.

Senuit autem Iehoiadah plenus dierum.] Hebr. habetur: *Et saturatus est diebus.* solus enim post ætatem Iacobi legitur vixisse centum & triginta annis. *filius centum & triginta annorum erat quando mortuus est.* Vers. 15. *Iehoiada solus post Iacob legitur vixisse 130. annos.*

Sepelieruntque eum in ciuitate Dauid cum regibus: quia fecit bonũ cum Israel & cum domo eius.] Deficit vna particula: legendum est. *& cum Elohim & domo eius.* commemoratur enim fecisse bonum tum cum populo, tum cum Deo, tum cum templo. liberauit enim populum à tyrannide Hathaliæ, destruxit Bahal, & fœdus cum Deo restauravit, domúmq; Dei ad diuinum cultum reduxit. Vers. 16.

Postquam autem mortuus est Iehoiadah, venerunt principes Iehudæ & adorauerunt regem.] Nõ quòd prius non adorassent eum, sed quia prius adorabant eum non solum, sed cum Ioiada Pontifice tanquam patre regis, mortuo autem Ioiada adorauerunt regem solum: hoc est sine relatione ad Pontificem, ipsius regis duntaxat venerabantur authoritatem: quod non audebant facere viuente Ioiada. Erat enim rex viuente Ioiada agens tanquam sub curatore: & illo mortuo venerari cœperunt regem tanquam liberum à tutore. Vers. 17. *Ioiada erat quasi tutor & curator Regis Ioas.*

Qui delinitus obsequiis eorum acquieuit eis.] Iuxta Hebræum habetur: *Tunc audiuit rex eis.* hoc est tunc mortuo Ioiada, & oblata à principibus agnitione authoritatis regiæ solius, audiendo acquieuit eis: vt videlicet sola regis authoritas agnosceretur, & non penderet in regimine à pontifice: nisi enim ad hoc retendisset principum incuruatio noua, nequaquam scriberetur quòd rex audiuit eis. Et hinc subsecutum est quod subiungitur: videlicet quòd dereliquerunt templum Dei: postergatâ enim authoritate pontificis, rex quasi liber à curatore pontifice, mõstrando se iam liberum dominum declinauit à templo, & instituit lucos & sculptilia. *Ioas post mortem Ioiadæ deserit quæ Dei.*

Et dereliquerunt domum Domini Dei patrum suorum, seruierunt que lucis & sculptilibus & factæ est ira super Iehudam & Ierusalaim propter peccatum eorum hoc. Vers. 18.

Misitq; eis prophetas vt reducerent eos ad Dominum: protestatique sunt eis, & nõ auscultauerũt. Vers. 19.

Spiritus itaque Dei. Nomen est *Elohim. induit Zechariam filium Iehoiadah sacerdotis.*] Vetè spiritus summi iudicis vestiuit Zachariam: quoniam extertus apparuit in actione eius publica. Vers. 20.

Et stetit in conspectu populi, & dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus. Hebraicè habetur: *sic dixit Elohim.* Sæpe diximus interpretẽ aduerbiũ mutare in pronomen. *quare vos transgredimini præcepta Domini, & non proderit, quia dereliquistis Dominum, dereliquit vos.*

Qui congregatis aduersus eum, miserunt lapides.] Hebr.habetur: *Et conspirarũt aduersus eum, & lapidauerunt eum lapidibus iuxta præceptum regis.* Deliberata ac matura fuit hæc lapidatio, vtpote procedẽs & à consultatione, & ab imperio Regis. Vers. 21. *Zacharias filius Ioiadæ lapidatur in atrio domus Domini sub Ioas.*

In atrio domus Domini.] In Euangelio declaratur atrium hoc fuisse inter altare holocaustorum & templum. Erat enim ibidem atrium viginti cubitorum: vt superius scripta testantur. Hic est Zacharias qui vocatur filius Barachiæ.

Et

Et nō est recordatus Ioas rex misericordiæ.] Hebraicè habetur: *Gratia quam fecit Ioiada pater eius cum ipso, & interfecit filium eius.* Exaggeratur peccatum ex ingratitudine ad patrem Zachariæ, qui fecerat eum regem. *& cum moreretur, dixit: Videat Dominus & requirat.*] Hebraicè habetur: *videbit Iehouah, & requiret.* Prophetauit vltionem diuinam, quæ subiungitur subsecuta reuoluto anno.

Vers. 23. *Cumque euolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ, & venerunt in Iehudam, & in Ierusalaim, & interfecerūt omnes Principes populi: & omnia spolia eorum miserunt regi Damascum.*

Hinc diuina vltio.

Vers. 24. *Et cum modicus venisset exercitus Syrorum, Dominus tradidit in manum eorum infinitam multitudinem.*] Hebraicè habetur: *Exercitum in multitudine valde, quia dereliquerūt Dominum Deum patrum suorum.* ad manifestandum quòd vltio erat diuina; in populum quidem, eo quòd dereliquerunt diuinum cultum: in Regem verò, & propter hoc, & propter sanguinem Zachariæ.

In Ioas quoque ignominiosa exercuêre iudicia.] Superfluit *ignominiosa*: nec scribitur qualia fuerint hæc iudicia.

Vers. 25. *Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis.*] Hebraicè habetur: *Et cum abirent ab eo, quia dimiserunt eum in malis multis.* Et fortè mala personæ illata à Syris significantur.

Surrexerunt autem.] Hebraicè habetur: *Coniurauerunt contra eum serui eius.* Et similiter quod subditur. *in vltionem sanguinis Zachariæ filij Ioiadæ.*] Hebraicè habetur: *Propter sanguines filiorum Ioiadah sacerdotis.* Per quod insinuatur quòd multi filij Ioiadæ pontificis occisi fuerint à rege.

Ioas occiditur. *Et occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est: sepelierúntque eum in ciuitate Dauid, sed non in sepulchris regum.*

Vers. 26. *Insidiatis verò sunt ei.*] Hebraicè habetur: *Et isti coniurantes aduersus eum.* Declarantur enim nomina eorum qui occiderunt regem. *Zabad filius Simhath Hammonithidis, & Iehozabad filius Simrith Moabithidis.*

Vers. 27. *Porrò filij eius ac summa pecuniæ quæ adunata fuerat sub eo.*] Hebraicè habetur: *Et multitudo oneris super eum.* Nec explicatur quale fuerit onus: nec malè antiquus interpres exposuit onus pecuniarium.

Et instauratio domus Dei.] Hebraicè habetur: *Et fundamentum domus Elohim.* Per quod insinuatur quòd non solum in parietibus, sed etiam in fundamentis domus Dei rex instaurauerat. *Scripta sunt diligentius in libro Regum.*] Hebraicè habetur: *Ecce scripta sunt super declarationem libri Regum.* Quis sit autem liber iste declarationis, nescio. *Et regnauit Amaz-iahu filius eius pro eo.*]

CAPVT XXV.

Vers. 1. Amasias rex Iuda. *Filius viginti quinque annorum erat Amaz-iahu cum regnare cœpit, & viginti nouem annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Iehohaddan de Ierusalaim.*

Vers. 2. *Fecitque rectum in oculis Domini, verumtamen non in corde perfecto.* Euentus enim manifestauit imperfectum cor eius. valde enim facile declinauit: vt testantur subiuncta.

Vers. 3. *Cumque roboratum esset regnum super eum: occidit seruos suos qui percusserunt regem patrem eius.*

Filios autem eorum non interfecit, quia sicut Vers. 4.
scriptum est in lege in libro Mosis, præcepit Dominus, dicendo: non morientur patres pro filiis, & filij non morientur pro patribus, sed vnusquisque in peccato suo morietur. Profitebatur tunc Amazias rex iustitiam legis: & propterea iudicialiter puniuit eos qui occiderant patrem: vtpote non habentes publicam potestatem, nec diuinum mandatum: quamuis enim pater propter sanguinem Zachariæ meruerit occidi, ad ipsos tamen non spectabat huiusmodi punitio. Hæc autem & subiuncta de Amazia scripta sunt 4. Reg. 14. & propterea vide ibi reliqua.

Patris sui occisores punit.

Congregauitque Amaz-iahu Iehudam: & con- Vers. 5.
stituit eis per familias tribunos & centuriones in toto Iehuda & Bin-iamin. Et recensuit eos à filio viginti annorum & supra: inuenitque trigenta millia iuuenum.] Hebraicè habetur: *Trecenta millia electorum egredientium ad exercitum, tenentium hastam & clypeum.*

Et conduxit mercede de Israel centum millia Vers. 6.
potentium fortitudine, centum talentis argenti.

Venit autem vir Dei ad eum.] Nomen est Vers. 7.
Elohim tam hic quàm cùm sæpe inferius repetitur hîc *vir Dei.*

Centũ millia potentium de Israel quos conduxit argenti talentis conduxerat ad vocem viri Dei dimittit Amasias.

Et dixit: ô rex non veniat tecum exercitus Israel, quia non est Dominus cum Israel & omnibus filiis Ephraim.

Quòd si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Dominus ab hostibus.] Hebraicè habetur: *Quòd si eundo tu, fac roborare ad bellum: faciet impingere Elohim coram inimico.* Et est sensus quòd si tu ieueris cum Israelitis ad bellum tanquam tu sis qui facias & qui roboreris ex multitudine ad bellum, faciet Deus summus iudex te quasi impingentem cadere coram inimico. Vers. 8.

Dei quippe est & adiuuare & in fugam conuertere.] Hebraicè habetur: *Quia est fortitudo in Elohim ad adiuuandum & ad faciendum impingere.* Manifesta ratio redditur obsequendi Deo.

Dixitque Amaz-iahu viro Dei, quid ergo fiet Vers. 9.
de centum talentis quæ dedi militibus Israel? & dixit vir Dei: habet Dominus vnde tibi det plus quam hoc.

Separauit itaque Amaz-iahu exercitum qui Vers. 10.
venerat ad eum de Eph-raim vt reuerteretur in locum suum: iratique sunt valde contra Iehudam, & reuersi sunt in regionem suam.] Deficit, *in ira furoris.* Reuersi quidem describuntur, sed in ira furoris, qui inferius subiungitur aduersus terram Iudæ.

Porro Amaz-iahu confidenter eduxit populum Vers. 11.
suum, & iuit in vallem Salis: & percussit de filiis Sehir decem millia.

Et decem millia viuorum ceperunt filij Iehudæ, Vers. 12.
& adduxerunt ad verticem petræ: precipitauerunt que eos de vertice petræ, & omnes hi crepuerunt.

At ille exercitus quem remiserat Amaz-iahu Vers. 13.
ne iret secum ad bellum, diffusus est in ciuitatibus Iehudæ a Someron vsque ad Beth-choron: percussitque ex eis trium millia, & diripuit præda magnam.

Postquam autem venit Amaz-iahu a cædendo Vers. 14.
Edomæos, attulit deos filiorum Sehir & statuit illos sibi in deos. adorabatque eos, & illis thurificabat. Amasias adorat idola.

Quamobrem iratus est furor Domini contra Vers. 15.

liæ. Isti enim duo reges conuenerant aduersus Achaz regem Iudæ tempore Esaiæ prophetæ, promittentis diuinam opem regi Achaz quam ille renuit: vt scribitur Esaiæ 7. vnde & diuino iudicio passus est tot & tanta ab istis duobus regibus, multo tamen peiora à rege Israel: quia regem Syriæ oportuit reuerti ad defendendum regnum suum à rege Assyriorũ inuocato ab Achaz.

Vers.6. *Occidítque Pecach filius Remal-iahu in Iehuda centum & viginti millia in die vno omnes filios fortitudinis: eo quòd reliquissent Dominum Deum patrum suorum.*

Vers.7. *Occidit quoque Zich-ri potens Eph-raim Maha-sciahu filium regis, Achaz & Hazricham ducem domus & Elcanam secundum a rege.*] Narrantur tres excellentes personæ regis Achaz occisæ.

Vers.8. *Ceperuntque filij Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, filiorum, & filiarum, & infinitam prædam.*] Sæpe interpres vtitur infinitate pro multitudine, *pertulerunt que eã in Someron.*

Vers.9. *Oded Propheta.* *Ea tempestate erat ibi propheta Dominus Oded nomine.*] Mortuo siquidem Elisæo florebat propheta iste in regno Samariæ propter quod dicitur Hebraicè: *Et fuit ibi propheta Domino, Hoded nomen eius.*] Nec ponitur aliqua limitatio temporis: nec dicitur quòd aliunde venerit.

Et egressus est obuiam exercitui venienti in Someron, & dixit eis: ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Iehudã tradidit eos in manus vestras, & occidistis eos atrociter, ita vt vsque ad cœlum pertingeret vestra crudelitas.] Hebraicè habetur. *& occidistis eos in ira, vsque ad cœlos peruenit.* Sed interpres vocabulis exaggerauit. Clades enim tanta dicitur quòd vsque ad cœlos peruenerit: vtpote centum & viginti millium vno die.

Vers.10. *Et nunc filios Iehuda & Ierusalaim vultis vobis subiicere in seruos & ancillas: quod nequaquam facto opus est, peccastis enim super hoc Domino Deo vestro.*] Iuxta Hebræum habetur: *Nonne tantum vos vobiscum delictorum ad Iehouah Elohe vestrũ?* subaudi habetis Et est sensus quòd sufficere debét vobis iniquitates quas commisistis vos inter vos aduersùs summũ Deum, & nõ debetis addere hãc iniquitatẽ inter vos & fratres vestros filios Iudæ.

Vers.11. *Nunc igitur audite me, & reducite captiuos quos adduxistis de fratribus vestris: quia magnus furor Domini imminet vobis.*] Hebraicè habetur: *quia ira furoris Iehouah super vos.* hoc est vindictam diuinam instar furoris super vos meremini.

Vers.12. *Surrexeruntque viri de capitibus filiorum Ephraim (Hazar-iahu filius Iehocanan, Berech-iahu filius Mesillemoth & Iechizci-iahu filius Sallũ & Hamasa filius Chad-lai) cõtra venientes de exercitu.*

Vers.13. *Et dixerunt eis: non introducetis huc captiuos ne peccemus Domino, vos vultis adiicere super peccata nostra & vetera cumulare delicta.*] Hebraicè habetur: *& super delictum nostrum.* Agnoscũt principes & peccata quibus à recta ratione declinauerant, & iniquitatem idololatriæ propriæ.

Grauda quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet.] Hebraicè habetur: *quia multũ delictum nobis, & ira furoris super Israel.* Agnoscunt iuxta prophetæ verbum propriam iniquitatẽ non solum sufficere sed esse multam & meteri iram atque furorem diuinam super populum Israel.

Vers.14. *Dimiseruntque viri bellatores prædam & vniuersa quæ ceperant.*] Hebraicè habetur: *captiuitatem & prædam,* vestes & huiusmodi. *coram principibus & tota congregatione.*

Vers.15. *Surrexerũntque viri qui nominati sunt per nomina, & apprehenderunt captiuos & omnes indos eorum vestiuerunt de spoliis, & calceauerunt eos, & comedere ac bibere fecerunt eos, & vnxerunt eos, & omnem infirmum eorum duxerunt in asinis, & adduxerunt eos in Iericho ciuitatem palmarum ad fratres eorum, & reuersi sunt in Someron.*

Vers.16. *Tempore illo misit rex Achaz ad regẽ Assur vt auxiliaretur sibi.*] Pronomen *illo*, non demonstrat tempus post tantam cladem, sed tempus quo isti duo reges conuenerunt aduersus Achaz: author enim prius refert quæ passus est Achaz, & deinde narrat inuocationẽ regis Assyriorũ, quia aduẽtus regis Assyriorũ nõ præuenit hæc mala regni Iudæ.

Vers.17. *Et adhuc Idumæi venerunt: & percussérũt multos Iehuda, & ceperunt prædam magnam.*

Vers.18. *Philisthæi quoq; diffusi sũt per ciuitates cãpestres & ad meridiẽ Iehuda: ceperũtq; Bethsemes & Aialon & Ghederoth & Socho & filias eius, & Thimnã & filias eius, & Ghimzo & filias eius & habitauerunt ibi:* Non solum isti duo reges (Rezin & Phacee) percusserunt regnum Iudæ sed & Idumæi & Philisthini percusserunt, prædari sunt, ceperuntque ciuitates, videntes regnum Iudæ tam depressum.

Vers.19. *Achaz rex in Hebræo dicitur Rex Israel:* *Humiliauerat enim Dominus Iehudam propter Achaz regem Iehuda.*] Hebraice habetur: *Israel.* Nominatur Achaz rex Israel: fortè titulũ regis Israel retinebat: aut potius propter imitationem regum Israel recedendo penitus à cultu summi Dei, author nominauit ipsũ regem Israel tractando illius punitionem. *Eo quòd nudasset eum auxilio & contemptui habuisset Dominũ.*] Hebraicè habetur: *quia fecit detegere in Iehuda, & prauaricando prauaricatione in Iehouah.* Ratio redditur quare humiliauit Deus Iudam propter regem Achaz, quia detexit Achaz regnum Iudæ thesauris protegentibus illud confidendo in rege Assyriorum, & prẽuaricatus est prauaricatione maxima aduersus summum Deum, vt testantur suprascripta.

Vers.20. *Auxilium Regis Assyriæ venit ad Achaz quasi.* *Adduxitq; cõtra eum.*] Iuxta Hebræũ habetur: *Et venit super eum Tiellegath phalneceser rex Assur.* Inuocatio regis Assyriorum suprascripta ad adiuuandum ipsum Achaz, trahit intellectum lectoris ad intelligendum quod non contra Achaz venerit sed venerit innixus vocationi eius. *Quæ & affixit eum, & nullo resistente vastauit.*] Iuxta Hebræum habetur *& fecit angustare ei & nõ roborauit eũ.* Duo effectus ex aduẽtu regis Assyriorũ narrantur: alter quod generauit angustias ipsi Achaz, alter quòd nõ cõtulit robur eidẽ Et angustia quidem in exactione pecuniarũ intelligitur, vt tanta fuerit exactio vt angustaretur rex Achaz ad inueniendã tantam pecuniam: nõ collatio autẽ roboris intelligitur in eo quòd nõ fecit ei restitui ciuitates ablatas ab eo, sed dimisit eũ in sua debilitate.

Vers.21. *Igitur Achaz spoliata domo Domini & domo regum & principum.*] Hebraicè habetur: *Quia diuisit Achaz domũ Iehouah & domum regis & principũ.* Quamuis diuidere pro dissipare intelligi possit (quoniã in lib. Reg. scribitur thesauros inuentos tam in domo Dei quã regis, dedisse regi Assyriorum) vt tamen non solùm vẽritas sed proprietas Hebraici sermonis seruetur, partitus dicitur domũ Dei & regis & principum: non quòd partẽ acceperit & partẽ dimiserit (quoniam tam liber Regũ quàm angustia hîc scripta sonat contrarium) sed dimisit onus soluẽdi regi Assyriorum in domum Dei, domum regis & principes: ita quod non aggrauauit populum, qui tam afflictus erat. *Et dedit regi Assyriorum munera,* (superfluit *munera.*) *& tamen nihil ei profuit.*] Hebr. habetur: *& non in adiutorium ei.* Angustatus & oppressus tanta exactione

actione soluit quidē, sed non obtinuit auxiliū pro se sed oppressionem inimicorum. ita quòd hostes eius fuerunt depressi, sed ipse non fuit adiutus, immò etiam sub tributo seruiens regi Assyriorū.

Vers. 22. *Insuper & tempore angustiæ suæ, adiunxit prævaricationem in Dominum, ipse per se rex Achaz.*] Superflua *per se*. Hebræi tamen ponderant hoc in loco pronomen *ipse*, ad significandum quod interpres expoluit.

Vers. 23. *Et immolauit diis Damasci percussoribus suis, & dixit: Dij Regum Syriæ auxiliantur eis, immolabo eis & auxiliabuntur mihi: cum è contrario ipsi fuerint ruina ei & toti Israeli.*

Vers. 24. *Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei atque confractis.*] Hebraicè habetur: *Et congregauit Achaz vasa domus Elohim & concidit vasa domus Elohim.* Duo manifestantur: alterum quòd etiam vasa domus Dei abstulit: alterū quòd concidit illa vt pecunia fieret ex eis. Et nomine vasorum significantur more Hebraico vniuersa (puta mensa, candelabrum, altare aureum) & non solum quæ nos vasa dicimus.

Vasorum nomine vniuersa supellex more Hebræo significatur.

Et clausit ianuas domus Domini.] vt nec vestigium diuini cultus in templo remaneret. *Et fecit sibi altaria in omnibus angulis in Ierusalaim.*

Vers. 25. *In omnibus quoque ciuitatibus Iehudæ extruxit aras ad succendendum thus.*] Hebr. habetur: *Fecit excelsa ad sussiendum Elohim alijs.* Nulla materia suffitus (hoc est cremanda instar thuris determinatur: poterat caro sic cremari vt fiebat in holocausto. *atq; ad iracundiam prouocauit Dominum Deum patrum suorum.*

Vers. 26. *Reliqua autem verborum eius priorum & posteriorum & omnium viarum eius: ecce scripta sunt in libro regum Iehudæ & Israel.*

Vers. 27. *Dormiuitque Achaz cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate in Ierusalaim, neque enim receperunt eum.*] Hebraice habetur: *Quia non fecerunt venire ipsum in sepulchra regum Israel.* Nullus refutans recipere scribitur, sed sine nomine multi indicauerunt ipsum indignum sepulchris regum Israel: & propterea non est in sepulchris regum sepultus. Nec te moueat nomen *Israel*: nam sepulchra regum in ciuitate Dauidis, erant sepulchra non solum regum Iudæ sed etiam regum Israel, Dauidis, Salomonis, Iosaphat.

Regnauitque Ezechias filius eius pro eo.

CAPVT XXIX.

Vers. 1. *Ezechias filius Achaz regnat in Iuda.*

EZechias regnare cœpit filius viginti quinque annorum, & vigintinouem annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Abia filia Zechar-iahu.

Vers. 2. *Fecitq; quod erat placitum.* Hebr. habetur: *Fecitque rectum.* secundum regulam diuinam. *in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius.*

Vers. 3. *In ipso anno & mense primo regni sui.*] Transposita est littera: nā Hebr. habetur: *Ipse in anno primo regni sui in mense primo.* Vbi elatè annus primus refertur ad regnum eius: mensis autem primus narratur ad regnum. sed absolutè narratur & propterea ambiguum est an significetur mensis primus regni, an significetur mensis primus in ordine mensium anni. *Aperuit valuas domus Domini, & instauravit eas.*

Vers. 4. *Adduxitque sacerdotes & Leuitas: & congregauit eos in plateam orientalem.* Hæc est pars superiùs appellata est atrium magnum: erat enim ex parte Orientali ipsius templi.

Et dixit ad eos, audite me Leuitæ: nunc sanctificamini & mundate domū Domini Dei patrum vestrorū, & auferte omnē immunditia de Sanctuario.] Dictio interpretata *omnem immunditiam*, est dictio significans menstruatā, ita quòd Hebr. habetur: *& facite exire menstruata è Sanctuario.* Instar enim menstruatæ (quæ non solùm polluta erat sed polluebat alia) describitur immunditia tēpli. vt per hoc intelligamus quòd erat immunditia idololatriæ, quæ non solum polluta erat sed & polluebat alios. Ita quod nō est sermo de immunditia luti & huiusmodi corporearum sordium, sed de immunditia sacrilegarum rerum & idololatriæ: vnde & pro ratione subiungitur peccatum patrum. Vers. 5.

Immunditia è Sanctuario tollenda quam?

Quia peccauerunt patres nostri, & fecerunt malū in oculis Domini Dei nostri & dereliquerunt eū: auerteruntq; facies suas à tabernaculis Domini & præbuerunt dorsum.] Ad literā Achaz quemadmodū reliqua ita & modū orandi ordinauit cōtra legem Motis: vt videlicet adoraret populus versus ad Orientem, & sic auerterent facies suas à tabernaculo diuino terga præbentes illi: nam coram tabernaculo adorantes, habebant facies ad Occidentem secundum legem Motis. Vers. 6.

Achaz contra legem Moysis ordinauit vt populus adoraret versus Orientem.

Clausere insuper ostia porticus & extinxerunt lucernas, & incensum non adoleuerunt: & holocaustum non obtulerunt in sanctuario Deo Israel.] Hebraicè habetur: *Eloha Israelis*, more solito. Vers. 7.

Factaque ira Domini super Iehudam & Ierusalaim & tradidit eos in commotionem.] Hebr. habetur: *in tremitū.* Et verumq; fuit verum quia & dati sunt in prædam atque abducti in captiuitatem, & spoliati sunt ita vt tremuerint nudati. *In desolationē & in sibilū, sicut vos cernitis oculis vestris.* Vers. 8.

Et ecce corruerunt patres nostri gladio: & filij nostri & filiæ nostræ & uxores nostræ captiuæ ductæ sunt propter hoc. Vers. 9.

Nunc cum corde meo est percutere fœdus cū Domino Deo Israel: & auertet à nobis iram furoris sui. Vers. 10.

Filij mei nolite me negligere. Hebr. habetur: *Filij mei nunc non errabitis.* a rectitudine diuinæ legis. *quia vos elegit Dominus, vt stetis coram eo ad ministrandum ei, & vt colatis eum & thuribulcetis ei.* Vers. 11.

Surrexerūt ergo Leuitæ, Machath filius Hamasai & Ioel filius Hazar-iahu de filijs Cehathitarum & de filijs Merarritarum, Cis filius Habi, & Hazar-iahu filius Iehallel-el: & de Gherssonitis Ioach filius Zimmæ, & Heden filius Ioaeb. Vers. 12.

Et de filijs Elizaphan, Simri, & Iehiel: & de filijs Asaph, Zechar-iahu, & Mathan-iahu. Vers. 13.

Et de filijs Heman, Iehiel, & Simei: & de filijs Ieduthun. Semah-ia, & Huziel. Vers. 14.

Congregauerunt quoque fratres suos & sanctificati sunt. secundum legis ritum. *& venerunt iuxta mandatum regis in verbis Domini, vt mundarent domum Domini.* Vers. 15.

Sacerdotes quoq; ingressi sunt templum Domini vt sanctificarent illud.] clarius habetur Hebraicè: *Et venerunt sacerdotes intra domum Iehouah ad mundandum.* Narratā obedientia Leuitarū, narratur cōsequenter obedientia sacerdotū cum observatione legis: videlicet quòd soli sacerdotes intra domū Domini ingressi sunt. Leuitis non præsumentibus intrare iuxta legē Motis. *extulerūntque omnē immunditiam quam inuenerunt in templo Domini, in atriū domus Domini.* hoc est in atriū inter altare holocausti & domū Dei. illuc enim vsq; educebant sacerdotes quæcunque sacrilega erant intus, & Leuitæ ex illo atrio ad torrentē Cedron educebant vt subiungitur. *tulerūt ea Leuitæ ad efferendum ad torrentem Cid-ron foras.* Vers. 16.

Ioas Ezechias Regum maximus Templum.

Cœperunt

Vers. 17. *Cœperunt autem prima die mensis primi mundare.*] Narrata mundatione, narratur tempus distinguendo dies. Et ex hoc quòd primo die mensis primi inchoarunt mundare, facile intelligimus quòd superius nomine mensis primi significatur primus mensis regni: nisi quis dixerit quòd eodem die quo rex congregauit sacerdotes & Leuitas in atrio magno inceperunt mundare: quod à promptitudine sacerdotum & Leuitarum alienũ non esset, sed sanctificatio personarum quæ in litera præponitur obstare videtur: narrantur enim sanctificati Leuitæ & ingressi ad obsequendum regi: vnde tempus medium inter primum mensem suprascriptum & primum mensem hîc scriptum insinuatur. Si quis tamen præposterum ordinem familiarem Hebraicæ phrasi etiam hîc seruatum crediderit, non errat.

Primus hic mensis an regni, vel anni?

Et in die octauo mensis ingressi sunt porticum Domini, & mundauerunt domum Domini diebus octo: & die sextodecimo mensis primi compleuerũt.] Octo ergo dies consumpserunt mundando exteriores partes templi vsq; ad atrium quod erat inter templum & altare, alios autem octo dies expiando ipsam templi domum: & scripta sunt hæc vt intelligamus magnam multitudinem idololatriæ fuisse intra domum Dei ab Achaz collocatã.

Vers. 18. *Ingressique sunt ad Ezechiam.*] Parui refert quòd Hebr. habetur: *Et ingressi sunt intro ad Chizzi-iahu regem.* Non intelligas die decimoseptimo adiisse regẽ: quoniam nec litera hoc dicit, nec sanctificatio vasorum quam profitentur se fecisse præter mundationẽ templi, vsquequaq; quadrat.

Et dixerunt: mundauimus totũ domũ Domini, & altare holocausti & omnia vasa eius, & mẽsam propositionis & omnia vasa eius.] Cum vasa mensæ propositionis essent aurea, & ipsa mensa saltẽ vestita auro secundum legem, non est intelligẽdum quòd Achaz reliquerit ea: sed quemadmodum altare holocausti nouiter erectum est (nam Achaz illud amouerat) ita nona propositionis mensa aut fortè lignea deaurata vetus, mũdata dicitur. Vasa autẽ non nisi ærea intelligi possunt, post tot direptiones domus Dei & thesaurorũ & vasorũ eius.

Vers. 19. *Cunciámque templi supellectilem quam polluerat rex Achaz.*] Hebraicè habetur: *Et omnia vasa quæ fecit obliuiscs rex Achaz in regno suo.* Dictio tamẽ interpretata *obliuiscs.* ab aliis interpretatur *elongare:* sed sententia eadem redit: quia vasa referuntur quæ Achaz per elongationem ab vsu fecit tradi obliuioni.

Postquam preuaricatus est.] Hebr. habetur: *in preuaricari suo.* numquã enim legitur bonus: *& ecce exposita sunt omnia coram altari Domini.*] Hebraicè habetur: *Præparauimus & sanctificauimus: & ecce ipsa coram altari Iehouah.* Dicendo *præparauimus & sanctificauimus*, præter sanctificationem multa ipsos reparasse significatur.

Vers. 20. *Surrexítque diluculo Chizzi-iahu rex, & aduocauit principes ciuitatis: & ascendit in domũ Domini.*

Vers. 21. *Septenarius numerus in Lege sacratus erat.*

Adduxerúntque tauros septem & arietes septẽ & hircos caprarum septem pro peccato, pro regno & pro sanctuario & pro Iehuda.] Quamuis lege non fuerit sanctus numerus ille, decretus tamen est à rege & principibus quia numerus septenatius in lege sactatus erat, & immensum pelagus peccatorum numero Deo consecrato comprehendendum putarunt. *Dixitque filiis Aharon sacerdotibus vt offerrent super altare Domini.*

Vers. 22. *Et mactauerunt bouem, & receperunt sacerdotes sanguinem & asperserunt super altare: mactauerunt; arietes, & asperserunt sanguinẽ super altare.*

Et applicuerunt hircos pro peccato corã rege & Vers. 23.
cœtu.] Tanquam offerentibus hircos pro peccato.

Imposuerunt; manus suas super eos.] Deputati ad hoc vice regis & vniuersæ multitudinis.

Et immolauerunt eos sacerdotes.] Interpres vti- Vers. 24.
tur immolare pro iugulare: sacerdotes enim iugulauerunt illos.

Et asperserunt sanguine eorum altare pro piaculo totius Israelis: pro toto enim Israel præceperat rex vt holocaustum fieret pro peccato. Deficit coniunctio: legendum est: *dixit rex holocaustum & Chatath.* hoc est & pro peccato: vtrumq; enim mandauerat rex fieri pro vniuerso Israele.

Constituitq; Leuitas in domo Domini cum cym- Vers. 25.
balis & psalteriis & citharis secundum dispositionem Dauid regis, & Ghad vidẽtis regis, & Nathan prophetæ.] Vterque donum prophetiæ habuerat: sed Ghad appellatur videns antiquo prophetarũ nomine. Nathan autem propheta quod fuit nomen posterius: quia Ghad antiquior propheta erat: vtpote qui cum Dauide fuerat tempore quo Dauid profugus erat à facie Saulis: vt patet 1. Regum 22. & ipse appellabatur videns regis Dauidis: vt patet 2. Reg. vlt. & 1. Paralip. 21.

Cur Gad vidẽs, Nathã verò Propheta dicitur?

Quia Domini præceptum fuit per manum prophetarum eius.] Hinc habetur quòd ordinata per Dauidem non omnia fuerunt ei reuelata immediatè à Deo, sed multa per medios prophetas.

Steterúntque Leuitæ cum organis Dauid, & sa- Vers. 26.
cerdotes cum tubis.] Cerne differentiam: sacerdotes secundum ordinem Mosis vtebantur tubis, Leuitæ autem secundum ordinem Dauidis vtebantur aliis instrumentis musicis.

Et iussit Chizzi-iahu vt offerrent holocaustum su- Vers. 27.
per altare: cumque inciperet holocaustum, ceperunt laudes canere Domino & clangere tubis & diuersis organis quæ Dauid rex Israel inuenerat concrepare.

Holocausti offertorium Ezechiæ.

Totúsque congregatio adorabat: & cantores & q Vers. 28.
qui tenebant tubas erant in officio suo donec compleretur holocaustum.

Cumque finita esset oblatio, incuruatus est rex & Vers. 29.
omnes qui erant cum eo.] Hebr. habetur: *Genuflexerunt rex & omnes inuenti cum eo & adorauerunt.* Hinc mos perpenditur vt in fine holocausti genuflecterent & adorarent.

Præcepitque Chizzi-iahu rex & principes Leuitis Vers. 30.
vt laudarent Dominũ sermonibus Dauid & Asaph videntis.] Appellatione sermonum intelliguntur psalmi. Et hinc habetur quòd non solus Dauid fuit author Psalmorum, sed etiam Asaph, quod est intelligendum quoad materiam: multorum enim psalmorum materiæ reuelatæ sunt Asaph & aliis prophetis in titulis psalmorum nominatis, sed quoad formam & metrũ Dauid author fuit Psalmorum omnium: vt ex appendice septuagesimi secundi Psalmi probauimus in præfatione super psalterium. *Qui laudauerunt eum magna lætitia, & incuruato genu adorauerunt.*] Hebr. habetur: *& incuruarunt se & adorauerunt.* Caput humiliter inclinarunt Leuitæ coram rege venerando illum: vt subiuncta testantur: nam in Hebræo non subiungitur. *Ezechias autem etiam hæc addidit.* sed

Sermonum appellatione Psalmi intelligi.

Dauid author fuit omnium Psalmorum?

Et respondit Chizzi-iahu & dixit. Dicendo & Vers. 31.
respondit (proculdubio Leuitis) manifestat quòd Leuitarum incuruationi coram se respondit rex.

Implestis manus vestras Domino.] Parui refert quòd Hebr. habetur: *nunc implestis manum vestrã Iehouah.* Appellatur implere manũ sũmo Deo, cõsecrate & dicate opus Deo. Laudat itaq; rex Leuitas quòd modò obtulerũt operas suas sũmo Deo.

Implere manum Domino quid?

Accedite

Accedite & offerte victimas & laudes in domo Domini.] Dictio interpretata *laudes* (quæ etiam reperitur in sequenti linea) significat munera quæ offerebantur pro beneficio recepto manifestæ gratiæ diuinæ. *Attulitque tota congregatio, victimas & laudes, & holocausta mente deuota.*] Hebr. habetur: *Et omnis voluntarius corde holocausta.* Nec *voluntarius corde* arctatur ad *holocausta*, sed præcedentia etiam comprehendit.

Vers. 32. *Fuit autem numerus holocausti quod obtulit congregatio, boues septuaginta, arietes centum, agni ducenti:*

Vers. 33. *Sanctificauerúntque Domino boues sexcentos.*] Manca est litera: nam post agnos ducentos immediatè subditur: *pro holocausto ad Iehouah omnia hæc.* Et immediate sequitur. *Et sanctificatæ: boues sexcenti, & ouium tria millia.*] Inter oblata pro holocaustis & oblata Deo in genere vt dicata essent Deo, differentia scribitur.

Vers. 34. *Excoriare holocausta officium erat Sacerdotum in necessitate communicatum Leuitis.*

Retractat se Caietanus.

Sacerdotes verò pauci erant, & non poterant excoriare omnia holocausta.] Hinc clare habetur quòd excoriare holocausta erat officium sacerdotum, & in articulo duntaxat necessitatis communicatũ Leuitis. Et quia elatitas derogat coniecturæ, ideo quòd in Leuitico ex coniectura scripsimus spectare ad offerentẽ excoriare holocaustum per se vel alium, retractamus: & de sacerdote ibi esse sermonem intelligimus hinc. Et idẽ intellige de iugulatione & actionibus reliquis, exceptà manuum impositione: sola siquidem hæc actio spectabat ad ipsum offerentẽ, reliquæ verò ad sacerdotem: quamuis ibidem oppositum scripserim. *Iuuerúntq; eos fratres eorũ Leuitæ donec implerentur opus & sanctificarẽtur sacerdotes.*] Hebr. habetur: *sacerdotes.* sufficientes ad opus excoriandi. *Leuitæ quippe facilioris ritus sanctificantur quã sacerdotes.*] Iuxta Hebr. habetur: *Quia Leuitæ recti corde vt sanctificarentur præ sacerdotibus.* Oratio comparatiua est, rationẽ reddens quare multi Leuitæ erant sanctificati, sacerdotes verò pauci, quia cor Leuitarum rectius fuerat quàm sacerdotum ad hoc vt sanctificarentur. Arguuntur ergo sacerdotes minoris rectitudinis: & hoc implicite paulò superius insinuatum fuit: dum ad exhortationem regis narrantur nomina familiarum multatũ Leuiticarum ex quibus surrexerunt Leuitæ ad sanctificationem, de sacerdotibus verò dicitur in genere quòd etiam sacerdotes &c. in hoc eod. capit. quia enim pauci sacerdotes fuerunt prompti ad sanctificationem, ideo ibi implicitè dictum hîc explicatur.

Cur Leuitarum erat rectitudo maior quàm cor sacerdotum.

Vers. 35. *Fuerunt igitur holocausta in multitudine cũ adipibus pacificorum & libaminibus holocaustorum: & completus est cultus domus Domini.*] Hebr. habetur: *Et directum est ministerium domus Iehouah.* quamuis deesset sufficiens sacerdotum numerus, diuini tamen ministerij officia directione non caruerunt.

Vers. 36. *Lætatúsque est Chizci-iahu & totus populus, eo quòd ministerium Domini esset expletum.*] Hebraicè habetur: *Eo quòd direxisset Elohim populo: quia repentè fuit res.* Materia gaudij regis & populi narratur diuina directio quà direxit populum ad cultum diuinum, seu direxit ea quæ diuini cultus erant prospera populo. Et eo magis Deo attribuitur directio hæc quia repentè fuit res ista, vt Hebraica habet veritas: hoc est sine præuiis nunciis, prophetis, prædicatoribus & huiusmodi præparatoriis.

CAPVT XXX.

Vers. 1. *Misit quoque Chizci-iahu ad totum Israel & Iehudam.*] Fuisse hoc post sextum annum regni Ezechiæ, apparet ex eo quòd misit ad omnem Israel carentem rege: vtpote reliquias Israelis ductis in captiuitatem a rege Assyriorum anno sexto Ezechiæ, vt scribitur 4. Reg. 18. profugi siquidem Israelitæ reuersi erant illi ad quos misit Ezechias. *Scripsitq; epistolas ad Eph-raim & Menassem.*] Specialis mentio fit istarum duarum tribuum specialique officio vocatæ narrantur, videlicet per literas: eo quòd magis vnitæ inueniebantur: quod ideo accidit, quia sub ditione regis Iudæ aliquæ Eph-raim & Menassis ciuitates existentes, non sunt inuasæ à Salmanasar rege Assyriorum. *Vt venirent ad domum Domini in Ierusalaim, ad faciẽdum pascha Domino Deo Israel.*

Cur tribus Ephraim & Manasse fit specialis mentio?

Vers. 2. *Iniitq; consilium rex & principes & totus cœtus in Ierusalem, ad faciendum pascha in mense secundo.*] Proculdubio secundum ordinem mensium anni.

Vers. 3. *Non enim occurrerat facere in tempore suo.*] Hebraicè habetur: *Quia non potuerunt facere illud tempore suo.* Tempus celebrãdi pascha secundum legem erat mensis primus (vt patet Exod. 12.) ita tamen vt impediti primo mense celebrarent pascha mẽse secundo, vt patet Numer. capitulo nono: & propterea impedimentum scribitur primi mensis pro ratione celebrandi pascha mense secundo. *Quia sacerdotes qui possent sufficere non fuerant sanctificati, & populus non fuerat congregatus in Ierusalaim.*] Prima ratio impedimenti redditur ex parte sacerdotũ, altera autẽ ex parte populi.

Impediti primo mense pascha celebrabant mẽse secundo.

Vers. 4. *Placuitq; sermo in oculis regis & in oculis totius cœtus:*

Vers. 5. *Et decreuerunt mittere nuncios in vniuersum Israel a Beersebah vsq; Dan, vt venirent ad faciendum pascha Domino Deo Israel in Ierusalaim. multi enim non fecerant sicut in lege scriptum est.*] Iuxta Hebr. habetur: *Quia non in multitudine fecerunt sicut scriptum est.* Explicatur illud paulò antè scriptum videlicet quia nõ potuerunt facere pascha tẽpore suo: explicatur inquã manifestando quòd multitudo non fecerat celebritatem paschalem tempore suo. Et dicitur hoc tum ad differentiam aliquorum qui fecerant pascha tempore suo: tum ad commemorandum præceptum legis non seruatum fuisse: nam Exod. 12. mandatur quòd vniuersa multitudo congregationis Israel celebret pascha quartadecima die mensis primi.

Vers. 6. *Perrexerúntque cursores cum epistolis ex regis imperio.* Hebr. habetur: *De manu regis & principũ eius in totum Israel & Iehudam.* Subscriptæ manu regis & principum narrantur literæ, vt essent efficaciores. *Iuxta præceptum regis dicentes: Filij Israel reuertimini ad Dominum Deum Abraham Izchac & Israel, & reuertetur ad reliquias quæ effugerũt manus Regũ Assur.*] Hinc apparet quòd post captiuitatẽ vltimã regni Israel hæc gesta sũt.

Litera Ezechiæ & primum.

Vers. 7. *Et ne fiatis sicut patres vestri & fratres vestri qui præuaricati sunt in Dominum Deum patrum suorũ tradidítq; eos in desolationem, vt vos cernitis.*

Vers. 8. *Igitur nolite indurare ceruices vestras sicut patres vestri: tradite manus vestras Domino.*] Tum ad fœdus, tum ad eleuationem adorando qui eleuatis eas idolis. *& venite ad sanctuarium eius quod sanctificauit in æternum: & seruite Domino Deo vestro, & auertetur à vobis ira furoris eius.*

Vers. 9. *Si enim vos reuersi fueritis ad Dominum, fratres vestri*

veſtri & filij veſtri miſericordiam inuenient coram eis qui captiuos duxerunt eos, & reuertentur ad terram hanc: pius enim & clemens. Hebr. habetur: *quia miſericors & miſerator eſt Dominus Deus noſter.* ſed patui refert. *& non auertet faciem ſuam à vobis ſi reuerſi fueritis ad eum.*

Verſ. 10. *Et curſores pergebant velociter.* (Superfluit *velociter.*) *de ciuitate in ciuitatem in terra Ephraim & Menaſſis uſque ad Zebulun: illis irridentibus & ſubſannantibus eos.*

Verſ. 11. *Attamen viri de Aſer & Menaſſe & Zebulun acquieſcentes conſilio.*] Hebr. habetur: *Fuerunt humiliati.* interno diuino munere, quemadmodum de Iudæis ſubiungitur. *& venerunt in Ieruſalaim.*

Verſ. 12. *Etiam in Iehuda fuit manus Elohim ad dandum eis cor vnum ad faciendum præceptũ regis & principum in verbo Domini.* Diuina gratia deſcribitur communis prædictis & Iudæis: diſparitas autem penes hoc quòd communicata eſt gratia Iudæis omnibus, dictarum autem tribuum quibuſdam.

Verſ. 13. *Congregatique ſunt in Ieruſalaim populi multi.*] Hebr. habetur: *Populus multus.* Et poſt illa verba ſubiuncta: *ad faciendum ſolemnitatem azymorum in menſe ſecundo*, ſcriptum eſt: *adunatio in multitudine valde.* Sententia eſt clara.

Verſ. 14. *Surrexeruntque & abſtulerunt altaria quæ erãt in Ieruſalaim: & omnia in quibus adolebatur incenſum idolis abſtulerunt, & proiecerunt in torrentem Cidron.*

Verſ. 15. *Paſcha ſolemne in Ieruſalem mẽſe ſecundo.* *Immolauerúntque paſcha quartadecima die mẽſis ſecundi.*] Iuxta decretum Moſis, Num. 9. *ſacerdotes quoque & Leuitæ tandem ſanctificati.*] Hebr. habetur: *& ſacerdotes & Leuitæ fuerunt verecundati & ſanctificauerunt ſe.* Minor ſacerdotum & Leuitarum multorum amor ad diuinum cultum manifeſtatur ex eo quòd verecundiâ ducti ſanctificauerunt ſe, videbant enim populum deuotè concurrentem ad diuinum cultum? & ſic in ſeipſis confundebantur & ſanctificarunt ſe. *& obtulerunt holocauſta in domo Domini.*

Verſ. 16. *Steterúntque in ordine ſuo iuxta morem ſuum, iuxta legem Moſis viri Dei.* (Nomen eſt *Elohim.*) *ſacerdoteſque ſuſcipiebant ſanguinem aſpergendum de manibus Leuitarum.*

Verſ. 17. *Quia multi erant in congregatione qui nõ ſanctificauerant ſe.* Non de ſanguine agni paſchalis eſt ſermo, ſed de ſanguine victimarum quæ offerebãtur in templo: nam agnus paſchalis vbiq; in omnibus domibus Ieruſalem offerebatur: & ſanguis eius in ſuperliminaribus & poſtibus domus ponebatur, nec aſpergebatur per ſacerdotes in altari. Eſt itaque ſenſus literæ, quòd quia multi ſanctificati non erant qui tamen offerebant victimas, ideo in actu offerẽdi Leuitæ ſupplebant officium quod debebat fieri per offerentes mundos, & propterea corrigẽda eſt continuatio literæ ſubiunctæ. *& ideirco immolabant Leuitæ proſelytis qui non occurrerant ſanctificari Domino.*] nã Hebr. habetur: *& Leuitæ ſuper iugulatione paſchatum in omni immundo ad ſanctificandum Iehouah.* Diuerſa à præcedenti eſt hæc ſententia tractans de alio officio ſuppleto a Leuitis: videlicet officio iugulãdi agnos paſchales apud immundos: iuxta legis ſiquidẽ ritum nec ſacerdos nec Leuita requirebatur ad immolandũ paſcha in domo in qua immolabatur, ſed paterfamilias mũdus iugulabat agnũ: verùm exiſtente multitudine immũda deerat mũdus iugulator in multis domibus, quia nec paterfamilias nec alius in illa domo mũdus adeſſet: & propterea Leuitæ ſuppleuerũt officiũ iugulãdi apud immũdos.

Leuitæ ſupplẽuerunt officium iugulandi agnos paſchales apud immundos.

Verſ. 18. *Magna enim pars populi.*] Hebr. habetur: *Quia multitudo populi multitudo de Ephraim & Manaſſe Iſaſchar & Zebulun non ſe mundauerunt.* Ratio quare oportuit Leuitas ſupplere officiũ iugulandi paſcha, redditur multitudo immundorum. Deinde immediatè ſubiungitur. *Quia comederunt paſcha non ſicut ſcriptum.*] Vide diſparitatẽ: multitudo immunda non præsũpſit iugulare paſcha, comedit tamen paſcha non ſecundũ quod ſcriptũ eſt: hoc eſt carens munditia requiſita à lege ſcripta. Et ratio diſparitatis fuit, quia iugulatio paſchæ erat præcipua actio paſchalis ſacrificij: quia igitur multitudo immunda comedit paſcha & nõ præſumebat iugulare, Leuitæ officium iugulandi ſuppleuerunt. *Et orauit pro eis.*] Hebr. habetur: *quia orauit Iechizci-iahu ſuper eos dicendo.* Contextus inſinuat quòd prius Ezechias orauit pro eis quã iſti immundi præſumerent comedere paſcha: nam ratio comeſtionis redditur, dicẽdo *quia orauit Ezechias. Dominus bonus propitiabitur.*

Iugulatio agni erat præcipua actio paſchalis ſacrificij.

Verſ. 19. *Cunctis qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrũ ſuorum.*] Deficit vna dictio: legendũ eſt: *Omni qui direxit cor ſuum ad quærendum Elohe patrum ſuorum.* Deſcribit immũdos qui venerãt ad diuinũ cultum ſecundum cor: quòd videlicet totũ cor direxerint ad quærendum in gubernatorem & iudicem, fontem eſſendi iudicem & gubernatorẽ patrum ſuorum. *Et nõ imputabit eis quòd minus ſanctificati ſunt.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et non ſicut mundificatio ſanctitatis.* Cõfidit Ezechias (ſupplicando tamen) quòd ſummus Deus bonitate ſuâ præferet integritatem cordis munditię requiſitæ ſecundùm ſanctitatem legitimam: ita quòd propitiabitur iſtis immundis legaliter, mundis autem corde.

Verſ. 20. *Exaudiuitque Dominus Iechizci iahu.* Teſtimonium hoc ſufficit. *Et placatus eſt populo.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et ſanauit populum.* Quia nullius ægritudinis mentio facta eſt, ſed ſolius immũditiæ legalis, ignotum remanet à quo morbo ſanauerit Deus populum. Senſibile tamen ſanitatis ſignum interueniſſe credendum eſt: alioquin orationis Ezechiæ exauditio occulta fuiſſet, nec ſecuri comediſſent iſti paſcha, nec magna lætitia ſubiuncta verificaretur.

Verſ. 21. *Fecerúntq; filij Iſrael qui inuenti ſunt in Ieruſalaim ſolemnitatem azymorum ſeptem diebus in lætitia magna: & laudabat Dominũ per ſingulos dies Leuitæ & ſacerdotes in vaſis fortitudinis Domino.*

Septem dies azymorum in lætitia magna.

Verſ. 22. *Et locutus eſt Iechizci-iahu ad cor omnũ Leuitarũ qui habebãt intelligentiã bonã ſuper Dominũ.*] Hoc eſt, locutus eſt verba penetrantia vſq; ad cor, vt cutã populi inſtruendi ſuſciperent & cõtinuarẽt: ideo enim Leuitarũ dumtaxat pollẽtium bona Dei intelligentia fit mentio. Vnde & duo effectus ſubiunguntur: alter quòd ſeptẽ diebus perſeuerant populus vacando ſacrificiis & cõfeſſioni: alter quòd ſeptẽ alios dies addiderunt. *Et comederunt ſeptẽ diebus ſolẽnitatis.*] Iuxta Hebr. habetur: *& comederunt præparationẽ ſeptẽ diebus.* Præparatio comedenda ſeptem diebus paſchæ, eſt panis azymus ſecundum legem Moſis. *Immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominũ Deũ.*] Hebr. habetur: *Et confitentes ſe Domino Deo patrum ſuorum.* proculdubio peccaſſe ſummo Deo.

Verſ. 23. *Placuitq; vniuerſæ multitudini vt celebrarent.*] Hebr. habetur. *Et conſiliati fuerunt totus cœtus facere ſeptem diebus alios.* Inſtruentibus Leuitis prædictis, vt magis firmaretur populus in cultu ſummi Dei & magis ſimul doceretur quæ ſunt diuinæ legis. *& fecerunt ſeptem diebus in lætitia.*

Septem alios diebus feſtis præ gaia.

Quia Ezechias rex Iehuda dedit cœtui mille

tauros

centum & septem millia ouium, & principes dederunt cœtui: tauros mille & ouium decem millia: sanctificatique sunt sacerdotes in multitudine.

Vers. 25. *Et lætati sunt totus & Iehuda & sacerdotes cœtus Leuitæ, & totus qui venerat de Israel: proselytique qui venerãt de terra Israel, & habitãtes in Iehuda.*

Vers. 26. *Factaque est celebritas.*] Hebraicè habetur: *lætitia magna in Ieruſalaim: quia à diebus Salomonis filij Dauid regis Iſrael non fuerat hæc in Ieruſalaim.* Ita quòd non celebritas, ſed lætitia narratur excedens omnem aliam lætitiam paſchalem à tempore Salomonis. Et in promptu erat ratio: quia tot annis intermiſſa fuerat, & Iſrael poſt mortem Salomonis numquam conuenerat ad paſcha inhibentibus regibus Iſrael.

Vers. 27. *Surrexerunt autem ſacerdotes atque Leuitæ.*] Iuxta Hebræum legitur abſque nota coniunctionis. *Sacerdotes Leuitæ.*] hoc eſt Leuiticæ tribus: *Et benedixerunt populo.*] Ad ſacerdotes enim filios Aharon ſpectabat benedicere populo: vt patet Num. 6.

Et exaudita eſt vox eorum & peruenit oratio eorum ad habitaculum ſanctum eius ad cœlum.] Teſtimonium ſcripturæ ſat eſt, ſi quæris quomodo cognitum eſt, reſpondeo quòd Spiritus ſanctus eſt auctor Scripturæ ſacræ qui omnia nouit & ſcriptori reuelauit ex illa oratione Deum benedixiſſe populo. Et bene nota quòd multiplicatio frugum ſcripta in ſequenti capitulo nota fuit ad ſenſum: ſed quòd fuerit fructus iſtius ſacerdotalis benedictionis, ex reuelatione cognitum fuit.

Spiritus ſanctus auctor Scripturæ ſacræ.

CAPVT XXXI.

Vers. 1. *Vmque perfeciſſent totum hoc, egreſſus eſt totus Iſrael qui inuentus eſt in ciuitatibus Iehuda, & fregerunt ſimulacra, & ſucciderunt lucos & demolitis ſunt excelſa & altaria de toto Iehuda & Beniamin & in Ephraim & Manaſſe vſque ad conſumptionem.*] Hinc quoque apparet quòd poſt deſtructum regnum Samariæ hæc geſta ſunt.

Reuerſique ſunt omnes filij Iſrael vnuſquiſque ad poſſeſſionem ſuam ad ciuitates ſuas.

Vers. 2. *Ezechias cõſtituit Miniſtros Templi.* *Iechizechiahu vero conſtituit diuiſiones ſacerdotum & Leuitarum ſuper diuiſiones eorum: vnumquemque iuxta officio proprio tam ſacerdotum quam Leuitarum ad holocauſtum & pacifica: & ad miniſtrandum & confitendum & ad laudandum in portis caſtrorum Domini.*] Caſtra domini appellantur ſepta templi in quibus habitabant miniſtrantes diuino cultui.

Vers. 3 *Pars autem regis eorum erat.*] (Superfluit *eorum*) *vt de eius ſubſtantia offerrentur holocauſta mane & veſperi & holocauſta ſabbatorum & calendarum & ſolemnitatum: ſicut ſcriptum eſt in lege Domini.*] Manifeſtatur quòd Ezechias ſuſcepit in ſe onus prouidendi de ingi holocauſto, & de holocauſtis ſabbatorum, calendarum & reliquarum ſolemnitatum legis.

Vers. 4. *Præcepitque populo habitanti in Ieruſalaim.*] Cœpit facere, deinde docere & præcipere.

Vt daret partes ſacerdotibus & Leuitis.] Hebr. habetur: *dare partem ſacerdotum & Leuitarum.* hoc eſt ea quæ ſecundum legem debebant dare tum ſacerdotibus tum Leuitis: quæ ſcripta ſunt in lege Moſis diffuſè.

Vt poſſent vacare legi Domini.] Hic eſt finis & ratio qua miniſtris diuini cultus debentur ſubſidia à populo.

Quod cum percrebruiſſet in auribus multitudinis.] Vers. 5. Hebraicè habetur: *Et ſicut multiplicabitur res, multiplicauerunt filij Iſrael primitias frumenti vini & olei & mellis* Narratur quòd inchoatâ & multiplicatâ oblatione ab habitatoribus Ieruſalem, moti eorum exemplo filij Iſrael alibi habitantes multiplicauerunt & ipſi offerendo primitias.

Et omnium quæ gignit humus.] Hebraicè habetur: *Et omnis fructus agri.* quod minus eſſe perſpicuum eſt. Deinde immediatè ſequitur.

Et decimam omnis in multitudine attulerunt. Prius dixit de primitiis; & poſtea ſubiunxit de decimis, & quemadmodum prius narrauit primitias oblatas ab habitatoribus Ieruſalem & deinde ab aliis, ita & de decimis intelligendum eſt. Vnde & ſubiungitur imitatio habitatorum extra Ieruſalem quoad decimas animalium.

Filiique Iſrael & Iehuda habitantes in ciuitatibus Iehuda etiam ipſi decimam bouum & ouium decimámque ſanctorum quæ vouerant Domino Deo ſuo, obtulerunt.] Vers. 6. Hebraicè habetur: *Et decimam ſanctitatum ſanctificatarum Iehouah Eloha eorum, attulerunt.* Leuitæ debebant ſacerdotibus decimam decimæ: & hæc ſacerdotum portio appellatur *ſanctitas ſanctificatorum*, quoniam ex ſanctificatis Deo decimis datis à populo Leuitis, ſumebatur hæc decima ſanctificata Deo pro ſacerdotibus. Et manifeſtatur per hoc quòd Leuitæ quoque attulerunt debitam decimam ſacerdotibus.

Leuita decimam decimæ Sacerdotibus debebant.

Et poſuerunt aceruatim

Menſe tertio cœperunt aceruorum facere fundamenta.] Vers. 7. Hebraicè habetur: *inceperunt aceruare in fundamento.* hoc eſt prima principia aceruorum: *Et menſe ſeptimo compleuerunt.*

Venerunt autem Iechizechiahu & principes, & viderunt acernos: benedixerũntque Domino & populo eius Iſrael. Vers. 8.

Et interrogauit Iechizechiahu ſacerdotes & Leuitas de aceruis. Vers. 9.

Reſpondítque ei Hazariahu ſacerdos primus de domo Zadoc, & dixit: ex quo cœpit oblatio afferri in domum Domini, comedimus & ſaturati ſumus & ſuperfuit in multitudine, eo quod benedixit Dominus populo ſuo & ſupereſſe fecit copia hanc.] Vers. 10. Ecce fructus diuinę benedictionis per ſacerdotes factæ, vt narratum eſt in præcedenti capitulo.

Præcepitque Iechizechiahu præparare cellaria in domo Domini: & præparauerunt. Vers. 11.

Induxerũntque oblationes & decimas & quæcunque vouerant.] Vers. 12. Hebr. habetur: *& ſanctitates in fide.* Significantur autem decimæ decimarum ſupradictæ: *Fuitque præfectus ſuper ea Chanan-iahu Leuita & Simhi frater eius ſecundus.*

Et Iechiel & Hazaziahu & Nachath & Haſael & Ierimoth & Iozabad & Eliel & Iſmachiahu, & Machath & Bena-iahu, præpoſiti de manu Chanan iahu & Simhi fratris eius, ex imperio Iechizechiahu regis & Hazar-iahu Pontificis domus Domini.] Vers. 13. Hebraicè habetur *ducis domus Elohim.* caput enim domus Dei ſignificatur. *ad quos omnia pertinebat.*] Nõ habetur hæc adiectio in Hebræo.

Core vero filius Iimne Leuita ianitor orientalis portæ præpoſitus erat his quæ ſponte offerebantur Domino.] Nomen eſt Iohim.] *cum iuſque & conſecratis in ſanctis ſanctorum.*] Vers. 14. Iuxta Hebr. habetur, *ad dandũ elevationem Iehouah & ſanctitatẽ Sanctitatũ.* Exponitur inter ſpõte oblata comprehendi

tunc tam primitias quæ eleuabantur Deo, quàm decimas decimarum: ad manifestandum quod quamuis hæc secundum legem deberentur, non tamen tunc exigebantur, sed sponte offerebantur.

Vers. 15. *Et sub cura eius.*] Non malè interpretatur quod Hebraicè scribitur: *Et super manum eius.* quia significatur quòd manu (hoc est gubernatione eius) innitebantur subiuncti viri distributores in vribus sacerdotum in fine: hoc est absque exacta supputatione.

Heden & Min-iamin & Iesuah & Semah-iahu & Amar-iahu & Sechan-iahu in ciuitatibus sacerdotum in fide: ad dandum fratribus suis in diuisionibus, sicus magno sic paruo.

Vers. 16. *Excepto maribus ab annis tribus & supra.*] Hebraicè habetur: *Absque genealogia eorum maribus à filio trium annorum & supra.* Aduerte & discerne disparitatem inter sacerdotes ac Leuitas absque discussâ illorum genealogiâ & eoldem discussâ eorum genealogia, penès hoc quòd sine discussione genealogiæ distributio fiebat ministris actualiter ministrantibus, & illorum filiis maribus trium annorum & supra duntaxat: ministris autem sacerdotibus (hoc est filius Aharon) & Leuitis à vigesimo anno & supra discussa eorum genealogia distributio fiebat etiam pro vxoribus & filiabus. Et non est sermo de genealogia quoad patres, auos & atauos: sed quoad numerum filiorum. Hanc sententiam sonat Hebraica litera, subiungendo.

Disparitas inter Sacerdotes ac Leuitas non discussâ genealogiâ, & eadem discussâ.

Omni venienti ad domum Iehouah rem de die in diem suam: ad ministerium suum in custodijs suis, in diuisionibus suis.] Conditiones narrantur eorum quibus absque discussa genealogia distribuebatur res eis debita: & modus, videlicet de die in diem. Deinde immediatè sequitur.

Vers. 17. *Et cum genealogia sacerdotes per domum patrũ suorum & Leuitæ, a filio viginti annorum & supra: in custodijs suis in diuisionibus suis.*] Alterum è regione præcedentis membrum subiungitur: videlicet Leuitæ à viginti annis & supra, iuxta ordinẽ decretum à Dauide & sacerdotes: vtrique tamen in custodijs suis (hoc est temporibus illis deputatis iuxta diuisiones statutas tempore Dauidis) vtrique inquam genealogiâ eorum discussâ. Et de istis subiungitur:

Vers. 18. *Et existentibus cum genealogia vniuersæ familiæ eorum, vxoribus eorum, & filijs eorum, & filiabus eorum: omnis congregationi, quia in fide eorum sanctificabunt se sanctitate.* Duo scribuntur: alterum quòd istis quorum genealogia erat discussa distribuebatur pro tota familia, vxoribus &c. alterum toti congregationi tam primi membri quàm secundi distribuebatur quia fideles habebantur ad sanctificationis mundiciam, ita vt non permitterent immundos participare nec fraudem in his committi.

Vers. 19. *Sed & filiorum Aharon.*] Hebraicè habetur in casu datiuo *Et filijs Aharon sacerdotibus in agris suburbani ciuitatum eorum in omni ciuitate.*] Hactenus tractatum est de distributione quæ fiebat sacerdotibus & Leuitis ministrantibus: modò tractatur de distributione quæ fiebat sacerdotibus & Leuitis in agris suburbanorum & ciuitatibus habitantibus. *Disposita erant viri.*] Hebraicè habetur. *viri qui fuerunt nominati nominibus.* hoc est viri optimè noti, bonæ famæ distributores erant. *Qui partes distribuerent vniuerso sexui masculino de sacerdotibus & Leuitis.*] Non solùm malè contexta sed manca est litera: nam præcedentis sententiæ pars est de sacerdotibus: clarè enim in Hebræo dicitur *omni masculo sacerdotum:* deinde immediatè subditur: *Et omni existenti cum genealogia in Leuitis.*] Clara disparitas exprimitur: videlicet quòd in genere sacerdotali dabatur pars omni masculo, in genere autem Leuitico non nisi existenti cum genealogia discussa.

Fecitque sicut hoc Iechizi-iahu in toto Iehuda: & fecit bonum, sibi & aliis. *& rectum,* in actione. *& verum.* secundum intellectum, *coram Domino Deo suo.* teste Deo. Vers. 20.

In vniuersa cultura ministerij domus Domini iuxta legem & cæremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo: fecitque & prosperatus est.] Hebr. habetur: *Et in omni opere quod incepit in ministerio domus Elohim & in lege & in præcepto ad quærendum Elohe suum: in toto corde suo fecit & prosperabitur.*] Effectus operis prosperitas significatur in futuro, quia futura fuit respectu boni operis: sic enim infinitiues Hebræi loquuntur. Vers. 21.

CAPVT XXXII.

POst res & veritatem has venit Sancherib rex Assur.] Significatur post veritatem vitæ iustitiæ, & doctrinæ Ezechiæ superuenisse bellum describitur, ne peccato Ezechiæ imputaretur huiusmodi afflictio subiuncta. Vers. 1. *Sennacherib Rex Assyrius bellum infert Iudæo.*

Et ingressus est Iehudam: & obsedit ciuitates munitas.] Hebr. habetur: *Et cogitauerunt vt irrumperet super ciuitates earum.* Non venit recto tramite ad Ierusalem, sed ad ciuitates fortes regni.

Volens eas capere.] Hebr. habetur: *Et dixit ad seipsum vt irrumperet eas sibi.* hoc est decreuit separatè ciuitates munitas à Ierusalem ad hoc vt subiiceret eas sibi simul cum reliquo regno Israel. Erat enim Dominus regni Israel: nam quartodecimo anno regni Ezechiæ hoc gestum est.

Vidit autem Iechizi-iahu venisse Sancherib, & faciem eius esse ad bellũ contra Ierusalem.] Quarti Reg. 18. narratur quod iste rex Assyriorum cepit ciuitates munitas regni Iudæ, quod hic tacetur. Et similiter tacetur Ezechiam petiisse veniam à rege Assyriorum, & dedisse ei magnam auri & argenti summam quam Sancherib petiit. Post hæc enim adhuc Sancherib obsidente ciuitatem Lachis, & acceptâ tantâ auri & argenti summâ frangente fidem, gestum est quod hic scribitur: videlicet quòd vidit Ezechias faciem regis Assyriorum ad bellandum contra Ierusalem. Vers. 2.

Et inito cum principibus consilio virisque fortissimis vt obturarent capita fontium qui erant extra vrbem: & hoc omniũ decernente sententia.] Hebr. habetur: *Et consiliatus est cum principibus suis & potentibus suis ad obturandum aquas fontium qui erant extra ciuitatem: & adiuuerunt eum.*] Principes vitique fortes. Vers. 3.

Congregatũ que est populus multus, & obturauit omnes fontes, & riuum qui fluebat.] Hebr. habetur: *& torrentem inundantem in medio terræ* proculdubio extra ciuitatem. Vers. 4. *Ezechias in Sennacherib se munit.*

Dicendo: cur venient reges Assur, & inuenient aquas multas?

Confortatus quoque est, & ædificauit omnẽ murum destructũ & extruxit turres desuper & foris secus murũ alterum, & roborauit Millo ciuitatis Dauid. & fecit vniuersi generis armaturas.] Hebr. habetur: *Et fecit armaturam* Vers. 5.

arm aturam in multitudine & clypeos. nec vniuerſæ ſpecies armorum explicantur.

Verſ. 6. *Conſtituitque Principes bellatorum in exercitu.*] Hebraïcè habetur: *Et poſuit Principes bellorum ſuper populum.* cuncta enim ſecundum humanã prouidentiam rectè diſpoſuit,& extra & intus.

Et conuocauit eos ad ſe in plateam portæ ciuitatis, & locutus eſt ad cor eorum dicendo. hoc eſt verba penetrantia corda dixit.

Verſ. 7. *Roboramini & confortamini,non timeatis nec paueatis à facie regis Aſſur, & à facie totius turbæ quæ eſt cum eo:quia plures ſunt nobiſcum quàm cũ eo.* Verbis Eliſæi Prophetæ vſus eſt, confiſus in diuino auxilio: quod & rei probauit euentus:ſonant enim verba hæc multitudinem Angelorum adeſſe illis, vt Eliſæus 4. Reg. 6. eiſdem verbis ſignificauit.

Angelorum multitudinẽ ſibi adeſſe ſignificat Ezechias.

Verſ. 8. *Cum ipſo eſt brachium carneum, & nobiſcum eſt Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnátque pro nobis.*] Hebraïce habetur: *Ad adiuuandum nos & ad præliandum prælia noſtra.* ſed ſententia in idem redit.

Confortatúſque eſt populus huiuſmodi verbis.] Hebraïcè habetur: *Et fuerunt innixi populus ſuper verba Iechizci-iahu Regis Iehuda.* Fructus verborum Ezechiæ manifeſtatur tantus quòd populus innixus eſt diuino auxilio per verba Ezechiel prolato.

Verſ. 9. *Poſt hæc miſit Sancherib Rex Aſſur ſeruos ſuos in Ieruſalaim (ipſe enim cum vniuerſo exercitu obſidebat Lachis.* Quæſtio oritur: quoniam quarti Regum decimooctauo contrarium ſonat litera, dicens quòd Rex Aſſyriorum miſit de Lachis Rabſacem cum exercitu graui in Ieruſalem ad Ezechiam:quomodo ergo verificatur quòd ipſe Sancherib cum vniuerſa potentia ſua obſidebat Lachis? Solutio eſt quòd Rabſacces miſſus tanquam nuncius tempore obſidionis Lachis venit ſine exercitu, vt hîc ſcribitur:ſed ſtatim capta ciuitate Lachis miſit rex partem exercitus poſt Rabſacem ad Ieruſalem vt in libro Regum ſcribitur:& ipſe rex cum parte exercitus iuit ad debellandum ciuitatem Libnam, vt ex ſcriptis quarti Regum decimonono colligitur.) *ad Iechizci-iahu Regem Iehuda & ad totum Iehudam qui erat in Ieruſalaim dicendo.*

Quomodo de Lachis Rab. facem miſerit in Ieruſalem Sennacherib?

Verſ. 10. *Sic dixit Sancherib Rex Aſſur:In quo habetis fiduciam, & ſedetis obſeſſi in Ieruſalaim?*

Verſ. 11. *Nónne Iechizci-iahu decepit vos vt tradat vos ad moriendum fame & ſiti,dicendo: Dominus Deus noſter liberabit nos de manu Regis Aſſur?*

Verſ. 12. *Nónne ipſe Iechizci-iahu abſtulit excelſa & altaria eius, & præcepit & Iehudæ Ieruſalaim dicendo, coram altari vno adorabitis & ſuper illud thurificabitis?* Vide hæc expoſita 4. Regum decimooctauo.]

Verſ. 13. *Nónne cognoſcitis quæ fecerim ego & patres mei omnibus populis terrarum? an valendo valuerunt Dij gentium terrarum liberare terram ſuam de manu mea?*

Verſ. 14. *Quis eſt in omnibus Diis gentium iſtarum quas vaſtauerunt patres mei qui potuerit liberare populum ſuum de manu mea,vt poſſit Deus veſter liberare vos de manu mea?*

Verſ. 15. *Nunc ergo non decipiat vos Chizci-iahu & non perſuadeat vobis ſicus hoc, neque credatis ei:ſi nullius Deus cuiuscũ gentis & regni potuit liberare populum ſuum de manu mea & de manu patrum meorum, quanto magis Dij veſtri non liberabunt vos de manu mea?*

Et adhuc locuti ſunt ſerui eius contra Dominum Deum & contra Iechizci-iahu ſeruum eius. Verſ. 16.

Epiſtolas quoque ſcripſit blaſphemiæ plenas in Dominum Deum Iſrael: & locutus eſt contra eum dicendo, ſicut Dij gentium terrarum non potuerũt liberare populum ſuum de manu mea, ſic Deus Iechizci-iahu non poterit liberare populum ſuum de manu mea.] Hoc fuit in receſſu Sancherib de Iudæa ad reſiſtendum Regi Æthiopiæ:& geſta circa hanc epiſtolam ſcripta ſunt, 4. Reg. 19. Verſ. 17.

Et clamauerũt voce magna Iehudaicè contra populum Ieruſalaim qui erat ſuper murum.] Author libri non ſeruat ordinem rei geſtæ:nam hoc fuit ante miſſas literas,vt libet Regum ſonat. Verſ. 18.

Vt terreret eos.] Deficit, *& ad attonitos reddendum eos.* ita quòd & timidos & attonitos efficere nitebantur Iudæos. *vt caperent ciuitatem.*

Et locuti ſunt contra Elohe Ieruſalaim ſicut cõtra Deos populorum terræ, opera manuum hominis. Verſ. 19.

*Oranítque Iechizci-iahu Rex & Ieſaiah-iahu filius Amoz Propheta aduerſum hanc blaſphemiam: & vociferati ſunt vſque in cælum.*nõ clamore corporalis vocis,ſed interno affectu cordis. Verſ. 20.

Miſítque Dominus Angelum, & excidit omnẽ potentiam viribus & Ducem & Principem in caſtris Regis Aſſur. Iſta Angeli miſſio fuit non tũc, ſed poſt biennium quando Rex Aſſyriorum iterum miſit exercitum ſuum contra Ieruſalem: vt in. 4. Reg. cap. 19. ſcribitur. Verſ. 21.

Iſta Angeli miſſio fuit poſt biennii.

Reuerſúſque eſt cum ignominia.] Hebraïcè habetur: *& reuerſus eſt in verecundia facierum in terram ſuam.* confuſus ſiquidem ad inſtar erubeſcentium reuerſus deſcribitur qui iactauerat ſe cõtra Deum Iſraël prævaliturum. 4. Reg. 19.

Cúmque ingreſſus eſſet domum Dei ſui,qui exierãt de viſceribus eius ibi interfecerunt eum gladio.

Saluauítque Dominus Iechizci-iahu & habitatores Ieruſalaim de manu Sancherib Regis Aſſur & de manu omnium:& præſtitit eis requiem per circũitum.] Verſ. 22.

Multi etiam deferebant hoſtias & ſacrificia.] Hebraïcè habetur: *Et multi afferentes munus Domino in Ieruſalaim.* nec deſcenditur ad ſpeciem muneris. Verſ. 23.

Et munera.] Hebraïcè habetur: *& poma Iechizci-iahu Regis Iehudæ: & exaltatus eſt in oculis omnium gentium poſt ſic.* Sed vt aliàs dictum eſt appellatione pomorum intelliguntur pretioſa:effectus ſiquidem ſubſecuti ex mirabili occaſione exercitus Sancherib,deſcribuntur in aliis tum relatiuè ad Deum, tum relatiuè ad Ezechiam.

Pomorum nomine pretioſa intellige.

In diebus illis ægrotauit Iechizci-iahu vſque ad mortem.] Quarti Reg 20. hiſtoria hæc tractata eſt: vbi vide expoſitum etiam ſignum datum. Verſ. 24. 4. Reg. 20.

Oranítque Dominum, & exaudiuit eum,& dedit ei ſignum.

Et non iuxta beneficia quæ acceperat retribuit Iechizci-iahu: quia eleuatum eſt cor eius.] Teſtatur ſcriptura non ſolùm exteriori vanitate ſed etiam internâ elatione animi peccaſſe Ezechiam cùm venerunt ad eum legati à Rege Babylonis. Hiſtoria tractata eſt quarti Regum 20. Verſ. 25.

Vanitas Ezechiæ.

Et facta eſt contra eum ira,& contra Iehudam.] Vindicta per Eſaiam prophetam annunciata Ezechiæ ibidem ſcripta commemoratur.

Humiliatúſque eſt Iechizci-iahu in exaltatione cordis ſui,ipſe & habitatores Ieruſalaim.] Humilitas ipſius Ezechiæ ibidem legitur:humilitas autem habitatorem Ieruſalem hîc primum ſcribitur. Et per hoc ſimul inſinuatur quòd etiam habitatores Verſ. 26.

Amaz-iahu: & misit ad eum prophetam qui diceret ei, cur adorasti Deos qui non liberauerunt populum suum de manu tua?

Vers. 16. *Cumq; hæc ille loqueretur, respõdit ei: an cõsiliarius regis factus es? cessa ne interficiã te, & cessauit propheta & dixit, scio quòd cogitauerit Deus perdere te.*] Nomẽ est *Elohim. quia fecisti hoc & non acquieuisti consilio meo*]vt saltẽ pœniteret te facti.

Vers. 17. 4. Reg. 14. *Et inito consilio Amaz-iahu rex Iehuda misit ad Ioas filiũ Ieho-acham filij Iehu regẽ Israel: & dicendo: veni & videamus nos facie.* Historia hæc quarti Reg. 14. scripta est & exposita.

Vers. 18. *Remisitq; Ioas rex Israel ad Amaz-iahu regem Iehuda dicendo: carduus qui est in Lebanon misit ad cedrum quæ est in Lebanon dicendo: da filiam tuam filio meo in uxorem, & transiuit bestia agri quæ est in Lebanon & conculcauit carduum.*

Vers. 19. *Dixisti; Ecce percussi Edõ, & idcirco erigitur cor tuum in superbiam.*]Hebr. habetur: *in aggranare*, hoc est, non leuiter, sed fitmiter instar rei grauis eleuatũ cor habes. *Igitur sede in domo tua, cur prouocas in malum vt cadas tu & Iehuda tecum?*

Vers. 20. *Et noluit audire Amaz-iahu: quia à Deo erat vt traderet eos in manũ hostium, quia quæsierant deos Edom.*]Nomen est *Elohim*: & ab *Elohim* fuisse dicitur, vt impleretur verbũ prophetæ prætecitatũ.

Vers. 21. *Ascendit igitur Ioas rex Israel: & viderunt se facie ipse & Amaz-iahu rex Iehuda in Bethsemes quæ est in Iehuda.*

Vers. 22. *Ioas Rex Israel profligat Amasiam Regem Iuda.* *Corruitque Iehuda coram Israel: & fugit vnusquisque in tentoria sua.*

Vers. 23. *Et Amaz-iahu regem Iehuda filium Ioas filij Ieho-acham, cepit Ioas rex Israel in Bethsemes: adduxitque eum in Ierusalaim, & rupit murum Ierusalaim a porta Eph-raim vsque ad portam anguli quadringentis cubitis.*

Vers. 24. *Tulitque omne aurum & argentũ & omnia vasa inuenta in domo Dei apud Hobed-edom.*] Hoc est filios Hobed-edom custodis thesauri: & est hîc quoq; nomen *Elohim. & thesauros domus regis & filios obsidum.*] Hebr. habetur: *Et filios fideiussorum.* quemadmodum etiam habetur in quarto Regum. *& reuersus est in Someron.*]

Vers. 25. *Vixit autem Amaz-iahu filius Ioas rex Iehuda postquam mortuus est Ioas filius Ieho-acham rex Israel, quindecim annis.*

Vers. 26. *Reliqua autem verborum Amaz-iahu priorum & posteriorum: nónne ipsa scripta sunt in libro Regum Iehuda & Israel?*

Vers. 27. *Qui postquam recessit à Domino, tetenderunt ei insidias in Ierusalaim.*] Hebr. clarius habetur. *Et à tempore quo recessit Amaz-iahu a post Iehouah coniurauerunt contra eum coniurationem in Ierusalaim & fugit ad Lachis.* Initium coniurationis describitur ex merito recessus à Deo: quamuis cõiuratio non fuerit tunc manifestata, sed postquam succubuit in prælio aduersus regem Israel. *Miseruntq; post eum in Lachis, & interfecerũt eum ibi.*

Vers. 28. *Asportauerunt q; eũ super equos: & sepelierunt eũ cũ patribus suis in ciuitate Dauid.*]Hebr. habetur: *in ciuitate Iehuda.* Vt patet 4. Reg. 14. sepultus est in ciuitate Dauid: sed author libri priuauit nomine Dauidis propter ipsius Amaziæ demerita, tanquam non meruerit Dauidis ciuitatem, sed Iudæ. Reliqua vide exposita in libro Regum.

CAPVT XXVI.

Vers. 1. *Osias filius Amasiæ Rex Iuda.* *VLit autem totus populus Iehuda Huzzi-iahu (qui erat filius sedecim annorum) & regem constituit eum pro patre eius Amaz-iahu.*

Ipse ædificauit Eloth, & restituit eam Iehudæ: postquam dormiuit rex cum patribus suis. Vers. 2.

Filius sedecim annorum erat Huzzi-iahu cum regnare cœpit, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Iechol-ia de Ierusalaim. Vers. 3.

Fecitque rectum in oculis Domini: iuxta omnia quæ fecerat Amaz-iahu pater eius.] In principio antequam adoraret deos Edom. Vers. 4.

Et exquisiuit Deum. Nomen est *Elohim. in diebus Zechar-iahu intelligentis & videntis Deum.*] Iuxta Hebr. habetur: *intelligẽtis in videre Elohim.* & est genitiui casus *Elohim.* Laudatur iste Zacharias filius Zachariæ occisi inter templũ & altare quòd fuerit intelligens visiones Elohim. Recole Danielis dictum quòd intelligẽtiâ opus est in visione: & perpendes quòd iste Zacharias pollebat dono intelligẽtiæ in visionibus: vtpote intelligẽdo quid significarent visiones habitæ in sõnis, & discernendo illas quę erãt à Deo vel sõniis vanis. Vers. 5.

Cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus.]Hebr. habetur: *Fecit prosperari eum Elohim.* Sententia est clara. vnde & effectus prosperitas subiungitur.

Egressúsque est & pugnauit contra Philisthim, & rupit murum Gath & murũ Iabne, & murum Asdod: ædificauitq; ciuitates in Asdod & in Philisthim. Vers. 6. *Pugnat contra Philistiim.*

Et adiuuit eum Deus.] Nomen est *Elohim.* *contra Philisthim & contra Harabes habitantes in Gurbahal & contra Hammonitas.*]Hebr. habetur: *& Mehunim.* noménque sonat loci. Vers. 7.

Dederúntque Hammonitæ munus Huzzi-iahu. De munere tributi est sermo. *& diuulgatum est nomen eius vsq; ad introitum Ægypti, propter crebras victorias.* Hebr. habetur: *Quia fecit roborare vsque in excelsum.* hoc est quia fecit ea quæ fortitudinis erant vsque ad summum. Vers. 8.

Ædificauitq; Huzzi-iahu turres in Ierusalaim super portam anguli & super portam vallis & super angulum: & roborauit eas. Vers. 9.

Extruxítque turres in solitudine. pro tutela gregum. *& fodit cisternas multas, quia armentum multum erat ei & in campestribus & in planicie: agricolæ & vinitores in montibus, & in Charmel, quia diligebat terram.* Vers. 10. *Tunn adsc.*

Habuit autẽ Huzzi-iahu robur faciẽtium bellũ ingredientium in exercitum per turmas in numero descriptionis suæ in manu Iehiel scribæ & Mahasẽiahu præfecti: sub Chanã-iahu de principibus Regu. Vers. 11.

Omnis numerus capitum familiarum potentium fortitudine duo millia & sexcenti. Vers. 12.

Et sub eis robur exercitus trecentorum millũ & septem millium & quingentorum qui erant apti ad bella: & pro rege contra aduersarios dimicabant.] Defectiua est litera: nam Hebr. habetur: *Factorum belli in virtute fortitudinis: ad adiuuandum regem contra inimicum.* laudantur enim militares viri. Vers. 13. *Exercitus multus.*

Præparauitque eis Huzzi-iahu toti exercitui clypeos & hastas & galeas, & loricas, & arcus: & lapides fundarum. Vers. 14.

Fecitque in Ierusalaim diuersi generis machinas, vt essent in turribus & in angulis ad iaciendum sagittas & saxa grandia.] Machinas ad iacendũ lapides magnos artificiosè factas describit. *egressúmque est nomen eius procul, eo quòd auxiliaretur ei Dominus & corroborasset illum.* Deficiunt hic quædam: nam Hebr. habetur: *Quia fecit admirari dum adiutus est vsquequo inualuit.* Admirandum se exhibuit quãdiu adiutus est à Deo ad prœualendũ: & propterea nomen eius diuulgatũ est procul. Vers. 15.

Et cum roboratus esset, elevatum est cor eius vsq; ad Vers. 16.

Superbiâ elatus negligit Deum Ozias.

ad interitũ eius, & neglexit Dominũ Deum suum. Hebr. habetur: *Et mentitus est in Iehouah Eloha suum.* non verbo, sed facto, peccare enim mentiri appellant, pro quanto contrarium est veritati diuinæ legis voluntatiè factũ, *ingressúsque est in tẽplum Domini ad thurificandum super altare thymiamatis.* Non sat erat ei dignitas regia, sed vsurpare voluit dignitatem Sacerdotalem in actione præclara: videlicet super altare thymiamatis, quod erat internum altare.

Vers. 17. *Ingressúsque est post eũ Hazar-iahu sacerdos: & cũ eo sacerdotes Domini octoginta filij fortitudinis.*

Vers. 18. *Restiterúntque Huzzi-iahu regi & dixerũt ei, non est tui officij Huzzi-iahu thurificare Domino quia sacerdotum filiorum Aharon sanctificatorum est thurificare: egredere de Sanctuario.*] Erat enim altare thymiamatis in extrema parte templi ante Sanctum Sanctorum. *ne contempseris* Hebr. habetur: *quia mentitus es:* hoc est quia peccasti in hac attentatione. Primum reddidérant rationem ex consecratione filiorum Aharon: deinde addunt rationem peccati, & tertiò ignominiæ apud Deum, subiungendo:

Et non tibi in honorem à Iehouah Elohim.] Et in hoc directè percutiunt intentionem regis qui ad honorem pontificium aspirabat.

Vers. 19. *Volens adolere incensũ fit leprosus.* *Iratúsque est Huzzu-iahu: & tenens in manu thuribulum vt adoleret incensum, minabatur sacerdotibus.* Hebraicè habetur: *Et in manu eius thuribulum ad thurificandum: & in irasci eius cum sacerdotibus, & lepra orta est in fronte eius coram sacerdotibus in domo Domini desuper altare thymiatis.* Mirabilis ac subita vltio diuina describitur.

Vers. 20. *Respexitque eum Hazar-iahu Pontifex & omnes sacerdotes, & viderunt lepram in fronte eius, & festinato expulerunt eum.*] Hebr. habetur: *& festinarunt festinare eum illinc.* Non explicatur expulsio: sed visa lepra sacerdotes regem leprosum ad festinè egrediendum monuerunt: *Sed & ipse perterritus acceleranit egredi, eo quod sẽtisset illico plagam Domini.*] Patui refert quòd Hebraicè habetur: *& etiam ipse fuit impulsus ad exeundum, quia percussit eum Iehouah.* Ita quòd non solum à sacerdotibus, sed etiam à seipso sentiente plagam Dei impulsus est ad egrediendum è templo.

Vers. 21. *Fuitque Huzzi-iahu rex leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus leprâ.* Hebr. habetur: *leprosus.* nihilque dicitur de plenitudine. *Quia excisus fuerat de domo Domini: porro Iotham filius eius erat super domum regis, iudicans populum terræ.*

Vers. 22. *Reliquũ autẽ verborũ Huzzi-iahu prioꝝ & posteriorum, scripsit Isaiah iahu filius Amoz propheta.* sed nõ in lib. Esaiæ quẽ habemus, vt patet legẽti.

Vers. 23. *Dormiuitque Huzzia-iahu cum patribus suis, & sepelierunt eum cum eis in agro sepulchri regum, eo quòd esset leprosus.*] Sepelierunt eum non in ipsis sepulchris regum, sed in illo agro, propter leptam: vt separatus in vita, separatus etiam esset mortuus. Reliqua exposita vide 4. Reg. cap. 15.

Et regnauit Iotham filius eius pro eo.]

CAPVT XXVII.

VERS. 1. *Iotham filius Oziæ regnat in Iuda.* *Filius viginti quinque annorum erat Iotham cum regnare cœpit, & sedecim annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Ierusa filia Zadoc.*

Vers. 2. *Fecitque rectum in oculis Domini iuxta omnia quæ fecerat Huzzi-iahu pater eius, verumtamen non est ingressus templum Domini.*] proculdubio ad fungendum officio sacerdotis.

Et adhuc populus delinquebat.] Hebraicè habetur:] *& etiam populus facientes destruere.* Laudatur rex quòd imitatus est patrem in omnibus rectis operibus corã Deo & non in præsumptione sacerdotij. Cum rectitudine tamen eius erant multi in populo faciẽtes destruere: hoc est vacãtes idololatriæ: ac per hoc quãtum in se erat cooperantes ad destructionem populi & diuini cultus.

Ipse ædificauit portam domus Domini excelsam: Vers. 3. *& in muro Hophel ædificauit multum.*

Ciuitatésq; ædificauit in monte Iehuda: & in saltibus ædificauit castella.] Hebr. habetur: *palatia,* pro recreatione & venationis tempore, *& turres.* Vers. 4.

Ipséq; pugnauit cum rege filiorum Hammon, & Vers. 5. *vicit eum: & dederunt ei filij Hammon in anno illo centum talenta argenti, & decem millia chororum tritici & hordei decem millia, hoc reddidérũt ei filij Hammon anno secundo & tertio.* *Ammonitas tributarios sibi reddidit.*

Roboratúsque est Iotham: quia direxit vias suas Vers. 6. *coram Domino Deo suo.*

Reliquum autem verborum Iotham & omnia Vers. 7. *bella eius & opera.*] Hebr habetur: *& via eius.* sed in idem redit. *Ecce ipsa scripta sunt in libro Regum Israel & Iehuda.*

Filius viginti quinque annorum erat cùm regnare cœpit: & sexdecim annis regnauit in Ierusalaim. Vers. 8.

Dormiuitque Iotham cum patribus suis, & se- Vers. 9. *pelierunt eum in ciuitate Dauid: & regnauit Achaz filius eius pro eo.* Reliqua vide 4. Reg. 15.

CAPVT XXVIII.

VERS. 1. *Achaz rex Iuda.* *Filius viginti annorum erat Achaz cum regnare cœpit, & sedecim annis regnauit in Ierusalaim: & non fecit rectum in oculis Domini sicut Dauid pater eius.*

Ambulauitque in viis regum Israel: & etiam Vers. 2. *statuas fudit Behalim.*

Ipséque thurificauit in valle Bin-hinnom: & Vers. 3. *lustrauit.* (Iuxta Hebr. habetur: *Et combussit*) *filios suos in igne.* Manifestè significatur combustio filiorum secundum morem Gentilitatis. Et quoniã pluraliter dicitur *filios suos,* non vnicum tantum combussisse filium narratur, nõ ausim tamen propterea affirmare quòd fuerit combustio occidens filios, sed consecrans eos: tam quia hi multi explicantur combusti, tum quia modificatur combustio subiungendo. *sicut abominationes Gentium quas expulit Iehouah a facie filiorum Israel.*] Ita quòd non dicitur absolutè quòd combussit filios suos in igne, sed modificatur sicut idololatriæ ritus habebat: alienum autem à ratione videtur vt multos filios proprios vnus pater comburéret occidendo, sed non quòd aliquantulam vstionem quodam per ignem transitu inferret: vt idem significetur hic quod alibi nominatur *facere transire per ignem.* *Combussit filios suos? Quomodo?*

Sacrificabat quoque & thurificabat in excelsis & Vers. 4. *super colles: & sub omni arbore frondosa.*

Tradidítque eum Dominus Deus eius in ma- Vers. 5. *num regis Syriæ qui percussit eum & cepit de regno eius prædam magnam & adduxit in Damascum.*] Quarti Regum 16. tes gestæ tempore Achaz scriptæ sunt, vbi rex iste Syriæ nominatur *Rezin.* 4. Reg. 16. *Quantis cladibus à Rege Syriæ & à Rege Israel profligatus.*

Et tradita est in manum regis Israel traditus est, & Vers. 6. *percussit eum plaga magna.*] Phacee filius Rome-

liæ. Isti enim duo reges conuenerant aduersus Achaz regem Iudæ tempore Esaiæ prophetæ, promittentis diuinam opem regi Achaz quam ille renuit: vt scribitur Esaiæ 7. vnde & diuino iudicio passus est tot & tanta ab istis duobus regibus, multo tamen peiora à rege Israel: quia regem Syriæ oportuit reuerti ad defendendum regnum suum à rege Assyriorũ inuocato ab Achaz.

Vers. 6. *Occiditque Pecach filius Remal-iahu in Iehuda centum & viginti millia in die vno omnes filios fortitudinis: eo quòd reliquissent Dominum Deum patrum suorum.*

Vers. 7. *Occidit quoque Zich-ri potens Eph-raim Maha-sciahu filium regis, Achaz & Hazricham ducem domus & Elcanam secundum a rege.*] Narrantur tres excellentes personæ regis Achaz occisæ.

Vers. 8. *Ceperuntque filij Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, filiorum, & filiarum, & infinitam prædam.*] Sæpe interpres vtitur infinitate pro multitudine, *pertulerunt que eã in Someron.*

Vers. 9. *Oded Propheta.* *Ea tempestate erat ibi propheta Domini Oded nomine.*] Mortuo siquidem Elisæo florebat propheta iste in regno Samariæ propter quod dicitur Hebraicè: *Et fuit ibi propheta Domini, Hoded nomen eius.*] Nec ponitur aliqua limitatio temporis: nec dicitur quòd aliunde venerit.

Et egressus est obuiam exercitui venienti in Someron, & dixit eis: ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Iehudã tradidit eos in manum vestras, & occidistis eos atrociter, ita vt vsque ad cœlum pertingeret vestra crudelitas.] Hebraicè habetur. *& occidistis eos in ira, vsque ad cœlos peruenit.* Sed interpres vocabulis exaggerauit. Clades enim tanta dicitur quòd vsque ad cœlos peruenerit: vtpote centum & viginti millium vno die.

Vers. 10. *Et nunc filios Iehuda & Ierusalaim vultis vobis subiicere in seruos & ancillas: quod nequaquam facto opus est; peccastis enim super hoc Domino Deo vestro.*] Iuxta Hebræum habetur: *Nonne tantum vos vobiscum delictorum ad Iehouah Elohe vestrũ* subaudi habetis Et est sensus quòd sufficere debẽt vobis iniquitates quas commisistis vos inter vos aduersùs summũ Deum, & nõ debetis addere hãc iniquitatẽ inter vos & fratres vestros filios Iudæ

Vers. 11. *Nunc igitur audite me, & reducite captiuos quos adduxistis de fratribus vestris: quia magnus furor Domini imminet vobis.*] Hebraicè habetur: *quia ira furoris Iehouah super vos.* hoc est vindictam diuinam instar furoris super vos meremini.

Vers. 12. *Surrexeruntque viri de capitibus filiorum Ephraim (Hazar-iahu filius Iehocanan, Berech-iahu filius Mesillemoth & Iechices-iahu filius Sallũ & Hamasa filius Chad-lai) cõtra venientes de exercitu.*

Vers. 13. *Et dixerunt eis: non introducetis huc captiuos ne peccemus Domino, vos vultis adducere super peccata nostra & vetera cumulare delicta.*] Hebraicè habetur: *& super delictum nostrum.* Agnoscũt principes & peccata quibus à recta ratione declinauerant, & iniquitatem idololatriæ propriæ.

Grande quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet.] Hebraicè habetur: *quia multũ delictum nobis, & ira furoris super Israel.* Agnoscunt iuxta prophetæ verbum propriam iniquitatẽ non solum sufficere sed esse multam & mereri iram atque furorem diuinam super populum Israel.

Vers. 14. *Dimiseruntque viri bellatores prædam & vniuersa quæ ceperant.*] Hebraicè habetur: *captiuitatem & prædam,* vestes & huiusmodi. *coram principibus & tota congregatione.*

Vers. 15. *Surrexerũntque viri qui nominati sunt per nomina, & apprehenderunt captiuos & omnes indumenta eorum vestiuerunt de spoliis, & calceauerunt eos, & comedere ac bibere fecerunt eos, & vnxerunt eos, & omnem infirmum eorum duxerunt in asinis, & adduxerunt eos in Iericho ciuitatem palmarum ad fratres eorum, & reuersi sunt in Someron.*

Vers. 16. *Tempore illo misit rex Achaz ad regẽ Assur vt auxiliaretur sibi.*] Pronomen *illo*, non demonstrat tempus post tantam cladem, sed tempus quo isti duo reges conuenerunt aduersùs Achaz: author enim prius refert quæ passus est Achaz, & deinde narrat inuocationẽ regis Assyriorũ, quia aduẽtus regis Assyriorũ nõ præuenit hæc mala regni Iudæ.

Vers. 17. *Et adhuc Edomæi venerunt: & percusserũt multos Iehuda, & ceperunt prædam magnam.*

Vers. 18. *Philisthiim quoq; diffusi sũt per ciuitates cãpestres & ad meridiẽ Iehuda: ceperũq; Bethsemes & Aialon & Ghederoth & Socho & filias eius, & Thimnã & filias eius, & Ghimzo & filias eius & habitauerunt ibi:* Non solum isti duo reges (Rezin & Phacee) percusserunt regnum Iudæ sed & Idumæi & Philisthini percusserunt, prædari sunt, ceperuntque ciuitates, videntes regnum Iudæ tam depressum.

Vers. 19. *Achaz fur in Hebræis dicitur Rex Israel.* *Humiliauerat enim Dominus Iehudam propter Achaz regem Iehuda.*] Hebraice habetur: *Israel.* Nominatur Achaz rex Israel: fortè titulũ regis Israel retinebat: aut potius propter imitationem regum Israel recedendo penitus à cultu summi Dei, authot nominauit ipsũ regem Israel tractando illius punitionem. *Eo quod nudasset eum auxilio & contemptus habuisset Dominũ.*] Hebraicè habetur: *quia fecit detegere in Iehuda, & præuaricando præuaricatione in Iehouah.* Ratio redditur quare humiliauit Deus Iudam propter regem Achaz, quia detexit Achaz regnum Iudæ thesauris protegentibus illud confidendo in rege Assyriorum, & præuaricatus est præuaricatione maxima aduersùs summum Deum, vt testantur suprascripta.

Vers. 20. *Auxilium Regis Assyriorum venit ad Achaz quidem* *Adduxitq; cõtra eum.*] Iuxta Hebraũ habetur: *Et venit super eum Tiallegath phalneeser rex Assur.* Inuocatio regis Assyriorum suprascripta ad adiuuandum ipsum Achaz, trahit intellectum lectoris ad intelligendum quod non contra Achaz venerit sed venerit innixus vocationi eius. *Qui & afflixit eum, & nullo resistente vastauit.*] Iuxta Hebræum habetur *& fecit angustare ei & nõ roborauit eũ.* Duo effectus ex aduẽtu regis Assyriorũ narrantur: alter quod generauit angustias ipsi Achaz, alter quòd nõ cõtulit robur eidẽ Et angustia quidem in exactione pecuniarũ intelligitur, vt tanta fuerit exactio vt angustaretur rex Achaz ad inueniendã tantam pecuniam: nõ collario autẽ roboris intelligitur in eo quòd nõ fecit ei restitui ciuitates ablatas ab eo, sed dimisit eũ in sua debilitate.

Vers. 21. *Igitur Achaz spoliata domo Domini & domo regum & principum.*] Hebraicè habetur: *Quia diuisit Achaz domũ Iehouah & domum regis & principũ.* Quamuis diuidere pro dissipare intelligi possit (quoniã in lib. Reg. scribitur thesauros inuentos tam in domo Dei quã regis, dedisse regi Assyriorum) vt tamen non solùm veritas sed proprietas Hebraici sermonis seruetur, partitus dicitur domũ Dei & regis & principum: non quòd partẽ acceperit & partẽ dimiserit (quoniam tam liber Regũ quàm angustia hic scripta sonat contrarium) sed dimisit onus soluendi regi Assyriorum in domum Dei, domum regis & principes: ita quod non aggrauauit populum, qui tam afflictus erat. *Et dedit regi Assyriorum munera,* (superfluit *munera.*) *& tamen nihil ei profuit.*] Hebr. habetur: *& non in adiutorium ei.* Angustatus & oppressus tanta exactione

actione soluit quidē, sed non obtinuit auxilū pro se sed oppressionem inimicorum ita quòd hostes eius fuerunt depressi, sed ipse non fuit adiutus, immò etiam sub tributo seruiens regi Assyriorū.

Vers.22. *Insuper & tempore angustiæ suæ, addidit prævaricationem in Dominum, ipse per se rex Achaz.*] Superflua *per se*. Hebræi tamen ponderant hoc in loco pronomen *ipse*, ad significandum quod interpres expoluit.

Vers.23. *Et immolauit diis Damasci percussoribus suis, & dixit: Dii Regum Syriæ auxiliantur eis, immolabo eis & auxiliabuntur mihi: cum è contrario ipsi fuerint ruinæ ei & toti Israel.*

Vers.24. *Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei atque confractis.*] Hebraicè habetur: *Et congregauit Achaz vasa domus Elohim & concidit vasa domus Elohim.* Duo manifestantur: alterum quòd etiam vasa domus Dei abstulit: alterū quod concidit illa vt pecunia fieret ex eis. Et nomine vasorum significantur more Hebraico vniuersa (puta mensa, candelabrum, altare aureum, & non solum quæ nos vasa dicimus.

Vasorum nomine vniuersa supellex more Hebræo significatur.

Et clausit ianuas domus Domini.] vt nec vestigium diuini cultus in templo remaneret. *Et fecit sibi altaria in omnibus angulis in Ierusalem.*

Vers.25. *In omnibus quoque ciuitatibus Iehudæ extruxit aras ad succendendum thus.*] Hebr. habetur: *Fecit excelsa ad fumigandum Elohim aliis.* Nulla materia fulcitus (hoc est cremanda instar thuris) determinatur: poterat caro sic cremari vt fiebat in holocausto. *atq; ad iracundiam prouocauit Dominum Deum patrum suorum.*

Vers.26. *Reliqua autem verborum eius priorum & posteriorum & omnium viarum eius, ecce scripta sunt in libro regum Iehudæ & Israel.*

Vers.27. *Dormitumque Achaz cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate in Ierusalem, neque enim receperunt eum.*] Hebraice habetur: *Quia non fecerunt venire ipsum in sepulchra regum Israel.* Nullus refutans recipere scribitur, sed sine nomine multi indicauerunt ipsum indignum sepulchris regum Israel: & propterea non est in sepulchris regum sepultus. Nec te moueat nomen *Israel*: nam sepulchra regum in ciuitate Dauidis, erant sepulchra non solum regum Iudæ sed etiam regum Israel, Dauidis, Salomonis, Iosaphat.

Regnauitque Ezechias filius eius pro eo.

CAPVT XXIX.

Vers.1. *Ezechias filius Achaz regnat in Iuda*

EZechias regnare cœpit filius viginti quinque annorum, & vigintinouem annis regnauit in Ierusalem: & nomen matris eius Abia filia Zechar-iahu.

Vers.2. *Fecitq; quod erat placitum* Hebr. habetur: *Fecitque rectum*. secundum regulam diuinam. *in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius.*

Vers.3. *In ipso anno & mense primo regni sui.*] Transposita est litera: nā Hebr. habetur: *Ipse in anno primo regni sui in mense primo.* Videtur annus primus referri ad regnum eius: mensis autem primus non refertur ad regnum, sed absolute narratur & propterea ambiguum est an significetur mensis primus regni, an significetur mensis primus in ordine mensium anni. *Aperuit valuas domus Domini, & instauravit eas.*

Vers.4. *Adduxitque sacerdotes & Leuitas: & congregatos eos in plateam orientalem.* Hæc est quæ superius appellata est atrium magnum: erat enim ex parte Orientali ipsius templi.

Et dixit ad eos, audite me Leuitæ: nunc sanctificamini & mundate domū Domini Dei patrum vestrorū, & auferte omnē immunditia de Sanctuario.] Vers.5.

Dictio interpretata *omnem immunditiam*, est dictio significans menstruatā, ita quòd Hebr. habetur: *& facite exire menstruata è Sanctuario.* Instar enim menstruatæ (quæ non solùm polluta erat sed polluebat alia) describitur immunditia tēpli. vt per hoc intelligamus quòd erat immunditia idololatriæ, quæ non solum polluta erat sed & polluebat alios. Ita quòd nō est sermo de immunditia luti & huiusmodi corporearum sordium, sed de immunditia factilegarum rerum & idololatriæ: vnde & pro ratione subiungitur peccatum patrum.

Immunditia è Sanctuario tollēda quanam?

Quia peccauerunt patres nostri, & fecerunt malū oculis Domini Dei nostri & dereliquerunt eū: auerteruntq; facies suas a tabernaculo Domini & præbuerūt dorsum.] Ad literā Achaz quemadmodū reliqua ita & modū orandi ordinauit cōtra legem Moīs: vt videlicet adoraret populus versus ad Orientem, & sic auerterent facies suas à tabernaculo diuino terga præbentes illi: nam coram tabernaculo adorantes, habebant facies ad Occidentem secundum legem Moīs. Vers.6.

Achaz contra legem Moysi ordinauit vt populus adoraret versus Orientem.

Clauseruntque ostia porticus & extinxerunt lucernas, & incensum non adoleuerunt: & holocaustum non obtulerunt in sanctuario Deo Israel.) Hebraicè habetur: *Elohe Israelis.* more solito. Vers.7.

Fuitque ira Domini super Iehudam & Ierusalaim: & tradidit eos in commotionem.] Hebr. habetur: *in tremitū.* Et vtrumq; fuit verum quia & dati sunt in prædam atque abducti in captiuitatem, & spoliati sunt ita vt tremuerint nudati. *In desolationē & in sibilū, sicut vos cernitis oculis vestris,* Vers.8.

Et ecce corruerunt patres nostri gladio: & filij nostri & filiæ nostræ & vxores nostræ captiuæ ductæ sunt propter hoc. Vers.9.

Nunc cum corde meo est percutere fœdus cū Domino Deo Israel: & auertet à nobis iræ furoris sui. Vers.10.

Filij mei nolite me negligere. Hebr. habetur: *Filij mei nunc non errabitis.* a rectitudine diuinæ legis. *quia vos elegit Dominus, vt stetis coram eo ad ministrandum ei, & vt colatis eum & thurificetis eū.* Vers.11.

Surrexerūt ergo Leuitæ. Mahath filius Hamasai & Ioel filius Hazar-iahu de filiis Cohathitarum & de filiis Merarritarum, Cis filius Habdi, & Hazar-iahu filius Iehallel-el: & de Gherssonitis Ioach filius Zimmæ, & Heden filius Ioach. Vers.12.

Et de filiis Elizaphan, Simri, & Iehiel: & de filiis Asaph, Zechar-iahu, & Matthan-iahu. Vers.13.

Et de filiis Heman, Iechiel, & Simhi: & de filiis Iedutbun, Semah-ia, & Huziel. Vers.14.

Congregauerunt que fratres suos & sanctificati sunt, secundum legis ritum, & venerunt iuxta mandatum regis in verbis Domini, vt mundarent domum Domini. Vers.15.

Sacerdotes quoq; ingressi sunt templum Domini vt sanctificarent illud.] clarius habetur Hebraice: *Et venerunt sacerdotes intra domum Iehouah ad mundandum.* Narratā obedientiā Leuitarū, narratus cōsequenter obedientia sacerdotū eum obseruatione legis: videlicet quòd soli sacerdotes intra domū Domini ingressi sunt, Leuitis non præsumentibus intrare iuxta legē Moīs. *extulerūntque omnē immunditiā quā inuenerunt in templo Domini, in atriū domus Domini.* hoc est in atriū inter altare holocausti & & domū Dei. illuc enim vsq; educebant sacerdotes quæcunque sacrilega erant intus, & Leuitæ ex illo atrio ad torrentē Cedron educebant vt subiungitur. *tulerūntque Leuitæ ad efferendum ad torrentem Cedron foras.* Vers.16.

Ioso Exemplo Regis mundatur Templum.

Cœperunt

Vers. 17. *Cœperunt autem prima die mensis primi mundare.*] Narrata mundatione, narratur tempus distinguendo dies. Et ex hoc quòd primo die mensis primi inchoarunt mundare, facile intelligimus quòd superius nomine mensis primi significatur primus mensis regni: nisi quis dixerit quòd eodem die quo rex congregauit sacerdotes & Leuitas in atrio magno inceperunt mundare: quod à promptitudine sacerdotum & Leuitarum alienũ non esset, sed sanctificatio personarum quæ in litera præponitur obstare videtur: narrantur enim sanctificati Leuitæ & ingressi ad obsequendum regi: vnde tempus medium inter primum mensem suprascriptum & primum mensem hîc scriptum insinuatur. Si quis tamen præposterum ordinem familiarem Hebraicæ phrasi etiam hîc seruatum crediderit, non errat.

Primus hic mensis an regni, vel anni?

Et in die octauo mensis ingressi sunt porticum Domini, & mundauerunt domum Domini diebus octo: & die sextodecimo mensis primi compleuerũt.] Octo ergo dies consumpserunt mundando exteriores partes templi vsq; ad atrium quod erat inter templum & altare, alios autem octo dies expiando ipsam templi domum: & scripta sunt hæc vt intelligamus magnam multitudinem idololatriæ fuisse intra domum Dei ab Achaz collocatã.

Vers. 18. *Ingressíque sunt ad Ezechiam.*] Parui refert quòd Hebr. habetur: *Et ingressi sunt intro ad Chizzi-iahu regem.* Non intelligas die decimoseptimo adiisse regẽ: quoniam nec litera hoc dicit, nec sanctificatio vasorum quam profitentur se fecisse præter mundationẽ templi, vsquequaq; quadrat.

Et dixerunt: mundauimus totũ domũ Domini, & altare holocausti & omnia vasa eius, & mẽsam propositionis & omnia vasa eius.] Cum vasa mensæ propositionis essent aurea, & ipsa mensa saltẽ vestita auro secundum legem, non est intelligẽdum quòd Achaz reliquerit ea: sed quemadmodum altare holocausti nouiter erectum est (nam Achaz illud amouerat) ita noua propositionis mensa aut fortè lignea deaurata vetus, mũdata dicitur. Vasa autẽ non nisi ærea intelligi possunt, post tot direptiones domus Dei & thesaurorũ & vasorũ eius.

Vers. 19. *Cunctáque templi supellectilem quam polluerat rex Achaz.* Hebraicè habetur: *Et omnia vasa quæ fecit obliuiscitur rex Achaz in regno suo.* Dictio tamẽ interpretata *obliuiscitur.* ab aliis interpretatur *elongare:* sed sententia eadem redit: quia vasa referuntur quæ Achaz per elongationem ab vsu fecit tradi obliuioni.

Postquam præuaricatus est.] Hebr. habetur: *in præuaricari suo.* numquã enim legitur bonus: *& ecce exposita sunt omnia coram altari Domini.*] Hebraicè habetur: *Præparauimus & sanctificauimus: & ecce ipsa coram altari Iehouah.* Dicendo *præparauimus & sanctificauimus*, præter sanctificationem multa ipsos reparasse significatur.

Vers. 20. *Surrexítque diluculo Chizzi-iahu rex, & aduocauit principes ciuitatis: & ascendit in domũ Domini.*

Vers. 21. *Septenarius numerus in Lege sacratus erat.*

Adduxerúntque tauros septem & arietes septẽ & hircos caprarum septem pro peccato, pro regno & pro sanctuario & pro Iehuda.] Quamuis lege non fuerit sanctus numerus ille, decretus tamen est à rege & principibus quia numerus septenarius in lege sacratus erat, & immensum pelagus peccatorum numero Deo consecrato comprehendendum putarunt. *Dixítque filius Aharon sacerdotibus vt offerrent super altare Domini.*

Vers. 22. *Et mactauerunt bouem, & receperunt sacerdotes sanguinem & asperserunt super altare: mactauerúntq; arietes, & asperserunt sanguinẽ super altare.*

Et applicuerunt hircos pro peccato coram rege & cœtu.] Tanquam offerentibus hircos pro peccato. Vers. 23.

Imposuerúntque manus suas super eos.] Deputati ad hoc vice regis & vniuersæ multitudinis.

Et immolauerunt eos sacerdotes.] Interpres vitur immolare pro iugulare: sacerdotes enim iugulauerunt illos. Vers. 24.

Et asperserunt sanguine eorum altare pro piaculo totius Israelis: pro toto enim Israel præceperat rex vt holocaustum fieret pro peccato. Deficit coniunctio: legendum est: *dixit rex holocaustum & Chatath.* hoc est & pro peccato: vtrumq; enim mandauerat rex fieri pro vniuerso Israele.

Constituítq; Leuitas in domo Domini cum cymbalis & psalteriis & citharis secundum dispositionem Dauid regis, & Ghad vidẽtis regis, & Nathan prophetæ.] Vterque donum prophetiæ habuerat: sed Ghad appellatur videns antiquo prophetarũ nomine. Nathan autem propheta quod fuit nomen posterius: quia Ghad antiquior propheta erat: vtpote qui cum Dauide fuerat tempore quo Dauid profugus erat à facie Saulis: vt patet 1. Regum 22. & ipse appellabatur videns regis Dauidis: vt patet 2. Reg. vlt. & 1. Paralip. 21. Vers. 25.

Cur Gad videns, Nathã verò Propheta dicitur?

Quia Domini præceptum fuit per manum prophetarum eius.] Hinc habetur quòd ordinata per Dauidem non omnia fuerunt ei reuelata immediatè à Deo, sed multa per medios prophetas.

Steterúntque Leuitæ cum organis Dauid, & sacerdotes cum tubis.] Cerne differentiam: sacerdotes secundum ordinem Mosis vtebantur tubis, Leuitæ autem secundum ordinem Dauidis vtebantur aliis instrumentis musicis. Vers. 26.

Et iussit Chizzi-iahu vt offerrent holocaustum super altare: cumque inciperet holocaustum, ceperunt laudes canere Domino & clangere tubis & diuersis organis quæ Dauid rex Israel inuenerat concrepare. Vers. 27.

Holocausti offertorium Ezechiæ.

Totáque congregatio adorabat: & cantores & qui tenebant tubas erant in officio suo donec compleretur holocaustum. Vers. 28.

Cumque finita essent oblatio, incuruatus est rex & omnes qui erant cum eo.] Hebr. habetur: *Genuflexerunt rex & omnes inuenti cum eo & adorauerunt.* Hinc mos perpenditur vt in fine holocausti genuflecterent & adorarent. Vers. 29.

Præcepítque Chizzi-iahu rex & principes Leuitis vt laudarent Dominũ sermonibus Dauid & Asaph videntis.] Appellatione sermonum intelliguntur psalmi. Et hinc habetur quòd non solus Dauid fuit author Psalmorum, sed etiam Asaph, quod est intelligendum quoad materiam: multorum enim psalmorum materiæ reuelatæ sunt Asaph & aliis prophetis in titulis psalmorum nominatis, sed quoad formam & metrũ Dauid author fuit Psalmorum omnium: vt ex appendice septuagesimi secundi Psalmi probauimus in præfatione super psalterium. *Qui laudauerunt eum magna lætitia, & incuruato genu adorauerunt.*] Hebr. habetur: *& incuruarunt se & adorauerunt.* Caput humiliter inclinarunt Leuitæ coram rege venerando illum: vt subiuncta testantur: nam in Hebræo non subiungitur. *Ezechias autem etiam hæc addidit.* sed Vers. 30.

Sermonum appellatione Psalmi intelliguntur.

Dauid author omnium Psalmorum.

Et respondit Chizzi-iahu & dixit. Dicendo & *respondit* (proculdubio Leuitis) manifestat quòd Leuitarum incurvationi coram se respondit rex. Vers. 31.

Implestis manus vestras Domino.] Parui refert quòd Hebr. habetur: *nunc implestis manum vestrã Iehouah.* Appellatur implere manũ sũmo Deo, cõsecrare & dicare opus Deo. Laudat itaq; rex Leuitas quòd modò obtulerũt operas suas sũmo Deo.

Implere manum Domino: quid?

Accedite

Accedite & offerte victimas & laudes in domo Domini.] Dictio interpretata *laudes* (quæ etiam repetitur in sequenti linea) significat munera quæ offerebantur pro beneficio recepto manifestæ gratiæ diuinæ. *Attulitque tota congregatio, victimas & laudes, & holocausta mente deuota.*] Hebr. habetur: *Et omnis voluntarius corde holocausta.* Nec *voluntarius corde* arctatur ad *holocausta*, sed præcedentia etiam comprehendit.

Vers. 32. *Fuit autem numerus holocaustis quod obtulit congregatio, boues septuaginta, arietes centum, agni ducenti:*

Vers. 33. *Sanctificauerúntque Domino boues sexcentos.*] Manca est litera: nam post agnos ducentos immediate subditur: *pro holocausto ad Iehouah omnia hæc.* Et immediate sequitur. *Et sanctitates: boues sexcenti, & ouium trea millia.*] Inter oblata pro holocaustis & oblata Deo in genere vt dicata essent Deo, differentia scribitur.

Vers. 34. *Excoriare holocausta officium erat Sacerdotum in necessitate communicatum Leuitis.*

Retraffat se Cornelius.

Sacerdotes vero pauci erant, & non poterant excoriare omnia holocausta.] Hinc clare habetur quòd excoriare holocausta erat officium sacerdotum, & in articulo duntaxat necessitatis communicatũ Leuitis. Et quia claritas detrogat coniecturæ, ideo quòd in Leuitico ex coniectura scripsimus spectare ad offerentẽ excoriare holocaustum per se vel alium, retractamus: & de sacerdote ibi esse sermonem intelligimus hinc. Et idẽ intellige de iugulatione & actionibus reliquis, exceptà manuum impositione: sola siquidem hæc actio spectabat ad ipsum offerentẽ, reliquæ verò ad sacerdotem: quamuis ibidem oppositum scripserim. *Iuuerúntq; eos fratres eorũ Leuitæ donec implerentur opus & sanctificarẽtur animi enim.*] Hebr. habetur: *sacerdotes.* sufficientes ad opus excoriandi. *Leuitæ quippe facilioris ritus sanctificantur quã sacerdotes.*] Iuxta Hebr. habetur: *Quia Leuitæ recti corde vt sanctificarentur præ sacerdotibus.* Oratio comparatiua est, rationẽ reddens quare multi Leuitæ erant sanctificati, sacerdotes verò pauci, quia cor Leuitarum rectius fuerat quàm sacerdotum ad hoc vt sanctificarentur. Arguuntur ergo sacerdotes minoris rectitudinis: & hoc implicite paulò superius insinuatum fuit: dum ad exhortationem regis narrantur nomina familiarum multarũ Leuiticarum ex quibus surrexerunt Leuitæ ad sanctificationem, de sacerdotibus verò dicitur in genere quòd etiam sacerdotes &c. in hoc eod. capit. quia enim pauci sacerdotes fuerunt prompti ad sanctificationem, ideo ibi implicitè dictum hic explicatur.

Cor Leuitarum erat rectius quàm cor sacerdotum.

Vers. 35. *Fuerunt igitur holocausta in multitudine cũ adipibus pacificorum & libaminibus holocaustorum: & completus est cultus domus Domini.*] Hebr. habetur: *Et directum est ministerium domus Iehouah.* quamuis deesset sufficiens sacerdotum numerus, diuini tamen ministerij officia directione non caruerunt.

Vers. 36. *Lætatúsque est Chizci-iahu & totus populus, eo quòd ministerium Domini esset expletum.*] Hebraice habetur: *Eo quòd direxisset Elohim populo: quia repentè fuit res.* Materia gaudij regis & populi narratur diuina directio quà direxit populum ad cultum diuinum, seu direxit ea quæ diuini cultus erant prospera populo. Et eo magis Deo attribuitur directio hæc quia repente fuit res ista, vt Hebraica habet veritas: hoc est sine præuiis nunciis, prophetis, prædicatoribus & huiusmodi præparatoriis.

CAPVT XXX.

Vers. 1. *Misit quoque Chizci-iahu ad totum Israel & Iehudam.*] Fuisse hoc post sextum annum regni Ezechiæ, apparet ex eo quòd mittit ad omnem Israel carentem rege: vtpote reliquias Israelis ductis in captiuitatem a rege Assyriorum anno sexto Ezechiæ, vt scribitur 4. Reg. 18. profugi siquidem Israelitæ reuersi erant illi ad quos misit Ezechias. *Scripsítq; epistolas ad Eph-raim & Menassem.*] Specialis mentio fit istarum duarum tribuum specialique officio vocatæ narrantur, videlicet per literas: eo quòd magis vnitæ inueniebantur: quod ideo accidit, quia sub ditione regis Iudæ aliquæ Eph-raim & Menassis ciuitates existentes, non sunt inuasæ à Salmanasar rege Assyriorum. *Vt venirent ad domum Domini in Ierusalaim, ad faciẽdum pascha Domino Deo Israel.*

Cur tribuũ Ephraim & Manasse fit specialis mentio?

Vers. 2. *Initq; consilio rex & principes & totus cœtus in Ierusalem, ad faciendum pascha in mense secundo.*] Proculdubio secundum ordinem mensium anni.

Vers. 3. *Non enim occurrerat facere in tempore suo.*] Hebraicè habetur: *Quia non potuerunt facere illud tempore suo.* Tempus celebrãdi pascha secundum legem erat mensis primus (vt patet Exod. 12.) ita tamen vt impediti primo mense celebrarent pascha mẽse secundo, vt patet Numer. capitulo nono: & propterea impedimentum scribitur primi mensis pro ratione celebrandi pascha mense secundo. *Quia sacerdotes qui possent sufficere non fuerant sanctificati, & populus non fuerat congregatus in Ierusalaim.*] Prima ratio impedimenti redditur ex parte sacerdotũ, altera autẽ ex parte populi.

Impediti primo mense pascha celebrabant mẽse secundo.

Vers. 4. *Placuitq; sermo in oculis regis & in oculis totius cœtus:*

Vers. 5. *Et decreuerunt mittere nuncios in vniuersum Israel a Beer-sebah vsq; Dan, vt venirent ad faciendum pascha Domino Deo Israel in Ierusalaim. multi enim non fecerant sicut in lege scriptum est.*] Iuxta Hebr. habetur: *Quia non in multitudine fecerunt sicut scriptum est.* Explicatur illud paulò antè scriptum videlicet quia nó potuerunt facere pascha tẽpore suo: explicatur inquã manifestando quòd multitudo non fecerat celebritatem paschalem tempore suo. Et dicitur hoc tum ad differentiam aliquorum qui fecerant pascha tempore suo: tum ad commemorandum præceptum legis non seruatum fuisse: nam Exod. 12. mandatur quòd vniuersa multitudo congregationis Israel celebret pascha quartadecima die mensis primi.

Vers. 6. *Perrexerúntque cursores cum epistolis ex regis imperio.* Hebr. habetur: *De manu regis & principũ eius in totum Israel & Iehudam.* Subscriptæ manu regis & principum narrantur literæ, vt essent efficaciores. *Iuxta præceptum regis dicentes: Filij Israel reuertimini ad Dominum Deum Abraham Izchac & Israel, & reuertetur ad reliquias quæ effugerũt manus Regũ Assur.*] Hinc apparet quòd post captiuitatẽ vltimã regni Israel hæc gesta sũt.

Litera Ezechiæ & primum.

Vers. 7. *Et ne sitis sicut patres vestri & fratres vestri eipum. qui præuaricati sunt in Dominum Deum patrum suorũ tradidítq; eos in desolationem, vt vos cernitis.*

Vers. 8. *Igitur non induretis cernuces vestras sicut patres vestri: tradite manus vestras Domino.*] Tum ad fœdus, tum ad elevationem adorando qui elevatis eas idolis. *& venite ad sanctuarium eius quod sanctificauit in æternum: & seruite Domino Deo vestro, & auertetur à vobis ira furoris eius.*

Vers. 9. *Si enim vos reuersi fueritis ad Dominum, fratres vestri*

vestri & filij vestri misericordiam inuenient coram eis qui captiuos duxerunt eos, & reuertentur ad terram hanc: pius enim & clemens. Hebr. habetur: *quia misericors & miserator est Dominus Deus noster.* sed patui refert. *& non auertet faciem suam à vobis si reuersi fueritis ad eum.*

Vers. 10. *Et cursores pergebant velociter.* (Superfluit *velociter.*) *de ciuitate in ciuitatem in terra Ephraim & Menassis vsque ad Zebulun: illis irridentibus & subsannantibus eos.*

Vers. 11. *Attamen viri de Aser & Menasse & Zebulun acquiescentes consilio.*] Hebr. habetur: *Fuerunt humiliati.* interno diuino munere, quemadmodum de Iudæis subiungitur. *& venerunt in Ierusalaim.*

Vers. 12. *Etiam in Iehuda fuit manus Elohim ad dandum eis cor vnum ad faciendum preceptũ regis & principum in verbo Domini.* Diuina gratia describitur communis prædictis & Iudæis: disparitas autem penes hoc quòd communicata est gratia Iudæis omnibus, dictarum autem tribuum quibusdam.

Vers. 13. *Congregatique sunt in Ierusalaim populi multi.*] Hebr. habetur: *Populus multus.* Et post illa verba subiuncta: *ad faciendum solemnitatem azymorum in mense secundo,* scriptum est: *adunatio in multitudine valde.* Sententia est clara.

Vers. 14. *Surrexeruntque & abstulerunt altaria quæ erãt in Ierusalaim: & omnia in quibus adolebatur incensum idolis abstulerunt, & proiecerunt in torrentem Cidron.*

Vers. 15. *Immolauerúntque pascha quartadecima die mẽsis secundi.*] Iuxta decretum Mosis, Num. 9. *sacerdotes quoque & Leuita tandem sanctificati.*] Hebr. habetur: *& sacerdotes & Leuitæ fuerunt verecundati & sanctificauerunt se.* Minor sacerdotum & Leuitarum multorum amor ad diuinum cultum manifestatur ex eo quòd verecundia ducti sanctificauerunt se, videbant enim populum deuotè concurrentem ad diuinum cultum: & sic in scriptis confundebantur & sanctificarunt se. *& obtulerunt holocausta in domo Domini.*

Pascha solemne in Ierusalem mẽse secundo.

Vers. 16. *Steterúntque in ordine suo iuxta morem suum, iuxta legem Mosis viri Dei.* (Nomen est *Elohim.*) *sacerdotesque suscipiebant sanguinem aspergendum de manibus Leuitarum.*

Vers. 17. *Quia multi erant in congregatione qui nõ sanctificauerant se.* Non de sanguine agni paschalis est sermo, sed de sanguine victimarum quæ offerebãtur in templo: nam agnus paschalis vbiq; in omnibus domibus Ierusalem offerebatur: & sanguis eius in superliminatibus & postibus domus ponebatur, nec aspergebatur per sacerdotes in altari. Est itaque sensus literæ, quòd quia multi sanctificati non erant qui tamen offerebant victimas, ideo in actu offerẽdi Leuitæ supplebant officium quod debebat fieri per offerentes mundos, & propterea corrigẽda est continuatio literæ subiunctæ. *& idcirco immolabant Leuitæ phasea qui non occurrerant sanctificari Domino.*] nã Hebr. habetur: *& Leuitæ super iugulationẽ paschatum in omni immundo ad sanctificandum Iehouah.* Diuersa a præcedenti est hæc sententia tractans de alio officio supplero a Leuitis: videlicet officio iugulãdi agnos paschales apud immundos: iuxta legis siquidẽ ritum nec sacerdos nec Leuita requirebatur ad immolandũ pascha in domo in qua immolabatur, sed paterfamilias mũdus iugulabat agnũ: verùm existente multitudine immũda deerat mũdus iugulator in multis domibus, quia nec paterfamilias nec alius in illa domo mũdus aderat: & propterea Leuitæ suppleuerũt officiũ iugulãdi apud immũdos.

Leuitæ supplenerunt officium iugulandi agnos paschales apud immundos.

Vers. 18. *Magna enim pars populi.*] Hebr. habetur: *Quia multitudo populi multitudo de Ephraim & Manasse Issachar & Zebulun non se mundauerunt.* Ratio quare oportuit Leuitas supplere officiũ iugulandi pascha, redditur multitudo immundorum. Deinde immediatè subiungitur. *Quia comederunt pascha non sicut scriptum.*] Vide disparitatẽ: multitudo immunda non præsũpsit iugulare pascha, comedit tamen pascha non secundũ quod scriptũ est: hoc est carens munditia requisita à lege scripta. Et ratio disparitatis fuit, quia iugulatio paschæ erat præcipua actio paschalis sacrificij: quia igitur multitudo immunda comedit pascha & nõ præsumebat iugulare, Leuitæ officium iugulandi suppleuerunt. *Et orauit pro eis.*] Hebr. habetur: *quia orauit Iechizci-iahu super eos dicendo.* Contextus insinuat quòd prius Ezechias orauit pro eis quã isti immundi præsumerent comedere pascha: nam ratio comestionis redditur, dicẽdo *quia orauit Ezechias. Dominus bonus propitiabitur.*

Iugulatio agni erat præcipua actio paschalis Sacrificij.

Vers. 19. *Cunctis qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrũ suorum.*] Deficit vna dictio: legendũ est: *Omnis qui direxit cor suum ad quærendum Elohe patrum suorum.* Describit immũdos qui venerãt ad diuinũ cultum secundum cor: quòd videlicet totũ cor direxerint ad quærendum in gubernatorem & iudicem, fontem essendi iudicem & gubernatorẽ patrum suorum. *Et nõ imputabit eis quòd minus sanctificati sunt.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et non sicut mundificatio sanctitatis.* Cõfidit Ezechias (supplicando tamen) quòd summus Deus bonitate suã præferet integritatem cordis munditię requisitæ secundùm sanctitatem legitimam: ita quòd propitiabitur istis immundis legaliter, mundis autem corde.

Vers. 20. *Exaudiuitque Dominus Iechizci iahu.* Testimonium hoc sufficit. *Et placatus est populo.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et sanauit populum.* Quia nullius ægritudinis mentio facta est, sed solius immũditiæ legalis, ignotum remanet à quo morbo sanauerit Deus populum. Sensibile tamen sanitatis signum interuenisse credendum est: alioquin orationis Ezechiæ exauditio occulta fuisset, nec securi comedissent isti pascha, nec magna lætitia subiuncta verificaretur.

Vers. 21. *Fecerúntq; filij Israel qui inuenti sunt in Ierusalaim solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia magna: & laudabãt Dominũ per singulos dies Leuitæ & sacerdotes in vasis fortitudinis Domino.*

Septem dies azymorum in lætitia magna.

Vers. 22. *Et locutus est Iechizci-iahu ad cor omniũ Leuitarũ qui habebãt intelligentiã bonã super Dominũ.*] Hoc est, locutus est verba penetrantia vsq; ad cor, vt curã populi instruendi susciperent & cõtinuarẽt: ideo enim Leuitarũ dumtaxat pollẽtium bona Dei intelligentia fit mentio. Vnde & duo effectus subiunguntur: alter quòd septẽ diebus perseuerauit populus vacando sacrificiis & cõfessioni: alter quòd septẽ alios dies addiderunt. *Et comederunt septẽ diebus solẽnitatis.*] Iuxta Hebr. habetur: *& comederunt præparationẽ septẽ diebus.* Præparatio comedenda septem diebus paschæ, est panis azymus secundum legem Mosis. *Immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominũ Deũ.*] Hebr. habetur: *Et confitentes se Domino Deo patrum suorum.* proculdubio peccasse summo Deo.

Vers. 23. *Placuitq; vniuersæ multitudini vt celebrarent.*] Hebr. habetur. *Et consiliatus fuerunt totus cœtus facere septem diebus alios.* Instruentibus Leuitis prędictis, vt magis firmaretur populus in cultu summi Dei & magis simul doceretur quæ sunt diuinæ legis. *& fecerunt septem diebus in lætitia.*

Septem alios diebus solemnitas prorogata.

Quia Chizci-iahu rex Iehuda dedit cœtui mille

tauros

tauros & septem millia ouium, & principes dederunt cœtui tauros mille & ouium decem millia: sanctificatique sunt sacerdotes in multitudine.

Vers. 25. *Et lætati sunt totus & Iehuda & sacerdotes cœtus Leuitæ, & totus qui venerat de Israel: proselytique qui venerãt de terra Israel, & habitãtes in Iehuda.*

Vers. 26. *Factáque est celebritas.*) Hebraicè habetur: *lætitia magna) in Ierusalaim: quia à diebus Salomonis filij Dauid regis Israel non sicut hæc in Ierusalaim.* Ita quòd non celebritas, sed lætitia narratur excedens omnem aliam lætitiam paschalem à tempore Salomonis. Et in promptu erat ratio: quia tot annis intermissa fuerat, & Israel post mortem Salomonis numquam conuenerat ad pascha inhibentibus regibus Israel.

Vers. 27. *Surrexerunt autem sacerdotes atque Leuitæ.*] Iuxta Hebræum legitur absque nota coniunctionis. *Sacerdotes Leuitæ.*] hoc est Leuiticæ tribus: *Et benedixerunt populo.*] ad sacerdotes enim filios Aharon spectabat benedicere populo: vt patet Num. 6.

Et exaudita est vox eorum & pervenit oratio eorum ad habitaculum sanctum eius ad cœlum.] Testimonium scripturæ sat est, si quæris quomodo cognitum est, respondeo quòd Spiritus sanctus est auctor Scripturæ sacræ qui omnia nouit & scriptori reuelauit ex illa oratione Deum benedixisse populo. Et bene nota quòd multiplicatio frugum scripta in sequenti capitulo nota fuit ad sensum: sed quòd fuerit fructus istius sacerdotalis benedictionis, ex reuelatione cognitum fuit.

Spiritus sanctus auctor Scripturæ sacræ.

CAPVT XXXI.

Vers. 1. *VImque perfecissent totum hoc, egressus est totus Israel qui inuentus est in ciuitatibus Iehuda, & fregerunt simulacra, & succiderunt lucos & demolita sunt excelsa & altaria de toto Iehuda & Beniamin & in Ephraim & Manasse vsque ad consumptionem.*] Hinc quoque apparet quòd post destructum regnum Samariæ hæc gesta sunt.

Reuersique sunt omnes filij Israel vnusquisque ad possessionem suam ad ciuitates suas.

Vers. 2. *Ezechias restituit Ministros Templi.* *Iechizechiahu vero constituit diuisiones sacerdotum & Leuitarum super diuisiones eorum: vnumquemque in officio proprio tam sacerdotum quàm Leuitarum ad holocaustum & pacifica: & ad ministrandum & confitendum & ad laudandum in portis castrorum Domini.*] Castra domini appellantur septa templi in quibus habitabant ministrantes diuino cultui.

Vers. 3 *Pars autem regis eorum erat.* (Superfluit *eorum*) *vt de eius substantia offerrentur holocausta mane & vesperi & holocausta sabbatorum & calendarum & solemnitatum: sicut scriptum est in lege Domini.*] Manifestatur quòd Ezechias suscepit in se onus prouidendi de iugi holocausto, & de holocaustis sabbatorum, calendarum & reliquarum solemnitatum legis.

Vers. 4. *Præcepitque populo habitanti in Ierusalaim.*] Cœpit facere, deinde docere & præcipere.

Vt darent partes sacerdotibus & Leuitis.] Hebr. habetur: *dare partem sacerdotum & Leuitarum.* hoc est ea quæ secundum legem debebant dari tum sacerdotibus tum Leuitis: quæ scripta sunt in lege Mosis diffuse.

Vt possent vacare legi Domini.] Hic est finis & ratio qua ministris diuini cultus debentur subsidia à populo.

Quod cum percrebruisset in auribus multitudinis.] Vers. 5. Hebraice habetur: *Et sicut multiplicabitur res, multiplicauerunt filij Israel primitias frumenti vini & olei & mellis* Narratur quòd inchoatâ & multiplicatâ oblatione ab habitatoribus Ierusalem, moti eorum exemplo filij Israel alibi habitantes multiplicauerunt & ipsi offerendo primitias.

Et omnium quæ gignit humus.] Hebraicè habetur: *Et omnis fructus agri.* quod minus esse perspicuum est. Deinde immediatè sequitur.

Et decimam omnis in multitudine attulerunt. Prius dixit de primitiis; & posteà subiunxit de decimis, & quemadmodum prius narrauit primitias oblatas ab habitatoribus Ierusalem & deinde ab aliis, ita & de decimis intelligendum est. Vnde & subiungitur imitatio habitatorum extra Ierusalem quoad decimas animalium.

Filiique Israel & Iehuda habitantes in ciuitatibus Iehuda etiam ipsi decimam boum & ouium decimámque sanctorum quæ vouerant Domino Deo suo, obtulerunt.] Hebraicè habetur: *Et decimam sanctitatum sanctificatarum Iehouah Eloha eorum, attulerunt.* Leuitæ debebant sacerdotibus decimam decimæ: & hæc sacerdotum portio appellatur *sanctitas sanctificatorum*, quoniam ex sanctificatis Deo decimis datis à populo Leuitis, sumebatur hæc decima sanctificata Deo pro sacerdotibus. Et manifestatur per hoc quòd Leuitæ quoque attulerunt debitam decimam sacerdotibus. Vers. 6.

Leuitæ decimam decimæ Sacerdotibus debebant.

Et posuerunt aceruatim

Mense tertio cœperunt aceruorum iacere fundamenta.] Hebraicè habetur: *inceperunt aceruare in fundamento.* hoc est prima principia aceruorum: *Et mense septimo compleuerunt.* Vers. 7.

Venerunt autem Iechizechiahu & principes, & viderunt aceruos: benedixerúntque Domino & populo eius Israel. Vers. 8.

Et interrogauit Iechizechiahu sacerdotes & Leuitas de aceruis. Vers. 9.

Respondítque ei Hazar-iahu sacerdos primus de domo Zadoc, & dixit: ex quo cœpit oblatio afferri in domum Domini, comedimus & saturati sumus & superfuit in multitudine, eo quod benedixit Dominus populo suo & superesse fecit copia hanc.] Vers. 10. Ecce fructus diuinę benedictionis per sacerdotes factæ, vt narratum est in præcedenti capitulo.

Præcepitque Iechizechiahu præparare cellaria in domo Domini: & præparauerunt. Vers. 11.

Intulerúntque oblationes & decimas & quæcunque vouerant.] Hebr. habetur: *& sanctitates in fide.* Significantur autem decimæ decimarum suprà dictæ: *Fuítque præfectus super ea Chanan-iahu Leuita & Simhi frater eius secundus.* Vers. 12.

Et Iechiel & Hazaziahu & Nachath & Hasael & Ierimoth & Iozabad & Eliel & Isimachiahu, & Machath & Benaiahu, præpositi de manu Chananiahu & Simhi fratris eius, ex imperio Iechizechiahu regis & Hazariahu Pontificis domus Domini.] Hebraicè habetur *ducis domus Elohim.* caput enim domus Dei significat. *ad quam omnia pertinebat.* [Nō habetur hæc adiectio in Hebræo. Vers. 13.

Core vero filius Iemne Leuita ianitor orientalis portæ præpositus erat his quæ sponte offerebantur Domino. Nomen est Iehoh.) *rem tritam & consecratis in sanctis sanctorum.*] Iuxta Hebr. habetur, *ad dandũ elevationem Iehouah & sanctitatẽ sanctitatũ.* Exponitur inter spõte oblata comprehendi Vers. 14.

tunc tam primitias quæ eleuabantur Deo, quàm decimas decimarum: ad manifestandum quod quamuis hæc secundum legem deberentur, non tamen tunc exigebantur, sed sponte offerebantur.

Vers. 15. *Et sub cura eius.*] Non malè interpretatur quod Hebraicè scribitur: *Et super manum eius.* quia significatur quòd manu (hoc est gubernatione eius) innitebantur subiuncti viri distributores in vicibus sacerdotum in fine: hoc est absque exacta supputatione.

Heden & Min-iamin & Iesuah & Semah-iahu & Amar-iahu & Sechan-iahu in ciuitatibus sacerdotum in fide: ad dandum fratribus suis in diuisionibus, sicut magno sic parvo.

Vers. 16. *Excepto maribus ab annis trium & supra.*] Hebraice habetur: *Absque genealogia eorum maribus a filio trium annorum & supra.* Aduerte & discerne disparitatem inter sacerdotes ac Leuitas absque discussâ illorum genealogiâ & eosdem discussâ eorum genealogia, penès hoc quòd sine discussione genealogiæ distributio fiebat ministris actualiter ministrantibus, & illorum filiis maribus trium annorum & supra dumtaxat: ministris autem sacerdotibus (hoc est filiis Aharon) & Leuitis à vigesimo anno & supra discussa eorum genealogia distributio fiebat etiam pro vxoribus & filiabus. Et non est sermo de genealogia quoad patres, auos & atauos: sed quoad numerum filiorum. Hanc sententiam sonat Hebraica litera, subiungendo.

Disparitas inter Sacerdotes ac Leuitas non discussâ genealogiâ. & eosdem discussâ.

Omni vementi ad domum Iehouah rem de die in diem suam: ad ministerium suum in custodiis suis, in diuisionibus suis.] Conditiones narrantur eorum quibus absque discussa genealogia distribuebatur res eis debita: & modus, videlicet de die in diem. Deinde immediatè sequitur.

Vers. 17. *Et cum genealogia sacerdotes per domum patrũ suorum & Leuita, a filio viginti annorum & supra: in custodiis suis in diuisionibus suis.*] Alterum è regione præcedentis membrum subiungitur: videlicet Leuitæ à viginti annis & supra, iuxta ordinè decretum à Dauide & sacerdotes: vtrique tamen in custodiis suis (hoc est temporibus illis deputatis iuxta diuisiones statutas tempore Dauidis) vtrique inquam genealogiâ eorum discussâ. Et de istis subiungitur:

Vers. 18. *Et existentibus cum genealogia vniuersa familiæ eorum, vxoribus eorum, & filiis eorum, & filiabus eorum: omnis congregationi, quia in fide eorum sanctificabant se sanctitate.* Duo scribuntur: alterum quòd istis quorum genealogia erat discussa distribuebatur pro tota familia, vxoribus &c. alterum toti congregationi tam primi membri quàm secundi distribuebatur quia fideles habebantur ad sanctificationis mundiciam, ita vt non permitterent immundos participare nec fraudem in his committi.

Vers. 19. *Sed & filiorum Aharon.*] Hebraicè habetur in casu dativo. *Et filiis Aharon sacerdotibus in agris suburbani ciuitatum eorum in omni ciuitate.*] Hactenus tractatum est de distributione quæ fiebat sacerdotibus & Leuitis ministrantibus: modò tractatur de distributione quæ fiebat sacerdotibus & Leuitis in agris suburbanorum & ciuitatibus habitantibus. *Disposita erant viri.*] Hebraicè habetur. *viri qui fuerunt nominati nominibus.* hoc est viri optimè noti, bonæ famæ distributores erant. *Qui partes distribuerent vniuerso sexui masculino de sacerdotibus & Leuitis.*] Non solùm malè contexta sed mancà est litera: nam præcedentis sententiæ pars est de sacerdotibus: clarè enim in Hebræo dicitur *omni masculo sacerdotum*: deinde immediatè subditur: *Et omni existenti cum genealogia in Leuitis.*] Clara disparitas exprimitur: videlicet quòd in genere sacerdotali dabatur pars omni masculo, in genere autem Leuitico non nisi existenti cum genealogia discussa.

Fecitque sic hoc Ieehizci-iahu in toto Iehuda: & fecit bonum, sibi & aliis. *& rectum,* in actione. *& verum.* secundum intellectum, *coram Domino Deo suo.* teste Deo. Vers. 20.

In vniuersa cultura ministerij domus Domini iuxta legem & cæremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo: fecitque & prosperatus est.] Hebr. habetur: *Et in omni opere quod incepit in ministerio domus Elohim & in lege & in præcepto ad quærendum Elohe suum: in toto corde suo fecit & prosperabitur.*] Effectus operis prosperitas significatur in futuro, quia futura fuit respectu boni operis: sic enim infinities Hebræi loquuntur. Vers. 21.

CAPVT XXXII.

POst res & veritatem istas venit Sancherib rex Assur.] Significatur post veritatem vitæ iustitiæ, & doctrinæ Ezechiæ superuenisse bellum describitur ne peccato Ezechiæ imputaretur huiusmodi afflictio subiuncta. Vers. 1. *Sennacherib Rex. Ezechias bellum infert Isaiæ.*

Et ingressus est Iehudam: & obsedit ciuitates munitas.] Hebr. habetur: *Et ecce irruens venit super ciuitates arcium.* Non venit recto tramite ad Ierusalem, sed ad ciuitates fortes regni.

Volens eas capere.] Hebr. habetur: *Et dixit ad scindendum eas sibi.* hoc est decreuit septem ciuitates munitas à Ierusalem ad hoc vt subiceret eas sibi simul cum reliquo regno Israel. Erat enim Dominus regni Israel: nam quartodecimo anno regni Ezechiæ hoc gestum est.

Vidit autem Iechizci-iahu venisse Sancherib, & faciem eius esse ad bellũ contra Ierusalem.] Quarti Reg. 18. narratur quòd ille rex Assyriorum cepit ciuitates munitas regni Iudæ, quod hic tacetur. Et similiter tacetur Ezechiam petisse veniam à rege Assyriorum, & dedisse ei magnam auri & argenti summam quam Sancherib petiit. Post hæc enim adhuc Sancherib obsidente ciuitatem Lachis, & acceptâ tantâ auri & argenti summâ frangente fidem, gestum est quod hîc scribitur: videlicet quòd vidit Ezechias faciem regis Assyriorum ad bellandum contra Ierusalem. Vers. 2.

Et inito cum principibus consilio virisque fortissimis vt obturarent capita fontium qui erant extra vrbem: & hoc omnium decernente sententia.] Hebr. habetur: *Et consiliatus est cum principibus suis & potentibus suis ad obturandum aquas fontium qui erant extra ciuitatem: & adiuuerunt eum.*] Principes vtique fortes. Vers. 3.

Congregatúsque est populus multus, & obturauit omnes fontes, & riuum qui fluebat.] Hebr. habetur: *& torrentem inundantem in medio terræ.* proculdubio extra ciuitatem. Vers. 4. *Ezechias in Sennacherib sæuientis.*

Dicendo: cur venient reges Assur, & inuenient aquas multas?

Confortatúsque est, & ædificauit omnẽ murum diruũ & extruxit turres desuper & forinsecus muro alterum, & roborauit Millo ciuitatis Dauid: & fecit vniuersi generis armaturam.] Hebr. habetur: *Et fecit* Vers. 5.

armaturam

arm aturam in multitudine & clypeos. nec vniuerſæ ſpecies armorum explicantur.

Verſ. 6. *Conſtituítque Principes bellatorum vt exercitu.*] Hebraicè habetur: *Et poſuit Principes bellorum ſuper populum.* cuncta enim ſecundum humanã prouidentiam rectè diſpoſuit,& extra & intus.

Et conuocauit eos ad ſe in plateam portæ ciuitatis, & locutus eſt ad cor eorum dicendo. hoc eſt verba penetrantia corda dixit.

Verſ. 7. *Roboramini & confortamini, non timeatis nec paueatis à facie regis Aſſur, & à facie totius turbæ quæ eſt cum eo: quia plures ſunt nobiſcum quàm cũ eo.* Verbis Eliſæi Prophetæ vſus eſt, confiſus in diuino auxilio: quod & rei probauit euentus: ſonant enim verba hæc multitudinem Angelorum adeſſe illis, vt Eliſæus 4. Reg. 6. eiſdem verbis ſignificauit.

Angelorum multitudinẽ ſibi adeſſe ſignificat Ezechias.

Verſ. 8. *Cum ipſo eſt brachium carneum, & nobiſcum eſt Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnatque pro nobis.*] Hebraïce habetur: *Ad auxiuandum nos & ad præliandum prælia noſtra.* ſed ſententia in idem redit.

Confortatúſque eſt populus huiuſmodi verbis.] Hebraicè habetur: *Et fuerunt innixi populus ſuper verba Iechizci-iahu Regis Iehuda.* Fructus verborum Ezechiæ manifeſtatur tantus quòd populus innixus eſt diuino auxilio per verba Ezechiel prolato.

Verſ. 9. *Poſt hæc miſit Sancherib Rex Aſſur ſeruos ſuos in Ieruſalaim (ipſe enim cum vniuerſo exercitu obſidebat Lachis.* Quæſtio oritur: quoniam quarti Regum decimooctauo contrarium ſonat litera, dicens quòd Rex Aſſyriorum miſit de Lachis Rabſacem cum exercitu graui in Ieruſalem ad Ezechiam: quomodo ergo verificatur quòd ipſe Sancherib cum vniuerſa potentia ſua obſidebat Lachis? Solutio eſt quòd Rabſaces miſſus tanquam nuncius tempore obſidionis Lachis venit ſine exercitu, vt hîc ſcribitur: ſed ſtatim capta ciuitate Lachis miſit rex partem exercitus poſt Rabſacem ad Ieruſalem vt in libro Regum ſcribitur: & ipſe rex cum parte exercitus iuit ad debellandum ciuitatem Libnam, vt ex ſcriptis quarti Regum decimonono colligitur.) *ad Iechizci-iahu Regem Iehuda & ad totum Iehudam qui erat in Ieruſalaim dicendo.*

Quomodo de Lachis Rabſacem miſerit in Ieruſalem Sennacherib?

Verſ. 10. *Sic dixit Sancherib Rex Aſſur: In quo habetis fiduciam, & ſedetis obſeſſi in Ieruſalaim?*

Verſ. 11. *Nónne Iechizci-iahu decepit vos vt tradat vos ad moriendum fame & ſiti, dicendo: Dominus Deus noſter liberabit nos de manu Regis Aſſur?*

Verſ. 12. *Nónne ipſe Iechizci-iahu abſtulit excelſa & altaria eius, & præcepit & Iehuda Ieruſalaim dicendo, coram altari vno adorabitis & ſuper illud thurificabitis?* Vide hæc expoſita 4. Regum decimooctauo.]

Verſ. 13. *Nónne cognoſcitis quæ fecerim ego & patres mei omnibus populis terrarum? an valendo valuerunt Dij gentium terrarum liberare terram ſuam de manu mea?*

Verſ. 14. *Quis eſt in omnibus Diis gentium iſtarum quas vaſtauerunt patres mei qui potuerit liberare populum ſuum de manu mea, vt poſſit Deus veſter liberare vos de manu mea?*

Verſ. 15. *Nunc ergo non decipiat vos Chizci-iahu & non perſuadeat vobis ſicut hoc, neque credatis ei: ſi nullus Deus cuiuuis gentis & regni potuit liberare populum ſuum de manu mea & de manu patrum meorum, quanto magis Dij veſtri non liberabunt vos de manu mea?*

Et adhuc locuti ſunt ſerui eius contra Dominum Verſ. 16. *Deum & contra Iechizci-iahu ſeruum eius.*

Epiſtolas quoque ſcripſit blaſphemia plenas in Verſ. 17. *Dominum Deum Iſrael: & locutus eſt contra eum dicendo, ſicut Dij gentium terrarum non potuerũt liberare populum ſuum de manu mea, ſic Deus Iechizci-iahu non poterit liberare populum ſuum de manu mea.*] Hoc fuit in receſſu Sancherib de Iudæa ad reſiſtendum Regi Æthiopiæ: & geſta circa hanc epiſtolam ſcripta ſunt, 4. Reg. 19.

Et clamauerũt voce magna Iehudaicè contra po- Verſ. 18. *pulum Ieruſalaim qui erat ſuper murum.*] Author libri non ſeruat ordinem rei geſtæ: nam hoc fuit ante miſſas literas, vt liber Regum ſonat.

Vt terrerent eos.] Deficit, *& ad attonitos reddendum eos,* ita quòd & timidos & attonitos efficere nitebantur Iudæos: *vt caperent ciuitatem.*

Et locuti ſunt contra Elohe Ieruſalaim ſicut cõ- Verſ. 19. *tra Deos populorum terræ, opera manuum hominis.*

Oranítque Iechizci-iahu Rex & Ieſaiah-iahu fi- Verſ. 20. *lius Amoz Propheta aduerſum hanc blaſphemiam: & vociferati ſunt vſque in cælum.* nõ clamore corporalis vocis, ſed interno affectu cordis.

Miſítque Dominus Angelum, & excidit omnẽ Verſ. 21. *potentiam viribus & Ducem & Principem in caſtris Regis Aſſur.* Iſta Angeli miſſio fuit non tũc, ſed poſt biennium quando Rex Aſſyriorum iterum miſit exercitum ſuum contra Ieruſalem: vt in. 4. Reg. cap. 19. ſcribitur.

Iſta Angeli miſſio fuit poſt biennii.

Reuerſúſque eſt cum ignominia.] Hebraïcè habetur: *& reuerſus eſt in verecundia faciei in terram ſuam.* confuſus ſiquidem ad inſtar erubeſcentium reuerſus deſcribitur qui iactauerat ſe cõtra Deum Iſraël prævaliturum. 4. Reg. 19.

Cúmque ingreſſus eſſet domum Dei ſui, qui exierãt de viſceribus eius ibi interfecerunt eum gladio.

Saluauítque Dominus Iechizci-iahu & habita- Verſ. 22. *tores Ieruſalaim de manu Sancherib Regis Aſſur & de manu omnium: & præſtitit eis requiem per circuítum.*]

Multi etiam deferebant hoſtias & ſacrificia.] Verſ. 23. Hebraïcè habetur: *Et multi afferentes munus Domino in Ieruſalaim.* nec deſcenditur ad ſpeciem muneris.

Et munera.] Hebraïcè habetur: *& poma Iechizci-iahu Regis Iehuda: & exaltatus eſt in oculis omnium gentium poſt ſic.* Sed vt alias dictum eſt appellatione pomorum intelliguntur pretioſa: effectus ſiquidem ſubſecuti ex mirabili occaſione exercitus Sancherib, deſcribuntur in aliis tum relatiuè ad Deum, tum relatiuè ad Ezechiam.

Pomorum nomine pretioſa intelligit.

In diebus illis ægrotauit Iechizci-iahu vſque ad Verſ. 24. *mortem.*] Quarti Reg. 20. hiſtoria hæc tractata eſt: vbi vide expoſitum etiam ſignum datum. 4. Reg. 20.

Oranítque Dominum, & exaudiuit eum, & dedit ei ſignum.

Et non iuxta beneficia quæ acceperat retribuit Ie- Verſ. 25. *chizci-iahu: quia eleuatum eſt cor eius.*] Teſtatur ſcriptura non ſolùm exteriori vanitate ſed etiam internâ elatione animi peccaſſe Ezechiam cùm venerunt ad eum legati à Rege Babylonis. Hiſtoria tractata eſt quarti Regum 20.

Vanitas Ezechiæ.

Et facta eſt contra eum ira, & contra Iehudam.] Vindicta per Eſaiam prophetam annunciata Ezechiæ ibidem ſcripta commemoratur.

Humiliatúſque eſt Iechizci-iahu in exaltatione Verſ. 26. *cordis ſui, ipſe & habitatores Ieruſalaim.*] Humilitas ipſius Ezechiæ ibidem legitur: humilitas autem habitatorem Ieruſalem hîc primum ſcribitur. Et per hoc ſimul inſinuatur quòd etiam

habitatores Ieruſalem elati ſunt corde in aduentu illorum Legatorum: ita quòd peccatum fuit commune Regi & habitatoribus Ieruſalem. Irrepſit autem elatio ex hoc quòd à tam remotis partibus venirent Legati admirantes celſitudinem Regis Ezechiæ apud Deum Iſrael tantam vt ſol retroceſſiſſet propter eum.

Vnde?

Et idcirco non venit ſuper eos ira Domini in diebus Iechizci-iahu. Ratio redditur dilatæ vindictæ ex diuina clementia ſuſcipiente pœnitens cor regis & populi. Dilata autem fuit vſque ad tempus filiorum Ioſiæ regis: vt inferiùs patebit.

Verſ. 27. *Habuitque Iechizci-iahu diuitias & honorem multum valde: & theſauros fecit ſibi argenti & auri & lapidum precioſorum & aromatum & armorum vniuerſi generis.*] Hebraicè habetur: *& clypeorum* nec aliud dicitur de armis: *& omnium vaſorum deſiderabilium.*

Verſ. 28. *Et apothecas frumenti & vini & olei: & præſepia omnium iumentorum, & caulas pecorum.*

Verſ. 29. *Ciuitates quoque fecit ſibi, & greges ouium & boum in multitudine: quia dederat ei Deus ſubſtantiam multam valde.*

Verſ. 30. *Et ipſe Iechizci-iahu obturauit exitum aquarum Gihon ſuperiorem, & direxit eas ſubter ad occidentem ciuitatis Dauid: & proſperatum eſt Iechizci-iahu in omni opere ſuo.*

Verſ. 31. *Attamen in legatione principum Babylonis, qui miſſi fuerant ad eum vt interrogarent de portento quod acciderat ſuper terram, dereliquit eum Deus vt tentaretur & nota fierent omnia quæ erant in corde eius.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et ſic in interpretibus principum Babel miſſis ad eum ad quærendum mirabile quod fuit in terra, reliquit eum Elohim: ad tentandum eum ad ſciendum omne in corde eius.* Multa hîc manifeſtantur: primum quòd per interpretes habitus eſt ſermo cum legatis. Scito tamen quòd dictio interpretata *miſſis*, poteſt referri ad interpretes, poteſt enim legi *miſſorum*: ita quòd venerint magnates cũ interpretibus, vel venerint interpretes miſſi à principibus. Nec eſt dubium quòd de mirabili retrocеſſione ſolis quæſituri venerint ad agnoſcendum ſeriem rei geſtæ ex ore ipſius Ezechiæ regis. Derelictio autem Ezechiæ à ſupremo iudice nihil aliud eſt quàm negatio gratuiti auxilij relinquendo Ezechiam ipſimet Ezechiæ in aduentu illorum Legatorum: & hoc ad tentandum ipſum Ezechiam (hoc eſt ad inſtar tentantis quantum valent vires Ezechiæ ad benefaciendum, ad non peccandum in huiuſmodi laudibus) vt hinc ad inſtar experientiâ comprobantis ſciret quicquid erat in corde Ezechiæ.

Derelictio Ezechiæ à Deo, quæ?

Deo quomodo tribuantur: relinquere, tentare ſcire?

Aduerte prudens lector quòd iſtarum trium actionum attributarum Deo (videlicet relinquere, tentare & ſcire) prima duntaxat conuenit Deo propriè: aliæ vero duę metaphoricè attribuuntur Deo hîc, quemadmodum & iraſci & pœnitere: dicitur enim Deus tentaſſe Ezechiam & inde cognouiſſe cor eius elatum, quia ad inſtar tentantis & experientia cognoſcentis, effectum fecit: videlicet in manifeſtum producere valorem rei quæ probatur: manifeſtauit enim quantum valeret cor Ezechiæ ad aliorum exemplum, & vt ipſe Ezechias noſſet ſeipſum & humilis corde pœnitens emergeret.

Verſ. 32. *Reliqua autem verborum Iechizci-iahu & gratiæ eius: ecce ipſa ſcripta ſunt in viſione Eſaiæ-iahu filij Amoz prophetæ & in libro.* Legendum eſt ſine *&*, *in libro Regum Iehuda & Iſraël.* Sonat ſiquidem litera Eſaiam feciſſe librum regum Iudæ & Iſrael, quo careamus.

Verſ. 33. *Dormiuitque Iehizci-iahu cum patribus ſuis, & ſepeliuerunt eum ſuper ſepulchra.*] Hebraicè habetur: *In optimo ſepulchrorum filiorum Dauid.* Electus locus cæteris ex ſtirpe Dauidis præſtantior propter Ezechiæ merita narratur.

Et celebrauit exequias eius.] Hebraicè habetur: *& honorem fecerunt ei in morte eius totus Iehuda & habitatores Ieruſalaim*: ita quòd à toto regno honoratus eſt mortuus, & non ſolum à Ieroſolyma: *& regnauit Menaſſes filius eius pro eo.*

CAPVT XXXIII.

Vers. 1. Manaſſes filius Ezechiæ regnat in Ieruſalem. *Filius duodecim annorum erat Menaſſes cum regnare cœpit, & quinquaginta quinque annis regnauit in Ieruſalaim.*

Verſ. 2. *Fecitque malum in oculis Domini: iuxta abominationes gentium quas expulit Dominus a facie filiorum Iſrael.*

Verſ. 3. *Et conuerſus* (Iuxta Hebræum habetur: *Et reuerſus eſt &*) *ædificauit excelſa quæ demolitus fuerat Iechizci-iahu pater eius.* Quatenus rex, reuerſus dicitur ad idololatriam aut à qua receſſerat pater eius Ezechias.

Exercitus cæli ſunt aſtra. *Et erexit aras Behalim & fecit lucos, & adorauit omnem militiam.* (Hebraicè habetur: *exercitum*) *cæli*: ſolem videlicet lunam & ſtellas: *& coluit eos.*

Verſ. 4. *Ædificauitque altaria in domo Domini: de qua dixerat Dominus, in Ieruſalaim erit nomen meum in æternum.*

Verſ. 5. *Et ædificauit aras toti exercitui cæli, in duobus atriis domus domini.*

Verſ. 6. *Tranſiitque facit filios ſuos per igem in valle Ben-hinnom, & obſeruabat ſomnia.*] Hebraicè habetur: *tempora.* Deinde immediatè ſubiunguntur incantationes, maleficia, pythones & magi: quæ interpres aliis vocabulis protulit. Iniquitas regis Manaſſe.

Et ſectabatur auguria & maleficis artibus inſeruiebat, & habebat ſecum Magos & incantatores: multiplicauit facere malum in oculis Domini irritando eum.

Verſ. 7. *Sculptile quoque & conflatile ſignum quod fecerat.* (Hebraicè nihil habetur de conflatili.) *poſuit in domo Domini.*] Nomen eſt *Elohim* tam hîc quàm cùm ſubiungitur, locutus eſt dominus.

De qua dixit Deus ad Dauid & ad Selomonem filium eius, in domo hac & in Ieruſalaim quam elegi de omnibus tribubus Iſrael ponam nomen meum in æternum.

Verſ. 8. *Et non addam vt moueri faciam pedem Iſrael de terra quam tradidi patribus eorum: duntaxat ſi cuſtodierint facere omnia quæ præcepi eis, totam legem & ſtatuta & iudicia in manu Moyſis.*

Verſ. 9. *Igitur Menaſſes ſeduxit.* (Hebraice habetur. *Et fecit errare Menaſſes*) *Iehudam & habitatores Ieruſalaim: vt facerent malum præ gentibus quas ſubuerterat Dominus à facie filiorum Iſrael.* Maior iniquitas quam fuerit iniquitas Ethnicorum attribuitur regi, tanquam indaci eius populum ad tantum ſcelus.

Verſ. 10. *Locutuſque eſt Dominus ad Menaſſen & ad populum*

populum eius. proculdubio per prophetas. *& attendere noluerunt.*

Vers. 11. *Et adduxit Dominus super eos principes exercitus regis Assur: ceperúntque Manassem, & vinxerunt eum compedibus & duxerunt eum in Babel.*] Historia Manassis scripta est & tractata quarti Reg. 21. sed ista captiuitas ibi non fuit scripta: nõ ipse rex Assyriorum venit, sed principes exercitus eius venerunt aduersùs Manassem. Modus autem quo ceperunt Manassem, non est authenticè scriptus: Iosephus tamen dicit fuisse eum dolo captum: nihil enim scribitur de conflictu bellico, sed duntaxat quòd captus & vinctus ductus est in Babylonem. Nec scitur quoto anno regni eius hoc acciderit.

4. Reg. 21. *Manasses vinctus ductus est in Babylonem.*

Vers. 12. *Qui postquam coangustatus est.* (Hebraicè habetur. *Et angustando eum*) *orauit faciem Domini Dei sui.*] Quales fuerint angustiæ illatæ vincto regi nescimus: sed quod angustantibus eum orauit summum Deum.

Agens pœnitentiam

Et egit pœnitentiam valde coram Deo.] Hebraïcè habetur: *& humiliatus est valde a facie Eloha patrum suorum.* Vexatio dedit intellectum vt resipisceret.

Vers. 13. *Orauitque ad eum & obsecrauit intentè, & exaudiuit deprecationem eius:*] Verè clementissimus Deus & promptus ad miserendum.

Regno restituitur.

Reduxitque eum in Ierusalem in regnum suum.] Modus quo rex Assyriorum restituit eum in regnum, non est scriptus: tempus autem carceris insinuatur breuissimum, ex eo quòd nullus legitur electus rex interim in Ierusalem.

Et cognouit Manasses quòd Iehouah ipse Elohim.] Collata idololatriâ priore cum beneficio accepto à summo Deo statim vt resipuit, cognouit quod Iehouah in lege Mosis & in prophetis prædicatus creator cœlorum & terræ, ipse est gubernator & iudex omnium. Et hinc insinuatur quòd Manasses prius non credebat summum Deum gubernare hæc humana: & propterea tantam iniquitatum molem construxit.

Vers. 14. *Et post hæc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid ad Occidentem Ghichon in torrẽte & ad introitum in portam piscium & circumdedit Hophel, & exaltauit ipsum valde: constituitque principes exercitus in omnibus ciuitatibus munitis in Iehuda.*

Vers. 15. *Et abstulit deos alienos & simulachrum de domo Domini.* Ecce effectus veræ pœnitentiæ. *& omnes aras quas extruxerat in monte domus Domini.* hoc est in monte Mori-iah. *& in Ierusalem: & proiecit extra ciuitatem.*

Vers. 16. *Ædificauitque altare Domini, & immolauit super illud victimas pacificorum & laudem*] hoc est munera pro libertatis beneficio recepto. *præcepítque Iudæ vt seruaret Domino Deo Israel* alioquin non fuisset integra pœnitentia.

Vers. 17. *Attamen adhuc populus immolabat in excelsis, duntaxat Domino Deo suo.*

Vers. 18. *Reliquum autem verborum Manassis & oratio eius ad Deum suum, & verba videntium qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israël: ecce continentur in sermonibus regum Israel.*

Vers. 19. *Oratio quoque eius, exauditio & omnia peccata, & prævaricationes eius. & loca in quibus ædificauit excelsa & fecit lucos & statuas antequam ageret pœnitentiam: ecce ipsa scripta sunt in sermonibus Chozai.*] Hoc libro caremus.

Vers. 20. *Dormiítque Manasses cum patribus suis, & sepelierunt eum in domo sua: & regnauit Amon filius eius pro eo.*

Filius viginti annorum erat Amon cum regnare cœpit & duobus annis regnauit in Ierusalem. Vers. 21.

Fecitque malum in oculis Domini sicut fecerat Manasses pater eius: & omnibus idolis quæ fecerat Manasses pater eius immolauit Amon, & coluit ea. Vers. 22.

Amon filius Manasse duobus annis cũ regnasset, occiditur à seruis suis.

Et non est reueritus faciem Domini, sicut reuertus est Manasses pater eius: & multo maiora deliquit.] Hebraicè habetur: *quia ipse Amon multiplicauit delictum.* Patet eius imputauerat delictum pœnitendo, ipse verò impœnitens multiplicauit. De coniuratione autem contra Amon facta, idem hîc scribitur & in quarto regum. Vers. 23.

Coniurauerúntque contra eum serui eius: & interfecerunt eum in domo sua. Vers. 24.

Percussítque populus terra omnes qui coniurauerant contra regem Amon, & regem constituit Iosi-iahu filium eius pro eo. Vers. 25.

CAPVT XXXIV.

Filius octo annorũ erat Iosi-iahu cum regnare cœpit: & triginta & vno annis regnauit in Ierusalem. VERS. 1. *Iosias filius Amon Rex Iuda.*

Fecitque rectum in oculis Domini: & ambulauit in viis Dauid patris sui, neque declinauit ad dexteram & sinistram. Vers. 2. *Princeps optimus.*

Octauo autem anno regni sui cum adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui Dauid: & duodecimo anno cœpit mundare Iehudam & Ierusalem ab excelsis, & lucis, & simulachris, & sculptilibus. Vers. 3.

Destruxerúntque coram eo aras Behalim, & simulachra quæ erant super eas demoliri fecit.] Aiunt per distinctionem redditum simulachra significari quædam dicata soli in excelsis valde. *& lucos & sculptilia.*] Deficit *& conflatilia*: legendum est: *& sculptilia & conflatilia fregit & comminuit.* Sed de his non oportet esse solicitum: in quarto enim Regum gesta Iosiæ diffuse scripta sunt cap. 22. & 23. Vers. 4.

Et super tumulos eorum qui eis immolare consueuerant fragmenta disperſit.

Ossáque sacerdotum combussit super altaria: & mundauit Iehudam ac Ierusalem. Vers. 5.

Et in ciuitatibus Manassis & Eph-raim & Simhon vsque ad Nephthali in desolationibus eorum per circuitum. Vers. 6.

Demolitúsque est altaria & lucos, & simulachra contriuit in frusta, & omnia simulachra demolitus est in tota terra Israel: & reuersus est in Ierusalem. Vers. 7.

Anno autem decimooctauo regni sui mundata iam terra & templo. ab idololatriis renouatis à patre suo Amon. *misit Saphan filium Azal-iahu & Mahasse-iahu principem ciuitatis & Ioach filium Ioacham à commentariis, ad instaurandum domum Domini Dei sui.* Vers. 8. *Domum Domini instaurare aggreditur.*

Veneruntque ad Chilci-iahu sacerdotem magnum, acceptamque pecuniam ab eo quæ illata fuerat in domum Domini.] Hebraicè habetur: *& dederunt argentum illatum in domum Elohim.* Collectores dederunt argentum coram Pontifice & nunciis regis: collectores autem subiunguntur Leuitæ custodes malluuij, quamuis vulgata Editio habeat *Leuitæ & ianitores.* Vers. 9.

Quod congregauerant Leuitæ & ianitores de Manasse & Eph-raim & de toto residuo Israel.] Ab vniuersis Israëlitis qui supererant in partibus illis narratur collecta pecunia per Leuitas.

Et de toto Iehuda & Beniamin : & habitatoribus Ieruſalem.] Hebraicè habetur : *& reuerſi ſunt ad Ieruſalaim.* Collectores Leuitæ diſcurrerunt per Manaſſem, Eph'raim, Iudam, & Ben'iamin & vniuerſas reliquias, & reuerſi ſunt in Ieruſalem: prius enim more ſolito narratum eſt quòd dederunt argentum, & deinde narratus eſt modus quo collectum eſt argentum.

Verſ. 10. *Tradiderúntque in manum eorum qui præerant operibus in domo Domini ad ſarciendum & roborandum domum.*

Verſ. 11. *Et illi dederunt ipſum artificibus & cementariis ad emendum lapides excisos, & ligna ad commiſſuras : & ad contignandum domos quas deſtruxerant reges Iehuda.*

Verſ. 12. *Et viri faciebant fideliter in opere : & ſuper eos ordinati erant Iachath & Hobad'iahu Leuitæ de filiis Merari, & Zechar'ia, & Meſullam de filiis Cehathitarum ad ſolicitandum : & omnes Leuitæ in inſtrumentis cantus intelligentes.*

Verſ. 13. *Super baiulos verò & ſolicitatores omnium laborantium in quolibet opere, erant de Leuitis ſcriba, & præfecti, & ianitores.*

Verſ. 14. *Leuorum legis reperit Holcias Sacerdos.* *Cúmque efferrent pecuniam quæ illata fuerat in domum Domini, reperit Chilci'iahu ſacerdos librum legis Domini, qui datus fuerat in manu Moſis.*] Superfluit *qui datus fuerat :* Hebraicè enim habetur : *librum legis Iehouah in manu Moſis.* Et refertur ad legem manus Moſis : eſt enim ſenſus, librum legis diuinæ non latæ à Deo per prophetam quemcunque, ſed per Moſem.

Verſ. 15. *Reſpondítque Chilci'iahu & dixit ad Saphan ſcribam, librum legis reperi in domo Domini : & tradidit ei.*

Verſ. 16. *Saphan autem attulit librum ad regem, & retulit præterea regi verbum dicendo : omne quod dediſti in manum ſeruorum tuorum ipſi faciunt.*

Verſ. 17. *Conflauerúntque argentum quod inuentum eſt in domo Domini : & tradiderunt illud præfectis & facientibus opus.*

Verſ. 18. *Nunciauit quoque Saphan ſcriba regi dicendo, librum dedit mihi Chilci'iahu ſacerdos : & legit in eo Saphan coram rege.*

Verſ. 19. *Cúmque audiſſet rex verba legis, ſcidit veſtimenta ſua.* horrore offenſarum commiſſarum in Deum à patribus ſuis & populo, adiuncto timore pœnarum in libro comminatarum.

Verſ. 20. *Et præcepit rex Chilci'iahu, & Ahicam filio Saphan, & Habdon filio Micha, & Saphan ſcriba, & Haſa'ia ſeruo regis dicendo.*

Verſ. 21. *Ite conſulite Dominum pro me & pro reliquiis in Iſrael & in Iehuda ſuper verbis libri qui repertus eſt : magnus enim furor Domini ſtillauit ſuper nos.*] Rectius legeretur : *quia magna ira Iehouah quæ addicta eſt in nos.* ſtillatio enim inuitorem punitionem inſinuat. *eo quod non cuſtodierunt patres noſtri verbum Domini vt facerent iuxta omne quod ſcriptum eſt in libro hoc.*

Verſ. 22. *Holda Prophetiſſa.* *Abiítque Chilci'iahu & qui erant regis ad Huldan prophetiſſam vxorem Sallum filii Thoc hath filij Chaſ're cuſtodis veſtium.*] Non mulier, ſed maritus eius cuſtos ſignificatur : eſt enim maſculini generis.

Quæ habitabat in Ieruſalaim in ſecunda.] Vt in quarto Regum diximus, dictio Hebraïca interpretanda erat : *in repetitorio.* vide ibi cap. 22. *& locuti ſunt ad eam iuxta hoc.*

Verſ. 23. *Quæ reſpondit eis : Sic dixit Dominus Deus Iſrael : dicite viro qui miſit vos ad me.*

Verſ. 24. *Sic dixit Dominus : ecce ego adduco malum ſuper locum iſtum & ſuper habitatores eius, omnia maledicta quæ ſcripta ſunt in libro quem legerunt coram rege Iehuda.*

Verſ. 25. *Pro eo quòd dereliquerunt me & thurificauerunt dijs alienis, vt me ad iracundiam prouocarent in omnibus operibus manuum ſuarum : ſtillabitque furor meus in locum iſtum & non extinguetur.*

Verſ. 26. *Ad regem autem Iehuda qui miſit vos ad conſulendum Dominum ſic dicetis ſic dixit Dominus Deus Iſrael quoniam audiſti verba voluminis.*] Hebraicè habetur : *verba quæ audiſti.* tum ex libro tum à me, *ſic dixit Iehouah Eloha Iſrael.* Deinde immediatè ſequitur:

Verſ. 27. *Pro eo quòd tenerum factum eſt cor tuum & humiliatus es a facie Elohim cum audiſti verba eius ſuper locum iſtum & ſuper habitatores eius, & humiliatus es coram me, & ſciſſiſti veſtimenta tua, & floueriſti coram me : & etiam ego exaudiui te dicit Dominus.* Sententia eſt clara.

Verſ. 28. *Iam enim* (Parui refert quod Hebraïcè habetur: *Ecce ego*) *colligam te ad patres tuos & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace.* Beneficium dilationis tantæ ruinæ promittitur.

Nec videbunt oculi tui. corporei. *omne malum quod ego adduco ſuper locum iſtum & ſuper habitatores eius.*

Per oculos omnes ſenſus ſignificatur.

Per oculos vniuerſi ſenſus ſignificatur: promittitur enim Ioſiæ quòd à ſẽſibili notitia, qualis eſt quæ habetur in præſenti vita, exẽptus erit: quoniã pœnalis valde fuiſſet : nec propterea priuatus eſt intellectuali notitiã in limbo exiſtens malorum, quæ paſſi ſunt in hac vita filij eius. Et bene nota quod non dico animam Ioſiæ in limbo nouiſſe mala filiorum : ſed dico ex hac prophetia non ſignificari ipſum priuatum tali notitia.

Et retulerunt regi verbum.

Verſ. 29. *Miſítque rex : & congregauit omnes ſeniores Iehuda & Ieruſalaim.*

Verſ. 30. *Et aſcendit rex in domum Domini & omnis vir Iehuda & habitatores Ieruſalaim, & ſacerdotes, & Leuitæ, & totus populus à magno vſque ad paruum*] Sanctus rex quantuis à muliere prophetico ſpiritu loquente audierit firmatam eſſe diuinam ſententiam, non deſtitit tamen cum vniuerſo populo facere quod in ſe eſt ad placandum ſummum Deum.

Et legit in auribus eorum omnia verba voluminis.] Deficit, *fœderis inuenti in domo Iehouah.* Liber enim legis inuentus in domo appellatur liber fœderis, quia continebat fœdus inter Deum & populum.

Verſ. 31. *Steteráque rex in loco ſuo, & percuſſit fœdus coram Domino vt ambularet poſt Dominum & cuſtodiret præcepta & teſtimonia & ſtatuta eius in toto corde ſuo & in tota anima ſua : faciendo verba fœderis ſcripta in libro hoc.*] Optimus rex ipſe primus ſe obligat, vt alios ab exemplo trahat ad idem.

Verſ. 32. *Adiurauit quoque ſuper hoc.* (Parui refert quòd Hebraicè habetur : *Et fecit ſtare*) *omnem inuentum in Ieruſalaim & Beniamin.* Absque adiuratione fecit quòd populus quoque fœdus iniret cum ſummo Deo.

Et fecerunt habitatores Ieruſalaim iuxta pactum Dei, Dei patrum ſuorum.] Vtrobique eſt nomen *Elohim.*

Verſ. 33. *Exemplum Principum quæ eſſe debet.* *Abſtuliteque Ioſi'iahu omnes abominationes de omnibus terris filiorum Iſrael ſeruire Domino Deo ſuo*] Hebraïcè habetur : *Iehouah Eloha eorum.* Deinde immediatè ſequitur.

Cunctis

Cunctis diebus non recesserunt à Domino Deo patrum eorum. Vide quàm efficax sit exemplaritas principis perseuerans.

CAPVT XXXV.

VERS. 1. *FEcitque Iosi'jahu in Ierusalam pascha Domino: & immolauerunt pascha quartadecima die mensis primi.*

Vers. 2. *Et constituit sacerdotes in custodiis suis: hortatúsque est eos ad ministerium domus Domini.*

Vers. 3. *Leuitisque ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus est: ponite arcam in sanctuario templi.*] Hebraicè habetur: *ponite arcam sanctitatis in domo quam ædificauit Selomo filius Dauid Rex Israel.* Nisi fuisset prius extracta arca Dei è templo, non dixisset Iosias Leuitis vt ponerent arcam sanctitatis in domo quam ædificauit Salomon: quando autem fuerit inde educta & vbi interim manserit, scriptura tacet. Ex hoc autem quòd arca Dei quæ erat maximum sacrum extracta narratur de templo, insinuatur quòd omnia alia aut extracta aut prophanata fuerint: timuerunt autem idololatræ prophanare arcam Dei, memores eorum quæ acciderant Philisthinis & Bethsemitis & Ozæ, quæ scripta sunt in primo libro Regum: & propterea maluerunt vt ex templo educeretur. Iosias autem religiosissimus fecit eam reduci in templum.

Arcam è templo extractam Iosias in templum reduci curauit.

Nequaquam enim eam vltra portabitis, nunc seruite Domino Deo vestro & populo eius Israël.] Eandem sententiam protulerat olim Dauid ad eundem finem: videlicet quòd quia non essent subituri onus vehendi arcam humeris, collocata iam arca in templo, vacarent diuinis officiis. Innuunt autem verba hæc quòd redierant Leuitæ ad pristinum onus, scilicet vehendi arcam humeris sicut ante ædificationem templi faciebant, & propterea coniectura hinc habetur quòd non paruo tempore nec in vno duntaxat loco fuerit arca extra templum post idololatriam Regum Iudæ: reditus enim Leuitarum ad officium pristinum hoc innuit. Leuitæ autem hoc in loco non distinguuntur contra sacerdotes: nam gestare humeris arcam Dei, plus sacerdotum erat quam Leuitarum.

Vers. 4. *Et præparate vos per domos patrum vestrorum in diuisionibus vestris: sicut scripsit Dauid Rex Israel, & iuxta scripturam Salomonis filij eius.*] Dauid ergo principaliter, Salomon autem consequenter scripsit diuisiones sacerdotum & Leuitarum.

Vers. 5. *Et ministrate in sanctuario eius per familias turmásque Leuiticas.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et stabitis in sanctuario ad diuisionem domus patrum, fratribus vestris filiis populi: & diuisionem domus patris Leuitis.* Ita iacet in Hebræo. Et quamuis obscura sit litera, sensus tamen est quod Leuitæ stent in sanctuario secundùm diuisiones patrum, diuisiones inquam domorum secundum patres Leuitarum, stent autem ad ministeria diuina opportuna fratribus suis filiis populi: hoc est vniuersis Israëlitis: hoc enim ad euitandam confusionem ministrorum cum populo sanctissimè decretum est. Deinde immediatè sequitur.

Et immolabitis pascha:

Vers. 6. *Et cruris sanctificatis & facietis præparare fratres vestros, ad faciendum sicut verbum Iehouah in manu Mosis.*] Sententia clara est, mandat enim executionem decretorum per Mosem, quæ scripta sunt in libro Exodi principaliter.

Vers. 7. *Largitio Iosiæ, & Ducũ eius.*

Dedit præterea Iosias omni populo qui ibi fuerat inuentus in solemnitate phasæ agnos & hædos, de gregibus & reliqua pecoris triginta millia.] Hebraice habetur: *Et largitus est Iosi'jahu filius populi omnium, agnorum & filiorum caprarum (omnium pro paschatibus omni inuento in numero triginta millia. & boum tria millia: hæc de substantia regis.*) Pecorum triginta millia & tria millia boum dedit rex non quod boues neque oues immolarentur pro agno paschali, sed vt in illis diebus solemnitatis paschalis haberent festiuas victimas. Et ad hunc eundē vsum intellige subiunctas largitiones.

Vers. 8. *Duces quoque eius sponte quod vouerant obtulerunt tam populo quam sacerdotibus & Leuitis.*] Hebraicè habetur: *Et principes eius voluntarii populi sacerdotibus & Leuitis eleuauerunt.* appellant enim eleuationem, largitionem relatam in Deum. Et hæc clausula initium est subiunctorum: inchoat siquidem à largitione quam principes regis profusè fecerunt tum populo quantum voluit, tum sacerdotibus, tum Leuitis: & subiunguntur postea in specie diuersi principes diuersa largientes, Sufficientia autem oblatorum significatur dicendo, voluntati populi sacerdotibus & Leuitis: insinuatur enim quòd quantum volebat populus largiti sunt.

Porro Chilci'ia & Zechar'iahu, & Iechiel duces domus Elohim.] Absque alia nota continuatiua subiunguntur immediatè isti tres.

Sacerdotibus dederunt pro paschatibus duo millia & sexcenta, & boues trecentos.

Vers. 9. *Chonan-iahu autem, & Semah-iahu, & Nethanel fratres eius, & Chasab-iahu, & Iehiel, & Iosabad principes Leuitarum: eleuauerunt Leuitis pro paschatibus quinque millia, & boues quingentos.*] Dixerat in genere principes eius, dicit modò in individuo quòd isti tres duces domus *Elohim* dederunt sacerdotibus: præter id quod principes regis dederunt, narratur in specie quid dederint principes regis ex tribu Leuitica, primum principes sacerdotum sacerdotibus & deinde principes Leuitarum Leuitis.

Vers. 10. *Præparatúmque est ministerium: & steterunt sacerdotes in loco suo & Leuitæ in diuisionibus suis iuxta præceptum regis.*

Vers. 11. *Immolauerúntque pascha: & asperserunt sacerdotes manus suas sanguine.*] Hebraicè habetur: *& asperserunt sacerdotes de manu eorum.* Pronomen *eorum* populum demonstrat, ad differentiam temporis Ezechiæ quo sacerdotes asperserunt de manu Leuitarum supplentium vices immundorum, ad insinuandum itaque quòd populus non erat immundus, (sicut fuerat tempore Phasæ celebrati sub Ezechia) sed quòd tempore Iosiæ populus erat sanctificatus, scribitur quod sacerdotes asperserunt sanguinem secundum legis ritum circa altare de manu eorum qui immolabant.

Et Leuitæ detraxerunt pelles holocaustorum.] Hebraicè habetur: *& Leuitæ spoliantes.* procul dubio animalia quæ offerebantur: hoc enim propter multitudinem magnam etiam tempore Ezechiæ factum legitur.

Vers. 12. *Holocaustũ ibi est adeps animalium quæ cremabatur Deo in modum holocausti.*

Et separauerunt ea vt darent per domos & familias singulorum.] Hebraicè habetur: *Et separauerunt holocaustum in terminando ea.* Et appellatione holocausti intelligitur adeps animalium qui cremabatur Deo in modum holocausti. Et est sensus

sensus quòd sacerdotes remouerunt à multitudine victimarum portionem illam quæ cremabatur Deo vsquequo terminata esset huiusmodi remotio ab omnibus victimis. Et immediate subditur:

Diuisionibus domus patrum filiis populi ad offerendum Iehouah, sicut scriptum est in libro Mosis: & sic bobus.] Ordinata oblatio describitur: ita quod secundum diuisiones familiarum populi offerebant victimas iuxta ritum legis, sacerdotibus remouentibus portionem cremandam Deo. Et hoc non solum in victimis ex ouibus & capris, sed etiam ex bobus seruatum scribitur.

Vers. 13. *Et coxerunt pascha igne iuxta ritum: pacificas verò hostias coxerunt in lebetibus & cacabis & ollis, & festinatè distribuerunt omnibus filiis populi.*

Vers. 14. *Sibi autem & sacerdotibus postea præparauerunt, quia sacerdotes filij Aharon in oblatione holocaustis & adipum vsque ad noctem fuerunt occupati: Leuitæque præparauerunt sibi & sacerdotibus filiis Aharon.*

Vers. 15. *Porro cantores filij Asaph stabant in ordine suo iuxta præceptum Dauid & Asaph & Heman & Iedithun prophetarum regis*] Hebraicè habetur: *videntis regis.* Singularis numeri est, & ad Iedithun directè refertur.

Et ianitores ad singulas portas obseruabant: non erat eis recedendum à ministerio suo, quia fratres eorum Leuitæ præparauerunt eis.

Vers. 16. *Præparatumque est omne ministerium Domini in die illa ad faciendum pascha, & ad offerendum holocausta super altare Domini: iuxta præceptum regis Iosi-iahu.*

Vers. 17. *Fecerúntque filij Israël inuenti pascha in tempore illo: & solennitatem azymorum septem diebus.*

Vers. 18. *Pascha hoc Iosiæ celeberrimum.* *Et non est factum pascha simile huic in Israël à diebus Samuel prophetæ*] Præfertur celebritas paschalis tempore Iosiæ reliquis præteritis tam tempore Iudicum (quorum vltimus fuit Samuel) quàm tempore Regum, non solum Iudæ, sed etiam Israel: vt fuerunt Saul, Dauid & Salomon, præfertur autem quoad hoc quòd fuit celebratum solenniter ab omnibus Israëlitis qui erant in terra promissionis: in aliis enim celebrationibus nunquam conuenerunt omnes, sed aliqui remanebant qui non celebrabant pascha: hanc enim singularitatem significant subiuncta verba iuxta Hebraïcam veritatem.

Et omnes reges Israël non fecerunt sicut Pesach quod fecit Iosi ahu, & sacerdotes, & Leuitæ, & omnis Iehuda & Israel inuentus, & habitatores Ierusalem.] significanter enim dicitur & omnis Iuda & Israël inuentus, vt hinc intelligamus hanc fuisse singularitatem huius Phasc quod celebratum est ab omnibus Israëlitis inuentis in terra promissionis.

Vers. 19. *Decimooctauo anno regni Iosi-iahu, factum est Pascha hoc.*

Vers. 20. *Postquam instaurauerat Iosias templum.*] Hebraicè habetur: *Post omne istud fecit præparare Iosi-iahu domum.* proculdubio Dei. Et est sensus, post omne istud & quòd præparauit etiam domum Dei, ascendit Necho rex Ægypti &c. Post tot bona opera describitur subsecutus modus quo mortuus est rex Iosias: vt intelligamus diuinam gratiam etiam tempore veteris Testamenti concessam amicis Dei non secundùm temporalem vitam quamuis concupitam.

Ascendit Necho Rex Ægypti ad pugnandum in Charchemis iuxta Euphratem. Aiunt Charchemis esse nomen ciuitatis: sed an sit in terra promissionis non inuenio: & propterea incertum restat an significetur terminus quò tendebat rex Ægypti, an locus ad quem peruenerat tunc. *Necho Rex Ægypti.*

Et egressus est in occursum eius Iosi-iahu. Vers. 21.

Misitque ad eum nuncios dicendo: quid mihi & tibi est rex Iehuda.] subaudi commune est litigandum: nulla inter nos materia belli. *Mittit nuntios ad Iosiam.*

Non contra te hodie venio, sed contra aliam domum pugno.] Hebraicè habetur: *non super te hodie quia ad domum belli mei.* Et est sensus, non contra te venio quia ad domum, materiam belli mei, propero. Et appellat domum belli sui, domum hostem sibi.

Ad quam Deus festinatè me ire præcepit.] Hebraicè habetur: *& Elohim dixit ad stupefaciendum.* Dictio Hebraïca significat non qualecunque stupefacere, sed stupefacere reddendo attonitos. Et est sensus quòd Deus disposuit me in hoc progressu ad reddendum alios attonitos, hoc est ad tam mirabile opus faciendum vt alij stupeant quasi attoniti.

Desine aduersum Deum facere qui mecum est, ne interficiat te.] Hebraicè habetur: *Declina tibi ab Elohim qui mecum, & non perdet te.* Congressum suum Deo tribuit rex Ægypti, monendo Iosiam vt non occurreret sibi.

Noluit autem Iosi-iahu reuerti, sed præparauit contra eum prælium, nec acquieuit sermonibus Necho ex ore Dei.] Nomen est *Elohim.* Si inculpabilis fuisset occursus Iosiæ aduersus regem Ægypti, non diceret Scriptura quòd non audiuit verba Necho ex ore *Elohim*: affirmatur itaque & quod verba regis Ægypti processerunt ex ore *Elohim* summi vpiuersorum iudicis, & imputatur Iosiæ quòd non audiuit huiusmodi verba. Ratio autem imputationis non est quòd debuerit credere verba illa esse verba Dei: sed quòd auditâ diuinâ legatione, quâ se fungi dicebat rex Ægypti, debebat Deum consulere, & non absque diuino oraculo persistere in cœpto occursu. Vers. 22. *Iosias spreto mandato Nechaonis Dei.*

Sed perrexit vt dimicaret in campo Megiddo.] Megiddo nomen est ciuitatis cuius regem cepit Iosua: vt scribitur Iosuæ. 12. Et hinc apparet quòd infra terminos terræ promissionis transibat rex Ægypti Et hac occasione motus creditur Iosias ad bellum contra regem Ægypti: quamuis rationabilior belli causa videatur timor ne expugnato vicino regno ab Ægyptiis, expugnaretur postea regnum Iudæ.

Iisque vulneratus à sagittariis, dixit pueris suis: educite me de prælio quia oppidò vulneratus sum.] Iuxta Hebræum habetur: *facite transire me quia ægrotans valde.* Vers. 23. *Vulneratus in prælio.*

Et transire fecerunt eum serui eius de curru, & equitare fecerunt eum super currum secundum qui ei.] Non manifestauit se vulneratum, sed quasi ægrum se transferri in alterum currum præcepit, ne exterreret exercitum suum. Vers. 24.

Et asportauerunt eum in Ierusalaim, & mortuus est & sepultus in sepulchris patrum suorum. Non caret quæstione quòd in quarto Reg. c. 23. legitur Iosias occisus in Megiddo, hic verò narratur ductus in Ierusalem & mortuus. Solutio est quòd licet Iosias viuus migrauerit de curru in currum, non tamen viuus peruenit in Ierusalem: nam clarè ibidem dicitur quòd de Megiddo mortuum adduxerunt: nec hic dicitur quòd viuus venerit *Mortuus.* *Concordia huius loci cum 4. Reg. 23.*

venerit in Ierusalem: quamuis narretur prius ductio Ierusalem quam mors: sæpe enim ordo rei gestæ non est secundum ordinem narrationis.

Totusque Iehuda & Ierusalaim luxerunt eum.

Vers. 25. *Lamentatusque est Irme-iahu super Iosi-iahu, & dixerunt omnes cantores & cantatrices in lamentationibus suis de Iosi-iahu usque hodie & dederunt hoc in statutum super Israel: & ecce scriptū est in lamentationibus.* Ieremiæ propheræ.

Vers. 26. *Reliqua autem verborum Iosi-iahu & gratiæ eius quæ lege præcepta sunt Domini.*] Hebraicè habetur: *sicut scriptum in libro Iehouah.* Et refertur ad reliqua gesta Iosiæ. Declaratur enim quod fuerunt recta sicut scriptū est in libro *Iehouah*: hoc est in libro Mosis continente diuinam doctrinā.

Vers. 27. *Opera quoque eius priora & posteriora, ecce ipsa scripta sunt in libro Regum Israel & Iehudæ.*

CAPVT XXXVI.

VERS. 1. *TVlitque populus terra Iehoachaz filium Iosi-iahu. & constituit eum regem pro patre eius in Ierusalaim.*

Vers. 2. *Filius viginti trium annorum erat Ioachaz cum regnare cœpit: & tribus mensibus regnauit in Ierusalaim:*

Vers. 3. Ioachaz filius Iosiæ Rex in Ierusalem. *Amouit autem eum rex Ægypti cùm venisset in Ierusalem.*] Iuxta Hebræum habetur: *& amouit eum rex Ægypti in Ierusalaim.* In quarto lib. Reg. cap 23. scribitur quòd rex Ægypti in Reblatha vinxit eum: sed & Iosephus dicit quòd rex Aegypti misit pro eo &c. Solutio est quòd quāuis potuit dici quòd rex Ægypti venerit in Ierusalem & ibidem priuauerit Ioachaz regno, non tamen ibidem eum ligauerit sed in ciuitate Reblatha (& sic concordare hanc literam cum libro Regum) potest tamen dici quòd scriptus hic locus (videlicet in Ierusalem) non designat locum regis Ægypti: ita quòd est ordo literæ & rex Ægypti in Ierusalem amouit eum: sed designat locum pronominis: & est ordo literæ quòd rex Ægypti amouit eum in Ierusalem: vt sit sensus quòd in ipsa ciuitate Ierusalem facta est amotio eius à regno authoritate regis Ægypti: mandauit siquidem rex Ægypti abiens à Ierusalem, vt Ioachaz regnans in Ierusalem non regnaret sed frater eius maior: & sic est priuatus regno in ipsa ciuitate Ierusalem. Et hic sensus complectendus est ad literam: reliqua exposita vide in libro Regum.

A Rege Ægypti ligatur in quo loco?

Vers. 4. Ioachaz Ioachim frater Rex Ierusalem constituitur à Rege Ægypti. *Et condemnauit terram centum talentis argenti & talento auri.*

Et regem constituit rex Ægypti El-iacim fratrem eius super Iehudam & Ierusalaim, & vertit nomen eius Iehoiacim: Iehoachaz verò fratrem eius tulit Necho & adduxit eum in Ægyptum.

Vers. 5. *Filius viginti quinque annorum erat Ieho-iacim cum regnare cœpit, & vndecim annis regnauit in Ierusalaim: fecitque malū in oculis Domini Dei sui.*

Vers. 6. *Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldæorum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Super eum ascendit Nebu chadnezar rex Babel.* Et nihil dicitur de Chaldæa.

Ioachim vinctus quidem est vt duceretur Babylonē: ecclesiastes tamen est iuxta murum Ierusalem. *Et vinctum catenis duxit in Babylonem.*] Iuxta Hebræum habetur: *& ligauit eum in catenis ad faciendum ire ipsum ad Babel.* Aduerte prudens lector quòd de isto Ioacim filio Iosiæ rege Iudæ scribitur Ierem. vigesimosecundo, *sepultura asini sepelietur vltra portas Ierusalem.* & propterea quòd hic dicitur vinctus ad hoc vt duceretur in Babylonem, intellige factum fuisse quoad vincula, sed non quoad ductionem in Babylonem: sed iuxta Prophetæ vaticinium occisus est & inhumatus relictus iuxta muros Ierusalem, vt Iosephus narrat.

Vers. 7. *Ad quam & vasa Domini* (Iuxta Hebræum habetur: *Et ex vasis domus Iehouah*) *adduxit Nebu-cadnezar ad Babel: & posuit ea in templo suo in Babel.* Dicendo ex vasis, insinuat quòd non omnia vasa ex templo abstulit.

Vers. 8. *Reliqua autem verborum Ieho-iacim & abominationes eius quas fecit & quod inuentum est in eo, ecce ipsa scripta sunt in libro Regum Israel & Iehudæ: & regnauit Ieho-iachin filius eius pro eo.*

Vers. 9. Ioachim filius Ioachim Rex in Hierusalem. *Filius octo annorum erat Ieho-iachin cum regnare cœpit.* Hic numerus annorum scribitur in Hebræo: sed errore scriptorum factum esse, testatur liber Regum capitulo vigesimoquarto dicens, quòd octo & decem annorum erat iste Ioachin. testatur & subiuncta hic clausula dicens de isto, *& fecit malum in oculis Iehouah:* filius enim octo annorum vix est capax doli. *& tribus mensibus & decem diebus regnauit in Ierusalaim. fecitque malum in oculis Domini.*

Error scriptorum.

Vers. 10. *Cúmque anni circulus volueretur.*] Patui refert quòd Hebraicè habetur: *Et in reuersione anni.* ab occisione Ioacim patris istius, ita quòd à tempore quo Nabuchodonosor venerat in Ierusalem facturus suprascripta, supputatur ista reuersio anni. Et ex hac supputatione habetur quòd iste Ioachin non cœpit regnare in Ierusalem statim mortuo patre: quia regnauit tantum mensibus tribus & diebus decem: interregnum enim multis mensibus fuit propter cladem quam fecerat rex Nabuchodonosor in Ierusalem.

Misit rex Nebu-chadnezar.] In libro Regum scribitur & quòd misit, & quòd etiam ipse superuenit: quod vltimum hic tacetur.

Nunnos qui & adduxerunt eum in Babylonē.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit venire eum in Babel, cum vasis desiderabilibus domus Domini.*] Et hæc litera quadrat scriptis in libro Regum.

Sedecias patruus Ioachim Rex Iuda constituitur à Nabuchodonosore. *Regem verò constituit Sedechiam patruum eius.* Iuxta Hebræum habetur: *Zidei-iahu fratrem eius super Iehudam & Ierusalaim.* Reuera Sedechias patruus erat istius Ioachim vt in quarto Regum scribitur: sed hic appellatur frater eius ex Scripturæ consuetudine qui consanguinei appellantur fratres.

Vers. 11. *Filius viginti & vnius annorum erat Zidei-iahu cùm regnare cœpit: & vndecim annis regnauit in Ierusalaim.*

Vers. 12. Ieremiæ Propheta. *Fecitque malum in oculis Domini Dei sui: nec erubuit faciem Ieremiæ prophetæ loquentis ad se in ore Domini.*] Iuxta Hebræum habetur: *Non fuit humiliatus a facie Irme-iahu prophetæ ex ore Iehouah.* subaudi loquentis ad eum. Diffusè hæc scripta sunt in libro Ieremiæ.

Vers. 13. *Et etiam à rege Nebu-chadnezar defecit qui adiurauerat eum per Deum.* Nomen est *Elohim*: & sit specialis mentio huius iuramenti, eo quòd nomen hoc sonans illi imposuit Nabuchodonosor, vt iugiter præ oculis haberet diuinæ iustitiæ fidem: vt in libro Regum declaramus.

Et induravit cervicem suam & cor.] Multa est literæ legendum est: *& roboravit cor suum, ne reuerteretur ad Dominum Deum Israel.* Cervicem induravit vt non flecteretur subiugo Dei: cor autem roboravit ad perstiendum in malo.

Vers. 14. *Etiam omnes principes sacerdotum & populus multiplicati-*

vestri & filij vestri misericordiam inuenient coram eis qui captiuos duxerunt eos, & reuertentur ad terram hanc: pius enim & clemens. Hebr. habetur: *quia misericors & miserator est Dominus Deus noster.* sed patui refert. *& non auertet faciem suam à vobis si reuersi fueritis ad eum.*

Vers. 10. *Et cursores pergebant velociter.* (Superfluit *velociter.*) *de ciuitate in ciuitatem in terra Eph-raim & Menassis vsque ad Zebulun: illis irridentibus & subsannantibus eos.*

Vers. 11. *Attamen viri de Aser & Menasse & Zebulun acquiescentes consilio.* Hebr. habetur: *Fuerunt humiliati.* interno diuino munere, quemadmodum de Iudæis subiungitur. *& venerunt in Ierusalaim.*

Vers. 12. *Etiam in Iehuda fuit manus Elohim ad dandum eis cor vnum ad faciendum præceptũ regis & principum in verbo Domini.* Diuina gratia describitur communis prædictis & Iudæis: disparitas autem penes hoc quòd communicata est gratia Iudæis omnibus, dictarum autem tribuum quibusdam.

Vers. 13. *Congregatique sunt in Ierusalaim populi multi.* Hebr. habetur: *Populus multus.* Et post illa verba subiuncta: *ad faciendum solemnitatem azymorum in mense secundo*, scriptum est: *adunatio in multitudine valde.* Sententia est clara.

Vers. 14. *Surrexeruntque & abstulerunt altaria quæ erãt in Ierusalaim: & omnia in quibus adolebatur incensum idolis abstulerunt, & proiecerunt in torrentem Cid ron.*

Vers. 15. *Immolauerúntque pascha quartadecima die mẽsis secundi.* Iuxta decretum Mosis, Num. 9. *sacerdotes quoque & Leuitæ tandem sanctificati.* Hebr. habetur: *& sacerdotes & Leuitæ fuerunt verecundati & sanctificauerunt se.* Minor sacerdotum & Leuitarum multorum amor ad diuinum cultum manifestatur ex eo quòd verecundia ducti sanctificauerunt se, videbant enim populum deuotè concurrentem ad diuinum cultum: & sic in seipsis confundebantur & sanctificarunt se. *& obtulerunt holocausta in domo Domini.*

Pascha solemne in Ierusalem mẽse secundo.

Vers. 16. *Steterúntque in ordine suo iuxta morem suum, iuxta legem Mosis viri Dei.* (Nomen est *Elohim.*) *sacerdotésque suscipiebant sanguinem aspergendum de manibus Leuitarum.*

Vers. 17. *Quia multi erant in congregatione qui nõ sanctificauerant se.* Non de sanguine agni paschalis est sermo, sed de sanguine victimarum quæ offerebãtur in templo: nam agnus paschalis vbiq; in omnibus domibus Ierusalem offerebatur: & sanguis eius in superliminaribus & postibus domus ponebatur, nec aspergebatur per sacerdotes in altari. Est itaque sensus literæ, quòd quia multi sanctificati non erant qui tamen offerebant victimas, ideo in actu offerẽdi Leuitæ supplebant officium quod debebat fieri pèr offerentes mundos, & propterea corrigẽda est continuatio literæ subiunctæ. *& idcirco immolabant Leuitæ phasei vs qui non occurrerant sanctificari Domino.* nã Hebr. habetur: *& Leuitæ super iugulatione paschatum in omni immundo ad sanctificandum Iehouah.* Diuersa a præcedenti est hæc sententia tractans de alio officio supplcto a Leuitis: videlicet officio iugulãdi agnos paschales apud immundos: iuxta legis siquidẽ ritum nec sacerdos nec Leuita requirebatur ad immolandũ paschã in domo in qua immolabatur, sed paterfamilias mũdus iugulabat agnũ: verùm existente multitudine immũda deerat mũdus iugulator in multis domibus, quia nec paterfamilias nec alius in illa domo mũdus aderat: & propterea Leuitæ supplebãt officiũ iugulãdi apud immũdos.

Leuitæ supplebant officium iugulandi agnos paschales apud immundos.

Vers. 18. *Magna enim pars populi.* Hebr. habetur: *Quia multitudo populi multitudo de Eph-raim & Manasse Issaschar & Zebulun non se mundauerunt.* Ratio quare oportuit Leuitas supplere officiũ iugulandi pascha, redditur multitudo immundorum. Deinde immediatè subiungitur. *Quia comederunt pascha non sicut scriptum.* Vide disparitatẽ: multitudo immunda non præsũpsit iugulare pascha, comedit tamen pascha non secundũ quod scriptũ est: hoc est carens munditia requisita à lege scripta. Et ratio disparitatis fuit, quia iugulatio paschæ erat præcipua actio paschalis sacrificij: quia igitur multitudo immunda comedit pascha & nõ præsumebat iugulare, Leuitæ officium iugulandi suppleuerunt. *Et orauit pro eis.* Hebr. habetur: *quia orauit Iechizci-iahu super eos dicendo.* Contextus insinuat quòd prius Ezechias orauit pro eis quã isti immundi præsumerent comedere paschã: nam ratio comestionis redditur, dicẽdo *quia orauit Ezechias. Dominus bonus propitiabitur.*

Iugulatio agni erat præcipua actio paschalis Sacrificij.

Cunctis qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrũ suorum. Vers. 19. Deficit vna dictio: legendũ est: *Omni qui direxit cor suum ad quærendum Elohe patrum suorum.* Describit immũdos qui venerãt ad diuinũ cultum secundum cor: quòd videlicet totũ cor direxerint ad quærendum in gubernatorem & iudicem, fontem essendi iudicem & gubernatorẽ patrum suorum. *Et nõ imputabit eis quòd minus sanctificati sunt.* Iuxta Hebr. habetur: *Et non sicut mundificatio sanctitatis.* Cõfidit Ezechias (supplicando tamen) quòd summus Deus bonitate suâ præferet integritatem cordis munditiæ requisitæ secundùm sanctitatem legitimam: ita quòd propitiabitur istis immundis legaliter, mundis autem corde.

Exaudiuitque Dominus Iechizci iahu. Vers. 20. Testimonium hoc sufficit. *Et placatus est populo.* Iuxta Hebr. habetur: *Et sanauit populum.* Quia nullius ægritudinis mentio facta est, sed solius immũditiæ legalis, ignotum remanet à quo morbo sanauerit Deus populum. Sensibile tamen sanitatis signum interuenisse credendum est: alioquin orationis Ezechiæ exauditio occulta fuisset, nec securi comedissent isti pascha, nec magna lætitia subiuncta verificaretur.

Fecerúntq; filij Israel qui inuenti sunt in Ierusalaim solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia magna: & laudabãt Dominũ per singulos dies Leuita & sacerdotes in vasis fortitudinis Domino. Vers. 21. *Septem dies azymorum in lætitia magna.*

Et locutus est Iechizci-iahu ad cor omnũ Leuitarũ qui habebát intelligentiã bonã super Dominũ. Vers. 22. Hoc est, locutus est verba penetrantia vsq; ad cor, vt curã populi instruendi susciperent & cõtinuarẽt: ideo enim Leuitarũ dumtaxat pollẽtium bona Dei intelligentia fit mentio. Vnde & duo effectus subiunguntur: alter quòd septẽ diebus perseuerant populus vacando sacrificiis & cõsellioni: alter quòd septẽ alios dies addiderunt. *Et comederunt septẽ diebus solẽnitatis.* Iuxta Hebr. habetur: *& comederunt præparationẽ septẽ diebus.* Præparatio comedenda septem diebus paschæ, est panis azymus secundum legem Mosis. *Immolantes victimas pacif. eorum, & laudantes Dominũ Deũ.* Hebr. habetur: *Et confitentes se Domino Deo patrum suorum.* proculdubio peccasse summo Deo.

Placuitq; vniuersæ multitudini vt celebrarent. Vers. 23. Hebr. habetur: *Et consiliati fuerunt totus cœtus facere septem diebus alios.* Instruentibus Leuitis prædictis, vt magis firmaretur populus in cultu summi Dei & magis simul doceretur quæ sunt diuinæ legis. *& fecerunt septem diebus in lætitia.*

Septem alios diebus solemnitas prorogata.

Quia Ezechi-iahu rex Iehuda dedit cœtui mille

tauros

tauros & septem millia ouium, & principes dederunt populo: tauros mille & ouium decem millia: sanctificatique sunt sacerdotes in multitudine.

Vers. 25. *Et lætati sunt totus & Iehuda & sacerdotes cœtus Leuitæ, & totus qui venerat de Israel: proselytique qui venerat de terra Israel, & habitantes in Iehuda.*

Vers. 26. *Factáque est celebritas.*) Hebraicè habetur: *lætitia magna in Ierusalaim: quia à diebus Salomonis filij Dauid regis Israel non sicut hæc in Ierusalaim.* Ita quòd non celebritas, sed lætitia narratur excedens omnem aliam lætitiam paschalem à tempore Salomonis. Et in promptu erat ratio: quia tot annis intermissa fuerat, & Israel post mortem Salomonis numquam conuenerat ad pascha inhibentibus regibus Israel.

Vers. 27. *Surrexerunt autem sacerdotes atque Leuitæ.*] Iuxta Hebræum legitur absque nota coniunctionis. *Sacerdotes Leuitæ.*] hoc est Leuiticæ tribus: *Et benedixerunt populo.*] ad sacerdotes enim filios Aharon spectabat benedicere populo: vt patet Num. 6.

Et exaudita est vox eorum & peruenit oratio eorum ad habitaculum sanctum eius ad cœlum.] Testimonium scripturæ fit est, si quæris quomodo cognitum est, respondeo quòd Spiritus sanctus est auctor Scripturæ sacræ qui omnia nouit & scriptori reuelauit ex illa oratione Deum benedixisse populo. Et bene nota quòd multiplicatio frugum scripta in sequenti capitulo nota fuit ad sensum: sed quòd fuerit fructus istius sacerdotalis benedictionis, ex reuelatione cognitum fuit.

Spiritus sanctus auctor Scripturæ sacræ.

CAPVT XXXI.

Vers. 1. *Vtque perfecissent totum hoc, egressus est totus Israel qui inuentus est in ciuitatibus Iehuda, & fregerunt simulacra, & succiderunt lucos & demolitus sunt excelsa & altaria de toto Iehuda & Beniamin & in Ephraim & Manasse vsque ad consumptionem.*] Hinc quoque apparet quòd post destructum regnum Samariæ hæc gesta sunt.

Reuersique sunt omnes filij Israel vnusquisque ad possessionem suam ad ciuitates suas.

Vers. 2. *Ezechias restituit Ministros Templi.* *Iechizci-iahu uero constituit diuisiones sacerdotum & Leuitarum super diuisiones eorum: vnumquemque in officio proprio tam sacerdotum quam Leuitarum ad holocaustum & pacifica: & ad ministrandum & confitendum & ad laudandum in portis castrorum Domini.*] Castra domini appellantur septa templi in quibus habitabant ministrantes diuino cultui.

Vers. 3 *Pars autem regis eorum erat.*] (Superfluit *eorum*) *vt de eius substantia offerrentur holocausta mane & vesperi & holocausta sabbatorum & calendarum & solemnitatum: sicut scriptum est in lege Domini.*] Manifestatur quòd Ezechias suscepit in se onus prouidendi de iugi holocausto, & de holocaustis sabbatorum, calendarum & reliquarum solemnitatum legis.

Vers. 4. *Præcepitque populo habitanti in Ierusalaim.*] Cœpit facere, deinde docere & præcipere.

Vt darent partes sacerdotibus & Leuitis.] Hebr. habetur: *dare partem sacerdotum & Leuitarum.* hoc est ea quæ secundum legem debebant dare tum sacerdotibus tum Leuitis: quæ scripta sunt in lege Mosis diffuse.

Vt possent vacare legi Domini.] Hic est finis & ratio qua ministris diuini cultus debentur subsidia à populo.

Vers. 5. *Quod cum percrebruisset in auribus multitudinis.*] Hebraicè habetur: *Et sicut multiplicabitur res, multiplicauerunt filij Israel primitias frumenti vini & olei & mellis* Narratur quòd inchoatâ & multiplicatâ oblatione ab habitatoribus Ierusalem, moti eorum exemplo filij Israel alibi habitantes multiplicauerunt & ipsi offerendo primitias.

Et omnium quæ gignit humus.] Hebraicè habetur: *Et omnis fructus agri.* quod minus esse perspicuum est. Deinde immediatè sequitur.

Et decimam omnis in multitudine attulerunt. Prius dixit de primitiis; & postea subiunxit de decimis, & quemadmodum prius narrauit primitias oblatas ab habitatoribus Ierusalem & deinde ab aliis, ita & de decimis intelligendum est. Vnde & subiungitur imitatio habitatorum extra Ierusalem quoad decimas animalium.

Vers. 6. *Filiique Israel & Iehuda habitantes in ciuitatibus Iehuda etiam ipsi decimam boum & ouium decimámque sanctorum quæ vouerant Domino Deo suo, obtulerunt.*] Hebraicè habetur: *Et decimam sanctitatum sanctificatarum Iehouah Eloha eorum, attulerunt.* Leuitæ debebant sacerdotibus decimam decimæ: & hæc sacerdotum portio appellatur *sanctitas sanctificatorum*, quoniam ex sanctificatis Deo decimis datis à populo Leuitis, sumebatur hæc decima sanctificata Deo pro sacerdotibus Et manifestatur per hoc quòd Leuitæ quoque attulerunt debitam decimam sacerdotibus.

Leuita decimam decimæ Sacerdotibus debebant.

Et posuerunt aceruatim

Vers. 7. *Mense tertio cœperunt aceruorum iacere fundamenta.*] Hebraicè habetur: *inceperunt aceruo in fundamento.* hoc est prima principia aceruorum: *Et mense septimo compleuerunt.*

Vers. 8. *Venerunt autem Iechizci-iahu & principes, & viderunt aceruos: benedixerúntque Domino & populo eius Israel.*

Vers. 9. *Et interrogauit Iechizci iahu sacerdotes & Leuitas de aceruis.*

Vers. 10. *Respondítque ei Hazar-iahu sacerdos primus de domo Zadoc, & dixit: ex quo cœpit oblatio afferri in domum Domini comedimus & saturati sumus & superfuit in multitudine, eo quòd benedixit Dominus populo suo & superesse fecit copiam hanc.*] Ecce fructus diuinę benedictionis per sacerdotes factæ, vt narratum est in præcedenti capitulo.

Vers. 11. *Præcepitque Iechizci-iahu præparare cellaria in domo Domini: & præparauerunt.*

Vers. 12. *Intulerúntque oblationes & decimas & quæcunque vouerant.*] Hebr. habetur: *& sanctitates in fide.* Significantur autem decimæ decimarum suprà dictæ: *Fuitque præfectus super ea Chanan-iahu Leuita & Simbi frater eius secundus.*

Vers. 13. *Et Iechiel & Hazaziahu & Nachath & Hasael & Ierumoth & Iozabad & Eliel & Isimachiahu, & Mazbath & Benaiahu, præpositi de manu Chanan iahu & Simbi fratris eius, ex imperio Iechizci-iahu regis & Hazar-iahu Pontificis domus Domini.*] Hebraicè habetur *ducis domus Elohim.* caput enim domus Dei significatur *ad quos omnia pertinebat.* (Nō habetur hæc adiectio in Hebræo.

Vers. 14. *Core verò filius Iimne Leuita ianitor orientalis portæ, præpositus erat his quæ sponte offerebantur Domino.*] Nomen est Iehum.) *rum in fine & consecratis in sancta sanctorum.*] Iuxta Hebr. habetur, *ad dandū eleuationem Iehouah & sanctitatē sanctitatū.* Exponitur inter spōte oblata comprehendi

armaturam in multitudine & clypeos. nec vniuersæ species armorum explicantur.

Vers. 6. *Constituitque Principes bellatorum in exercitu.*] Hebraicè habetur: *Et posuit Principes bellorum super populum.* cuncta enim secundum humanã prouidentiam rectè dispositi,& extra & intus.

Et conuocauit eos ad se in plateam portæ ciuitatis, & locutus est ad cor eorum dicendo. hoc est verba penetrantia corda dixit.

Vers. 7. *Roboramini & confortamini,non timeatis nec paueatis à facie regis Assur, & à facie totius turbæ quæ est cum eo:quia plures sunt nobiscum quàm cũ eo.* Verbis Eliszi Prophetæ vsus est, confisus in diuino auxilio: quod & rei probauit euentus:sonant enim verba hæc multitudinem Angelorum adesse illis, vt Elisæus 4. Reg. 6. eisdem verbis significauit.

Angelorum multitudinẽ sibi adesse significat Ezechias.

Vers. 8. *Cum ipso est brachium carneum, & nobiscum est Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnátque pro nobis.*] Hebraice habetur: *Ad audiendum nos & ad præliandum prælia nostra.* sed sententia in idem redit.

Confortatúsque est populus huiusmodi verbis.] Hebraicè habetur: *Et fuerunt innixi populus super verba Iechizci-iahu Regis Iehuda.* Fructus verborum Ezechiæ manifestatur tantus quòd populus innixus est diuino auxilio per verba Ezechiel prolato.

Vers. 9. *Post hæc misit Sancherib Rex Assur seruos suos in Ierusalaim (ipse enim cum vniuerso exercitu obsidebat Lachis.* Quæstio oritur: quoniam quarti Regum decimooctauo contrarium sonat litera, dicens quòd Rex Assyriorum misit de Lachis Rabsacem cum exercitu graui in Ierusalem ad Ezechiam:quomodo ergo verificatur quòd ipse Sancherib cum vniuersa potentia sua obsidebat Lachis? Solutio est quòd Rabsaces missus tanquam nuncius tempore obsidionis Lachis venit sine exercitu, vt hîc scribitur:sed statim capta ciuitate Lachis misit rex partem exercitus post Rabsacem ad Ierusalem vt in libro Regum scribitur:& ipse rex cum parte exercitus iuit ad debellandum ciuitatem Libnam, vt ex scriptis quarti Regum decimonono colligitur.) *ad Iechizci-iahu Regem Iehuda & ad totum Iehudam qui erat in Ierusalaim dicendo.*

Quomodo de Lachis Rabsacem misit in Ierusalem Sennacherib

Vers. 10. *Sic dixit Sancherib Rex Assur:In quo habetis fiduciam, & sedetis obsessi in Ierusalaim?*

Vers. 11. *Nónne Iechizci-iahu decepit vos vt tradat vos ad moriendum fame & siti,dicendo: Dominus Deus noster liberabit nos de manu Regis Assur?*

Vers. 12. *Nónne ipse Iechizci-iahu abstulit excelsa & altaria eius, & præcepit & Iehudæ Ierusalaim dicendo, coram altari vno adorabitis & super illud thurificabitis?* Vide hæc exposita 4. Regum decimooctauo.]

Vers. 13. *Nónne cognoscitis quæ fecerim ego & patres mei omnibus populis terrarum? an valendo valuerunt Dij gentium terrarum liberare terram suam de manu mea?*

Vers. 14. *Quis est in omnibus Diis gentium istarum quas vastauerunt patres mei qui potuerit liberare populum suum de manu mea,vt possit Deus vester liberare vos de manu mea?*

Vers. 15. *Nunc ergo non decipiat vos Chizci-iahu & non persuadeat vobis sicut hoc, neque credatis ei:si nullus Deus cuiuscũ gentis & regni potuit liberare populum suum de manu mea & de manu patrum meorum, quanto magis Dij vestri non liberabunt vos de manu mea?*

Et adhuc locuti sunt serui eius contra Dominum Deum & contra Iechizci-iahu seruum eius. Vers. 16.

Epistolas quoque scripsit blasphemias plenas in Dominum Deum Israël: & locutus est contra eum dicendo, sicut Dij gentium terrarum non potuerũt liberare populum suum de manu mea, sic Deus Iechizci-iahu non poterit liberare populum suum de manu mea.] Hoc fuit in recessu Sancherib de Iudæa ad resistendum Regi Æthiopiæ:& gesta circa hanc epistolam scripta sunt, 4. Reg. 19. Vers. 17.

Et clamauerũt voce magna Iehudaicè contra populum Ierusalaim qui erat super murum.] Author libri non seruat ordinem rei gestæ:nam hoc fuit ante missas literas,vt liber Regum sonat. Vers. 18.

Vt terreret eos.] Deficit, *& ad attonitos reddendum eos.* ita quòd & timidos & attonitos efficere nitebantur Iudæos. *vt caperent ciuitatem.*

Et locuti sunt contra Elohe Ierusalaim sicut cõtra Deos populorum terræ, opera manuum hominis. Vers. 19.

*Oranítque Iechizci-iahu Rex & Iesaiah-iahu filius Amoz Propheta aduersum hanc blasphemiam: & vociferati sunt vsque in cælum.*nõ clamore corporalis vocis,sed interno affectu cordis. Vers. 20.

Misítque Dominus Angelum, & excidit omnẽ potentiam viribus & Ducem & Principem in castris Regis Assur. Ista Angeli missio fuit non túc, sed post biennium quando Rex Assyriorum iterum misit exercitum suum contra Ierusalem: vt in. 4. Reg. cap. 19. scribitur. Vers. 21.

Ista Angeli missio fuit post biennii.

Reuersúsque est cum ignominia.] Hebraicè habetur: *& reuersus est in verecundia faciei in terram suam.* confusus siquidem ad instar erubescentium reuersus describitur qui iactauerat se cõtra Deum Israël prævalitutum. 4. Reg. 19.

Cúmque ingressus esset domum Dei sui,qui exierãt de visceribus eius ibi interfecerunt eum gladio.

Saluauítque Dominus Iechizci-iahu & habitatores Ierusalaim de manu Sancherib Regis Assur & de manu omnium:& præstitit eis requiem per circuítum.] Vers. 22.

Multi etiam deferebant hostias & sacrificia.] Hebraicè habetur: *Et multi afferentes munus Domino in Ierusalaim.* nec descenditur ad speciem muneris. Vers. 23.

Et munera.] Hebraicè habetur: *& poma Iechizci-iahu Regis Iehudæ:& exaltatus est in oculis omnium gentium post hæc.* Sed vt alias dictum est appellatione pomorum intelliguntur pretiosa:effectus siquidem subsecuti ex mirabili occasione exercitus Sancherib,describuntur in aliis tum relatiuè ad Deum, tum relatiuè ad Ezechiam.

Pomorum nomine pretiosa intelligo.

In diebus illis ægrotauit Iechizci-iahu vsque ad mortem.] Quarti Reg 20. historia hæc tractata est: vbi vide expositum etiam signum datum. *Oranítque Dominum, & exaudiuit eum,& dedit ei signum.* Vers. 24. 4. Reg. 20.

Et non iuxta beneficia quæ acceperat retribuit Iechizci-iahu: quia elevatum est cor eius.] Testatur scriptura non solùm exteriori vanitate sed etiam internâ elatione animi peccasse Ezechiam cùm venerunt ad eum legati à Rege Babylonis. Historia tractata est quarti Regum 20. Vers. 25.

Vanitas Ezechiæ.

Et facta est contra eum ira,& contra Iehudam.] Vindicta per Esaiam prophetam annunciata Ezechiæ ibidem scripta commemoratur.

Humiliatúsque est Iechizci-iahu in exaltatione cordis sui,ipse & habitatores Ierusalaim.] Humilitas ipsius Ezechiæ ibidem legitur:humilitas autem habitatorem Ierusalem hîc primum scribitur. Et per hoc simul insinuatur quòd etiam Vers. 26.

habitatores Ieruſalem elati ſunt corde in aduentu illorum Legatorum: ita quòd peccatum fuit commune Regi & habitatoribus Ieruſalem. Irrepſit autem elatio ex hoc quòd à tam remotis partibus venirent Legati admirantes celſitudinem Regis Ezechiæ apud Deum Iſrael tantam vt ſol retroceſſiſſet propter eum.

Vnde?

Et idcirco non venit ſuper eos ira Domini in diebus Iechizci-iahu. Ratio redditur dilatæ vindictæ ex diuina clementia ſuſcipiente pœnitens cor regis & populi. Dilata autem fuit vſque ad tempus filiorum Ioſiæ regis: vt inferiùs patebit.

Verſ. 27. *Habuitque Iechizci-iahu diuitias & honorem multum valde: & theſauros fecit ſibi argenti & auri & lapidum precioſorum & aromatum & armorum vniuerſi generis.*] Hebraicè habetur: *& clypeorum* nec aliud dicitur de armis: *& omnium vaſorum deſiderabilium.*

Verſ. 28. *Et apothecas frumenti & vini & olei: & præſepia omnium iumentorum, & caulas pecorum.*

Verſ. 29. *Ciuitatéſque fecit ſibi, & greges ouium & boum in multitudine: quia dederat ei Deus ſubſtantiam multam valde.*

Verſ. 30. *Et ipſe Iechizci-iahu obturauit exitum aquarum Gihon ſuperiorem, & direxit eas ſubter ad occidentem ciuitatis Dauid: & proſperatus eſt Iechizci-iahu in omni opere ſuo.*

Verſ. 31. *Attamen in legatione principum Babylanis, qui miſſi fuerant ad eum vt interrogarent de portento quod acciderat ſuper terram, dereliquit eum Deus vt tentaretur & nota fierent omnia quæ erant in corde eius.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et ſic in interpretibus principum Babel miſſis ad eum ad quærendum mirabile quod fuit in terra, reliquit eum Elohim: ad tentandum eum ad ſciendum omne in corde eius.* Multa hîc manifeſtantur: primum quòd per interpretes habitus eſt ſermo cum legatis. Scito tamen quòd dictio interpretata *miſſis*, poteſt referri ad interpretes, poteſt enim legi *miſſorum*: ita quòd venerint magnates cũ interpretibus, vel venerint interpretes miſſi à principibus. Nec eſt dubium quòd de mirabili retroceſſione ſolis quæſituri venerint ad agnoſcendum ſeriem rei geſtæ ex ore ipſius Ezechiæ regis. Derelictio autem Ezechiæ à ſupremo iudice nihil aliud eſt quàm negatio gratuiti auxilij relinquendo Ezechiam ipſimet Ezechiæ in aduentu illorum Legatorum: & hoc ad tentandum ipſum Ezechiam (hoc eſt ad inſtar tentantis quantum valent vires Ezechiæ ad benefaciendum, ad non peccandum in huiuſmodi laudibus) vt hinc ad inſtar experientiâ comprobantis ſciret quicquid erat in corde Ezechiæ.

Derelictio Ezechiæ à Deo, qua?

Deo quomodo tribuantur: relinquere, tentare ſcire?

Aduerte prudens lector quòd iſtarum trium actionum attributarum Deo) videlicet relinquere, tentare & ſcire) prima duntaxat conuenit Deo propriè: aliæ vero duę metaphoricè attribuuntur Deo hîc, quemadmodum & iraſci & pœnitere: dicitur enim Deus tentaſſe Ezechiam & inde cognouiſſe cor eius elatum, quia ad inſtar tentantis & experientia cognoſcentis, effectum fecit: videlicet in manifeſtum producere valorem rei quæ probatur: manifeſtauit enim quantum valeret cor Ezechiæ ad aliorum exemplum, & vt ipſe Ezechias noſſet ſeipſum & humilis corde pœnitens emergeret.

Verſ. 32. *Reliqua autem verborum Iechizci-iahu & gratiæ eius: ecce ipſa ſcripta ſunt in viſione Ieſah-iahu filij Amoz prophetæ & in libro.* Legendum eſt ſine *&*, *in libro Regum Iehuda & Iſraël.*] Sonat ſiquidem litera Eſaiam feciſſe librum regum Iudæ & Iſrael, quo caremus.

Verſ. 33. *Dormiuitque Iehizci-iahu cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum ſuper ſepulchra.*] Hebraicè habetur: *In optimo ſepulchrorum filiorum Dauid.* Electus locus cæteris ex ſtirpe Dauidis præſtantior propter Ezechiæ merita narratur.

Et celebrauit exequias eius.] Hebraicè habetur: *& honorem fecerunt ei in morte eius totus Iehuda & habitatores Ieruſalaim*: ita quòd à toto regno honoratus eſt mortuus, & non ſolum à Ieroſolyma: *& regnauit Menaſſes filius eius pro eo.*

CAPVT XXXIII.

VERS. 1. Manaſſes filius Ezechiæ regnat in Ieruſalem. *Filius duodecim annorum erat Menaſſes cum regnare cœpit, & quinquaginta quinque annis regnauit in Ieruſalaim.*

Verſ. 2. *Fecitque malum in oculis Domini: iuxta abominationes gentium quas expulit Dominus a facie filiorum Iſrael.*

Verſ. 3. *Et conuerſus* (Iuxta Hebræum habetur: *Et reuerſus eſt & ædificauit excelſa quæ demoliti fuerat Iechizci-iahu pater eius.* Quatenus rex, reuerſus dicitur ad idololatriam aui à qua receſſerat pater eius Ezechias.

Exercitum cæli ſunt aſtra. *Et erexit aras Behalim & fecit lucos, & adorauit omnem militiam.* (Hebraicè habetur: *exercitum*) *cæli*: ſolem videlicet lunam & ſtellas: *& coluit eos.*

Verſ. 4. *Ædificauitque altaria in domo Domini: de qua dixerat Dominus, in Ieruſalaim erit nomen meum in æternum.*

Verſ. 5. *Et ædificauit aras toti exercitui cœli, in duobus atriis domus domini.*

Verſ. 6. *Tranſiréque fecit filios ſuos per igem in valle Ben-hinnom, & obſeruabat ſomnia.*] Hebraicè habetur: *tempora.* Deinde immediatè ſubiunguntur incantationes, maleficia, pythones & magi, quæ interpres aliis vocabulis protulit.

Iniquitas regis Manaſſe. *Et ſectabatur auguria & malefeis artibus inſeruiebat, & habebat ſecum Magos & incantatores: multiplicauit facere malum in oculis Domini irritando eum.*

Verſ. 7. *Sculptile quoque & conflatile ſignum quod fecerat.* (Hebraicè nihil habetur de conflatili.) *poſuit in domo Domini.*] Nomen eſt *Elohim* tam hîc quàm cùm ſubiungitur, locutus eſt dominus.

De qua dixit Deus ad Dauid & ad Salomonem filium eius, in domo hac & in Ieruſalaim quam elegi de omnibus tribubus Iſrael ponam nomen meum in æternum.

Verſ. 8. *Et non addam vt mouere faciam pedem Iſrael de terra quam tradidi patribus eorum: dumtaxat ſi cuſtodierint facere omnia quæ præcepi eis, totam legem & ſtatuta & iudicia in manu Moyſis.*

Verſ. 9. *Igitur Menaſſes ſeduxit.* (Hebraice habetur. *Et fecit errare Menaſſes*) *Iehudam & habitatores Ieruſalaim: vt facerent malum præ gentibus quas ſubuerterat Dominus à facie filiorum Iſrael:* Maior iniquitas quàm fuerit iniquitas Ethnicorum attribuitur regi, tanquam indocto populum ad tantum ſcelus.

Verſ. 10. *Locutúſque eſt Dominus ad Manaſſem & ad populum*

populum eius. proculdubio per prophetas. *& attendere noluerunt.*

Vers. 11. *Et adduxit Dominus super eos principes exercitus regis Assur: & ceperunt Manassem, & vinxerunt eum compedibus & duxerunt eum in Babel.*] 4. Reg. 21. *Manasses vinctus ductus est in Babylonem.* Historia Manassis scripta est & tractata quarti Reg. 21. sed ista captiuitas ibi non fuit scripta: nõ ipse rex Assyriorum venit, sed principes exercitus eius venerunt aduersùs Manassem. Modus autem quo ceperunt Manassem, non est authenticè scriptus: Iosephus tamen dicit fuisse eum dolo captum: nihil enim scribitur de conflictu bellico, sed duntaxat quòd captus & vinctus ductus est in Babylonem. Nec scitur quoto anno regni eius hoc acciderit.

Vers. 12. *Qui postquam coangustatus est.* (Hebraicè habetur. *Et angustando eum*) *orauit faciem Domini Dei sui.*] Quales fuerint angustiæ illatæ vincto regi nescimus: sed quod angustantibus eum orauit summum Deum.

Agens pœnitentiam *Et egit pœnitentiam valde coram Deo.*] Hebraïcè habetur: *& humiliatus est valde à facie Elohe patrum suorum.* Vexatio dedit intellectum vt resipisceret.

Vers. 13. *Orauitque ad eum & obsecrauit intentè, & exaudiuit deprecationem eius:*] Verè clementissimus Deus & promptus ad miserendum.

Regno restituitur. *Reduxitque eum in Ierusalem in regnum suum.*] Modus quo rex Assyriorum restituit eum in regnum, non est scriptus: tempus autem carceris insinuatur breuissimum, ex eo quòd nullus legitur electus rex interim in Ierusalem.

Et cognouit Manasses quòd Iehouah ipse Elohim.] Collatâ idololatriâ priore cum beneficio accepto à summo Deo statim vt resipuit, cognouit quod Iehouah in lege Mosis & in prophetis prædicatus creator cœlorum & terræ, ipse est gubernator & iudex omnium. Et hinc insinuatur quòd Manasses prius non credebat summum Deum gubernare hæc humana: & propterea tantam iniquitatum molem construxit.

Vers. 14. *Et post hæc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid ad Occidentem Ghichon in torrẽte & ad introitum in portam piscium & circumdedit Hophel, & exaltauit ipsum valde: constituitque principes exercitus in omnibus ciuitatibus munitis in Iehuda.*

Vers. 15. *Et abstulit deos alienos & simulacrum de domo Domini.* Ecce effectus veræ pœnitentiæ. *& omnes aras quas extruxerat in monte domus Domini.* hoc est in monte Mori-iah. *& in Ierusalaim: & proiecit extra ciuitatem.*

Vers. 16. *Ædificauitque altare Domini, & immolauit super illud victimas pacificorum & laudem*] hoc est munera pro libertatis beneficio recepto. *præcepitque Iudæ vt seruiret Domino Deo Israel* alioquin non fuisset integra pœnitentia.

Vers. 17. *Attamen adhuc populus immolabat in excelsis, duntaxat Domino Deo suo.*

Vers. 18. *Reliquum autem verborum Manassis & oratio eius ad Deum suum, & verba videntium qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israël: ecce continentur in sermonibus regum Israel.*

Vers. 19. *Oratio quoque eius, exauditio & omnia peccata, & prævaricationes eius, & loca in quibus ædificauit excelsa & fecit lucos & statuas antequam ageret pœnitentiam: ecce ipsa scripta sunt in sermonibus Chozai.*] Hoc libro caremus.

Vers. 20. *Dormiuitque Manasses cum patribus suis, & sepelierunt eum in domo sua: & regnauit Amon filius eius pro eo.*

Filius viginti annorum erat Amon cum regnare cœpit. & duobus annis regnauit in Ierusalaim. Vers. 21.

Fecitque malum in oculis Domini sicut fecerat Manasses pater eius: & omnibus idolis quæ fecerat Manasses pater eius immolauit Amon, & coluit ea. Vers. 22. *Amon filius Manasse duobus annis ẽ regnasset, occiditur à seruis suis.*

Et non est reuersus faciem Domini, sicut reuersus est Manasses pater eius: & multo maiora deliquit.] Hebraicè habetur: *quia ipse Amon multiplicauit delictum.* Pater eius amputauerat delictum pœnitendo, ipse verò impœnitens multiplicauit. De coniuratione autem contra Amon facta, idem hîc scribitur & in quarto regum. Vers. 23.

Coniurauerúntque contra eum serui eius: & interfecerunt eum in domo sua. Vers. 24.

Percussitque populus terra omnes qui coniurauerant contra regem Amon, & regem constituit Iosi-iahu filium eius pro eo. Vers. 25.

CAPVT XXXIV.

Filius octo annorũ erat Iosi-iahu cum regnare cœpit: & triginta & vno annis regnauit in Ierusalaim. VERS. 1. *Iosias filius Amon Rex Iuda.*

Fecitque rectum in oculis Domini: & ambulauit in viis Dauid patris sui, neque declinauit ad dexteram & sinistram. Vers. 2. *Princeps optimus.*

Octauo autem anno regni sui cum adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui Dauid: & duodecimo anno cœpit mundare Iehudam & Ierusalaim ab excelsis, & lucis, & simulachris, & sculptilibus. Vers. 3.

Destruxerúntque coram eo aras Behalim, & simulachra quæ erant super eas demoliri fecit.] Aiunt per distinctionem redditum simulachra significari quædam dicata soli in excelsis valde. *& lucos & sculptilia.*] Deficit *& conflatilia:* legendum est: *& sculptilia & conflatilia fregit & comminuit.* Sed de his non oportet esse solicitum: in quarto enim Regum gesta Iosiæ diffusè scripta sunt cap. 22. & 23. Vers. 4.

Et super tumulos eorum qui eis immolare consueuerant, fragmenta dispersit.

Ossáque sacerdotum combussit super altaria: & mundauit Iehudam ac Ierusalaim. Vers. 5.

Et in ciuitatibus Manassis & Eph-raim & Simbon vsque ad Naphthali in desolationibus eorum per circuitum. Vers. 6.

Demolitúsque est altaria & lucos, & simulachra contriuit in frusta, & omnia simulachra demolitus est in tota terra Israel: & reuersus est in Ierusalaim. Vers. 7.

Anno autem decimooctauo regni sui mundata iam terra & templo. ab idololatriis renouatis à patre suo Amon. *misit Saphan filium Azal-iahu & Maasse-iahu principem ciuitatis & Ioach filium Ioachaz à commentariis, ad instaurandum domum Domini Dei sui.* Vers. 8. *Domum Domini instaurare aggreditur.*

Venerúntque ad Chilci-iahu sacerdotem magnum, acceptamque pecuniam ab eo quæ illata fuerat in domum Domini.] Hebraicè habetur: *& dederunt argentum illatum in domum Elohim.* Collectores dederunt argentum coram Pontifice & nunciis regis: collectores autem subiunguntur Leuitæ custodes malluuij, quamuis vulgata Editio habeat *Leuitæ & ianitores.* Vers. 9.

Quod congregauerant Leuitæ & ianitores de Manasse & Eph-raim & de toto residuo Israel.] Ab vniuersis Israëlitis qui supererant in partibus illis narratur collecta pecunia per Leuitas.

Et de toto Iehuda & Beniamin : & habitatoribus Ieruſalem.] Hebraicè habetur : *& reuerſi ſunt ad Ieruſalaim.* Collectores Leuitæ diſcurrerunt per Manaſſem, Ephraim, Iudam, & Beniamin & vniuerſas reliquias, & reuerſi ſunt in Ieruſalem: prius enim more ſolito narratum eſt quòd dederunt argentum, & deinde narratus eſt modus quo collectum eſt argentum.

Verſ. 10. *Tradiderúntque in manum eorum qui præerant operibus in domo Domini ad ſarciendum & roborandum domum.*

Verſ. 11. *Et illi dederunt ipſum artificibus & cementariis ad emendum lapides excíſos, & ligna ad commiſſuras : & ad contignandum domos quas deſtruxerant reges Iehuda.*

Verſ. 12. *Et viri faciebant fideliter in opere : & ſuper eos ordinati erant Iachath & Hobadiahu Leuitæ de filiis Merari, & Zechariæ, & Meſſullam de filiis Cahathitarum ad ſolicitandum : & omnes Leuitæ in inſtrumentis cantus intelligentes.*

Verſ. 13. *Super baiulos verò & ſolicitatores omnium laborantium in quolibet opere, erant de Leuitis ſcribæ, & præfecti, & ianitores.*

Verſ. 14. *Leuorum legis reperit Helcias Sacerdos.* *Cúmque efferrent pecuniam quæ illata fuerat in domum Domini, reperit Chilciahu ſacerdos librum legis Domini, quis datus fuerat in manu Moſis.*] Superfluit *quis datus fuerat :* Hebraïcè enim habetur : *librum legis Iehouah in manu Moſis.* Et refertur ad legem manus Moſis : eſt enim ſenſus, librum legis diuinæ non latæ à Deo per prophetam quemcunque, ſed per Moſem.

Verſ. 15. *Reſpondítque Chilciahu & dixit ad Saphan ſcribam, librum legis repert in domo Domini : & tradidit ei.*

Verſ. 16. *Saphan autem attulit librum ad regem, & retulit præterea regi verbum dicendo : omne quod dediſti in manum ſeruorum tuorum ipſi faciunt.*

Verſ. 17. *Conflauerúntque argentum quod inuentum eſt in domo Domini : & tradiderunt illud præfectis & facientibus opus.*

Verſ. 18. *Nunciauit quoque Saphan ſcribas regi dicendo, librum dedit mihi Chilciahu ſacerdos : & legit in eo Saphan coram rege.*

Verſ. 19. *Cúmque audiſſet rex verba legis, ſcidit veſtimenta ſua.* horrore offenſarum commiſſarum in Deum à patribus ſuis & populo, adiuncto timore pœnarùm in libro comminatarum.

Verſ. 20. *Et præcepit rex Chilciahu, & Ahicam filio Saphan, & Habdon filio Micha, & Saphan ſcribæ, & Haſaiæ ſeruo regis dicendo.*

Verſ. 21. *Ite conſulite Dominum pro me & pro reliquiis in Iſrael & in Iehuda ſuper verbis libri qui repertus eſt : magnus enim furor Domini ſtillauit ſuper nos.*] Rectius legeretur : *quia magna ira Iehouah quæ adiecta eſt in nos.* Stillatio enim innocentem punitionem inſinuat. *eo quod non cuſtodierunt patres noſtri verbum Domini vt facerent iuxta omne quod ſcriptum eſt in libro hoc.*

Verſ. 22. *Helda Prophetiſſa.* *Abiítque Chilciahu & qui erant regis ad Huldam prophetiſſam vxorem Sallum filij Thocharh filij Chaſra cuſtodis veſtium.*] Non mulier, ſed maritus eius cuſtos ſignificatur : eſt enim maſculini generis.

Quæ habitabat in Ieruſalaim in ſecunda.] Vt in quarto Regum diximus, dictio Hebraica interpretanda erat : *in repetitorio.* vide ibi cap. 22. *& locuti ſunt ad eam iuxta hoc.*

Verſ. 23. *Quæ reſpondit eis : Sic dixit Dominus Deus Iſrael : dicite viro qui miſit vos ad me.*

Verſ. 24. *Sic dixit Dominus : ecce ego adduco malum ſuper locum iſtum & ſuper habitatores eius, omnia maledicta quæ ſcripta ſunt in libro quem legerunt coram rege Iehuda.*

Verſ. 25. *Pro eo quod dereliquerunt me & thuriſicauerunt dijs alienis, vt me ad iracundiam prouocarent in omnibus operibus manuum ſuarum : ſtillabitque furor meus in locum iſtum & non extinguetur.*

Verſ. 26. *Ad regem autem Iehuda qui miſit vos ad conſulendum Dominum ſic dicetis : ſic dixit Dominus Deus Iſrael quoniam audiſti verba voluminis.*] Hebraicè habetur : *verba quæ audiſti.* tum ex libro tum à me, *ſic dixit Iehouah Eloha Iſrael.* Deinde immediatè ſequitur :

Verſ. 27. *Pro eo quòd tenerum factum eſt cor tuum & humiliatus es à facie Elohim cum audiſti verba eius ſuper locum iſtum & ſuper habitatores eius, & humiliatus es coram me, & ſciſſiſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me : & etiam ego exaudiui te dicit Dominus.* Sententia eſt clara.

Verſ. 28. *Iam enim* (Parui refert quod Hebraicè habetur : *Ecce ego*) *colligam te ad patres tuos & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace.* Beneficium dilationis tantæ ruinæ promittitur.

Nec videbunt oculi tui. corporei. *omne malum quod ego adduco ſuper locum iſtum & ſuper habitatores eius.*

Per oculos omnes ſenſus ſignificatur. Per oculos vniuerſi ſenſus ſignificátur : promittitur enim Ioſiæ quòd à ſêſibili notitia, qualis eſt quæ habetur in præſenti vita, exéptus erit : quoniá pœnalis valde fuiſſet : nec propterea priuatus eſt intellectuali notitiâ in limbo exiſtens malorum quæ paſſi ſunt in hac vita filij eius. Et bene nota quod non dico animam Ioſiæ in limbo nouiſſe mala filiorum : ſed dico ex hac prophetia non ſignificari ipſum priuatum tali notitia.

Et retulerunt regi verbum.

Verſ. 29. *Miſitque rex : & congregauit omnes ſeniores Iehuda & Ieruſalaim.*

Verſ. 30. *Et aſcendit rex in domum Domini & omnis vir Iehuda & habitatores Ieruſalaim, & ſacerdotes, & Leuitæ, & totus populus a magno vſque ad paruum :* Sanctus rex quamuis à muliere prophetico ſpiritu loquente audierit firmatam eſſe diuinam ſententiam, non deſtitit tamen cum vniuerſo populo facere quod in ſe eſt ad placandum ſummum Deum.

Et legit in auribus eorum omnia verba voluminis.] Deficit, *fœderis inuenti in domo Iehouah.* Liber enim legis inuentus in domo appellatur liber fœderis, quia continebat fœdus inter Deum & populum.

Verſ. 31. *Steteríque rex in loco ſuo, & percuſſit fœdus coram Domino vt ambularet poſt Dominum & cuſtodiret præcepta & teſtimonia & ſtatuta eius in toto corde ſuo & in tota anima ſua faciendo verba fœderis ſcripta in libro hoc.*] Optimus rex ipſe primus ſe obligat, vt alios ab exemplo trahat ad idem.

Verſ. 32. *Adiurauit quoque ſuper hoc.* (Parui refert quòd Hebraicè habetur : *Et fecit ſtare*) *omnem inuentum in Ieruſalaim & Beniamin.* Abſque adiuratione fecit quòd populus quoque fœdus iniret cum ſummo Deo.

Et fecerunt habitatores Ieruſalaim iuxta pactum Dei, Dei patrum ſuorum.] Vtrobique eſt nomen *Elohim.*

Verſ. 33. *Exemplum Principi quid ageat.* *Abſtulítque Ioſiahu omnes abominationes de omnibus terris filiorum Iſrael ſeruire Domino Deo ſuo.*] Hebraïcè habetur : *Iehouah Eloha eorum.* Deinde immediatè ſequitur.

Cunctis

Cunctis diebus non recesserunt à Domino Deo patrum eorum. Vide quàm efficax sit exemplaritas principis persequentis.

CAPVT XXXV.

VERS. 1. *FEcitque Iosi'iahu in Ierusalaim pascha Domino: & immolauerunt pascha quartadecima die mensis primi.*

Vers. 2. *Et constituit sacerdotes in custodiis suis: hortatúsque est eos ad ministerium domus Domini.*

Vers. 3. *Leuitisque ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus est: ponite arcam in sanctuario templi.*] Hebraicè habetur: *ponite arcam sanctitatis in domo quam ædificauit Selomo filius Dauid Rex Israel.* Nisi fuisset prius extracta arca Dei è templo, non dixisset Iosias Leuitis vt ponerent arcam sanctitatis in domo quam ædificauit Salomon: quando autem fuerit inde educta & vbi interim manserit, scriptura tacet. Ex hoc autem quòd arca Dei quæ erat maximum sacrum extracta narratur de templo, insinuatur quòd omnia alia aut extracta aut prophanata fuerint: timuerunt autem idololatræ prophanare arcam Dei, memores eorum quæ acciderant Philisthinis & Bethsemitis & Ozæ, quæ scripta sunt in primo libro Regum; & propterea maluerunt vt ex templo educeretur. Iosias autem religiosissimus fecit eam reduci in templum.

Arcam è templo extractam Iosias in templum reduxit iterum.

Nequaquam enim eam vltra portabitis, nunc seruite Domino Deo vestro & populo eius Israel.] Eandem sententiam protulerat olim Dauid ad eundem finem: videlicet quòd quia non essent subituri onus vehendi arcam humeris, collocata iam arca in templo, vacarent diuinis officiis. Innuunt autem verba hæc quòd redierant Leuitæ ad pristinum onus, scilicet vehendi arcam humeris sicut ante ædificationem templi faciebant, & propterea coniectura hinc habetur quòd non paruo tempore nec in vno duntaxat loco fuerit arca extra templum post idololatriam Regum Iudæ: reditus enim Leuitarum ad officium pristinum hoc innuit. Leuitæ autem hoc ip loco non distinguuntur contra sacerdotes: nam gestare humeris arcam Dei, plus sacerdotum erat quam Leuitarum.

Vers. 4. *Et præparate vos per domos patrum vestrorum in diuisionibus vestris: sicut scripsit Dauid Rex Israel, & iuxta scripturam Salomonis filij eius.*] Dauid ergo principaliter, Salomon autem consequenter scripsit diuisiones sacerdotum & Leuitarum.

Vers. 5. *Et ministrate in sanctuario eius per familias turmasque Leuiticas.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et stabitis in sanctuario ad diuisionem domus patrum, fratribus vestris filiis populi: & diuisionem domus patris Leuitis.* Ita iacet in Hebræo. Et quamuis obscura sit litera, sensus tamen est quod Leuitæ stent in sanctuario secundùm diuisiones patrum, diuisiones inquam domorum secundum patres Leuitarum, stent autem ad ministeria diuina opportuna fratribus suis filiis populi: hoc est vniuersis Israëlitis: hoc enim ad euitandam confusionem ministrorum cum populo sanctissimè decretum est. Deinde immediate sequitur.

Et ingulabitis pascha:

Vers. 6. *Et eritis sanctificati & facietis præparare fratres vestros, ad faciendum sicut verbum Iehonah in manu Mosis.*] Sententia clara est, mandat enim executionem decretorum per Mosem, quæ scripta sunt in libro Exodi principaliter.

Vers. 7. *Largitio Iosiæ, & Ductũ eius.*

Dedit præterea Iosias omni populo qui ibi fuerat inuentus in solemnitate phasè agnos & hædos, de gregibus & reliqui pecoris triginta millia.] Hebraicè habetur: *Et largitus est Iosi'iahu filius populi omnium, agnorum & filiorum caprarum (omnium pro paschatibus omni inuento in numero triginta millia, & bouum tria millia: hæc de substantia regis) eorum triginta millia & tria millia boum dedit rex, non quod boues neque oues immolarentur pro agno paschali, sed vt in illis diebus solemnitatis paschalis haberent festiuas victimas. Et ad hunc eundẽ vsum intellige subiunctas largitiones.*

Vers. 8. *Duces quoque eius sponte quod voluerant obtulerunt tam populo quam sacerdotibus & Leuitis.*] Hebraicè habetur: *Et principes eius voluntarij populi sacerdotibus & Leuitis eleuauerunt.* appellant enim eleuationem, largitionem relatam in Deum. Et hæc clausula initium est subiunctorum: inchoat siquidem à largitione quam principes regis profusè fecerunt tum populo quantum voluit, tum sacerdotibus, tum Leuitis: & subiunguntur postea in specie diuersi principes diuersa largientes, Sufficientia autem oblatorum significatur dicendo, voluntati populi sacerdotibus & Leuitis: insinuatur enim quòd quantum volebat populus largiti sunt.

Porro Chilci'ia & Zechar'iahu, & Iechiel duces domus Elohim.] Absque alia nota continuatiua subiunguntur immediatè isti tres.

Sacerdotibus dederunt pro paschatibus duo millia & sexcenta, & boues trecentos.

Vers. 9. *Chonan-iahu autem & Semah-iahu, & Nethanel fratres eius, & Chasabi-iahu, & Iehiel, & Iosabad principes Leuitarum: eleuauerunt Leuitis pro paschatibus quinque millia, & boues quingentos.*] Dixerat in genere principes eius, dicit modò in individuo quòd isti tres duces domus *Elohim* dederunt sacerdotibus: præter id quod principes regis dederunt, narratur in specie quid dederint principes regis ex tribu Leuitica, primum principes sacerdotum sacerdotibus & deinde principes Leuitarum Leuitis.

Vers. 10. *Præparatúmque est ministerium: & steterunt sacerdotes in loco suo & Leuitæ in diuisionibus suis iuxta præceptum regis.*

Vers. 11. *Immolauerúntque paschà: & asperserunt sacerdotes manus suas sanguine.*] Hebraicè habetur: *& asperserunt sacerdotes de manu eorum.* Pronomen *eorum* populum demonstrat, ad differentiam temporis Ezechiæ quo sacerdotes asperserunt de manu Leuitarum supplentium vices immundorum, ad insinuandum itaque quòd populus non erat immundus, sicut fuerat tempore Phasè celebrati sub Ezechia) sed quòd tempore Iosiæ populus erat sanctificatus, scribitur quòd sacerdotes asperserunt sanguinem secundum legis ritum circa altare de manu eorum qui immolabant.

Et Leuitæ detraxerunt pelles holocaustorum.] Hebraicè habetur: *& Leuitæ spoliantes.* procul dubio animalia quæ offerebantur: hoc enim propter multitudinem magnam etiam tempore Ezechiæ factum legitur.

Vers. 12. *Holocaustũ hîc est nisi pars animalium quæ trimabatur Deum modum holocausti.*

Et separauerunt ea vt darent per domos & familias singulorum.] Hebraicè habetur: *Et separauerunt holocaustum in terminando ea.* Et appellatione holocausti intelligitur adeps animalium qui cremabatur Deo in modum holocausti. Et est sensus

sensus quòd sacerdotes remouerunt à multitudine victimarum portionem illam quæ cremabatur Deo vsquequo terminata esset huiusmodi remotio ab omnibus victimis. Et immediate subditur:

Diuisionibus domus patrum filiis populi ad offerendum Iehouah, sicut scriptum est in libro Mosis: & sic bobus.] Ordinata oblatio describitur: ita quod secundum diuisiones familiarum populi offerebant victimas iuxta ritum legis, sacerdotibus remouentibus portionem cremandam Deo. Et hoc non solum in victimis ex ouibus & captis, sed etiam ex bobus seruatum scribitur.

Vers. 13. *Et coxerunt pascha igne iuxta ritum: pacificas verò hostias coxerunt in lebetibus & cacabis & ollis, & festinatè distribuerunt omnibus filiis populi.*

Vers. 14. *Sibi autem & sacerdotibus postea præparauerunt, quia sacerdotes filij Aharon in oblatione holocausti & adipum vsque ad noctem fuerunt occupati: Leuitaque præparauerunt sibi & sacerdotibus filijs Aharon.*

Vers. 15. *Porro cantores filij Asaph stabant in ordine suo iuxta præceptum Dauid & Asaph & Heman & Iedithun prophetarum regis*] Hebraicè habetur: *videntis regis.* Singularis numeri est, & ad Iedithun directè refertur.

Et ianitores ad singulas portas obseruabant: non erat eis recedendum à ministerio suo, quia fratres eorum Leuitæ præparauerunt eis.

Vers. 16. *Præparatúmque est omne ministerium Domini in die illa ad faciendum pascha, & ad offerendum holocausta super altare Domini: iuxta præceptum regis Iosi-iahu.*

Vers. 17. *Fecerúntque filij Israel inuenti pascha in tempore illo: & solemnitatem azymorum septem diebus.*

Vers. 18. *Pascha hoc Iosiæ celeberrimum.* *Et non est factum pascha simile huic in Israël à diebus Samuel prophetæ*] Præfertur celebritas paschalis tempore Iosiæ reliquis præteritis tam tempore Iudicum (quorum vltimus fuit Samuel) quàm tempore Regum, non solum Iudæ, sed etiam Israel: vt fuerunt Saul, Dauid & Salomon, præfertur autem quoad hoc quòd fuit celebratum solenniter ab omnibus Israëlitis qui erant in terra promissionis: in aliis enim celebrationibus nunquam conuenerunt omnes, sed aliqui remanebant qui non celebrabant pascha: hanc enim singularitatem significant subiuncta verba iuxta Hebraicam veritatem.

Et omnes reges Israël non fecerunt sicut Pesach quod fecit Iosi-iahu, & sacerdotes, & Leuitæ, & omnis Iehuda & Israel inuentus, & habitatores Ierusalem.] significanter enim dicitur & omnis Iuda & Israël inuentus, vt hinc intelligamus hanc fuisse singularitatem huius Phasc quod celebratum est ab omnibus Israelitis inuentis in terra promissionis.

Vers. 19. *Decimooctauo anno regni Iosi-iahu, factum est Pascha hoc.*

Vers. 20. *Postquam instaurauerat Iosias templum.*] Hebraicè habetur: *Post omne istud fecit præparare Iosi-iahu domum.* proculdubio Dei. Et est sensus, post omne istud & quòd præparauit etiam domum Dei, ascendit Necho rex Ægypti &c. Post tot bona opera describitur subsecutus modus quo mortuus est rex Iosias: vt intelligamus diuinam gratiam etiam tempore veteris Testamenti concessam amicis Dei non secundùm temporalem vitam quamuis concupitam.

Ascendit Necho Rex Ægypti ad pugnandum in Charchemis iuxta Euphratem. Aiunt Charchemis esse nomen ciuitatis: sed an sit in terra promissionis non inuenio: & propterea incertum restat an significetur terminus quò tendebat rex Ægypti, an locus ad quem peruenerat tunc. *Necho Rex Ægypti.*

Et egressus est in occursum eius Iosi-iahu. Vers. 21.

Misitque ad eum nuncios dicendo: quid mihi & tibi est rex Iehuda.] subaudi commune est litigandum? nulla inter nos materia belli. *Mittit nuntios ad Iosiam.*

Non contra te hodie venio, sed contra aliam domum pugno.] Hebraicè habetur: *non super te hodie quia ad domum belli mei.* Et est sensus, non contra te venio quia ad domum, materiam belli mei, propero. Et appellat domum belli sui, domum hostem sibi.

Ad quam Deus festinatè me ire præcepit.] Hebraicè habetur: *& Elohim dixit ad stupefaciendum.* Dictio Hebraïca significat non qualecumque stupefacere, sed stupefacere reddendo attonitos. Et est sensus quòd Deus disposuit me in hoc progressu ad reddendum alios attonitos, hoc est ad tam mirabile opus faciendum vt alij stupeant quasi attoniti.

Desine aduersum Deum facere qui mecum est, ne interficiat te.] Hebraicè habetur: *Declina tibi ab Elohim qui mecum, & non perdet te.* Congressum suum Deo tribuit rex Ægypti, monendo Iosiam vt non occurreret sibi.

Noluit autem Iosi-iahu reuerti, sed præparauit contra eum prælium, nec acquieuit sermonibus Necho ex ore Dei.] Nomen est *Elohim.* Si inculpabilis fuisset occursus Iosiæ aduersus regem Ægypti, non diceret Scriptura quòd non audiuit verba Necho ex ore *Elohim:* affirmatur itaque & quod verba regis Ægypti processerunt ex ore *Elohim* summi vpiuersorum iudicis, & imputatur Iosiæ quòd non audiuit huiusmodi verba. Ratio autem imputationis non est quòd debuerit credere verba illa esse verba Dei: sed quòd auditâ diuinâ legatione, quâ se fungi dicebat rex Ægypti, debebat Deum consulere, & non absque diuino oraculo persistere in cœpto occursu. Vers. 22. *Iosias spreuit monitum Nechao à Deo.*

Sed perrexit vt dimicaret in campo Megiddo.] Megiddo nomen est ciuitatis cuius regem cepit Iosua; vt scribitur Iosuæ. 12. Et hinc apparet quòd infra terminos terræ promissionis transibat rex Ægypti Et hac occasione motus creditur Iosias ad bellum contra regem Ægypti: quamuis rationabilior belli causa videatur timor ne expugnato vicino regno ab Ægyptiis, expugnaretur postea regnum Iudæ.

Ibique vulneratus à sagittariis, dixit pueris suis: educite me de prælio quia oppidò vulneratus sum.] Iuxta Hebræum habetur: *facite transire me quia ægrotans valde.* Vers. 23. *Vulneratus in prælio.*

Et transire fecerunt eum serui eius de curru, & equitare fecerunt eum super currum secundum quæ ei.] Non manifestauit se vulneratum, sed quasi ægrum se transferri in alterum currum præcepit, ne exterreret exercitum suum. Vers. 24.

Et asportauerunt eum in Ierusalaim & mortuus est & sepultus in sepulchris patrum suorum. Non caret quæstione quòd in quarto Reg. c. 23. legitur Iosias occisus in Megiddo, hîc verò narratur ductus in Ierusalem & mortuus. Solutio est quòd licet Iosias viuus migrauerit de curru in currum, non tamen viuus peruenit in Ierusalem: nam clarè ibidem dicitur quòd de Megiddo mortuum adduxerunt: nec hîc dicitur quòd viuus *Moritur.* *Concordia huius loci cum. 4. Reg. 23.*

venerit

venerit in Ierusalem: quamuis narretur prius duci Ioiachim Ierusalem quam mors: sæpe enim ordo rei gestæ non est secundum ordinem narrationis.

Totiusque Iehuda & Ierusalaim luxerunt eum.

Vers. 25. *Lamentatusque est Irme-iahu super Iosi-iahu, & dixerunt omnes cantores & cantatrices in lamentationibus suis de Iosi-iahu usque hodie & dederunt hoc in statutum super Israel: & ecce scripti sunt in lamentationibus.* Ieremiæ prophetæ.

Vers. 26. *Reliqua autem verborum Iosi-iahu & gratiæ eius quæ lege præcepta sunt Domini.*] Hebraicè habetur: *sicut scriptum in libro Iehouah.* Et refertur ad reliqua gesta Ioſiæ. Declaratur enim quòd fuerunt recta sicut scriptū est in libro *Iehouah*: hoc est in libro Mosis continente diuinam doctrinā.

Vers. 27. *Opera quoque eius priora & posteriora, ecce ipsa scripta sunt in libro Regum Israel & Iehuda.*

CAPVT XXXVI.

VERS. 1. *Vltique populus terræ Iehoachaz filium Iosi-iahu: & constituit eum regem pro patre eius in Ierusalaim.*

Vers. 2. *Filius viginti trium annorum erat Ioachaz cum regnare cœpit: & tribus mensibus regnauit in Ierusalaim:*

Vers. 3. Ioachaz filius Iosiæ Rex in Ierusalem. *Amouit autem eum rex Ægypti cum venisset in Ierusalem.*] Iuxta Hebræum habetur: *& amouit eum rex Ægypti in Ierusalaim.* In quarto lib. Reg. cap. 23. scribitur quòd rex Ægypti in Reblatha vinxit eum: sed & Iosephus dicit quòd rex Aegypti misit pro eo &c. Solutio est quòd quāuis posset dici quòd rex Ægypti venerit in Ierusalem & ibidem priuauerit Ioachaz regno, non tamen ibidem eum ligauerit sed in ciuitate Reblatha (& sic concordare hanc literam cum libro Regum) potest tamen dici quòd scriptus hic locus (videlicet in Ierusalem) non designat locum regis Ægypti: ita quòd est ordo literæ & rex Ægypti in Ierusalem amouit eum: sed designat locum pronominis: & est ordo literæ quòd rex Ægypti amouit eum in Ierusalem: vt sit sensus quòd in ipsa ciuitate Ierusalem facta est amotio eius à regno authoritate regis Ægypti: mandauit siquidem rex Ægypti absens à Ierusalem, vt Ioachaz regnans in Ierusalem non regnaret sed frater eius maior: & sic est priuatus regno in ipsa ciuitate Ierusalem. Et hic sensus complectendus est ad literam: reliqua exposita vide in libro Regum.

A Rege Ægypti ligatur in quo loco?

Vers. 4. Ioachaz Ioachim frater Rex Ierusalem constituitur à Rege Ægypti. *Et condemnauit terram centum talentis argenti & talento auri.*

Et regem constituit rex Ægypti El-iacim fratrem eius super Iehudam & Ierusalaim, & vertit nomen eius Iehoiacim: Ioachaz vero fratrem eius tulit Necho & adduxit eum in Ægyptum.

Vers. 5. *Filius viginti quinque annorum erat Iehoiacim cum regnare cœpit, & vndecim annis regnauit in Ierusalaim: fecitque malū in oculis Domini Dei sui.*

Vers. 6. *Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldæorum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Super eum ascendit Nebu chadnezar rex Babel.* Et nihil dicitur de Chaldæa.

Ioachim vinctus quidem est vt duceretur Babylonem: ejus tamen est mortuus apud Ierusalem. *Et vinxit eum catenis duxit in Babylonem.*] Iuxta Hebræum habetur: *& ligauit eum in catenis ad faciendum ire ipsum ad Babel.* Aduerte prudens lector quòd de isto Ioacim filio Ioſiæ rege Iudæ scribitur Ierem. vigesimosecundo, *sepultura asini sepelietur extra portas Ierusalem.* & propterea quòd hic dicitur vinctus ad hoc vt duceretur in Babylonem, intellige factum fuisse quoad vincula, sed non quoad ductionem in Babylonem: sed iuxta Prophetæ vaticinium occisus est & inhumatus relictus iuxta muros Ierusalem, vt Iosephus narrat.

Ad quam & vasa Domini (Iuxta Hebræum habetur: *Et ex vasis domus Iehouah*) *adduxit Nebu-cadnezar ad Babel: & posuit ea in templo suo in Babel.* Dicendo ex vasis, insinuat quòd non omnia vasa ex templo abstulit. Vers. 7.

Reliqua autem verborum Iehoiacim & abominationes eius quas fecit & quod inuentum est in eo, ecce ipsa scripta sunt in libro Regum Israel & Iehuda: & regnauit Iehoiachin filius eius pro eo. Vers. 8.

Filius octo annorum erat Iehoiachin cum regnare cœpit. Hic numerus annorum scribitur in Hebræo: sed errore scriptorum factum esse, testatur libet Regum capitulo vigesimoquarto dicens, quòd octo & decem annorum erat iste Ioachin. testatur & subiuncta hic clausula dicens de isto, *& fecit malum in oculis Iehouah*: filius enim octo annorum vix est capax doli. *& tribus mensibus & decem diebus regnauit in Ierusalaim: fecitque malum in oculis Domini.* Vers. 9. Ioachim filius Ioachim Rex in Hierusalem. Error scriptorum.

Cúmque anni circulus volueretur.] Parui refert quòd Hebraicè habetur: *Et in reuersione anni.* ab occisione Ioacim patris istius, ita quòd à tempore quo Nabuchodonosor venerat in Ierusalem facturus suprascripta, supputatur ista reuersio anni. Et ex hac supputatione habetur quòd iste Ioachin non cœpit regnare in Ierusalem statim mortuo patre: quia regnauit tantum mensibus tribus & diebus decem: interregnum enim multis mensibus fuit propter cladem quam fecerat rex Nabuchodonosor in Ierusalem. Vers. 10.

Misit rex Nebu-chadnezar.] In libro Regum scribitur & quòd misit, & quòd etiam ipse superuenit: quod vltimum hic tacetur.

Nuncios qui & adduxerunt eum in Babylonē.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit venire eum in Babel, cum vasis desiderabilibus domus Domini.*] Et hæc litera quadrat scriptis in libro Regum.

Sedecias patruus Ioachim Rex Iuda constituitur à Nabuchidonosore. *Regem vero constituit Sedechiam patruum eius.* Iuxta Hebræum habetur: *Zidki-iahu filium eius super Iehudam & Ierusalaim.* Reuera Sedechias patruus erat istius Ioachim vt in quarto Regum scribitur: sed hîc appellatur frater eius ea Scripturæ consuetudine qua consanguinei appellantur fratres.

Filius viginti & vnius annorum erat Zidki-iahu cùm regnare cœpit: & vndecim annis regnauit in Ierusalaim. Vers. 11.

Fecitque malum in oculis Domini Dei sui: nec erubuit faciem Ieremiæ prophetæ loquentis ad se in ore Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Non fuit humiliatus à facie Irme-iahu prophetæ ex ore Iehouah.* subaudi loquentis ad eum. Diffusè hæc scripta sunt in libro Ieremiæ. Vers. 12. Ieremias Propheta.

Et etiam à rege Nebu-chadnezar defecit qui adiurauerat eum per Deum. Nomen est *Elohim*: & fit specialis mentio huius iuramenti, eo quòd nomen hoc sonans illi imposuit Nabuchodonosor, vt ingeniter præ oculis haberet diuinæ iustitiæ fidem: vt in libro Regum declarauimus. Vers. 13.

Et induravit cervicem suam & cor.] Mutila est litera: legendum est: *& roborauit cor suum, ne reuerteretur ad Dominū Deum Israël.* Cervicem induratur vt non flecteretur subitus Dei: cor autem roborauit ad perstitendum in malo.

Etiam omnes principes sacerdotum & populus Vers. 14.

multiplicauerunt preuaricationes iuxta omnes abominationes gentium: & polluerunt domum Domini, quam sanctificauerat in Ierusalaim. Manifestatur peccatum fuisse commune regi, principibus sacerdotum omnibus & populo: vt cognoscamus iustissimam fuisse pœnam subiunctam.

Vers. 15. *Misit autem Dominus Deus patrum eorum ad eos per manum nunciorum suorum, de nocte consurgens & quotidie commonens.*] Iuxta Hebræum habetur: *diluculo surgendo.* nec aliud adiungitur: & instar soliciti patris describitur Deus surgens diluculo ad mittendum nuncios regi & populo vt resipiscerent.

Eo quod parceret.] Iuxta Hebr. habetur: *Et misit quia miserebatur populo suo & habitaculo suo.* Ratio mittédi Prophetas diuina misericordia super templum ac ciuitatem Ierusalem describitur.

Vers. 16. *At illi subsannabant nuncios Dei.* Nomen est *Elohim. & paripendebant sermones eius: illudebantque Prophetis.*] Hebraice habetur: *& errantes in Prophetis eius.* negando videlicet veros Dei prophetas esse Dei nuncios, imò & imponendo eis quòd non essent missi à Deo: vt patet de Ieremia.

Donec ascenderet ira Domini in populum eius, & esset nulla curatio.] Clarius Hebraice scribitur quòd tamdiu misit Deus prophetas vsquequo ex parte Dei esset tempus iræ eius, & ex parte Israelitarum esset morbus insanabilis.

Vers. 17. *Et adduxit super eos regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorũ gladio in domo sanctuarij sui.*] Legendum est, *sanctuarij eorum* Ac si apertiùs dixisset, non sanctuarij Dei sed sanctuarii eorum: quoniam non erat amplius Dei. *& non est misertus adolescentis & virginis senis & decrepiti: omnes tradidit in manum eius.*

Vers. 18. *Et omnia vasa domus Dei magna & parua.*] Dictio interpretata *Dei* est nomẽ *Elohim: & thesauros domus Domini & thesauros regis & principum eius: omnia transtulit in Babel.*

Vers. 19. *Ierusalem vastatur, & ædificium incenditur à Chaldæis.* *Incenderuntque domum Dei.* Nomen est *Elohim.* Et hæc fuit vltima captiuitas Israelis, in qua combustum est templum.

Et destruxerunt murum Ierusalaim, vniuersas turres combusserunt] Iuxta Hebræum habetur: *& omnia palatia eius combusserunt igni,* quemadmodum & templum.

Vers. 20. *Et quicquid pretiosum erat demoliti sunt.*

Et qui euaserat gladiũ ductus est in Babel: seruitúrque regi & filiis eius, donec imperaret rex Persarum.] Iuxta Hebræum habetur: *vsq; ad regnandũ regnum Persarum.* hoc est, vsquequo regnum Babylonis subiectum fuit regno Persarum: & consequenter Iudæi translati in Babylonem subiecti fuerunt regno Persarum.

Vers. 21. *Et completretur sermo Domini ex ore Hieremiæ & celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum vsquedum implerentur septuaginta anni.*] Iuxta Hebræũ habetur: *Ad implendum verbum Iehouah in ore Ieremiæ iahu, vsque voluit terra sabbata sua: omnibus diebus desolata vacauit, ad implẽdum septuaginta annos.* Sic iacet in Hebræo. Et hinc manifestantur tria: primum quòd seruitus captiuorũ Iudæorũ sub regno Babyloniæ seu Chaldæorum durauit vsque ad regnũ Persarum: secundum quòd terra Iudææ desolata, duraurit inculta eodem tempore: tertiũ quòd hoc tempus fuit spatiũ septuaginta annorum. Sed aduerte quòd (vt patet Ier. 25. & 29.) anni isti septuaginta tam seruitutis Babylonicæ quàm desolatæ terræ Iudææ non supputantur ab vltima captiuitate quando templum fuit combustum: dirigit enim sermonem Ieremias ad populũ tum captiuandũ tum captiuatũ cum rege Ioachim nepote Iosiæ. A prima ergo captiuitate Iudæ supputantur anni septuaginta: & verificatur tã seruitus Babylonica septuaginta annis (quia ex tunc fuit rex cum decẽ millibus captiuus in Babylone) quàm quòd terra cœpit esse inculta: vtpote sublatis habitatoribus, & non surrogatis aliis loco eorum quemadmodum surrogati fuerant in regno Samariæ: & propter hoc terra Iudæ dicitur desolata & quiescens annis septuaginta.

Captiuitas Iudæorum in Babylone duranit vsque ad regnum Persarũ, 70. annis.

Anno autem primo Cyri regis Persarum,] Hinc clarè habetur quòd septuaginta anni prædicti à Ieremia, completi sunt cum regno Babyloniorũ primus enim iste annus Cyri fuit primus annus regni Persarum, non absolutè, sed super Babyloniam & reliqua quæ erant subiecta regi Babyloniæ, imo (vt aiunt) monarchiæ Persarum: ita quòd cùm dicitur *anno primo Cyri,* intelligitur de anno primo monarchiæ Cyri regis Persarum: vt testãtur subiuncta ipsius Cyri verba, sonantia ipsum dominum regnorum omnium. Vers. 22.

Primus annus Cyri fuit primus regni Persarum.

Ad explendum sermonem Domini quem locutus fuerat per os Ieremiæ iahu, suscitauit Dominus spiritũ Cyri regis Persarum.] Modus quo mouit Deus animum Cyri quatenus iudicat secũdum suprema spiritualem causam, non est scriptus in Scriptura sacra, sed à Iosepho explanatus: videlicet quòd ostensa fuit ei prophetia Esaiæ Prophetæ lõgo antè tẽpore edita, in qua nominatur ipse Cyrus eleuandus à Deo Israel creatore cœlorum & ædificaturus templum & ciuitatẽ Dei, & reducturus populum captiuum: hæc enim in calce c. 44. & in c. 45. Esaiæ scripta sunt. Verba aut ipsius Cyri subiuncta quadrant huic modo: nam confitetur quòd *Iehouah Elohe* cœlorũ dedit ei omnia regna terræ, quæ videlicet possidebat: agnoscit sibi data à summo Deo: & subiungit quòd ipse Deus ordinauit sibi vt ædificaret illi domũ in Ierusalem: & tertiò subiungit liberam facultatem cuilibet ex populo Dei volenti ire in Ierusalem. hæc enim tria in Esaia cõmentur: & inde Cyrus accepit & agnouit predicta esse à summo Deo per os Esaiæ prophetæ.

Quã rarum meritus fuit Cyrus admittendi Iudæos.

Aduerte tamẽ hîc quòd libertas eundi in Ierusalem concessa cuilibet Israelitæ, intelligitur sine præiudicio tertij: hoc est sine præiudicio particularium hominum qui emerant aliquos Iudæos in seruos: discernendum siquidem est inter Israelitas qui erant serui duntaxat regis, & eos qui erant serui aliorũ virorum: nam serui regis absque auro & munere quocunque libertate donati sunt: vt Esaias prædixerat: serui verò particularium dominorum redempti sunt à Iudæis diuitibus, vt Nehemias ipse testatur cap. 5.

Libertas Iudæorum concessa à Cyro fuit sine præiudicio aliorũ quibus aliqui Iudæi serui erant.

Et transire fecit vocem per totum regnum suum, & etiam per scripturam dicendo.

Sic dixit Cyrus rex Persarum: omnia regna terræ dedit mihi dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ierusalaim quæ est in Iehuda, qui inter vos est de toto populo eius, sit dominus Deus eius cum eo & ascendat. Vers. 23.

Et sic finitur secundus liber Paralipomenon.

Romæ die quinto Martii. M. D. X X X I I.

THOMÆ

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. XYSTI, *IN LIBRVM HEZRÆ* COMMENTARII.

CAPVT I.

VERS. 1. *Cyri huius caput in vtre sanguinis positum à Tomiri regina.*

IN anno primo Cyri regis Persarum.] Principium hoc expositum est in fine Paralipomenon. Et Cyrus iste est ille qui occisus est in bello apud Scythas: & caput eius à Tomiri regina in vtre sanguinis positum, *sanguinem sitisti, sanguinem bibe* insultante.

Vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ.] de reductione captiuitatis Iudæ post annos septuaginta: vt scribitur Ierem. 25. & 29. Vbi scito quòd quia authentica Scriptura non tradit numerum annorum quibus reges Babyloniæ regnauerunt à captiuitate Ioachin nepotis Iosiæ vsque ad eorum destructionem à Cyro, ideo non possimus ad amussim monstrare decursum istorum septuaginta annorum: & variè à diuersis supputantur.

Suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, & transire fecit vocem per totum regnum suum & etiam per scripturam dicendo.

Vers. 2. *Sic dixit Cyrus rex Persarum. omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli.* Solita sunt nomina *Iehouah Elohe cœlorum.*

Et ipse præcepit mihi vt ædificem ei domum in Ierusalem quæ est in Iehuda.] Ex modo loquendi ac scribendi, magnum habetur argumentum quòd ex verbis Esaiæ prophetæ præcitatis motus fuerit Cyrus: non enim tam assertiue dixisset atque scripsisset Cyrus hæc, nisi certior redditus fuisset ex antiquo Codice Esaiæ prophetæ: interior enim diuinus impulsus non fuisset acceptatus ab eo ad sic asserendum sine certo sensibili testimonio antiquæ prophetiæ.

Vers. 3. *Vniuersis Israelitis concessit Cyrus vt irent in Ierusalem ad ædificandum templum.*

Qui est in vobis de toto populo eius, sit Deus eius cum eo, & ascendat ad Ierusalaim quæ est in Iehuda: & ædificet domum Domini Dei Israel. Hinc patet quòd Cyrus non solùm Hebræis ex Ierusalem, sed etiam ex Samaria & breuiter vniuersis Israelitis concessit vt irent in Ierusalem ad ædificandum templum Dei.

adificandum templum.

Ipse est Deus.] Hebraicè habetur: *Ipse Elohim qui in Ierusalaim.* hoc est, ipse est gubernator & iudex vniuersorum qui colitur in Ierusalem, qui elegit sibi templum in Ierusalem. hoc enim pro ratione reddidit Cyrus quare inuitat ad ædificandum templum in Ierusalem.

Et omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habitant, adiuuent eum viri de loco suo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omnem reliquum ex omnibus locis in quibus habitat ibi, subleuabunt viri loci eius argento, & substantia, & iumento.* Et est sensus quòd alij Israelitæ non ascendentes in Ierusalem, adiuuent euntes: ita vt remanentes in aliqua ciuitate seu oppido adiuuent euntes ex illo oppido seu ciuitate, adiuuent autem argento, auro &c. Vers. 4.

Excepto quod voluntariè offerunt in templo Dei.] Iuxta Hebræum habetur: *Cum voluntate ad domum Elohim quæ in Ierusalaim.* Ratio opem ferendi redditur, voluntas ad restaurandum domum Dei in Ierusalem: subiuncta tamen executio insinuat quòd opi euntium adiungatur spontanea quoque oblatio ad instaurandum templum Dei.

Et surrexerunt capita patrum Iehudæ & Beniamin, & Sacerdotes & Leuitæ, & omnis.] Superfluit vltima coniunctio: nam Hebraicè habetur appositiuè, *omnis.* Vers. 5.

Cuius suscitauit Elohim spiritum vt ascendat ad ædificandum domum Domini quæ in Ierusalaim.] Narratur enim quòd ex tribus duntaxat Tribubus surrexerunt Principes ad eundum in Ierusalem: Iuda, Ben-iamin & Leui. Et appositiuè adiungitur quo spiritu fuerunt moti isti, dicendo, omnis cuius Elohim suscitauit spiritum ad ædificandum domum summi Dei in Ierusalem. Quâuis ergo Cyrus inuitauerit omnium Tribuum Israelitas ad eundum in Ierusalem, ex tribus tamen duntaxat Tribubus moti sunt, Deo in eorum cordibus operante.

Ex tribus Tribubus Iuda, Beniamin & Leui moti sunt Principes ad eundum in Ierusalem.

Et omnes qui erant in circuitu eorum roborauerunt manus eorũ.] Narrato effectu epistolarum Vers. 6.

Cyri

Cyri quoad volentes ire, subiungitur effectus quoad remanentes qui opem tulerunt euntibus. *in vasis argenteis & aureis, in substantia & iumentis, in supellectili.*] Iuxta Hebræum habetur: *& in pretiosis.* puta gemmis. *exceptis iis quæ sponte obtulerunt.*] Sponte oblata appellantur ea quæ ad restaurandum templum donabantur: oblata autem ad adiuuandum euntes, appellantur donata tum pro viatico, tum pro redemptione euntium qui erant seruitutis particularium personarum.

Vers. 7. *Rex quoque Cyrus protulit vasa domus Domini: quæ tulerat Nebu chadnezar de Ierusalem, & posuerat in domo Dei sui.*

Vers. 8. *Vasa templi reddit Cyrus.* *Protulit autem ea Cyrus Rex Persarum per manum Mithredathis filij Ghazbar.*] Iuxta Hebræum habetur: *super manum Mith-redath thesaurarij.* nominatur enim & proprio & officij nomine minister regius qui dedit subiuncta vasa Regis nomine.

Et numeravit ea Sasbasar principi Iudæ.] Parui refert quòd legendum esset: *Sesbazar duci Iehuda.* Et quoniam princeps Iudæ hic dicitur, intelligendus est Zorobabel alio nomine vocatus Sesbazar: nam ipse fuit princeps Iudæ.

Sasbazar est Zorobabel.

Vers. 9. *Et isti numeri eorum: phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille.*] Dicitur Hebraica significat vas ad abluendum manus, quæ malluuia seu pollubra vocantur: erant enim & aurea & argentea in tanta multitudine vt sufficerent & multitudini oblationum (in his enim offerebatur similà) & multitudini victimarum, quarum sanguis in huiusmodi vasis recipiebatur & circa altare effundebatur.

Cultri viginti nouem. Scyphi aurei triginta,

Vers. 10. *Scyphi argentei secundi quadringenti & decem.*] Quòd dicit *secundi*, refertur tam ad scyphos aureos quàm ad scyphos argenteos. & dicendo *secundi*, insinuat quòd etiam hæc vasa erant malluuia secundi ordinis: fortè quia minora vel alterius formæ.

Vasa alia mille.

Vers. 11. *Omnia vasa aurea & argentea, quinque millia & quadringenta.*] Non surgit hæc summa ex numeratis: sed Author libri numeratis quibusdam, omissis alijs narrauit omnium summam.

Omnia ascendere fecit Sesbazar cum iis qui ascenderunt de transmigratione Babel in Ierusalem.]

CAPVT II.

Vers. 1. *Isti autem sunt filij prouinciæ qui ascenderunt de captiuitate transmigrationis quam transmigrare fecit Nebuz-chadnezar Rex Babel in Babel. & reuersi sunt in Ierusalem & in Iehudam, vnusquisque in ciuitatem suam* Describuntur & numerantur illi qui venerunt in Ierusalem.

Vers. 2. *Zorobabel erat filius Salathiel ex stirpe regia.* *Qui venerunt cum Zerubabel, Iesuah, Nechemia, Sera-ia, Rebela-ia Mordechai, Bilsan, Mispar, Big-uai, Rechum, Baana.* De Zorobabel nulla est quæstio quin ipse sit ex stirpe regia filius Salathiel: vt scribitur infrà cap. 5. & propterea præfectus est à Rege Persarum in principem populi redeuntis in Ierusalem. Iesua verò ipse est summus Sacerdos filius Iozadac. Sed Nehemias iste in quæstionem vertitur an ipse sit cuius tertius secundus liber Hezdræ meminit: sed consideratis ac libratis officijs, gestis & temporibus, clarè spparet quòd iste Nehemias non est ille Nehemias qui instaurauit muros Ierusalem: iste enim ascendit cum Zorobabel, ille autem longè post venit in Ierusalem: ille fuit Dux populi post alios Duces vt in secundo libro clarè scribitur, iste autem fuit sub Zorobabel primo Duce: cum illo quoque non leguntur ascendisse Iudæi: cum isto autem comitante Zorobabel subiunguntur ascendisse tot millia Iudæorum.

Hic Nehemias non est ille qui instauravit muros Ierusalem.

Numerus virorum populi Israël.

Filij Phar-hos duo millia centum & septuagintaduo. Aduerte quòd subiunctorum nominum quædam sunt nomina patrum, quædam nomina locorum: sed hodiernæ notitiæ (à qua longè sunt huiusmodi genealogiæ) parum aut nihil confert huiusmodi discussio. Vers. 3. *Nomina eorum qui ascenderunt de captiuitate Babylonica in Iudæam.*

Filij Sephat-ia, trecenti & septuagintaduo. Vers. 4.
Filij Arach, septingenti & septuagintaquinque. Vers. 5.
Filij Pachath-moab-de filijs Iesuah-ioab: duo millia octingenti & duodecim. Vers. 6.
Filij Helam, mille ducenti & quinquaginta quatuor. Vers. 7.
Filij Zatthu, nongenti & quadragintaquinque. Vers. 8.
Filij Zacchai, septingenti & sexaginta. Vers. 9.
Filij Bani, sexcenti & quadragintaduo. Vers. 10.
Filij Bebai, sexcenti & viginti tres. Vers. 11.
Filij Hazgad, mille ducenti & vigintiduo. Vers. 12.
Filij Adonican, sexcenti & sexaginta, ex Vers. 13.
Filij Big-uai, duo millia & quinquaginta sex. Vers. 14.
Filij Hadin, quadringenti & quinquaginta quatuor. Vers. 15.
Filij Ater ex Iechizci-ia, nonaginta octo. Vers. 16.
Filij Bezai, trecenti & viginti tres. Vers. 17.
Filij Iora, centum & duodecim. Vers. 18.
Filij Chasum, ducenti & viginti tres. Vers. 19.
Filij Gibbar, nongenti & quinque. Vers. 20.
Filij Beth-lechem, centum & viginti tres. Vers. 21.
Viri Netopha, quinquaginta sex. Vers. 22.
Viri Hanathoth, centum & viginti octo. Vers. 23.
Filij Hazmaueth, quadragintaduo. Vers. 24.
Filij Cir iath-harim-chephire, & Beeroth, septingenti & quadragintatres. Vers. 25.
Filij Rama & Gabah, sexcenti & viginti unus. Vers. 26.
Viri Michmas, centum, & vigintiduo. Vers. 27.
Filij Beth-el, & Hai, ducenti, & viginti tres. Vers. 28.
Filij Nebo, quinquaginta duo. Vers. 29.
Filij Magbis, centum, & quinquaginta sex. Vers. 30.
Filij Helam alterius, mille ducenti, & quinquaginta quatuor. Vers. 31.
Filij Charim, trecenti, & viginti. Vers. 32.
Filij Lod Chadid & Ono, septingenti, & viginti quinque. Vers. 33.
Filij Iericho trecenti, & quadragintaquinque. Vers. 34.
Filij Senae tria millia, & sexcenti, & triginta. Vers. 35.
Sacerdotes: filij Iedah-ia de domo Iesuah, nongenti, & septuagintatres. Vers. 36.
Filij Immer, mille & quinquaginta duo. Vers. 37.
Filij Paschur, mille ducenti, & quadragintasepten. Vers. 38.
Filij Charim, mille, & septemdecim. Vers. 39.
Leuitæ: filij Iesuah, & Cadmiel de filijs Hodauia, septuagintaquatuor. Vers. 40.
Cantores: filij Asaph, centum & vigintiocto. Vers. 41.
Filij Ianitorum: filij Sallum, filij Ater, filij Talmon filij, Haccub, filij Chatite, filij Sobai, omnes centum & triginta nouem. Vers. 42.
Nethinæi hoc est dati, Ghabaonitæ sunt qui in ritum Iudæorum transierant à tempore Iosuæ dati in seruitutem lignorum & aquæ pro templo: isti inter Israelitas supputantur cum genealogius Vers. 43.

tuis

suis *Filij Zithe, filij Chasupha, filij Tabaoth.*

Vers. 44. *Filij Ceros, filij Sihahe. filij Padon.*

Vers. 45. *Filij Leb ane, filij Chagabe, filij Haccub.*

Vers. 46. *Filij Chagab, filij Samlai, filij Chanan.*

Vers. 47. *Filij Giddel, filij Gachar filij Reaia.*

Vers. 48. *Filij Rezin, filij Necode, filij Gazam.*

Vers. 49. *Filij Huzza, filij Paseah, filij Besai.*

Vers. 50. *Filij Asne filij Mehunim, filij Nephusim.*

Vers. 51. *Filij Baccuh, filij Chacupha, filij Charchur.*

Vers. 52. *Filij Bazluth, filij Mechida, filij Charsa.*

Vers. 53. *Filij Barcos, filij Sisre, filij Thamach.*

Vers. 54. *Filij Neziach, filij Chatiphe.*

Vers. 55. *Filij seruorum Salomonis.* Ex eo quòd post Nethinæos subiungantur isti, & paulò post simul nominantur Nethinæi & filij seruorum Salomonis, insinuatur quòd etiam isti filij seruorum Salomonis non erat Israelitæ secundum naturalem originem, sed secundùm legem ac fidem: & hoc ipsum seruitutis nomen indicat: nam tempore Salomonis nullus originaliter filius Israël erat seruus: vt scribitur. 3. Reg. 9. ex hoc ergo quòd dicuntur isti filij seruorum Salomonis, manifestatur, quòd alienigenæ erant secundum genus, Israelitæ autem secundum professionem fidei & legis à tempore Salomonis, sicut Nethinæ Iosuæ.

Isti filij seruorum Salomonis erant alienigenæ secundum genus.

Filij Sotai, filij Sophereth, filij Peruda.

Vers. 56. *Filij Iahale, filij Darcon, filij Giddel.*

Vers. 57. *Filij Sephatia, filij Chattil, filij Pochereth de Zebaim, filij Ami.*

Vers. 58. *Omnes Nethinæi & filij seruorum Salomonis, trecenti & nonaginta duo.*

Vers. 59. *Et isti ascendentes de Tel-melaeh Thel-charsa, Cherub Addan Immer: & non potuerunt indicare domum patrum suorum & semen suum, an ex Israel essent.*

Vers. 60. *Filij Dalaia, filij Tobija, filij Necoda: sexcenti & quinquaginta duo.*

Vers. 61. *Et de filijs Sacerdotum, filij Chabaia, filij Haccoz: filij Barzillai qui accepit de filiabus Barzillai Ghilhadita uxorem, & vocatus est nomine eorum.*

Vers. 62. *Isti quæsierunt scripturam genealogiæ sua & non inuenerunt: & eiecti sunt à sacerdotio.* Duo genera non inuenientium origines suas narrantur: alterum sexcentorum quinquaginta duorum: alterum Sacerdotum filiorum Chabaiæ. illi incerti an essent ex genere Israël: isti verò incerti an essent ex genere Aharon.

Vers. 63. *Et dixit Thirsatha eis vt non comederent de Sancto Sanctorum.* Iste (vt inferiùs in lib. 2. cap 8. dicitur) est Nehemias Dux qui instauraurauit muros Ierusalem. Ex quo colligitur quòd discussio ista facta fuit longè post aduentum Iudæorum in Ierusalem, quamuis prius recitetur. Nehemias enim Dux anno vigesimo Xerxis venit in Ierusalem, quando iam Iudæi fuerant in Ierusalem per annos quinquaginta. Authoritate itaque Ducali Nehemias eiecit istos incertos à sacerdotio, non penitus sed vt non comederent de Sancto Sanctorum: hoc est, de iis quæ in lege Mosis appellantur *Sancta Sanctorum*: qualia erat quæcunque immolabantur pro peccato, & quæcunque offerebantur, sic quòd pars eorum cremanda erat Deo per modum holocausti, ita quòd non solùm fuerunt eiecti ab officio sacerdotali (hoc est à sacrificando vt Sacerdotes) sed etiam à participando sacrificata quæ appellabantur *Sancta Sanctorum*: reliqua autem videntur eis permissa.

Incertes genealogia sua Nehemias à sacerdotio eiecit.

Donec surgeret Sacerdos doctus atque perfectus.] Iuxta Hebræum habetur: *in Vrim & in Thummim.* hoc est vsquequo stabit Sacerdos in illustrationibus & perfectionibus. Expectandum censuit iudicium Sacerdotis lumine diuino illustrati ad illuminandum alios & perficiendum ea quæ diuini sunt cultus. Nomina hæc Exod. vigesimo octauo exposuimus.

Tota congregatio quasi vir vnus. Vnanimitas tantæ multitudinis describitur. *quadraginta duo millia trecenti sexaginta.* Vers. 64.

Exceptis seruis eorum & ancillis eorum qui erãt septem millia trecenti & triginta septem: & in eis erant cantores & cantatrices ducenti. Vers. 65.

Equi eorum septingenti & triginta sex: muli eorum ducenti & quadraginta quinque. Vers. 66.

Cameli eorum quadringenti & triginta quinque: asini sex millia septingenti & viginti. Vers. 67.

Et de capitibus patrum cum ingrederentur domum Domini quæ est in Ierusalem.] Pendet constructio literæ vsque ad subiuncta verba. Vers. 68.

Sponte obtulerunt in domum Dei ad extruendam eam in loco suo.] Quæ iuxta Hebræum sonant: *spontanei fuerunt domui Elohim ad faciendum stare ipsam super directionem suam.* Est itaque sensus literæ quòd cum venirent in domum Iehouah quæ in Ierusalem spontanei domui Elohim ad faciendum stare ipsam prout ratio domus exigebat, obtulerunt secundum vires suas. Nec clare liquet an sit sermo de aduentu ad construẽdam domum Dei, an de aduentu in ipsam domum constructam ad supplendum opportuna. primus tamen sensus magis quadrat subiunctis.

Secundum vires suas dederunt impensas operis, auri solidos quadraginta mille & mille.] Iuxta Hebræum habetur: *dederunt thesauro operis auri solides sexies decem millia & mille, & argenti minas quinque millia.* Nec vim facias in verbo *solides*: quoniam incertum est genus illius nummi. Vers. 69.

Et vestes sacerdotales centum.] Vestes istæ ante constructionem templi similiter datæ videtur, quando constructum est altare holocaustorum & pauci Sacerdotes erant in Ierusalem.

Habitauerúntque Sacerdotes & Leuitæ & de populo & cantores & ianitores & Nethinæi in ciuitatibus suis: & totus Israel in ciuitatibus suis.] Hic clarè redit Author ad texendam historiam rei gestæ in principio quando venerunt ex captiuitate in terram promissionis: quòd scilicet tunc vnusquisque iuit ad ciuitatem suam & ibidem habitauerunt Vers. 70.

CAPVT III.

Iamque venerat mensis septimus.] Parui refert quòd Hebraicè habetur: *Et attigit mensis septimus.* Aduentus mensis septimi quoad illius initium significatur, & est sermo de mense septimo primi anni ab habitatione in terra Iudæ postquam redierunt ex captiuitate, *& filij Israël erant in ciuitatibus: & congregatus est populus tanquam vir vnus in Ierusalem.* Vers. 1.

Vers. 2. *Et surrexit Iesuah filius Iozadac & fratres eius Sacerdotes, & Zerubabel filius Sealthiel & fratres eius: & ædificauerunt altare Dei Israel ad offerendum super ipsum holocausta sicut scriptum est in lege Mosis viri Dei.* Proculdubio ædificauerunt altare holocaustorum antequam ædificaretur templum: erat enim secundum legem sub dio.

Altare holocaustorū ædificatur ante Templum, erat enim sub dio.

Vers. 3. *Collocauerunt autem altare Dei super bases suas.*] Quamuis alijs verbis, eadem tamen redit sententia: videlicet quòd firmauerunt altare super firmitates suas: hoc est ædificauerunt altare immobile ex lapidibus quos ferrum non tetigit iuxta legem Mosis viti Elohim. Et huius ratio subditur timor à populis per circumitum ne facile ab eis altare destrui posset sicut si fuisset altare mobile.

Deterrentibus eos per circumitum populis terrarum: & obtulerunt super illud holocausta Domino, holocausta mane & vespere. Iuge sacrificium (matutinum videlicet & vespertinum) ex tunc inchoatum significatur.

Vers. 4. *Fecerúntque solennitatem tabernaculorum sicut scriptum est: & holocausta per singulos dies in numero, iuxta ritum opus diei in die suo.*] Seruata scribitur lex de holocaustis in diebus solennitatis tabernaculorum: singulis enim diebus variabatur holocaustum secundùm legem Mosis.

Vers. 5. *Et post hac holocaustum iuge tam in calendis.* Legendum est: *Et post sic holocaustum iuge & in calendis & in omnibus solennitatibus Domini sanctificatis: & in omnibus in quibus vltro offerebatur munus Domino.*] Narratur enim quòd deinceps seruata est lex immolandi super illud altare tum quotidie iuge holocaustum, tum in calendis, tum in solennitatibus omnibus, tum in spontaneis sacrificiis.

Vers. 6. *A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocausta Domino: porrò templum Domini nondum fundatum erat,*] Clarè manifestatur etiam dies quo inceperunt sacrificare ante fundatum templum.

Vers. 7. *Dederunt autem pecuniam lasonis & artificibus: cibúmque & potum & oleum Zidoniis & Tyrijs vt deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Iapho.*] Imitati regem Salomonem in hoc opere sunt.

Iuxta quod præceperat Cyrus Rex Persarum eis.] Iuxta Hebræum habetur, *sicut concessio Cyri Regis Persarum super eos.* ita quòd non præceptum sed gratia concessa recitatur.

Vers. 8. *Anno autem secundo aduentus eorum ad domum Dei in Ierusalem.* Nomen est *Elohim.* Et hinc manifestè patet quod Author istius libri appellat aduentum ad templum Dei in Ierusalem, ipsum aduentum ad ædificandum templum. quod ideo notandum duximus, vt verba præcedentis capituli quæ ambiguitatis aliquid præ se ferebant hinc clarescant.

Mense secundo.] Iuxta ordinem mensium in anno: hoc est sole existente in Tauro, quotus est apud nos Aprilis.

Mense Aprili cœperunt fundare Templum.

Cœperunt.] fundare templum, & statuerunt Leuitas superintendentes operi.

Zerubabel filius Sealthiel & Iesuah filius Iozadac & reliqui fratres eorum Sacerdotes & Leuitæ & omnes qui venerant de captiuitate in Ierusalem & constituerunt Leuitas à filio viginti annorum & supra. Iuxta decretum Dauidis. *Vt præessent super opus domus Domini.*

Vers. 9. *Steteruntque Iesuah, filij eius, & fratres eius. Cadmiel & filij eius filij Iehudæ tanquam vir vnus, vt instarent super eos qui faciebant opus in domo Dei.* Nomen est *Elohim. filij Chenadad, filij eorum & fratres eorum Leuitæ.*

Vers. 10. *Fundato igitur à cæmentarijs templo Domini.* Legendum est: *Et fundarunt ædificatores templum Domini: & steterunt Sacerdotes induti cum tubis & Leuitæ filij Asaph cum cymbalis, ad laudandum Dominum super manus Dauid Regis Israel.*] Describitur solennitas fundationis templi: videlicet quòd fabris fundamenta iacientibus templi, apparatus conuenit Sacerdotum, Leuitarum & populi, &c.

Solennitas fundationis templi.

Vers. 11. *Et cecinerunt in hymno & confessione Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*] Sæpe dictum est quòd Hebraicè habetur. *gratia eius Israel.*

Et totus populus vociferati sunt vociferatione magna in laudando Dominum, eo quod fundata esset domus Domini.

Vers. 12. *Plurimi etiam.* Legendum est: *Et multi ex Sacerdotibus & Leuitis & capitibus patrum senes qui viderunt domum primam, dum fundarent hanc domum in oculis eorum flebant voce magna.* Hinc insinuatur quòd septuaginta anni seruitutis Babylonicæ prædicti à Ieremia prius inceperunt quàm fuerit combustio templi: ex eo enim quòd in fundatione secundi templi narrantur præsentes multi senes memores primi templi, non qualitercunque essent pueri, sed distinctè memores excellentis fabricæ & preciositatis primi templi ita vt flerent, apparet quòd fuerant tempore combustionis templi perfectæ ætatis, qui tempore fundationis noui templi flebant senes.

Vers. 13. *Et multi vociferantes in lætitia eleuabant vocem.*

Nec poterat quisquam agnoscere.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non populus cognoscentes vocem clamoris lætitiæ à voce fletus populi: quia populus vociferantes vociferatione magna, & vox audiebatur vsque ad longinquum.*] Non negatur discretio à quolibet: sed quòd populus non discernebat propter magnum clamorem.

CAPVT IIII.

Vers. 1. *Audierunt autem hostes Iehudæ & Bin-iamin.* Samaritani. *quod filij transmigrationis ædificarent templum Domino Deo Israel,*

Vers. 2. *Et accesserunt ad Zerubabel & ad capita patrum, & dixerunt eis: ædificemus vobiscum quia sicut vos quærimus Deum vestrum, & ei immolamus à diebus Esarchadon Regis Assur qui ascendere fecit nos huc.*] Lege quartum Regum: & inuenies Samaritanos coluisse quidem Deum cæli, sed non solùm, sed simul coluisse etiam Deos suos: & propterea & verum ex parte dicunt, & meritò repelluntur.

Vers. 3. *Et dixit eis Zerubabel & Iesuah & reliqua capita patrum Israel. non est vestrum & nostrum ædificare domũ Deo nostro, sed nos soli ædificabimus Domino Deo Israel sicut præcepit nobis Rex Cyrus Rex Persarum.*

Persarum. Auctoritatem regis afferunt vt minùs eos despicere videantur.

Vers. 4. *Et fuit, populus terræ impediebat manus populi Iehudæ: & turbabat eos in ædificando.* Ecce primum impedimentum ædificandi templum: terror videlicet Samaritanorum.

Impedimenta ædificationis templi.

Vers. 5. *Conduxerunt quoque contra eos consiliarios vt destruerent consilium eorum.* Ecce secundum impedimentum, quo Samaritani corruperunt consiliarios regis trans flumen ad frangendum consilium Iudæorum: nec aliter explicatur in Hebræo: sed intelligimus regios ministros fregisse consilium Iudæorum factis potius quàm verbis, subtrahendo videlicet sumptus regios quos ordinauerat Cyrus dandos ad ædificandum domum Dei: vt clarè continetur in epistola Cyri recitata inferius cap. 6. quamuis tacitum hoc fuerit in cap. 1.

Omnibus diebus Cyri regis Persarum, & vsque ad regnum Darij regis Persarum. Quanto tempore prævaluerit Samaritanorum pecunia ad corrumpendum consiliarios regios describitur: videlicet durante regno Cyri (qui regnauit annis triginta) & vsque ad regnum Darij, inter quem & Cyrum medius fuit Cambyses Cyri filius, & quidam alius tyrannus.

Vers. 6. *In regno autem Assueri ipse est Artaxerxes.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et in regno Achas-ueros in principio regni eius.* Iste vocatus Assuerus est Cambyses filius Cyri: distulerunt enim viuente Cyro scribere contra Iudæos: quia sciebãt Cyrum mandasse vt etiam sumptu regno ædificaretur templum in Ierusalem: sed mortuo Cyro crediderunt opportunum aduenisse tempus scribendi aduersus Iudæos.

Scripserunt accusationem] Hebraicè habetur, *odium contra habitatores Iehudæ & Ierusalaim.* non enim per modum accusationis scripserunt, sed odiosa Iudæis, tum quia exosa erant Iudæis, tum quia ex odio Samaritanorum prodibant, tum præcipuè quia erant prouocantia regem ad odium Iudæorum habitantium in Iudæa & in Ierusalem.

Vers. 7. *Et in diebus Artaxerxis.*] Describpturus auctor modum quo scripserunt, retulit Hebraico more tempus nominando eundem regem altero nomine.

Scripsit Beselam. Iuxta Hebræum habetur: *Scripsit in pace Mith-redath Tabeel & reliqui socij eius ad Artaxerxem regem Persarum.* Modus scribendi narratur, videlicet in pace: hoc est nulla turbatione ostensa Iudæis, nihil de hoc suspicantibus Iudæis, & hoc astutè ne Iudæi præuenirent regem aut mitterent respondentes.

Epistola autem accusationis scripta erat Syriacè, & legebatur sermone Syro. Narratur quòd epistola erat scripta characteribus Syris, & quòd etiam sermo scriptus erat Syrus: ita quòd tam sermo quàm character epistolæ erat Syrus.

Vers. 8. *Rechum Behel tehem & Simsai scripserunt Epistolam vnã super Ierusalem, Artaxerxi regi huiusce modi.* Non sum solicitus circa nomina: sed duo qui dictauerunt epistolam describi videntur: alter (vt Hebraica sonant) caput causæ, præcipuus in regimine, qui in vulgata editione vocatur Rehum Beheltehem: Rehum enim est nomen proprium, Beheltehem verò est nomen officij: aliter scriba.

Vers. 9. *Tunc Rechum Behel-tehem & Simsai scriba, & reliqui socij eorum: Dina-ei & Apharsathachæi,*

Tarpela-ei, Apharsa-ei, Archeua-ei, Bab-la-ei, Susancha-ei, Dehaue, Helma-ei.

Et reliquas gentes quas transtulit Asnapar magnus & gloriosus, & habitare fecit eas in ciuitatibus Somrain: & reliquæ trans flumen & Chebeneth. Vers. 10.

Hoc est exemplar epistolæ quam miserunt ad eum, ad Artaxerxem regem: serui tui viri trans fluuium salutem dicunt:] Iuxta Hebræum habetur: *viri trans fluuium & Chebeneth.* Ex quibus apparet quòd nomen proprium est Chebeneth: & quia vtrobique apponitur post trans flumen, nomen proprium regionis distinctæ à regione trans flumen vel fluminis alterius ab Euphrate præ se fert, & significantur vniti isti cum gentibus trans Euphratem aduersus fabricam Ierusalem. Vers. 11.

Notum sit regi quod Iehudæi qui ascenderunt à te ad nos.] Pronomen *te*, non demonstrat personam, sed maiestatem regiam: non enim a Cambyse, sed à Cyro rege ascenderant. Vers. 12.

Venerunt in Ierusalem: ciuitatem rebellem & pessimam. (Patui refert quòd Hebraicè habetur, *& malam*) *ædificantes, & muros eius fundauerunt & parietes composuerunt.* Vide astutiam inuertentium ædificium templi in ædificium ciuitatis, de cuius ciuitatis instauratione nec Cyrus in sua epistola meminit, nec scriptum est quòd Iudæi tunc temporis inchoauerint reparare muros Ierusalem: vt patet infra ex libro Nehemiæ.

Nunc notum sit regi quòd si ciuitas illa ædificata fuerit & muri eius fundati fuerint: tributum, & vectigal & reditum non dabunt, & vsque ad reges hæc noxa perueniet.] Iuxta Hebræum habetur, *& tributum regum damnum patietur.* in regem siquidem damnum emergere narrant. Vers. 13.

Nos autem memores salis quod in palatio comedimus.] Iuxta Hebræum habetur: *Nunc omne pro vicissitudine quia defertionem templi deseruimus.* Imputant Iudæis quòd ad vindicandum destructionem templi quam nos serui regis olim fecimus, ædificium hoc aggrediuntur. Vers. 14.

Et quia lesiones regis videre nefas ducimus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vilipensionem regis non honestum nobis videre: propterea misimus & notificauimus regi.* Non solum vindictam, sed paruipensionem regis fingunt interuenire, ideo nunciandum censent regi.

Vt quæras in libro historiarum patrum tuorum, & inuenies in libro historiarum & scies quod ciuitas illa ciuitas est rebellis & nocens regibus & prouinciis, & bella concitantur in ea ex diebus antiquis.] Iuxta Hebræum habetur: *& rebellionem facientes intra eam à diebus seculi.* Verum dicunt quoad multas rebelliones contra extraneos reges factas: Vt patet in historia regum Iudæ. Vers. 15.

Quamobrem & ciuitas hæc destructa est.

Notificamus nos regi quod ciuitas hæc ædificata fuerit & muri ipsius fundati fuerint: possessionem trans fluuium non habebit.] Deficiunt hìc duæ dictiones, legendum est, *pro hoc pars trans flumen non veniet tibi.* Priuatio prouentus regij ex regione trans flumen euentura narratur pro hoc ædificio si permittitur. Vers. 16.

Verbum misit rex ad Rechum Behel-tehem & Simsai scribam & reliquos socios eorum qui habitabant in Somrain & cæteros trans fluuium, salutem dicens & pacem.] Hebraicè habetur: *Selam & Cheheth.* Nomina fluuiorum videntur hæc, dicendo trans fluuium Selam & Cheheth. Vers. 17. *Artaxerxes suspendit ædificationẽ.*

Vers. 18. *Accusationem* (Hebraicè habetur : *Epistola*) *quam misistis ad nos, manifestè lecta est coram me.* & nulla fit mentio accusationis.

Vers. 19. *Et à me præceptum est, & quæsierunt & inuenerunt quod ciuitas illa a diebus antiquis* (Legendum est : *diebus seculi*) *contra rebellat.*] Hebraicè habetur : *eleuans.* Primum inuentum est quòd ciuitas Ierusalem eleuabatur aduersus reges.

Et seditiones & prælia concitantur in ea.] Hebraicè habetur, *& rebellio & refutatio fiebat in ea.* Hebraico more maius præponitur : videlicet rebellio refutationi : sensus est quòd recusabant subiici & rebellabant, eleuabantur aduersus reges. Et verum esse historia Regum testatur, & tempore Ezechiæ & aliorum regum.

Vers. 20. *Et reges fortes fuerunt in Ierusalem, & dominati sunt in omni regione trans flumen tributumque, vectigal & reditus dabatur eis.*

Vers. 21. *Nunc ergo audite sententiam : prohibeatis viros illos vt vrbs illa non ædificetur, donec si forte à me iussum fuerit*] Iuxta Hebræum habetur : *Nunc ponite edictum vt cessent homines isti : & ciuitas illa non ædificetur, donec a me præceptum positum fuerit.* Ecce tertium impedimentum ædificandi templum : quamnis epistola regia nihil dicat de templi, sed ciuitatis ædificio.

Vers. 22. *Videte ne negligenter hoc impleatis : & paulatim crescat malum contra reges.* Hinc apparet commotus regis animus aduersus Ierusalem.

Vers. 23. *Tunc postquam exemplar epistolæ Artaxerxis regis lectum est coram Rechum & Simsai scriba & sociis eorum : iuerunt festinanter in Ierusalem ad Iehudæos, & cessare fecerunt eos in brachio & robore.*

Vers. 24. *Tunc intermissum est* (Legendum est. *Tunc cessauit*) *opus domus Elohim quæ in Ierusalem : & cessauit vsque ad annum secundum regni Darij regis Persarum.* Rex inhibuit ædificari ciuitatem, executores autem inhibuerunt ædificari templum & ex tunc cessauit continuatio ædificandi templum vsque ad annum secundum regni Darij, quod tempus fuit spatium decem annorum vel circa. Ethinc habetur quòd quamuis Samaritanorum suggestione principes trans flumen impedimentum dederint ædificio templi non tamen Iudæi cessauerint ædificare templum secundum vires propriatum facultatum : sed iubente Cambyse, interrupta est ædificatio templi.

CAPVT V.

Vers. 1. *Prophetauerunt autem Chaggai propheta & Zechar-ia filius Hiddo prophetæ super Iehudæos qui erant in Iehud & in Ierusalem : in nomine Dei Israël super eos*] secundo Darij anno : vt patet in principio Aggæi & Zachariæ.

Vers. 2. *Tunc surrexerunt Zerubabel filius Scalthiel & Iesuah filius Iozadac.* Tempus prædictum secundi anni Darii demonstratur :

Ædificium interruptum continuatur.

Et cœperunt ædificare domum Dei quæ est in Ierusalem.] Non absolutè cœperunt, sed post interruptionem iterum cœperunt ædificare.

Et cum eis prophetæ Dei adiuuantes eos.] Causa redditur incitans ad ædificandum exhortatio prophetarum in nomine Dei.

Vers. 3. *In illo tempore venit ad eos Thatthenai dux trans flumen & Sethar-bozenai & socij eorum.*] Mutatus erat dux regionis trans flumen : & hæc quoque mutatio animæquiores reddidit principes Iudæorum ad ædificandum templum : forte mortui erant illi qui tempore Cambysis scripserant contra eos.

Et sic dixerunt eis, quis dedit vobis consilium. Legendum esset : *authoritatem domum hanc ædificandi & muros hos fundandi ?*] quærunt enim qua authoritate ædificant templum illud.

Tunc sic dixerunt eis : quæ sunt nomina virorum qui hoc ædificium ædificant ? Vers. 4.

Et oculus Dei eorum fuit super senes Iehudæorum, & non potuerunt inhibere eos, placuitque vt res ad Darium referretur.] Iuxta Hebræum habetur : *& non cessauerunt ipsi donec causa ad Darium ibit.* Oculus diuinæ gratiæ super senes Iudæorum causa describitur quòd non cessauerunt ab ædificando donec consuleretur Darius rex : effectus enim diuinæ gratiæ fuit quòd Thatthenai dux annuit petitioni Iudæorum vt non impediretur ædificiũ vsque ad consultationẽ Darii. Vers. 5.

Et tunc satisfacerent aduersus accusationem illam.] Iuxta Hebræum habetur : *& tunc respondebunt responsionem super hoc* : hõc est & tunc respondebunt prout respondendum erit iuxta Darii voluntatem.

Exemplar epistolæ quam misit Thatthenai dux trans flumen, & Sethar-bozenai & socij eius Apharsechæ-ia qui erant trans flumen : ad Darium regem. Vers. 6.

Verbum miserunt ad eum : & sic scriptum erat in eo : Dario regi pax omnis. Vers. 7.

Notum sit regi quòd iuimus in Iehud provinciam ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito.] Iuxta Hebræum habetur : *lapide marmoreo* : non desunt tamen defendentes impolitum. Vers. 8.

Et ligna ponuntur in parietibus : & opus hoc festinanter fit & prosperatur in manibus eorum.

Tunc interrogauimus senes illos, sic diximus eis : quis dedit vobis authoritatem domum hanc ædificandi, & muros hos fundandi ? Vers. 9.

Et etiam nomina eorum quæsiuimus ab eis ad notificandum tibi : vt scriberemus nomina virorum qui sunt duces eorum. Vers. 10.

Et huiusce modi verbum responderunt nobis dicendo : nos sumus serui Dei cœli & terræ. Authoritatem à Deo in primis se habere confessi sunt, confisi in verbis prophetarum, Vers. 11.

Et ædificamus domum quæ fuit ædificata ante hos annos multos, & rex Israel magnus ædificauerat & fundauerat eam.

Postquam autem ad iracundiam prouocauerunt patres nostri Deum cœli, tradidit eos in manum Nebu-chadnezar regis Babel Chaldæi : & domum hanc destruxit, & populũ eius transtulit in Babel. Vers. 12.

Anno autem primo Cyri regis Babel, Cyrus rex posuit edictum vt domus Dei hæc ædificaretur. Vers. 13.

Et etiam vasa domus Dei aurea & argentea quæ Nebu-chadnezar tulerat de templo quod erat in Ierusalẽ & asportauerat ea in templum Babel, protulit Cyrus rex de templo Babel, & data sunt Sesbazaro quem constituit ducem.] Adiungũt diuinæ authoritati, regis Cyri authoritatẽ : quam & probant facto donationis vasorum templi, Vers. 14.

Dixitque ei : hæc vasa tolle & vade & pone ea in templo quod est in Ierusalem, & domus Dei ædificetur in loco suo.] Ordo præposterus : nam prius ædificanda Vers. 15.

ædificanda et at domus Dei, & deinde vasa erant in ea ponenda.

Vers. 16. *Tunc Sesbaʒar ille venit & posuit fundamenta domus Dei in Ierusalem: & ex tunc vsque nunc ædificatur.*] sed non continuè: intermissum siquidem fuit opus vt prædictum est circa decennium.

Vers. 17. *Et nondum completa est.*

Nunc ergo si videtur regi bonum, quaratur in domo scripturarum regis quæ est in Babel vtrum fuerit à Cyro rege positum edictum vt ædificaretur domus Dei hac in Ierusalem: & voluntatem regis super hoc mittat ad nos.

CAPVT VI.

Vers. 1. *TVnc Darius rex præcepit: & quæsierunt in domo scripturarum quæ repositæ erant vi Babel.*] Non ciuitatis, sed regni est hic nomen *Babylon.*

Vers. 2. *Et inuentum est in Egbathanis quod est castrum.* Iuxta Hebræum habetur, *in sacculo in palatio.* sacculus enim loculus scripturarum existens in palatio publico (puta in palatio cancellariæ regiæ, significatur.

In Medena prouincia.] Iuxta Hebræum habetur. *quod in Madai prouincia.* seu ciuitate.

Volumen vnum: talisque scriptus erat in eo commentarius.

Vers. 3. *Anno primo Cyri regis, Cyrus rex decreuit vt domus Dei quæ est in Ierusalem ædificaretur in loco.*] Legendum est: *locus in quo immolant victimas.* Ipsius domus vsus exprimitur dicendo locus vbi immolant hostias.

Et muri eius fundarentur: altitudo eius cubitorum sexaginta, & latitudo eius cubitorum sexaginta. Quadratum concessit Cyrus ædificium comprehendendo septa templi: templum enim ipsum credimus non esse restauratum maius templo Salomonis.

Vers. 4. *Ordines de lapidibus impolitis tres.*] Iuxta Hebræum habetur: *Parietes lapidibus marmoreo terno.* Grossitudo parietum quæ scribenda restabat describitur: vt videlicet ex tribus lapidibus marmoreis constet.

Et sic ordines de lignis nouis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et parietem ligni noui.* Explicat ligna noua pro interno pariete templi, ne ministri regis ligna non noua dent Iudæis pro interno pariete templi quod Salomon fecerat.

Sumptus autem de domo regis dabuntur. Omnia hæc tacita fuerant superius in principio huius libri recitando epistolam Cyri.

Vers. 5. *Et etiam vasa domus Dei aurea & argentea quæ Nebu-chadneʒer tulerat de templo quod erat in Ierusalem & detulerat in Babel: reddantur & referantur in templum quod est in Ierusalem ad locum suum, quæ & posita sunt.*] Hebraicè habetur: *& posita erunt in domo Dei.* verba siquidem sunt commentarij Cyri: quæ autem subiunguntur verba sunt Epistolæ Darij.

Vers. 6. *Nunc Thatthenai dux trans flumen & Sethar-bozenai & socij vestri, Apharsecha-ia qui estis trans flumen: longinqui estote inde.*

Vers. 7. *Dimittite fieri domum Dei hanc à duce Iehudæorum & senioribus eorum: & domum Dei hanc ædificent in loco suo.*

Darius strictè prohibet ne impediatur ædificatio Templi.

Vers. 8. *Sed & à me præceptum est quid oporteat fieri à presbyteris Iudæorum illis.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et à me positum est decretum ad quid quod facietis cum senibus Iehudæorum istis ad ædificandum domum Dei hanc: & de substantia regis quæ est tributum trans flumen.* adiungitur enim decretum de eo quod faciendum est ab ipsis ducibus trans flumen, & ad quid: videlicet vt de ærario regis tribuant ad ædificandum domum Dei, &c.

Studiosè. (Iuxta Hebræum habetur: *citò.* seu festinè,) *sumptus dabitur viris his vt non cessent.* moras enim tollit.

Vers. 9. *Quod si necesse fuerit.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et quod curantes.* subauditur sitis vt dentur subiuncta pro sacrificio.

Et filij taurorum & arietes & agni in holocaustum Deo cœli, frumentum, sal, vinum & oleum iuxta dictum sacerdotum qui sunt in Ierusalem dabuntur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia.] Iuxta Hebræum habetur: *absque defectu.* vult enim efficaciter adimpleri iussa.

Vers. 10. *Vt offerant oblationes Deo cœli: orentque pro vita regis & filiorum eius.*

Vers. 11. *A me ergo.* Legendum est: *Et à me positum est decretum.* Tertium decretum adiungitur. *vt omnis homo qui mutauerit hanc iussionem, tollatur lignum de domo eius & erigatur, & configatur in eo, domus autem eius publicetur.*] Iuxta Hebræum habetur: *sterquilinium fiat propter hoc.* quod erat maioris ignominiæ.

Vers. 12. *Et Deus qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna.*] Iuxta Hebræum habetur: *omnem regem & populum qui miserit manum suam ad mutandum ad euertendum domum Dei hanc quæ est in Ierusalem.* Imprecatio est cum professione diuinæ prouidentiæ. *Ego Darius posui decretum quod studiosè impleri volo.*] Iuxta Hebræum habetur, *festinanter fiat.* subscriptio siquidem est manu Darij regis.

Vers. 13. *Tunc Thatthenai dux trans flumen & Sethar-bozenai & socij eorum secundum quod misit Darius rex, sic diligenter executi sunt.*] Hebraicè habetur, *sic cito fecerunt.* vt Darius iusserat. Aduerte quòd ex toties repetitâ celeritate in hac Darij epistola & executione, innuitur quòd principes trans flumen impedierunt fabricam templi tempore Cyri, non penitus negando dare iussa à Cyro, sed tardando, sed differendo de tempore in tempus, vt parum possent Iudæi fabricare.

Vers. 14. *Seniores autem Iehudæorum ædificabant & prosperabantur iuxta prophetiam Chaggai prophetæ & Zechar-ia filij Hiddo: ædificauerunt & construxerunt.* Legendum est: *& ædificauerunt & fundauerunt ex præcepto Dei Israel.* Sed non caret quæstione quod sequitur.

Difficultas de istis Regibus.

Et ex decreto Cyri & Darij, & Artaxerxis Regum Persarum quo namque pacto verificari potest quòd templum perfectum fuerit anno sexto Darij vt statim subiungitur, & quòd iubente Artaxerxe Darij successore ædificatum sit: copulatiuè enim dicit vt Cyri & Darij & Artaxerxis, vt intelligamus tres reges secundum planum literæ sensum. Solutio est quòd hic summantur primi auctores ædificij non arctando ad ædificiũ templi, sed absolutè: hoc est vt comprehendit ædificium tam templi quam ciuitatis Ierusalem. Cyrus enim & Darius eius gener auctores fuerunt ædificij templi: Artaxerxes autem Darij filius auctor fuit restaurationis murorum Ierusalem, vt inferius scribitur.

Enodatur.

Vers. 15. *Et compleuerunt domum istam.*] Narratur in specie tempus quo consummata est fabrica templi.

Vsque ad diem tertium mensis Adar.] hoc est mentis duodecimi in ordine anni inchoantis ab æquinoctio vernali. *qui est annus.* Legendum est : *qui ipse annus sextus regni Darij regis.* vbi clarè dicitur templum finitum tempore Darij. Et hinc apparet ratio sermonis Iudæorum apud Ioannem Euangelistam cap. 2. quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc : à secundo enim anno Cyri vsque ad sextum annum Darij, quadraginta & sex anni fluxerunt.

Ab anno 2. Cyri ad 6 Darij 46. anni fluxerunt.

Vers. 16. *Fecerunt autẽ filij Israël (sacerdotes & Leuitæ & reliqui filij transmigrationis) dedicationẽ domus Dei huius cum gaudio.*] Non est scriptus aliter dies huius dedicationis : sed & rationi consonat & Euangelicæ historiæ quadrat quòd dicto mense facta fuerit : nam dedicationis festum hyemali tempore celebratum fuisse Ioannes Euangelista cap. 10. narrat.

Dedicatio Templi.

Vers. 17. *Et obtulerunt in dedicatione domus Dei huius tauros centum, arietes ducentos, agnos quadringentos : & hircos caprarum pro peccato pro toto Israel duodecim iuxta numerum tribuum Israel.*

Vers. 18. *Et statuerunt sacerdotes in ordinibus suis & Leuitas in diuisionibus suis super opera Dei in Ierusalem : sicut scriptum est in libro Mosis.*

Vers. 19. *Fecerúntque filij transmigrationis pascha quartadecima die mensis primi.*

Vers. 20. *Purificati enim fuerant sacerdotes & Leuitæ quasi vnus, omnes fuerunt mundi : & immolauerunt pascha omnibus filiis transmigrationis, & fratribus suis sacerdotibus & sibi.*

Vers. 21. *Et comederunt filij Israël qui reuersi erant de transmigratione : & omnes qui se separauerant à coinquinatione gentium terræ ad eos, vt quærerent Dominum Deum Israel.*] De Iudæis & proselytis est sermo qui coniuncti erant iis qui venerant ex transmigratione. dispersi enim multi significantur conuenisse ad eos.

Vers. 22. *Et fecerunt solennitatem azymorum septem diebus in lætitia : quia lætificauerat eos Dominus, & conuerterat cor regis Assur ad eos ad roborandum manus eorum in opere domus Dei, Dei Israel.* Regem Persarum nominat regem Assur, quia tenuerat erat rex etiam Assyriorum : à quo Assyriorum regno prima venit vastatio Iudæorũ, & propterea dicitur conuersum cor regis Assur ad Iudæos.

Regem Persarum vocat Regẽ Assur.

CAPVT VII.

Vers. 1. IOst res autem istas in regno Artaxerxis regis Persarum : Hezra filius Sera ie, filij Hazar-ie, filij Chilci-ie.

Vers. 2. *Filij Sallum, filij Sadoc, filij Achitub.*

Vers. 3. *Filij Amar-ie, filij Hazar-ie, filij Meraioth.*

Vers. 4. *Filij Zerach'ie, filij Huzzi, filij Bucci.*

Vers. 5. *Filij Abisuah, filij Pinchas, filij Eleazar, filij Aharon sacerdotis primi.*

Vers. 6. *Ipse Hezra ascendit de Babel.*] Iste Artaxerxes est Darij filius, qui communi nomine vocatur Xerxes : & est rex ille potentissimus à tot scriptoribus nominatus & quantum litera tradit, Hesdras Xerxis tempore post ædificatum templum è Babylone ascendit in Ierusalem fultus authoritate & fauore regio : clarè enim in hac litera dicitur & quod post supradicta, & quod non regnante Dario, sed Artaxerxe Hezdras ascendit de Babylone. Ita quod secunda persona fulta authoritate regia ascendens de Babylone in Ierusalem, fuit Hezdras cum multitudine infrascripta : primum enim ascenderat Zorobabel cum multitudine suprascripta : tertia autem persona fuit Nehemias pincerna huius Xerxis, vt inferius patet : qui & dux fuit Iudæorum in Iudæa.

Iste Artaxerxes erat ille Xerxes tã famosus, Darij filius.

Et ipse scriba velox in lege Mosis quam dedit Dominus Deus Israelis.] Non à velocitate exterioris actus scribendi commendatur, sed à velocitate ingenij ac doctrinæ in lege Mosis laudatur : vtpote qui respondendo de iis quæ legis Mosis sunt, promptissimus erat & in soluendis dubiis velocissimus. quid enim laudis contineret velociter scribere characteres in lege Mosis, potius quàm in aliis voluminibus ? ex hoc enim quòd scriba velox commendatur non absolutè, sed in lege Mosis quam Dominus Deus Israelis dedit, manifestatur quod quantum ad notitiam & sensum legis diuinæ scriba velox dicitur. Cum his tamen scito quod dictio interpretata *scriba* non à scribendo sed à libro deriuatur, & significat eum qui scit librum : & propterea legendum esset, & ipse literatus velox in lege Mosis : & similiter corrige inferius : quia sæpe repetitur. Et hic sensus quadrat vbique : quadrat & Hieronymo, exponenti scribas hoc est doctissimos.

Scriba velox.

At si quispiam contendat dictionem illam deriuari à numero, & legendum esse, & ipse numerator velox in lege Mosis, sensus in idem redit : quoniam à numero antiqui etiam poëtas nominabant, ea forte ratione quia suprema inter certas scientias est de numero. Vndecunque ergo deriuatio nominis trahatur, significat præditum scientia virum absque determinatione ad hanc vel illam materiam : & propterea adiungitur, in lege Mosis.

Et dedit ei rex secundum manum Domini Dei eius bonam super eum. (Superfluit *bonam.*) *omnem petitionem eius.*] Sermone metaphorico diuina gratia appellatur manus Dei : eo quòd operabatur reddendo Hezdram gratiosum regi ad obtinendum quicquid petiit.

Vers. 7. *Et ascenderunt de filiis Israel, & de sacerdotibus & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, & Nethinæis in Ierusalaim : in anno septimo Artaxerxis regis.*] Ascendente Zorobabel tempore Cyri ascenderunt de Tribu Iudæ & Beniamin & Leui, vt in primo cap. scriptum est : ascendente autem Hezdra tempore Xerxis scribitur hîc quòd ascenderunt de filiis Israël, ad significandum quòd promiscuè de quibuscunque tribubus Israël ascenderunt cum Hezdra.

Vers. 8. *Et venit in Ierusalaim mense quinto : ipse est annus septimus regis.* Repetitio ista ad consummationem itineris refertur : priùs enim scriptum est quòd anno septimo Artaxerxis inchoauerunt iter, & nunc scribitur quòd eodem anno appulerunt.

Vers. 9. *Quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babel : & in primo die mensis quinti venit in Ierusalaim, secundum manum Dei eius bonam super eum.*

Vers. 10. *Quia Hezra paranit cor suũ ad quærendũ legem*

Dominũ

Domini & faciendum: & ad docendum in Israel statutum & iudicium.] Aduerte prudens lector quòd hinc non habetur quòd Hezdras restauauerit legem Mosis combustam, sed potius oppositum: quoniam si hæc verba referuntur ad volumen legis, significatur volumen legis subsistere: quod enim non existit, à nullo quæritur: & ideo ex hoc ipso quod Hezdras quæsiuit legem, hoc est volumen legis, infertur quòd volumen legis extabat. Veruntamen literalis sensus est quòd Hezdras parauit cor suum ad tria: videlicet ad quærendum sensum legis, & ad faciendum, & ad docendum: hæc enim commendatione magnâ digna sunt.

Hinc nõ habetur Esdrã restaurasse legem Moysis combustam.

Vers. 11. *Et hoc exemplar Epistolæ quam dedit rex Artaxerxes Hezræ sacerdoti, scribæ erudito in sermonibus & præceptis Domini & cæremoniis eius in Israel.*] Iuxta Hebræum habetur bis *scribæ*: ita quòd legendum est: *Hezra sacerdos scriba: scriba verborum præceptorum Iehouah & statuterum eius super Israël.* Vt dictum est, legendum est *literato literato verborum* &c. & propterea Hezdras postquam dictus est literatus, explicatur materia circa quam versabantur literæ eius, dicendo literatus præceptorum summi Dei &c.

Esdras quomodo restaurauerit legem?

Ex hoc tamen loco suspicor sumptum esse quòd Hezdras restauauerit legem Mosis: cum tamen volumen legis Mosis fuisse vnicum quod cum templo combustum est, incredibile ac absurdum sit: nam nulla authentica scriptura hoc tradit, nulla ratio diuina aut humana suadet vt volumen legis Mosis non fuerit transcriptum in multa exemplaria tot sæculis defluxis à Mose vsque ad combustionem templi. Quónam pacto sacerdotes habitantes non in Ierusalem perfectam potuissent habere notitiam legis si priuati fuissent commoditate voluminis? quis rex, quæ lex hoc incommodo affecit sacerdotes & Leuitas ac alios studiosos in lege Dei? tam absurdum est hoc vt nec cogitare liceat. Multis itaque existentibus exemplaribus legis Mosis, trahi nequeo ad credendum quòd Hezdras restauauerit legem Mosis combustam, careamúsque lege & prophetis, habentes duntaxat id quod Hezdras ex eis tradidit. Accedit ad hæc quòd anno primo Cyri præsentatus fuit Esaiæ codex Cyro, quando Hezdras fortè nec natus erat: nam à primo Cyri anno vsque ad tempus quo floruit Hezdras, fluxerunt plusquam anni quinquaginta: vt patet supputanti annos regum Persarum vsque ad Xerxem.

Vers. 12. *Artaxerxes rex regum: Hezra sacerdoti scribæ legis Dei cœli doctissimo salutem.*] Iuxta Hebræum duæ vltimæ dictiones sonant nescio quid: contextus enim requirit vt sonent regiam salutationem in principio epistolarum solitam: nullum autem inueni interpretem satisfaciẽtem mihi: Chaldaïca siquidem sunt verba.

Epistola Artaxerxis Esdræ.

Vers. 13. *A me positum est decretum vt cuicunque placuerit in regno meo de populo Israël & de sacerdotibus, & Leuitis ire in Ierusalem tecum vadat.*

Vers. 14. *A facie enim regis & septem consiliariorum eius missus es ad visitandum Iehud & Ierusalem: in lege Dei tui quæ est in manu tua.*] hoc est quam in promptu habes docendam sicut ea quæ habentur in manu. Ad instruendum ergo secundum legem Dei in primis missus declaratur Hezdras.

Vers. 15. *Et ad ferendum argentum & aurum, quod rex & consiliarij eius sponte obtulerunt Deo Israel, cuius in Ierusalem est tabernaculum.*] Hinc apparet quòd primates regni non incredulos se exhibebant diuinæ prouidentiæ quam Iudæi prædicabant.

Vers. 16. *Et omne argentum & aurum quod inueneris in tota prouincia Babel: & populus offerre voluerit.* Legendum est. *cum voluntate populi & sacerdotum qui sponte offerent, domus Dei sui quæ est in Ierusalem.*] Non enim est sermo de omni argento & auro Babylonis absolutè, sed de inuento cum voluntate populi ad offerendum.

Vers. 17. *Liberè accipe.* Superfluunt hæ duæ dictiones. *Vt festinanter emas hac pecunia tauros, arietes, agnos, & munera & libamina eorum: & offer ea super altare domus Dei vestri quæ est in Ierusalem.*

Vers. 18. *Et quicquid tibi & fratribus tuis placuerit de residuo argento & auro facere: iuxta voluntatem Dei vestri facite.*

Vers. 19. *Et vasa quæ data sunt tibi in ministerium domus Dei tui: redde coram Deo in Ierusalem*

Vers. 20. *Et cætera necessaria domui Dei tui quæ tu dare habebis: dabis de domo thesaurorum regis.*

Vers. 21. *Et ex me ego Artaxerxes rex posui decretum omnibus thesaurariis qui sunt trans flumen: vt omnia quæ petierit à vobis Hezra sacerdos scriba legis Dei cœli, absque mora detis.*

Vers. 22. *Vsque ad argenti talenta centum, & vsque ad tritici choros centum, & vsque ad vini bathos centum, & vsque ad bathos olei centum: sal vero absque mensura.*

Vers. 23. *Omne quod est ex decreto Dei cœli, fiat citò domus Dei cœli: ne forte irascatur contra regnum regis & filiorum eius.*

Vers. 24. *Vobis quoque notum facimus de omnibus sacerdotibus & Leuitis, cantoribus, ianitoribus, Nethinæis & ministris domus Dei huius: quod non est facultas imponendi super eos tributum, vectigal & reditum.*] Aduertte quòd etiam reges Persarum exemptos faciebant sacerdotes & ministros diuini cultus à publicis oneribus.

Etiam Persarum Reges à publicis oneribus Dei ministros eximebant.

Vers. 25. *Tu autem Hezra secundum sapientiam Dei tui quæ est in manu tua, constitue iudices & præsides qui iudicent totum populum qui est trans flumen, omnes scientes legem Dei tui: & eos qui nescium scire facite.*

Vers. 26. *Et omnis qui non fecerit legem Dei tui & legem regis, diligenter iudicium.* (Parui refert quòd Hebraicè habetur: *ciuo iudiciũ*) *fiat de eo siue ad mortem.* statuit enim quòd iudices constituendi ab ipso Hezdra damnent transgressorem legis, siue diuinæ, siue regiæ: vel ad pœnam mortis &c. Et per hoc patet quòd maiorem facultatem habebant iudices Iudæorum sub Persis quàm sub Romanis: nam sub Romanis non licebat Iudæis damnare ad mortem, vt Euangelica testatur historia: sub Persis autem concedebatur eis etiam iudicium mortis.

Siue in exilium.] Quamuis Hebraïcè habeatur in eradicationem, tamen exilium significatur: quod est velut eradicatio ex proprio solo.

Siue in condemnationem substantiæ & in carcerem.

Vers. 27. *Et dixit Hezra scriba: benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis vt glorificaret domum Domini quæ est in Ierusalem.*

Vers. 28. *Et super me inclinauit misericordiam suam.* Legendum est: *gratiam coram rege & consiliariis eius & omnibus principibus regis potentibus.*] gratiarum enim actio scribitur pro beneficio talis epistolæ.

Et ego confortatus manu Dei mei super me, congregaui de Israel principes ad ascendendum mecum. Executio scribitur clarè.

CAPVT VIII.

VERS. 1. *Principes familiarum qui ascenderunt cum Esdra.*

HI sunt principes familiarum eorum & genealogiæ eorum. Quemadmodum in ascensu Zorobabel recensiti sunt ascendentes cum eo, ita in ascensu Hezdræ recensentur ascendentes cum eo.

Qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babel.] Hinc patet quòd ipse Hesdras fuit author huius libri: & ex hoc quòd describendo ascendentes prima vice tempore Cyri cap. 2. non dicit quòd ascenderunt mecum, sed dicit cum Zorobabel & multis aliis inter quos non numeratur ipse Hezdras, hic autem manifestè dicit, qui ascenderunt mecum, insinuatur quod supra diximus: videlicet quòd Hezdras tempore Xerxis primum ascendit in Ierusalem de Babylone.

Vers. 2. *De filij Pinchas Gherſom, de filij Ithamar Daniel: de filius Dauid Chattus.*

Vers. 3. *De filius Sechan-ia, de filiis Par-hos Zechar-ia: & cum eo numerati sunt masculi centum & quinquaginta.*

Vers. 4. *De filiis Pacha-moab, El-iehoenai filius Zerach-ia: & cum eo ducenti masculi.*

Vers. 5. *De filius Sechan-ia, filius Iachaziel: & cum eo trecenti masculi.*

Vers. 6. *De filius Hadin, Hebed filius Ionathan, & cum eo quinquaginta masculi.*

Vers. 7. *Et de filiis Helam, Ieſah-ia filius Hathal-ia: & cum eo ſeptuaginta maſculi.*

Vers. 8. *Et de filius Sephat-ia, Zebad-ia filius Michael: & cum eo octoginta maſculi.*

Vers. 9. *De filius Ioab, Hadab-ia filius Iechiel: & cum eo ducenti & octodecim maſculi.*

Vers. 10. *Et de filiis Selomith, filius Ioſiph-ia: & cum eo centum & ſexaginta maſculi.*

Vers. 11. *Et de filius Bebai, Zechar-ia filius Bebai: & cum eo viginti octo maſculi.*

Vers. 12. *Et de filius Hazgad, Iochanan filius Catan: & cum eo centum & decem maſculi.*

Vers. 13. *Et de filius Adonicam nouiſſimis, & hæc nomina eorum, Eliphelet, Iehiel, & Semah-ia: & cum eis ſexaginta maſculi.*

Vers. 14. *Et de filiis Big-uai, Huthai & Zabbud: & cum eis ſeptuaginta maſculi.*

Vers. 15. *Congregauiautem eos ad fluuium venientem ad Ahauam, & manſimus ibi tribus diebus: quæſiuique in populo & in ſacerdotibus de filiis Leui, & non inueni ibi.*] Legendum est. *& in ſacerdotibus, & ex filiis Leui non inueni ibi.* est enim sensus quòd inspexit tam in populo quàm in sacerdotibus & non inuenit inter eos aliquos ex filiis Leui. Et est sermo de Leuitis vt distinguuntur à sacerdotibus: vtrique enim sunt filij Leui, hîc tamen appropriatur filiatio Leuitis qui non erant sacerdotes & erant de tribu Leui.

Vers. 16. *Miſique Eliezer & Ariel & Semah-iam & Elnathan & Iarib, & Elnathan; & Nathan & Zechar-iam, & Meſullam principes: & Io-iarib & Elnathan ſapientes.*

Vers. 17 *Et miſi eos ad Iddo caput in Caſiphi-a loco.*] Iddo nomen viri esse subiuncta innuunt nominando fratres eius: caput itaque existentium Iudæorum in loco Casphiæ significatur, ad quem præcipuè missa est legatio.

Et poſui in ore eorum verba quæ loquerentur ad Iddo & fratres eius Nethineos in Chaſiph-ia loco ad adducendum nobis miniſtros pro domo Dei noſtri.

Adduxeruntque nobis ſecundum manum Dei noſtri bonam ſuper nos virum doctiſſimum.] Hebraïcè habetur. *virum intellectus.* hoc est ingenio pollentem. Vers. 18.

De filiis Mach-li, filij Leui filij Iſrael: & Sereb-iam & filios eius & fratres eius octodecim.

Et Chaſab-iam, & cum eo Ieſah-iam de filiis Merari: fratres eius & filios eorum viginti. Vers. 19.

Et de Nethinæis quos dederat Dauid & principes ad miniſterium Leuitarum, Nethineos ducentos & viginti.] Hinc apparet quòd Nethinæus non est nomen proprium Ghabaonitarum, sed commune omnibus non Leuitis addictis diuino ministerio ab aliis: quales fuerunt Ghabaonitæ dati à Iosua, & isti dati à Dauide & principibus, & filij seruorum Salomonis. Vers. 20

Omnes iſti nominati ſunt per nomina.

Et prædicaui ibi ieiunium iuxta fluuium Ahaua, vt affligeremur coram Deo noſtro: ad quærendum ab eo viam rectam, nobis & parunlis noſtris & toti ſubſtantiæ noſtræ. Vers. 21.

Erubui enim petere à rege robur & equites ad defendendum nos ab inimico in via: quia dixeramus regi, manus Dei noſtri eſt ſuper omnes quærentes eum in bonitate, & fortitudo eius & furor eius ſuper omnes derelinquentes eum. Vers. 22.

Ieiunauimuſque & quæſiuimus a Deo noſtro ſuper hoc.] Ne minuere videretur coram Ethnicis, diuinæ prouidentiæ gloriam in cura peculiari erga Israelitas rectos, timuit: & propterea ad ieiunii auxilium se conuertit, prudenter cuncta disponens, & ea quæ erant diuinæ gloriæ, & ea quæ erant necessitatis populi. Vers. 23.

Et euenit nobis proſperè.] Iuxta Hebræum habetur: *& exaudiuit nos* quod est signum recti timoris in Hezdra.

Et ſeparaui de principibus ſacerdotum duodecim: Sereb-iam Chaſab-iam, & cum eis ex fratribus eorum decem. Vers. 24.

Appendique eis argentum & aurum & vaſa conſecrata..] Hebraïcè habetur: *eleuationem domus Dei noſtri.* hoc est vasa oblata domui Dei nostri. *quæ obtulerant rex & conſiliarij eius & principes eius, & totus Iſrael inuentus.* Vers. 25.

Et appendi ſuper manum eorum argenti talenta ſexcenta & quinquaginta, & vaſa argentea centum talentorum: auri centum talenta. Vers. 26.

Et crateres aureos viginti, drachmarum mille: & vaſa æris fulgentis optimi duo, pulchra vt aurum. Vers. 27.

Et dixi eis. Vos ſancti Domino & vaſa ſancta, & argentum & aurum quod ſponte oblatum eſt Domino Deo patrum veſtrorum. Vers. 28.

Vigilate & cuſtodite donec appendatis coram principibus ſacerdotum, & Leuitarum, & principibus familiarum Iſrael in Ieruſalaim: in theſauros domus Domini. Vers. 29.

Suſceperuntque ſacerdotes & Leuitæ pondus argenti & auri & vaſorum: ad deferendum in Ieruſalaim in domum Dei noſtri. Vers. 30.

Et profecti ſumus a flumine Ahaua duodecimo die menſis primi vt pergeremus Ieruſalaim: manuſque Dei noſtri fuit ſuper nos, & liberauit nos de manu inimici & inſidiatoris in via. Vers. 31.

Venimusque Ieruſalaim: & manſimus ibi tribus diebus. Vers. 32.

Die autẽ quarta appenſum eſt argentũ & aurum & vaſa in domo Dei noſtri ſuper manũ Meremo-th filij Vers. 33.

filij Vri-æ sacerdotis, & cum eo Elhazar filius Pinchas: & cum eis Iosabad filius Iesuah & Nobadia filius Binnui Leuitæ.

Vers. 34. *In numero & pondere omnia: & scriptum est omne pondus in tempore illo.*

Vers. 35. *Et qui venerant de captiuitate filij transmigrationis obtulerunt holocausta Deo Israel, tauros duodecim pro toto Israel, arietes nonaginta sex, agnos septuaginta septem, hircos pro peccato duodecim: omnia in holocaustum Domino.* Quamuis ea quæ offerebantur pro peccato non essent regulariter holocausta, quia tamen ista pro multitudine offerebantur populi, sacratiora esse voluerunt: & propterea scribitur quòd omnia fuerunt oblata Domino in holocaustum.

Vers. 36. *Dederúntque edicta regis satrapis regis & ducibus trans flumen: & eleuauerunt populum & domum Elohim.*] Fructus subsecutus ex aduentu Hezdræ narratur eleuatio tum populi tum templi propter edictum regium.

CAPVT IX.

Vers. 1. *Postquam autem hæc completa sunt.*] Quantum intercesserit temporis spatium, ignotum est.

Accesserunt ad me principes dicendo: non sunt separati populus Israel & Sacerdotes & Leuitæ à populis terrarum in abominationibus eorum, Chananæorum, Chethæorum, Pherizæorum, Iebusæorum, Hammonitarum, Moabitarum, Ægyptiorum.] habitantium in terra Chanahan. *& Emoræorum.*

Vers. 2. *Tulerunt enim de filiabus eorum sibi & filiis suis, & miscuerunt semen sanctum.*] hoc est dictum ad propagandum populum Dei. *cum populis terrarum.*] propter periculum enim auersionis à diuino cultu prohibita erat huiusmodi commixtio.

Manúsque principum & magistratuum fuit in præuaricatione ista prima.] Manus principum narratur prima in hac transgressione, eo quòd exemplo eorum alij inierunt connubia cum alienigenis.

Vers. 3. *Cúmque audissem sermonem istum, scidi pallium meum & tunicam meam: & euulsi capillos capitis mei & barbæ meæ, & sedi mœrens.*

Vers. 4. *Conuenerunt autẽ ad me omnes qui timebant verba Dei Israel, propter transgressionem eorum qui de captiuitate venerant: & ego sedebam mœrens vsque ad sacrificium vespertinum.*

Vers. 5. *Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, & scidi pallium meum & tunicam meam: curuauíque genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum.*

Vers. 6. *Et dixi: Deus mi confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt supra caput, & delicta nostra creuerunt vsque ad cœlum.*

Vers. 7. *A diebus patrum nostrorum fuimus in delicto magno vsque ad diem hanc.*] Adhuc enim superstites erant multi qui fuerant tempore quo templum combustum fuerat & populus in captiuitatem ductus: & propter hoc subdit.

Et in iniquitatibus nostris.] hoc est in iniquitatibus nostris, secundum patres & secundum nosipsos.

Traditi sumus nos & reges nostri & sacerdotes nostri in manum regum terrarum, in gladium & in captiuitatem, & in rapinam, & in confusionem vultus sicut die hac.] Adhuc enim durabat effectus harum pœnarum.

Vers. 8. *Et nunc quasi parum & ad momentum facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc sicut modico momento fuit deprecatio à Iehouah Elohe nostro.* subaudi admissa. Quid autem intendat per modicum momentum, declarat subiungendo.

Vt dimitterentur nobis reliquiæ.] Legendũ est: *ad faciendum superesse nobis euasionem.* Modicus populus qui ex gratia regum Persarum libertate donatus euasit de exilio ad habitandum in terra promissionis, tanquam modicum momentum appellatur.

Et daretur pax illius in loco sancto eius. Errore scriptorum corrupta est littera: non enim pax illius, sed paxillus habetur iuxta Hebræum. Et hoc ad modicum spectat momentum vt in loco sanctitatis eius (hoc est in Ierusalem) dederit Deus clauum vnum: id enim modicum boni quod instauratio templi comprehendebat, appellat clauum in loco sanctitatis eius: eo quòd quamuis initium modicum, tamen firmitatis bonum erat: ciuitas enim absque muris erat & inhabitata & patens hostibus.

Vt illuminaret oculos nostros Deus noster, & daret nobis vitam modicam in seruitute nostra.

Vers. 9. *Quia serui sumus.*] erant enim serui regis Persarũ quamuis liberati à seruitutibus particularibus.

Et in seruitute nostra non dereliquit nos Deus noster: & inclinauit super nos misericordiam coram regibus Persarum.] Sæpe dictũ est gratiam legendum esse.

Vt daret nobis vitam, vt sublimaret domum Dei nostri & extrueret solitudines eius, & daret nobis sepem. Legendum est: *sepem in Iehuda & in Ierusalaim.* Quia sepibus potius quàm muris cingebantur ciuitates, ideo dicit ad dandum nobis sepem in Iuda & Ierusalem.

Sepibus potius quàm muris cingebantur ciuitates.

Vers. 10. *Et nunc quid dicemus Deus noster post hoc?* Hactenus contulit præterita delicta cum subsecutis beneficiis concessis à regibus Persarum: modò confert præsens crimen connubiorum cum extraneis, cum prædictis beneficiis, inchoando ab agnitione peccati contra legem Dei.

Quia dereliquimus mandata tua.

Vers. 11. *Quæ præcepisti.* Deuteronom. cap. 7. *in manu seruorum tuorum Prophetarum dicendo, terra quam vos ingredimini ad possidendam eam, terra immunda est in immunditia populorum terrarum: in abominationibus eorum qui repleuerunt eam ab ore ad os in immunditia sua.*

Vers. 12. *Nunc ergo filias vestras ne detis filiis eorum, & filias eorum ne accipiatis filiis vestris, & non quæratis pacem eorum, & bonum eorum vsque in æternum.*] Non ad tempus sed semper seruandam hanc legem vt non commiscerentur cum extraneis significat: *vt confortemini & comedatis bona terræ, & hæreditare faciatis filios vestros vsque in æternum.*

Vers. 13. *Et post omnia.* mala pœnæ: captiuitatis, cladis, &c. *quæ venerunt super nos in operibus nostris malis & in delicto nostro magno: quia tu Deus noster liberasti nos de iniquitate nostra.* Iuxta Hebræum habetur: *quia tu Elohe noster prohibuisti in deorsum ex iniquitatibus nostris.* Exaggeratio est peccati in huiusmodi connubiis commissi: ex eo quòd post has omnes punitiones iustissimè perpetias,

pessas, quia tu Deus etiam beneficio ereptionis nostræ, ne secundùm iniquitates nostras essemus deorsum seu subter vt eramus ante gratiam istorum regum.

Et dedisti nobis salutem sicut est hodie.] Quamuis Hebraicè legatur in futuro, *& dabis nobis euasionem sicut hanc.* sensus tamen in idem redit: quoniam futurum refertur ad præteritum *præbuisti*, prius enim dedit eis Deus subleuationem coram regibus Persarum & deinde euasionem de alieno ad proprium solum quale tunc habebant.

Vers. 14. *Vt non conuerteremur & irrita faceremus mandata tua.*] Iuxta Hebræum habetur: *Nunquid reuertemur ad frangendum præcepta tua & affinitatem contrahendum cum populis abominationum istarum?* Ecce exaggeratio: quia post tot mala cõtulisti nobis hæc beneficia, nunquid reddemus tibi hanc vicissitudinem vt reuertamur ad frangendum mandata tua, &c.

Nunquid iratus es nobis. Iuxta Hebræum habetur: *nunquid non irasceris nobis vsque ad consumptionem, vt non reliquæ & euasio?* Confitetur quòd recidiuum hoc meretur vt Deus irascatur vsque ad consumptionem omnium ita vt nec reliquus sit aliquis, ita vt nullus euadat.

Vers. 15. *Domine Deus Israel iustus tu.* Rationem affert dicti meriti, diuinam iustitiam. *quoniam derelicti sumus qui saluaremur sicut die hac.* Beneficium euasionis à Deo collatum postremo reuemorat & citat carens meritis bonorum operum: & ab inchoato beneficio diuino supplicare intendit vt ignoscat prosequendo bona cœpta: & propterea ex parte eorum subiungit:

Ecce coram te sumus in delicto nostro. non in bonis operibus, non in nostris precibus: *non enim stari potest*: iustè. *coram te super hoc.* tanto excessu.

CAPVT X.

VERS. 1. *Hæc ergo orante Hezra & implorante Deum & flente & sacente ante templum Dei.*] Iuxta Hebræum habetur: *& confesso ipso flente & cadente ante domum Elohim.* De confessione peccatorum ad diuinam laudem déque casu voluntario prosternentis se super terram in faciem suam, est sermo, & describitur simul locus in quo orabat: videlicet ante templum, non intus in templo, sed sub dio publicè ante faciem templi.

Collectus est ad eum de Israel cœtus magnus valde virorum & mulierum & puerorum. quia fleuit populus fletu multo.

Vers. 2. *Et respondit Sechan-ia filius Iechiel de filiis Helam, & dixit Hezra: nos præuaricati sumus in Deum nostrum & duximus vxores alienigenas de populis terræ. & nunc si est pœnitentia in Israel super hoc.*] Iuxta Hebræum habetur: *& nunc est spes Israeli super hoc.* De spe veniæ, de spe pœnitentiæ & emendationis loquitur: & propterea remedium subiungit percutiendi fœdus cum summo Deo ad abiiciendum vxores alienigenas.

Vers. 3. *Nunc igitur percutiamus fœdus cum Deo nostro vt eiciamus omnes vxores & natos ex eis iuxta voluntatem Domini.* Iuxta Hebræum habetur. *in consilio Iehouah.* Appellat consilium non vt distinguitur contra præceptum, sed vt distinguitur contra imprudens & præceps: offert enim securos se non voluntarios impetus, sed prudentiam summi Dei.

Et eorum qui tenent. Iuxta Hebræum habetur: *& trementium præceptum Dei nostri.* Sectaturos se promittit eorum qui timent offendere Deum, consilium.

Et secundùm legem fiat.

Surge, tuum est decernere.] Iuxta Hebræum habetur: *quia super te res.* subaudi pendet. *& nos erimus tecum: confortare & fac.* Vers. 4.

Surrexitque Hezra, & adiurauit principes sacerdotum & Leuitarum & totum Israel, vt facerent secundum verbum hoc: & iurauerunt.] Quæstio oritur quonam pacto licuit Hezræ exigere iuramentum vt exequerentur præpositam sententiam: videlicet abiiciendi tum vxores alienigenas, tum natos ex eis: hoc enim postremum non erat lege sancitum, & impietatem sapit. Solutio est quòd iuramentum hoc intelligitur iuxta sensum oblatæ pœnitentiæ: non fuit autem proposita abiectio natorum absolutè, sed cum moderamine secundùm consilium Dei & timentium eum: & propterea non iurauerunt absolutè sed cum dicto moderamine. Vers. 5. *Quomodo licuit Esdræ exigere hoc iuramentum?*

Et surrexit Hezra ante domum Dei. Legendum est, *à facie domus Elohim.* Terminus à quo recessit narratur. *& iuit ad cubiculum Iehochanan filij El-iasib: & iuit illuc, panem non comedit & aquam non bibit, lugebat enim transgressionem eorum qui redierant de captiuitate.* Vers. 6.

Et missa est vox præconis *in Iehudam & Ierusalaim omnibus filiis transmigrationis, vt congregarentur in Ierusalaim.* Vers. 7.

Et omnis qui non venerit in tribus diebus iuxta consilium Principum & seniorum, auferetur tota substantia eius: & ipse eiicietur de cœtu transmigrationis.] Pœna excommunicationis significatur. Vers. 8.

Conuenerunt igitur omnes viri Iehudæ & Biniamin in Ierusalaim in tribus diebus, ipse est mensis nonus.] in anni ordine inchoantis à Sole in Ariete, quem nos dicimus mensem Nouembrium. Vers. 9.

In vigesima die mensis: & sederunt totus populus in platea domus Dei (Nomen est *Elohim.*) *trementes propter rem & pluuias.*

Surrexitque Hezra Sacerdos, & dixit ad eos: vos præuaricati estis & duxistis vxores alienigenas vt adderetis super delictum Israel. Declarat Hezdras facta ab eis connubia esse contra legem summi Dei. Vers. 10.

Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum.] hoc est confiteamini vos peccasse ad diuini nominis laudem. Vers. 11.

Et facite voluntatem eius: & separamini à populis terræ & ab vxoribus alienigenis.] Aduerte hic duo, alterum quòd non dicit Hezdras vt separentur à filiis propriis natis ex vxoribus alienigenis, sed quòd separentur à populis terrarum vt videlicet non habeant eos in soceros, generos & huiusmodi. Alterum quòd quamuis in lege Mosis non fuerit sancitum vt vxores iam ductæ quæ erant alienigenæ eiicerentur, quia tamen inhibita erant connubia cum alienigenis habitantibus in terra Chanahan, ideo Hezdras connubia illa (vtpote illegitima) dirimenda censuit. *Obiurgat Iudæorum cum alienigenis diuina mandata fluxum.*

Et respondit totus cœtus & dixit voce magna, iuxta verbum tuum ad nos sic fiat. Vers. 12.

Sed populus multus & tempus pluuiarum est, & non est vis standi foris: & opus non est diei vnius neque duorum, vehementer quippe peccauimus in sermone isto.] Iuxta Hebræum habetur: *quia mul-* Vers. 13.

tis-lius

uplicauimus rebellionem in re iſta. Ratio redditur quòd multo eſt opus tempore propter multitudinem eorum qui in hoc peccauerunt.

Verſ. 14. *Stent obſecro principes noſtri in omni congregatione, & omnes qui in ciuitatibus noſtris duxerunt vxores alienigenas veniant in temporibus ſtatutis, & cum eis ſeniores ciuitatis & ciuitatis & iudices eius: donec auertatur ira furoris Dei noſtri à nobis propter peccatum hoc.*

Verſ. 15. *Igitur Ionathan filius Haſael & Iachaz-ia filius Thoc-ua conſtituti fuerunt ſuper hoc: & Meſullam & Sabbethai Leuita adiuuerunt eos.*

Verſ. 16. *Fecerúntque ſic filij tranſmigrationis: & ſeparati ſunt Hezra & viri capita familiarum per domos patrum ſuorum, & omnes per nomina ſua, & ſederunt in die primo menſis decimi vt quærerent rem.*

Verſ. 17. *Et conſummati ſunt omnes viri.* Legendum eſt: *Et finierunt in omni, viros qui duxerunt vxores alienigenas: vſque ad diem primum menſis primi.* Conſummatio inquiſitionis deſcribitur ad primam diem menſis primi: tribus itaque menſibus (decimo, vndecimo & duodecimo) durauit inquiſitio.

Verſ. 18. *Et inuenti ſunt de filiis ſacerdotum qui duxerunt vxores alienigenas: de filiis Ieſuah filij Iozadac & fratrum eius, Maaſe-ia & Eliezer & Iarib & Gedal-ia.*] Filij Ioſuæ ſummi ſacerdotis, inuenti in hoc crimine narrantur, ſed non pertinaces: nam de ipſis ſubditur quòd promiſerunt eiicere vxores alienigenas, & præter hoc offerre arietem pro delicto.

Verſ. 19. *Et dederunt manum ſuam vt eiicerent vxores ſuas: & pro delicto ſuo arietem de ouibus offerrent.*

Verſ. 20. *Et de filiis Immer, Chanani & Zebad-ia.*

Verſ. 21. *Et de filiis Charim, Maaſe-ia & Semath-ia & Iechiel & Huzzi-ia.*

Verſ. 22. *Et de filiis Paſchur: El-ioenai, Maaſe-ia, Iſmael, Nethan-el, Iozabad & Elaſa.*

Verſ. 23. *Et de Leuitis: Iozabad & Simhi & Cela-ia (ipſe eſt Celua) Pethach-ia, Iehuda & Eliezer.*

Verſ. 24. *Et de cantoribus El-aſib: & de ianitoribus, Sallum & Telem & Vri.*

Verſ. 25. *Et de Iſrael: de filiis Par-hoſ Ram-ia & Iiz-ia, & Malchi-ia & Mi-iamin & Eleazar, & Malchi-ia & Bena-ia,*

Et de filiis Helam: Matthan-ia, Zechar-ia & Verſ. 26.
Iechiel & Habdi, & Ieremoth & Eli-ia.

Et de filiis Zaththu: El-ioenai, El-aſib, Mat- Verſ. 27.
than-ia & Ieremoth & Zabad & Haz-za.

Et de filiis Bebai: Iehochanan, Chanan-ia, Verſ. 28.
Zabbi, Hath-lai.

Et de filiis Bani: Meſullam, Malluh & Ha- Verſ. 29.
da-ia, Iaſub & Seal Ieramoth.

Et de filiis Pachath-moab: Hadna & Chelal, Verſ. 30.
Bena-ia, Maaſe-ia Matthan-ia, Bezal-el & Binnui & Menaſſes.

Et de filiis Charim: Eliezer, Iiſſi-ia, Malchi- Verſ. 31.
ia, Semah-ia, Simhon.

Bin-iamin Malluch, Semar-ia. Verſ. 32.

De filiis Chaſum: Matthenai, Matthatha, Verſ. 33.
Zabad, Eliphelet, Ieremai, Menaſſes, Simhi.

De filiis Bani: Mahadai, Hamram & Vel. Verſ. 34.

Bena-ia, Bed-ia Chelubi. Verſ. 35.

Van-ia, Meremoth, El-iaſib. Verſ. 36.

Matthan-ia Matthenai & Iahaſau. Verſ. 37.

Et Bani & Binnui, Simhi. Verſ. 38.

Et Selem-ia & Nathan & Hada-ia, Verſ. 39.

Machnadbai, Saſai, Sarai. Verſ. 40.

Hazar-el & Selem-iabu, Semar-ia. Verſ. 41.

Sallum, Amar-ia, Ioſeph. Verſ. 42.

De filiis Nebo: Iehiel, Matthith-ia, Zabad, Verſ. 43.
Zebina, Iaddau & Ioel, Benaia.

Omnes hi acceperunt vxores alienigenas: & Verſ. 44.
fuerunt ex eis mulieres quæ pepereram filios.] Patui refert quòd Hebraicè habetur: *& poſuerunt filios*, quoniam *ponere* pro *parere* ſumitur.

Sed oritur hîc quæſtio: quia nulla ſcribitur executio, ſed finitur liber in narratione inuentorum in hoc crimine: lege enim totum hoc capitulum, & nullam eiectam vxorem inuenies: ſoli enim filii Pontificis in ſpecie promiſerunt eiicere vxores ſuas, nulla autem executio ſubiungitur. Solutio eſt quòd Hezdras non prævaluit ad exequendum eiectionem: vt teſtantur ſcripta in vltimo cap. Nehemiæ: & propterea tacetur hic executio, ſcribenda in libro Nehemię: à quo fuit executio facta, qualitercunque tamen vt teſtatur ipſe Nehemias capite vltimo, & inſinuat capite decimo, vt ibidem declarabitur. Et ſic finitur liber Hezdræ.

Romæ die decimonono Aprilis inter ægritudinem longam.

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. XYSTI, *IN LIBRVM NECHEM-IÆ* COMMENTARII.

CAPVT I.

Vers. 1. *Nehemias fuit Ierosolymita princeps Regis Persarum, magnus coram eo.*

VERBA Nechem-ie.] Principium libri testatur quòd non Hezdras sed ipse Nehemias fuit author huius libelli: quod etiam sæpe ex sermone Nehemiæ in prima persona inferius cõfirmatur.

Filij Helchia. Corruptum est vocabulum: legendum esset: *filij Chachal-ia.* Nec aliter dicitur genealogia istius Nehemiæ: vt ipse tamen inferius testatur, Ierosolymita fuit pincernaque regis Persarum & magnus coram eo.

Et factum est. Legendum esset: *& fuit*: interpres siquidem infinities vertit Hebraicum *& fuit* in *& factum est*: Præmisso autem titulo libri dicendo *verba Nehemiæ filij Chachal-ia*, subsequitur statim narratio dicendo *& fuit.*

In mense Chisleu: hoc est mense vt aiunt nono seu decimo secundum ordinem mensium anni, inchoantis à sole in Ariete.

Anno vigesimo: proculdubio illius Persarum regis, cuius anno septimo ascenderat Hezdras: qui rex vt diximus fuit Xerxes ille nominatissimus.

Et ego eram in Susis castro.] Iuxta Hebræum habetur: *in Susan palatio.* Descripto tempore, narratur locus: & Susan nomen ciuitatis fuisse, liber Esther testatur. Describitur itaque quòd ipse erat in ciuitate Susan (quæ erat ciuitas regia) & quòd habitabat in palatio regis, vtpote domesticus regis.

Vers. 2. *Et venit ad me Chanani.* Superfluit *ad me*: non scribitur quòd ad ipsum venerint, sed duntaxat quòd venerunt. Addit autem Iosephus quòd casu istos qui venerant ex Iudæa reperit colloquentes inter se Hebraicè.

Vnus de fratribus meis. (hoc est Hebræis.) *ipse & viri de Iehuda.* Terminus à quo venit iste Chanani cum quibusdam aliis, describitur.

Et interrogaui eos de Iehudæis euasionis qui remanserant de captiuitate & de Ierusalaim.] videns enim nouos aduenas Hebraicè loquentes, postquam interrogasset vnde venerant, interrogauit eos de Iudæis qui euasetant ex captiuitate & Ierusalem.

Vers. 3. *Et dixerunt mihi: residui qui remanserunt de captiuitate, ibi in prouincia sunt in afflictione magna.*] Parui refert quòd Hebraicè habetur: *in malo magno & in opprobrio*: nam de malo pœnæ est sermo.

Et murus Ierusalaim dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igni.] Ordinatè respondent, primò de populo deinde de ciuitate Ierusalem: quòd videlicet perseuerant duo: videlicet murus dissipatus & portæ combustæ, prout Chaldæi dereliquerant.

Vers. 4. *Cumque audissem verba ista, sedi & flebi & luxi diebus multis.* Superfluit *multis*: infra tres menses medios vsque ad gratiã regis crebro fletu ac luctu orauit. Et ratio tantæ tristitiæ fuit, quia à primo Cyri anno vsque ad tempus illud fluxerant anni plusquam septuaginta: & miserum valde apparebat quòd tanto temporis spatio libertate donati Iudæi non instaurassent muros & portas Ierusalem: *& ieiunaui & oraui coram Deo cœli.*

Vers. 5. *Et dixi: quæso Domine Deus cœli, fortis, magne & terribilis, custodiens pactum & misericordiam.*] Legendum est: *& gratiam*: vt sæpe dictum est: *diligentibus te & custodientibus mandata tua.*

Vers. 6. *Sit quæso auris tua attendens & oculi tui aperti ad audiendum orationem serui tui, qua ego coram te hodie, die, & nocte pro filiis Israel seruis tuis: & confiteor pro peccatis filiorum Israel quibus peccauimus tibi, & ego & domus patris mei peccauimus.*

Vers. 7. *Vanitate seducti sumus.*] Iuxta Hebræum habetur: *Destruendo destruximus tibi*: hoc est quæ tua sunt: verè namque destruxerant peccando quæ Dei erant: *& non custodiuimus præcepta & statuta & iudicia qua præcepisti Mosi seruo tuo.*

Memento

Vers. 8. *Memento quæso verbi quod mandasti Mosi seruo tuo, dicendo:* (Deuter 30.) *vos prævaricabimini, ego dispergam vos in populos.*

Vers. 9. *Et reuertemini ad me, & custodieritis præcepta mea & facietis ea: si abducti fueritis in extremum cæli, inde congregabo vos & reducam vos ad locum quem elegi vt habitare facerem nomen meum ibi.*] Sententia est clara.

Vers. 10. *Et ipsi serui tui & populus tuus: quem redemisti in fortitudine tua magna & in manu tua valida.* Sub promissione diuina subsumit quòd Hebræi reliqui sunt serui & populus Dei.

Vers. 11. *Obsecro Domine sit quæso auris tua attendens ad orationem serui tui & ad orationem seruorum tuorum volentium timere nomen tuum, & dirige seruum tuum hodie.*] Iuxta Hebræum habetur, *& fac prosperare obsecro seruum tuum hodie.* prosperum enim successum petitionis intentæ petit.

Et da ei misericordiam. Hebraica dictio nec gratiam nec misericordiam propriè significat, sed potius commiserationem: petitioenim quam prosperari petit coram rege Persarum, commiserationi regis innitebatur: & propterea subiungit.

Ante virum hunc. Xerxem videlicet Persarum regem: ad hoc enim explanandum subiungit officium suum, *& ego eram pincerna regis.*

CAPVT II.

Vers. 1. *Nisan est primus mensis, scilicet Martius.*

Factum est autem in mense Nisan anno vigesimo Artaxerxis regis.] Hinc apparet quòd tres menses fluxerunt à notitia quam habuit Nehemias de Ierusalem vsque ad tempus obtentæ gratiæ à rege Persarum quod nunc narratur: nam Nisan nomen est mensis primi in ordine mensium anni, cum luna scilicet primo opponitur soli in Ariete: eodem enim anno regni Xerxis hæc gesta fuisse, manifestatur ex eo quòd eodem anno vigesimo hæc gesta scribuntur.

Et vinum erat ante eum: leuauique vinum & dedi regi, & eram quasi languidus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non fui malus coram eo.*] Quod dupliciter intelligi potest, vel de malo ægritudinis: & sic est sensus & non apparui æger in oculis regis, vel de malo tristitiæ: & sic est sensus & non fui solitus apparere tristis coram rege, vterque enim sensus quadrat subiunctis.

Vers. 2. *Dixitque mihi rex: quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quid in corde tuo est.*] Iuxta Hebræum habetur, *non hoc nisi malum cordis.* Concludit rex tristitiam vultus apparentem, ex cordis non corporis ægritudine natam esse.

Xerxes Nehamiam alloquitur.

Et timui valde ac nimis.] Iuxta Hebræum habetur: *& timui multum valde.* Magnus timor causatus est ex dubio tum mali animi regis interrogantis secreta cordis, tùm ex dubio alicuius mali euentus: puta expulsionis ab officio.

Vers. 3 *Et dixi regi, Rex in æternum viue: cur non esset tristis vultus meus, cùm ciuitas domus sepulcrorum patrum meorum deserta sit & porta eius consumptæ sint igni?*] Hinc habetur quòd Nehemias fuit Ierosolymitanus.

Vers. 4. *Et ait mihi Rex, pro qua re postulas?*] Manifestatur hinc benignus erga Nehemiam regis animus, offerendo illi petendi fiduciam.

Et oraui ad Deum cæli. Animæquior redditus, mentem supplicem inter loquendum leuauit ad Deum.

Et dixi ad regem: si videtur regi bonum & si placet seruus tuus coram te, mitte me in Iehudam ad ciuitatem sepulcrorum patrum meorum & ædificabo eam. Vers. 5.

Dixitque mihi rex & regina quæ sedebat (Iuxta Hebræum habetur, *& regina sedens*) *iuxta eum, vsque ad quod tempus erit iter tuum & quando reuerteris?* Descriptio reginæ sedentis iuxta regem interposita non frustra est, sed ad significandum quòd regina cooperata est ad interrogationem subiunctam: puta quòd suggessit regi vt interrogaret tempus reditus. Et hinc simul insinuatur Nehemiam dilectum fuisse non solum à rege, sed etiam à regina, nec propterea sequitur hanc fuisse Esther: quoniam vt Iosephus tradit, Esther non fuit vxor Xerxis, sed filij eius: vt in libro Esther explanabitur. Vers. 6.

Et placuit coram rege & misit me, & constitui ei tempus.] Sed non explicatum temporis quantitas in litera, quamuis explicata fuerit regi.

Et dixi regi: si regi videtur bonum, dentur mihi epistolæ ad duces trans flumen (proculdubio Euphratis:) *vt deducant me donec veniam in Iehudam.* Vers. 7.

Et epistola ad Asaph custodem saltus regis.] Quamuis Hebraicè habeatur, *custodem pomarij quod regis*, sensus tamen rectè redditus est: nam ligna ex saltu eæduntur pro ædificiis. Vers. 8.

Vt det mihi ligna vt tegere possim portas templi, turres domus & muros ciuitatis & domum quam ingressus fuero.] Iuxta Hebr. habetur, *ad contignandum portas palatij quæ domui & muro ciuitatis, & domui quam ingrediar.* Petit ligna ad contignationes faciendas portarũ triplicis generis: videlicet portarũ palatij apud domum Dei, & portarum in muro ciuitatis Ierusalẽ, & portarum domus propriæ. Et quia ligna petit ad contignandum huiusmodi portas insinuatur quòd mouerat efficere super huiusmodi portas contignationes, vt essent propugnacula supra portas.

Et dedit mihi rex, iuxta manum Dei mei bonam super me.

Venique ad duces trans flumen, & dedi eis epistolas regis: miserat autem rex mecum principes exercitus & equites.] Hinc apparet quòd Nehemias erat magnus coram rege Persarum: quod etiam subiuncta tristitia aduersariorum, testatur. Vers. 9.

Et audierunt Sanballat Choronites & Tobi-ias seruus Hammonites: & displicuit eis displicentia magna quòd venisset homo ad quærendum bonum filiis Israel. Vers. 10.

Et veni in Ierusalaim: & fui ibi tribus diebus. Vers. 11.

Et surrexi nocte ego & viri pauci mecum, & non indicaui cuiquam quid Dominus (Iuxta Hebr. habetur: *quid Elohe meus*) *dedisset in cor meum ad faciendum in Ierusalaim: & iumentum non erat mecum nisi iumentum super quod equitabam.* Vers. 12.

Et egressus sum per portam vallis nocte & ad faciem fontis draconis & ad portam stercoris: & consideraui muros Ierusalaim qui erant diruti, & portas eius consumptas igni. Vers. 13. *Ierusalem considerat Nehemias.*

Et transiui ad portam fontis & ad aquæductum regis: & nõ erat locus iumento ad transeundũ sub eo. Vers. 14.

Et ascendi per torrentem nocte, & consideraui murum: reuersúsque sum & veni ad portam vallis, & redij.] dicit enim Deum inspirasse eum vt

restauraret muros Ierusalem: & hoc non adhuc indicasse aliis, sed prius iussse nocturno tempore ad considerandum locum muri & quantitatem ruinæ.

Vers. 16. *Magistratus autem nescicbant quo iussem & quid ego facerem: Iehudaisque & sacerdotibus & optimatibus & magistratibus & reliquis facientibus opus, vsque ad id loci non indicaueram.*

Vers. 17. *Et dixi eis: vos videtis malum in quo sumus, quia Ierusalaim deserta est & porta eius combusta sunt igni, venite & ædificemus murum Ierusalaim & non simus vltra opprobrium.*

Vers. 18. *Et indicaui eis manum Dei mei quòd esset bona super me, & etiam verba regis quæ dixit mihi: dixeruntque: surgamus & ædificemus, & confortata sunt manus eorum in bono.*

Vers. 19. *Audierunt autem Sanballat Choronites & Tobi-ia seruus Hammonites & Gesem Harbites, & subsannauerunt nos & despexerunt nos: & dixerunt, quæ est hæc res quam vos facitis? numquid contra regem vos rebellatis?* Non esse suspicionis verba, sed irrisionis, præcedens narratio testatur: tam vilia existimabant Iudæorum studia ad restaurandos muros vt irrisorie dicerent: num rebellare quæritis?

Vers. 20. *Et reddidi eis verbum & dixi ad eos: Deus cæli ipse nos iuuat.*] Iuxta Hebræum habetur, *prosperabit nos.* Directè opponit irrisioni diuinæ opis prosperitatem.

Et nos serui eius sumus, surgamus & ædificemus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nos serui eius surgemus & ædificabimus.* Et effectum diuinæ opis cum fiducia describit futurum.

Vobis autem.] Hinc insinuatur quòd isti Samaritani volebant admitti in participes ciuitatis Ierusalem & ædificij murorum eius: propterea enim exeluduntur à Nehemia.

Non est pars.] Quia non estis pars Israelitici populi, ideo non iure partis pertinetis ad Ierusalem.

Et iustitia.] Quia à regibus non fuistis missi ad habitandum in Ierusalem, sed in Samaria, ideo nec iustitia decreti regij est pro vobis ad Ierusalem.

Et memoria in Ierusalaim.] Ad differentiam Iebusæorum (quorum memoria erat in Ierusalem, quia eorum fuerat ciuitas) dicitur quòd nec memoriam habent Samaritani in Ierusalem.

CAPVT III.

Vers. 1. *Ierusalem reædificatur.* *ET surrexit El-iasib sacerdos magnus & fratres eius sacerdotes, & ædificauerunt portam regis.*] Iuxta Hebræum habetur: *portam ouium.* Sed in his nominibus propriis portarum, & locorum non est hodie immorandum, eo quòd ignota sunt.

Ipsi sanctificauerunt eam. hoc est mundauerunt à ruinis.

Et statuerunt valuas eius: & vsque ad turrim centum cubitorum.] Iuxta Hebræum habetur, *& vsque ad turrim Meah sanctificauerunt eam.* Nomen proprium est.

Vsque ad turrim Chanan-el.

Vers. 2. *Et iuxta eum ædificauerunt viri Iericho: & iuxta eum ædificauit Zaccbur filius Imri.*

Vers. 3. *Portam autem Piscium ædificauerunt filij Senaæ: ipsi texerunt eam.*] Hebraicè habetur: *contignauerunt eam.* faciendo super eam propugnaculum.

Et statuerunt valuas eius, & seras ac vectes eius. Vers. 4.

Et iuxta eos ædificauit Merenoth filius Vri-ia filij Haccoz, & iuxta eos ædificauit Mesullam filius Berech-ia filij Mesezab-el, & iuxta eos ædificauit Zadoc filius Babana.

Et iuxta eos ædificauerunt Thecohitæ: optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui.] Arguuntur fortiores inter Thecohitas quòd renuerint subiicere se ædificationi murorum Ierusalem, & ratio reprehensionis insinuatur ex eo quòd ædificatio murorum Ierusalem erat seruitus Dei: nam iuxta Hebræum legitur: *non adduxerunt collum suum in seruitute Domus eorum.* ita quòd non hominibus sed Deo subtrahebant obsequium. Vers. 5.

Et portam veterem ædificauerunt Ie-iadab filius Paseach & Mesullam filius Besod-ia: ipsi contignauerunt eam & statuerunt valuas eius, & seras ac vectes eius. Vers. 6.

Et iuxta eos ædificauit Melat-ia Ghibhonites & Iadon Meronothites, viri de Ghibhon & Mizpa: pro duce qui erat in regione trans flumen.] Vers. 7.

Iuxta Hebræum habetur: *in sede ducis trans flumen.* Ignotum est quis fuerit dux iste trans Euphratem. Quod autem dicitur *in sede*, sumptus ex solio ducis pro illo ædificio habitos significat: deuotus enim dux principatum habens trans Euphratem euntibus à Ierusalem, misit sumptus pro certa parte muri ædificanda: & forte illa portio appellatur sedes ducis trans flumen, constructo ibidem palatio ipsius ducis. Nec est irrationabile quòd dux iste fuerit Daniel propheta, aut filius eius: nam (vt Iosephus refert) fuit magnus princeps in regno Medorum: nec est remorum quòd cùm ipse non posset venire in Ierusalem, voluerit habere ibidem sedem, vt vel sic tanquam præsens esset.

Sedes ducis trans flumen quæ?

Et iuxta eum ædificauit Huz-iel filius Charha-ia aurifex, & iuxta eum ædificauit Chanan-ia filius Raccachim: & dimiserunt Ierusalaim vsque ad murum latum. Dictio interpretata *dimiserunt*, sonat *adinuenerunt.* Vers. 8.

Et iuxta eos ædificauit Repha-ia filius Chur, princeps vici Ierusalem.] Iuxta Hebr habetur: *princeps mediæ regionis Ierusalaim.* Simile quid sæpe in hoc capitulo repetitur, & bis de Ierusalem, & significatur princeps medij territorij Ierusalem: hoc est principalior inter possidentes mediam partem territorij Ierusalem. Et similiter intellige cùm dicitur *princeps regionis Mizpa* aut alterius vibis: quia videlicet erat principalior inter possessores illius territorij, sed in territorio Ierusalem erant duæ partes: & ideo duo principes, in aliis autem vibibus vnus princeps inter possessores territorij. Vers. 9.

Et iuxta eos ædificauit Iedaia filius Charumaph contra domum suam: & iuxta eum ædificauit Chattus filius Chasabne-ia. Vers. 10.

Medium autem partem vici.] Iuxta Hebræum habetur. *Mensuram secundam ædificauit Malchi-ia filius Charim & Chassub filius Pachath-moab: & turrim furnorum.* Insinuatur hinc quòd in multas mensuras distinctus erat ædificandus murus: alioquin non diceretur quòd mensuram secundam ædificauit &c. qualis autem esset ordo mensuratum (an videlicet secundum longitudinem muri an secundum altitudinem eiusdem, Vers. 11.

non

non dicitur: subiunctis tamen quadrat vt de mẽsura secundum altitudinem sit sermo.

Vers. 12. *Et iuxta eum ædificauit Sallũ filius Halloches princeps dimidiæ regionis Ierusalem: ipse & filiæ eius.*

Vers. 13. *Portam vallis ædificauit Chanun & habitatores Zanoach, ipsi ædificauerunt eam & statuerunt valuas eius: & mille cubitos in muro vsque ad portam stercoris.*

Vers. 14. *Et portam stercoris ædificauit Malchi-ia filius Rechab, princeps regionis Beth-hacharem ipse ædificauit eam & statuit valuas eius & seras ac vectes eius.*

Vers. 15. *Et portam fontis ædificauit Sallum filius Cholchoza princeps regionis Mizpa, ipse ædificauit eam & texit eam, & statuit valuas eius & seras ac vectes eius: & murum piscinæ Siloe in hortum Regis.*] Iuxta Hebræum habetur: *piscina pomarij in horto Regis.* loca tamen hæc hodie sunt ignota.

Et vsque ad gradus descendentes de ciuitate Dauid.

Vers. 16. *Post eum ædificauit Nechem-ia filius Asboth.* ad differentiam Nehemiæ ducis scriptoris libri huius: ille enim fuit filius Chachaliæ: iste autem fuit filius Hazbuc iuxta Hebræam veritatem.

Princeps dimidiæ regionis Beth zur: vsque contra sepulchra Dauid, & vsque ad piscinam quæ grandi opere constructa est.] Iuxta Hebræum habetur. *& vsque ad domum fortium.*

Vers. 17. *Post eum ædificauerunt Leuitæ Rechum filius Bani: iuxta eum ædificauit Chasab-ia princeps dimidiæ regionis Cehile in regione sua.*

Vers. 18. *Post eum ædificauerunt fratres eorum, Bauuai filius Chenadad: princeps dimidiæ regionis Cehile.*

Vers. 19. *Et ædificauit iuxta eum Hezer filius Iesuah princeps Mizpa mensuram secundam: contra ascensum armorum angulj.* Si secundum longitudinem muri distingueretur ordo mensurarum, dicendũ fuisset *mensuram tertiam*: quoniam initium secundæ mensuræ ædificatum ab alio fuisse descriptũ fuisset prius, sed de mensura secundum altitudinem intelligendo, laudantur aliqui quòd ædificauerunt muri altitudinem iuxta secundam mensuram, ædificantibus aliis murum iuxta primam duntaxat mensuram: prima enim mensura secundum altitudinem fuit (vt infra subiungitur) paruæ altitudinis: studebant enim primum ad cingendum Ierusalem muro licet modico: quo peracto, iterũ ædificauerunt ad eleuãdum in altitudinem vrbis muros: & hæc appellatur mensura secunda: quam aliqui in portione sua fecerunt prima vice. Et sic intellige quoties scribitur in hoc capitulo de aliquibus quòd ædificauerunt mensuram secundam.

Mensura secunda, quæ nam?

Vers. 20. *Post eum ædificauit Baruch filius Zacchai mẽsuram secundam: ab angulo vsque ad portam domus El-iasib Sacerdotis magni.*

Vers. 21. *Post eum ædificauit Meremoth filius Vri-ia filij Haccoz mensuram secundam: à porta domus El-iasib vsque ad finem domus El-iasib.*

Vers. 22. *Et post eum ædificauerunt Sacerdotes, viri de campestribus Iarden.*

Vers. 23. *Post eos ædificauit Bin-iamin & Chassub contra domum suam.*

Post eos ædificauit Hazar-ia filius Mahase-ia filij Hanan-ia iuxta domum suam.

Vers. 24. *Post eum ædificauit Binnui filius Chena ad mẽsuram secundam: à domo Hazar-ia vsque ad flexuram & vsque ad angulum.*

Vers. 25. *Post eum ædificauit Palal filius Vzai contra flexuram & turrim quæ eminet de domo Regis excelsa, quæ est ad atrium carceris: post eum Peda-ia filius Parhos.*

Vers. 26. *Nethinæi autem habitabant in Hophel: vsque contra portam aquarum ad orientem, & turrim prominentem.*

Vers. 27. *Post eum ædificauerunt Thecohitæ mensuram secundam: à contra turrim magnam prominentem vsque ad murum Hophel.*

Vers. 28. *Desuper portam equorum ædificauerunt Sacerdotes, vnusquisque contra domum suam.*

Vers. 29. *Post eos ædificauit Zadoc filius Immer contra domum suam: & post eum ædificauit Semah-ia filius Sechan-ia custos portæ orientalis.*

Vers. 30. *Post eum ædificauit Chanan-ia filius Selen-ia, & Chanun filius Zalaph sextus mensuram secundam: post eum ædificauit Mesullam filius Berechia contra gazophylacium suum.*

Post eum ædificauit Malchi-ia filius aurificũ vsque ad domum Nethinæorum & negociatorum: contra portam iudicialem & vsque ad cœnaculum anguli.

Vers. 31. *Et intra cœnaculum anguli ad portam ouium ædificauerunt artifices & negociatores.*

CAPVT IIII.

Vers. 1. *FActum est autem cum audisset Sanballat quòd ædificaremus murum, iratus est valde: & motus nimis.*] Iuxta Hebræum habetur: *& iratus multum.* turbatio enim animi significatur instar irritati. *& subsannauit Iehudæos.*

Vers. 2. *Et dixit coram fratribus suis & frequentia.*] Iuxta Hebræum habetur: *& exercitu Someron.* publica enim oblocutio significatur.

Et dixit, quid Iehudei imbecilles faciunt? num dimittent eos gentes? Superfluit *gentes*: sensus tamen est, nunquid tot nationes in circumitu inimicæ Iudæorum permittent eos ædificare mœnia Iurusalem?

Num sacrificabunt? Et est sermo de sacrificio solito in consummatione mœnium. *& complebunt in vna die?*] Iuxta Hebræum habetur. *nunquid cõplebunt hodie?* hoc est tam citò vt non possint impediri.

Nunquid ædificare poterunt. Iuxta Hebræum habetur: *nunquid viuificabunt lapides de aceruis pulueris, & ipsi combusti sunt?* Penuria lapidum ad ædificandum murum tangitur, in hoc quòd oporteret Iudæos aceruos lapidum resolutorum in puluerem (quia combusti fuerant quando Ierusalem destructa fuerat) viuificare: hoc est redigere in pristinam lapidum soliditatem ac robur poterunt?

Vers. 3. *Et Tobi-ia Hammonites erat apud eum, & dixit: ædificent, si ascenderit vulpes, transiliet.* Iuxta Hebræum habetur: *rumpet murum lapideũ eorum.* Tam fragilis murus indicatur irridendo vt à vulpe possit frangi.

Vers. 4. *Et dixit Nechẽ-ia.*] Hæc verba addidit interpres pro claritate continuandæ literæ: in Hebræo enim absque hac cõtinuatione statim subiũgitur: *Audi Elohe noster quòd sumus despecti.*] Et est proculdubio oratio Nehemiæ. *Oratio Nehemiæ.*

Et conuerte opprobrium eorum in caput eorum.] Non est desiderium procedens ex odio hominum, sed vitiorum: supplicat enim pro diuina iustitia ex odio peccatorum.

Et da eos in despectionem in terra captiuitatis. Deficit. *eorum.* precatur enim vt fiant captiui, & experiantur opprobrari ab aliis.

Vers. 5. *Et ne operias iniquitatem eorũ*, quoad pœnam, *& peccatum eorum à facie tua non deleatur: quia irritauerunt ædificantes.*] Non supplicat vt Deus non ignoscat peccatum pœnitentibus, sed vt perseuerantium peccatum non tegatur impunitate eorum: & similiter quòd non deleatur, quantum ad pœnam.

Vers. 6. *Ædificauimúsque murum, & coniunximus totum murum vsque ad portam dimidiam.*] Iuxta Hebræum habetur: *vsque ad dimidium eius: & fuit cor populo ad faciendum.*] Duo dicuntur: alterum quòd coniunctus est murus totus, alterum quòd vsque ad medium eius, vt intelligamus quòd colligatus est totus secundum longitudinem, sed vsque ad dimidium secundum altitudinem: & hoc ædificium fuit prima mensura: & propterea accensum est cor populi ad ædificandum secundam murorum mensuram.

Vers. 7. *Et fuit cum audisset Sanballat, & Tobi-ia, & Harabes, & Hammonita, & Asdodij quod obducta esset cicatrix muris Ierusalaim*] Metaphoricus iste sermo declaratur proprietate verborum, cùm subiungitur:

Quòd cœpissent interrupta concludi. Et dicit *cœpissent* quia primæ tantum mensuræ interrupta erant conclusa & supererat claudere interrupta secundæ mensuræ.

Irati sunt valde.

Vers. 8. *Et congregati sunt.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et coniurarunt omnes ipsi pariter vt venirent ad pugnãdum contra Ierusalaim.*] Sententia est clara.

Et vt molirentur insidias, Iuxta Hebræum habetur: *Et ad faciendum ei destructionem.* ad funditus destruendum Ierusalem coniurarunt.

Vers. 9. *Et orauimus ad Deum nostrum: & posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos.* Iuxta Hebræum habetur: *super eos die ac nocte à facie eorum.* Et est sensus quòd posuerunt in certis locis custodes obseruatores ad defendendum Ierusalem à facie eorum.

Vers. 10. *Dixit autem Iehuda.* hoc est Iudaicus populus considerans debilitatem suarum virium & magnitudinem ruinæ.

Debilitata est fortitudo portantis, & humus vimia est. Hebraicè habetur. *& puluis multus.* Et est sermo de illa pulueris specie quâ cæmentarij vtuntur miscentes cum calce: magnâ enim quãtitate opus esse significatur.

Et non potuerimus ædificare murum.

Vers. 11. *Et dixerunt hostes nostri: nesciant & non videant donec veniamus in medium eorum & interficiamus eos, & cessare faciamus opus.*

Vers. 12. *Et fuit cum venissent Iehudæi qui habitabant iuxta eos: & dixissent nobis decem vicibus ex omnibus locis quibus venerant ad nos.* machinationes inimicorum nostrorum, Tobiæ & reliquorum.

Vers. 13. *Statui in loco post murum per circuitum.* Iuxta Hebræum habetur: *Statui ab infernis loco post murum in rupibus.* Vt inferiùs dicetur Ierusalem non erat adhuc ædificata quoad domos nisi paucas & propterea in loco post murum erant alicubi rupes & alicubi loca ima in quibus statuit Nehemias pugnatores, ita quòd nec in rupibus duntaxat, sed etiam in locis inferioribus post murum pugnatores posuit. Ita quòd sensus literæ est, quòd in loco post murum inchoando ab infimis posuit pugnatores & in rupibus.

Ierusalem nõ erat adhuc ædificata quoad domos nisi paucas.

Populum in ordine. Iuxta Hebræum habetur: *populum per familias.* Modus quo distribuit pugnatores, narratur. *cum gladiis suis, lanceis suis & arcubus suis.*

Et vidi & surrexi, & dixi ad optimates, & ad magistratus, & ad reliquam partem populi: non timeatis à facie eorum. Domini magni, & terribilis mementote. Dictio interpretata *Domini* est nomen *Adonai*: fiducia in summo Domino locanda proponitur. Vers. 14.

Et pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris & filiabus vestris, vxoribus vestris, & domibus vestris.

Et fuit cum audissent inimici nostri quòd nunciatum esset nobis, dissipauit Deus consilium eorum. Nomen est *Elohim, & reuersi sumus omnes ad murum vnusquisque ad opus suum.* Vers. 15.

Et fuit à die illa, dimidia pars iuuenũ eorum. Legendum est: *meorum faciebat in opere, & dimidia pars eorum parata erat ad bellum, & lancea, & scuta, & arcus, & lorica.*] distinguit enim inter suos & domum Iudæ: narrando quòd pueri sui distincti erant in partes æquales, ita quòd medietas occupabatur in opere & medietas in armis: domus verò Iudæ distincta erat sic quòd principes manebant post, & vniuersus populus Iudæ vacabat ædificationi murorum, & propterea corrigenda esset litera & legendum: *& principes post omnem domum Iehudæ.* Vers. 16.

Ædificantes murum. Et hîc fiat punctus: nam sic habetur in Hebræo. exponendo siquidem locum principum dicitur post omnem domum Iudæ ædificantes murum. Deinde immediatè sequitur: Vers. 17.

Et portantes onus ac onerantes: vna manu sua facientes opus, & altera tenentes gladium.

Et ædificantium vnusquisque gladio suo erat accinctus super lumbos suos & ædificabant.] Describitur enim qualiter omnes erant armati tam portantes onera & onerantes quàm ædificãtes, diuersimodè tamen: quia illi habebant arma ad manum, isti autem accincti erant gladio. Vers. 18.

Et clangebant buccina. Iuxta Hebræum habetur: *& sonator cornu iuxta me.* Non significatur quòd ædificantes clangerent buccina, sed quòd tibicines erant iuxta eum:

Et dixi ad optimates & ad magistratus & ad reliquam partem populi: opus multum & latum est, & nos separati sumus in muro procul vnusquisque ab alio. Vers. 19.

In loco quo audieritis sonum tubæ, illuc concurrite ad nos: Deus noster pugnabit pro nobis. Vers. 20.

Et nos faciamus opus: & media pars nostrum teneat lanceas.] Iuxta Hebræum habetur: *& medietas eorum tenens lanceas.* Dixerat superius quòd armati erant gladiis: describit modò quòd media pars eorum habebat etiam lanceas. Quod autem sequitur. Vers. 21.

Ab ascensu aurora donec egrediantur astra. nõ significat tempus tenendi lanceas, sed tempus quo operabantur ad fabricam muri, Ita quòd ordo literæ est, & nos facientes opus ab ascensu auroræ vsque ad exitum stellarum. Per modum autem parenthesis legendum est (*& media pars eorum tenens lanceas.*) lanceis enim opus erat non minus nocte quàm die: sed indefessus labor ab aurora vsque ad noctem circa fabricam, & descriptus est & describendus erat.

Etiam tempore illo dixi populo: vnusquisque cum puero suo maneat in medio Ierusalem.] Sententia Vers. 22.

huius

huius mandati est vt non exirent ex Ierusalem, sed quilibet paterfamilias cum vno saltem iuuene suo maneat in medio (hoc est intra Ierusalem, hoc enim oportuit ordinari ne in multitudine exeunte ad agros, ciuitas absque defensoribus remaneret.

Et sunt vobis vices per noctem & diem ad operandum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit nobis vox custodia, & opus.* Et est sensus quòd noctem expendebant custodiendo ciuitatem ab hostibus, diem autem operando ad ædificandum murum.

Vers. 23. *Egóque & fratres mei, & pueri mei, & custodes qui erant post me, non deponebamus vestimenta nostra: vnusquisque tàtum nudabatur ad baptismum.*] Græco vocabulo vsus est interpres, cùm tamen Hebraicè habetur, *ad aquam.* Nec significatur lauacrum personæ, sed ablutio camisiæ: nec in textu Hebræo habetur exceptiua, sed negatiua. *Non nos spoliantes vestes nostras: vir camisiam suam ad aquas.* negatio enim præposita negat spoliationem vestium vsque ad camisiam abluendam aquis: ita quòd nec propter abluendam camisiam tempore solito se exuebant, sed diutius tolerabant.

CAPVT V.

Vers. 1. *Tumultus ortus inter Iudæos ob penuriam pauperum.* *FIt autem clamor populi & uxorum eorum magnus contra fratres suos Iehudæos.* Tumultus exortus inter ipsos Iudæos narratur ob penuriam qua opprimebantur pauperes.

Vers. 2. *Et erant qui dicerent: filij nostri & filiæ nostræ multa sunt nimis.*] Superfluit *nimis.*

Accipiamus pro pretio eorum frumentum & comedamus & viuamus.

Vers. 3 *Et erant qui dicerent: agros nostros & vineas nostras & domos nostras opponamus.*] Iuxta Hebræum habetur, *in pignus tradamus, & accipiamus frumentum in fame.*

Vers. 4. *Et erant qui dicerent: mutuo sumamus pecunias in tributa regis, demúsque agros nostros & vineas nostras.*] Alij vendere filias & filios, & alij agros, vineas & domos in pignus dare, alij tributarios agros & vineas ærario regis efficere proponebant: quemadmodum in Ægypto tempore Ioseph.

Vers. 5. *Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum sunt carnes nostræ, sicut filij eorum sunt filij nostri.* Et est vox querela: quòd videlicet per hoc quòd venerunt ex Babylone in Ierusalem non sunt assecuti libertatem sic quòd possint seruare se liberos, sed sunt similes illis qui remanserunt sub regno Persarum serui, hoc enim significant dicendo *& nunc carnes nostræ sunt sicut carnes fratrum nostrorum*, hoc est Israelitarum qui remanserunt in seruitute: & similiter filij nostri sunt sicut filij illorum. *Ecce nos subingauimus.* Iuxta Hebræum habetur: *Et ecce nos tenentes filios nostros & filias nostras in seruos.* Rationem primam reddunt similitudinis ex eo quòd coguntur ob penuriam dare filios suos & filias suas in seruitutem.

Et filiabus nostris sunt seruæ nec habemus vnde possint redimi. Secundam rationem reddunt, ex eo quòd de facto iam sunt aliquæ eorum filiæ in seruitutem redactæ nec suppetunt facultates ad redimendum eas.

Et agros nostros & vineas nostras alij possident. Tertiam reddunt rationem ex eo quòd etiam multos agros & multas vineas eorum possident alij.

Et iratus sum valde: cum audissem clamorem Vers. 6. *eorum & verba ista.*

Cogitauitque cor meum mecum, & increpaui optimates & magistratus & dixi eis: vsurás ne singuli à fratribus vestris exigatis:] Iuxta Hebræum habetur, *omus vnusquisque in fratre suo vos onerantes.* subaudi *estis.* Verè enim grauabant fratres suos onere exactionis: & cum carerent pauperes vnde soluerent, tollebant illorum agros, vineas, domos. Vers. 7.

Et congregaui aduersus eos concionem magnam. vt si non mouerentur monitione ipsius, mouerentur ob congregatam multitudinem contra eos.

Et dixi eis: nos vt scitis. Superfluit *vt scitis,* Vers. 8. *redemimus fratres nostros Iehudæos, qui venditi fuerant gentibus, secundum possibilitatem nostram, & vos igitur vendite fratres vestros & ememus eos.* Legendum est: *Et vos venditis fratres vestros & vēdentur nobis?* redimentibus eos. Et sunt verba increpantis auaritiam diuitum opprimentium pauperes Iudæos, & legendum est interrogatiuè: & est sensus, & vos eritis causa quòd vendantur fratres vestri vt nos redimamus illos?

Et siluerunt, nec inuenerunt quod responderent. Vers. 9.

Et dixi, non est bona res quam facitis: nónne in timore Dei nostri ambulabitis, ne exprobretur nobis à gentibus inimicis nostris?

Et etiam ego, fratres mei & pueri mei mutuauimus eis pecuniam & frumentum: non repetamus in commune istud, ex alienum concedamus quod debetur nobis.] Iuxta Hebræum habetur, *relinquemus quæso onus istud.* Vers. 10.

Reddite quæso eis hodie agros eorum, vineas eorum, olueta eorum & domos eorum. Ab exemplo proprio inuitat eos ad condonandum debita à pauperibus. Vers. 11.

Quin potius. Superfluunt istæ duæ dictiones, *& centesimam pecuniæ, & frumenti, vini & olei quam exigere soletis ab eis, date pro illis.* Superfluit *date pro illis.*

Et dixerunt, reddemus, & ab eis nihil quæremus, Vers. 12. *sicque faciemus vt loqueris.*] Vtrumque promittunt: & reddere bona immobilia & non exigere centesimam.

Et vocaui sacerdotes, & adiurani eos vt facerent iuxta quod dixeram. Hinc apparet auaritia sacerdotum, quorum non legitur responsio liberalis.

Insuper sinum meum excussi: & dixi, sic excutiat Deus omnem virum qui non adimpleuerit verbum istud, de domo eius & de laboribus eius, & sic sit excussus & vacuus.] Dictio interpretata *Deus* est nomen *Elohim:* adiecit enim imprecationem, vt vel sic timerent diuinam vltionem. Vers. 13.

Et dixerunt totus cœtus, amen, & laudauerunt Dominum, & fecit populus sicut erat dictum.] Suspicor executionem dictorum attribui populo, ad excludendum aliquos primates qui minus hoc executi sunt.

Etiam à die qua præcepit mihi rex vt essem dux Vers. 14. *in terra Iehuda ab anno vigesimo vsque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis regis (per annos duodecim) ego & fratres mei annonas quæ ducibus debebantur comedimus.*] Rectè redditur sensus: quamuis Hebraicè breuissimè habeatur: *panem ducis non comedi.* sub panis nomine cibum & potum comprehendens.

Panis nomine cibus & potus intelligitur.

Vers. 15. *Duces autem primi qui fuerunt ante me grauauerunt populum, & acceperunt ab eis in pane & vino & pecunia quotidie.*] Iuxta Hebræum habetur, *postea argẽti siclos quadraginta.* narratur enim non quòd priores duces acceperint simul panem & vinum & pecuniam vt vulgata editio sonat: sed quòd acceperunt primùm victum in pane & vino, hoc est in rebus comestibilibus, &c. postea mutata sententia acceperunt non in pane & vino, sed in pecunia. Qui autem fuerint isti duces priores, scriptura non dicit.

Sed & ministri eorum depressérant populum.] Quamuis Hebraicè habeatur, *etiam pueri eorum dominati sunt populo.* sententia tamen recte addita est: eo quòd ministros dominari populo, est deprimere populum. *ego autem non feci ita propter timorem Dei.* Nomen est *Elohim:* timor enim summi iudicis significatur.

Vers. 16. *Et etiam in opere muri huius ædificaui, & agrum non emi.*] Legendum est. *non emimus.* vt intelligamus quòd nec ipse nec sui emerunt agrum alienum, priuando Iudæos pauperes agris suis ad augendum multitudinem agrorum ad se.

Et omnes pueri mei congregati erant ibi ad opus.

Vers. 17. *Iehudai quoque & magistratus (centum & quinquaginta viri) & qui veniebant ad nos de gentibus quæ in circuitu nostro sunt in mensa mea erant.*] Liberalitas principis describitur.

Vers. 18. *Parabatur autem mihi per dies singulos bos vnus, oues sex electæ, exceptis volatilibus: & inter dies decem vina diuersa & alia multa tribuebam*] Iuxta Hebræum habetur: *Et intra dies decem in omni vino ad multitudinem.* Quid significet omne vinum ad multitudinem, facile intelligitur, quandoquidem significantur multæ species vini: non quòd aliqua species vini restricta esset ad vnicum haustum singulorum in mensa (vt consueuit maluaticum in primo tantum haustu dari) sed quòd quælibet vini species porrigebatur multiplicatis vicibus, vt cuique gratum erat. Verum non tam facile intelligitur quid sibi velit numeratio decem dierum: crediderim ego significari quòd vndecimo quoque die inchoare oportebat alias vini cuiusque generis vegetes: vt intelligamus quòd singulis decem diebus bibebantur singulorum generum vini singula dolia quæ magnum numerum doliorum magnorum constituebant.

Omne vinũ ad multitudinem.

Insuper & annonas ducatus mei non quæsiui.] Iuxta Hebræum habetur, *& cum hoc panem ducis non quæsiui.* & cum tanta liberalitate erga Iudæos & aduenas, panem mihi debitum ratione ducatus non quæsiui.

Valde enim attenuatus erat populus.] Iuxta Hebræum habetur, *quia grauis erat seruitus populo huic.* commiseratio enim describitur.

Vers. 19. *Memento mei Deus meus in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic*] Quia propter Deum miserebatur populi, supplicat Deo vt gratum sit illi opus eius.

CAPVT VI.

Vers. 1. *FActum est autem cum audissent Sanballat & Tobi-ia & Gesem Harbites & ceteri inimici nostri quòd ædificassem murum, & non esset in ipso residua inter ruptio.*] tam in prima muri mensura quàm in secunda: completa enim scribitur tota muri fabrica.

Et vsque ad tempus illud valuas non posueram in portis.

Vers. 2. *Miserunt Sanballat & Gesem ad me dicendo, veni & percutiamus fœdus pariter in vnulis in campo vno.*] Iuxta Hebræum habetur: *in Chephirim in campo Ono.* Nomina sunt propria locorum, *ipsi autem cogitabant facere mihi malum.* *Samaritanorum odium in Nehemiam.*

Vers. 3. *Et misi ad eos nuncios dicendo: opus grande ego facio & non possum descendere, ne negligatur opus cum venero & descendero ad vos.*] ideo enim præmisit quòd supererat portas munire valuis.

Vers. 4. *Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices: & respondi eis iuxta sermonem priorem.*

Vers. 5. *Et misit ad me Sanballat iuxta verbum hoc quinta vice puerum suum: & epistolam apertam in manu eius.*] ad insinuandum quòd scripta in epistola non erant secreta. *Scriptum erat in ea:*

Vers. 6. *In gentibus auditum est, & Gasmu dicit quòd tu, & Iehudai cogitetis rebellare, & propterea ædifices murum, & quòd leuare te velis super eos in regem.*

Vers. 7. *Et etiam quòd prophetas posueris qui prædicent de te in Ierusalaim dicendo, rex in Iehuda est: auditurus est rex verba hæc, nunc igitur veni vt ineamus consilium pariter.*] quid tibi agendum est ne hæc perueniant ad aures regis, & suspectus reddaris.

Vers. 8. *Et misi ad eum dicendo: non est factum secundum verba hæc quæ tu dicis, de corde enim tuo componis hæc.*

Vers. 9. *Quia omnes ipsi terrebant nos, cogitantes quòd cessarent manus nostræ ab opere & quiesceremus: quam ob causam magis confortaui manus meas.*] Iuxta Hebræum habetur *& nunc robora manum meam.* Verba sunt Nehemiæ supplicantis Deo in hac machinatione hostium Samaritanorum aduersus eum

Vers. 10. *Et ingressus sum domum Semah-ia filij Dela-ia filij Mehetab-el secreto.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et ipse clausus.* erat enim prophetà & concluserat seipsum: vt non solum verbo, sed facto prophetare videretur, vt veri prophetæ sæpe verbo & facto prophetauerant.

Quis est, ingrediemur nobiscum in domo Dei? Iuxta Hebr. habetur, *conueniamus ad domum Elohim ad medium templi, & claudamus ostia templi, quia venient ad occidendum te, & nocte venient ad occidendum te*] Sententia est clara.

Vers. 11. *Et dixi, num quisquam similis mihi fugit? & quis est vt ego qui ingrediatur templum & viuet? non ingrediar.*] Primam rationem attulit ex indignitate fugæ: quia decem fugere ob timorem turpe est: alteram affert quia indignus est vita (quia meretur occidi) dux abscondens se in templo ob timorem.

Vers. 12. *Et intellexi quòd Deus non misisset eum.*] Iuxta Hebr. habetur: *Et cognoui, & ecce non Elohim misit eum.* Ab euentu subsecuto cognouit quòd non fuit propheta ille missus à Deo, non enim verificatum est quod dixerat propheta: videlicet venturos esse nocte viros vt occiderent Nehemiam. Et huiusmodi notitia ab euentu, significatur in litera dicendo *& cognoui*, non absolutè, sed à demonstrato euentu subiungendo & ecce non eueniente quod dixerat, & tunc subditur res cognita, non *Elohim* misit eum.

Sed

Sed quasi vaticinans locutus est ad me, & Tobi-ia & Sanballat conduxerant eum. Non vetam prophetiam, sed humanum vaticinium locutus fuerat conductus mercedo à Samaritanis.

Vers. 13. *Acceperat enim pretium vt territus facerem.* Deficit *sic.* facerem sic, hoc est, fugerem ad templum. *& peccarem.* contra tectam rationē agens. *& haberent malum quod exprobrarent mihi.* Iuxta Hebræum habetur: *& esset eis ad nomen malum, & opprobrarent mihi.* Ecce quò tendebant. videlicet ad infamiam & opprobrium ipsius Nehemiæ: est enim sensus, & esset factum meum eis ad meum nomen malum.

Vers. 14. *Memento mei Deus meus.* Superfluit *mei. Tobi-ia & Sanballat iuxta opera eorum ista, & etiam Nohad-ia prophetæ & cæterorum prophetarum qui terrebant me.* Orat non vt Deus memor sit eius: sed vt recordetur Samaritanorum ad puniendum eos, vt merentur talia eorum opera, nec Samaritanorum duntaxat, sed etiam Nohadiæ prophetæ & aliorum terrentium eum.

Vers. 15. *Elul mensis sextus, id est, Augustus.* *Completus est autem murus vigesimoquinto die mensis Elul.* qui apud Hebræos sextus dicitur mensis, inchoando annum à Sole in Ariete.

Quinquaginta & duobus diebus. Occurrit hîc quæstio: eo quòd Iosephus lib. 11. in calce 5. cap. refert muros Ierusalem spatio annorum duodecim fuisse constructos: quomodo ergo verificatur numerus iste quinquaginta duorum dierum? Solutio est, quòd isti quinquaginta duo dies supputantur non ab initio ædificationis muri: hoc est, à principio quo inceperunt supremam apponere manum, ponendo valuas in portis murorū. Nam in principio huius capituli scriptum est quòd omnia interrupta muri conclusa fuerant, sed supererat ponere valuas in portis: ab illo ergo tempore quod fuit tempus perfectionis muri, supputantur quinquaginta & duo dies: & propterea in litera non dicitur ædificatum, sed finitum seu perfectum fuisse murum quinquaginta & duobus diebus. Iosephus tamen falsum manifestè dicit, narrando quòd anno vigesimo octauo Artaxerxis completa sit fabrica muri: quoniam à vigesimo anno Artaxerxis (quo venit Nehemias, vt Scriptura dicit) vsque ad vigesimumoctauum eiusdem non fluxerunt anni duodecim.

Vers. 16. *Factum est autem cum audissent omnes inimici nostri vt timerent.* Iuxta Hebraū habetur: *Et fuit cum audierunt omnes inimici nostri, viderunt omnes gentes quæ in circuitu nostro.* auditui enim iungitur visus.

Et conciderent intra semetipsos. Iuxta Hebræum habetur: *Et conciderunt valde in oculis suis.* tanquam confusi.

Et scirent. Iuxta Hebræum habetur: *Et cognouerunt quòd ab Elohe nostro factum est opus hoc.* quia non putauerant Iudæorum facultates suppetere ad tantam fabricam.

Vers. 17. *Sed & in diebus illis multa optimatum Iehudæorum epistolæ mittebantur ad Tobi-iam: & a Tobi-ia veniebant ad eos.*

Vers. 18. *Multi enim in Iehuda habebant iuramentum eius: quia gener erat Sechan-iæ filij Arach, & Iehochanan filius eius acceperat filiam Mesullam filij Berech-iæ:*

Vers. 19. *Sed & laudabant eum coram me, & verba mea nuntiabant ei: & Tobi-ia mittebat epistolas vt terreret me.* Narrantur passiones illatæ Nehemiæ à principibus Iudæorum confœderatis etiam vinculo affinitatis Samaritanis.

CAPVT VII.

POstquam autem ædificatus est murus, & Vers. 1.
posui valuas: & ordinati sunt ostiarij & cantores & Leuitæ.

Præcepi Chanani fratri meo & Chana-iæ principi domus de Ierusalem. Iuxta Hebræum habetur: *principi palatij super Ierusalem.* Crediderim ego significari palatium olim regale in monte Sion, qui est supra Ierusalem, ita quòd est etiam intra Ierusalem. Vers. 2.

Ipse enim erat quasi vir verax & timens Deum pra multis.

Et dixi eis, non aperiantur portæ Ierusalaim vsque ad calorem Solis: cumque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt & oppilatæ. Iuxta Hebræum habetur: *Et donec ipsi stantes, facient claudere valuas & capient.* Primum mandatum fuit de tempore aperiendi: hoc autem secundum est de tempore claudendi valuas ciuitatis, quòd videlicet ipsis præsentibus claudantur & capiant claues. Vers. 3.

Et posui custodes habitatores Ierusalaim, vnumquemque in custodia sua & vnumquemque contra domum suam.

Ciuitas autem erat lata locis & grandis, & populus paruus in medio eius: & non erant domus ædificatæ. Vers. 4.

Dedit autem Deus in corde meo, & congregaui optimates & magistratus & populum vt recenserem eos: & inueni librum genealogiæ eorum qui ascenderant primum. Hic liber est qui vocatur primus liber Hezdræ, & quæ subiunguntur sunt sumpta ex cap. secundo primi Hezdræ: & propterea vide exposita hæc ibidem: *& inueni scriptum in eo.* Vers. 5.

Isti filij prouinciæ qui ascenderunt de captiuitate transmigrationis quam transmigrare fecit Nebu-chadnezar rex Babel: & reuersi sunt in Ierusalaim & in Iehudam, vnusquisque in ciuitatem suam. Vers. 6.

Qui venerunt cum Zerubabel, Iesuah, Nechemia, Hazar-ia, Raham-ia, Nachamani, Mordachai, Bilsan, Misphereth, Big-uai, Nechum, Baana: numerus virorum populi Israel. Vers. 7.

Filij Par-hos: duo millia centum & septuaginta duo. Vers. 8.

Filij Sephat-ia, trecenti & septuaginta duo. Vers. 9.

Filij Arach, sexcenti & quinquaginta duo. Vers. 10.

Filij Pachath-moab de filiis Iesuah & Ioab: duo millia & octingenti & octodecim. Vers. 11.

Filij Helam, mille ducenti & quinquaginta quatuor. Vers. 12.

Filij Zatthu, octingenti & quadraginta quinque. Vers. 13.

Filij Zacchai, septingenti & sexaginta. Vers. 14.

Filij Binnui, sexcenti & quadraginta octo. Vers. 15.

Filij Bebai, sexcenti & viginti octo. Vers. 16.

Filij Hazghad, duo millia trecenti & viginti duo. Vers. 17.

Filij Adonican, sexcenti sexaginta septem. Vers. 18.

Filij Big-uai, duo millia & sexaginta septem. Vers. 19.

Filij Hadin, sexcenti & quinquaginta quinque. Vers. 20.

Filij Ater de Iechizci-ia, nonaginta octo. Vers. 21.

Filij Chasum, trecenti & viginti octo. Vers. 22.

Filij Bezai, trecenti & viginti quatuor. Vers. 23.

Filij Chariph, centum & duodecim. Vers. 24.

Filij Ghibbon, nonaginta quinque. Vers. 25.

Viri Beth-lachē & Netophe, cēti & octoginta octo. Vers. 26.

Vers. 27. *Viri Hanatoth, centum & viginti octo.*
Vers. 28. *Filij Beth-hazmaueth quadraginta duo.*
Vers. 29. *Viri Cir-iath-iearim Chephire & Beeroth, septingenti & quadraginta tres.*
Vers. 30. *Viri Rama & Ghabah, sexcenti & viginti vnus.*
Vers. 31. *Viri Michmas, centum & viginti duo.*
Vers. 32. *Viri Beth-el & Hai, centum & viginti tres.*
Vers. 33. *Viri Nebo alterius, quinquaginta duo.*
Vers. 34. *Filij Helam alterius, mille ducenti & quinquaginta quatuor.*
Vers. 35. *Filij Charim, trecenti & viginti.*
Vers. 36. *Filij Iericho, trecenti & quadraginta quinque.*
Vers. 37. *Filij Lod Chadid & Ono: septingenti & viginti vnus.*
Vers. 38. *Filij Senae, tria millia nongenti & triginta.*
Vers. 39. *Sacerdotes: filij Iedaiæ de domo Iesuah, nongenti & septuaginta tres.*
Vers. 40. *Filij Immer, mille & quinquaginta duo.*
Vers. 41. *Filij Pashur, mille ducenti & quadraginta septem.*
Vers. 42. *Filij Charim, mille & septemdecim. Leuitæ:*
Vers. 43. *Filij Iesuah de Cadmiel de filijs*
Vers. 44. *Lehodeua, septuaginta quatuor. Cantores,*
Vers. 45. *Filij Asaph, centum & quadraginta octo.*
Vers. 46. *Ianitores filij Sallum, filij Ater, filij Talmon, filij Haccub, filij Charita, filij Sobai, centum & triginta octo.*
Vers. 47. *Nethinæi: filij Ziha, filij Casupha filij Tabaoth.*
Vers. 48. *Filij Ceros, filij Siche, filij Padon.*
Vers. 49. *Filij Lebana, filij Chagaba, filij Salmai.*
Vers. 50. *Filij Chanan, filij Giddel, filij Gachar.*
Vers. 51. *Filij Leaia, filij Rezin, filij Necode.*
Filij Gazam, filij Huzza, filij Paseach.
Vers. 52. *Filij Besai, filij Mehunim, filij Nephussim.*
Vers. 53. *Filij Bacbuc, filij Chacupha, filij Charchur.*
Vers. 54. *Filij Bazluth, filij Mechide, filij Charsa.*
Vers. 55. *Filij Bareos, filij Sisra, filij Thamach.*
Vers. 56. *Filij Neziach, filij Catiphe.*
Vers. 57. *Filij seruorum Salomonis: filij Sotai, filij Sophereth, filij Perida.*
Vers. 58. *Filij Iahale, filij Darcon, filij Giddel.*
Vers. 59. *Filij Sephatia filij Chattil, filij Pochereth de Zebaim, filij Amon.*
Vers. 60. *Omnes Nethinæi & filij seruorum Salomonis: trecenti & nonaginta duo.*
Vers. 61. *Et isti ascendentes de Thel-melach Chel-harsa, Cherub Addan & Immer: & non potuerunt indicare domum patrum suorum & semen suum an ex Israel essent.*
Vers. 62. *Filij Delaia filij Tobia, filij Necode: sexcenti & quadraginta duo.*
Vers. 63. *Et de Sacerdotibus, filij Chabaia, filij Haccoz: filij Barzillai qui accepit de filijs Barzillai Galhaditis vxorem, & vocatus est nomine eorum.*
Vers. 64. *Isti quæsierunt scripturam genealogiæ suæ & non inuenerunt: & eiecti sunt à sacerdotio.*
Vers. 65. *Et dixit Thirsatha eis vt non comederent de sancto sanctorum, donec surgeret Sacerdos in Vrim & Thummim.*
Vers. 66. *Tota congregatio quasi vir vnus: quadraginta duo millia, trecenti & sexaginta.*
Vers. 67. *Præter seruas & ancillas eorum, qui erant septem millia trecenti & triginta septem: & ex eis erant cantores & cantatrices ducenti & quadraginta quinque.*
Vers. 68. *Equi eorum septingenti & triginta sex: muli eorum ducenti & quadraginta quinque.*
Vers. 69. *Cameli quadringenti & triginta quinque: asini sex millia, septingenti & viginti.*

Hucvsque refertur quid in commentario scriptum fuerit, & in Nehemiæ historia texitur. Hæc clausula nescio à quo adiecta est & inserta textui.

Vers. 70. *Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus*] Similia sunt hæc illis quæ apud Hezdram habentur, non tamen sunt eadem quia ibi de opere fabricæ templi, hîc de opere fabricę muri ciuitatis & opportunis ad templi cultum est sermo: ibi non erant Nehemias & Hezdras præsentes, hîc autem erant ambo præsentes.

Athersata est ipse Nehemias. vt patet ex cap. 8. v. 9.

Thirsatha dedit in thesaurum auri drachmas mille, mallubia quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas & triginta. Iste Thirsatha est ipse Nehemias: vt in sequenti capitulo dicitur.

Vers. 71. *Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis, auri drachmas viginti millia: & argenti minas duo millia & ducentas.*

Vers. 72. *Et dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, & argenti minas duo millia: & tunicas sacerdotales sexaginta septem.*] Æqualis summa scribitur apud Hezdram quoad aurum: eo quòd hic tres summæ fiunt: videlicet vna drachmarum mille, altera viginti millium, & tertia viginti millium: illic autem vna fit summa omnium quadraginta millia & mille. Circa argenti verò pondus illic vnica summa fit quinque millia minarum: hîc autem duæ summæ ascendentes ad quatuor millia & ducentas minas: sed tunicarum sacerdotalium longè maior numerus oblatus hîc scribitur.

Vers. 73. *Habitauerunt autem sacerdotes & Leuitæ & ianitores & cantores & de populo & Nethinæi & omnis Israel in ciuitatibus suis.*

CAPVT VIII.

VERS. 1. *IAmque venerat.* (Iuxta Hebræum habetur: *Et attigit*) *mensis septimus.* Quoto anno fuerint gesta hæc nescitur.

Scenophegia sub Hezdra & Nechemia. Non habentur hæc in Hebræo: sed addita sunt, veritatem tamen continent.

Et sic] *Israel erant in ciuitatibus suis. Congregatusque est totus populus tanquam vir vnus ad plateam quæ est ante portam aquarum.*] Locus in specie describitur.

Et attulerunt Hezræ Scribæ vt afferret librum legis Mosis quam præcepit Dominus Israeli.] Ecce præsentia Hezdræ

Vers. 2. *Et attulit Hezra sacerdos legem coram congregatione virorum & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere.*] Iuxta Hebræum habetur: & *omnis intellectoris.* vt perpendamus in illo cœtu fuisse non solum vulgus promiscuum, sed etiam omnes literatos, qui intellectores vocantur.

In prima die mensis septimi.

Vers. 3. *Et legit in eo in platea quæ erat ante portam aquarum à mane vsque ad mediam diem in conspectu virorum & mulierum & sapientium.*] Eadem dictio est quæ interpretata est *intellectores.*

Et aures totius populi erant ad librum legis.

Vers. 4. *Stetit autem Hezra Scriba super suggestum ligneum quod fecerat ad loquendum & steterunt iuxta eum Mathithia & Semah, & Hanaia, & Vria, & Chilcia, & Maheseia ad dextram eius, & ad sinistram eius Pedaia & Misael, & Melchia, &*

& Chasum. & Chasbedana, Zechar-ia, Mesullam.

Vers. 5. *Et aperuit Hezra librum coram toto populo, quia supra totum populum eminebat: & cum aperuisset, steti: totus populus.*

Vers. 6. *Et benedixit Hezra Domino Deo voce magna.*] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah Elohim magnus.* Verba sunt Hezdræ, profitentis quòd *Iehouah* (hoc est qui dat esse rebus omnibus) ipse est *Elohim* (hoc est iudex) magnus.

Esdras legit librum legis corã populo.

Et respondit totus populus. ad prædictam professionem. *Amen amen eleuando manus suas, & incurnatis sunt & adorauerunt Dominum facie in terram.*

Vers. 7. *Porro Iesuah & Bani & Sereb-ia, Iamin, Heccub, Sabbethai. Hodi-ia, Mahase-ia Celita, Hazar-ia, Iozabad, Chanan, Pela-ia, & Leuita silentium faciebant in populo ad audiendam legem.*] Iuxta Hebræum habetur: *facientes intelligere populum legem.* Et verè non aliter faciebant intelligere quàm superintendendo vt populus cum silentio attenderet iis quæ legebat Hezdras. *populus autem stabat in loco suo.*

Vers. 8. *Et legerunt in libro legis Dei.* Nomen est *Elohim* legislatoris. *distinctè & apertè ad intelligendum.*] Iuxta Hebræum habetur: *declarato: & apposito intellectus.* Et est sensus quòd legerunt in libro declarato cum appositione intellectus: hoc est quòd non solum legebatur distinctè proferendo cum debitis punctis, sed etiam vbi opus erat declarando sensum, & veram sententiam verúmque intellectum sententiarum apponendo: hoc enim faciebat Hezdras: & propterea subiungitur: *& intellexerunt cum legeretur*, Fructus doctrinæ significatur.

Vers. 9. *Dixit autem Nechem-ia, ipse est Tirsatha.* Hinc clarè habetur quòd Thirsathæ nomine significatur Nehemias. Aiunt autem Thirsatham esse dictionem Chaldaicam, & esse nomen proprium: ac per hoc qui vocabatur Hebraicè *Nechemia*, vocabatur Chaldaico nomine *Thirsatha.*

Et Hezra sacerdos scriba & Leuita interpretantes populo. Iuxta Hebræum habetur *facientes intelligere populum.* ad differentiam aliorum Leuitarum quibus non erat impositum hoc officium.

Toti populo: dies sanctificatus est Domino Deo nostro. Parui refert quòd Hebraicè habetur: *dies sanctus ipse Iehouah Elohe vestro.* hoc est mundus & dicatus summo Deo est.

Nolite lugere & nolite flere. Valde amicum fuit interpreti verbum *nolo*: vtpote a dictum millies sacræ scripturæ vbi non habetur. nam & hîc legendum est: *Ne lugere & ne flere.* Quemadmodum enim indecens est in die dicato terreno regi lugere & flere publicè, ita ex hoc quòd dies ille dicatus erat summo Deo, mundus debebat esse à publico luctu & fletu.

Flebat enim totus populus cũ audiret verba legis.

Vers. 10. *Et dixit vir.* Nehemias dux: *Ite comedite pinguia & bibite dulcia, & mittite partes iis qui non præparauerunt sibi, quia sanctus dies Domino nostro est: & non contristamini, quia gaudium Domini est fortitudo vestra.* Quia luctus & fletus populi non vanus nec mundanus erat, sed ad honorem Dei, agnoscente populo delicta propria, ideo ratio subiungitur non lugendi quia placet Deo fortitudo populi, quæ deprimebatur luctu & fletu: & propterea monentur vt epulentur tanquam in die solemni, & communicent aliis qui non parauerunt sibi epulas.

Leuita autem silentium faciebant in toto populo dicendo: tacete. Luctus enim resonans perseuerabat, *quia dies sanctus est nolite dolere.* Vers. 11.

Abiit itaque totus populus vt comederet & biberet & vt mitteret partes & vt faceret lætitiam magnam: quia intellexerunt verba quæ docuerat eos. Vers. 12.

Et in die secundo. eiusdem mensis septimi. *congregati sunt principes familiarum totius populi, sacerdotes & Leuita ad Hezram scribam, vt interpretaretur eis verba legis.* Vers. 13.

Et inuenerunt scriptum in lege, quòd præcepit Dominus in manu Mosis vt habitent filij Israel in tabernaculis in die solenni. Iuxta Hebræum habetur *in festiuitate.* non enim vnus dies erat, sed vna erat festiuitas tabernaculorum. Vers. 14.

In mense septimo.

Et vt prædicent & diuulgent vocem. Iuxta Hebræum habetur: *Et qui facient audire & facient transire vocem.* Et est sermo mutilus: subauditur enim prouiderunt. Et est sensus quòd ordinauerunt aliquos qui facient audire &c. Vers. 15.

In omnibus ciuitat ibus eorum & in Ierusalaim dicendo, egredimini in montem & afferte frondes olivæ & frondes ligni oles & frondes myrti & frondes palmarum & frondes ligni nemorosi: ad faciendum tabernacula sicut scriptum est.

Et egressi sunt populus, & attulerunt & fecerunt sibi tabernacula vnusquisque in domate suo. Iuxta Hebræum habetur: *super tectum suum.* habent enim ibi domus suprema tecta pauimentata sub dio. *& in atriis suis & in atriis domus Dei.* Nomen est *Elohim. & in platea porta aquarum & in platea porta Eph-raim.* Vers. 16.

Fecerunt ergo totus cœtus qui redierant de captiuitate tabernacula & habitauerunt in tabernaculis, non enim fecerant à diebus Iesuah filij Nun talia. Legendum est *sic filij Israel vsque in diem illum.* Occurrit hic quæstio, tum quia tempore Salomonis celebrata est solennitas tabernaculorum: vt patet 3. Reg. 8. & 2. Paralipomenon 7. tum quia tempore Zorobabel ante fundatum templum fecerunt festum tabernaculorum: vt scribitur 1. Hezdræ cap. 1. quomodo ergo verificatur quòd à tempore Iosuæ vsque in diem illum non fecerint sic filij Israel? Vers. 17.

Quæstio circa hoc festum tabernaculorum.

Solutio est quòd litera non dicit festum tabernaculorum omissum fuisse à tempore Iosuæ vsque tunc, sed dicit non fecisse sic filios Israel à tempore Iosuæ vsque tunc: modus ergo similis negatur. In quo autem cõsistit iste modus, quantum ex litera colligitur consistit in duobus: alterum est quòd etiam super tecta fecerunt hoc festum: hoc enim nusquam alias legitur factum: alterum est quòd quotidie cum gaudio diuinæ lectionis hoc festum celebratum: quod etiam nusquam alias factum legitur. Fit autem mentio dierum Iosuæ, non quòd tempore Iosuæ fuerit festum hoc celebratum sic: sed ad significandum quòd à tempore quo ingressus est Israel in terram promissionis duce Iosua non est factum sic.

Et fuit lætitia magna valde.

Legit autem Hezra in libro legis per singulos dies à die primo vsque ad diem nouissimum: & fecerunt solennitatem septem diebus, & in die octauo collectam iuxta ritum.] Dictio Hebraica non significat collectam, sed potius frequentiam à constructione nominatam: & est illamet quæ scribitur Vers. 18.

Leuit.

Leuit. 23. vbi decernitur festum huius octaui diei: concursus enim frequens tanquam certatim offerentium, constringendo seinuicem fieri solet: & propterea dies octauus appellatus est constrictionis seu frequentiæ.

CAPVT IX.

VERS. 1. *IN die autem vigesimo quarto.* An hoc fuerit illo eodem anno, non est certum: nam cum subiungitur: *mensis huius*, potest per pronomen demonstrati vel illemet mensis illius anni vel mensis septimus: sed parui refert vtrùm verum fuerit.

Conuenerunt filii Israel in ieiunio & saccis. Transacto tempore festiuitatis quæ terminabatur die vigesimasecunda mensis septimi (quam festiuitatem non oportebat facere in Ierusalem, sed vbique licitè fiebat) conuenerunt die vigesimaquarta cum signis pœnitentiæ: conuenerunt autem (vt præsentia Leuitarum in suo loco insinuat) in Ierusalem.

Et humus. Iuxta Hebræum habetur: *& terra super eos*: ne quis terrã aquę mixtam intelligeret: puluis enim terræ loco cineris super eos erat.

Vers. 2. *Et separatum est semen Israel.* Hinc apparet quòd vsque ad tempus Nehemiæ non præualuit Hezdras ad separandum Israelitas ab extraneis.

Ab omni filio alienigena. Parui refert quòd Hebraicè habetur: *ab omnibus filiis alienigenis.* Et quia non dicitur quòd separati sunt filii Israel ab vxoribus alienigenis, nec dicitur quòd eiecerunt filios quos genuerunt ex alienigenis vxoribus, separatio ista sic in genere descripta (videlicet ab omnibus filiis alienigenis) ambiguum reliquit intellectum, certum tamen est quòd separati sunt à coniugiis contrahendis cum alienigenis: & propterea significanter dicitur separatum esse semen Israelitarum ab alienigenis. Semen enim ad futuram spectat generationem: & propterea separatio hæc est à contrahendis cõnubiis cum alienigenis. Et eadem ratione à contractis cum alienigenis connubiis, si tamen adhuc alienigenæ quoad cultum Dei vxores essent: alioquin non verificaretur quòd semen filiorum Israel fuit separatum ab omnibus filiis alienigenis: & hoc sufficit ad verificationem literæ.

Separantur Israelita à coniugijs eiũ alienigenis.

Et steterunt, & confessi sunt peccata sua & iniquitates patrum suorum.

Vers. 3. *Et consurrexerunt ad standum*] Iuxta Hebræum habetur. *Et surrexerunt super locum suum*: prius enim confitentes & lugentes genuflexi vel prostrati erant: & postea surrexerunt super locum suum.

Et legerunt in libro legis Dei sui quater in die. Iuxta Hebræum habetur: *quarta diei* Et est sensus quòd quarta parte diei vacabant lectioni legis.

Et quater in nocte confitebantur & adorabant Dominum Deum suum. Iuxta Hebræum habetur: *& quarta confitentes & adorantes Iehouah Elohe suum*: hoc est & altera quarta diei vacabant confessioni peccatorum & adorationi summi Dei. Crediderim ego has quartas diei non fuisse contiguas, sed alteram mane, alteram vespere: reliquum autem diei occupabatur in aliis.

Vers. 4. *Surrexerunt autem super gradum Leuitarum,*] Locus celsior decretus Leuitis significatur.

Iesuah, & Bani, Cadmiel, Seban-ia, Bunni, Sereb-ia, Bani, Chenani: & clamauerunt voce magna ad dominum Deum suum.

Vers. 5. *Et dixerunt Leuitæ Iesuah & Cadmiel, Bani Chasabne-ia, Sereb-ia, Hodi-ia Seban-ia, Pethachia; surgite, benedicite Domino Deo vestro à seculo vsque in seculum: & benedicant nomini gloriæ tuæ & excelso in omni benedictione.*] Legendum est: *super omnem benedictionem & laudem:* significatur enim diuinum nomen superare omnem benedictionem & omnem laudem.

Et dixit Hezras. Hoc non habetur in Hebræo: sed continuatur oratio Leuitarum laudantium Deum.

Vers. 6. *Tu ipse Domine solus tu fecisti cœlum & cœlum cœlorum.* Iuxta Hebræum habetur: *cœlos cœlorum & omnem exercitum eorum, terram & omnia quæ sunt super eam, maria & omnia quæ sunt in eis: & tu viuificas omnia hæc, & exercitus cœli te adorat.*] Dixit cœlos ad comprehendendum in genere cœlos omnes: & dixit cœlos cœlorum ad explicandum in specie superiores cœlos ab orbe lunæ & supra: Hebraica enim consuetudine appellantur etiam cœli sphæra ignis & aër.

Vers. 7. *Tu ipse Domine Deus.* Iuxta Hebræum habetur. *Tu ipse Iehouah Elohim*: hoc est tumet Iehouah es Elohim, hoc est gubernator & distributor omnium.

Qui elegisti Ab-ram & eduxisti eum de igne Chaldæorum. Iuxta hebræum habetur: *de Vr Chasdim.*] hoc est Chaldæorum: an autem Vr sit nomen proprium ciuitatis, an significet ignem aliàs declarauimus tutius esse intelligere quòd est nomen ciuitatis quàm apocrypha sequi.

Vr nomen Ciuitatis.

Et posuisti nomen eius Ab-raham.

Vers. 8. *Et inueniisti cor eius fidele coram te, & percussisti cum eo fœdus ad dandum terram Chenanæi Chithæi, Emorei, & Pherizæi, & Iebusæi, & Ghirghasæi ad dandum semini eius: & implesti verba tua, quia iustus es.*

Vers. 9. *Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto: clamoremque eorum audisti super mare rubrum.*

Vers. 10. *Et dedisti signa atque portenta in Par-hone & in omnibus seruis eius & in toto populo terræ eius, cognouisti enim quia superbè egerant.*] Rectius legeretur: *quòd impiè egerant contra eos*: quamuis vtrumque fuerit verum: & quòd superbè & quòd impiè egerint Ægyptij aduersus Israelitas.

Et fecisti tibi nomen sicut die hac: magnificatur nomen tuum commemorando illa mirabilia & terribilia quæ fecisti aduersus Ægyptios.

Vers. 11. *Et mare diuisisti ante eos, & transierunt per medium maris in sicco: persecutores autem eorum proiecisti in profundum quasi lapidem in aquas validas.*

Vers. 12. *Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem: & in columna ignis per noctem, vt appareret eis via per quam gradiebantur.*

Vers. 13. *Super montem quoque Sinai descendisti, & locutus es cum eis de cœlo.*] Hoc ad litera fuit quando Deus vniuersum populum est allocutus per seipsum, proferendo decem præcepta.

Et dedisti eis iudicia recta & legas veras, statuta & præcepta bona. Hoc ad literam verificatur de præceptis datis à Deo per Mosem.

Vers. 14. *Et sabbatum sanctificatum tuum.* (Hebraicè habetur. *Et sabbatum sanctuarii tui*) *manifestasti eis.* Non est vsquequaque certum an sit sermo de sanctitate diei septimi ad commemorandum quietem Dei à creandis creaturis nouis (vt hoc

Quanam hac sabbati sanctificatio ostenſio.

tanquam

anquam præciputum inter omnia cærimonialia præcepta commemoretur in hac diuina laude: & iuxta hunc sensum hæc particula pertinet ad verba Dei quæ per seipsum locutus est populo: quotiam inter illa verba expresse continetur obseruatio sabbati) an sit sermo de ostentione quietis diuinæ quando apparuit tanquam rex sedens septuaginta viris in sanctuario suo cœlesti: vt scribitur Exod. 24. vt sic intelligamus commemorari & laudari omnes tres modos quibus ipse Deus in monte Sinai apparuit: videlicet tum loquendo per seipsum vniuerso populo; tum loquendo Mosi vt instrueret populum; tum monstrando seipsum tanquam in sanctuario cœlesti quiescentem Moti & Aharon & septuaginta viris.

Et præcepta & statuta & legem præcepisti eis in manu Mosis serui tui.

Vers. 15. *Panémque de cœlo dedisti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxisti eis in siti eorum: & dixisti eis vt venirent ad possidendum terram super quam leuasti manum tuam vt traderes eis.*

Vers. 16. *Ipsi verò & patres nostri superbè egerunt.* Eadem dictio repetitur quam diximus rectius interpretari *impiè*: verè enim & illi egressi de Ægypto & successores eorum patres nostri, impiè egerunt.

Et induranerunt cervicem suam, & non audierunt præcepta tua.

Vers. 17. *Et noluerunt audire, & non sunt recordati mirabilium tuorum quæ fecerat eis, & induranerunt cervicem suam, & dederunt caput vt conuerterentur.* Legendum est: *vt reverterentur ad seruitutem suam.* Ad literam significatur rebellio populi quando voluerunt facere sibi ducem & reuerti in Ægyptum: vt scribitur Numer. 14. *quasi per contentionem.* Iuxta Hebræum habetur: *in rebellione eorum* rebellarunt enim tunc redeuntibus exploratoribus.

Tu autem Deus propitius, clemens, & misericors, longanimis, & multæ miserationis. Iuxta Hebræum habetur: *& tu Eloha veniarum misericors & miserator, longus furorum & multus gratia non dereliquisti eos.* Epitheta hæc Dei sumpta sunt ex Exod. 34. vbi declarata sunt.

Vers. 18. *Etiam quando fecerunt sibi vitulum conflatilem, & dixerunt: iste est Deus tuus qui eduxit te de Ægypto. fecerúntque blasphemias magnas.* Legendum est, *irritationes magnas*: erant enim tanquam irritantes Deum in cultu illo idololatriæ.

Vers. 19. *Tu in miserationibus tuis multis non dimisisti eos in deserto: columna nubis non recessit ab eis per diem vt duceret eos in via, & columna ignis in nocte vt ostenderet eis viam per quam graderentur.*] Non est repetitio: sed manifestatio quòd etiam tantum committentibus scelus Israelitis, non abstulit Deus ab eis beneficium columnæ nubis per diem, &c.

Vers. 20. *Et spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos.*] Legendum est: *ad faciendum intelligere eos.* Donum internæ inspirationis ad faciendum intelligere eos peccatum proprium, commemoratur: magna enim Dei gratia fit vt homo intelligat peccatum suum.

Et manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, & aquam dedisti eis in siti eorum.

Vers. 21. *Quadraginta annis pauisti eos in deserto, nihilque eis defuit: vestimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non sunt attriti.*] Iuxta Hebræum habetur: *non tumuerunt.* quod longè maius beneficium fuit,

Dedisti quoque eis regna & populos, & partitus es eis sortes. Iuxta Hebræum habetur: *& partitus es eos ad angulum.* hoc est, per linas angulares assignando tribubus suos angulos ad habitandum. Et hoc specialiter dicitur de terra trans Iordanem, quæ subiungitur: nam de terra promissionis postea subditur: Vers. 22.

Et possederunt terram Sichon & terram regis Chesbon, & terram Hog regis Basan.

Et multiplicasti filios eorum sicut stellas cæli: & adduxisti eos ad terram de qua dixeras patribus eorum, Abrahæ, Ishac & Iacob, *vt ingrederentur ad possidendum.* Vers. 23.

Veneruntque filij & possederunt terram, & humiliasti coram eis habitatores terræ Chenahaneorum, & dedisti eos in manum eorum: & reges eorum & populos terræ vt facerent eis iuxta voluntatem suam. Vers. 24.

Ceperúntque vrbes munitas & humum pinguem, & possederunt domos plenas omnibus bonis, cisternas excisas, vineas & oliueta & ligna pomifera multa. & comederunt & saturati sunt & impinguati sunt, & abundauerunt deliciis in bonitate tua magna. Vers. 25.

Pronocauerunt autem te ad iracundiam & recesserunt à te. Iuxta Hebræum habetur: *Et rebellarunt contra te, & proiecerunt legem tuam post corpus suum.* Exaggerando repetitur rebellio aduersus Deum. Vers. 26.

Et Prophetas tuos occiderunt qui contestabantur eis vt reuerterentur ad te.] Hinc patet quòd summatim collegit posteritatis peccata ad quatuor capita: videlicet rebellionem à Deo, contemptum legis diuinæ, & occisionem Prophetarum monentium vt redirent ad Deum & idololatriam. Quę occisio non legitur in prioribus temporibus Iudicum & Regum, sed in postremis temporibus Regum. *Peccata Israelitarum ad quatuor capita reducuntur.*

Feceruntque blasphemias grandes.] Iuxta Hebræum habetur: *& fecerunt irritationes magnas.* Idololatriæ significantur tanquá irritantes Deum impendendo diuinum honorem alteri: & hoc est quartum crimen.

Et dedisti eos in manum hostium suorum, & afflixerunt eos: & in tempore tribulationis suæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo exaudisti, & secundum miserationes tuas multas dedisti eis saluatores & saluauerunt eos de manu hostium suorum Vers. 27.

Cúmque requieuissent, reuersi sunt ad faciendum malum coram te, & dereliquisti eos in manu inimicorum suorum, & possederunt eos: conuersique sunt & clamauerunt ad te, & tu de cœlo exaudisti & liberasti eos in miserationibus tuis multis temporibus.] Lege librum Iudicum: & inuenies toties Deum misertum populi dedisse eis saluatores: propter hoc quòd cùm aliquanto tempore quieuissent saluati, reuertebantur pluries ad irritandum Deum, & Deus iterum miserebatur: successiuè quoque tempore Regum similia euenerunt, inchoando à tempore Roboham filij Salomonis. Vers. 28.

Et contestatus es eis vt reuerterentur ad legem tuam, ipsi verò superbè egerunt.] Rectiùs legeretur: *impiè egerunt.* quoniam hoc potius sonat Hebraica litera. Vers. 29.

Et non audierunt mandata tua, & in iudiciis tuis peccauerunt quæ faciet homo & viuet in eis.] Ex Mose sumptum est hoc, & valde ad propositum: ad significandum videlicet quòd si seruassent mandata diuinæ legis, vixissent ad perseuerandum in eis in terra promissionis: ac per hoc

non

non seruando ea, reddiderunt se indignos terra electa ad diuinum cultum: ac per hoc vita in mãdatis diuinis, quæ in sola terra promissionis seruari integrè poterant.

Et dederunt humerum recedentem.] Iuxta Hebræũ habetur: *humerum rebellem.* hoc est quòd instar rebellis terga vertentis principi suo, sic habuerunt ad te Deus. *& cervicem suam indurauerunt & non audierunt.*

Vers. 30. *Et protraxisti super eos annos multos, & contestatus es eis in spiritu tuo per manum Prophetarum tuorum.* Ad literam de regno tam Israel quàm Iudæ hoc verificatur: quoniam non obstantibus tot vtriusque sceleribus, protraxit Deus tolerando multos annos, mittendo eis prophetas vt resipiscerent.

Et non auscultauerunt, & tradidisti eos in manum populorum terrarum. Assyriorum videlicet & Babyloniorum.

Vers. 31. *In miserationibus autem tuis multis non fecisti eos in consumptionem, nec dereliquisti eos.*] Duo beneficia inter puniendum commemorat: alterum quod non consumpsit eos tam qui erant in regno Israel quàm qui erant in regno Iudæ: agnoscit autem hoc diuinum beneficium, quia merebantur consumi. Alterum quòd non sunt derelicti in terra captiuitatis eorum, sed visitati à Deo, atque per edictum regium libertate donati ad redeundum in terram sanctam ad colendum summum Deum ibidem: merebantur siquidem derelinqui sibi ipsis.

Duo beneficia Dei inter puniendum Iudæos.

Quoniam Deus misericordiarum & clemens.] Iuxta Hebræum habetur: *quia El miserator & misericors tu.* *El* nomen est Dei quatenus est fortis: ratio siquidem redditur ex parte attributorum diuinorum: *fortitudinis* ad superandum omnes inimicos, *misericordiæ* ad instar condolentis populo Israel, & *miserationis* consolando afflictum populum.

El nomen est Dei, quatenus fortis.

Vers. 32. *Nunc itaque Deus noster, magne, fortis & terribilis custodiens pactum & misericordiam.*] Hebraicè habetur: *Et nunc Elohe noster, El magne, potens & terribilis custos pacti & gratiæ.* Hactenus oratio Leuitarum laudauit Deum confitendo peccata Israel & commemorando diuina beneficia: modò incipit petere recurrendo ad Deum tanquam ad iudicem peculiariter Israelis, & fortem, magnum, potentem, terribilem: quoniam & iustitiâ, & fortitudine, & magnitudine, & potentiâ, & terrore vsus est Deus circa eos cùm puniuit. Adiungitur autem *custos pacti & gratiæ*, ad commemorandum rationem exaudiendi hanc orationem: dicendo enim *custos pacti*, rationem exaudiendi proponit diuinum fœdus cum patribus de terra promissionis, &c. addendo autem *& gratiæ*, fatetur orationem non inniti iustitiæ, sed gratiæ quam inchoauit Deus in Israel reducendo eos de captiuitate. *ne auertas à facie tua omnem laborem.* Iuxta Hebræum habetur: *Ne deficiat coram te omnis labor qui inuenit nos, reges nostros, principes nostros & Sacerdotes nostros & Prophetas nostros & patres nostros & totum populum tuum: à diebus regum Assur vsque in diem hanc.*] Ecce petitio: vt videlicet coram diuina gratia non desit ratio malorum quæ ipsi Israelitæ patiuntur & patres eorum passi sunt à tempore captiuitatis vsque in diem hanc.

Deus custos pacti & gratiæ.

Vers. 33. *Et tu iustus in omnibus quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti, & nos impiè egimus.*

Vers. 34. *Et reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri, & patres nostri non fecerunt legem tuam & non attenderunt ad mandata tua & testimonia tua quæ testificatus es eis.*

Vers. 35. *Et ipsi in regno suo & in bonitate tua multa quam dedisti eis, & in terra lata & pinguis quam tradideras coram eis, non seruierunt tibi: nec reuersi sunt a studiis suis malis.* Declaratur quod hęc petitio vt considerentur mala quæ passi fuerant & patiebantur, ideo non sit quia putarut eos iniustè passos esse: fatemur enim quòd tu iustus es, & nos & nostri propter peccata nostra iustè affligimur & afflicti fuimus.

Vers. 36. *Ecce nos hodie serui sumus.*] quia subiecti erant regi Persarum nec habebant proprium regem. proprias enim afflictiones enumerare incipiunt inchoando à seruitute.

Et terra quam dedisti patribus nostris vt comederent fructum eius & bonitatem eius, & nosipsi serui sumus in ea.] Legendum est: *ecce nos serui super eam.* Exaggeratio est seruitutis ex loco: quia videlicet sumus serui in terra quam dedisti patribus nostris vt liberè fruerentur omnibus bonis eius.

Vers. 37. *Et fruges eius multiplicantur regibus quos posuisti super nos propter peccata nostra.*] Altera afflictio commemoratur ad cumulum seruitutis.

Et corporibus nostris dominantur & iumentis nostris secundum voluntatem suam, & in tribulatione magna sumus. Enumeratio est in specie malorum quæ patiebantur.

Vers. 38. *Super omnibus ergo istis.* Pronomen *istis* demonstrat subiuncta in sequenti capitulo.

* *Nos percutimus fœdus & scribimus, signántque principes nostri, Leuitæ nostri & sacerdotes nostri.*] Dictio interpretata *fœdus* non significat pactum, sed potius fidelitatem: non audent dicere quòd pacisci volunt cum Deo, sed quòd promittunt fidelitatem & subscribunt & sigillant tanquam solennem contractum fidelitatis: sigilla autem sunt principum, Leuitarum & sacerdotum.

CAPVT X.

VERS. 1. *Signatores autem:*] Iuxta Hebræum habetur. *Et super signaturas.* Præsidentes apponentibus sua signa narrantur, ad insinuandum quòd ordinatè fidelitas hæc promissa est. Nec dicitur *super scripturas*, sed *super signaturas*: vt intelligamus quòd subscribentes non egebant præsidentibus, sed vulgus nesciens scribere (proferente quolibet proprium signum loco subscriptionis) præsidentibus egebat.

Nechem-ia Tirsatha filius Chachal-ie. Ad differentiam aliorum Nehemiarum adiungitur Thirsatha: hic enim erat dux populi.

Et Zidci-ia.

Sera-ia, Hazar-ia, Irme-ia. Vers. 2.

Paschur, Amar-ia Malchi-ia. Vers. 3.

Chatthus, Seban-ia, Malluch. Vers. 4.

Charim, Meremoth, Hobab-ia. Vers. 5.

Daniel, Ghinnethon, Baruch. Vers. 6.

e Mesullam, Abi-ia. Mi-amin. Vers. 7.

Maaz-ia Bilgai, Semah-ia: hi sacerdotes. Vers. 8. Ex hoc loco habetur quòd Nehemias fuit ex genere sacerdotali, quamuis non fuerit summus Sacerdos.

Et

Vers. 9. *Et Leuitæ: Iesuah filius Azan-ia, Binnui de filius Chenadad, Chadmiel.*

Vers. 10. *Et fratres eorum: Seba-ia, Hodi-ia, Celita, Pela-ia, Chanan.*

Vers. 11. *Micharechob. Chasab-ia.*

Vers. 12. *Zacchur, Sereb-ia, Sebai-ia.*

Vers. 13. *Hodi-ia, Bani, Beninu.*

Vers. 14. *Capita populi: Par-hos Pachath-moab, Helam, Zatthubani.*

Vers. 15. *Bunni, Hazghad, Bebai.*

Vers. 16. *Adoni-ia, Big-uai, Hadin.*

Vers. 17. *Arterchizi-ia, Hazzur.*

Vers. 18. *Hodi-ia, Chasum Bezai.*

Vers. 19. *Charip, Hanathoth, Nebai.*

Vers. 20. *Magpihas, Mesullam, Chezir.*

Vers. 21. *Mese-iazhel, Zadoc, Iaddnah.*

Vers. 22. *Pelat-ia, Chanan, Hana-ia.*

Vers. 23. *Hoseah, Chanan-ia, Chassub.*

Vers. 24. *Halloches, Pucha, Sobec.*

Vers. 25. *Recium, Chasabana, Mahase-ia.*

Vers. 26. *Et Achi-ia, Chanan, Hanan.*

Vers. 27. *Malluch, Charim, Babana.*

Vers. 28. *Et reliqui de populo.*] Rectius legeretur vt iacet in Hebræo, *& residuum populi.* vt significetur quòd non solum dux, sacerdotes, Leuitæ & capita populi, sed etiam residuum populi conuenerunt ad superintendendum vt singuli sua signa darent.

Sacerdotes, Leuitæ, ianitores, cantores, Nethinæi & omnes qui se separauerunt à populis terrarum ad legem Dei. Aduerte prudens lector quòd cùm quatuor mentio facta fuerit (videlicet sacerdotum, Leuitarum, capitum populi & residui populi) discernitur nunc dicendo quòd sacerdotes quidem absque vlla exceptione iurauerunt, & similiter Nethinæi: de Leuitis verò dicitur Leuitæ & ianitores & cantores: quod ne in malam partem trahatur (tanquam non omnes Leuitæ iurauerint) interpretandum est quòd tam Leuitæ sine titulo dignitatis quàm Leuitæ constituti in dignitate cantorum & ianitorum iurauerunt De capitibus autem & residuo populi exceptio fit, dicendo & omnis separatus à populis terrarum ad legem Elohim: nisi enim aliqui non separati remansissent, nequaquam fuisset hæc clausula adiuncta.

Vxores eorum, filij eorum & filiæ eorum.]Non sat fuit vt viri consentirent, sed etiam consensus vxorum & filiorum ac filiarum requisitus est ad hanc fidelitatem præstandam.

Vers. 29. *Omnes qui poterant sapere.*] Iuxta Hebræum habetur, *omnis sapiens intellector.*

Commonentes fratres eorum. Modus describitur quo res gesta est: videlicet quòd sapientes & præditi intelligentia legis excitabant viros fortes ad huiusmodi fidelitatem promptè iurandam: vnde & statim subditur.

Et venientes in execratione & in iuramento ad ambulandum in lege Elohim. Descriptis personis & modo, describitur consequenter iuratio tam execrando quàm inuocando, & res iurata primum in genere: videlicet ad ambulandum in lege iudicis vniuersorum & seruandum vniuersa illius præcepta.

Quæ data est in manu Mosis serui Dei. Nomen est *Elohim.* Moses siquidem verè fuit seruus *Elohim*, hoc est Dei legislatoris.

Et ad custodiendū & faciendum omnia mandata Domini Dei nostri.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah Domini nostri.* Non solum legislatorem, sed fontem essendi ac Dominum Israelis appellant: vt se quoque seruos eiusdem profiteantur.

Et iudicia eius & statuta eius.

Et quod non dabimus filias nostras filiis terræ: & filias eorum non accipiemus filiis nostris. Vers. 30.

Et populis terræ afferentibus merces & omne venale in die sabbati ad vendendum, non accipiemus ab eis in sabbato & in die sancto: & dimittemus annum septimum & exactionem omnis manus.] Vers. 31.

Non sat fuit iurare obseruationem legis & præceptorum in genere, sed quædam quamuis in lege contenta explicari in specie oportuit: quia habebant specialem difficultatem vel ex abusu post reditum ex captiuitate (vt connubia cum externis & emere in sabbatis) vel ex non vsu: vt contribuere pro iugi sacrificio, pro lignis &c. hæc enim consueuerant dare boni reges, similiter da: decimas, primogenita, primitias & reliqua pro victu sacerdotum & Leuitarum desueuerant, sicut & ea quæ erant septimi anni seruare: & propterea horum specialis mentio facta est.

Et statuemus super nos præcepta vt demus tertiam partem sicli in anno, ad opus domus Dei nostri. Vers. 32.

Ad panem propositionis & munus iuge & holocaustum iuge in sabbatis & calendis, ad solemnitates & ad sancta & ad peccata, vt exoretur pro Israel: & in omnem vsum domus Dei nostri. Præcepta libertatis septimi anni scripta erant in lege Mosis, præceptum autem hoc de tertia parte sicli pro sacrificiis & panibus propositionis &c. non erat explicatum in lege Mosis: & existente populo paruo & paupere oportuit determinare quid contribuendum esset à quolibet annis singulis. Vers. 33.

Sortes ergo misimus super oblationem lignorum inter sacerdotes & Leuitas & populum.]Circa prouisionem lignorum pro continuo igne altaris, sorte actum est nullo exempto ordine: nam sacerdotes, Leuitæ & populus submiserunt se sortibus ad offerendum ligna. Vers. 34. *Sortes missa pro continuo igne altaris.*

Vt inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum. Hinc apparet quòd sortes ad hoc iactæ sunt vt distribueretur onus prouidendi de lignis in familias sacerdotum Leuitarum & populi.

Per tempora à temporibus anni vsque ad annū.] Iuxta Hebræum habetur: *temporibus determinatis annuatim.* Ad hoc enim iactæ declarantur sortes, vt quælibet familia haberet certum tempus quo tantam lignorum offerret quantitatem, sic enim proprium tempus vnaquæque familia sortita, sine querela prouidebatur de lignis: quæ Nethinæi ex lege Iosuæ tenebantur portare, quando erant in multitudine magna.

Vt arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege.

Et afferemus primitiua terræ nostræ & primitiua omnis fructus omnis ligni annuatim, in domum Domini. Vers. 35.

Et primogenita filiorum nostrorum & iumentorum nostrorum, sicut scriptum est in lege: & primitiua boum nostrorum & ouium nostrarum vt inferantur in domum Dei nostri sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri. Vers. 36.

Et primitias ciborum nostrorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et primitias pastarum nostrarum.* In hodiernum vsque diem seruare se aiunt Iudæi hoc, quòd primum panem ex pasta faciunt singulæ domus pro sacerdote. Vers. 37. *Primum panem ex pasta faciūt Iudæi pro sacerdote.*

Et libaminum nostrorum. Iuxta Hebræum habetur: *& eleuationum nostrarum.* hoc est & quaruncunque rerum quæ offerri solent Deo.

Et fructus omnis ligni, musti & olei afferemus sacerdotibus ad gazophylacium. Iuxta Hebræum habetur: *ad cellaria domus Elohe nostri.* mustum enim & oleum ad cellaria quæ erant iuxta domũ Dei deferebantur.

Et decimam terræ nostræ Leuitis: & ipsi Leuitæ decimas accipient in omnibus ciuitatibus operum nostrorum.

Vers. 38. *Eritque sacerdos filius Aharon cum Leuitis in decima Leuitarum: & Leuitæ offerent decimam decimæ suæ in domo Dei nostri ad gazophylacium in domo thesauri* Legendum est: *ad cellaria, ad domum thesauri.* appositiuè enim adiungitur *domum thesauri.* Eodem quoque modo lege cum subditur.

Vers. 39. *Ad gazophylacium enim.* Legẽdum est: *Quia ad cellaria deferent filij Israel & filij Leui oblationes frumenti musti & olei.* Ratio redditur loci: quia tam populus quàm Leuitæ tenentur deferre suas oblationes huiusmodi rerum ad cellaria domus Dei.

Et ibi erunt vasa sanctuarij & sacerdotes ministrantes & ianitores & cantores.] Ratio cellatiorum ibi redditur: quia ibidem vasa sanctuarii & sacerdotes ministrantes &c. oportet manere.

Et ministri. Interpres transponendo hanc dictionem mutauit literam: nam iuxta Hebræum tres tantum ordines supputantur: videlicet cantorum, ianitorum & sacerdotum ministrantium: ad differentiam sacerdotum, cantorum qui completâ vice ministerij sui, non morabantur in templo: pro ministrantium enim victu oportebat cellaria ibidem esse.

Et non dimittemus domum Dei nostri. Ratio redditur oblationis omnium pertinentium ad sacrificia & victum sacerdotum & Leuitarum: videlicet vt non relinquatur domus Dei absque debito cultu & debitis ministris.

CAPVT XI.

Vers. 1. *Habitauerunt autem principes populi in Ierusalaim.*] Redit Nehemias ad propositum de ciuitate Ierusalem parum habitata: hoc enim proposuerat in principio capituli septimi: & tanquam digressionem faciens, narrauit scripta ab eodem capitulo vsque ad hoc.

Reliquus verò populus misit sortem ad tollendum vnum de decem ad habitandum in Ierusalaim ciuitate sancta, & nouem partes in ciuitatibus.] Ecce modus quo multiplicata est habitatio in Ierusalẽ.

Vers. 2. *Benedixit autem populus omnibus viris spontaneis ad habitandum in Ierusalaim.* Hinc apparet quòd præter decimum quemque sorte habitantem in Ierusalem, multi fuerunt spontanei habitatores Ierusalem, quibus populus benedixit imprecando eis bona.

Vers. 3. *Et hi sunt principes prouincia qui habitauerunt in Ierusalaim & in ciuitatibus Iehuda* Duo proponuntur videlicet habitantes in Ierusalem & habitantes in vrbibus Iudæ. Et est in hoc loco Iuda nomen regni: explicatur enim quòd non habitauerunt in vrbibus regni Israel, sed in vrbibus regni Iudæ.

Habitauerunt vnusquisque in possessione sua in ciuitatibus suis. Declaratur distributio habitationum in regno Iudæ.

Israel, sacerdotes & Leuitæ & Nethinæi & filij seruorum Salomonis. Quinque ordines habitantium in regno Iudę distinguuntur: videlicet sacerdotes, Leuitæ, Nethinæi, filij seruorum Salomonis, & Israel: sub hoc enim vltimo ordine comprehenditur reliquus populus.

Et Ierusalaim habitauerunt de filiis Iehuda & de filiis Bin-iamin. Narrantur in specie primùm habitatores Ierusalem & deinde habitatores in regno Iudæ. Vers. 4. *Habitatores Ierusalem.*

de filiis Iehuda Hatha-ia filius Huzzi-ię, filij Zechar-ia, filij Amar-ia filij Sephat-ia, filij Mahalal-el de filiis Perem.

Et Mahasę-ia filius Baruch filij Chal-chozę filij Chaza-ia, filij Hada-ia, filij Io-iarib, filij Zechar-ia filij Silonis. Vers. 5.

Omnes filij Perem qui habitauerunt in Ierusalaim, quadringenti & sexaginta octo viri fortes. Vers. 6.

Et isti filij Bin-iamin: Sallu filius Mesullam, filij Iohed, filij Peda-ia, filij Cola-ia filij Mahasę-ia, filij Iehiel filij Iesab-ia. Vers. 7.

Et post eum Ghabbai Sallai: nongenti & viginti octo. Vers. 8.

Et Ioel filius Zich-ri præpositus super eos: & Iehuda filius Senne super ciuitatem secundus. Vers. 9.

De sacerdotibus: Iedah-ia filius Io-iarib Iachin. Vers. 10.

Sera-ia filius Chilci-ia, filij Mesullam, filij Zadoc, filij Mera-ioth, filij Achitub principis domus Dei.] Vers. 11. Legendum est, *dux domus Elohim.* Ad differentiam ducis populi, summus sacerdos dicitur dux domus *Elohim.*

Et fratres eorum facientes opera templi octingenti & viginti duo. Vers. 12. Parui refert quòd Hebraicè scribitur in numero singulari opus: officium enim sacerdotale appellatur opus domus Dei.

Et Hada-ia filius Ierocham, filij Pelal-ia filij Amzi, filij Zechar-ia filij Pasehur, filij Malchi-ia. Vers. 13.

Et fratres eius principes patrum, ducenti & quadraginta duo & Hamassai filius Hazar-el, filij Ach-zai, filij Mesillemoth, filij Immer. Vers. 14.

Et fratres eorum potentes fortitudine, centum & viginti octo: & præpositus super eos, Zabdiel filius potentium. Non est vsquequaque clarum an dictio interpretata *potentium* sit nomen proprium an appellatiuum. Et si est appellatiuum interpretanda fuisset *magnorum.* amplectere tamen quod malueris.

Et de Leuitis: Semah-ia filius Chassub, filij Hazricam, filij Chasab-ia, filij Bunni. Vers. 15.

Et Sabbethai & Iozabad super omnia opera quæ erant forinsecus in domo Dei. Iuxta Hebræum habetur: *super opus extrinsecum domui Elohim, ex principibus Leuitarum.* Narratur quòd isti erant in ordine principum inter Leuitas: & officium eorum erat super externa pertinentia ad domum Dei. Externa autem intelligo ea quæ extra sepia ambitus domus Dei erant, siue essent in Ierusalem siue alibi. Vers. 16.

Et Matthan-ia filius Micha, filij Zabdi, filij Asaph princeps ad laudandum & confitendum in oratione, & Bachuc-ia secundus de fratribus eius. Vers. 17.

Et Habda filius Bammuah filij Ghalal, filij Iedithum. Omnes Leuitæ in ciuitate sancta, ducenti & octoginta quatuor. Vers. 18.

Et ianitores, Haccub Talmon & fratres eorum custodes in portis centum & septuaginta duo. Vers. 19.

Et

Vers. 20. *Et reliquum Israëlis, Sacerdotum & Leuitarum in omnibus ciuitatibus Iehuda: vnusquisque in hæreditate sua.*

Vers. 21. *Et Nethinæi qui habitabant in Hophel: & Ziha & Ghispa de Nethinæis.* Legendum est. *super Nethinæos.* narrantur enim præpositi Nethinæis.

Vers. 22. *Et episcopus.* Legendum esset: *Et præpositus Leuitarum in Ierusalaim.* quàuis quæstio de nominibus parui pendenda sit.

Huzzi filius Bani, filij Chasab-ia, filij Matthan-ia, filij Micha, de filiis Asaph cãtores in ministerio domus Dei. Iuxta Hebræum habetur: *cantores è regione operis domus Elohim.* Modus quo distribuit erant cantores (videlicet è regione seinuicem spectantes, vt hodie in Ecclesiis chorus contra chorum ordinatur, narratur, & nomine operis ipse cantus significatur.

Vers. 23. *Præceptum enim Regis* Persarum deuoti summo Deo. *super eos erat* vt cultus diuinus persolueretur integrè cum cantoribus consuetis.

Et ordo in cantoribus per dies singulos. Iuxta Hebræum habetur: *& fidelitas super cantores res diei in die sua.* Ex parte regis erat præceptum, ex parte cantorum erat fidelitas vt quolibet die officium persoluerent quod illa die solitum erat exhiberi.

Vers. 24. *Et Pethach-ia.* Nomen est viri de tribu Iudæ. *filius Mesezab-el de filius Zerach, filij Iehuda in manu Regis iuxta omne verbum populi.* Iuxta Hebræum habetur *ad manum Regis, ad omnem rem populi.* Minister regius erat iste: & propterea ad manum, hoc est ad opera Regis Persarum exhibenda, non ad ea duntaxat quæ ordinata fuerant à Rege Persarum pro domo Dei, sed etiam ad omnem rem populi. Superior tamen eo erat Nehemias: nam ille minister, iste dux erat.

Vers. 25. *Habitatores extra Ierusalem.* *Et in domibus per omnes regiones eorum.* Iuxta Hebræum habetur: *Et ad villas in agris suis: de filiis Iehuda habitauerunt in Cir-iath, Arbah & in filiabus eius, & in Iecabzeel & villis eius.*

Vers. 26. *Et in Ieshuah & in Molada & in Beth-pelet.*

Vers. 27. *Et in Chazar-shual & in Beersebah & in filiabus eius.*

Vers. 28. *Et in Zic-lag & in Mechona & in filiabus eius.*

Vers. 29. *Et in Hen-rimmon & in Zor-ha & in Iarmuth.*

Vers. 30. *Zanoah, Hadullam & villis earum, Lachis & agris eius, Hazeca & filiabus eius: & manserunt in Beersebah vsque ad vallem Hinnom.*

Vers. 31. *Filij autem Ben-iamin in Michabah, Michmas & Ha-ia & Beth-el & filiabus eius.*

Vers. 32. *Hanathoth, Nod, Hanan-ia.*

Vers. 33. *Chazor, Rama, Ghitthaim.*

Vers. 34. *Chadid. Zebohim, Neballat.*

Vers. 35. *Lod & Ono valle artificum.*

Vers. 36. *Et de Leuitis, diuisiones Iehuda in Ben-iamin.*] Narratis pertinentibus ad Ierusalem, narrantur in hoc residuo capituli habitatores extra Ierusalem: primò filij Iudæ, deinde filij Ben-iamin: de Sacerdotibus enim & Leuitis & Nethinæis prænarratum erat.

CAPVT XII.

Vers. 1. *Hi sunt autem Sacerdotes & Leuitæ qui ascenderunt cum Zerubabel filio Sealthiel & Ieshuah: Sera-ia, Ieremi-ia, Hezra.* Non est iste Hezdras scriba descriptus primi Hezdræ 7. vt patet ex duobus primum ex eo quòd Zorobabel ascendit in Ierusalem tempore Cyri Regis Persarum circa principium regni eius: Hezdras autem scriba ascendit post ædificatum templum, longè post ascensum Zorobabel, vt in eodem capitulo scribitur collato præcedenti capitulo: secundò quia Hezdras scriba nominatur in hoc libro, cognominando eum scribam: vt in hoc eodem capitulo pluries apparet: iste autem non cognominatur scriba, sed absolutè nominatur Hezdras. ex hoc enim quòd in hoc eodem cap. ille sæpe repetitur Hezdras scriba, iste autem qui venit cum Zorobabel absolutè nominatur Hezdras, intelligendum relinquitur quòd ad differẽtiam Hezdræ scribæ nominatur iste Hezdras absolutè. *Eius hic Esdras.*

Amar ia, Malluch, Chattus. Vers. 2.

Sechan-ia, Rechum, Meremoth. Vers. 3.

Hiddo, Ghinnethoi, Abi-ia. Vers. 4.

Mi-iamin, Mahad-ia, Bilgha. Vers. 5.

Semah-ia & Io-iarib, Iedah-ia, Sallu, Hamoc, Chilci-ia. Vers. 6.

Iedah-ia: isti principes Sacerdotum & fratres eorum in diebus Ieshuah. Vers. 7.

Et Leuitæ: Ieshuah, Binnui, Cadmiel, Sereb-ia, Iehuda, Matthan-ia super hymnos ipsi & fratres eorum. Vers. 8.

Et Bachuc-ia & Hunni fratres eorum vnusquisque in officio suo.] Iuxta Hebræum habetur: *è regione eorum in custodiis.* Ordo describitur inter istos Leuitas in custodiis quas exercebant in domo Dei. Vers. 9.

Et Ieshuah genuit Io-iacim: Io-iacim autem genuit El-iasib, & El-iasib genuit Io-iadath. Vers. 10.

Io-iadath autem genuit Ionathan: & Ionathan genuit Iadduah. Vers. 11.

In diebus autem Io-iacim erant Sacerdotes principes familiarum: Sera-ia Mera-ia, Iirmi-ia Chanan-ia. Vers. 12.

Hezra Mesullam, Amar-ia Iehochanan. Vers. 13.

Melichu Ionathan, Seban ia Ioseph. Vers. 14.

Charim Hadna, Mera-ioth Chelcai. Vers. 15.

Huddo Zechar-ia, Ginnethon Mesullam. Vers. 16.

Abi ia Zichri: Min iamin, Mohad-ia Piltai. Vers. 17.

Bilghe Sammuah, Semah-ia Iehonathan. Vers. 18.

Io-iarib Matthenai, Iedah-ia Huzzi. Vers. 19.
Sallai Callai, Hamoc Heber.

Chilci-ia Chasab-ia Iedah ia Nethan-el. Vers. 20.

Leuitæ in diebus El-iasib Io-iadath & Iochanã & Iadduah, scripti Principes familiarum: & Sacerdotes in regno Dary Persæ. Vers. 21. Vers. 22.

Filij Leui principes familiarum scripti in libro verborum dierum: & vsque ad dies Iochanan filij El-iasib. Liber Paralipom. citatur: sed quæstio oritur quo pacto potest verificari quòd in libro Paralipomenon scripti fuerint Leuitæ isti à diebus El-iasib nepotis Ieshuah primi summi sacerdotis post reditum ex captiuitate vsque ad tempus Iochanan filij El-iasib: quoniam liber Paralipomenon non se extendit vltra principium regni Cyri Persarum regis. Solutio est quòd ad literam citatur liber Paralipomenon alter: hoc est qui vocabatur etiam *verba dierum*, in quo scripta erant verba dierum post captiuitatem: sed illo libro caremus, sicut & multis aliis libris Prophetarum. Vers. 23. *Liber Paralipomenon citatur alius ab iis quos habemus.*

Et principes Leuitarum Chasab ia Sereb-ia & Iesuah filius Cadmiel & fratres eorum è regione eorum vt laudarent & confiterentur iuxta præceptũ Dauid viri Dei. Nomen est Elohim. Vers. 24.

Et obſeruarent æquè per ordinem. Iuxta Hebræum habetur : *cuſtodiæ è regione cuſtodiæ.* Diſpoſitio cuſtodiarum deſcribitur vt chorus contra chorum.

Verſ. 25. *Matthan-ia & Bachuc-ia , Hobad-ia. Maſullam, Talmon , Haccub : cuſtodes ianitores cuſtodiæ in liminibus portarum.*

Verſ. 26. *Hi in diebus Io-iacim filij Ieſuah filij Iozadac : & in diebus Nechem-ia ducis , & Hezræ ſacerdotis ſcribæ.*

Verſ. 27. *In dedicatione autem muri Ieruſalaim requiſierunt Leuitas de omnibus locis eorum vt adducerent eos in Ieruſalaim : ad faciendum dedicationem & lætitiam in confeſſione & cantu, in cymbalis pſalteriis & citharis.*] Non ſignificatur conſecratio muri, ſed ſolennitas celebrata perfectis muris tanquam in initio vtendi muris perfectis : quemadmodum dedicatio domus nouæ appellatur initium vtendi ea cum ſolemnitate factum adhibitis Eccleſiæ miniſtris ad benedicendum eam & ad laudandum Deum : dictio enim interpretata *dedicatio* ; ſonat principium vtendi re noua. Et quamuis ſimilis ſolennitas non legatur adhibita nouis muris Ieruſalem perfectis tempore regum Dauidis, Salomonis &c. Nehemias tamen adhibuit illam, eo quòd tanquam miraculosè reſuſcitata videbatur Ieruſalem ſub regibus Ethnicis.

Solemnitas celebrata perfectis muris.

Verſ. 28. *Congregatique ſunt filij cantorum : & de campeſtribus circa Ieruſalaim , & de villis Netophathi.*

Verſ. 29. *Et de domo Ghilghal & de agris Ghebah & Hazmaueth : quoniam villas ædificauerunt ſibi cantores in circuitu Ieruſalaim.*

Verſ. 30. *Et mundati ſunt ſacerdotes & Leuitæ* : ſecundum ritum legis ad exercendum officia ſua.

Et mundauerunt populum & murum : populum quidem munditia legali , puta aqua expiationis : portas autem & murum tum purgando à ſordibus tum, prædicta expiationis aqua : ad hoc enim inſinuandum mundationi populi iungitur mundatio portarum & muri ſub eadem oratione.

Verſ. 31. *Aſcendere autem feci principes Iehuda ſuper murum : & ſtatui duos choros magnos , & ierunt ad dexteram ſuper murum ad portam ſtercoris.*

Verſ. 32. *Et iuit poſt eos Hoſah-ia & dimidium principum Iehuda.*

Verſ. 33. *Et Hazar ia , Hezra & Meſullam , Iehuda & Bin-iamin & Semah-ia & Irme-ia.*

Verſ. 34. *Et de filiis ſacerdotum cum tubis: Zechar-ia filius Ionathan filii Semah-ia, filii Matthan-ia , filij Micha-ia filij Zacchur, filii Aſaph.*

Verſ. 35. *Et fratres eius Semeia & Hazarel.* Iuxta Hebræum habetur , *Semah-ia & Hezra , Milalai, Ghilalai, Maĥai, Nethan-el, Iehuda & Chanani cum inſtrumentis muſicis Dauid viri Dei.* Quod ideo annotauerim vt hinc clarè videatur multos fuiſſe tunc ibi Hezdras: nam in hoc eodem contextu narratur iſte Hezdras inter alios cum inſtrumentis muſicis Dauid viri Elohim , & ſimul nominatur alter Hezdras inter eos dicendo.

Multi Eſdræ.

Et Hezra ſcriba ante eos. Vt enim prædiximus, ad differentiam aliorum Hezdratum ſemper cognominatur Hezdras ſcriba, ille Hezdras illuſtris. Nec ſis adeo rudis vt intelligas illamet inſtrumenta muſica quæ fecerat Dauid affuiſſe tunc , ſed ſimilia iis quæ otdinauerat Dauid.

In porta fontis. Iuxta Hebræum habetur : *Et ſuper portam fontis.*

Et contra eos aſcenderunt ſuper gradus ciuitatis Dauid in aſcenſu ad murum : deſuper domum Dauid & vſque ad portam aquarum ad orientem.] Aduerte prudens lector quòd niſi verbum *aſcenderunt* conſtruatur cum nominatiuo *& fratres eius*, nulla habetur conſtructio literæ : nam ſic etiam iacet in Hebræo. Conſequenter autem dicendo *& contra eos aſcenderunt* , pronomen *eos* demonſtrat illos qui aſcenderant ſuper murum. Et eſt ſenſus quòd iſti qui vocantur fratres ſacerdotum ſeu Aſaph , non aſcenderunt ſuper eundem murum primi chori , ſed ſuper portam fontis aſcenderunt ſuper gradus montis Sion in aſcenſu ad murum à ſuper domum Dauidis vſque ad portam aquarum ad orientem. Ita quòd iſti ſupputantur cum primo choro , contra eos tamen euntes per murum ciuitatis Dauid: quemadmodum enim mons Sion ciuitas Dauid murum habebat proprium , ita par fuit vt non deeſſent celebratores peculiariter muri illius : & iſti (vt dictum eſt) annectuntur primo choro. Verſ. 36.

Et chorus ſecundus : ſimilis primo laudando Deum : *ibat ex aduerſo , & ego poſt eum* : chorum ſacerdotum & Leuitarum. Verſ. 37.

Et media pars populi ; poſt me, altera enim medietas ſequebatur primum chorum : *ſuper murum.* Locus ſuper quem gradiebatur tam chorus ſacerdotum & Leuitarum quàm dux cum media parte populi narratur murus : *& ſuper turrim furnorum.* Hebraïcè habetur : *à ſuper turrim furnorum & vſque ad murum latum.*

Et à ſuper portam Eph-raim & ſuper portam antiquam & ſuper portam piſcium & turrim Chanan-el & turrim Meah , & vſque ad portam ouium : deſcribitur liquidem extenſio muri ſuper quem gradiebantur per turres & portas: *ſteteruntque in porta cuſtodiæ.* Verſ. 38.

Et ſteterunt duo chori in domo Dei. Nomen eſt *Elohim.* Terminus communis ad quem peruenit vterque chorus, templum fuit. Verſ. 39.

Et ego , & dimidia pars magiſtratuum mecum. Supplet quod omiſerat : dixerat enim quòd ipſe ſequebatur ſecundum chorum cum media parte populi : ſupplet modò quòd etiam ſecum erat media pars magiſtratuum : vt hinc intelligamus quòd altera medietas magiſtratuum erat cum primo choro.

Et ſacerdotes (El-iacim Maĥaſe-ia Miniamin Micha-ia El-ioenai Zechar-ia Chanania) cum tubis. Verſ. 40.

Et Maĥaſe-ia & Semah ia & Elhazar & Huzzi & Iehochanan & Malchi-ia & Helam & Hezer: & audire fecerunt cantores, & Iizrachia præpoſitus. Verſ. 41.

Immolauerúntque in die illa victimas magnas & lætati ſunt , Deus enim lætificauerat eos lætitia magna. Nomen eſt *Elohim : & etiam vxores eorum & liberi lætati ſunt : & audita eſt lætitia Ieruſalaim vſque in longinquum.* Verſ. 42.

Recenſuerunt quoque in die illa viros ſuper gazophylacia theſauri ad libamina & ad primitias & ad decimas , vt introferrent per eos principes ciuitatis in decore gratiarum actiones ſacerdotes & Leuitas.] Iuxta Hebræum habetur. *Et ſuerunt ordinati in die illo viri ſuper cellaria ad theſauros, ad oblationes, ad primitias, & ad decimas, ad congregandum in eis per agros ciuitatum partes legis ſacerdotibus & Leuitis.* Sic corrigenda eſt tota iſta clauſula, aliter ſcripta in vulgata Editione. Verſ. 43.

Et

Et est sensus planus quòd tunc constituti sunt viri ad congregandum omnia hæc quæ secundum legem sunt partes debitæ Sacerdotibus & Leuitis pro eorum victu.

Quia lætificatus est Iehuda in Sacerdotibus & Leuitis astantibus. Lætitia populi videntis Sacerdotes & Leuitas cum tanto ordine, decore & deuotione diuinis vacare laudibus, redditur pro ratione prædicti ordinis.

Vers. 44. *Et custodierunt custodiam Dei sui.* Tria in specie bona officia Sacerdotum & Leuitarum commemorantur: primũ erga Deũ quòd custodierunt custodiam Dei sui, persoluendo debitis temporibus ac debito modo sacrificia cum laude diuina, secundum erga populum subiungendo:

Et custodiam expiationis: orando & expiando populum iuxta morem legis.

Et cantores & ianitores iuxta præceptum Dauid & Salomonis filij eius. Tertium est circa ordinem Leuitarum quoad præcipua officia cantorum & ianitorum secundum statutum Dauidis & Salomonis.

Vers. 45. *Quia in diebus Dauid & Asaph ab exordio erant constituti principes cantorum in carmine laudantium & confitentium Deo*] Iuxta Hebræum habetur: *Principes cantorum & cantus laudis & confessionis.*] Principes cantorum a tempore Dauidis & Asaph erant super hæc tria: videlicet cãtum, laudem & confessionem, & cantus quidem pertinet ad ipsam musicam: laus autem & confessio ad hymnos qui cantabantur vel pro simplici laude Dei, vel pro gratiarum actione ob beneficia recepta.

Vers. 46. *Et totus Israël in diebus Zerubabel & in diebus Nechemia dabat partes cantorum & ianitorũ per dies singulos.* Iuxta Hebræum habetur: *rem diei in die suo.* Et est sensus quòd tempore debito tribuebant quod debebant: triticum tempore messis, mustum tempore vindemiæ, & ita de aliis.

Et sanctificabant Leuitas. hoc est tractabant Leuitas vt sanctos, vt dicatos diuinis ministeriis, dando eis decimas vt possent diuinis vacare. Et simili sensu intellige quòd Leuitæ sanctificabant Sacerdotes filios Aharon: dabant enim decimã decimæ Leuitæ Sacerdotibus.

Et Leuitæ sanctificabant filios Aharon.

CAPVT XIII.

Vers. 1. *IN die autem illo lectum est in libro Mosis in auribus populi.* Non solùm vacauerunt diuinis laudibus in dedicatione muri, sed etiam dicitur quòd in illo die lectum est in libro Mosis.

Ecclesia Elohim significat collegium patrum gubernantium ciuitatem.

Et inuentum est scriptum in eo. Deuter. cap. 23. *quòd non ingrediatur Hammonita & Moabita in Ecclesiam Dei vsque in æternum.* Nomen est *Elohim:* & vt declarauimus ibidem Ecclesia seu congregatio *Elohim* significat in proposito collegiũ patrum gubernantium ciuitatem.

Vers. 2. *Eo quod non occurrerint.* Hebraïcè habetur: *Quia non præuenerunt filios Israël cum pane & aqua.* quod & ibidem declaratum est.

Et conduxerunt. Iuxta Hebræum habetur: *& conduxit contra eum Bilham ad maledicendum ei, & conuertit Deus noster maledictionem in benedictionem.* De rege enim Moab legitur Nu. 22. quòd conduxit Balaham: nullâque fit ibi mentio Hammonitarum circa illam conductionem.

Factum est autem cum audissent legem, separauerunt omnem alienigenam. Iuxta Hebræum habetur, *omnem mixturam ab Israël.* Et est sermo de mixtura prohibita in lege: hoc est de mixtura ad regendum & gubernandum. separati siquuidem sunt proselyti ex genere Hammonitarum & Moabitarum à consiliis ciuitatum. Vers. 3.

Et super hoc erat. Iuxta Hebræum habetur: *Et ante hoc El-iasib Sacerdos præpositus in cellario domus Eloha nostri, propinquus Tobi-ia.*] Narratur quòd ante huiusmodi separationem, El-iasib summus Sacerdos (fuit enim nepos Iesuæ primi post reditum ex captiuitate pontificis) erat præfectus cellariis domus Dei: & erat propinquus propinquitate affinitatis Tobiæ Hammonitæ: ita quòd officium hoc habuerat El-iasib ante huiusmodi separationem. Vers. 4.

Fecit ergo sibi gazophylacium. Iuxta Hebræum habetur. *Et fecit ei cellarium grande.* Non quòd ædificauerit Tobiæ cellarium magnum, sed quia dedit ei vsum cellarij magni quod erat cellarium rerum Leuitarum & Sacerdotum: hunc enim sensum manifestant subiuncta. Vers. 5.

Et ibi erant ante eum reponentes munera & thus & vasa & decimam frumenti, vini & olei, partes Leuitarum & cantorum & ianitorum & primitias sacerdotales.] Iuxta Hebræum habetur: *& ibi erant ante ponentes munus, thus & vasa & decimam frumenti musti & olei, iussionem Leuitarum & cantorum & ianitorum, & eleuationem Sacerdotum.* Manifestè describitur quòd El-iasib abstulit cellarium grande Sacerdotibus & Leuitis, qui in eo recondebant thus & similam & vasa seu instrumenta opportuna & decimas iussas in lege pro Leuitis & cantoribus, &c. & eleuationem: hoc est res oblatas à populo quas eleuabant Sacerdotes offerendo Deo, peccatum itaque El-iasib describitur.

El-iasib abstulit cellarium grande Sacerdotibus & Leuitis.

In omnibus autem his. (Iuxta Hebræum habetur. *Et in omni hoc*) *non fui in Ierusalaim: quia in anno trigesimo secundo Artaxerxis Regis Babel veni ad Regem.* Pronomen *hoc* demonstrat peccatum El-iasib vtrumque videlicet & affinitatis cum Tobia, & ablationis cellarij à Sacerdotibus & Leuitis ad vsum Tobiæ. Absentiam autem suam declarat Nehemias ad insinuandum quòd ipso præsente non ausus fuisset El-iasib facere talia. Vers. 6.

Et in fine dierũ postulaui à Rege. Aut Regis senectutem aut propriam significat per finem dierum.

Et veni in Ierusalaim: & intellexi malum quod fecerat El-iasib Tobi-ia, subaudi esse: hoc est & intellexi malum culpæ esse quod fecerat El-iasib Tobiæ. *faciendo ei cellarium in vestibulis domus Dei.* Nomen est *Elohim.* Et hæc est altera ratio mali: nam non solum Sacerdotibus & Leuitis iniuriatus est El-iasib, sed etiam Deo: eo quòd in atriis domus Dei erant cellaria illa, & propterea non debebant Ethnicis concedi. Vers. 7.

Et malum mihi visum est valde: & proieci omnia vasa domus Tobi-ia foras. Appellatione vasorum intellige Hebraïco more quæcunque tum vasa rum instrumenta operum. *de gazophylacio.* Iam pluries dictum est cellarium significati. Vers. 8.

Precepique & mundauerunt gazophylacium. Iuxta Hebræum habetur: *& mundauerunt cellaria.* Quod ideo annotauerim, vt percipiatur multa Vers. 9.

fuisse cellaria vsurpata ab El-iasib pro Tobia.

Et reuulsi ibi vasa domus Dei, sacrificium. pro, *illuc vasa domus Elohim, munus & thus.* quæ prius ibidem fuerant.

Vers. 10. *Et cognoui quòd partes Leuitarum non fuissent eis datæ.* Aliud narratur malum perpetratum in absentia ipsius Nehemiæ: *& quod fugissent vnusquisque in regionem suam.*] Iuxta Hebræum habetur: *ad agrum suum*: priuati enim publicis alimentis, ad quærendum sibiipsis victum propriis laboribus ac industriis seu artibus tanquam fugientes iuerunt.

De Leuitis & cantoribus & de iis qui ministrabant. Legendum est: *Leuitæ & cantores facientes opus* significantur enim Leuitæ facientes opera officiorum suorum in domo Dei.

Vers. 11. *Et obiurgaui magistratus & dixi, quare dereliquimus.* Iuxta Hebræum habetur: *quare derelicta est domus Elohim?* nec sunt interrogantis, sed increpantis verba: *& congregaui eos.* Leuitas: *& feci stare eos in stationibus suis.*

Vers. 12. *Et totus Iehuda apportabat decimam frumenti, vini & olei in horrea.*

Vers. 13. *Et constitui super horrea.* Communius est nomen apud Hebræos: nam vtrobique thesauri nomen habetur.

Selem-iam sacerdotem & Zadoc scribam & Pedaiam de Leuitis, & super manum eorum Chanan filium Zacchur filij Matthan-iæ: quoniam fideles comprobati sunt, & ipsis credita sunt partes fratrum eorum.

Vers. 14. *Memento mei Deus meus super hoc: & ne deleas misericordiam meam* Iuxta Hebræum habetur: *gratias meas quas feci in domo Dei mei.* Beneficia impensa domui Dei (tum reuocando cellaria eius ad vsum sacerdotum & Leuitarum, tum congregando Leuitas fugatos à domo Dei, tum efficiendo quòd populus offerret decimas, tum ordinando thesaurarios fideles ad distribuendum ministris templi) appellat gratias suas, eo quòd gratuito animo hæc fecit.

Et in cæremoniis eius. Iuxta Hebræum habetur: *& in custodijs eius.* Et appellat custodias ordinatam dispositionem ministrorum domus Dei ad exercendum officia sua tempore debito.

Vers. 15. *In diebus illis vidi in Iehuda.* Non dicit Iudæos tanquam Iudæi non per seipsos, sed per alienigenas hæc exercerent in sabbatis. Tertium malum quod inoleuerat absente ipso narratur: videlicet violatio sabbati multipliciter.

Calcantes torcularia in sabbato & portantes acernos. Appellantur acerui multitudo fascium coadunata: sed materia fascium tempore vindemiæ non explicatur.

Et onerantes super asinos vinum & vuas & ficus & omne onus, & afferentes in Ierusalaim in die sabbati: & contestatus sum vt in die qua vendere liceret venderent] Hinc apparet quòd huiusmodi violatio oriebatur à venditoribus, ita quòd res istas afferebant in Ierusalem venales.

Violatio sabbati à venditoribus.

Vers. 16. *Et Tyrij habitauerunt in ea.* Ierusalem: *afferentes pisces & omnia venalia: & vendebant in sabbato filijs Iehuda & in Ierusalaim.* Ad explicandum illos qui erant venditores, adiunctum est quòd erant Tyrij: vt per hoc intelligamus supradictos violatores sabbati non fuisse Iudæos, sed alienigenas, dicendo: quòd afferebant omnia venalia, Iudæos autem peccasse emendo in sabbato.

Vers. 17. *Et obiurgat optimates Iehuda*: vtpote consentientes violationi sabbati: *& dixi eis, quæ est hæc res mala quam vos facitis & prophanatis diem sabbati?*

Nónne sic fecerunt patres nostri, & adduxit Vers. 18. *Deus noster super nos omne malum hoc & super ciuitatem hanc? & vos additis iracundiam super Israel, violando sabbatum.*

Factum est itaque cum quieuissent portæ Ieru- Vers. 19. *salem die sabbati.* Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit cum obumbrarentur portæ Ierusalaim ante sabbatum.* Remedium ab ipso Nehemia adhibitum ne violaretur sabbatum describitur: videlicet quòd in die immediatè præcedente sabbatum cùm portæ Ierusalem obumbrarentur, hoc est essent sine sole: occasus enim solis significatur: *& dixi & clauserunt ianuas, & dixi vt non aperirent eas vsque post sabbatum: & de pueris meis constitui super portas, vt nullus inferret onus in die sabbati.* Quia sabbatum à vespera incipiebat, ideo à vespera vsque ad vesperam iussit clausas manere ianuas ciuitatis, vt sic non possent inferre in Ierusalem res venales.

Et manserunt negociatores. Iuxta Hebræum Vers. 20. habetur: *Et iacuerunt aromatarij & venditores omnis venalis extra Ierusalaim semel & iterum:* ad tentandum si exirent ad eos emptores.

Et contestatus sum eis & dixi ad eos, quare ma- Vers. 21. *netis ex aduerso muri? si secundo hoc feceritis.* Legendum est: *si iterauerint*: iam enim dictum est quòd secundo hoc fecerant: *manum mittam in vos: a tempore illo non venerunt in sabbato.*

Dixique Leuitis vt mundarentur & venirent Vers. 22. *ad custodiendas portas & sanctificandum diem sabbati.* In principio resistentiæ apposuit Nehemias aliquos de familia sua ad custodiam portarum: ordinauit tamen vt Leuitis incumberet cura custodiendi portas in die sabbati ne violaretur sabbatum inferendo onera & venalia, & quia hoc officium erat diuinum (vtpote ad obseruationem sabbati relatum) ideo Leuitas mundari iussit ad exercendum officium hoc.

Etiam huius recordare mihi Deus meus, & parce mihi secundum multitudinem misericordiarum tuarum. Hebraicè habetur: *& miserere mei secundum multitudinem gratiæ tuæ.* Quamuis proponat coram Deo bona opera quæ ipse Nehemias fecit, non tamen confidere se in eis, sed in diuina gratia ac misericordia profitetur.

Etiam in diebus illis. Quantum malum multi- Vers. 23. plicatum in absentia ipsius Nehemiæ describitur.

Vidi Iehudæos ducentes vxores. Iuxta Hebræum habetur: *qui fecerunt habitare fœminas Asdodithidas, Hammonithidas, Moabithidas.* Non narratur præsens, sed præteritum crimen, non alienigenarum, sed Iudæorum qui duxerant vxores alienigenas. *Coniugia cum alienigenis*

Et filij eorum pro dimidia parte loquebantur Vers. 24. *Asdodithicè: & nesciebant loqui Iehudaicè, sed secundum linguam populi & populi.*

Obiurgauique eos & maledixi eis, & cecidi ex Vers. 25. *ipsis viros*: non solum verbis sed factis castigauit eos: *& decaluaui eos.* Iuxta Hebræum habetur: *& pilos euulsi eis.* Non solum percussit, sed etiam afflixit euulsione pilorum.

Et adiuraui eos in Deo. Nomen est *Elohim*: *vt non darent filias suas filijs eorum, & non acciperent de filiabus eorum filijs suis & sibiipsis.* Punit facta & prouidit adiuratione ne iterum fierent.

Nónne propter istas peccauit Selomo rex Israel? Vers. 26. *& in gentibus multis nō erat rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deus regem super totum Israel.*

Israel. Nomen est Elohim. *Etiam ipsum peccare fecerunt mulieres alienigenæ.*

Vers. 17. *An & nos inobedientes faciemus omne malum magnum hoc vt præuaricemur in Deum nostrum, ducendo vxores alienigenas?*

Vers. 18. *De filiis autem Io-iadab filij El iasib sacerdotis magni, gener erat Sanballat Choronitæ.* Inter eos qui duxerant alienigenas vxores commemoratur in specie vnus sacerdos magnæ authoritatis, eo quòd erat vnus ex filiis Io-iadæ filij El-iasib pontificis: & hic innominatus erat gener Sanballat Choronitæ. *quem fugaui a me.* Ecce punitio sacerdotis.

Vers. 29. *Recordare Domine Deus meus.* Iuxta Hebræum habetur: *Recordare eorum Elohe mi.* Quia non valebat punire sacerdotem nepotem Pontificis quantum merebatur, ideo punitionem eorum commendat Deo supremo iudici.

Contra eos qui polluunt sacerdotium, iúsque sacerdotale & Leuiticum. Legendum est, *& pactum sacerdotij & Leuitarum.* Isti enim cum El-iasib polluerunt pactum sacerdotum & Leuitarum: vt in principio huius capituli tractatum est.

Vers. 30. *Igitur mundaui eos.* Iuxta Hebræum habetur: *Et mundaui eos ab omni alienigena.* Præcedentia & subsequentia testantur quòd pronomen *eos* demonstrat sacerdotes & Leuitas. Modus autem quo mundauit non est scriptus: an videlicet per diuortia, an per eiectionem à ministerio templi, quemadmodum dixit de nepote Pontificis. *& constitui ordines.* Iuxta Hebræum habetur: *& statui custodias.* hoc est, ordinatas dispositiones vicibus & temporibus alternis. *sacerdotibus & Leuitis vnicuique in opere suo.*

Et oblationis lignorum in temporibus constitutis Vers. 31.
& primitus. Statuitle se custodias dicit quoad tria: primum quoad sacerdotum & Leuitarum officia: secundum quoad oblationem lignorum pro iugi igne altaris, pro qua iactæ fuerant sortes vt scriptum est in cap. 10. tertium quoad primitias quæ debebantur sacerdotibus. Et appellatione primitiarum intelligea alia similia.

Memento mei Elohe mi in bonum. Terminat librum supplicando Deo Iudici summo vt memor sit eius in distributione bonorũ, faciendo ipsum participem summi boni donando eum bono quod est verè bonum, quod est beatitudo æterna. Et sic finitur liber Nehemiæ.

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. XYSTI, *IN LIBRVM HESTER* COMMENTARII.

VERS. 1. IN *diebus Assueri.* Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit in diebus Achas-ueros: ipse Achas-ueros imperans ab India & vsque ad Æthiopiam, centum, & viginti septem prouinciis.*] Iosephus in 11. Antiquitatum dicit regem hunc fuisse filium Xerxis, & proprio nomine vocatum Cyrum: ita quòd fuit alter Cyrus, sed à Græcis nuncupatus Artaxerxes, ab Hebræis autem (vt hîc apparet) nuncupatus *Achas-ueros.* Quare autem repetatur illius nomen, libenter discerem.

Ipse Assueros secundum Iosephũ fuit Cyrus filius Xerxu.

Vers. 2. *In diebus illis quando sedit rex Achas-ueros in solio regni sui.* Quia tempora Xerxis patris Assueri fuerant conturbata, (vt historiæ tradunt) ideo dicitur quando sedit (hoc est, quieuit) in solio pacifice.

Susa ciuitas regni eius exordium fuit. Iuxta Hebræum habetur: *quòd in Susan palatio.* Solium regium in palatio Susan narratur.

In anno tertio regni sui fecit conuiuium omnibus Vers. 3.
principibus & seruis suis: fortissimis Persarum, & Medorũ, inclytis & præfectis prouinciarum. Iuxta Hebræum habetur: *ducibus & principibus prouinciarum ante se.* Ita quòd legendum est fortibus Persarum & Medorum: & ibi fiat punctus, & subiungatur ducibus & principibus, &c.

Conuiuium Assueri.

Vt ostenderet diuitias gloriæ. Legendum est *honoris regni sui,* diuitias siquidem honoris regni sui ostentabat. *ac magnitudinem atque iactantiam potentiæ suæ.*] Iuxta Hebræum habetur: *& delicias gloriæ magnitudinis suæ.* Diuitias ac delicias iactaturus, conuiuium fecit. Vers. 4.

Multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus. qui consurgunt in menses sex: aliis pri-

mo menſe, aliis ſecundo menſe &c. venientibus.

Verſ. 5. *Cúmque implerentur dies iſti, fecit rex toti populo inuento in Suſan a magno vſque ad paruum, conuiuium ſeptem diebus: in veſtibulo horti & nemoris quod regio cultu & manu conſitum erat.*] Iuxta Hebræum habetur, *in atrio horti palatij regis.* Ita quòd nihil dicitur de nemore, ſed locus conuiuij dicitur atrium horti palatij regis.

Verſ. 6. *Et pendebant ex omni parte tentoria.* Interpres hoc addidit: quia Hebraica litera mutila eſt, nam poſt illa verba palatij regis immediatè ſubiungitur.

Album viride & aereum tentum in funibus byſſi & purpuræ ſuper circulos argenti & columnas marmoris. Sic iacet in Hebræo: & proculdubio ſignificantur aulæa talium colorum: ſcilicet albi, viridis & aërei, pendentia funibus byſſi & purpuræ &c.

Lectique aurei & argentei ſuper pauimentum ſmaragdino & pario ſtratum lapide diſpoſiti erant. quod mira varietate pictura decorabat.] Iuxta Hebræum habetur, *ſuper pauimentum porphyretis & marmoris & pary & preciosi.* Quatuor lapidum genera in pauimento commemorantur, nec aliud de pauimento ſcribitur: quartum tamen genus incertum eſt, à mercatura nominatum.

Verſ. 7. *Bibebant autem qui mutati erant aureis poculis, & alius atque alius vaſis cibis inferebantur.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et propinabant in vaſis mutantes.* Narratur quòd non ſolum porrigebant potum in poculis aureis, ſed etiam quòd mutabant pocula, ita quòd non oportebat expectare alios bibentes vt poculum haberetur.

Vinúmque vt magnificentia regia dignum erat, multum & præcipuum, ponebatur.

Verſ. 8. *Nec erat.* Deficit vna clauſula ante hæc duo vltima verba. *Et potus ſecundum conſuetudinem.* Deinde ſequitur: *non cogente: quia ſic ſtatuerat rex omni maiori domus ſuæ ad faciendum ſicut voluntas viri & viri.* Narratur quòd potus fiebat ſecundum conſuetudinem ſeu legem, vtrumque enim Hebraica ſignificat dictio: quia ordinatè ſecundum vniuſcuiuſque morem potabant, quia rex ſic ſtatuerat, ne infimis aliquibus iniuria fieret.

Verſ. 9. *Vaſthi quoque regina fecit conuiuium fœminarum: in palatio vbi rex Achaſ-ueros manere conſueuerat.*

Verſ. 10. *Itaque die ſeptimo cùm rex eſſet hilarior & poſt nimiam potationem incaluiſſet mero.*] Iuxta Hebræum habetur. *In die ſeptimo cum bonum cor regis in vino.* nec aliud dicitur. Et ſignificatur cor regis lætificatum ex vino: ac per hoc excitatum ad oſtentandam pulchritudinem reginæ.

Præcepit Mehumam, Bizthe, Charbone, Bigthe & Abagthe, Zethar, & Charchas, ſeptem eunuchis miniſtrantibus ante faciem regis Achaſ-ueros:

Verſ. 11. *Vt adducerent reginam Vaſthi coram rege cum corona regni: vt oſtenderet populis & principibus pulchritudinem eius.* Quamuis non omnes ſimul credantur veniſſe principes & fortes, perſeuerauerunt tamen omnes vſque ad finem conuiuij. *Erat enim pulchra valde.*] Iuxta Hebræum habetur *quia bona aſpectu ipſa.* Ratio monſtrandi pulchritudinem reginæ redditur, quia bona, hoc eſt delectabilis viſu erat, diuiditur enim bonum in honeſtum, vtile & delectabile: & hoc in loco ſumitur bonum pro bono delectabili.

Verſ. 12. *Vaſthi venire nuis venire* *Quæ renuit venire ad regis imperium quod per eunuchos mandauerat.* Relatiuum eſt *quod* & non coniunctio: non enim redditur ratio quare regina renuerit, ſed narratur factum iuxta Hebraicam veritatem. *ad Regis imperium.*

Et iratus eſt rex valde, & ira eius ſuccenſa eſt in eo.

Verſ. 13. *Interrogauítque ſapientes qui ex more regio ei ſemper aderant, & illorum faciebat conſilio ſcientium leges ac iura maiorum.*] Iuxta Hebræum habetur. *Et dixit rex ſapientibus ſcientibus legem & iudicium.* Conſuluit ſapientes ſcientes temporum (hoc eſt pollentes notitia occaſionum euenientium in temporibus) ad prouidendum quid facto opus ſit, quia ſic verbum regis ſolitum erat tractari ac diſcuti, videlicet coram ſcientibus legem ac iudicia, & eſt ſermo de lege regni.

Verſ. 14. *Et propinqui ei Carſena, Sethar, Admatha, Tharſis, Meres, Marſena, Memuchan: ſeptem principes Perſarum & Medorum videntes faciem regis, ſedentes primi in regno.*

Verſ. 15. *Iuxta legem quid faciendum eſt regina Vaſthi, eo quòd non fecit dictum regis Achaſ-ueros in manu eunuchorum.*

Verſ. 16. *Dixítque Memuchan coram rege & principibus: non ſolum regem læſit.*] Iuxta Hebræum habetur. *Non ſuper regem ſolum ipſum iniquum fecit regina Vaſthi.* Non enim læſio ſed tortum ſeu iniquum ſignificatur. *Sed contra omnes principes & contra populos qui ſunt in omnibus prouinciis regis Achaſ-ueros.*

Verſ. 17. *Egredietur enim ſermo reginæ ad omnes mulieres vt contemnant maritos ſuos.* Deficit. *In oculis ſuis.* quod eſt longè peius, *dum dicent, rex Achaſ-ueros iuſſit vt regina Vaſthi veniret ad ſe & noluit.*

Verſ. 18. *Atque hoc exemplo omnes principum coniuges.*] Iuxta Hebr. habetur. *Et diem iſtum dicent domina Præſidis & Mediæ.* ſed ſententia in idem redit, nam geſta in die iſto dicent dominæ Perſarum & Medorum. *Parui pendent imperia maritorum.*] Iuxta Hebr. habetur: *quæ audierunt verbum regina cunctis principibus regis.* Nec aliter explicatur quid dicent: ſed quòd commemorabunt diem iſtum vt non pareant maritis.

Vnde regis iuſſa eſt indignatio.] Iuxta Hebr. habetur, *& multis vilipenſio & ira.* Effectus ſecuturus in coniugibus prædicitur duplex, alter ex parte vxorum: videlicet quòd multum *vilipendent* maritos, alter ex parte maritorum videlicet multa ita aduerſus vxores.

Verſ. 19. *Si regi placet egrediatur edictum à facie eius, & ſcribatur in legibus Perſarum, & Medorum, & non præteratur: quòd non veniat Vaſthi coram rege Achaſ-ueros, & regnum eius det rex alteri meliori ea.*

Verſ. 20. *Audiatúrque verbum regis in toto regno eius, quia amplum eſt: & omnes vxores præſtabant honorem maritis ſuis à magno vſque ad paruum.*

Verſ. 21. *Et placuit verbum in oculis regis & principum: fecítque rex iuxta verbum Memuchan.*

Verſ. 22. *Et miſit epiſtolas ad omnes prouincias regni ſui, ad vnamquamque prouinciam iuxta ſcripturam eius & ad vniuſcuiuſque populum iuxta linguam eius: eſſe omnes viros principes.*] Iuxta Hebr. habetur, *vt ſit quilibet vir dominans in domo ſua.* ad hoc enim tendebat vniuerſum hoc conſilium, vt viri dominarentur vxoribus.

Et hoc per cunctos populos diuulgari.] Iuxta Hebr. habetur, *& loquens ſicut lingua populi ſui* de marito dicitur & quòd ſit dominans in domo ſua, & quòd ſit loquens iuxta linguam populi ſui: hoc eſt quòd ſic dominetur vt tamen præcipiat iuxta morem populi ſui, moderatio ſiquidem eſt dominij maritorum.

CAPVT

CAPVT II.

Verſ. 1. *His geſtis poſtquam deferbuerat indignatio Regis Achas ueros: recordatus eſt Vaſthi, quæ feciſſet vel quæ paſſa fuiſſet.* Iuxta Hebræum habetur: *& quod fecit, & quod definitum fuit ſuper eam.* videlicet vt non ingrederetur vltra ad Regem.

Verſ. 2. *Dixerúntque pueri Regis miniſtri eius: quarantur regi puella virgines boni aſpectus.* Niſi vidiſſent mœſtum regis animum ob priuationem Vaſthi reginæ, nequaquam hoc conſilium dediſſent in remedium diuertendi amorem regis à repulſa regina.

Verſ. 3. *Et præficiat rex præfectos in omnibus prouinciis regni ſui, & congregent omnes puellas virgines boni aſpectus ad Suſan palatium ad domum mulierũ ad manũ Hegæ eunuchi regis cuſtodis mulierum: & accipiant mundum muliebrem & cetera ad uſus neceſſaria.* Iuxta Hebræum habetur: *& dando cõcinnationes earum,* Vnico verbo comprehenduntur cuncta quæ tam ad purgandum quam ad præparandum & ornandum mulieres ſpectant.

Verſ. 4. *Et puella quæ placuerit in oculis Regis, regnet pro Vaſthi: placuítque ſermo Regi, & fecit ſic.*

Verſ. 5. *Vir Iehudæus erat in Suſis ciuitate.* Iuxta Hebræum habetur: *in Suſan palatio: & nomen eius Mordochai.* Palatinus deſcribitur Mardochæus.

Mardochæus. *filius Iair filij Simhi filij Cis.* Non eſt iſte Cis pater olim Saulis Regis, ſed proauus Mardochæi. *de ſtirpe Iemini.* Hebraicè habetur: *viri Ben-iamin.* Tribus Cis narratur.

Verſ. 6. *Qui tranſlatus fuerat de Ieruſalaim cum iis qui tranſlati fuerunt cum Iehon-ia, Rege Iehuda: quos tranſtulit Nebu-chadnezar Rex Babel.* Pronomen, *qui* refert *Cis*, ita quòd non eſt ſenſus quòd Mardocheus fuerit captiuatus cum Iechonia, ſed quòd Cis proauus eius tranſmigrauerit cum Iechonia in Babylonem ex Ieruſalaim, quæ erat in tribu Beniamin: propterea enim genealogiam Mardochæi texuit vſque ad Cis proauum & non aſcendit vltra, quia ipſe Cis fuit ductus in Babylonem.

Verſ. 7. *Qui fuit.* Iuxta Hebræum habetur. *Et fuit nutriens.* Ad Mardocheum redit, natum in Babylone ſeu Perſia. *filiæ fratris ſui.* Hoc non habetur in Hebræo: ſed ſtatim ſequitur: *Hadaſſe, ipſa Eſter filia patrui eius.* Et pronomen *eius* demonſtrat Mardocheum: ita quòd Eſter non fuit filia fratris Mardochei, ſed fuit filia patrui Mardochei: ac per hoc fuit patruelis ſeu conſobrina ſoror Mardochei. *& utrumque parentem amiſerat:*

Eſter. *pulchra nimis & decora facie.* Iuxta Hebræum habetur: *quia non erat ei pater & mater: & puella pulchra forma & boni aſpectu.* laudatur enim rum pulchritudo figuræ, tum quòd delectabilis erat conſpectui aliorum.

Mortuíſque patre & matre eius, Mordochai accepit eam ſibi in filiam.

Verſ. 8. *Cúmque percrebruiſſet verbum Regis & edictum eius, & multæ virgines adducerentur in Suſan ad manum Hegæi: Eſter quoque inter cæteras puellas ei tradita eſt.* Iuxta Hebræum habetur: *ſublata eſt Eſter in domum Regis.* non furtiuè nec vi, ſed cõſenſu Mardochei data petentibus eam. ideo enim ſcribitur ſublata, vt intelligatur non ſponte oblata, ſed petita propter eius pulchritudinem.

Verſ. 9. *Vt ſolarentur ei numero fœminarum.*

Quæ placuit ei. Pronomen *ei*, eunuchum demonſtrat præpoſitum puellis: vt contextus Hebraicus teſtatur: nam ſic legitur: *ad manum Hegæi cuſtodis mulierum.*

Et placuit puella in oculis eius, & eleuauit gratiam in conſpectu eius. Ad inſtar eleuantis obtulit ſe gratioſam Eſter in conſpectu eunuchi, tanquam munus aliquod gratum eidem obtulerit.

Et præcepit eunucho. Non habetur hoc in Hebræo: ſed immediatè ſubiungitur: *& acceleranus concinnationes eius.* proculdubio eunuchus. *& partes eius vt daret ei.* Pertinentia ad victum ſignificantur.

Et ſeptem puellas ſpecioſiſſimas de domo Regis. Dictio Hebraica nõ ſignificat ſpeciolitatem, ſed potius promptitudinem: vt intelligamus ſeptem puellas promptas ad obſequia ipſius Eſter.

Et tam ipſam quàm pedíſſequas ornaret atque excoleret. Iuxta Hebræum habetur: *& mutauit ei & puellas eius in bonum domus mulierum.* prouidit ſiquidem eunuchus de optima aula in domo mulierum ipſi Eſter, vt etiam ex loco habitationis ſeruaretur bona diſpoſitio corporis Eſter.

Non indicauit Eſter populum ſuum & cognationem ſuam: quia Mordochai præceperat vt non indicaret. Verſ. 10.

Et quotidie Mardochæus deambulabat ante atriũ domus mulierum: curam agens ſalutis Eſter. Iuxta Hebræum habetur: *ad ſciendum pacem Eſter & quid fiet in ea.* Pacis nomine Hebræi omne bonũ comprehendunt. Verſ. 11.

Cúmque veniſſet tempus ſingularum puellarum vt intrarent ad Regem Achas-ueros, expletis omnibus quæ ad cultum mulierem pertinent menſis duodecimus verebatur: ita duntaxat vt ſex menſibus oleo vngerentur myrrino. Iuxta Hebræum habetur: *in fine cum eſſent eis ſecundum legem mulierum duodecim menſes: quia ſic implebuntur dies concinnationum earum: ſex menſibus in oleo myrrha.* ita quòd non myrrus, ſed myrrha ſignificatur. Verſ. 12.

Annus integer cultui muliebri datur.

Et alios ſex quibuſdam pigmentis & aromatibus uterentur. Iuxta Hebræum habetur: *& ſex menſibus in aromatibus & in concinnationibus mulierum.* nec aliquid certius ſcriptum eſt.

Et in hoc puella veniebat ad regem: quicquid dicebat, dabatur ei ad veniendũ cum ea de domo mulierum ad domum Regis. Verſ. 13.

Veſpere intrabat, & mane reuertebatur ad domum mulierum ſecundam, ad manum Saſaigiam eunuchi Regis cuſtodis concubinarum: non intrabat amplius ad Regem, niſi voluiſſet eam Rex & vocaretur per nomen: Verſ. 14.

Euoluto autem tempore per ordinem. Non habentur in Hebræo hæ vltimæ quinque dictiones: ſed ſcribitur. *Et cum adueniſſet tempus Eſter filiæ Abichail patrui Mardochai quam ceperat ſibi in filiam vt intraret ad Regẽ.* Hic clarè dicitur quòd pater Eſter fuit patruus Mardochei. *non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcunque voluit Egeus eunuchus cuſtos virginum hæc ei ad ornatum dedit: erat enim formoſa valde & incredibilis pulchritudine, omniumque oculis gratioſa & amabilis videbatur.* Pro tota iſta clauſula in Hebræo habetur. *non quæſiuit rem, niſi quod dixit Hegai eunuchus Regis cuſtos mulierum: & fuit Eſter eleuans gratiã in oculis omnium videntium eam.* Vſqueadeo deſcribitur gratioſa apud oculos omnium, vt tanquam offerens munus eiſdem haberetur cùm coram eis apparebat. Verſ. 15.

Et ſublata eſt Eſter ad Regem Achas-ueros ad Verſ. 16.

domum regni eius, in mense decimo qui est mensis Tebeth in anno septimo regni eius.

Vers. 17. *Et amauit Rex Esther plusquam omnes mulieres, habuitque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres.*] Iuxta Hebræum habetur: *& eleuauit misericordiam & gratiam in conspectu suo præ omnibus virginibus.* De Rege sermonem esse tum contextus tum misericordia testatur: dictum erat quòd Rex amauit Esther præ omnibus mulieribus: & immediatè subditur *& eleuauit misericordiam & gratiam*: non solum gratuito regis animo, sed etiam ipsius misericordiæ attribuitur exaltatio Esther præ omnibus virginibus, eo quòd eleuabat eam ferè de miseria ad regnum: gratiæ siquidem erat adsciscere eam in reginam: misericordiæ autem quòd ex ignoto genere eam exaltaret: eleuauit itaque rex misericordiâ & gratiam in conspectu suo erga Esther præ omnibus virginibus.

Esther regnat pro Vasti.

Et posuit coronam regni super caput eius, & regnare fecit eam pro Vasti. Aduerte hic prudens lector duo: Alterum quòd Esther Hebræa fidelis & grata Deo (vt subiuncta testantur) nupsit regi Ethnico habenti plures vxores concubinas secundum morem illius temporis: nec vlla fit mentio alicuius dispensationis aut inspirationis diuinæ: quin potiùs testatur Scriptura quòd in eodem versata est periculo quo aliæ virgines, vt videlicet nisi stuprata à rege assumeretur in Reginam remaneret inter concubinas regis: hoc enim factum testatur quòd pluritas vxorum, quãdo mos erat, peccatum non erat. Alterum quòd quia Esther erat Hebræa sub lege Mosis, Rex verò Persarum ethnicus, ex hoc connubio habetur quòd cultus disparitas quamuis in lege Mosis esset prohibita inter coniuges, non tamen irritabat connubium: alioquin Esther non fuisset vxor Assueri. Tolerabile igitur malum hoc erat sub lege cum aliis nationibus non habitantibus in terra promissionis: & hinc arguitur quòd cultus disparitas nõ irritat hodie matrimonia nisi ex constitutione Ecclesiæ valde rationabili.

Vers. 18. *Fecitque rex conuiuium magnum omnibus principibus & seruis suis, conuiuium Esther: & dedit requiem vniuersis prouinciis.*] Iuxta Hebræum habetur: *& relaxationem prouinciis fecit.* De qua autem relaxatione sit sermo, non est vsquequaque clarum: certum tamen est quòd relaxauit inquisitionem virginum pulchrarum quæ per prouincias fiebat.

Et dona largitus est iuxta magnificentiam principalem.] Iuxta Hebræum habetur: *sicut manus regis.* hoc est sicut decebat manum regiam.

Vers. 19. *Cúmque secundo quærerentur virgines & congregarentur.* Iuxta Hebræum habetur: *Et cum essent adunatæ virgines secundo, Mordochai sedebat ad portam regis.* Contextus insinuat congregationẽ hanc secundam fuisse factam regnante iam Esther: nam vnum atque idem tempus describitur perfectæ istius congregationis, & habitantis Mardochei in porta regis, & obedientiæ Esther ad Mardocheum, & coniurationis eunuchorum aduersus regem, & denunciationis per Esther reginam: sed quorsum fuerit facta hæc congregatio virginum secundò, nulla historia mihi nota tradidit, nec scio diuinare.

Congregatio secunda Virginum.

Vers. 20. *Nondum prodiderat Esther cognationem & populum suum, iuxta præceptum Mordochai: & dictum Mordochai Esther faciebat, sicut cum nutriebatur apud eum.* Testatur principium octaui cap. quòd verba ista rationem reddunt quare Mardocheus adhuc manebat in porta regis: quia videlicet regina non indicauerat regi quid sibi esset Mardocheus: nam in principio octaui cap. ratio redditur ingressus Mardochei ad regem, manifestatio cognationis inter Esther & Mardocheum.

Vers. 21. *In diebus illis Mordochai sedente in porta regis: irati sunt Bigthan & Theres, duo eunuchi regis qui ianitores erant & in primo palatij limine residebant.* Iuxta Hebræum habetur: *duo eunuchi regis ex custodibus malluuij.* nec aliud scribitur de eorum officio. Erant igitur isti Eunuchi in numero custodum malluuij: hoc est vasorum ad vsum regis deputatorum.

Voluerúntque insurgere in regem & occidere eum. Iuxta Hebræum habetur: *& quæsierunt mittere manum in regem Achas-ueros.* Non igitur veneno, sed gladio quærebant interficere regem.

Vers. 22. *Quod Mordochai innotuit, & nuncianit regine Esther: dixítque Esther regi nomine Mordochai.*

Vers. 23. *Quæsitáque est res & inuenta, & suspensi sunt ambo super lignum.*

Considera duo facta eunuchorum istorum: alterum quòd irati sunt aduersus regem, alterum quòd quæsierunt mittere manum: & perpendes non fuisse difficile vt innotesceret Mardochæo machinatio eorum: & similiter non fuisse difficile vt inquisita machinatio hæc à rege inueniretur: ista enim exteriora facta (irasci videlicet & quærere mittere manum) facilè conuincuntur.

Et iussit rex vt in libro memoriali scriberetur, vt pro vita sua aliquid repensaret ei, mandatúmque est historiis & annalibus traditum coram rege. Pro toto hoc residuo huius capituli iuxta Hebræum habetur: *& scriptum fuit in libro verborum dierum coram rege.* Nec aliud in textu habetur, sed interpres ampliauit. Et hinc patet per librum verborum dierum significari Annales.

CAPVT III.

POst hæc rex Achas-ueros exaltauit Haman filium Medathæ de stirpe Agag. Vers. 1.

Iuxta Hebræum habetur. *Agagæum.* seu Agagæi. Quod nomen an sit nationis, an patriæ, an gentis Agag regis Hamalecitarum (vt communiter videtur intelligi) non est omnino certum: verùm cum ignota sit tam natio quàm patria Agagæa, & nota sit gens ex occiso rege Agag à Samuele. 1. Reg. 15 hic sensus complectendus est. Nec obstat quòd inferius cap. 15. dicitur animo & gente Macedo: quoniam apocryphum est.

Amanis honos lex.

Et posuit solium eius super omnes principes quos habebat.

Vers. 2. *Omnesque serui regis qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua & adorabant Haman, quia sic præceperat eis rex: & Mordochai non genuflectebat nec adorabat.*

Vers. 3. *Cui dixerunt serui regis qui ad fores palatij residebant: cur transgrederis præceptum regis?*

Vers. 4. *Cúmque dicerent ad eum per singulos dies & ille non audiret eis, nunciauerunt Haman, scire cupientes*

cupientes an perseueraret in sententia, quia indicauerat eis se esse Iehudæum. Possunt hæc vltima verba referri vel ad rationem non genuflectendi (vt videlicet Mardochæus dixerit se non genuflectere: quia erat Iudæus) vel ad constantiam: vt quia Iudæi pertinaces sunt in proposito, experirentur an Mardocheus Iudæus perseueraret in proposito non adorandi Haman.

Cur Mardochæus noluit flectere genua ante Aman.

At si quæris rationem quare Mardochæus noluit parere regis mandato vt genuflecteret adorando Haman: nulla occurrit magis consentanea ratio quàm odium inter Iudæos & Hamalecitas, præceptum a Deo Deuteronom. 25. vbi & additur, caue ne obliuiscaris. Signum autem quod ex huiusmodi inimicitia procedebat hæc irreuerentia, habetur ex infrascriptis in cap. 5. quòd Mardochæus non solùm continuit se à genuflexione, sed nec surrexit genuflectentibus aliis coram Haman: hinc enim patet quòd non timebat diuinum honorem transferre in hominem (assurgere enim non erat diuinus honor) sed quòd renuebat quemcunque honorem exhibere Haman: quod ex odio fieri consequens erat, præsupposito mandato generali regis cum tot monitionibus sociorum.

Vers. 5. *Viditque Haman quod Mordochæus non flexo genu flecteret, nec se adoraret: & repletus est Haman furore.*

Vers. 6. *Et contempsit in oculis suis mittere manum in Mordochai solum quia indicauerant ei populum Mordochæi: quæsiuitque Haman disperdere omnes Iehudæos qui erant in toto regno Achas-ueros, populum Mordochæi.* Et in hoc redditur ratio quare Haman decreuerit sæuire in Iudæos, quia videlicet erant populus Mardochæi: nec alia tangitur in litera ratio.

Vers. 7. *In mense primo.* inchoando annum à primo vere: nam primum mensem apud Hebræos constituit Luna prima plena à Sole existente in Ariete. *(Ipse est mensis Nisan) in anno duodecimo regis Achas-ueros missa est sors in vrnam.* Iuxta Hebræum habetur: *iacta est pur (ipsa Gboral) coram Haman.* Aiunt *pur* dictionem esse Persicam, *Gboral* autem Hebraicam: & vtramque significare sortem. In vtraque ergo lingua Hebraicus textus nominauit sortem, nec vllam facit mentionem vrnæ, sed iactus sortis: qui quomodo fieret, latet nos. *quo die & quo mense gens Iehudæorum deberet interfici, & eximus mensis duodecimus qui vocatur Adar.*

Vers. 8. *Dixitque regi Achas-ueros: est populus per omnes prouincias regni tui dispersus & a se mutuo separatus.* Iuxta Hebræum habetur, *& separatus inter populos.* hoc est, inter populos diuersos viuens viuit separatus ab aliis. Et in hoc verum dixit experientia teste vsque in diem hodiernum. *nouis vtens legibus & cærimoniis.* Iuxta Hebræum habetur: *& leges eorum mutantes ab omni populo.* Nihil dicitur de nouitate: sed quòd leges Iudæorum alienant mores eorum ab omni populo. Et in hoc etiam dixit verum: *& insuper Regis scita contemnens:* Iuxta Hebræum habetur: *& leges Regis non ipsi facientes.* An in hoc verum dixerit nescitur: de Mardochæo tamen hoc verificari certum est, pro quanto non paruit Regis mandato de honoratione Haman.

Et optimè nosti quòd non expediat regno tuo vt insolescat per insolentiam. Pro hac clausula iuxta Hebræum habetur: *& Regi non congruit dimittere eos.* sic diuisos inter alios, & inobedientes.

Vers. 9. *Si tibi placet, decerne vt pereat.* Iuxta Hebræum habetur: *Si super Regem bonum, scribetur ad perdendum eos.* Phrasis est Hebraica, significans quòd si bonum hoc videtur Regi, scribantur literæ ad perdendum Iudæos. *& decem millia talentorum argenti appendam arcariis gazæ tuæ.* Iuxta Hebræum habetur: *& decem millia talentorum argenti appendam manibus factorum operis ad adducendum in thesauros Regis.* Quasi emere volebat Iudæorum vitam. Factores autem operis, gestores negotiorum Regis appellat.

Vers. 10. *Tulitque Rex annulum suum de manu sua: & dedit eum Haman filio Medathæ de progenie Agag.* Corrige vt supra. *Agagæi hostis Iehudæorum.* & intellige vt diximus.

Vers. 11. *Dixitque Rex ad Haman: argentum quod polliceris tuum sit, & de populo fac quod tibi placet.*

Vers. 12. *Vocatique sunt Scribæ Regis in mense primo in tertiadecima die eius: & scriptum est iuxta omnia quæ præcepit Haman ad omnes satrapas Regis & iudices prouinciarum diuersarumque gentium.* Parui refert quòd Hebraicè habetur: *& ad duces qui super singulas prouincias, & ad principes singulorum populorum, ad singulas prouincias iuxta scripturam earum, & ad singulos populos iuxta linguam eorum, nomine regis Achas-ueros scriptum est & signatum annulo Regis.* materia enim non exigit tam exactam correctionem.

Vers. 13. *Et missæ sunt literæ per cursores ad omnes prouincias regis vt delerent, occiderent & perderent omnes Iehudæos à puero vsque ad senem parvulos & mulieres in die vno, in tertiodecimo mensis duodecimi qui vocatur Adar: & vt bona eorū diriperent.*

Litera Regis in Iudæos.

Vers. 14. *Summa autem literarum erat, vt omnes prouinciæ scirent & pararent se ad prædictam diem,* Iuxta Hebræum habetur: *vt ponerentur lex in qualibet prouincia patens omnibus populis, vt essent parati ad diem istam.* Sententia est clara: mandatur enim proponi publicum edictum patens populis omnibus, ad hoc vt tali die ad necem Iudæorum parati essent.

Vers. 15. *Egressique sunt cursores impulsi verbo Regis, & lex posita est in Susan palatio: Rexque & Haman sederunt ad bibendum, & ciuitas Susan fuit turbata.* Dictio interpretata, turbata, à quibusdam interpretatur perplexa huiusmodi: siquidem nouitas tam crudelis edicti, animos ciuium admiratione tali affecit vt circa causam perplexi redderentur non absque animi interna commotione.

CAPVT IV.

Vers. 1. *MOrdochai autem cognouit totum quod factum fuerat, & scidit vestimenta sua, & indutus est sacco spargens cinerem capiti.* Iuxta Hebræū habetur: *& indutus est sacco & cinere.* nihilque dicitur de capite. *egressusque est in medium ciuitatis, & clamauit clamore magno & amaro.*

Vers. 2. *Venitque vsque ad fores palatij: non enim erat licitum indutum sacco portam regis intrare.*

Vers. 3. *Et in cuiuslibet prouinciæ loco ad quem verbum regis & lex eius perueniebat, luctus ingens erat*

Iehudæis, & ieiunium & fletus & planctus: cinere & sacco multis pro strato utentibus.

Vers. 4. *Ingressæ sunt autem puellæ Esther & Eunuchi eius & nuntiauerunt ei: quod audiens consternata est.* Iuxta Hebræum habetur: *& contristata est regina valde.* audito facto Mardochei. *misitque vestem Mordochai vt ablato sacco indueret eam, & non recepit.*

Vers. 5. *Vocauitque Esther Hathach eunuchum quem rex ministrum ei dederat: & præcepit ei vt iret ad Mordochai, ad sciendum cur hoc faceret.*

Vers. 6. *Egressusque est Hathach ad Mordochai: ad plateam ciuitatis quæ erat ante portam regis.*

Vers. 7. *Et indicauit ei Mordochai totum quod acciderat sibi: & expositionem argenti quod dixit Haman se in thesauros regis illaturum pro nece Iehudæorum.*

Vers. 8. *Exemplar quoque edicti quod pendebat in Susan, dedit ei vt regina ostenderet: & moneret eam vt introiret ad regem & deprecaretur eum pro populo suo.*

Vers. 9. *Venitque Hathach: & nuntiauit Esther verba Mordochai.*

Vers. 10. *Dixitque Esther ad Hathach: & præcepit ei vt diceret ad Mordochai.*

Vers. 11. *Omnes serui regis & populus prouinciarum regis sciunt, quod siue vir siue mulier non vocatus introierit atrium regis intrauerit, absque vlla cunctatione statim interficiatur.*] Iuxta Hebræum habetur: *vna lex eius ad moriendum.* hoc est, communis est cuilibet vna lex mortis. *nisi ad quem extenderit rex virgam auream, & viuat: & ego non sum vocata ad veniendum ad regem his triginta diebus.*

Vers. 12. *Nuntiauerúntque Mordochai verba Esther.*

Vers. 13. *Et dixit Mordochai vt responderent Esther: ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Iudæis.* Iuxta Hebræum habetur: *non tacebis in anima tua, quia euades domus regis præ omnibus Iehudæis.* hoc est, non tacebis omittendo preces apud regem pro Iudæis sciens vitam tuam saluam, quia domus regis exempta est ab huiusmodi necis edicto: vtpote præhata cunctis Iudæis.

Vers. 14. *Si enim nunc siluerís, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi.* Iuxta Hebræum habetur: *Quod si tacendo tacueris in tempore isto latitudo & euasio stabit Iehudæis ex loco alio*, Magna fiducia Mardochei in Deo manifestatur: dicit autem latitudo & euasio tanquam Iudæi edicto illo angustati & mortis periculo expositi, in amplum spatium deducendi sint & euasuri prouidente Deo per aliud medium Iudæis. *& tu & domus patris tui peribitis.* Minæ sunt diuini iudicij imminentis si tacuerit. *& quis nouit vtrum ideirco ad regnum veneris vt in tali tempore paratéris?* Sensus est vt in tali tempore succurreres populo tuo à Deo præparata ad hoc.

Vers. 15. *Dixitque Esther vt responderetur Mordochai.*

Vers. 16. *Vade & congrega omnes Iehudæos qui in Susan inueniuntur, & orate pro me.* Iuxta Hebræũ habetur: *& ieiunate super me.* Ieiunium pro suffragio apud summum Deum petit. *non comedatis neq; bibatis tribus diebus & tribus noctibus.* Iuxta Hebræũ habetur. *tribus diebus nocte & die* Formã ieiunij præscribit non comedere nec bibere tribus diebus tam die quam nocte. Nec indiscreta fuit tanta inedia: quandoquidẽ multi huiusmodi inediam sponte susceperunt, & in tali, ac tanto periculo populi parum fuit triduana inedia affligi.

Ieiunium trium dierũ.

Et ego cum ancillis meis sic ieiunabo. Spondet regina se cum suis ancillis ieiunaturam sic, hoc est triduana inedia: vt ab exemplo eius prouocarentur Iudæi ad ieiunandum sic.

Et tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens inuocata, tradéntque me morti & periculo. Iuxta Hebræum habetur: *& in sic ingrediar ad regẽ quod non secundum legem, & sicut peri perij.* Magna fiducia Reginæ in ieiunio monstratur dicendo & in sic ingrediar ad regem: magnáque charitas erga vitam populi, dicendo ingressum suum ad regem non esse legitimum quia non erat vocata. & offerre se morti deliberat dicendo, & sicut perij perij: hoc est, quomodocunque contingat me petire ob talem ingressum, complector interitum.

Iuitque Mordochai: & fecit omnia quæ præceperat ei Esther. Vers. 17.

CAPVT V.

Die autem tertio. completo: tribus enim diebus ieiunauerat. *induta est Esther regalibus vestimentis, & stetit in atrio domus regiæ interioris contra basilicam regis: & rex sedebat super solium suum in consistorio palatij contra ostium domus.* Dictio interpretata prius *basilica* & deinde *consistorium*, Hebraïcè sonat domum: & ad literam significat regium tabernaculum ex auleis aureis seu sericis constans: qualibus videmus vti magnos reges in locis publicis. Et propterea describitur rex sedens super solium suum in hac domo contra ostium domus: tabernaculum enim prædictum domus regis & regni appellatur, & in ea sedens rex contra ostium domus ex lapidibus ædificatæ. Vers. 1. *Basilica quid.*

Cúmque vidisset rex Esther reginam stantem in atrio, placuit oculus eius: & extendit rex ad Esther virgam auream quæ erat in manu eius, accessitque Esther & osculata est summitatem. Iuxta Hebræum habetur: *& tetigit caput virgæ.* Nec explicatur modus tangendi: verisimile tamen est quòd osculando tetigit labijs. Vers. 2. *Esther accedit ad Assuerũ.*

Dixítque ad eam rex: quid tibi est Esther regina? & quæ est petitio tua? etsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. Vers. 3.

At illa respondit: si regi placet, veniat rex & Haman hodie ad conuiuium quod parauí ei. Vers. 4.

Dixítque rex, vocate citò Haman ad faciendum verbum Esther: & venit rex & Haman ad conuiuium quod parauerat Esther. Vers. 5.

Dixítque rex ad Esther postquam vinũ biberat abundanter. Iuxta Heb. habetur: *in conuiuio vini.* Et significanter nominatur vinum, vt lætificata corda ex vino describantur. *quæ est petitio tua, & dabitur tibi? & quæ est requisitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris, impetrabis.* Vers. 6.

Cui respondit Esther: petitio & requisitio mea est. Vers. 7.

Si inueni gratiam in oculis regis: & si regi placet dare petitionem meam & facere requisitionẽ meam: veniat rex & Haman ad conuiuium quod parauí. Iuxta Hebræum habetur: *quod faciam eis.* Paraturam se dicit. *& cras apériam regis voluntatem meam.* Vers. 8.

Egressus est itaq; illo die Haman lætus & alacer. uxta Hebræum habetur: *& bonus corde.* hoc est, non solum lætus extra, sed etiam intus in corde delectatus. *cumque vidisset Haman Mordochai in porta* Vers. 9.

porta regis, & non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde. Hinc clare apparet Mardocheum renuisse exhibere etiam minimum honorem Haman: & apocryphum esse quod scribitur in cap. 13. *timuit ne honorem Dei mei transferrem ad hominem.*

Ne minimũ honorem Amani deferre vult Mardochæus.

Vers. 10. *Et dissimulata ira venit in domum suam: misitque & venire fecit amicos suos, & Zeres uxorem suam.*

Vers. 11. *Et exposuit eis Haman magnitudinem diuitiarum.* Parui refert quod Hebraicè habetur: *honorẽ diuitiarum suarum & multitudinem filiorum suorum: & omnia quibus magnificauerat eum rex & quibus eleuauerat eum super principes & seruos regis.* materia enim non exigit tam exactam correctionem: & propterea multa in subsequentibus pertransibo.

Vers. 12. *Dixitque Haman: insuper non fecit venire Esther regina cum rege ad conuiuium quod fecit nisi me, & etiam in crastinum ego vocatus sum ab ea cum rege.*

Vers. 13. *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto quandiu videro Mordochæum Iehudæum sedentem in porta regis.*

Vers. 14. *Responderunt que ei Zeres uxor eius & ceteri amici: iube parari excelsum lignũ altitudinis quinquaginta cubitorum, & dic mane regi vt suspendatur super ipsum Mordochæi, & sic ibis cum rege lætus ad conuiuium: placuitque ei consilium, & iussit excelsam parari crucem.* Iuxta Hebræum habetur: *& fecit lignum*: genus enim non species patibuli significatur.

CAPVT VI.

VERS. 1. NOctem illam duxit rex insomnem. Iuxta Hebræum habetur: *In nocte illa euanuit somnus regis*: non enim voluntarius vigilauit, sed fugiente somno ab eo: disponente Deo per hæc media exaltationem Mardochei. *iussitque sibi afferri historias & annales priorum temporum.* Iuxta Hebræum habetur: *librum recordationum verborum dierum*: cuius mentio facta est in calce secundi capituli: *& fuerunt lecta coram eo.*

Vers. 2. *Et inuentum est scriptum quòd indicasset Mordochæus de Bigthana & Theres duobus eunuchis.* Deficiunt multæ dictiones: nam subiungitur: *regis ex custodibus mallunti: qui quæsierunt mittere manum in regem Achas-ueros*: repetitur enim res gesta scripta in capite 2.

Vers. 3. *Dixitque rex, quid honoris ac præmij.* Hebraicè habetur, *quid factum est honoris & magnitudinis Mordochæi superhoc?* censet enim rex magnum quid deberi Mardocheo: *& dixerunt pueri regis ministri eius, non est factum cum eo quicquam.*

Vers. 4. *Dixitque rex, quis est in atrio? Haman autem interius.* Legendum est: *exterius atrium domus regis intrauerat*: corrupta siquidem scriptorum vitio videtur littera. *ad dicendum regi vt iuberet Mordochæi suspendi in ligno quod parauerat ei.*

Vers. 5. *Dixeruntque pueri regis ad eum, ecce Haman stans in atrio: & dixit rex, ingrediatur.*

Vers. 6. *Ingressusque est Haman: & dixit ei rex, quid debet fieri viro quem rex vult honorare? & dixit Haman in corde suo: cui volet rex facere honorem magis quam mihi.*

Vers. 7. *Dixitque Haman ad regem: vir quem rex honorare cupit.*

Vers. 8. *Debet in domi vestibus regis & imponi super equũ qui de sella regis est.* Iuxta Hebræum clare habetur: *super quem equitat rex.* Ita quòd & vestem qua induitur rex & equum super quem equitat rex, proponit. *& accipere regium diadema super caput suum.*

Vers. 9. *Et primus de regis principibus ac tyrannis teneat equum eius.* Hebraicè hæc clausula legitur sic: *Et dabunt vestem & equum per manum viri ex principibus regis ducibus, & induent virum cuius rex vult honorem: & facient equitare ipsum super equum in platea ciuitatis, & vocabunt ante eum, sic fiet viro cuius rex vult honorem.* Officium principis proponitur induere & collocare super equum virum quem rex vult honorare: commune autem officium præcedentium manifestare voce intelligibili causam tanti honoris esse voluntatem regis.

Vers. 10. *Dixitque rex ad Haman: festina, & sumpta veste & equo fac ita vt locutus es Mordochæi Iehudæo qui sedet ante fores palatij.* Quæstio oritur eo quòd nihil dicitur de corona. Solutio est quòd cointelligitur etiam corona: vt testantur subiuncta regis verba:

Mardochæum ducẽte Amane equitat in equo & vadit regia per ciuitatem.

Cauc ne quicquam de iis quæ locutus es prætermittas: hinc enim apparet cuncta executioni mandata fuisse, quamuis singula non repetantur.

Vers. 11. *Tulitque Haman vestem & equum, & induit Mordochæi, & equitare fecit eum in platea ciuitatis: & clamauerunt ante eum, sic fiet viro cuius rex vult honorem.*

Vers. 12. *Reuersusque est Mordochæi ad portam regis: & Haman festinauit in domum suam lugens & operto capite.*

Vers. 13. *Et narrauit Haman Zeres uxori suæ & omnibus amicis suis omnia quæ acciderant ei: dixeruntque ei sapientes eius & Zeres uxor eius, si de semine Iehudæorum est Mordochæi ante cuius conspectum cadere cœpisti, non præualebis ei sed cadendo cades ante eum.*

Vers. 14. *Adhuc illis loquentibus cum eo, eunuchi regis venerunt: & festinauerunt ad faciendum venire Haman ad conuiuium quod parauerat Esther.*

CAPVT VII.

VERS. 1. VEnit itaque rex & Haman ad bibẽdum
Vers. 2. *cum Esther regina. Dixitque rex ad Esther etiam in die secunda postquam vino incaluerat.* Iuxta Hebr. habetur: *in conuiuio vini.* Nihil turpe significatur in rege: sed cùm esset æstiuum tempus (videlicet mensis tertius à Sole in Ariete) scriptũ est quòd iuerunt ad bibendum cũ regina: magis enim bibitur quàm comeditur æstiuo tempore: & lætificata iam corda ex vino significat conuiuium vini.

Quæ est petitio tua Esther regina & dabitur tibi, & quæ est requisitio tua etiam si dimidiam partem regni quæsieris impetrabis.

Vers. 3. *Ad quẽ illa respondit: si inueni gratiam in oculis tuis, ô rex, & si tibi placet, detur mihi anima mea in petitione mea, & populus meus in requisitione mea.*

Vers. 4. *Tradita enim sumus.* Iuxta Hebræum habetur: *Quia venimus venditi ego & populus meus in*

contritionem, occisionem, & interitum: propter pecuniam enim quam obtulerat Haman regi, dixit quia fuimus venditi.

Et vtinam in seruos & ancillas venderemur, esset tolerabile malum, & gemens tacerem. Iuxta Hebræum pro his vltimis sex dictionibus habetur: *tacui*: hoc est tacuissem: Hebræi siquidem nullum habent præteritum nisi indicatiui.

Nunc autem hostis noster est cuius crudelitas redundat in regem. Et hæc quoque clausula sic habetur in Hebræo: *quia non hostis curans in damno regis.* Sic iacet in Hebræo. Et nõ refertur ad taciturnitatem, sed ad venditionem: reddit enim rationem oblatæ pecuniæ quòd non ad repensandum damnum regis oblata est, sed in odium Iudæorum. Damnum autem regis appellat diminutionem prouentuum emersuram ex diminutis subditis regis interfectis Iudæis.

Vers. 5. *Respondítque rex Achas-ueros, & dixit ad Esther reginam: quis est iste & cuius potentiæ vt hæc audeat facere?* Iuxta Heb. habetur: *& vbi iste est qui implenit cor suum ad faciendũ sic?* Sententia est clara.

Vers. 6. *Dixitque Esther, vir hostis & inimicus noster est Haman iste malus: & territus est Haman à facie regis & reginæ.*

Vers. 7. *Rex autem iratus surrexit de loco conuiij, & ingressus hortum arboribus consitum.* Iuxta Heb. habetur: *de conuiuio vini ad hortum palatij*: hortus enim palatij significatur tam hîc quàm cum paulò post dicitur de horto nemoribus consito: vtrobique enim hortus palatij duntaxat scribitur.

Haman quoque stetit vt rogaret Esther reginam pro anima sua, vidit enim quòd paratum esset sibi à rege malum.

Vers. 8. *Qui cum reuersus esset de horto arboribus consito, & ingressus conuiuij locum, reperit Haman corruisse super lectulum in quo iacebat Esther: & ait, an etiam reginam vult comprimere me præsente, in domo meâ? verbum de ore regis exierat, & statim faciem Haman operuerunt*: tanquam exosi regi & indigni conspectu regis.

Vers. 9. *Dixitque Charbona vnus de eunuchis qui stabant in ministerio regis: en lignum quod parauerat Haman pro Mordochai qui locutus est.* Deficit, bonum: legendum est: *qui locutus est bonam super regem*: reuelando conspirationem factam contra regem.

Aman misere suspenditur. *Stat in domo Haman, altitudinis quinquaginta cubitorum: cui dixit.* Superfluit *cui* legendum est, *& dixit rex, suspendite eum super ipsum.*

Vers. 10. *Suspensúsque est Haman super lignum quod parauerat pro Mordochai: & ira regis quieuit.*

CAPVT VIII.

Vers. 1. *Die illo dedit rex Achas-ueros Esther reginæ domũ Haman hostis Iehudæorum: & Mordochai ingressus est ante faciem regis.* Qui hactenus fuerat in porta palatij regis assitus est ad ingrediendum coram rege: hoc est ad colloquium regium. ad conuersandum cum rege. *confessa est enim ei Esther quòd esset patruus eius.* Iuxta Hebræum habetur: *quia indicauit Esther quid ipse sibi.* Ratio translationis Mardochei ex porta ad conuersandum cum rege, redditur manifestata cognatio ab Esther inter ipsam & Mardocheum: erant enim patrueles, vt superius patet.

Tulítque rex annulum suum quem ab Haman amoueri iusserat, & tradidit illum Mordochai. Sũmarium contingentium in exaltatione Mardochei hic scribitur: summatur enim eius exaltatio in tribus. quorum primum est quòd tanquam affinis regis assitus est ad cõuersandum cum rege: secundum est quòd rex dedit Mardochæo annulum quem olim dederat Haman: dedit autem non absolutè, sed ad signandum literas in fauorem Iudæorum: tertium verò est quòd fuit Mardocheo prouisum de magnifica domo in qua habitaret. Vers. 2.

Annulum suum tradit Assuerus Mardochæo.

Hester autem constituit Mardocheum super domum suam. Iuxta Hebræum habetur: *& posuit Ester Mordochai super domũ Haman.* Ecce tertiũ.

Nec his contenta. Iuxta Hebræum habetur: *Et addidit Ester & locuta est coram rege, & procidit ante pedes eius: & fleuit & deprecata est eum vt transferet faceret malitiam Haman Agagitæ, & cogitationem eius quam cogitauit contra Iehudæos.* Prius narrata est gratia facta dicendo quòd dedit rex annulum Mardocheo: & nunc subiungitur modus quo impetrata est illa gratia, videlicet regina cum lacrymis genuflexa supplicante pro populo suo. Vers. 3.

Extendítque rex ad Esther virgam auream: & surrexit Esther, & stetit ante regem. Vers. 4.

Et ait: si regi placet & si inueni gratiam ante eum, & si recta est res ante regem, & placeo in oculis eius: scribatur ad reuocandum literas cogitationis Haman filij Medatha Agagitæ quas scripsit ad perdendum Iehudæos qui sunt in omnibus prouinciis regis. Vers. 5.

Quomodo enim potero videre malum quod inueniet populum meum? & quomodo potero videre interitum progeniei meæ? Vers. 6.

Dixítque rex Achas-ueros Esther reginæ & Mordochai Iehudæo: ecce domum Haman dedi Esther & ipsum fusi enderunt in ligno, eo quod misit manum suam in Iehudæos. Vers. 7.

Scribite ergo Iudæis. Iuxta Hebræum habetur: *Et vos scribite super Iehudæos sicut bonum in oculis vestris in nomine regis, & signate anulo regis*: clarè enim subditur literas fuisse scriptas ad principes &c. Vers. 8.

Quia littera scripta nomine regis & signata anulo regis, non retractabantur.

Vocatíque sunt scribæ regis in tempore illo in mense tertio (ipse est mensis Siuan) in vigesimatertia eius: & scriptum est iuxta omnia quæ præcepit Mordochai ad Iehudæos & ad satrapas & duces & principes prouinciarum quæ sunt ab India vsque ad Æthiopiam, centum & vigintiseptem prouinciarum, ad vnamquamque prouinciam iuxta scripturam eius & ad vnumquemque populum iuxta linguam eius, & ad Iehudæos iuxta scripturam & linguam eorum. Vers. 9.

Reuocantur damnata Iudæorum.

Scriptæque sunt epistolæ nomine regis Achas-ueros, & anulo ipsius signatæ: & missæ sunt per veredarios. Iuxta Hebræum habetur: *in manu cursorum in equis equitantium velocissima animalia, mulos filios equarum.* Mirum est quod in partibus illis adhuc nescirent vti fœminis equorum ad celeriter vehendum literas: crediderim id accidisse quia vnico tantum animali non mutato vehebatur cursor: & in longo itinere veloci motu durat plus mulorum genus quàm equorum. Vers. 10.

Qui per omnes prouincias discurrentes, veteres literas nouis nuncijs præmenerunt. Superflua est hæc clausula.

Quibus

Verſ. 11. *Quibus imperauit rex vt conuenirent Iudæos per ſingulas ciuitates & in vnum præciperent congregari, vt ſtarent pro animabus ſuis, & omnes inimicos ſuos cum coniugibus ac liberis & vniuerſis domibus interficerent atque delerent.*] Iuxta Hebræum habetur: *Quibus dedit rex Iehudæis qui in ſingulis ciuitatibus vt congregarentur & ſtarent pro animabus ſuis ad deſtruendum & ad occidendum & ad perdendum omnem fortitudinem populi & prouinciæ anguſtantium eos, paruulos & mulieres: & bona eorum in prædam.* Sic iacet in Hebræo, ſententia eſt clara. Vnum dumtaxat reſtat ambiguum an paruuli & mulieres iungantur cum præda an cum clade: ex eo tamen quòd literæ quas miſerat Haman in perniciem Iudæorum comprehenderant ſub clade paruulos & mulieres Iudæorum, par eſt vt paruuli & mulieres hoſtium ſub clade quoque concludantur.

Verſ. 12. *Et conſtituta eſt per omnes prouincias regis Achaſ-ueros vna vltionis dies, tertiadecima menſis duodecimi: ipſe eſt menſis Adar.*

Verſ. 13. *Summaque epiſtola fuit vt in omnibus terris ac populis qui regis Aſſueri imperio ſubiacebant notum fieret.*] Iuxta Hebræum habetur, *pons edictum in ſingulis prouinciis patens omnibus populis.* Deinde ſequitur, *& paratos eſſe Iehudæos ad diem illum ad vlciſcendum ſe de inimicis ſuis.* Sententia eſt clara.

Verſ. 14. *Cu fores equitantes velociſſima animalia mulos, egreſſi ſunt accelerantes & impulſi verbo regis: & edictum poſitum eſt in Suſan palatio.*

Verſ. 15. *Mardochæus autem egreſſus eſt a facie regis in veſtibus regiis, hyacinthinis videlicet & aerinis.*] Iuxta Hebræum habetur: *in veſte regia aërina & candida.* Interpres enim colorem hyacinthinum ſæpiſſimè interpretatus videtur coloré quē Hebræi aſſerunt eſſe colorem aëris denominatú à colore quem præſe fert mare, qui ſapphiro ſimilis eſt.

Coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio atque purpureo. Iuxta Hebræum habetur, *& corona aurea magna, & amictus byſſo & purpura.* Summæ veſtes erant iſtæ.

Verſ. 16. *Omniſque ciuitas.*] Iuxta Hebræum habetur, *& Suſan ciuitas exultauit & lætata eſt.* communis ſiquidem lætitia quamuis non omnium narratur. *Iehudæis autem fuit lux & lætitia, & gaudium & honor.*

Verſ. 17. *Apud omnes populos vrbes atque prouincias quocunque regis præcepta veniebant, mira exultatio, epulæ atque conuiuia & feſtus dies.*] Iuxta Hebræum habetur: *Et in vnaquaque prouincia & in vnaquaque ciuitate & loco ad quem verbum regis peruenit, lætitia & gaudium Iehudæis, conuiuium & dies bonus.* hoc eſt iucundus, *& multi de populis terræ fiebant Iehudæi.*

Verſ. 18. *Quia ceciderat pauor Iehudæorum ſuper eos.* Iſti qui timore conuertebantur ad Iudaiſmum, in numero hoſtium Iudæorum ſe ſupputandos credebant aut ſuſpicabantur: & propterea præueniendo tempus vindictæ, profeſſi ſunt Iudæorum religionem.

CAPVT IX.

Verſ. 1. *IN duodecimo autem menſe (ipſe eſt menſis Adar) in tertiadecima die eius, qua peruenit verbum regis & edictum eius vt fieret: in die qua ſperabant inimici Iehudæorum dominari eis, verſa vice dominati ſunt Iehudæi odientibus ſe.*

Congregatique ſunt per ſingulas ciuitates & oppida & loca.] Iuxta Hebr. habetur: *Congregati ſunt Iehudæi in ciuitatibus ſuis in omnibus prouinciis regis Achaſueros ad mittendum manum in quærentes malum eorum: nullúſque ſtetit ante eos, quia ceciderat pauor eorum ſuper omnes populos.* Verſ. 2

Et omnes principes prouinciarum & ſatrapæ & duces & facientes opus regis, extollebant Iehudæos: quia ceciderat pauor Mordochæi ſuper eos. Verſ. 3.

Quem principem palatij & plurimum poſſe cognouerant: fama quoque nominis eius creſcebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat. Corrige hanc clauſulam. *Quia magnus Mordochæus in domo regis, & fama eius ambulans per omnes prouincias: quia vir Mordochæi proficiens & creſcens.* Ecce quæ ſpargebãtur de Mardochęo per omnes prouincias ſubiectas regi Aſſuero, propter quæ timebatur. Verſ. 4.

Percuſſerúntque Iehudæi omnes inimicos ſuos plaga magna: & occiderunt eos, reddentes eis quod ſibi paranerant facere.] Iuxta Hebr. habetur, *plaga gladij & occiſionis & perditionis: & fecerunt contra odientes eos iuxta voluntatem ſuam.* Verſ. 5. Iudæi occidũt ſuos inimicos.

Et in Suſan occiderunt Iehudæi & perdiderunt quingentos viros. Verſ. 6.

Et Parſandatham & Dalphon & Aſpatham. Verſ. 7.

Et Poratham & Adal-iam & Aridatham. Verſ. 8.

Et Parmaſtham & Ariſai & Aridai & Vaizatham. Verſ. 9.

Decem filios Haman filij Medathæ hoſtis Iehudæorum occiderunt: in prædam autem non miſerunt manum ſuam. Verſ. 10.

In die illa perlatus eſt numerus occiſorum in Suſan, coram rege. Verſ. 11.

Dixítque rex Eſter regina: in Suſan occiderant Iehudæi quingentos viros & decem filios Haman, in reliquis prouinciis regis quid fecerunt? qua eſt igitur petitio tua & dabitur tibi, & quæ requiſitio tua vltra & fiet? Verſ. 12.

Et dixit Eſter: ſi regi placet, detur etiam eras Iehudæis qui ſunt in Suſan poteſtas faciendi ſecundum edictum hodiernum, & decem filios Haman ſuſpendant in ligno. Verſ. 13.

Et dixit rex vt fieret ſic, & poſitum eſt edictum in Suſan: & decem filios Haman ſuſpenderunt. Verſ. 14.

Congregatique ſunt Iehudæi qui erant in Suſan etiam die quartadecima menſis Adar: & interfecerunt in Suſan trecentos viros, in prædam autem non miſerunt manum ſuam. Verſ. 15.

Et reliqui Iehudæi qui erant in prouinciis regis congregati ſunt & ſteterunt pro animabus ſuis & quieuerunt ab inimicis ſuis: & occiderunt de hoſtibus ſuis ſeptuaginta quinque millia, in prædam autem non miſerunt manum ſuam. Verſ. 16.

Dies autem tertiusdecimus menſis Adar vnus apud omnes interfectionis fuit: & quartodecimo die cadere deſierunt, quem conſtituerunt eſſe ſolennem vt in eo omni deinceps tempore vacarent epulis, gaudio atque conuiuiis.] Iuxta Hebr. habetur: *In die tertiodecimo menſis Adar: & quieuerunt quartodecimo die eius, & fecerunt illum diem conuiuij & lætitiæ.* Iudæi ſcilicet extra Suſan ſparſi per prouincias. Verſ. 17.

Iehudæi autem qui erant in Suſan, tertiodecimo & quartodecimo die eiuſdem in cæde verſati ſunt: & quintodecimo die eiuſdem quieuerunt, & fecerunt eum diem conuiuij & lætitiæ. Verſ. 18.

Ideirco Iehudæi villam habitãtes in ciuitatibus non muratis, faciunt diem quartumdecimum menſis Adar lætitiæ & conuiuij: exultántque in eo, & mittunt ſibi mutuo partes. Verſ. 19.

Scripſitque

Vers. 20. *Scripsitque Mardochai verba hæc: & misit literas ad omnes Iehudæos qui erant in omnibus prouinciis regis Achaſ-ueros, propinquis & remotis.*

Vers. 21. *Statuendo eis vt quartumdecimum & quintumdecimum diem mensis Adar profestis susciperent: & reuertente semper anno solemni celebrarent honore.*

Vers. 22. *Juxta dies quibus quieuerunt Iehudæi ab inimicis suis, & mensem qui conuersus fuerat eis de dolore in lætitiam & de luctu in diem iucundum: essentque isti dies conuiuij & lætitiæ, & mitterent sibimmicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largirentur.*

Vers. 23. *Susceperúntque Iehudæi in solemnem ritum quæ fucere cœperãt: & quæ Mardochæus scripserat ad eos.*

Vers. 24. *Haman enim filius Medathæ stirpis Agag.* Corrige vt suprà. *Agagites hostis omnium Iehudæorum cogitauit contra Iehudæos ad perdendum eos: & proiecit pur, (hoc est sortem) ad conterendum & perdendum eos.*

Vers. 25. *Cúmque venisset Ester ante regem, dixit rex cum epistola alia, conuertatur cogitatio eius mala quam cogitauit contra Iehudæos in caput eius: & suspenderunt eum & filios eius in ligno.*

Vers. 26. *Idcirco vocauerunt dies istos purim.* Quod autem postea subditur, *eo quod pur id est sors in vnum missa fuerit.*] Iuxta Hebr. habetur, *super nomen sortis*, ratio enim Persici nominis *purim*, redditur quia est nomen sortis: Hebræi enim nomine Persico significant hos dies *purim* id est sortes.

Put Persicè sortem significat.

Et cuncta quæ gesta sunt epistola, id est, libri huius volumine continentur.

Vers. 27. *Quæque sustinuerunt & quæ deinceps immutata sunt.*] Iuxta Hebræum habetur: *super sic, super omnia verba epistolæ istius: & quia viderunt super sic, & quid euenit eis. Affirmarunt & susceperunt Iehudæi super se & super semen suum & super omnes copulatos sibi: quod non omitterent celebratio istorum duorum dierum iuxta scripturam eorum & tempus eorum, singulis annis* Summarium est comprehendens statutum de his duobus diebus seruandis: & restinctionem visorum & successuum fuisse affirmatam & receptam ab omnibus Iudæis.

Vers. 28. *Et dies isti commemorabuntur & fient in omni generatione & generatione, familia & familia, prouincia, & prouincia, ciuitatéque & ciuitate: & dies isti purim non transibunt de medio Iehudæorum, & memoria eorum non desines à semine eorum.*

Vers. 29. *Scripserúnt que Ester regina filia Abichail & Mordochæus Iehudæus secundum epistolam: vt omni studio dies isti solemnes sancirentur in posterum.*

Vers. 30. *Et miserunt literas ad omnes Iehudæos in centum & vigintiseptem prouinciis regni Achaſ-ueros: verbis pacis & veritatis.*

Vers. 31. *Ad firmándum dies istos sortium in temporibus eorum secundum quod statuit eis Mordochæus Iehudæus & Ester regina, & secundum quod firmauerũt super animam suam & super semen suum: verba ieiuniorum & clameris eorum.* Promittunt commemorare ieiunia versa in conuiuia, & clamores luctus versos in gaudia.

Vers. 32. *Et omnia quæ libri huius qui vocatur Ester historia continentur.* Lege hanc clausulam sic: *Et dictum Ester firmauit verba sortium istarum: & fuit scriptum in libro.* Auctoritas reginæ stabiliuit festiuitatem sortium: & hoc fuit scriptum in libro annalium Iudæorum, vt par est credere in Ierusalem vbi erat templum.

CAPVT X.

Vers. 1. *Rex autem Achaſ-ueros posuit tributum super terram & insulas maris.*

Vers. 2. *Cuius fortitudo & imperium & dignitas atque sublimitas qua exaltauit Mardocheum.* Corrige hanc clausulam. *Et omne opus fortitudinis eius & potentiæ eius, & expositio magnitudinis Mordochæi quã magnificauit illum rex, nónne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum regum Medorum atque Persarum?* quo libro caremus.

Vers. 3. *Quia Mordochæus Iehudæus, secundus à rege Achaſ-ueros fuit & magnus apud Iehudæos, & acceptabilis plebi.* Iuxta Hebræum habetur. *& acceptus multitudini fratrum suorum.* Sententia est clara. & scito quòd in hac clausula, videlicet, *quærens bonum populo suo, & loquens pacem omni semini suo.* hoc est vniuerso populo Iudaico, terminatur liber Ester iuxta Hebraicam veritatẽ. Ita quòd sex seu septem sequentia capitula sunt apocrypha: & propterea non exponemus illa.

Reliqui libri Ester inter Apocrypha reponũt.

Et hoc in loco terminamus commentaria librorum Historialium veteris Testamenti: nam reliqui (videlicet Iudith, Tobiæ & Machabæorum libri) à diuo Hieronymo extra canonicos libros supputantur, & inter apocrypha locantur, cum libro Sapientiæ & Ecclesiastico: vt patet in prologo galeato. Nec turberis nouitie si alicubi repereris libros istos inter Canonicos supputari, vel in sacris Conciliis vel in sacris Doctoribus. Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba Conciliorum quàm Doctorum: & iuxta illius sententiam ad Chromatium & Heliodorum Episcopos, libri isti (& si qui alij sunt in canone Bibliæ similes) non sunt Canonici, hoc est non sunt regulares ad firmandum ea quæ sunt fidei: possunt tamen dici Canonici (hoc est regulares) ad ædificationem fidelium: vtpote in Canone Bibliæ ad hoc recepti & auctorati, cum hac enim distinctione discernere poteris & dicta Augustini in secundo de doctrina Christiana, & scripta in Concilio Florentino sub Eugenio quarto: scriptáque in prouincialibus Conciliis Chartaginensi & Laodicensi, & ab Innocentio ac Gelasio Pontificibus.

Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei.

Romæ anno salutis millesimo quingentesimo trigesimo secundo: ætatis verò meæ sexagesimo quarto, die decimanona Iulij, Amen.

Commentariorum Thomæ de Vio Caietani Cardinalis sancti Xysti in omnes historiales veteris Testamenti libros,

FINIS.

LIBER

THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. XISTI, IN LIBRVM IOB COMMENTARII.

QVEMADMODVM *quinque Moysis libros, & reliquos veteris Testamenti historiales libros (à Iosue vsque ad Esther) secundùm sensum literalem iuxta Hebraïcam veritatem exposuimus, ita librum Iob declarare intendimus. Et quoniam doctrinalis est, nec certo gaudet authore, prælibanda sunt duo: alterum, quòd materia libri est diuina prouidentia, præcipuè circa actiones humanas, & qualitas eius; nam disputatio inter Iob & amicos eius, circa qualitatem diuinæ prouidentiæ versatur: an videlicet sit talis, quòd etiam iustis mala præsentis vitæ dispenset. Principium autem libri de diuina prouidentia erga humanas actiones tractat: finis verò etiam circa alia diuinam manifestat prouidentiam.* Libri huius materia, *Alterum, quòd rationabiliter creditur Moyses author libri huius.* Author. *Nam cùm liber iste non tractet de rebus gestis ab Israëlitis, seu inter Israëlitas, nec tradat doctrinam alicuius Prophetæ Israëlitæ; quicumque alius dicatur author libri, emergit quæstio, Quis canonizauit hunc librum in populo Israël? perspicuum est enim hunc librum inter Canonicos apud Hebræos libros supputari: at si Moyses huius libri author creditur, nulla supereſt quæstio, quomodo inter Canonicos Hebræorum libros insertus fuerit: ex eo enim quòd Moyses scripsit illum, Canonicus fuit: quemadmodum quicquid scripserunt Apostoli, Canonicum apud Christianos est. Nec obstat quòd sine titulo Moysi, liber iste habetur: quoniam nec in Genesi inscribitur Moyses author, sed quemadmodum ab Hebræis habemus Moysem scripsisse Pentateuchum, ita & librum Iob.*

CAPVT I.

Vers. 1. VIR ERAT IN TERRA HVS NOMINE IOB. Vltima litera deberet esse z: scribendum enim esset *Huz*. Nomen regni esse *Huz*, patet *Ierem.* 25. vbi clarè dicitur, *& omnibus Regibus terræ Huz*. Sita autem dicitur in Arabia Petræa in confinio Idumææ. Et hoc quadrat verbis Ieremiæ Threnorum 4. *Gaude & lætare filia Edom quæ habitas in terra Huz.* hoc est, quæ extendis habitationem tuam, comprehendendo etiam terram Huz. Ierem. enim 25. secundùm nominantur Reges terræ Huz & Edom. Et quamuis multos Huz in Scriptura legamus, videlicet vnum ex genere Chorræorum, qui habitauerunt in monte Schir ante Esau, *Genes.* 36. alium filium Nachor fratris Abrahæ, *Genes.* 22. & ante vtrumque *Genes.* 10. Huz filium Aram, filij Sem, filij Noë; à primo tamen Huz filio Aram rationabile est nominatam fuisse terram Huz. Fuit itaque

Huz *quid?* Ierem. 25. 24. *Huz terra. vbi sita.* Thren. 4. 21. *Vnde sic dicta.*

Iob Arabs ex Arabia Petræa.

Iob Arabs ex Arabia (vt dictum est) Petræa, ad differentiam tam Arabiæ deserta, quam Arabiæ felicis.

Nec est vertendum in dubium, an Iob fuerit homo verus, an homo fictus, vt in comœdiis finguntur homines à Poetis: nam *Ezechiel.* 14. manifestè supputatur inter viros naturales, dicendo, *Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noë, Daniel & Iob*, &c. pariter enim appellatur à Deo Iob vir, & Daniel & Noë: & propterea sicut non dubitatur de Noë & Daniele; ita non est dubitandum de Iob, an vere fuerit in rerum natura existens. Accedit ad hoc authoritas Epistolæ *Iacobi* 5. & confirmatur; quia si Moyses finxisset hominem speculum patientiæ, non pinxisset illum cum delicto aliquo: Iob autem viare fatetur in calce capituli 39. se bis malè loquutum fuisse in collatione habitâ cum sociis. Et iterum confirmatur: quia si non res gesta, sed comœdia esset hæc, valde superfluè author libri introduxisset Elihu loquentem à 32. capitulo vsque ad 37. inclusiuè, absque aliquo respondente ei.

Ezech. 14. 14.

Iobi vera historia.

Iob ex quo genere natus, incertum.

Ex qua autem gente paternum genus duxerit, incertum est, non solum ea ratione, quia alij ex genere Eliu, alij ex genere Nachor fratris Abrahæ illum gignunt, sed potissimè, quia nulla coniecturæ ratio ad genus Iob habendum sufficiat ex Scriptura facta.

Iobis laus & commendatio.

ET ERAT VIR ILLE SIMPLEX. Iuxta Hebræū habetur *perfectus*. Hebræo more prius describitur in vniuersō, & deinde per partes. Prius narratur quòd erat vir perfectus, & in hoc comprehenditur vniuersa bonitas moralis: deinde distinguendo per partes, subditur: ET RECTVS ET TIMENS DEVM, nomen est *Elohim*. ET RECEDENS A MALO. Iuxta Hebræum habetur, *& recedens a malo*. Ad insinuandum perseuerantiam declinandi a malo culpæ, vtitur verbo futuri temporis. Vtraque autem parte iustitiæ (videlicet facere bonum, & declinare à malo) præditus describitur Iob. nam *rectus* scribitur quo ad bene facere: *recedens* autem *a malo*, quo ad alteram iustitiæ partem; medius verò interponitur timor *Elohim*: hoc est, *iudicis*, non istorum, vel illorum, sed simpliciter & absolutè, vtpote iudicis omnium: medius, inquam, scribitur, ad insinuandum tam facere bonum, quam declinare a malo placuisse Iob ex timore Elohim: & in hoc virtutes Iob præferuntur virtutibus Ethnicorum, qui absque relatione ad Deum iudicem elegerunt bonos mores, & declinarunt a malis, nihil credendo diuini iudicij erga bonos, vel malos homines.

Iob cur dicatur timens Deum, & non diligens Deum.

Sed non ex hac quæstione, cur Iob describitur *timens Elohim*, & non, *diligens Elohim*: cum minus quadret perfectioni timor, quam amor Dei, & Iob describatur perfectus: minus quoque quadret timorem Dei esse rationem virtutum; hoc enim proprium est amori ipsius Dei: vt Paulus Apostolus diffusè docet 1. *ad Corinth.* 13. Solutio est quòd non est hic sermo de timore Dei excludente amorem Dei, sed de timore filiali, ex amore Dei procedente simul cum vniuersis virtutibus moralibus: fit autem in litera timoris potius, quam amoris, mentio, quia de diuina prouidentia tractando, timor Dei directè fidem diuinæ prouidentiæ testatur: amor autem Dei, etiam à non credentibus diuinis iudicia, exhibendus Deo commendatur: aiunt enim quòd non valemus reddere Diis æquivalens. Ex hoc igitur quod de diuina prouidentia erga singulos homines tractatur, oportuit Iob commendare de timore *Elohim*: vtpote proprio tolle fidei Iob de diuinis iudiciis erga singulos homines.

NATIQVE SVNT EI SEPTEM FILII, ET TRES FILIÆ. Vers. 2.

ET FVIT POSSESSIO EIVS SEPTEM MILLIA OVIVM, ET TRIA MILLIA CAMELORVM, QVINQVAGINTA QVOQVE IVGA BOVM, ET QVINGENTÆ ASINÆ, AC FAMILIA MVLTA NIMIS. Iuxta Hebræum habetur *valde*. Sicut etiam quod legitur *aratra*, Hebraice habetur *paria*. Sed hæc minutula sunt. Ex tot tamen paribus boum innuitur amplitudo magna agri arandi: ideo enim boues per paria describuntur, vt aratorij boues intelligantur. In cuius signum subiunguntur boues arantes cùm capti fuerunt. ERATQVE VIR ILLE MAGNVS INTER OMNES ORIENTALES. Iuxta Hebræum habetur, *magnus pra omnibus filijs Orientis*. Magnitudo potentiæ & opum, relatiue ad alios ditiores ac potentes in regionibus Orientis, manifestatur. Et ex hoc innuitur quòd Iob erat Princeps, seu Rex terræ Huz: ex eo enim quòd præfertur magnitudine omnibus filiis Orientis, cùm multi essent Principes, seu Reges in Oriente (vt patet ex historia Geneseos tempore Abrahæ), consequens est quòd Iob maior cunctis Principibus Orientis insinuetur Princeps regni Huz. Vers. 3.

Eorum paria. & Iobum aratra.

Iobi laus à magnitudine.

Iob Princeps terræ Huz.

ET IBANT FILII EIVS, ET FACIEBANT CONVIVIA. Iuxta Hebræum habetur, *Et ibunt filij eius, & facient conuiuium*. Futuri temporis verba scribuntur, & refertur futurum non ad tempus scribentis, sed ad tempus præteritum significatum, dicendo, *& fuit vir ille magnus pra omnibus filijs Orientis*. habet enim Hebraica phrasis hunc scribendi stylum, vt relatiue ad præmissum tempus vtatur sæpissimè futuro tempore. Ad insinuandum itaque quòd Iob fuit prius maior omnibus Orientalibus, & postea filij eius celebrarunt conuiuia, describitur magnitudo in præterito, & conuiuium in futuro. Potest nihilominus significari per hæc verba futuri temporis perseuerantia conuiuiorum. nam & hoc quoque habet Hebraica phrasis, vt futuro vtatur tempore, ad significandum perseuerantiam actionum: vt hinc intelligamus conuiuia ista filiorum Iob fuisse frequentia. PER DOMOS, VNVSQVISQVE IN DIE SVO. rectius legeretur, *domus vnius cuiusque die suo*. Distributio locorum, personarum, & temporum simul significatur: personarum quidem quòd vnusquisque filius; locorum verò in domo propria cuiusque; vnde inferius, subditur mors filiorum in domo primogeniti: temporum autem quòd in die suo, hoc est, sibi deputato iuxta ordinem filiorum. Nec narratur quantum temporis intercedebat inter conuiuium & conuiuium: nescimus enim an menstrua fuerint, an magis crebra, vel rara. Rationi proculdubio consentaneum est quòd moderatum temporis spatium conuiuium à conuiuio separabat: alioquin non fuissent delectabilia; quotidiana enim conuiuia abominationem pariunt. Et ex diuersitate domorum insinuatur quòd filij Iob fuerunt vxorati erant: vtpote habentes singuli, domos Vers. 4.

Conuiuia frequentata.

Filij Iob.

mos proprias. ET MITTENTES VOCABANT. Iuxta Hebræum habetur, *& mittent, & vocabunt*, TRES SORORES SVAS, VT COMEDERENT ET BIBERENT CVM EIS. Futuri temporis sunt verba, rationibus supradictis: & ex ipsa missione ad inuitandum sorores ad conuiuia, insinuatur quòd filiæ Iob erant iam nuptæ, non habitantes cum fratribus suis, sed cum viris propriis. Et in hoc maior felicitas describitur Iob: vtpote qui filiis vxores & domos proprias, & filiabus maritos iam dederat.

Eius filiæ.

Iobis felicitas.

Vers. 5. CVMQVE IN ORBEM TRANSISSENT DIES CONVIVII, MITTEBAT AD EOS IOB, ET SANCTIFICABAT ILLOS. Sacrificaturus Iob pro peccatis filiorum, præmittit nuncios, ad monendum eos vt discutiant internas cogitationes atque affectiones, quas habuerunt in conuiuiis, & internâ pœnitudine redeant ad seipsos: sciebat enim quòd holocausta non delerent peccata impœnitentium. Sanctificare itaque, seu præparare (vtrumque enim Hebraica dictio sonat) filios per nuncium, nihil aliud erat, quàm monere eos ad resipiscendum à peccato si quod commisissent in conuiuiis. SVRGENSQVE DILVCVLO, OFFEREBAT HOLOCAVSTA PER SINGVLOS. Iuxta Hebræum habetur, *& surget diluculo, & offeret holocausta numero omnium ipsorum.* Futurum tam *surget*, quàm *offeret*, refertur ad præteritum, *& misit Iob, & sanctificauit*, seu *præparauit eos*: ad placandum siquidem Deum, pœnitentibus filiis offerebat holocausta tot, quot erant filij. Et hinc patet quòd Iob non solùm erat Princeps, sed etiam Sacerdos, non legalis (hoc est, secundùm legem Mosaïcam) sed iuxta morem antiquum primogenitus erat Sacerdos. DICEBAT ENIM, NE FORTE PECCAVERINT FILII MEI, ET BENEDIXERINT DEO IN CORDIBVS SVIS. Iuxta Hebræum habetur: *forte peccauerunt filij mei, & benedicent Elohim in cordibus suis.* Si *benedicere* poneretur hîc pro *maledicere*, sequeretur hoc absurdissimum quòd Iob dubitasset quòd filij sui essent non solùm peccatores, sed pessimi; tum quoniam blasphemare Deum ore, quamuis graue crimen sit, grauissimum tamen est blasphemare Deum etiam corde: multitudinem magnam videmus blasphemam, sed ex abusu maledicentiæ, vel ex ira, sed non ex corde; aiunt enim ipsimet, quòd non intendunt Deum blasphemare: tum quoniam rarissimum est blasphemare Deum non linguâ, sed corde: quapropter filij Iob sceleratissimi habiti fuissent apud patris suspicionem, si dubitasset Iob quòd non linguâ, sed corde maledixissent Deo. Esse autem hoc absurdum, ex eo patet, quòd non fuisset Iob perfectus, nisi educasset filios in timore Dei, & bonis moribus. Sumitur itaque *benedicere* propriè pro gratiarum actione, pro laude Dei: & est sensus quòd Iob dubitabat filios in conuiuiis peccasse, & postea eosdem agnouisse quidem diuina beneficia, & non cogitasse super peccatis commissis, & sic pertransisse impœnitentes. Hic est sensus literalis, quadrans & filiis bene instructis, & patris dubitationi, & proprietati verborum, & contextui: propterea enim temporis præteriti est, *forte peccauerunt filij mei*, & in futuro subiungitur, *& benedicent Elohim*, vt ipsa diuersitas temporum insinuet tum quòd *benedicere Elohim* diuersum est à *peccare*, tum quòd *benedicere Elohim* postremum erat. Et ex hoc quòd istæ duæ filiorum actiones duntaxat versabantur in cogitatione Iob, insinuatur exclusio tertiæ actionis, videlicet resipiscentiæ à peccato. Quadrat & hic sensus frequenti vsui: nam consueuerunt viri timentes Deum, in fine conuiuij benedicere Deum (saltem dicendo, *laudetur Deus qui contulit nobis tot bona*) & hilares ac iucundi soluere conuiuium. Quod autem dicitur, *in cordibus suis*, ad vtrumque refertur, peccatum videlicet, & benedictionem: dubitauit enim, *forte peccauerunt filij mei in cordibus suis*, hoc est, peccatis non solum loquacitatis & ioci, sed etiam penetrantibus vsque ad cor: & similiter quòd postea applicauerint cor ad gratias agendum Deo duntaxat, & sic impœnitentes pertransierint. SIC FACIEBAT. Iuxta Hebræum habetur, *sic faciet Iob.* Perseuerantia enim sic faciendi verbo futuri temporis significatur. CVNCTIS DIEBVS. non simpliciter & absolutè, sed post completa conuiuia filiorum.

Sanctificare hic, quid?

Iob Sacerdos.

Benedicere, de gratiarum actione, & laude Dei.

Vers. 6. QVADAM AVTEM DIE CVM VENISSENT FILII DEI VT ASSISTERENT CORAM DOMINO. Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit dies, & venerunt filij Elohim ad manendum coram Iehouah.* ET VENIT ETIAM SATAN INTER EOS. Tam filij *Elohim* (hoc est, Angeli sancti, appellati filij *Elohim*, eo quòd filialiter ministrant Deo iudici ac gubernatori omnium) quàm Satan venisse scribuntur: quia reuera non semper coram Deo sunt, quatenus consulentes Deum, sed crebrò ex propriis officiis erga nos eunt ad Deum, hoc est, ad officium petendi à Deo: Angeli quidem ad petendum pro nobis, & ad consulendum, quid Deus velit agi ab ipsis erga nos, citando nostra opera, merita, occasiones, impedimenta, & huiusmodi: Satan verò ad petendum potestatem faciendi quod cupit. *Venire* igitur Angelorum & Satan ad Deum, est ex officiis erga nos gestis ad officium petendi à Deo applicare intellectus & voluntates suas. Nomen autem *Satan* Hebraicum est, Latinè *aduersarius*: Dæmon siquidem etsi durante in hac vita humano genere, aduersarij officio semper fungatur contra nos, aptissimè tamen nominatur hic Satan: quia ad aduersandum venerat, & ab aduersando. Describitur quoque non venisse absolutè, sed venisse inter sanctos Angelos: tum propter similem naturam ipsius, & Angelorum: tum præcipuè propter improbitatem ipsius, ad inferendum se comitem Angelorum. Iniquitas siquidem eius insinuatur per hanc concomitantiam, quod non est de integritate vniuersi, non spectat ad integritatem naturæ eius: sed adiectitia est, & velut improbus comes, inferens se inter bonos. Nec caret veritate literali, quòd fuit dies quo isti venerunt: quoniam etsi Angeli custodes nostri quotidie (vt par est credere) Deum consulant circa agenda, hodie isti, cras illi; Satan tamen non semper permittitur venire ad petendum à Deo potestatem faciendi quod cupit, sed quandoque: & propterea certo die venit, & quandocunque venit, venit inter sanctos Angelos, qui quotidie veniunt ad intercedendum pro nobis. Describuntur autem venientes ad manendum coram *Iehouah*. quia sancti Angeli recurrunt ad firmiter perseuerandum interpellando pro nobis, donec diuinam agnoscant definitionem: dictio enim Hebraica sonat *stare*, non

Filij Dei, de Angelis.

Venire Angelorum & Satana ad Deū, quid.

Satan, pro aduersario.

Angeli custodes quotidie, Satan aliquando solum ad Deum venire dicuntur.

qualitercunque, sed *firmiter*: & ideo interpretatur *manere*. Mutatur autem diuinum nomen dicendo coram *Iehouah* (quod est nomen proprissimum Dei: est enim illud quod vocant tetragrammaton, sonans fontem essendi omnibus rebus) ad insinuandum quòd vnus atque idem est Deus qui dat esse rebus omnibus, & qui iudex est & examinator actionum omnium tam spiritualium creaturarum, quàm hominum.

Iehouah nomen tetragrammaton.

Vers. 7. CVI DIXIT DOMINVS. Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit Iehouah ad Satan.* Diuinum *dicere* ad Angelos, seu homines, est *facere*: loquitur enim Deus quandoque sermone sensibili, faciendo voces sentibiles in aëre: vt in Baptismo & in transfiguratione Christi patet; quandoque sermone imaginario, faciendo in imaginatione hominis vel nouas species, vel compositionem nouam specierum inuentarum in imaginatione hominis; vt in vtroque somnio Salomonis patet: quandoque sermone intelligibili, faciendo nouas species in intellectu: vel, quod communiter videtur verificari, ordinando & componendo inuentas in intellectu species, ad manifestandum quod intendit manifestare: & hoc modo locutus est Deus ad Satan: mouit enim species in intellectu Satan ad manifestandum ei diuinam interrogationem.

Dicere Dei pro facere. Dicit, seu loquitur Deus creaturis rationabilibus tripliciter.

Intellectionis humanæ & Angelicæ disparitas.

Vbi aduerte, quòd inter homines & spirituales creaturas disparitas est in hoc, quòd homines non semper percipiunt à quo imaginatio propria, seu intellectus proprius mouetur, quia pendet notitia humana ex sensibus: spirituales verò creaturæ simul percipiunt species nouiter compositas, & a quo sunt nouiter compositæ: & propterea percipiunt simul locutionem & loquentem; habent enim intellectus naturaliter solutos ab impedimentis cognoscendi mouentem intellectus eorum: & propterea Satan simul percepit interrogationem & interrogantem.

Iehouah essendi fons.

Nominatur autem hic Deus *Iehouah* (hoc est, *fons essendi*) vt ipsa prima causa intelligatur curam gerere eorum, quæ fiunt etiam à Dæmonibus aduersariis nostris. VNDE VENIS? Iuxta Hebræum habetur: *vnde venies?* in tempore futuro. Non est simplex interrogatio: sed est interrogatio cum increpatione perseuerantis in malè veniendo: consueuimus enim affluctos à malis officijs venire machinando ad aliud maleficium, increpando interrogare, vnde venies? significantes per hoc frequentiam malè veniendo: perspicuum est enim quòd Satan semper a malis officijs machinando ad aliud maleficium, venit ad petendum à Deo quod cupit: & propterea cum increpatione interrogatur, *vnde venies?* Interrogatur autem à Deo, non vt ignotum Deo manifestet, sed vt inuitus profiteatur malum officium à quo excitatus est ad veniendum petiturus à Deo: est enim interrogatio non pura, sed iudicialiter coactiua ad confitendum malum patratum. ET RESPONDIT SATAN AD IEHOVAH, ET DIXIT. Facile est intelligere modum quo Satan loquitur Deo. nam quemadmodum nos elevata mente intellectualiter offerimus Deo desideria nostra, & confitemur peccata nostra; ita Dæmones & Angeli intelligibili sermone alloquuntur Deum. Coactus autem diuini examinis vi, respondisse scribitur Satan ipsi primæ causæ, propter rationem iam dictam: CIRCVMIVI TERRAM ET PERAMVLAVI EAM. Iuxta Hebræum habetur: *ab extendendo in terra & ab eundo in ea.* Dictio tamen interpretata *extendere*, potest quoque deriuari à visione qua in momento simul cuncta videntur: sed quia diuino intuitui appropriari videtur apud Hebræos, ideo ab extensione deducta est. Hebraico autem more præposterus est ordo: nam minus est ire per terram, quàm extendere se per eam: fatetur enim iuisse sic vt extenderit se per terram totam, proculdubio aduersandi causa toti humano generi sparso super terram: hoc est enim malum officium à quo excitatus est vt compareret petiturus coram Deo. Modus autem quo Satan mouetur de loco ad locum super terram, magno eget tractatu, qui in secundo Sententiarum diffusè à Theologis discutitur.

Satanæ à Deo interrogatus.

Cur?

Satanæ responsio.

Vers. 8. ET DIXIT IEHOVAH AD SATAN. Expone hæc vt suprà. NVNQVID CONSIDERASTI SERVVM MEVM. Hebraicè habetur: *nunquid posuisti cor tuum super seruum meum* Iob. Ponere cor, diligentiùs considerare significat: QVOD NON SIT EI SIMILIS IN TERRA, HOMO SIMPLEX, ET RECTVS, ET TIMENS DEVM, ET RECEDENS A MALO? Iuxta Hebræum habetur: *quod non sicut ipse in terra, vir perfectus & rectus, timens Elohim, & recedens a malo?* intellige hæc repetita de Iob vt suprà exposita sunt. Commendatio verò eius noua, relatiuè ad reliquos homines, qui tunc erant in terra, verificatur ad literam: quia tunc nullus erat in terra vir tam potens, tam diues, tantámque felicitatem humanam habens, qui esset ita perfectus, rectus, timens *Elohim*, & recedens à malo, dato quòd aliquis vir esset tunc in terra maioris charitatis, quàm Iob: ex hoc enim non sequitur quòd fuisset sicut Iob. Et ad magnam Iob laudem spectat quòd cum tam composita felicitate præditus esset perfectione virtutum ac timoris Dei: scribitur enim Ecclesiastici 31. *Beatus diues qui inuentus est sine macula, qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia thesauris: quis est hic, & laudabimus eum?* Meritò igitur de Iob dicitur quòd *non sicut ipse in terra.*

Iobi commendatio.

Eccli. 31.

Vers. 9. ET RESPONDIT SATAN AD IEHOVAH, ET DIXIT. Intellige vt suprà. NVNQVID FRVSTRA IOB TIMET DEVM? Iuxta Hebræum habetur: *num gratis Iob timens Elohim? Gratis* dicit, hoc est, sine pretio: & est sensus, quòd Iob timet Deum quasi accepto pretio timendi Deum: cùm enim non potuerit negare sanctitatem Iob, calumniatur rationem timendi Deum: quòd videlicet non est magnum quid, quòd homo tot tantísque beneficijs affectus à Deo timeat Deum: vtpote habens tam multa quæ amitteret ex ira Dei: & propterea nominat ipsum *Elohim.*

Vers. 10. NONNE TV VALLASTI EVM, AC DOMVM EIVS, VNIVERSAMQVE SVBSTANTIAM EIVS PER CIRCVITVM? OPERIBVS MANVVM EIVS BENEDIXISTI. Dictio interpretata *vallasti*, & à multis interpretata *sepisti*, Hebraicè sonat *operuisti*: & legendum esset, *nonne tu operuisti pro eo, & pro domo eius, & pro omni quod ei circumcirca?* Appellatur *tegere pro eo & ys quæ illius sunt*, impedire nocitura: quemadmodum benedicere operi manuum eius, est prosperum facere opus potestatis eius: erat enim Princeps, & felicem succes-

sum

sum habebant operatio eius. ET POSSESSIO EIVS CREVIT IN TERRA. Dictio interpretata *crevit*, significat crescere, non qualitercunque, sed valde.

Vers.11. SED EXTENDE PAVLVM MANVM TVAM, ET TANGE CVNCTA QVÆ POSSIDET. Iuxta Hebræum habetur: *Profectò mitte nunc manum tuam, & tange omne quod ei.* Sententia eadem est cum vulgata editione: & petitio Satan narratur sub metaphora *manus*, instrumenta quibus Deus vtitur ad affligendum homines significans. NISI IN FACIEM BENEDIXERIT TIBI, hoc est, *maledixerit*; Scriptura enim sacra horrens blasphemiæ nomen, *benedicere* quandoque vtitur per antiphrasim, pro *maledicere*: vt clarè patet 3.Reg.21. *Benedixit Naboth Deo & Regi.*

Benedicere, pro maledicere. 3 Reg.21. 13

Vers.12. ET DIXIT IEHOVAH AD SATAN. Intellige vt suprà. ECCE VNIVERSA QVÆ HABET, IN MANV TVA SVNT, TANTVM IN EVM NE EXTENDAS MANVM TVAM. Obtinuit Satan potestatem aduersùs Iob limitatam: videlicet non contra personam ipsius, sed contra omnia quæ ipsius erant. Et hinc clarè discimus naturalem potentiam Dæmonum circa homines, & ea quæ hominum sunt, esse ligatam, sic quòd nihil possint efficere nisi Deo soluente vincula potestatis Dæmonis. Vniuersa enim quæ fecit contra Iob, poterat ipse Dæmon naturali sua potestate efficere, si potentiam solutam (hoc est, non impeditam) habuisset: ad hoc enim significandum scripta priùs est petitio Dæmonis: *Mitte manum tuam, & tange omne quod habet*; & subiuncta est responsio: *Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt.* Respondendo enim, *Ecce in manu tua sunt*, manifestat quòd nunc nouiter manus (hoc est, potestas) Dæmonis soluitur, aduersùs ea, quæ habet Iob: & propterea opera ipsius Dæmonis, ab ipsomet Dæmone attribuitur summo Deo, petendo, *mitte manum tuam, & tange.* verè siquidem Deus imperatiuè soluendo potestatem Dæmonis afflixit Iob: Dæmon autem ipse executiuè. EGRESSVSQVE EST SATAN A FACIE DOMINI. Nomen est *Iehouah.* Egressio autem est tum applicatio intellectus & voluntatis ad ea, quæ spectabant ad afflictionem Iob in iis quæ habebat: tum applicatio intellectus & voluntatis ad vtendum malignitate sua, quod alienum est à facie Dei, sicut & quodlibet peccatum, pro quanto Deus nullius peccati author est.

Dæmonum naturalis potestas circa homines ligata.

Manus, pro potestate.

Dæmonis egressio qua.

Vers.13. QVADAM AVTEM DIE. Tempus conuiuij & tempus nunciandi tot mala Iob, describitur vnus atque idem dies. FILII ET FILIÆ EIVS COMEDEBANT, ET BIBEBANT VINVM IN DOMO FRATRIS SVI PRIMOGENITI. Hinc clarificatur quod suprà diximus, filios Iob habuisse proprias domos. Et significanter electum fuisse à Dæmone diem conuentus filiorum in domo primogeniti cum potu vini scribitur, vt ex vino lætitia conuiuij, & ex domo primogeniti maior celebritas conuiuij significata, maioris esset causa tristitiæ superuenientis ex eorum ibidem ruina.

Vers.14. ET NVNCIVS VENIT AD IOB, ET DIXIT: BOVES ARABANT, ET ASINÆ PASCEBANTVR IVXTA EOS. Patui refert quod Hebræice habetur, *iuxta loca eorum*, in idem enim redit sensus.

ET IRRVERVNT SABÆI, ET TVLERVNT EOS, ET PVEROS PERCVSSERVNT GLADIO. Dictio Hebraica interpretata *Sabæi*, illamet est quæ scribitur 3. Reg.10. *Regina Saba*, regnum enim Saba vtrobique scribitur. de quo Dominus, *Matth.*12. ait, *Regina Austri venit a finibus terræ.* & propterea mirum videtur quòd Sabæi, qui sunt in Arabia felici, venerint ad prædandum boues & asinas Iob in Syria, seu in parte Arabiæ Petrææ contermina Syriæ. Sed si Strabonem legeris, cessabit admiratio: narrat enim quòd Nabathæi & Sabæi antequam subditi essent Romanis, excurrebant sæpe Syriam. ET EVASI EGO SOLVS. Iuxta Hebræum habetur, *& euasi ego, solus ego, ad nunciandum tibi.* Et simili modo scriptum est de reliquis subiunctis nunciis: Dæmonis siquidem arte fiebat, vt vnus euaderet nuncius certus, ad inferendum tristitiam ipsi Iob, & quòd quilibet nuncius cum emphasi diceret, *euasi ego, solus ego*, caulam euasionis reddendo ad nunciandum tibi tantam ruinam tuam.

Vers.15.

Sabæi qui. 3.Reg.10. Matth.12.

Nuncius euadebat solus, cur.

Vers.16. CVMQVE ADHVC ILLE LOQVERETVR, VENIT ALIVS. Et hoc quoque arte Dæmonis fiebat, ne Iob tempus resipiscendi haberet, sed opprimeretur accumulatione mœrorum. ET DIXIT, IGNIS DEI. Nomen est *Elohim.* Naturali virtute sua potest Dæmon applicando actiua passiuis generare ignem in aëre: sed ignis sic genitus, creatura Dei, non Dæmonis est, sicut quælibet res naturalis quouis modo genita. Et ad cumulum contristandi Iob procurauit Dæmon vt nuncius diceret, *Ignis Elohim*: vt etiam ex verbis istis audiret Iob, quòd non solùm homines, sed etiam Deus iudex aduersatur ipsi Iob: ad hoc enim significandum adiungit: CECIDIT E COELO, hoc est, de aëre: quæ enim à supernis veniunt, attribuere solemus Deo. ET TACTAS OVES PVEROSQVE CONSVMPSIT. Iuxta Hebræum habetur, *& combussit pecudes & pueros, & comedit eos.* Instar vorantis describitur ignis combürens. ET EVASI EGO SOLVS VT NVNCIAREM TIBI.

Ignis in aëre, creatura Dei, non Dæmone.

Cælum, pro aere.

Ignis comburens.

Vers.17. ADHVC ILLO LOQVENTE VENIT ALIVS, ET DIXIT: CHALDÆI FECERVNT TRES TVRMAS, ET INVASERVNT CAMELOS. Iuxta Hebræum habetur: *Chaldæi posuerunt tria capita, & extenderunt super camelos, & tulerunt eos, puerósque percussérunt in ore gladij.* Quamuis Chaldæa in Babylonia sita, multum differt à Syria (iuxta verbum Ezechiæ 4. Reg. 10. *de terra longinqua venerunt ad me*) de Babylone:) quemadmodum tamen Sabæi excursiones faciebant in Syriam, ita & Chaldæi. qui prudenter in tres turmas sub tribus ducibus se distribuerunt, vt integram camelorum prædam haberent. ET EVASI EGO SOLVS VT NVNCIAREM TIBI.

4.Reg.10.

Vers.18. ADHVC ILLO LOQVENTE ALIVS VENIT, ET DIXIT: FILIIS TVIS, ET FILIABVS VESCENTIBVS ET BIBENTIBVS VINVM IN DOMO FRATRIS SVI PRIMOGENITI. Et hoc quoque diabolica arte factum est, vt priùs minora damna nunciarentur Iob, & postremò maximum (videlicet filiorum & filiarum repentinus interitus) vt magis augeretur tristitia ipsius Iob: nam si primùm audisset interitum filiorum, minus tristatus fuisset audiens damna rerum: amissis enim

qualitercunque, ſed *firmiter*: & ideo interpretatur *manere*. Mutatur autem diuinum nomen dicendo coram *Iehouah* (quod eſt nomen propriiſſimum Dei: eſt enim illud quod vocant tetragrammaton, ſonans fontem eſſendi omnibus rebus) ad inſinuandum quòd vnus atque idem eſt Deus qui dat eſſe rebus omnibus, & qui iudex eſt & examinator actionum omnium tam ſpiritualium creaturarum, quàm hominum.

Iehouah nomen tetragrammaton.

Verſ. 7. CVI DIXIT DOMINVS. Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit Iehouah ad Satan.* Diuinum *dicere* ad Angelos, ſeu homines, eſt *facere*: loquitur enim Deus quandoque ſermone ſenſibili, faciendo voces ſenſibiles in aëre: vt in Baptiſmo & in transfiguratione Chriſti patet; quandoque ſermone imaginario, faciendo in imaginatione hominis vel nouas ſpecies, vel compoſitionem nouam ſpecierum inuentarum in imaginatione hominis; vt in vtroque ſomnio Salomonis patet: quandoque ſermone intelligibili, faciendo nouas ſpecies in intellectu: vel, quod communiter videtur verificari, ordinando & componendo inuentas in intellectu ſpecies, ad manifeſtandum quod intendit manifeſtare: & hoc modo locutus eſt Deus ad Satan: mouit enim ſpecies in intellectu Satan ad manifeſtandum ei diuinam interrogationem.

Dicere Dei pro facere. Dicit, ſeu loquitur Deus creaturis rationabilibus tripliciter.

Intellectionis humanæ & Angelicæ diſparitas.

Vbi aduerte, quòd inter homines & ſpirituales creaturas diſparitas eſt in hoc, quòd homines non ſemper percipiunt à quo imaginatio propria, ſeu intellectus proprius mouetur, quia pendet notitia humana ex ſenſibus: ſpirituales verò creaturæ ſimul percipiunt ſpecies nouiter compoſitas, & à quo ſunt nouiter compoſitæ: & propterea percipiunt ſimul locutionem & loquentem, habent enim intellectus naturaliter ſolutos ab impedimentis cognoſcendi mouentem intellectus eorum: & propterea Satan ſimul percepit interrogationem & interrogantem.

Iehouah eſſendi fons.

Nominatur autem hîc Deus *Iehouah* (hoc eſt, fons eſſendi) vt ipſa prima cauſa intelligatur curam gerere eorum, quæ fiunt etiam à Dæmonibus aduerſariis noſtris. VNDE VENIS? Iuxta Hebræum habetur: *vnde venies?* in tempore futuro. Non eſt ſimplex interrogatio: ſed eſt interrogatio cum increpatione perſeuerantis in malè veniendo: conſueuimus enim aſſuetos à malis officiis venire machinando ad aliud maleficium, increpando interrogare, vnde venies? ſignificantes per hoc frequentiam malè veniendo: perſpicuum eſt enim quòd Satan ſemper a malis officiis machinando ad aliud maleficium, venit ad petendum à Deo quod cupit: & propterea cum increpatione interrogatur, *vnde venies?* Interrogatur autem à Deo, non vt ignotum Deo manifeſtet, ſed vt inuitus profiteatur malum officium à quo excitatus eſt ad veniendum petiturus à Deo: eſt enim interrogatio non pura, ſed iudicialiter coactiua ad confitendum malum patratum. ET RESPONDIT SATAN AD IEHOVAH, ET DIXIT. Facile eſt intelligere modum quo Satan loquitur Deo. nam quemadmodum nos eleuatâ mente intellectualiter offerimus Deo deſideria noſtra, & confitemur peccata noſtra; ita Dæmones & Angeli intelligibili ſermone alloquuntur Deum. Coactus autem diuini examinis vi, reſpondiſſe ſcribitur Satan ipſi primæ cauſæ, propter rationem iam dictam: CIRCVMIVI TERRAM ET PERAMVLAVI EAM. Iuxta Hebræum habetur: *ab extendendo in terra & ab eundo in ea.* Dictio tamen interpretata *extendere*, poſſet quoque deriuari à viſione qua in momento ſimul cuncta videntur: ſed quia diuino intuitui appropriari videtur apud Hebræos, ideo ab extenſione deducta eſt. Hebraico autem more præpoſterus eſt ordo: nam minus eſt ire per terram, quàm extendere ſe per eam: fatetur enim iuiſſe ſic vt extenderit ſe per terram totam, proculdubio aduerſandi cauſa toti humano generi ſparſo ſuper terram: hoc eſt enim malum officium à quo excitatus eſt vt compareret petiturus coram Deo. Modus autem quo Satan mouetur de loco ad locum ſuper terram, magno eget tractatu, qui in ſecundo Sententiarum diffuſè à Theologis diſcutitur.

Satanas à Deo interrogatus.

Cur?

Satana confeſſio.

ET DIXIT IEHOVAH AD SATAN. Verſ. 8. Expone hæc vt ſuprà. NVNQVID CONSIDERASTI SERVVM MEVM. Hebraicè habetur: *numquid poſuiſti cor tuum ſuper ſeruum meum* IOB. Ponere cor, diligentiùs conſiderare ſignificat: QVOD NON SIT EI SIMILIS IN TERRA, HOMO SIMPLEX, ET RECTVS, ET TIMENS DEVM, ET RECEDENS A MALO: Iuxta Hebræum habetur: *quod non ſicut ipſe in terra, vir perfectus & rectus, timens Elohim, & recedens à malo?* intellige hæc repetita de Iob vt ſuprà expoſita ſunt. Commendatio verò eius noua, relatiuè ad reliquos homines, qui tunc erant in terra, verificatur ad literam: quia tunc nullus erat in terra vir tam potens, tam diues, tantámque felicitatem humanam habens, qui eſſet ita perfectus, rectus, timens *Elohim*, & recedens à malo, dato quòd aliquis vir eſſet tunc in terra maioris charitatis, quàm Iob: ex hoc enim non ſequitur quòd fuiſſet ſicut Iob. Et ad magnam Iob laudem ſpectat quòd cum tam compoſita felicitate præditus eſſet perfectione virtutum ac timoris Dei: ſcribitur enim Eccleſiaſtici 31. *Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula, qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecunia theſauris: quis eſt hic, & laudabimus eum?* Meritò igitur de Iob dicitur quòd *non ſicut ipſe in terra.*

Iobi commendatio noua.

Eccli. 31. 8.

ET RESPONDIT SATAN AD IEHOVAH, ET DIXIT. Verſ. 9. Intellige vt ſuprà. NVNQVID FRVSTRA IOB TIMET DEVM? Iuxta Hebræum habetur: *num gratis Iob timens Elohim? Gratis* dicit, hoc eſt, ſine pretio: & eſt ſenſus, quòd Iob timet Deum quaſi accepto pretio timendi Deum: cùm enim non potuerit negare ſanctitatem Iob, calumniatur rationem timendi Deum: quòd videlicet non eſt magnum quid, quòd homo tot tantíſque beneficiis affectus à Deo timeat Deum: vtpote habens tam multa quæ amitteret ex ira Dei: & propterea nominat ipſum *Elohim*.

NONNE TV VALLASTI EVM, AC DOMVM EIVS, VNIVERSAMQVE SVBSTANTIAM EIVS PER CIRCVITVM? OPERIBVS MANVVM EIVS BENEDIXISTI. Dictio interpretata *vallaſti*, & à multis interpretata *ſepiſti*, Hebraicè ſonat *operuiſti*: & legendum eſſet, *nonne tu operuiſti pro eo, & pro domo eius, & pro omni quod ei circumcirca?* Appellatur *tegere pro eo & ijs quæ illius ſunt*, impedire nocitura: quemadmodum benedicere operi manuum eius, eſt proſperum facere opus poteſtatis eius: erat enim Princeps, & felicem ſucceſſum Verſ. 10.

sum habebant operationis. ET POSSESSIO EIVS CRPVIT IN TERRA. Dictio interpretata *crevit*, significat crescere, non qualitercunque, sed valde.

Vers.11. SED EXTENDE PAVLVM MANVM TVAM, ET TANGE CVNCTA QVÆ POSSIDET. Iuxta Hebræum habetur: *Profectò mitte nunc manum tuam, & tange omne quod ei.* Sententia eadem est cum vulgata editione: & petitio Satan narratur sub metaphora *manus*, instrumenta quibus Deus vtitur ad affligendum homines significans. NISI IN FACIEM BENEDIXERIT TIBI. hoc est, *maledixerit*; Scriptura enim sacra horrens blasphemiæ nomen, *benedicere* quandoque vtitur per antiphrasim, pro *maledicere*: vt clare patet 3.Reg.21. *Benedixit Naboth Deo & Regi.*

Benedicere, pro maledicere 3 Reg.21. 13

Vers.12. ET DIXIT IEHOVAH AD SATAN. Intellige vt suprà. ECCE VNIVERSA QVÆ HABET, IN MANV TVA SVNT, TANTVM IN EVM NE EXTENDAS MANVM TVAM. Obtinuit Satan potestatem aduersùs Iob limitatam: videlicet non contra personam ipsius, sed contra omnia quæ ipsius erant. Et hinc clarè discimus naturalem potentiam Dæmonum circa homines, & ea quæ hominum sunt, esse ligatam, sic quòd nihil possint efficere nisi Deo soluente vincula potestatis Dæmonis. Virtutes enim quæ fecit contra Iob, poterat ipse Dæmon naturali sua potestate efficere, si potentiam solutam (hoc est, non impeditam) habuisset: ad hoc enim significandum scripta priùs est petitio Dæmonis: *Mitte manum tuam, & tange omne quod habet*; & subiuncta est responsio: *Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt.* Respondendo enim, *Ecce in manu tua sunt*, manifestat quòd nunc nouiter manus (hoc est, potestas) Dæmonis soluitur aduersùs ea, quæ habet Iob: & propterea opera ipsius Dæmonis, ab ipsomet Dæmone attribuitur summo Deo, petendo, *mitte manum tuam, & tange*, vere siquidem Deus imperatiuè soluendo potestatem Dæmonis afflixit Iob: Dæmon autem ipse executiuè. EGRESSVSQVE EST SATAN A FACIE DOMINI. Nomen est *Iehouah*. Egressio autem est tum applicatio intellectus & voluntatis ad ea, quæ spectabant ad afflictionem Iob in iis quæ habebat: tum applicatio intellectus & voluntatis ad vtendum malignitate sua, quod alienum est à facie Dei, sicut & quodlibet peccatum, pro quanto Deus nullius peccati author est.

Dæmonum naturalis potestas circa homines ligata.

Manus, pro potestate.

Dæmonis egressio qua.

Vers.13. QVADAM AVTEM DIE. Tempus conuiuij & tempus nunciandi tot mala Iob, describitur vnus atque idem dies. FILII ET FILIÆ EIVS COMEDEBANT, ET BIBEBANT VINVM IN DOMO FRATRIS SVI PRIMOGENITI. Hinc clarificatur quod suprà diximus, filios Iob habuisse proprias domos. Et significanter electum fuisse à Dæmone diem conuentus illiorum in domo primogeniti cum potu vini scribitur, vt ex vino lætitia coniuij, & ex domo primogeniti maior celebritas conuiuij significata, maioris esset causa tristitiæ superuenientis ex eorum ibidem ruina.

Vers.14. ET NVNCIVS VENIT AD IOB, ET DIXIT: BOVES ARABANT, ET ASINÆ PASCEBANTVR IVXTA EOS. Patui refert quod Hebraicè habetur, *iuxta loca eorum*, in idem enim redit sensus.

ET IRRVERVNT SABÆI, ET TVLERVNT EOS, ET PVEROS PERCVSSERVNT GLADIO. Dictio Hebraica interpretata *Sabæi*, illamet est quæ scribitur 3. Reg.10. *Regina Saba*, regnum enim Saba vtrobique scribitur. de quo Dominus, *Matth.*12. ait, *Regina Austri venit à finibus terræ.* & propterea mirum videtur quòd Sabæi, qui sunt in Arabia felici, venerint ad prædandum boues & asinas Iob in Syria, seu in parte Arabiæ Petrææ contermina Syriæ. Sed si Strabonem legeris, cessabit admiratio: narrat enim quòd Nabathæi & Sabæi antequam subditi essent Romanis, excurrebant sæpe Syriam. ET EVASI EGO SOLVS, Iuxta Hebræum habetur, *& euasi ego, solus ego, ad nunciandum tibi.* Et simili modo scriptum est de reliquis subiunctis nunciis: Dæmonis siquidem arte fiebat, vt vnus euaderet nuncius certus, ad inferendum tristitiam ipsi Iob, & quòd quilibet nuncius cum emphasi diceret, *euasi ego, solus ego*, causam euasionis reddendo ad nunciandum tibi tantam ruinam tuam. Vers.15.

Sabæi qui. 3.Reg.10. Matth.12.

Nuncius euadebat solus, cur.

Vers.16. CVMQVE ADHVC ILLE LOQVERETVR, VENIT ALIVS. Et hoc quoque arte Dæmonis fiebat, ne Iob tempus respiscendi haberet, sed opprimeretur accumulatione mœrorum. ET DIXIT, IGNIS DEI. Nomen est *Elohim.* Naturali virtute sua potest Dæmon applicando actiua passiuis generare ignem in aëre: sed ignis sic genitus, creatura Dei, non Dæmonis est, sicut quælibet res naturalis quouis modo genita. Et ad cumulum contristandi Iob procurauit Dæmon vt nuncius diceret, *Ignis Elohim*: vt etiam ex verbis istis audiret Iob, quòd non solum homines, sed etiam Deus iudex aduersatur ipsi Iob: ad hoc enim significandum adiungit: CECIDIT E COELO, hoc est, de aëre: quæ enim à supernis veniunt, attribuere solemus Deo. ET TACTAS OVES PVEROSQVE CONSVMPSIT. Iuxta Hebræum habetur, *& combussit pecudes & pueros, & comedit eos.* Instar vorantis describitur ignis combürens. ET EVASI EGO SOLVS VT NVNCIAREM TIBI.

Ignis in aëre, creatura Dei, non Dæmonis.

Cælum, pro aëre.

Ignis comburens.

ADHVC ILLO LOQVENTE VENIT ALIVS, ET DIXIT: CHALDÆI FECERVNT TRES TVRMAS, ET INVASERVNT CAMELOS. Iuxta Hebræum habetur: *Chaldæi posuerunt tria capita, & extenderunt super camelos, & tulerunt eos, puerosque percusserunt in ore gladij.* Quamuis Chaldæa in Babylonia sita, multum distet à Syria (iuxta verbum Ezechiæ 4. Reg. 10. *de terra longinqua venerunt ad mè* (de Babylone:) quemadmodum tamen Sabæi excursiones faciebant in Syriam, ita & Chaldæi. qui prudenter in tres turmas sub tribus ducibus se distribuerunt, vt integram camelorum prædam haberent. ET EVASI EGO SOLVS VT NVNCIAREM TIBI. Vers.17.

4 Reg.10.

ADHVC ILLO LOQVENTE ALIVS VENIT, ET DIXIT: FILIIS TVIS, ET FILIABVS VESCENTIBVS ET BIBENTIBVS VINVM IN DOMO FRATRIS SVI PRIMOGENITI. Et hoc quoque diabolica arte factum est, vt priùs minora damna nunciarentur Iob, & postremo maximum (videlicet filiorum & filiarum repentinus interitus) vt magis augeretur tristitia ipsius Iob: nam si primùm audisset interitum filiorum, minus tristatus fuisset audiens damna rerum: amissis enim Vers.18.

maioribus, paruipendimus amissionem minorum.

Vers. 19. REPENTE VENTVS VEHEMENS IRRVIT A REGIONE DESERTI, ET CONCVSSIT QVATTVOR ANGVLOS DOMVS, QVÆ CORRVENS OPPRESSIT LIBEROS TVOS, ET MORTVI SVNT, ET EFFVGI EGO SOLVS VT NVNTIAREM TIBI. Iuxta Hebræum habetur: *Et ecce ventus magnus venit à trans desertum; & concussit quatuor angulos domus, ceciditque super pueros, & mortui sunt: & euasi tantum ego, solus ego ad nunciandum tibi.* Diabolica opera & genitus est ventus ille, & concussit domum illam, sic vt simul caderet super omnes cum euasione vnius duntaxat.

Vers. 20. TVNC SVRREXIT IOB. Hactenus immotus audierat tot malos nuncios: sed audito interitu filiorum, de loco vbi sedebat surrexit, tanquam hoc postremum tetigerit cor eius. ET SCIDIT VESTIMENTA SVA, ET TOTONDIT CAPVT SVVM. Internæ tristitiæ conformia signa illo tempore solita monstrauit, scindendo vestem, & tondendo caput. Intelligo autem tonsum caput non solum quoad capillos, sed etiam quoad barbam: CORRVENSQVE IN TERRAM ADORAVIT. Non sat fuit genuflectere, sed maximum honoris signum pro stratione totius corporis Deo exhibuit. Et in hoc reluceat magna Iob profectio, quòd in tanta calamitate primùm motus est animus eius in Deum, ad agnoscendum illius prouidentia hæc obtigisse sibi, laudandumque diuinum nomen.

Scindere vestes, & caput tondere, olim interna tristitiæ signa.

Iobi profectio.

Vers. 21. ET DIXIT: NVDVS EGRESSVS SVM DE VTERO MATRIS MEÆ. Ad literam agnoscit quæcunque amiserat non fuisse bona sibi congenita, sed aduentitia: nascitur enim quilibet nudus, hoc est, absque opibus & filiis. ET NVDVS REVERTAR ILLVC. Non demonstrat locale aduerbium *illuc* vterum matris, sed locum sepulchri: vtitur autem reuersionis vocabulo, quia homo de terra formatus est, & quando moritur, in terram reuerti dicitur. Et per hoc ad literam significat, quòd bona quæ amiserat erant aduentitia, sic quod ea secum moriens ferre non posset: externa igitur & caduca bona hominis, fatetur esse opes quascunque & filios. DOMINVS DEDIT, DOMINVS ABSTVLIT. Iuxta Hebræum habetur, *Iehouah dedit, & Iehouah abstulit.* Non sat fuit Iob consolari seipsum ex qualitate bonorum amissorum (videlicet quia erant sibi externa & caduca) verùm etiam consolabatur seipsum, agnoscendo quod prima causa quæ dat esse omnibus rebus, liberaliter dederat, & eadem abstulit. Nec dixit, *Dominus dedit, & Diabolus abstulit:* sed vtrumque in Deum retulit, agnoscendo & profitendo diuinam prouidentiam extendi ad hæc singularia quæ geruntur apud nos. Non parua siquidem consolatio est nosse quòd ille aufert à nobis bona temporalia, qui non potest errare, qui curam nostri habet, qui largitor est omnium bonorum, qui nihil odit eorum, quæ fecit: profitetur enim per hoc quòd Deus qui dedit, cùm abstulit, vsus est iure suo: vtpote qui non tenetur conseruare alicui res illi datas. SICVT DOMINO PLACVIT, ITA FACTVM EST. Superflua est hæc clausula: quia in Hebræo textu non habetur: SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM. Iuxta Hebræum habetur: *erit nomen Iehouah benedictum.* Ecce gratiarum actio: vt ex illata calamitate à Deo, nulla irrogetur iniuria diuino nomini: puta nominando Deum iniustum, aut curam non habentem horum singularium, sed benedicendum diuinum nomen fatetur: puta quòd omnium & singulorum curam gerit, quòd auctor est bonorum omnium, & omnis mali, non culpæ, sed pœnæ, quòd iustus est, & sanctissimè omnia facit, &c.

Iobi consolatio in amissione bonorum temporalium.

Eius gratiarum actio.

IN OMNIBVS HIS NON PECCAVIT IOB LABIIS SVIS. Superfluunt duæ vltimæ dictiones, *labijs suis:* absolutè siquidem dicitur quòd in vniuerso hoc *non peccauit Iob*, ad excludendum quodcunque peccatum cogitationis, locutionis, & operis. NEQVE STVLTVM QVID CONTRA DEVM LOCVTVS EST. Iuxta Hebræum habetur, *& non tribuit defectum Elohim*, in casu datiuo. Dictio interpretata *defectum* interpretatur à multis *insulsum*: nec erratur, quamuis rectiùs interpretetur *defectus*. Hebræo more præposterus est ordo literæ: nam priùs cõmendatur quod non tribuit *defectum, seu insulsum Elohim*, & deinde quòd nec aliqualiter peccauit. Attribuere autem defectum *Elohim*, blasphemum fuisset: vtpote imputare vniuersorum iudici defectum, siue in cognoscendo, siue in dispensando bona & mala, &c. & similiter blasphemum fuisset tribuere omnium gubernatori insulsum: fuisset enim imputare illi quòd desiperet; insulsa enim minus sapiunt.

Vers. 22.

CAPVT II.

EVIT AVTEM DIES, ET VENERVNT FILII DEI. Nomen est *Elohim*. VT STARENT CORAM DOMINO. Corrige vt in primo capitulo, *ad manendum coram Iehouah*: ET VENIT ETIAM SATAN INTER EOS, *ad manendum coram Iehouah*. & expone cuncta vt in primo capitulo. Sed aduerte quòd in primo capitulo de solis filiis Elohim scriptum est quòd venerunt ad manendum coram Iehouah, & de Satana quòd venit inter eos: hîc autem iuxta Hebraicum scribitur de Satana quòd venit inter eos ad manendum coram Iehouah. significatur enim per hoc quòd hac secunda vice venit ad perstitendum firmiter vt obtineret quod cupiebat & obtinuit. Videns enim se confusum post tot illatas Iob calamitates, deliberauit perstitere petendo maiorem à Deo potestatem aduersùs Iob.

Vers. 1.

Satan cur hîc dicatur manere coram Domino.

DIXITQVE DOMINVS AD SATAN. In toto hoc colloquio nominatur Deus *Iehouah*; & ne oporteat repetere, corrige introductiones colloquentium vt in primo capitulo. VNDE VENIS? Iuxta Hebræum habetur: *quo ab hinc venies?* Et est sermo mutilus; est enim sensus: Ab hinc quo digressus venies? Et sunt, vt in primo capitulo expositum est, verba interrogantis increpando: quia enim egressus fuerat Satan à facie Dei, & iuerat ad mala multa faciendum (vt patet in præcedenti capitulo) ideo interrogatur non absolutè, *vnde venis?* sed *vnde venis ex quo recessisti hinc?* hoc est, à consistorio coram me: vnus enim atque idem locus est;

Vers. 2.

est, quò iuit, & vnde venit: quoniam à loco ad quem iuit, venit. Commemoratur itaque in hac increpatione examinatoria egressus à Consistorio coram Deo, ad exaggerandum malignitatem Satanæ abutentis Consistorij diuini gratiâ. ET RESPONDIT SATAN DOMINO, ET DIXIT: CIRCVMIVI TERRAM, ET PERAMBVLAVI EAM. Iuxta Hebræum habetur: *a deambulando in terra, & ab eundo in illa.* Præposterо ordine scribuntur particulæ: priùs enim dictum est, *ab eundo per terram*, & deinde, *a deambulando in ea.* nam priùs exprimendum est ire, quàm modus eundi significatus per deambulationem. Et ex hoc quod Dæmon fatetur se per terram ire deambulando, manifestat per hanc metaphoram quòd quietè considerat cuncta quæ fiunt à nobis, obseruando singúla, non transcurrendo, sed deambulantis more obseruando.

Dæmon Angelus obseruat quæ fiunt ab homine.

Vers. 3. ET DIXIT DOMINVS AD SATAN: NVMQVID CONSIDERASTI SERVVM MEVM IOB, QVOD NON SIT EI SIMILIS IN TERRA, VIR SIMPLEX, ET RECTVS, AC TIMENS DEVM, ET RECEDENS A MALO, ET ADHVC RETINENS INNOCENTIAM: Lege, vt in primo capitulo, *Num posuisti cor tuum ad seruum meum Iob quòd non sicut ipse in terra, vir perfectus & rectus, timens Elohim, & recedet à malo, & adhuc ipse retinens perfectionem suam*: In perfectione comprehendit omnes virtutes eius. TV AVTEM COMMOVISTI ME ADVERSVS EVM VT AFFLIGEREM EVM FRVSTRA. Iuxta Hebræum habetur: *& incitasti me contra eum gratis ad destruendum eum gratis.* Humano more instar incitati ab alio dicit se Deus, quemadmodum dicit quandoque se iratum secundum similitudinem effectus: Deus enim nõ incitatur ab alio, sed facit effectum similem effectui incitati; dedit enim Satanæ petenti potestatem aduersùs ea, quæ erant Iob, tanquam incitatus ab eo: quum tamen ab æterno dispoſuerit se daturum huiusmodi potestatem Satanæ. Et addit *gratis*, hoc est, sine causa meritoria ex parte ipsius Iob. Quod autem subditur, *ad destruendum eum gratis*, manifestat quòd non solùm incitatio Satanæ fuerit absque citata culpa ipsius Iob, sed quòd etiam ipsa afflictio destruens omnia quæ erant Iob, fuerit facta ab ipso Deo sine culpa ipsius Iob.

Deus quomodo dicatur incitare nos?

Vers. 4. RESPONDITQVE SATAN DOMINO, ET DIXIT: PELLEM PRO PELLE, ET CVNCTA QVÆ HABET HOMO, DABIT PRO ANIMA SVA. hoc est, pro vita propria. Familiaris est Hebræis ordo præposterus: maiora enim præponunt minoribus: quum è conuerso oratio deberet crescere, & dicendum fuisset: *omne quod homini, & pellem pro pelle, dabit pro anima sua*, ad significandum, quòd non solum opes, sed etiam filios, parentes, & vxorem dabit homo pro vita propria. Dixit enim hæc Satan, quia Iob amiserat quidem opes omnes, & filios, & filias, sed intactus fuerat quoad ea, quæ erant propriæ vitæ, & propterea non esse mirum si adhuc retineret Iob suam perfectionem.

Ordo præpostерus Hebræis familiaris.

Vers. 5. ALIOQVIN. Hebraice habetur, *Profectò*, affirmantis Aduerbium: MITTE NVNC MANVM TVAM, hoc est, extende nunc potestatem tuam, solutendo naturalem meam potentiam quam olim dederas. ET TANGE OS EIVS, ET CARNEM. Non sat fuit Satanæ petere percussionem carnis Iob, sed adiunxit percussionem vsque ad ossa: vt non leuis, sed grauis significaretur percussio penetrans intima. ET TVNC VIDEBIS QVOD IN FACIEM BENEDICAT TIBI. Iuxta Hebræum habetur vt in primo capitulo: *si non in facie tua benedicet tibi.* hoc est, maledicet tibi coram te.

Vers. 6. ET DIXIT DOMINVS AD SATAN: ECCE IN MANV TVA EST. Concedit Deus potestatem Satanæ aduersùs personam Iob, dicendo: *Ecce ipse in manu* (hoc est, in potestate) *tua*, subaudi *datur*: & intelligè vt in primo capitulo expolita est similis concessio. TANTVM ANIMAM EIVS SERVA. Limitatur potestas Satanæ aduersùs personam Iob citra ægritudines mortales: hoc est enim dictu *tantum animam* (hoc est, vitam) *eius serua.* si enim ægritudo mortifera illata fuisset, non fuisset seruata vita eius.

Manus, pro potestate.

Anima pro vita.

Vers. 7. EGRESSVSQVE EST SATAN A FACIE DOMINI, ET PERCVSSIT IOB VLCERE PESSIMO. Hebraicè habetur, *vlcere malo*, A PLANTA PEDIS EIVS VSQVE AD VERTICEM EIVS. carent enim superlatiuo. Ecce ægritudo valde molesta, non tamen mortifera.

Vers. 8. QVI TESTA SANIEM RADEBAT. Iuxta Hebræum habetur: *Et accepit sibi testam ad scalpendum se eâ.* Pruritus tantus describitur surgens ex vlceribus, vt non sufficerent manuum vngues, sed testa opus esset ad scalpendum. SEDENS IN STERQVILINIO. Iuxta Hebræum habetur, *& ipse sedens inter cinerem.* Nihil dicitur de sterquilinio: sed quòd elegerit sedere in medio cineris, ad cumulum deiectionis suæ.

Vers. 9. DIXIT AVTEM ILLI VXOR IPSIVS. Quamuis Satan habuerit prima vice potestatem in omne quod erat Iob (sub quo comprehendebatur etiam vxor Iob: vxor enim est aliquid viri) astutè tamen noluit interficere illam, vt vteretur illâ ad incitandum Iob ad malum, vt hæc testatur litera: ADHVC PERMANIS IN SIMPLICITATE TVA? Iuxta Hebræum habetur, *adhuc tu retinens perfectionem tuam?* Verba sunt improperantis perseuerantiam in perfectione virtutum, tantam calamitatem passo. BENEDIC ELOHIM, ET MORERE. Non oportet sumere hîc *benedicere* pro maledicere: tum quia nec vxori tam perfecti viri congruit hortari apertè ad blasphemiam Dei: fuerat enim bene instructa (vt par est credere) in timore Dei: tum quia minus quadrat propònere vt eligat mori. Sed *benedicere* sumitur propriè, & commemorauit vxor prouerbium antiquum, & in hodiernum vsque diem crebrò in ore hominum sonans: videlicet, *Cole Deum, & expecta malum*; hanc enim sententiam significauit obiiciendo perseuerantiam in bono, tanquam virtutes ipsius Iob fuerint prouocantes tantam calamitatem. Hic sensus literalis censendus est: vtpote quadrans præcedentibus verbis: *adhuc tu retinens perfectionem tuam?* recole quòd antiquum est prouerbium, *Benedic Elohim; & morere:* hoc est, vaca laudibus diuinis, & incurres mala etiam mortis: hoc enim directè erat retractiuum à perseuerantia in virtutum perfectione: hoc congruit muliebri opprobrationi: hoc quadrat astutiæ Dæmonis: hoc tanquam vtile atque

Dæmon cùm habuerit potestatem in omnia quæ erant Iob, habuit etiam in eius vxorem. Vxor aliquid viri est.

Cole Deum, & expecta malum. Adag.

probatum consilium amplectendum proposuit vxor: hoc consonat responsioni Iob.

Vers.10. ET DIXIT AD EAM: QVASI VNA DE STVLTIS. Vide modestiam mariti: non dicit, *stulta es*, sed quòd sermo eius est sicut sermo stultarum: nouerat enim vxorem non esse stultam, sed passione animi victam protulisse hoc prouerbium quod stulti sonare soliti sunt. LOCVTA ES. Hebraicè habetur *loquêris* in futuro. arguit siquidem vxorem monendo ne deinceps imitetur sermonem stultarum. SI BONA SVSCEPIMVS DE MANV DOMINI, MALA QVARE NON SVSCIPIAMVS? Iuxta Hebraeum habetur: *etiam bonum susc ipiemus ab Elohim, & malum non susc ipiemus?* hoc est, æqua debet esse mens nostra ad suscipiendum à iudice & gubernatore omnium bona & malatriple siquidem est à quo suscipimus & bona & mala. Et in hoc directè confutat prouerbium illud, supponens quòd bona & mala nó dentur nobis à Deo, quia quanto aliquis magis seruit Deo, patitur peius: quod non accideret si Deus daret bona & mala, quia colentibus eum daret bona, & mala daret iniquis: Iob autem e conuerso asserit quòd etiam nos virtutibus & timori Dei vacantes æquam debemus habere mentem ad suscipiendum à Deo bona & mala. IN OMNIBVS HIS NON PECCAVIT IOB LABIIS SVIS.

Iobi modestia erga vxorem.

Bona & mala à Deo aquè suscipienda.

Vers.11. IGITVR AVDIENTES TRES AMICI IOB. Parui refert quòd Hebraicè habetur: *Et audierunt tres sociorum Iob*, OMNE MALVM HOC QVOD VENIT SVPER EVM, ET VENERVNT VNVSQVISQVE DE LOCO SVO: ELIPHAZ THEMANITES, ET BILDAD SVHITES, ET SOPHAR NAHAMATHITES: ET CONGREGATI SVNT SIMVL VT VENIRENT. Confederati Principes videntur significari sociorum nomine: & quoniam non omnes venerunt ad Iob, sed tres ex illis duntaxat, ideo dicitur quod tres sociorum ipsius Iob conuenerunt ad simul veniendum. VT VISITARENT EVM, ET CONSOLARENTVR. Iuxta Hebraeum habetur, *ad mouendum eum, & ad consolandum eum.* Duo officia exercituri venerunt, videlicet mouere & consolari: mouere autem mentem Iob à tristitia, distrahendo animum eius ad colloquia de rebus aliis.

Principes cõfœderati sociorum nomine indicati.

Vers.12. ELEVAVERVNTQVE OCVLOS SVOS A LONGE. Distantiam moderatam intellige, vnde discerni facile potuisset. ET NON COGNOVERVNT EVM, hoc est, sensu visus non repræsentabatur qualitas solita eius: vtpote tonso capite, & faciei vlceribus plena: perceperunt tamen interna cognitione ipsum esse Iob: & propterea subiunguntur exclamantes ploraſſe: ET LEVAVERVNT VOCEM SVAM, ET FLEVERVNT: SCIDERVNTQVE VNVSQVISQVE PALLIVM SVVM, ET SPARSERVNT PVLVEREM SVPER CAPITA SVA IN COELVM. Quatuor istis signis condolere se monstrabant: videlicet clamore dolentium, fletu, scissione palliorum, & sparsione pulueris in cœlum in aëre existente super caput cuiusque: & hoc ad reddendum etiam ipsum aërem eos continentem tristem tanquam condolentem: aër enim pulueruleutus tanquam tristis, est.

Mœroris signa quatuor.

Aër pulueruleutus condolentia signũ.

Vers.13. ET SEDERVNT CVM EO IN TERRA SEPTEM DIEBVS ET SEPTEM NOCTIBVS. Intellige non continuè, sed certis horis: ET NEMO LOQVEBATVR EI VERBVM. Vltimum enim condolendi exercebant: & propterea quemadmodum ipse Iob tacebat, ita & ipsi conformabant se illi silendo. VIDEBANT ENIM DOLOREM ESSE VEHEMENTEM. Patui refert quòd Hebraicè habetur: *viderunt enim quod grauidus dolor valde.* Ratio silentij redditur vita magnitudo doloris in Iob: erant enim maximæ tristitiæ causæ, simul cum causa ingentis doloris sensibilis in proprio corpore. Nec abs re dicitur quòd *grauidus*; sed ad insinuandum augmentum doloris sensibilis in corpore Iob ex dira plaga; nam nec talis dolor, nec illius incrementum subditur rationi; sed consequitur necessariò læsionem corporis. Et prudentiæ fuit diuturnum silentium amicorum: molestus est enim sermo, vehementer afflictis.

Silentium pra dolore.

Silentium prudentia.

CAPVT III.

POST HAEC AVTEM. Sæpe diximus interpretem solitum mutare Aduerbium in Pronomen: nam Hebraicè habetur, *Post hæc*: modus enim hactenus in tanta calamitate seruatus, significatus: APERVIT IOB OS SVVM. Non scribitur hoc ad excludendum locutionem clauso ore: sed ad manifestandum quòd non ex passione tristitiæ & doloris, sed ex deliberatione mentis incepit loqui: ET MALEDIXIT DIEI SVAE. Libera hinc tollitur facultas interpretandi subiuncta verba Iob, ex hoc quòd author Scripturæ Spiritus sanctus testatur quod per subiuncta verba Iob maledixit diei suo: hoc est, tempori vitæ suæ. Geminas itaque sensus huius capituli manifestatum maledictio temporis vitæ ipsius Iob. Et quoniam Iob non peccauit in huiusmodi maledictione, oportet intelligere subiuncta verba, & sine peccato Iobis, & cum maledictione temporis vitæ suæ. Quod enim Iob in hac maledictione non peccauerit, etiam naturalis ratio exigit: nam qui tam patienter gratias egerat Deo, amissis opibus & filiis, quique percussus in propria persona arguerat vxorem suadentem recessum a perseuerantia in virtutum perfectione, & de quo subiunctum postea est, *in omnibus his non peccauit Iob*, quòniam pacto post diuturnum silentium abduci potuit ad blasphemandum nemine incitante ipsum ad hoc: alienum siquidem à ratione naturali penitus est vt sic lapsus fuerit. Accedit ad hoc quòd Diabolus fuisset voti compos, si Iob blasphemasset: & nequaquam patientia Iobis afferretur in exemplum in Epistola Iacobi: nec inter exiguos iustos apud Ezechielem commemoraretur. Nec diuina sententia in vltimo huius libri capitulo vera esset, *non estis locuti rectum sicut seruus meus Iob*; quia Iob fuisset locutus obliquum pluſquam quilibet amicorum: nullus enim blasphemauit sicut Iob, si sermo subiunctus interpretatur blasphemia.

Silentium prudentia.

Vers.1.

Iob maledixit diei natiuitatis suæ, præsentique vitæ.

Non peccauit quòd maledixerit diei suo.

Iacob.5.11.

Ezech.14. 14.

Hæreticorum itaque calumniantium Iobem posthabitâ temeritate, cum vniuersa Christi Ecclesia sentiendo Iobem exemplum fuisse patientiæ, non ad horam, sed iugiter, studeamus ad intelligendum subiuncta maledictionis verba absque peccato ipsius Iob. Non est autem difficile seruare vtrumque simul, apud intelligentes quòd possum absque peccato ex rationis deliberatione detestari vitam meam quatenus malam. Et est sermo de malo pœnæ: malum enim

Maledictionis verba Iobi quomodo intelligenda.

enim pœnæ quum sit malum, suapte naturâ detestabile est: ac per hoc vendicat sibiipsi detestationem. & consequenter quum ego deliberatè detestor illud, actus detestandi bonus est moraliter secundum suum genus: vtpote habens pro obiecto consonam materiam. Nullum itaque peccatum est maledicere tempori vitæ propriæ quatenus malum est, immò est actus moraliter bonus: vtpote dans tempori malo quod ei debetur. Et hoc modo Iob sanctus maledixit tempori vitæ propriæ quatenus malo, deliberatè quidem, non autem immoderatè. Fuisset autem immoderata maledictio si vsque adeò detestatus fuisset tempus malum vt maluisset carere illo malo, quàm esse bonum annexum diuinæ prouidentiæ: quod se malle professus est Iob, dicendo: *Etiam bona suscipiemus ab Elohim, & mala non suscipiemus.*

Iob vitam suã miseram duobus modis computat.

Et aduerte prudens Lector, quòd Iob considerauit & locutus est de vita sua tam misera vtroque modo: hoc est, & quatenus mala, & quatenus talis effecta per diuinam prouidentiam. Nec priùs locutus est de vita sua misera quatenus mala: sed primùm locutus est de illa quatenus sic dispositа per diuinam fuit prouidentiam, dicendo: *Dominus dedit, Dominus abstulit, erit nomen Domini benedictum.* & rursus: *Bona suscipiemus de manu Elohim, & mala non suscipiemus?* postea verò locutus est de vita sua misera quatenus mala, & maledixit diei suo. Vtrumque enim Scriptura narrauit, vt ex primo intelligeremus secundum: primus enim sermo fuit simpliciter & absolutè consideratis omnibus: hic autem sermo est secundùm quid, hoc est, considerata vita suâ secundùm quòd est mala duntaxat.

Vers. 2.

ET LOCVTVS EST. Iuxta Hebræum habetur: *Et proposuit*, IOB, ET DIXIT. Nota verbum *proposuit*: quoniam clauis est aperiens sensum verborum Iob in hoc capitulo: hinc enim habetur, quòd maledictionem vitæ suæ miseræ ex intentione proponit vt materiam disputationis futuræ inter amicos & se: & propterea, vt litera ipsa testatur, maledictio vitæ suæ nec asseritur absolutè, nec innititur rationibus assertis, sed interrogando, seu inquirendo propositis, vt discutiatur vera causa calamitatis eius.

Iob maledictionem vitæ suæ miseræ proponit ex intentione, quasi thema, seu materiam disputationis futuræ inter amicos & se.

Vers. 3.

PEREAT DIES IN QVA NATVS SVM. Non est prætereundum, quòd Hieronymus dicit ab hoc loco metricè scriptum esse Iobem apud Hebræos vsque ad vltimi capituli partem, vbi dicitur, *Idcirco reprehendo me*: quoniam & sermo mutilus metro tribuendus quandoque est; & modus loquendi, multiplicando loca ad idem, familiaris poëticè scribentibus est, qui in hoc principio valde apparet: dum detestatur Iob vitam suam multiplicando loca à temporibus conceptionis & natiuitatis, ab vberibus matris, &c. Et Hebraicè habetur: *Peribit dies, natus ero in illo*, habent enim Hebræi futurum duntaxat Indicatiui, & illo vtuntur pro quocunque futuro: & propterea scribitur *peribit*, pro *pereat*. Quod autem dicitur *natus ero*, phrasi tribuendum est Hebraicæ, describenti id quod consequens est per tempus futurum, ad significandum enim natiuitatem suam post inchoatam claritatem diei, dicit *natus ero*, relatiuè ad præcedentem ortum Solis.

Iob metricè scripsit.

Et scito quòd Iob proponit vitam suam malam dupliciter: primò, vt materiam tristitiæ: secundò vt occasionem timoris, ibi: *quare misero data est lux*, &c.

Iob vitam suam malam proponit dupliciter.

Sed occurrit quæstio, quo pacto potuit cupere Iob impossibile? Dies enim natiuitatis eius iam transierat, & impossibile erat tempore huius sermonis vt periret. Et tantam ingerit difficultatem hæc quæstio, vt deducat ad dicendum quòd cupido hæc fuerit vel desipientis, vel desperati. Solutio est quòd, vt in tertio dicitur Ethicorum, habemus in nobis quemdam voluntatis actum qui ab Aristotele appellatur *voluntas*, qui est impossibilium: & per hoc differt ab electione; *Electio* enim non est nisi possibilium: *voluntas* autem est impossibilium. Et nos talem voluntatis actum consueuimus appellare *velleitatem*: quia tendit ad id quod potius vellemus, quàm volumus: non enim voluntate deliberatâ, sed velleitate quadam vellemus nunquam mori, quod est impossibile. Hoc itaque voluntatis actu (quem *velleitatem* vocamus) vsus est Iob, dicendo: *pereat dies natiuitatis meæ.* Vsus est autem hac velleitate sciens & prudens absque peccato, quemadmodum vtimur actu oculi ad videndum album quando, sicut, & vbi decet. Seruatis siquidem omnibus circumstantiis rectæ rationis, vsus est velleitate respectu sui obiecti impossibilis, ad manifestandum internam tristitiam de miseria suæ vitæ, esse humano animo naturalem ac rationabilem. Vnde patet quòd nec desipuisse, nec desperasse Iobem, hæc verba propriè intellecta insinuant. Et tu, prudens Lector, applica hæc quæ diximus ad sequentia concupita impossibilia: quoniam vnâ & eâdem ratione, hæc omnia volita sunt, non voluntate deliberatâ, sed velleitate, &, vt prius dictum est, quatenus mala; hoc est quatenus initia mali quo affecta est vita ipsius Iob.

Iob cupit impossibile.

Voluntas, seu velleitas, impossibilium; Electio, possibilium.

ET NOX IN QVA DICTVM EST: CONCEPTVS EST HOMO. Iuxta Hebræum habetur: *& nox dixit, grauidauit vir.* Locutio attribuitur nocti, non quòd nox loquatur: sed poëtico more ad significandum noctem quasi testem concubitus quo vir grauidat vxorem. Et dictio interpretata *vir*, non sonat virum qualemcumque, sed virum virilem: consonat enim actioni grauidandi ad producendum masculum fortitudo naturalis viri: debile enim semen parit feminam. Et est sermo mutilus, *& nox dixit*: hoc est, *& nox qua dixit.*

Vir, de viro virili.

Vers. 4.

DIES ILLA VERTATVR IN TENEBRAS. Iuxta Hebræum habetur: *Dies ille erit obscuritas.* Sufficiat iam dixisse quòd futurum Indicatiui in vniuersa hac velleitate ponitur pro futuro Optatiui: imprecatur enim quòd dies ille sit obscurus, quemadmodum nox est obscura. NON REQVIRAT EVM DEVS DESVPER. Dictio interpretata *Deus*, est *Eloah*: quo nomine nunquam dicitur vsus Moyses nisi in Cantico *Deuteron.* 32. significat autem *Iudicem* in numero singulari. Et quia in hoc libro pluries vtitur hoc nomine, coniectura habetur, quòd causâ metri, huius nominis vsus introductus est. Et est imprecationis huius sensus quòd dies ille sit indignus requisitione diuina qua Deus iudex singulos discutit dies, tanquam inquirens quid in eis gestum sit. ET NON ILLVSTRETVR LVMINE. Iuxta Hebræum habetur, *& non lucebit super eum lux.* Non sat fuit imprecari quòd dies ille

Eloah nomine Moyses semel tantum vsus est. Eloah, iudex.

ille sit obscurus similis nocti: sed addidit, quòd nec lux aliqua luceat super eum, vt quandoque apparet etiam in obscura nocte aliqua stella.

Vers. 5. OBSCVRENT EVM TENEBRÆ, ET VMBRA MORTIS. Iuxta Hebræum habetur: *Polluent eum obscuritas, & vmbra mortis.* Et statim subiungitur: HABITABIT SVPER EVM NVBES. Loco cuius in vulgata æditione habetur, *occupet eum caligo*; oportuit enim hæc simul iungere, vt sensus literæ sit planior: imprecatur enim quòd apponatur obscuritas quæ causatur ex nubibus, ita vt sordescat dies ille ex vehementia obscuritatis, & vmbra mortis: hoc est, fulminibus præ se ferentibus mortem sicut vmbra corpus. ET INVOLVATVR AMARITVDINI. Iuxta Hebræum habetur, *terrebunt eum sicut æstus diei.* Et est sermo de vehementibus æstibus. Imprecatur domum vt dies ille tanto abundet æstu diurno, vt terreatur, timens exuri.

Vers. 6. NOCTEM ILLAM TENEBROSVS TVRBO POSSIDEAT. Iuxta Hebræum habetur: *Nox illa, tollet eam caligo.* Proposuerat maledictionem diei natiuitatis, & noctis conceptionis suæ. & prosecutus prius est spectantia ad diem: & consequenter prosequitur spectantia ad noctem, resumendo lugentium more *nox illa*, oratione imperfectâ: tanquam significans, quid dicam de nocte illa? Et subiungit, *tollet eam caligo*: tanta videlicet sit caligo vt tollat eam quo ad vsum. NON COMPVTETVR IN DIEBVS ANNI. Iuxta Hebræum habetur, *non segregabitur in diebus anni*, hoc est, quum commemorantur dies anni, & gesta per singulas noctes segregantur à gestis per singulos dies, non segregetur nox illa, indigna sit huiusmodi segregatione in memoria hominum. NEC NVMERETVR IN MENSIBVS. Iuxta Hebræum habetur, *in numerum mensium Lunæ non veniet.* Quia Luna maximè apparet in nocte, & noctes præcipuè conferunt ad supputandum dies mensis lunaris, imprecatur nocti illi vt non supputetur inter noctes testes mensis lunaris. Ad differentiam autem mensium fixorum (quibus modò vtimur) dicitur *mensium Lunæ*; menses enim lunares non sunt fixi, sed incipiunt cum noua Luna.

Menses fixi. Menses lunares.

Vers. 7. SIT NOX ILLA SOLITARIA. Iuxta Hebræum habetur: *Ecce nox illa, erit solitaria.* Duæ orationes sunt: altera, *ecce nox illa*: altera, *erit sola*: languentis sunt verba, demonstrantis meritum noctis illius, & imprecatur illi solitudinem: vt videlicet destituta sit ab omni conuentu conuiuarum, & huiusmodi. NEC LAVDE DIGNA. Iuxta Hebræum habetur, *non veniet cantilena in ea.* Nocturno enim tempore soliti sunt iuuenes & in conuiuiis & per vicos ciuitatis cantare.

Vers. 8. MALEDICANT EI QVI MALEDICVNT DIEI. Imprecatur nocti illi, vt etiam ab horrentibus diem artificialem (ac per hoc cupientibus quòd nox nunquam finiretur) maledicatur. QVI PARATI SVNT SVSCITARE LIVIATHAN. Iuxta Hebræum habetur, *quia sunt parati suscitare luctum suum.* Ratio redditur quare maledicunt diei: quia videlicet parati sunt ad suscitandum luctum proprium aduenientè die: nocte enim quiescentes à luctu, renouant luctum illucescente die: & propter eà maledicunt diei, horrentes diem propter luctum. Consuetudo (vt reor) tangitur antiqua lugentium mortuos multis diebus, qui nocte quiescebant.

Suscitare Leuiathã, quid? Diei maledicunt, cur?

OBTENEBRENTVR STELLÆ CALIGINE EIVS. Vers. 9. Iuxta Hebræum habetur: *Obscurentur stellæ crepusculi eius.* Sententia est clara. EXPECTET LVCEM, ET NON VIDEAT. Iuxta Hebræum habetur, *sperabit lucem, & non*, subauditur *erit.* Priuationem stellarum crepusculi tam vespertini, quàm matutini priùs imprecatus est: modò autem priuationem omnis lucis. NEC ORTVM SVRGENTIS AVRORÆ. Iuxta Hebræum habetur, *& non videbit palpebras aurora.* Metaphoricè prima initia auroræ appellantur, palpebræ auroræ, tanquam partim tegentia, & partim monstrantia auroram: vt enim penitus nox illa priuata sit lumine, imprecatur vt nec videat palpebras tegentes auroram.

Palpebra aurorã, pro primo aurora initio.

QVIA NON CONCLVSIT OSTIA VENTRIS, QVI PORTAVIT ME. Vers. 10. Sententia rectè redditur: quamuis Hebraicè breuiùs scribatur, *ventris mei.* Quod autem subditur: NEC ABSTVLIT MALA AB OCVLIS MEIS. Iuxta Hebræum habetur, *& abscondit laborem ab oculis meis.* Duas præmissæ maledictionis causas assignat: alteram, quia non concluserit ostia ventris mei. Et dicit *mei*, ad differentiam eiusdemmet materni ventris vehentis fratrem, aut sororem suam: non enim imprecatur conclusionem ventris grauidi aliâ prole, sed seipso dumtaxat: & propterea dicit *ventris mei*, quia non concluserit prohibendo meam natiuitatem, quia non abstulit mihi vitam in vtero manenti, vel ex vtero egredienti. Alteram, quia abscondit laborem ab oculis meis. Conditionis humanæ est, quòd ego non præuideam futura mihi mala, sed futurus labor in periculis occursuris lateat me: & propterea dicit, *& abscondit laborem ab oculis meis.*

Maledictionũ præfatarũ duplex causa.

Siste parum, prudens Lector, & recole quod diximus: videlicet quòd Iob detestabilem proponit vitam suam primùm vt materiam tristitiæ, & deinde vt materiam timoris: propterea enim assignat modò duas istas causas maledictionis præmisse: prima siquidem spectat ad vitam suam vt tristem: secunda verò ad vitam suam vt terribilem. Et vtramque diffusè prosequitur separatim: vt patebit exponendo literam. Et per has causas manifestat Iob quòd non maledicebat tempora illa absolutè, sed quatenus mala: hoc est, tristitiæ & timoris initia. Nec obliuiscaris velleitate simili imprecari sibiipsi mortem in materno vtero: ita quòd præfert mortem in vtero suam, vitæ quam expertus est.

Iob proponit vitam suam primò vt materiã tristitiæ, deinde vt materiam timoris.

QVARE NON IN VVLVA MORTVVS SVM? Vers. 11. Iuxta Hebræum habetur: *Quare non de vulua moriar?* Futurum *moriar* dicitur relatiuè ad conceptum præteritum in vulua: hoc est, in matrice. & est sensus, quare postquam conceptus fui, non est secuta mors?

Aduerte hîc diligentissimè, prudens Lector, quòd ab hoc loco incipit Iob manifestare quo sensu proponat vitam suam abominabilem, quâue intentione præferat mortem in vtero propriam vitæ suæ præsenti: manifestat siquidem velleitatem suam non prodire ex asserta ratione, sed proponere illam ex ratione inquisitiua: ideo enim mortem olim suam quam per modum asserentis videbatur præposuisse vitæ, quum dixit, *quia non concluſit ostia ventris mei*, modò prosequendo illam particulam, resumit inquirendo, *quare non ex vulua moriar?* vt intelligeremus quòd nec ex parte voluntatis, nec

Iob non loquitur asserendo, sed inquirendo.

ex

ex parte intellectus, deliberatè præfert mortem in vtero vitæ suæ, sed ex parte rationis, admirando & inquirendo discurrit: ac per hoc ex parte voluntatis velleitas quædam impossibilium proposita intelligitur. & propterea vniuersus sequens progressus inquisitiuus est: vt ipsæ propositiones interrogatoriæ testantur. QVARE EGRESSVS EX VTERO NON STATIM PERII? Sententia rectè redditur: breuiùs tamen Hebraice scribitur, *ex vtero exiui, & defecum.* Et est sensus, quare non ex vtero exiui, & secuta est mors: futurum enim *defecum*, dicitur relatiuè ad præteritum *exiui.*

Et aduerte quòd quia maledixerat tum noctem conceptionis, tum diem natiuitatis suæ, ideo prosequendo dixit: *Quare non ex vtero moriar:* & hoc quo ad noctem conceptionis: & adiunxit, *ex vtero exiui, & defecum,* & hoc quo ad diem natiuitatis.

Vers. 12. QVARE EXCEPTVS GENIBVS? Sententia rectè redditur: quamuis Hebraice habetur: *Quare præuenerunt me genua?* mulierum sustentantium infantem in suis genibus naturalis quodammodo lectus infantis coxæ sunt mulieris: quæ quia ad genua terminantur, a genibus nominatur. Et dicit *præuenerunt*, quia vere præueniunt infantis vires ad sustentandum se ipsum. CVR LACTATVS VBERIBVS? Iuxta Hebræum habetur, *& quæ vbera quòd lactabor?* Et subauditur repeti verbum *præuenerunt:* est enim sensus, & quare præuenerunt me vbera ad lactandum me? futurum enim *lactabor*, ponitur relatiuè ad præteritum *præuenerunt.* Et iungitur relatiuum *quæ*, dicendo: *& quæ vbera quòd lactabor?* ad differentiam vberum modici lactis insufficientium ad lactandum infantem.

Vers. 13. NVNC ENIM DORMIENS SILEREM, ET SOMNO MEO REQVIESCEREM.

Vers. 14. CVM REGIBVS ET CONSVLIBVS TERRÆ, QVI ÆDIFICANT SIBI SOLITVDINES. Iuxta Hebræum habetur: *Quia nunc iacui & quiescam: dormiui, tunc requies erit mihi. Cum Regibus & consulibus terræ, ædificantibus solitudines sibi.* Futurum *quiescam*, refertur ad præteritum *iacui:* & similiter futurum *requies erit*, refertur ad præteritum *dormiui:* assimilat enim se, si priùs mortuus fuisset, iacenti sic quòd quieuit: ad differentiam iacentium inquiete: & similiter assimilat se olim mortuum dormienti cum quiete, ad differentiam dormientium cum molestia. Et hæc est ratio præferendi mortem olim suam vitæ suæ miseræ; quia videlicet nunc sine est, tempore illius calamitatis, fuissem in loco quietis: hæc est ratio inquirendi quare non præferenda sit mors mea in vtero, huic vitæ miseræ. Et ad augmentum rationis adiungit societatem cum qua quieuerit, dicendo, *cum Regibus & consulibus terræ*; erat enim ipse Iob ex genere regio: & propterea pares cum paribus sociando, dicit *cum Regibus & consulibus terræ*, procul dubio defunctis. Quod autem subditur *ædificantibus solitudines sibi*, de qualibus Regibus & consulibus loquitur demonstrat: videlicet de Regibus & consulibus terræ talibus quòd ædificantes solitudines sibi, mortui sunt: hoc est, deliciis abundantes, hinc migrauerunt: *ædificare* enim *solitudines* est fabricare domos pro solatio venationum in locis desertis. Et deliciosum detonsi *ædificantes* in præsenti tempore, quam debuisset dici *ædificauerunt*, ad insinuandum perseuerantiam in deliciis in tota vita eorum. Dicit itaque Iob quòd si mortuus olim fuisset, quieuisset admixtus Regibus & consulibus, qui hanc vitam olim in deliciis duxerunt: quod apparet longè melius, quam subiectum esse tanto calamitati.

Iob cur statim mortem vitæ præferebat

Ædificare solitudines, quid

AVT CVM PRINCIPIBVS, QVI POSSIDENT AVRVM, ET IMPLENT DOMOS SVAS ARGENTO. Vers. 15. hoc est, vtis argenteis. Disiunctiuè societatem cum defunctis suam significat: vel cum Regibus, qui deliciis vacauerunt, vel cum Principibus, qui diuitiis accumulauerunt. Et simili ratione non dicitur *implerunt*, seu *posse lerunt*, sed *possident*, & *implent*: ad insinuandum quòd perseuerantes in diuitiis migrarunt hinc.

AVT SICVT ABORTIVVM ABSCONDITVM NON SVBSISTEREM. Vers. 16. Concordat Hebraicæ literæ: nisi quòd scribitur in futuro *non ero*, quod in vulgata æditione dicitur *non subsisterem.* Et futurum *non ero*, refertur ad præteritum *absconditum.* Tertia ac vltima est hæc pars disiunctiuæ, quid locius siquidem nunc esset vel Regum, vel Principum, vel abortiuorum, dicit: Et quia aborsui sunt quasi non fuerint in hac vita, ideo dicit *non ero.* Et ad declarandum de quibus abortiuis loquitur, subiungit absque nota disiunctionis, iuxta Hebraicum textum: SICVT INFANTES NON VIDERVNT LVCEM. Appositiua manifestè est constructio literæ, excludens tam factum inanimatum (dicendo *sicut infantes*) quam abortiuum quod ortum aliquandiu vixit, dicendo *non viderunt lucem:* subauditur enim relatiuum *qui.*

Anima immortalitas præsupposita à Iob.

Aduerte primò quòd Iob in verbis istis præsupponit immortalitatem animarum humanarum: nisi enim immortales animas præsupponeret, nequaquam dixisset de seipso olim mortuo, quia modò iacuissem, & quieuerem, dormissem, & esset mihi requies. & rursus nisi animas Regum & Principum immortales præsupponeret, nequaquam assereret quòd in societate illorum iam esset, si olim mortuus fuisset: cum illis enim, qui non sunt, nullus quiescit, nullus sit socius.

Animarum defunctorum diuersi ordines præsupposiri.

Aduerte secundò quòd disiunctiua trimembris (videlicet *cum Regibus, vel cum Principibus, vel sicut abortiuum absconditum*) insinuat diuersos ordines animarum defunctorum tanquam diuersas societates, seu collegia: nisi enim huiusmodi diuersitatem Iob præsupponeret, nequaquam scribere: se, si mortuus olim fuisset, sociari vel delicatis, vel diuitibus, vel abortiuis.

Aduerte tertiò, quòd quia Iob impeccatus fuerat sibiipsi mortem vel in vtero, vel egresso ex vtero antequam lactaretur, ideo relatiuè ad mortem in vtero, dicit, *vel sicut abortiuum absconditum*: relatiuè autem ad mortem post egressum ex vtero, dicit: *vel cum Regibus* delicatis, vel *cum Principibus* diuitibus: sub dubio enim relinquit, an cum Regibus delicatis, an cum Principibus diuitibus quietem sortitus esset: natus siquidem erat regius infans delicatus, & Princeps diues.

Reges & Principes post hanc vitam quiescere, qui verificetur.

Sed occurrit non dissimulando quæstio: quonam pacto verificantur hæc verba Iob quod Reges & Principes post hanc vitam quieuerint, quemadmodum animæ infantum qui nullum actuale peccatum commiserunt: clarè enim dicit quòd si infans mortuus fuisset, quieuisset modo

modò cum Regibus qui in deliciis vixerunt, vel cum Principibus qui impleuerunt domos suas argento. Iob siquidem fidelis erat, & nouerat pœnas animarum in alia vita. Solutio est quòd Iob loquitur de animabus defunctorum secundum statum naturæ; nec mentitur: quemadmodum enim in præsenti vita dupliciter loquimur de anima hominis (vel secundùm id quod est naturæ, vel secundùm id quod est gratiæ diuinæ) ita de animabus defunctorum duplex potest esse sermo, vel secundùm earum duntaxat naturalia, vel secundùm adiunctam diuinæ prouidentiæ dispositionem ad pœnam, vel præmium. Nec mentitus est Iob dicens quiescere animas Regum & Principum, spectando ad id quod est naturæ duntaxat, hoc est, seclusâ consideratione diuini ordinis secundùm pœnas, vel præmia animarum: quemadmodum non mentitur Mathematicus dicens circulum non esse calidum, vel frigidum, lucidum, aut obscurum, quamuis nullus inueniatur circulus absque aliqua harum qualitatum; abstrahentes enim non mentiuntur, vt scribitur *in 2. Physic.* Iob itaque verba ista verificantur, abstrahendo ab ordine pœnarum superaddito naturæ à prouidentia diuina.

Abstrahentes non mentiri.

Vers. 17. *Animarum quies in alia vita communis omnibus.*

IBI IMPII CESSAVERVNT A TVMVLTV. Iuxta Hebræum habetur, *Ibi impij prohibuerunt iram.* Dixerat quòd nunc quiescerent cum Regibus, vel Principibus: & propterea manifestat quietem animarum in alia vita communem esse omnibus. & inchoat ab impiis, dicendo quòd ibi non inuenitur ira impiorum. Et per hoc manifestatur quies, tum ipsorum impiorum ab inferendo aliis iniuriam, tum aliorum à patiendo iram impiorum. ET IBI REQVIVERVNT FESSI ROBORE. Iuxta Hebræum habetur, *& ibi requiescent laboris si robore.* Labor corporeus significatur per adiunctum robur: & requies à laboribus corporeis, *ibi* (hoc est, in alia vita) describitur.

Labor corporeus, & requies à laboribus corporeis differi dicuntur.

Vers. 18. ET QVONDAM VINCTI PARITER SINE MOLESTIA, NON AVDIERVNT VOCEM EXACTORIS. Iuxta Hebræum habetur, *Pariter captiui quiescent: non audierunt vocem oppressoris.* Siue captiuos, siue carcere detentos intelligas, sensus in idem redit: requies enim eorum in alia vita describitur, tum à passione vinculorum & carceris, tum à voce oppressoris vexantis eos in hac vita.

Vers. 19. PARVVS ET MAGNVS IBI SVNT: ET SERVVS LIBER A DOMINO SVO. hoc est, Paruus & magnus ibi sunt absque disparitate magnitudinis & paruitatis quæ in hac vita inter eos fuerat: quod manifestat per hoc quòd seruus est ibi liber à dominis suis, omnibus quos in hac vita habuerat. Et per hæc omnia manifestat Iob quietem esse communem animabus omnium defunctorum: & propterea meritò dixisse quòd si olim mortuus fuisset, nunc quiesceret cum animabus defunctorum. Et hic terminatur tractatus detestandi vitam propriam quatenus materiam tristitiæ.

Vers. 20. *Iob proponit vitam suam detestabilem: ratione timoris annexi.* QVARE MISERO DATA EST LVX, ET VITA IIS, QVI IN AMARITVDINE ANIMÆ SVNT? Iuxta Hebræum habetur, *Quare dabit laborioso lucem, & vitas amaris animo?* Dixerat superiùs de tempore conceptionis & natiuitatis suæ, *quia abscondit laborem ab oculis meis.* prosequitur modò illam rationem, proponendo vitam suam detestabilem ratione annexi timoris. Et quia timor Iob consurgebat ex duabus simul iunctis causis, videlicet ex solicitudine incerta, & ex experta animi amaritudine tam magna, ideo coniunctim proponit duo, & laborem solitudinis internæ, & amaritudinem animi vehementem: ex vehementi siquidem interna animi amaritudine quam in se senserat ex repentinis afflictionibus & doloribus, solicito laborabat timore ne repentinum aliquod aliud superueniret sibi grande malum, & passio tam magna interna insurgeret vt perturbaret rationem, & à recto deflecteret ad impatientiam & desperationem. Hic solicitus timor appellatur *Labor*, quia verè est labor, non corporis, sed mentis, conferentis propriam animi fragilitatem dispositionémque suam præsentem cum periculo quod posset superuenire. Et propterea inquirendo proponit: *quare* tempus conceptionis ac natiuitatis, *dabit*, hoc est, perseuerabit dando, *laborioso*, secundùm mentem (solicitè timendo ne obuoluatur ratio) *lucem*, præsentis vitæ, quâ non videt nisi præsentia, *& vitam* præsentem, *amaris animo*, quibus vita exosa est? Et aduerte quòd loquitur de seipso in tertia persona, & mutando singulare in plurale: ad insinuandum quòd loquitur de seipso laborante tali timore ex amaritudine animi, & sibi similibus: huiusmodi enim timor sæpe communis est vitis iustis in amaritudine constitutis.

Timor pro labore.

Vers. 21. QVI EXPECTANT MORTEM, ET NON VENIT. Sensus recte redditur. quamuis Hebraicè postrema verba sint, *non ipsa*, subauditur *est*. Proposuerat duo coniunctim: videlicet laboriosum, & amaros animo; declarateque intendens vtrumque, incipit à posteriore: manifestando quòd non loquitur de amaris animo qualitercunque, sed tam vehementer quòd cupiunt mori, & non moriuntur. QVASI EFFODIENTES THESAVRVM. Iuxta Hebræum habetur, *& cauabunt eam plusquam abscondita.* Assimilat prædictos fodientibus terram ad inueniendum thesauros absconditos: comparat autem non similitudine æquali, sed excessiua, dicendo quòd cauabunt mortem auidius, quàm cauantes abscorditos thesauros.

Amari animo qui?

Vers. 22. GAVDENTQVE VEHEMENTER CVM INVENERINT SEPVLCHRVM. Iuxta Hebræum habetur, *Gaudentes gaudio, gaudebunt quod inuenient sepulchrum.* Describit cauantes thesaurum, de quibus loquitur: illos videlicet, qui magno exultant gaudio inter cauandum, quòd vident iam signa sepulchri quæsiti, eo quòd tunc inuenient sepulchrum in quo est thesaurus: aiunt enim antiquos Principes sepultos fuisse cum thesauris. Et hæc omnia dixit ad manifestandum quòd loquitur de amaris animo magis affectis ad mortem, quàm isti ad thesaurum.

Vers. 23. VIRO CVIVS ABSCONDITA EST VIA. Iuxta Hebræum habetur, *Viro cui via sua abscondita fuit.* Declaratis *amaris animo*, quos proposuerat, declarat consequenter *laboriosum* quem simul proposuerat. Et quia in datiuo casu proposuerat, dicendo, *quare dabit laborioso lucem*, ideo vt clarus quoque esset ordo literæ, prosequitur in casu datiuo, dicendo, *viro cui via sua fuit abscondita*: ac si apertiùs dixisset, loquor de laborioso viro, cui via sua fuit abscondita: causam siquidem tangit laboris solicitè timentis, dicens, *cui via sua fuit abscondita.* quemadmodum enim viatores nescientes

Laboriosus quis?

scientes qualiter disposita est via, timent occursus periculorum, ita vir iustus repentinas amaritudines expertus, quia nescit quid in via vitæ suæ superuenturum sibi est, solicito laborat timore ne multiplicentur mala. ET CIRCVNDEDIT EVM DOMINVS TENEBRIS. Iuxta Hebræum habetur, *& texit Eloah per eum.* De quali absconsione viæ vitæ præsentis loquitur manifestat, dicendo, *& texit Eloah per illum*, ac si apertiùs dixisset, non dico viam absconditam propter aliqua tegmina adiecta extrinsecùs, sed ideo abscondita, quia Deus iudex & gubernator omnium operuit viam per ipsummet hominem. quod verificatur ad literam ratione naturæ: quia homo suapte natura inscius est viæ suæ, futurorumque sibi euentuum.

Vers. 24. ANTEQVAM COMEDAM SVSPIRO: ET QVASI INVNDANTES AQVÆ SIC RVGITVS MEVS. Iuxta Hebræum habetur, *Quia ante panem meum, suspirium veniet: & aduenerunt sicut aqua clamores mei.* Rationem reddit quare proposuerit vt detestabilem prorogationem, vitæ *laboriosi*, & *amaroram animo*, vtens Coniunctione *quia*, dicendo, *quia ante panem meum*; ac si apertiùs dixisset: ideo hæc proposui, quia pertinent ad me. Et quoniam duo proposuerat (videlicet amaritudinem animi, & laborem timoris) ideo ambo sibiipsi applicat, inchoando ab amaritudine animi tam magna, quòd etiam sumpturus cibum præueniebatur multitudine suspiriorum & clamorum, quemadmodum aduenientium aquarum quæ sese impellunt. Frequentia enim clamorum tanquam carens quiete media, describitur ex metaphora aduenientium aquarum, quum præcipites ruunt ex altioribus locis.

Iob duo sibi applicat, amaritudinem animi.

Vers. 25. QVIA TIMOR QVEM TIMEBAM EVENIT MIHI, ET QVOD VEREBAR ACCIDIT. Iuxta Hebræum habetur, *Quia timore timui, & venit mihi: & quod timui, veniet mihi.* Applicat sibiipsi alterum quod proposuerat, videlicet laborem soliciti timoris, dicendo, *quia timore timui, & venit mihi.* hoc est, antequam calamitatem hanc incurrerem, timore timui, & superuenit mihi calamitas. Et citat pristinum suum timorem propter duo: tum ad monstrandum rationabile esse, quòd imputet calamitatem suam naturalibus initiis vitæ suæ: & hoc ad excludendum quòd vita sua scelesta fuerit causa tanti sui mali: tum præcipuè ad manifestandum rationi consentaneum esse timorem suum post ruinam, ne multiplicentur mala vrgentia ad impatientiam & desperationem: ex eo enim quòd in prosperitate olim constitutus vixit non securus, sed timens casum, & euenit casus, consequens fuit vt ad calamitatem deductus timeret ne peiora sequerentur. Et propterea subdit, *& quod timui, veniet mihi.* hoc est, & etiam quod post ruinam timui (videlicet occursum causarum ducentium me ad impatientiam) veniet mihi. Non assertiuè, sed argumento consentaneo illis, quæ præcesserunt, infert, *& quod timui, eueniet mihi*, significans per hoc rationabilem esse huic suum timorem: more siquidem valde timentium præsagit fore quod timet.

& Laborem timoris.

Vers. 26. NONNE DISSIMILAVI? NONNE SILVI? NONNE QVIEVI? ET VENIT SVPER ME INDIGNATIO? Iuxta Hebræum longè aliter habetur: *Non pacificaui, & non quieui, & non requieui, & venit ira.* Manifestat rationabilitatem præsentis timoris ex qualitate timoris in semetipso antequam pateretur hæc mala: dixerat enim, *quia timore timui, & euenit mihi.* declarat modò tum qualis fuerit timor suus pristinus, dicendo *non pacificaui* animum meum semper solicitus: nec solùm priuaui animum meum tranquillitate pacis, sed etiam quiete & requie præ magnitudine timoris. Et priuatio quidem pacis refertur ad internam solicitudinem, quietis verò ad opera: & est sensus quòd non quieuit ab operibus bonis auertentibus iram Dei. Priuatio verò requiei indefessam prosecutionem bonorum operum insinuat. Tum quid venit, dicendo, *& venit ira*, proculdubio Dei. Itaque proponit quòd non obstantibus prædictis, Deus tanquam iratus afflixit eum.

CAPVT IV.

RESPONDIT AVTEM ELIPHAZ THEMANITES. Hactenus proposuit Iob materiam disputabilem: & propterea amici eius qui non ausi fuerant priùs loqui, prouocati ab ipso Iob proponente vitam suam detestabilem post tantum timorem refertum operibus bonis indefessè, respondere dicuntur, proculdubio ad propositata à Iob. ET DIXIT: Vers. 1. *Eliphaz respondit ad propositionē Iob.*

SI COEPERIMVS LOQVI TIBI, FORSITAN MOLESTE ACCIPIES. Iuxta Hebræum habetur, *Num tentauit verbum te, lasseris?* Et est sensus, nunquid tentatus tu verbo, in lassitudinem incurres? & dixit hoc, quia tentare intendebat ipsum examinando dicta eius. Et quamuis interrogatiuè loquatur, affirmationem tamen intendit: videlicet quòd verbo tentatus lasseresceret, hoc est, more lassescentis suscipiet sermonem exosum. SED CONCEPTVM SERMONEM TENERE QVIS POTERIT? Iuxta Hebræum habetur, *& retinere in verbis quis poterit?* hoc est, & in verbis à te propositis quis poterit continere se à locutione? Intendit itaque quòd quamuis exosum Iobi futurum sermonem cognoscat, non potest tamen tacere, quia proposita à Iobe non permittunt silentium. Vers. 2.

ECCE DOCVISTI MVLTOS. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce castigasti multos.* Post proœmium incipit Eliphaz examinando verba Iob arguere ipsum: & quia Iob proposuerat se non quieuisse ab operibus bonis, ideo primum argumentum aduersùs Iobem assumit ex operibus bonis ipsius Iob, ad exaggerandum lassitudinem, & pauorem eiusdem: multò enim indecentius est virum magnorum operum ruere in tædium huius vitæ, & timiditatem animi, quàm hominem gregarium incurrere has animi perturbationes. Vers. 3. *Eliphaz arguit Iobe ex eius operibus bonis.*

Vbi & aduerte quòd Eliphaz duo simul officia facit, commemorando bona opera Iobis: nam & affirmat Iobem multa bona opera fecisse, & vtitur illis ad exaggerandum culpam nouam. Quattuor autem bonorum operum genera, sed omnia erga alios commemorat fecisse Iobem. quorum primum est, *Ecce castigasti multos.* Dictio interpretata *castigasti*, est illamet quæ habetur *Proverb. 3.* interpretata *corripit*, quum dicitur, *quem diligit Deus corripit*, & ab aliis interpretata *increpat.* Castigatio ergo vel verbo, vel verbere significatur: pater enim & Princeps Iob vtroque modo castigauerat multos, prout opus fuerat: *Eiusmodi bona opera quattuor. Primum.* *Secundum.*

fuerat : ET MANVS LAXAS ROBORASTI. Hebraice ſcribitur in futuro *roborabis*.

Vers. 4. *Tertium. Quartum.*

VACILLANTES CONFIRMAVERVNT SERMONES TVI. Iuxta Hebræum habetur, *Ceſſitantem erigent ſermones tui.* & immediatè ſubiungitur, ET GENVA INCVRVATA ROBORABIS. Significantur autem hæc tria opera verbis futuri temporis, relatiuè ad primum ſignificatum in Præterito, *ecce caſtigaſti multos.* Ac ſi apertiùs dictum fuiſſet: a tempore quo gubernaſti caſtigando multos, perſeueraſti roborando manus laxas (hoc eſt, remiſſas) & erigendo ceſpitantes, & roborando genua incuruata. Et iſtis tribus metaphoris comprehenduntur tria genera indigentium opitulante: per *manus* enim *remiſſas* ſignificantur operãtes tepidè, ſeu debiliter: per *ceſpitantes* autem bene operantes, ſed occurſu aliquo extrinſeco quaſi cadentes impingendo: per *incuruata* demum *genua*, inſinuantur illi, quorum fortitudo ſuccumbit magnitudini oneris, vel laboris. Commemoratur ergo quòd Iob omnibus opem tulerit verbis, vel factis.

Egritum auxiliatore triplex genus: quibus Iob opem tulit.

Vers. 5. NVNC AVTEM VENIT SVPER TE PLAGA, ET DEFECISTI: TETIGIT TE, ET CONTVRBATVS ES. Iuxta Hebræum habetur, *Quia nunc veniet ad te, & laſſatus es: tanget vſque te, & territus es.* Duas paſſiones animi incurriſſe Iobem, ex propriis ipſius verbis perpendit Eliphaz: alteram laſſitudinis reſpectu vitæ propriæ, hoc eſt, quòd erat tam fatigatus proprio viuere vt tanquam laſſus non poſſet ſuſtinere vitam ſuam. Et hanc animi laſſitudinem hauſerat ex verbis Iobis deteſtantibus propriam vitam, vſque adeò vt præferrent mortem vitæ. Et quia hæc laſſitudo animi reprehenſibilis proculdubio eſt (eſt enim vitium quod Philoſophi appellant *mollitiem animi*) ideo Eliphaz putans Iobem incurriſſe hanc animi laſſitudinem, quam verba primâ fronte ſonabant, reprehendit Iobem quòd alios confortauerit, & ipſe mollis ſit, dicendo: *& nunc veniet ad te, & laſſatus es.* Futurum *veniet*, relatiuè ad præcedentia opera bona ſcribitur. Tacentur autem quod euenit, & quo laſſatus eſt, tanquam manifeſtiſſima quæ ſubintelligi ſolẽt.

Eliphaz arguit Iobũ laſſitudinis animi.

& timiditatis.

Alteram timoris, quam ipſa quoque verba Iobis manifeſtauerant. Verùm vtramque perturbationem animi interpretatus eſt Eliphaz in deteriorem partem: nam velleitatem quâ Iob prætulit mortem vitæ, interpretatus eſt laſſitudinem animi: & timorem futuri euentus non explicati adhuc ab ipſo Iobe, interpretatus eſt vitium timiditatis. Et futurum *tanget*, refertur ſimiliter ad præterita bona opera. & dicit, *tanget vſque te*, ac ſi apertiùs dixiſſet: mala quæ aliis hominibus euenium, quia modò venerunt vſque ad te tangendo etiam perſonam tuam.

Vers. 6. VBI EST TIMOR TVVS, FORTITVDO TVA, PATIENTIA TVA, ET PERFICTIO VIARVM TVARVM? Iuxta Hebræum habetur, *Nonne timor tuus fiducia tua: ſpes tua & perfectio viarum tuarum?* Argumentum ſecundum aduersùs Iobem aſſumit quoque ex virtutibus Iobis, interpretando virtutes Iobis fuiſſe non veras virtutes, ſed ad bonum vtile ordinatas. Et quia Iob dixerat ſe habuiſſe ſemper timorem, & indefeſſa bona opera, ideo Eliphaz & timorem interpretatur in malam partem, dicendo, *nonne timor tuus fiducia tua?* ſubaudi *fuit*: hoc eſt, timor Dei apud te non fuit timor Dei propter Deum, ſed propter confidentiam: vt videlicet alij crederent te timere Deum, & ſic timor Dei eſſet tibi fiducia viuendi cum bona fama apud alios.

Argumentum ex eius virtutibus.

Similiter quoque inuertit bona opera, ſubiungendo, *ſpes tua & perfectio viarum tuarum.* Metri enim causà tranſpoſitæ ſunt particulæ; eſt enim ordo literæ, *& perfectio viarum tuarum ſpes tua?* Et eſt ſenſus, nónne & perfectio viarum tuarum fuit non propter amorem honeſti, ſed quia in illis ponebas ſpem tuam, ad aſſequendum fauorem populi, &c. Bona itaque opera Iobis quæ Eliphaz negare non poterat, quæve affirmauerat, interpretatur in malam partem, quòd non amore boni honeſti, ſed boni vtilis officia virtutum exercuerit.

RECORDARE, OBSECRO TE, QVIS VNQVAM INNOCENS PERIIT. Dictio interpretata *innocens*, ab aliis interpretatur *mundus*. Probat falſas fuiſſe virtutes Iobis, ex hoc quòd ſi fuiſſent veræ virtutes, non paſſus fuiſſet Iob tantam calamitatem, quia nullus mundus à ſcelere vnquam periit. Et ſi obiiciatur de Abel iuſto qui occiſus fuit à fratre, reſponderet Eliphaz quòd ipſe loquitur de plagis quas dat Deus, & non de inflictis ab hominibus; Iob enim percuſſus à Deo fuerat, teſtante igne cœleſti, & vento qui concuſſerat domum filiorum, & plenitudine vlcerum in propria perſona. ET VBI RECTI DESTRVCTI FVERVNT. Argumentum à iuſtis ſeruatis in diluuio, & ſimiliter à iuſtis ſeruatis in ſubuerſione Sodomæ, ſumere potuit Eliphaz. Vers. 7.

Iobi virtutes falſas arguit Eliphaz.

QVIN POTIVS VIDI EOS QVI OPERANTVR INIQVITATEM, ET SEMINANT DOLORES, ET METVNT EOS. Vers. 8.

FLANTE DEO PERIISSE, ET SPIRITV IRÆ EIVS ESSE CONSVMPTOS. Iuxta Hebræum habetur, *Sicut vidi aratores torti, & ſeminatores iniqui, metent illud: à flatu Eloah peribunt, & à ſpiritu naſi eius deſtruentur.* Manifeſtat Eliphaz, quòd de plagis diuinis loquitur, aſſignando diſſimilitudinem inter rectos & iniquos penes bona & mala huius mundi: propterea enim ſubiungit, *ſicut vidi aratores torti.* ſub metaphora ſiquidem ſeminantium, arantium, & metentium nominat iniquos, ſtudium eorum ſignificans per *arare*, & opera per *ſeminare*, & fructum per *metere*. Et ſubauditur præpoſitio *ante*; ita quòd ſenſus eſt: Antequàm metant illud, *à flatu Eloah peribunt.* Hunc enim ſenſum præ ſe fert metaphora pereundi *à flatu* Dei iudicis: quadrat enim vt iniqui aſſimilati arantibus & ſeminantibus iniquitatem, ac per hoc tanquam agros plenos culmis & ſpicis habentes, deſcribantur ante meſſem à flatu Dei tanquam à vento perire. Idem autem ſignificatur *flatu Dei*, & *ſpiritu naſi eius*; niſi quòd differunt tanquam res & ratio rei: *ſpiritus* ſiquidem *naſi Dei* iram Dei ſignificat, quæ eſt ratio flatus exurentis ſegetes: more enim humano iram ex naſo deſcribit. Et per hæc manifeſtè aſſerit Eliphaz aduerſitates præſentis temporis non dari à Deo niſi peccatoribus: ac per hoc virtutes Iob non fuiſſe veras, ſed Iob propter peccata ſua fuiſſe punitum. Vers. 9.

Spiritus naſi Dei. Id eſt, ira Dei.

RVGITVS LEONIS, ET VOX LEÆNÆ: ET DENTES CATVLORVM LEONVM CONTRITI SVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Rugitus leonis, & vox leunculi: & dentes leunculorum euulſi fuerunt.* Aiunt Hebræi multis nominibus nominari hîc leones: ſed prima duntaxat vice ſignificari leonem maiorem, reliquis autem nominibus ſignificari leones iuniores: diuerſarum forte ætatum, & propterea ſecunda vice non leunculus paruulus, ſed iuuenis intelligi poteſt. Vers. 10.

Leonum varia nomina.

Sed

Sed aduerte quòd sine verbo aliquo remanent rugitus & vox, nisi eualsio ad hæc extendatur.

Vers. 11. *Eliphaz arguit Iobum de rapacitatis vitio.*

TIGRIS PERIIT EO QVOD NON HABERET PRÆDAM : ET CATVLI LEONIS DISSIPATI SVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Leo perit à non rapina : & filij leonis separabuntur.* Dictio interpretata *rapina*, non plenè exprimitur per rapinam, aut prædam : quoniam significat lupino more rapere. Et est sensus quòd leo perit, quia deficit ei lupinum rapere. & propterea aptè subiungitur quòd *filij leonis separabuntur*, vtpote non prouisi à patre de esca. Has autem metaphoras de leonibus iunioribus diuersarum ætatum, & leone maiore, propter Iob & filios eius attulit Eliphaz, imputans eis leoninam rapacitatem, ita quòd sub istis metaphoris dicit eos fuisse rapaces. Vbi prudens Lector nota progressum. nam Eliphaz primùm affirmauit bona opera Iobis erga alios, ad exaggerandum culpam nouam: deinde virtutes Iobis non fuisse veras virtutes interpretatus est : & demum manifesta vitia imputat ei & filiis eius, quia etiam filij perierant stante Deo, ex spiritu iræ eius concutientis domum in qua erant.

Vers. 12. PORRO AD ME DICTVM EST VERBVM ABSCONDITVM : ET QVASI FVRTIVE SVSCEPIT AVRIS MEA VENAS SVSVRRII EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Et mihi verbum erit furtiuum : & suscepit auris mea modicum ex eo.* Postquam Eliphaz arguit Iobem tum de noua culpa lassitudinis & timiditatis, tum de falsis olim virtutibus, tum de vitio rapacitatis, progreditur ad altiora argumenta, vt conuincat Iobem ad agnoscendum punitionem diuinam propter peccata ipsius. Et siue verè, siue fictè (hoc est, sub metaphora) narret reuelationem diuinam sibi factam, Hebræo more priùs describitur res gesta, quàm modus quo res illa facta est. hoc enim, (videlicet quòd *verbum furtiuum* fuit ad eum, & quòd parum ex illo verbo *suscepit auris* eius) postremum fuit. verbum enim *furto raptum ab ipso*, insinuat & occultum mysterium, & proprium studium ad quasi furandum huiusmodi secretum : parum autem ex ipso percepisse, fructum consecutum significat.

Fictè, id est, sub metaphora.

Vers. 13. *Iobus visio.*

IN HORRORE VISIONIS NOCTVRNÆ. Iuxta Hebræum habetur, *In cogitationibus ex visionibus noctis.* Occupatio propria narratur : in quo videlicet occupabatur quando furtiuum verbum ad ipsum fuit. ait enim quòd occupabatur in cogitationibus, non vndecunque procedentibus, sed ex visionibus noctis : siue per visiones noctis intelligat appatitiones in somnis, siue speculationes intelligibiles quibus homines nocturno studio vacant. QVANDO SOLET SOPOR OCCVPARE HOMINES. Tempus describitur quo habuit vistam visionem : videlicet nocte, ea hora, qua solent homines inchoare somnum.

Vers. 14. PAVOR TENVIT ME, ET TREMOR : ET MVLTITVDINEM OSSIVM MEORVM PAVERE FECIT. Dispositio animi & corporis qua affectus est in hac reuelatione, describitur: videlicet timoris in animo, & tremoris in corpore, tam vehementis, vt ad multitudinem ossium eius pauor pertingeret.

Vers. 15. ET CVM SPIRITVS ME PRÆSENTE TRANSIRET : INHORRVERVNT PILI CARNIS MEÆ. Iuxta Hebræum habetur, *Et spiritus super faciem meam transibit : horripilare fa-*

Caietan. in S. Script. Tom. II.

ciet pilos carnis meæ. Alius effectus huius visionis in pilis describitur : quòd videlicet etiam pili eius inhorruerunt. Causa autem timoris, tremitus & horripilationis, narratur spiritus transiens super faciem eius. apparuit siquidem ei spiritualis substantia, in specie tamen corporea alioquin non describeretur priùs transiens, & postea stans. Corporea autem non corporis crassi, sed instar specierum apparentium in speculo, & propterea nominatur spiritus : quoniam etiam ipsa similitudo corporea apparebat spiritualis, & transiens coram eo, in situ tamen superiore relatiuè ad faciem eius. Describitur autem transitus per tempus futurum, relatiuè ad cogitationes in quibus dixit se occupari.

Iobi visionis effectus in pilis.

Iobus timoris causa qua.

Vers. 16. STETIT QVIDAM, CVIVS NON COGNOSCEBAM VVLTVM. Iuxta Hebræum habetur, *Stabit, & non agnoscam aspectum eius.* Descripserat quòd spiritu transeunte timor, tremor & horripilatio affecerunt eum : describit modò quòd stante spiritu non agnouit aspectum eius. Et describitur in futuro tam *stare*, quàm *non agnoscere. stare* quidem relatiuè ad transitum: *non agnoscere* verò relatiuè ad ipsum *stare*. IMAGO CORAM OCVLIS MEIS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *imago è regione oculorum meorum.* Duo declarat. Alterum quòd spiritus apparuit in imagine, hoc est, similitudine corporea, quemadmodum, vt dictum est, sunt imagines quæ resultant in speculo. erat enim visibilis corporeis oculis : alioquin non diceretur, *è regione oculorum meorum.* Alterum quòd vbi priùs transierat imago hæc super faciem ipsius Eliphaz, stetit postea *è regione oculorum* eius, ET VOCEM QVASI AVRÆ LENIS AVDIVI. Iuxta Hebræum habetur, *submissam & vocem audiam.* Metri causa transposita est Coniunctio. nam ordo literæ est, & vocem submissam audiam. Et futurum *audiam* refertur ad *stare* similitudinem coram oculis eius. postquam enim stetit similitudo, allocuta est eum voce submissa, & ipse audiuit illam vocem.

Imago, prosimilitudine corporea.

Vers. 17. NVNQVID HOMO, DEI COMPARATIONE IVSTIFICABITVR : AVT FACTORE SVO PVRIOR FRIT VIR ? Iuxta Hebræum habetur, *Num homo plus Eloah iustificabit ? num plus factore suo mundabit se vir ?* Ecce quid audiuit ex voce illa submissa : videlicet quòd homo non est iustior Deo gubernatore, & iudice mundi, nec est mundior Deo qui fecit illum. Et intendit per hoc conuincere Iobem qui dicebat se afflictum a Deo, absque culpa sua. ex hoc enim sequeretur quòd homo esset iustior Deo. Et patet sequela ex eo quòd homo iustus abstinet se ab afflictione innocentis : Deus autem non abstineret se ab affligendo innocentem : & sic homo plus Deo iustificaret, hoc est, iustitiam faceret. Et hoc est primum quod scribitur, *num homo plus Eloah iustificabit?* quod est impossibile : videlicet quòd homo plus faciat iustitam, quàm Eloah, hoc est, iudex vniuersorum. Similem sententiam habes ex ore Abraham Genes. 18. *Absit à te qui es omnium iudex vt perdas iustum.*

Iustifico, id est, iustitiam facio.

Eloah vniuersorum iudex. Gen. 18. 25.

Alterum autem manifestius impossibile subiungitur : videlicet quòd vir possit reddere se mundiorem Deo, qui est effector hominum. nam & hoc quoque ex eadem pullularet radice : quia si vir reddit se mundum à culpa affligendi innocentem, & Deus affligit innocentem, sequeretur

quòd homo redderet se mundiorem Deo factore suo. Ex hac ergo sententia sibi reuelata intendit Eliphaz confutare Iobem diuina authoritate.

Eliphaz arguitur falsi.

Et scitò quòd licèt verum dicat negando hominem esse iustiorem, aut mundiorem Deo: falsò tamen subintelligit quòd si Deus affligeret innocentem, homo esset iustior Deo. Et ratio est, quia Deus nulli creaturæ est debitor, sed conseruat gratis quodlibet esse cuiuscumque hominis: ac per hoc potest sine cuiuscumque iniuria tollere ab homine innocente incolumi, patre filiorum ac diuite, esse diuitem, esse patrem, esse sanum: immò & tollere totum esse penitus, annihilando ipsum, & propterea argumentum Eliphaz nihil valet.

Vers. 18. ECCE QVI SERVIVNT EI, NON SVNT STABILES, ET IN ANGELIS SVIS REPERIT PRAVITATEM. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce in seruis suis non faciet fiimitatem, & in Angelis suis ponet stultitiam.* Aduerte prudens Lector quòd hæc cum vniuersis subiunctis in hoc capitulo, intelligo à spiritu illo stante dicta, voce submissa ad Eliphaz. Ita quòd Eliphaz narrat se audisse à voce illa non solùm prædicta verba comparatiua hominis ad Deum, sed etiam verba hæc cum subiunctis, in quibus fit comparatio hominum ad Angelos: vt monstretur homo peccator non solùm relatiuè ad Deum, sed etiam relatiuè ad Angelos, quorum quoque natura est nobis occulta.

Homo cum Angelis comparatus.

Aduerte prudens Lector quòd tam hæc de Angelis, quàm subiuncta de hominibus, dicuntur de Angelis & hominibus secundùm eorum naturalia. ita quòd manifestatur primùm natura Angelorum, & deinde natura hominum. Duæ autem conditiones naturales Angelorum manifestantur. Prima est quòd Deus non fecit eos firmos, quo ad voluntatem: altera est quòd Deus posuit in eis stultitiam, quo ad intellectum. Et vtraque verè asseritur: quantum substantiæ spirituales omnes creatæ sunt à Deo secundùm intellectum stultæ, non actu, sed potentia: hoc est, quòd Deus non fecit in eis actualem imprudentiam, sed dedit eis intellectum qui posset deficere à prudentia agendi recte. & similiter non dedit Deus illis voluntatem firmam in bono, sed liberam ad bonum & malum. Et describuntur hæc verbis futuri temporis relatiuè ad Deum, ad insinuandum quòd Deus creauit spirituales substantias non ab æterno. Eædem autem spirituales substantiæ appellantur serui Dei & Angeli eius: quantum & verè sunt serui, & verè etiam sunt nuncij.

Angelorum duplex conditio naturalis.

Angeli serui, & nuncij

Vers. 19. QVANTO MAGIS ET, QVI HABITANT DOMOS LVTEAS. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam habitantes domos luteas.* Et est sensus quòd etiam habitantes domos luteas, habent ambas conditiones: videlicet instabilitatem voluntatis, & imprudentiam intellectus. Appellat autem homines ratione animarum, *habitantes* corpora tanquam *domos luteas*, eo quòd corpora nostra humana ex commixta terra constant. QVI TERRENVM HABENT FVNDAMENTVM. Iuxta Hebræum habetur, *quorum in puluere fundamentum eorum.* Si ad homines ratione corporum hoc referatur, verum dicitur quoniam etiam *Gen.* 1. scriptum iuxta Hebraicam veritatem est quòd fecit Deus hominem de puluere terræ: & propterea corporis fundamentum appellatur *pulus.* Sed, vt subiuncta testantur, Eliphaz dicit hoc de homine absolutè (hoc est, & secundum animam, & secundum corpus) quòd fundamentum eius puluis est. docet enim quòd etiam anima hominis in mixtione elementorum sustentatur, quemadmodum tenent omnes opinantes animam rationalem esse corruptibilem. & propterea significanter vtitur nomine fundamenti sustentantis totum ædificium, ad insinuandum quòd totum quod est hominis, fundatum est supet puluere, hoc est, tenuissima terra ex qua factus est homo. CONSVMENTVR VELVT A TINEA. Iuxta Hebræum habetur, *conterent eos in facie tinea.* Vt iam diximus, naturales conditiones hominis intendit Eliphaz manifestare: & incepit ab animabus eorum habitantibus domos luteas, habentibus puluerem pro fundamento: hæc enim duo spectant ad principia hominis. Et propterea prosequitur manifestando progressum vitæ hominis secundùm intrinseca: & dicit quòd elementa ex quibus constant homines, *conterent ipsos in facie* (hoc est, in similitudine) *tinea.* tinea siquidem ab intrinseco vestis genim consumit vestem: & similiter homo ab elementis, ex quibus constat, paulatim conteritur. talis enim est progressus humanæ vitæ. Et quemadmodum principia hominis attulit ad declarandum animas hominum esse inferiores Angelis, ita progressum vitæ hominis ab intrinseco parientis sibiipsi consumptionem, attulit ad insinuandum quòd multarum ægritudinum hominis causa non est peccatum hominis, sed conditio naturæ. in cuius testimonium subiunxit brevitatem vitæ hominis, quam perspicuum est esse naturalem. Et dixit hoc, ne quis intelligeret quòd ipse Eliphaz diceret omne malum, etiam ægritudines hominis, dari à Deo propter peccatum hominis. intendit enim excipere mala naturalia, ægritudines, breuitatem vitæ, & mortem.

Puluis, de fundamento corporis.

Ægritudinũ multarũ hominis, causa quæ

Vers. 20. DE MANE VSQVE AD VESPERAM SVCCIDENTVR. Iuxta Hebræum habetur, *à mane vsque ad vesperam consumentur.* breuissimum tempus vitæ hominis significatur per sparium vnius diei à mane ad vesperam. ET QVIA NVLLVS INTELLIGIT, IN ÆTERNVM PERIBVNT. Hanc literam nullus mihi notus interpres hactenus reddidit iuxta Hebraicam veritatem: in qua habetur, *à non ponere, ad semper peribunt*: sic iacet in Hebræo, cum commate interiecto inter verbum *ponere*, & *ad semper*: vt manifestè intelligamus quòd semper determinat verbum *peribunt*. & manifestatis principiis progressu ac brevitate vitæ hominis, manifestat consequenter finem hominis. Vt autem percipiatur clare sensus huius clausulæ, considera quòd quemadmodum *ponere* fert secum rem aliquam (quia nullus potest ponere nihilum) ita *non ponere* simpliciter & absolutè dictum, æquipollet ad nihil ponere. & propterea sensus literæ est quòd homines peribunt ad semper à nihil ponendo quum moriuntur. Si anima hominis reputata fuisset ab Eliphaz immortalis, nequaquam dixisset homines à non ponere mori in æternum: quoniam credidisset quòd homines moriendo ponunt animam, rem remanentem: sed ipse quia existimabat animam rationalem desinere simul cum homine, ideo dixit quòd homines moriendo nil ponunt. Et dixit hoc directè contra verba Iob, quibus

Vita huius breuitas.

Ponendi verbum.

Habitantes domos luteas, de hominibus, qui habitant corpora tanquã domos luteas.

quibus dixerat Iob quòd *si olim mortuus fuissem, modò requiescerem cum Regibus & consulibus terræ, vbi parvus & magnus*, &c. Et apte dicit quòd *peribunt ad semper*: contra sententiam Iobis, qui dixerat quòd mortuus fuisset ad requiem habendam cum Regibus & consulibus, &c.

Vers. 21. QVI AVTEM RELIQVI FVERINT, AFFERENTVR EX EIS: MORIENTVR, ET NON IN SAPIENTIA. Iuxta Hebræum habetur, *Nonne motum fuit ligamen eorum in eis: morientur, & non in scientia?* Dictio interpretata *ligamen*, potest quoque interpretari *præstantia*. Et appellatur anima rationalis quæ est in homine, *ligamen*, vel *præstantia*. *ligamen* quidem, quia continet partes corporis ad vitam: in cuius signum quum non est anima in corpore, partes corporis dissoluuntur. & propterea dicitur *ligamen* eorum quod est in eis, ad differentiam ligaminis extrinseci. *præstantia* verò, quia est id quo præstat homo cæteris animalibus. De anima itaque rationali dicit quòd quia ipsa vtpote *ligamen* corporis existens in eo, seu *præstantia* in eo, fuit mota tempore mortis, inde sequitur quòd homines morientur, & non in scientia erunt: hoc est, non remanebit pars illa qua sciunt. Dixerat prius quòd quia homines nihil habent quod ponant moriendo, ideo peribunt ad semper: manifestat modò hoc idem ex eo quòd homines moriuntur, & non in scientia erunt: hoc est, non in perfectione naturali partis intellectiuæ remanebunt, quia anima eorum mota fuit mutatione substantiali, qualis est corruptio quæ fit in morte. Et hîc terminantur verba quæ Eliphaz dicit se audisse à spiritu apparente sibi. Vbi prudens Lector siste, & confer verba hæc à principio vsque ad finem cum eo quod intendit Eliphaz aduersùs Iobem: & inuenies Eliphaz finxisse hanc apparitionem quasi metaphoram, ad insinuandum quòd hæc quæ multo studio didicerat, erant tam profunda mysteria, vt à supernis Spiritibus manifestata videantur hominibus, dignaque esse vt cum timore & tremore audiantur. Dico autem hoc: quia prima sententia etsi sit vera in se, falsò tamen applicatur, vt declarauimus: quod non est attribuendum reuelationi diuinæ. Rursus hæc quæ dicuntur de morte animæ rationalis, perspicuum est non esse diuinitus reuelata.

Ligamen, vel præstantia, de anima rationali.

CAPVT V.

Vers. 1. VOCA ERGO SI EST QVI TIBI RESPONDEAT: ET AD ALIQVEM SANCTORVM CONVERTERE Iuxta Hebræum habetur, *Voca nunc si est respondens tibi: & ad quem ex Sanctis te vertes?* Recitatis verbis spiritus apparentis sibi, Eliphaz à postremis inchoans, insultando ac irridendo dicit ad Iob, *Voca nunc* aliquem defunctum, *si est respondens tibi*. & dato latissimo campo subdit, *& ad quem* (hoc est, ad quemcunque) *ex Sanctis te vertes*, vocando: quia nullus defunctus quantumcunque habitus ab hominibus pro Sancto, est respondens tibi: vtpote quorum animæ simul cum corporibus interierunt.

Eliphaz rursum arguit Iob iniquitatis.

Quis. pro quicunque.

Vers. 2. VIRVM STVLTVM INTERFICIT IRACVNDIA: ET PARVVLVM OCCIDIT INVIDIA. Iuxta Hebræum habetur, *Quia stultum occidet ira: & simplicem interficiet inuidia.* Dictio interpretata *simplicem*, non propriè exprimitur: significat enim hominem modici iudicij, quem vulgari Italico appellamus *simplicem*. Non digreditur Eliphaz: sed tertogrado ordine tractat audita à Spiritu. inchoauit enim à postremis: & modò tractat prima verba audita de homine relato ad Angelos. Audierat enim quòd etiam homines facti sunt à Deo stulti: & propterea de hominum stultitia tractat. Et proponendo duo stultorum genera quasi extrema, intendit comprehendere homines omnes medios ex extremis: & declarare quòd omnes homines incurrunt aliquod peccatum perturbationum animi, quas *passiones* vocamus. & propterea nominat duo extrema vitia (iram & inuidiam) penes duas extremas passiones, iram & tristitiam: illam ex colera, istam ex melancholia; illam ex igne, hanc ex terra; illam vt supremam inter aggressiuas, istam vt supremam inter retractiuas animi perturbationes: vt ex istis reliquas passiones intelligamus. Intendit ergo manifestare quòd ex hoc quòd Deus fecit hominem stultum (hoc est, declinatiuum à prudentia) omnes homines incurrunt aliquod peccatum, iræ, vel inuidiæ, timoris, vel audaciæ, vel aliarum passionum impellentium, vel retrahentium. vniuersæ enim animi passiones vniuersaque animi vitia, aut impellentis animum, aut retrahentis, modum habent. huc enim tendunt verba literæ cum coniunctione causali, quia stultum occidet ira, & simplicem interficiet inuidia. Et est sermo non de interfectione corporis, sed animi: hoc est, de morte peccati. nam coniunctio *quia*, relatiuè ad subiuncta scribitur. Et est sensus. quia stultum occidet quantum ad animum iræ vitium, & simplicem interficiet vitium inuidiæ, ideo ego vidi stultum radicantem, & maledixi, &c. Intendit enim quòd propter peccatũ stultus quamuis firmatus in diuitiis, tandem affligetur. hæc est enim principalis eius intentio aduersùs Iobem quòd propter peccatum dumtaxat veniunt aduersa.

Simplex, pro homine modici iudicij.

Ira & inuidia duo extrema vitia.

Stultus quis.

Aduersa vnde.

EGO VIDI STVLTVM FIRMA RADICE: ET MALEDIXI PVLCHRITVDINI EIVS STATIM. Iuxta Hebræum habetur, *habitaculo eius*. Stulti nomine (vt dictum est) imprudens intelligitur, ea imprudentia, de qua scriptum est Prouerb. 14. *Errant* omnes *qui operantur malum*; & apud Philosophos omnis malus est ignorans. quia, inquam, omnis stultus peccat aliqua perturbatione animi, ideo ego vidi quidem stultum firmatum tanquam arborem bene radicatam, & statim absque hæsitatione aliqua maledixi habitaculo eius: hoc est, vniuersis quæ illius sunt. ponitur enim continens pro contento. Nec prætereas quòd Aduerbium *statim* in calce metri scriptum, construeretur rectiùs cum sequenti sententia, *statim longè sient filij eius à salute*. hoc enim magis quadrat opinioni Eliphaz, putantis quòd non differtur in aliam vitam pœna iniquorum.

Vers. 3.

Prouerb. 14. 22. *Malus omnis ignorans.*

Habitaculum, de rebus possessis.

LONGE FIENT FILII EIVS A SALVTE. Numerat per partes habitaculum eius, inchoando à filiis. ET CONTERENTVR IN PORTA. hoc est, in loco iudicij, seu in loco valde publico. *porta* enim ciuitatis apud antiquos erat illustrior ciuitatis locus: erat & in quo sedebant senes & iudices. ET NON ERIT QVI ERVAT.

Vers. 4.

Porta ciuitatum apud antiques locus ciuitatis illustrior, & in quo sedebant senes & iudices.

CVIVS MESSEM FAMELICVS COMEDET, ET IPSVM RAPIET ARMATVS. Iuxta Hebræum habetur,

Vers. 5.

betur, *& ad ſpinas tollet eum.* hoc eſt, & vſque ad ſpinas tollet famelicus ea, quæ in agris ſunt. ET BIBENT SITIENTES DIVITIAS EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *& glutiet prædo opes eorum.* ſententia eſt clara.

Verſ. 6. NIHIL IN TERRA SINE CAVSA FIT. Neſcio vnde irrepſerit interpretatio hæc: nam iuxta Hebraicam veritatem ſcribitur, *Quia non egredietur è puluere iniquum.* Poſtquam Eliphaz ex parte paſſionum animi declarauit verificari audita de hominis ſtultitia, & teſtificatus eſt punitionem in hac vita, intendit modò probare quòd omnes homines peccant ex natura ipſius hominis audita à Spiritu qui apparuit ſibi: ſcilicet habitantes domos luteas, quorum in puluere fundamentum eorum. & ideo inchoat hanc rationem à negatiua, dicendo, quia non egredietur è puluere iniquum: nullus enim vnquam puluis producit malum culpæ. Et ſubiungit, ET DE HVMO NON EGREDIETVR DOLOR. Iuxta Hebræum habetur, *& è terra non germinabit iniquitas.* hoc eſt, nec terra producit iniquitatem. Terram & puluerem nominat, vt intelligamus quòd *terram* refert ad domos luteas, & *puluerem* ad puluerem fundamentum hominum. Et intendit per has negatiuas quòd iniquitas hominis non pullulat in homine ex parte corporis formati ex puluere terræ, ſed ex parte animæ. hoc eſt, ex coniunctione animæ rationalis cum corpore, quæ coniunctio in natiuitate hominis fit quum homo naſcitur in matris vtero. Et propterea ſubiungit,

Verſ. 7. HOMO NASCITVR AD LABOREM, ET AVIS AD VOLATVM. Iuxta Hebræum habetur, *Quia homo ad iniquitatem natus eſt, & filij ſcintillæ eleuabunt volatum.* Negatiuis adiungit affirmatiuam intentam: videlicet quòd homo natus eſt ad iniquitatem faciendam. hoc eſt, quòd homo ex ſuis naturalibus ſortitus animam rationalem, habet quòd peccet. Et ratio huius redditur à Philoſophis, ex hoc quòd homo eſt compoſitus ex duabus naturis tendentibus ad contraria bona: ex natura videlicet ſenſitiua, & natura rationali, quarum altera tendit ad bonum ſecundùm ſenſum, altera ad bonum ſecundùm rationem. Vnde & Apoſtolus dicit quòd *caro concupiſcit aduerſùs ſpiritum, & ſpiritus aduerſùs carnem.* hinc enim fit vt qui ab initio natiuitatis noſtræ aſſueti fuimus ad ſectandum bona ſenſibilia, & ſenſibilia nos magis mouent ac delectant, eorúmque contraria contriſtant nos valde, vt communiter ſequamur bona ſecundùm ſenſum, parúmque ſequamur bonum ſecundùm rationem, & propterea omnes peccemus. Non dixit ergo falſum Eliphaz, quòd homo natus eſt ad iniquitatem. Et dixit hoc ad conuincendum Iobem, vt fateretur ſe quoque peccaſſe: & conſequenter punitum fuiſſe à Deo iuſtè, propter ipſius Iob peccata. Et ſcito quòd dictio interpretata *iniquitatem*, anceps eſt ad iniquitatem, vel laborem: ſed materia ipſa cum contextu inſinuat quòd hoc in loco interpretanda eſt *iniquitatem.* nam ſic directè ſeruit propoſito Eliphaz. Quòd autem adiungitur, *& filij ſcintillæ eleuabunt volatum*, metaphora eſt ſignificans viros heroicos. Hebraico ſiquidem more quemadmodum appellantur filij Belial, filij nuptiarum, filij lucis, & id genus reliqui, ita appellantur *filij ſcintillæ* abundantes ſpiritibus claris ac lucidis. tales enim vſque adeò emergunt vt eleuare videantur volatum, attollendo ſeipſos tariſſimis virtutibus in tantam celſitudinem ſupra homines communiter vt volare videantur ad loca celſiora locis hominum. Ac ſi apertiùs dixiſſet. cum hoc quòd commune eſt hominibus omnibus naſci ad iniquitatem, ſtat quòd aliqui filij ſcintillæ (hoc eſt, abundantes ſpiritibus claris & lucidis, ſimilibus ſcintillis) emergant in viros heroicos. Et aptè adiunxit hoc Eliphaz, ne naturam hominis nimis depreſſiſſe videretur.

Homo ad iniquitatem natus.

Galat. 5. 17.

Filij ſcintillæ, de abundantibus ſpiritibus claris ac lucidis.

Verſ. 8. QVAMOBREM EGO DEPRECABOR DOMINVM. Iuxta Hebræum habetur, *Profectò ego quæram El.* Cõiunctio cauſalis præpoſita ſupradictæ ſententiæ refertur ad hanc literam. & eſt ſenſus, quia homo natus eſt ad iniquitatem, profectò ego queram *El.* tanquam enim agnoſcens ſe peccatorem, infert ſe quæſiturum *El*, hoc eſt, Deum fortem. Ac ſi aptiùs dixiſſet. Tu Iob eſto cum præſumptione innocentiæ tuæ, ego verò agnoſcens me ſicut & omnes homines ſub peccato, recurram ad Deum fortem. Ita quòd intendit ſimul & inferre ex peccato neceſſitatem recurrendi ad Deum in aduerſis, & arguere timiditatem Iob nudam à ſpe in Deo. & timoris quidem Iobis meminerat Eliphaz, ſed modò proſequitur: nuditatem autem eiuſdem à ſpe interpretatus eſt Eliphaz, ex eo quòd Iob proponendo *k*unquam meminit ſuæ ſpei, ſed duntaxat triſtitiæ & timoris. Quæ igitur hîc dicuntur, directè tendunt ad hoc quòd Iob in hac calamitate debuit ſpem in Deo ponere, & non tanto timore opprimi. ET AD DEVM PONAM ELOQVIVM MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *& ad Elohim ponam eloquium meum.* Nominat Deum priùs *El*, à fortitudine, & deinde Elohim à iudicio, ad inſinuandum vnum atque eundem eſſe Deum qui eſt antonomaſticè & fortis & iudex, qui fortitudinem habet ad faciendum quæcunque iudicat ad retribuendum vnicuique ſecundùm merita eius.

El. de Deo forti.

Elohim Deus à iudicio.

Verſ. 9. QVI FACIT MAGNA ET INSCRVTABILIA, ET MIRABILIA ABSQVE NVMERO. Iuxta duo nomina Dei (*El*, & *Elohim*) proſequitur duo genera actionum diuinarum, & primum ſpectantia ad Deum quatenus *El*: videlicet facere magna excedentia omnem perſcrutationem, & facere mirabilia excedentia omnem numerum. Et exceſſus quidem perſcrutationis verus eſt ſimpliciter: exceſſus autem numeri verus eſt quo ad nos.

Actionum diuinarum duo proponuntur genera.

Verſ. 10. QVI DAT PLVVIAM SVPER FACIEM TERRÆ. Ad inſinuandum quòd vnus atque idem eſt author rerum naturalium, & iudex humanarum actionum, inſeſſit hæc de pluuia & de flumiñibus, ſubiungendo, ET IRRIGAT AQVIS VNIVERSA. Iuxta Hebræum habetur, *& mittit aquas ſuper facies plateatum.* è montibus ſiquidem fontes prodeunt ſuper planiciem.

Verſ. 11. QVI PONIT HVMILES IN SVBLIME. Iuxta Hebræum habetur, *ad ponendum humiles in excelſo.* Hactenus de actionibus Dei quatenus *El*: modò de actionibus Dei quatenus *Elohim*, loquitur. Et tranſpoſitæ ſcribuntur particulæ, vt contingit in metris. hoc enim quod dicitur *ad ponendum*, finis eſt ſubiunctarum poſtea actionum; videlicet qui diſſipat cogitationes malignorum, &c. ad ponendum humiles in excelſo. ET MOERENTES ERIGIT SOSPITATE. Iuxta Hebræum habetur, *& obſcurati apprehendent ſalutem* Lugentes ob oppreſſiones quas patiuntur ab hominibus,

Lugentium ſalus & beneficium.

bus, dicit quòd apprehendent salutem, operante Deo subiuncta.

Vers. 12. QVI DISSIPAT COGITATIONES MALIGNORVM, NE POSSINT IMPLERE MANVS EORVM QVOD COEPERANT. Iuxta Hebræum habetur, *Dissipans cogitationes callidorum, & non facient manus eorum statuta.* Ad hoc vt ponat humiles in excelso, & lugentes in salute, dissipat Elohim cogitationes callidorum, ita vt non exequantur quæ decreuerunt facere.

Maligdorum calliderúmque infelicitas.

Vers. 13. QVI APPREHENDIT SAPIENTES IN ASTVTIA EORVM. faciendo euenire eis quod timent, dirigendo opera eorum ad contrarium eius quod intendunt. Exemplum habes in venditione Ioseph, & in persecutione Dauidis à Saule. ET CONSILIVM PRAVORVM DISSIPAT. Iuxta Hebræum habetur, *& consilium peruersorum festinatum est.* Festinatio contrariatur consilio: vtpote reddens consilium præceps, & propterea Deus consilio peruersorum festinantiam immittit, vt præcipiti consilio ruant, vt merentur.

Sapientum astutia apprehenditur.

Prauorum consilium dissipatur.

Festinatio consilio contraria.

Vers. 14. PER DIEM INCVRRENT TENEBRAS, ET QVASI IN NOCTE SIC PALPABVNT IN MERIDIE. Metaphorico sermone describitur excæcatio callidorum sapientum huius mundi quòd in die obuiabunt obscuritati (hoc est, in rebus claris occurret eis obscuritas vt non videant) & in meridie palpabunt, ambulantes extendendo manus ante se ne impingant, quemadmodum solemus in nocte ambulare carentes lumine: hoc est quòd in negotiis manifestissimis negotiabuntur palpando, timentes ne impingant. Et videmus sæpe huiusmodi cæcitate percuti sapientes huius mundi.

Callidorum excæcatio describitur.

Vers. 15. PORRO SALVVM FACIET EGENVM A GLADIO ORIS EORVM: ET DE MANV VIOLENTI PAVPEREM. Iuxta Hebræum habetur, *Et seruauit à gladio ab ore eorum, & de manu fortis miserum.* Ad discernendum actiones Elohim quas exercet gubernando homines, præmisit qualiter gubernat callidos & peruersos, adiungendo nunc qualiter gubernat miseros & pauperes qui iactant cogitatus suos in Deum. Ambiguum est autem an dicatur appositiue, à gladio ab ore eorum (ita quòd exponatur gladius sermo eorum) an significetur gladius verè imperatus sermone callidorum, seu peruersorum. quouis autem modo intelligas, verum est quòd Deus liberat sua prouidentia deuotos sibi destitutos humano auxilio, & ab ore & à gladio & à manu fortis.

Miseri & pauperes qualiter gubernentur.

Gladius hic quid.

Vers. 16. ET ERIT EGENO SPES. Sententia clara est. INIQVITAS AVTEM CONTRAHET OS SVVM. Ponitur iniquitas pro iniquo. effectus diuinæ prouidentiæ describitur penes hoc, quòd quantumcunque destitutus humano auxilio obtinebit speratum: iniquus autem contrahet os suum, confusus.

Iniquitas, pro iniquo.

Vers. 17. BEATVS HOMO. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce beatitudines hominis.* Postquam Eliphaz increpauit Iob de timiditate absque recursu ad Deum, modò increpat ipsum de lassitudine animi, ex hoc quòd castigationes diuinæ sunt pro felicitate hominis: & propterea non debent esse exosæ homini, sed suscipiendæ vt medicinæ, vt paternæ castigationes. Hebraicæ autem linguæ more significatur *beatitudo* in plurali numero. QVI CORRIPITVR A DOMINO: INCREPATIONEM ERGO DOMINI NE REPROBES. Iuxta Hebræum habetur, *castigabit eum Eloah, & castigationem Saddai non odio habebit.* Ex duabus partibus integrari beatitudinem hominis quam proposuerat manifestat: videlicet ex ipsa castigatione diuina, & complexu eius ab homine qui castigatur. Et in hoc manifestè percutit Iobem, qui detestatus est vitam suam ob diuina flagella quæ passus est. Nominat autem Deum castigantem Eloah eo quòd nonnulla iudicij species est castigatio. Deum verò quatenus complectenda est eius castigatio, nominat Saddai, hoc est, victorem, seu omnipotentem. Sed prima interpretatio magis consonat deriuationi nominis. verumtamen sensus in idem redit, quia vincere omnia, est esse omnipotentem. qui enim vincit omnes causas, omnes nexus ordinésque rerum, omniporens est. Et aptè complectenda castigatio eius dicitur, cui nulla fieri potest resistentia, qui omnia vincit, cui oportet omnia parere.

Beatitudo hominis ex duplici parte.

Eloah Deus castigans, cur.

Saddai victor, seu omnipotens.

QVIA IPSE VVLNERAT, ET MEDETVR: PERCVTIT. Parui refert quòd Hebraice habetur, *Quia ipse dolere faciet, & fasciabit: percutiet*, ET MANVS EIVS SANABVNT. hoc est, quia ipse officio iudicis fungetur immittendo dolores & percutiendo, officio autem Medici fungetur tanquam fasciando & sanando propriis manibus. Et intendit per hoc ad literam quòd Deus hominem complectentem diuinam castigationem non deserit in illa, sed liberat ab illa in hac vita. Vers. 18.

IN SEX TRIBVLATIONIBVS LIBERABIT TE, ET IN SEPTIMA NON TANGET TE MALVM. Proposuit ecce beatitudines hominis: manifestat modò quæ, qualis & quando est illa felicitas. Et tempus quidem felicitatis dicit fore post sex tribulationes patienter perpessas. discernit siquidem duo tempora: alterum angustiarum sex, alterum vexationis septimæ. Et differentiam inter illa ponit, penes hoc quòd vir sperans in Deo, tempore sex tribulationum tangitur quidem tribulationibus, sed liberatur; tempore verò septimæ non tangitur penitus tribulatione aliqua, non afficitur malo aliquo. Et intendit per sex tribulationes vniuersa diuina flagella quibus aliquis indiget ad hoc vt perfectè castigatus, hoc est, purus sit. numero enim senario perfectionem significauit: eo quòd constat ex primis numeris conclusis vnitate quæ est principium omnis numeri. Per septimam autem non intendit affirmare tribulationem septimam, sed negare tribulationem post sex. intendit siquidem quòd quemadmodum pater diuersimodè castigat filium quousque fuerit perfectè eruditus & castigatus, & postea dat ei authoritatem simul cum facultate fruendi opibus; ita Deus tandiu flagellat sperantes in se, quousque fuerint perfectè purgati, & postea facit eos felices absque omni flagello. Vers. 19.

Beatitudo hominis qua, qualis, & quando.

IN FAME ERVET TE DE MORTE. Duo proposuerat. alterum in sex tribulationibus liberabit te: alterum, & in septima non tanget te malum. prosecuturus vtrumque, tractat primò tribulationes sex, inchoando à tribulatione famis: & dicit quòd liberabit te à morte. Non dicit quòd non patieris, sed quòd eruet te à morte. ET IN BELLO DE MANV GLADII. Similiter in hac secunda tribulatione non eximeris à patiendo, sed eruet te de manu gladij ne occidaris. Vers. 20.

Famis tribulatio.

Belli malum, & tribulatio.

A FLAGELLO LINGVÆ ABSCONDERIS Et in tertia hac tribulatione aduersantibus tibi detractoribus calumniantibus, seu comminantibus (hæc enim omnia flagella linguæ sunt) patieris quidem, sed absconderis, ne intentum effectum Vers. 21.

Lingua flagellum.

assequantur minæ, vel calumniæ. Occultatio autem vel corporalis, vel per defectum probationum, intelligi potest, diuino conferenda beneficio. ET NON TIMEBIS CALAMITATEM. Iuxta Hebræum habetur, *à præda*. Quam tamen aliqui non male interpretantur, *à vastitate cum veniet*. Sed siue prædones, siue vastatores aduenientes significentur, in hac quarta angustia insinuatur beneficium diuinum maius, dicendo, *non timebis*. Non dicit, *non patieris prædam*, sed *non timebis*. intendit enim docere postquam homo in tribus angustiis animum suum bene direxerit erga Deum, sentiet in proprio animo beneficium non timendi aduentantibus prædonibus: ponit enim virtutes purgatorias in tribulationum progressu. Et hinc incipit apparere quòd Eliphaz doctrinam quæ *Stoica* est postmodum appellata, profitebatur: & hanc eius professionem manifestius declarant subiuncta verba in quinta tribulatione.

Calamitas, & præda.

Vers. 22. *Vastitas, & fames.*

IN VASTITATE ET FAME RIDEBIS. Vide progressum plusquam Stoicum. priùs enim exclusit timorem imminentibus prædonibus, seu vastatoribus terræ: modò in duplicata tribulatione apponit risum. Et hæc tribulatio quamuis quinto loco scribatur, sexto tamen loco intelligenda est: quoniam ad supremam puritatis gradum deductus est animus, quum multiplicatis simul tribulationibus non solùm immunis est à tristitia, sed ridet, sed in risum deducit iacturas. Dixi autem multiplicatas tribulationes: quoniam illamet dictio quæ in quarta tribulatione interpretatur *præda*, seu *vastatio*, repetitur hic. & perspicuum est repeti quoque famem, quæ primam tribulationem constituit. Duarum ergo tribulationum seorsum priùs positarum coniunctio vltimo loco ponitur, ad significandum quòd postremò à multiplicatis simul tribulationibus non turbabitur animus tuus, sed ridebis, assecutus iam virtutes purgati animi. ET BESTIAS TERRÆ NON FORMIDABIS. Quia minus est non timere pericula, quàm ridere in periculis & aduersitatibus, ideo dixit quòd hæc tribulatio transposita est causa metri, & quinto intelligenda est loco: in qua tam purgatum à passionibus animum describit Eliphaz vt non timeat à bestiis terræ occurrentibus, & Deus liberabit eum. Et in hoc magnam fiduciam in diuina protectione præcipit esse, eorum qui à passionibus animos suos purgant. Ita quòd Eliphaz documentis Stoicis adiungit agnitionem diuinæ prouidentiæ quo ad duo beneficia: hoc est, & quo ad beneficia internæ animi purgationis à passionibus, & quo ad beneficia seruationis personæ propriæ à morte quomodolibet præter naturam imminente.

Bestiarũ terra tribulatio.

Vers. 23. *Felicitas tribulationes sequitur.*

SED CVM LAPIDIBVS REGIONVM PACTVM TVVM: ET BESTIÆ TERRÆ PACIFICE ERVNT TIBI. Hinc rationabiliter incipit septima: hoc est, tempus felicitatis post sex tribulationes: post animum tam alienum à passionibus, vt nec ab imminentibus periculis timeat, nec à præsentibus malis tristetur, paulatim purgatus castigationibus diuinis cum deuotione erga Deum susceptis. A signis itaque animi purgati perfectè inchoat felicitatem, dicendo iuxta Hebræum, *Quia cum lapidibus agri pactum tuum: & bestia agri fuit pacificata tibi.*

Vers. 24.

ET SCIES QVOD PAX TABERNACVLVM TVVM: ET VISITABIS HABITACVLVM TVVM, ET NON PECCABIS. Ita iacet in Hebræo. Et est ordo literæ. *quia cum lapidibus*, &c. habebis hæc: videlicet, *& non peccabis, & scies quòd pax, & scies quod multum*, &c. Sensus autem literalis est. quia conueniſti iam cum lapidibus agri in fortitudine nullis aduersis cedente, tanquam non sentires: hoc est, quia nulla afficieris tristitia, & nullo afficieris timore, effectus iam intrepidus in occursu bestiarum syluestrium tanquam pacificarum tibi, ideo & non peccabis à recta declinando ratione, & scies experientia teste quòd tabernaculum tuum erit pax (hoc est, omni bono refertum) & visitabis illud fruendo bonis. Et intendit ad literam describere statum felicitatis hominis post tribulationes sex: manifestans quòd tunc animo perfectè purgato à passionibus tam circa præsentia, quàm circa futura, non peccabit, & per hoc tolletur causa vlterioris aduersitatis, & experientia comprobabit habere se beatitudinem ex multis consurgentem partibus: videlicet ex abundantia rerum, & ex fruitione earum, & ex multitudine prolis. de qua subditur,

Sensus literalis.

Vers. 25. *Filiorum & neporum germen promittitur multiplicaturum.*

ET SCIES QVOD MVLTVM SEMEN TVVM, ET GERMINA TVA SICVT HERBA TERRÆ. Germen filiorum & nepotum multiplicandum sicut herba terræ promittitur.

Vers. 26.

INGREDIERIS IN ABVNDANTIA SEPVLCHRVM. Iuxta Hebræum habetur, *Venies in senectute ad sepulchrum*. Quarta beatitudinis pars describitur longitudo vitæ vsque ad mortem, ex senectute cum honore sepulchri. SICVT INFERTVR ACERVVS TRITICI IN TEMPORE SVO. Iuxta Hebræum habetur, *sicut incidere messem in tempore suo*. Ne intelligeretur mors in senectute malum aliquod contingenter eueniens contrarium felicitati quam Eliphaz promittit, adiunxit similitudinem quòd mors in senectute erit tempore suo: hoc est, tempore quo senectus ipsa exigit mortem, quemadmodum maturæ segetes exigunt incisionem messis. Et per hæc omnia clarè habetur quòd Eliphaz ponebat beatitudinem hominis in præsenti vita. nam declarat propositam beatitudinem post tribulationes sex, haberi in istis temporalibus bonis.

Vita longitudo describitur.

Mortẽ in senectute tempore suo futuram.

Beatitudo hominis in præsenti vita ponitur ab Eliphaz.

Vers. 27.

ECCE HOC VT INVESTIGAVIMVS ITA EST: QVOD AVDITVM MENTE PERTRACTA. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce hoc, quæsiuimus ipsum ita ipsum: audi ipsum, & tu, sapito tibi*. Firmitatem doctrinæ expositæ monstrat Eliphaz, dicendo, *ecce hoc*, arcanum manifestatum de gubernatione diuina circa aduersitates & prosperitates hominum: quòd videlicet aduersa sunt propter peccatum, & quòd sperantibus in Deum sunt castigationes ad purificandum animum vt post perfectam purgationem non peccet homo, & sit beatus fruendo bonis præsentibus. Et dicendo, *inuestigauimus ipsum*, attestatur quòd non ex diuinæ reuelationis miraculo, sed ex studiosa inuestigatione non solus ipse Eliphaz, sed cum patribus & aliis sapientibus inquisitioni huic operam dedit. Et subdit, *ita ipsum* (subaudi *est*) vt non opinatiuè, sed assertiuè locutum intelligamus. & propterea monet Iobem, *audi ipsum & tu*, noli esse singularis, sed cum aliis obtempera & tu documentis istis. & demum inquit *sapito tibi*, esto sapiens ad tuum proprium bonum cognoscendum & assequendum. Falsam autem esse hanc doctrinam quam profitetur Eliphaz, patet tum ex Christo qui fuit perfectissimæ virtutis,

Eliphaz arguitur falsa doctrina.

virtutis, & dixit, *triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, &c. tum ex Apoſtolis qui ibant gaudentes à conſpectu concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati: & tamen poſtea perpeſſi ſunt innumera mala præſentis vitæ.

CAPVT VI.

Verſ. 1. & 2.

RESPONDIT IOB, ET DIXIT: VTINAM APPENDERENTVR PECCATA MEA, QVIBVS IRAM MERVI. Iuxta Hebræum habetur, *Vtinam ponderando ponderabitur ira mea.* Sed ira nomen eſt vitij. comprehendit ſiquidem Iob omnia peccata ſua quæ ante ruinam commiſerat ſub vitio iræ, communicans ſo in vocabulis cum aduerſario ſuo Eliphaz, qui omnia peccata diſtinxerat in iram, vel inuidiam ex eo enim quòd Iob in tanta fuerat proſperitate, non imputabantur ei peccata quæ ſe tenent ex parte inuidiæ, ſed peccata quæ ſe tenent ex parte iræ. in cuius ſignum Eliphaz aſſimilauerat ipſum Iob & filios leoni & leunculis. Extenſo itaque iræ nomine ad peccata omnia quæ ſe tenent ex parte iræ vtitur Iob, comprehendendo omnia peccata ſua priſtina, & deſiderat vt ponderetur ira ſua. Et directè reſpondet ad falſam interpretationem verborum ipſius Iob, factam ab Eliphaz. dicente ſiquidem Iob quòd non quieuerat à patrandis bonis operibus, interpretatus fuerat Eliphaz quòd Iob profiteretur ſemetipſum ſine peccato, dicens in cap. 4. *recordare quis innocens, ſeu mundus peryt?* & propterea tantoperè annixus eſt monſtrare omnem hominem peccare. tali, inquam, intelligentiæ falſæ reſpondet directe Iob per hæc verba, confitendo ſe ante ruinam peccaſſe. nam cupiendo, *vtinam ponderatione ponderetur ira mea*, confitetur iram propriam: hoc eſt, peccaſſe ſe peccatis quæ comprehenduntur ſub ira. ac ſi apertiùs dixiſſet, fateor me quidem commiſiſſe peccata, ſed cupio vt ponderentur. ET CALAMITAS QVAM PATIOR, IN STATERA. Iuxta Hebræum habetur, *& calamitatem meam in bilancibus eleuabunt pariter.* Sententia clara eſt. cupit enim vt in bilance hîc peccata ſua, & inde calamitas ſua, abſque aliquo alio addito, ponderarentur.

Ira, vitij nomen.

Iob longè ſe peccaſſe ſe pati eſſentiit, quàm meruiſſet.

Verſ. 3.

QVASI ARENA MARIS HÆC GRAVIOR APPARERET. Sententia rectè redditur: Hebraicè tamen habetur, *Quia nunc plus arena marium grauitaret.* Inſinuat enim quòd ponderando inueniretur calamitas ſua longè ponderoſior: & vſque adeò, vt grauior quam ſi arena marium in bilance, illic poſita eſſet. Et per hoc clarè dicit quòd quamuis peccauerit, calamitas tamen ſua maior erit peccatis ſuis. Et hic eſt ſingularis textus, in quo Spiritus ſanctus per Iobem reuelauit multos Sanctos longè plus pati in hac vita, quam eorum propria peccata meruerint. Et per hæc aſſimauit Iob verum eſſe quòd Deus cum afflixerat quaſi innocentem, non ſimpliciter, ſed relatiuè ad tantam calamitatem. Et per hoc directè reſpondet ad Eliphaz dicentem Iobem pro peccatis ſuis afflictum, iuſtitiâ diuina hoc exigente. VNDE ET VERBA MEA DOLORE SVNT PLENA. Iuxta Hebræum habetur, *ſuper ſic, verba mea fuerunt abſorpta.* Directè reſpondet tum ad reprehenſionem Eliphaz, dicentis: Profectò ego requiram Deum; arguendo implicitè Iobem quòd dum propoſuit vitam ſuam deteſtabilem, non propoſuit ſimul ſpem ſuam in Deo. reſpondet ſiquidem nunc, Iob rationem talis ſilentij non fuiſſe deſperationem, ſed quia abſorpta, ſeu glutita ſunt verba eius. Tum ad excuſandum taciturnitatem multorum quæ nunc explicat, quæ proponendo ſiluerat. Et quod dicit *ſuper ſic*, refertur ad excellentiam pœnæ ſupra culpam.

Sanctos multoplus pati, quam meruerint.

QVIA SAGITTÆ DOMINI IN ME SVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Quia ſagitta Saddai mecum.* Rationem dicendorum præmittit. ſubiuncta enim, confirmatiua ſunt eorum quæ primò propoſuerat. Vbi prudens Lector conferendo hæc cum propoſitis primò à Iobe, diſcernes quòd tunc Iob vitam ſuam proponendo deteſtabilem nec meminit actoris vitæ, nec pœnarum inflictoris Dei, ſed abſolutè & initia vitæ mala pœnæ propoſuit: nunc autem actorem calamitatis ſuæ manifeſtat Deum, vt conuenire ſe affirmet cum aduerſariis in fide de prouidentia diuina extenſa vſque ad hæc ſingularia bona & mala hominum. Appellat autem calamitatem ſuam ſagittas Saddai (hoc eſt, eius qui omnia vincit) ad profitendum quòd mala ſibi euenerunt à Deo cui non poteſt reſiſti: euenerunt, inquam, tanquam è ſupernis ſagittæ ex improuiſo, repentè & abſque nota cauſa. Et ſignificanter dicit *mecum*, ad inſinuandum perſeuerantiam malorum ſecum: tanquam ſi ſagittæ infixæ, adhuc non eſſent emiſſæ ex plagis. QVARVM INDIGNATIO EBIBIT SPIRITVM MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *quarum venenum earum bibens ſpiritus meus.* Inſtar ferri ſagittarum diu manentis in intimis corporis, *venenum* delebitur conſecutum perſeuerans propterea namque vtitur Participio præſentis temporis, dicendo, *ſpiritus meus bibens venenum earum.* Metaphorico ſermone deſcribit animum ſuum affectum veneno ſagittarum Dei: hoc eſt, paſſionibus naturalibus, quæ ſcilicet conſequuntur naturaliter in animis noſtris ex malis præſentibus. fatetur enim animum ſuum affectum paſſionibus triſtitiæ & odij, reſpectu malorum quæ patitur. ET TERRORES DOMINI MILITANT CONTRA ME. Iuxta Hebræum habetur, *& terrores Eloah ordinabunt me.* Non ſolum paſſionibus ob præſentia mala, ſed etiam paſſionibus ob mala futura (de quarum numero eſt *timor*) animus meus eſt affectus. Dicendo autem ſpiritum ſuum veneno ſagittarum Dei vincentis omnia & ſeipſum ordinandum terroribus Dei iudicis, inſinuat quòd non eſt abſorptus ſpiritus eius paſſionibus, ſed ſic affectus eſt vt rationem habuerit & habeat Dei vincentis omnia, & ſimiliter ſic territus eſt vt rationem habeat Dei iudicis. Et hic annotabis quòd coniunctio cauſalis in principio clauſulæ illius ſcripta, dicendo, *quia ſagittæ*, &c. inſinuat quòd quia ſpiritus Iobis eſt ita diſpoſitus hinc ex paſſionibus, inde ex timore Dei, loquetur ſubiuncta: vt hinc intelligeret Eliphaz quòd nec deſperatus, aut abſorptus paſſionibus, nec nudo à paſſionibus animo, locutus eſt, & loquetur, ſed medio modo ſe habens: & hoc (vt probabit) irreprehenſibiliter.

Sagitta Saddai, de calamitate Iob.

Venenum pro conſequuto perſeuerauit.

Timoris paſſio.

Verſ. 5.

NVNQVID RVGIET ONAGER QVVM HABVERIT HERBAM? Iuxta Hebræum habetur: *Nunquid*

Nunquid rudet onager super herbam? Aduerte quòd per subiuncta quattuor interrogatoria, intendit asserere negationes contrarias: puta, non rudet, non mugiet, non comedetur, non est sapor. Directe autem per hæc tendit ad respondendum Eliphaz reprehendenti tristitiam in animo Iobis: & probat per quattuor subiuncta, quòd lamentatio ex præsentibus malis naturalis est, ac per hoc irreprehensibilis. Inchoat itaque a naturalibus animalium syluestrium, dicendo, *Nunquid rudet onager super herbam?* ad manifestandum quòd si onager cateret pabulo, ruderet, hoc est, tristaretur & lamentaretur rudendo. AVT MVGIET BOS QVVM ANTE PRÆSEPE PLENVM STETERIT? Parui refert quòd Hebraice habetur, *nunquid mugiet bos super pabulum suum?* Ex naturalibus quoque animalium domesticorum ostendit quod si bos cateret pabulo, & tristaretur & lamentaretur mugiendo. Et affert hæc, quia natura sensitiua, quæ afficitur passionibus tristitiæ, iræ, & aliis huiusmodi, communis animalibus & hominibus est.

Lamentatio ex præsentibus malis naturalis, & irreprehensibilis.

Natura sensitiua communis animalibus & hominibus.

Vers. 6.

AN POTERIT COMEDI INSVLSVM QVOD NON EST SALE CONDITVM: Interpres mutauit *comedetur* in *poterit comedi*. Post argumentum ex parte naturæ sensitiuæ, affert argumentum ex parte obiecti sensibilis. & a manifestioribus docens, affert inter obiecta gustus insulsum absque adiecto sale: ad manifestandum quòd quemadmodum insulsum nisi conditum sale fuerit, displicet naturaliter gustui, ita vt non comedatur; sic mala præsentis vitæ naturaliter displicent homini, nec admittuntur ab homine, nisi condita sale alicuius rationis adiunctæ: vt quum homo admittit adustionem, seu incisionem propter sanitatem. AVT POTEST ALIQVIS GVSTARE QVOD GVSTATVM AFFERT MORTEM? ANIMÆ ENIM ESVRIENTI ETIAM AMARA DVLCIA ESSE VIDENTVR. Nihil horum inuenitur in textu Hebraico: sed habetur, *Nunquid est sapor in saliua sanitatis?* Argumentis ex parte naturæ sensitiuæ, & ex parte obiecti sensibilis, adiungit argumentum ex parte aduentitiæ dispositionis sensus. diuersimode siquidem dispositus sensus diuersimode iudicat vnum atque idem sensibile: habentes namque linguam affectam colera, gustamus omnia tanquam amara. Ad manifestandum itaque quòd animo affecto passione tristitiæ quadrat lamentari, & similiter animo affecto passione timoris quadrat loqui formidolosa, assumit argumentum ex saliua sanitatis: hoc est, hominis perfecte sani: penes hoc quòd est sine sapore aliquo: ad insinuandum quòd si saliua est salsa, consonat vt quæ gustamus iudicemus salsa: & si saliua est amara, consequens est vt quæ gustamus iudicemus amara. Et intendit per hæc manifestare quòd omni ex parte rationabilis est lamentatio sua quam longa oratione in capitulo tertio proposuerat: nam ex parte naturæ sensitiuæ, & ex parte obiecti mali videlicet perpessi & ex parte dispositionis animi affecti tristitia & timore, manifestauit consentaneum esse rationi naturali vt lamentaretur. Saliuam autem sanitatis oportere esse sine sapore, manifestum est apud Philosophos, ex eo quòd intus existens prohibet extraneum: hoc est, si intra seipsam haberet aliquem saporem, impediret discretionem omnium saporum: quemadmodum si pupilla esset colorata, impediret visum à discretione omnium colorum.

Argumẽti ex parte aduentitiæ dispositionis sensus.

Saliua sanitatis, id est, hominis perfecte sani.

Saliua sanitatis qualis sit.

QVÆ PRIVS NOLEBAT TANGERE ANIMA MEA, NVNC PRÆ ANGVSTIA CIBI MEI SVNT. Vers. 7. Iuxta Hebræum habetur, *Renuit tangere anima mea: ea sicut agritudines panis mei.* Ita iacet in Hebræo. & est sensus quòd mala præsentis vitæ abominatur anima mea, quemadmodum abominamur putredines ciborum nostrorum. appellat enim ægritudines panis putrefactiones cibi. Et intendit per hanc similitudinem manifestare Eliphaz reprehendenti Iobem ægrè ferentem mala, quòd naturale est etiam homini nolle pati mala præsentis temporis, quemadmodum naturaliter refutamus cibos putridos. Vt intelligamus quòd manifestat intẽtum suum Iob non tolùm ex communibus homini & aliis animalibus, sed ex iis, quæ quilibet etiam sapientissimus, etiam purgatissimi animi experitur in seipso: videlicet quòd renuit cibos putres, ita, inquit, renuit anima mea tangere illa, quemadmodum renuo ægritudines cibi mei. Et quia agnouisse se dixerat calamitatem suam esse sagittas Dei, manifestat per hæc eadem verba quòd non detestatus est plagas suas quatenus sunt sagittæ Dei, sed quemadmodum refutamus cibos putres.

Panis putrefactionis cibi, pro agritudinibus.

QVIS DET VT VENIAT PETITIO MEA: ET QVOD EXPECTO TRIBVAT MIHI DEVS: Nomen est Eloah, paruique refert quòd interpres posuit *expectationem* pro *spe*. nam Hebraice habetur, & *spem meam tribuet Eloah*. Postquam Iob rationabilem monstrauit tristitiam suam querulam, manifestat consequenter timorem suum esse rationabilem. arguerat enim Eliphaz ipsum vtriusque, tristitiæ videlicet, & timoris. Et vt præcibes timorem Iobis, scito quòd timebat augmentum doloris sensibilis ex plaga corporis, ne vsque adeò creseceret, vel longa perseuerantia molestior esset, vt abduceret rationem a recto: & hic timor rationabilis & sanctus erat. tantique faciebat periculum peccandi, vt cuperet cum beneplacito Dei, vitam commutare in mortem. Et hoc quoque desiderium erat sanctum: quoniam malebat sine peccato mori, quàm cum peccato viuere. & conditum erat desiderium sale diuini beneplaciti: & propterea petitio & spes scribuntur. quod enim sanctè desideratur, consequens est vt sancte speretur, & sanctè petatur à Deo gubernatore omnium. Vers. 8.

Iobis timor.

ET QVI COEPIT, IPSE ME CONTERAT. Iuxta Hebræum habetur, *Et volet Eloah, & conteret me*. hoc est, & velit gubernator omnium, & conterat me penitus. cupit enim quòd placeat Deo conterere ipsum, tollendo ab eo vitam. SOLVAT MANVM SVAM, ET SVCCIDAT ME. Iuxta Hebræum vltimum verbum est, *& scindat me*. Quod dixerat *conteret me*, apertiùs manifestando dicit *scindat me*. Vtitur autem metaphora soluentis manum, eo quòd sciebat potestatem executoriam afflictionum suarum esse tanquam ligatam à Deo ne progrederetur ad tollendam vitam ipsius Iobis: cupit enim tolli impedimentum prohibens interitum ipsius Iobis. Vers. 9.

ET HÆC MIHI SIT CONSOLATIO, VT AFFLIGENS ME DOLORE, NON PARCAT. Iuxta Hebræum habetur, *Et erit adhuc consolatio mea, & calefaciam me in dolore, non miserebitur.* Recole quòd optantis sunt verba hæc, & quòd Hebræi futuro Indicatiui vtuntur pro Optatiuo, quo carent, Vers. 10.

rent. Est itaque sensus. & in augmento doloris sit mihi pro consolatione, quòd Deus non miserebitur præsentis vitæ meæ, sed tollet eam. in augmento enim doloris, plus timebat cadere in peccatum: & propterea consolatio ei fuisset videre se propinquum morti. Appellat autem augmentum doloris calefacere se in dolore, quia ad literam incrementa doloris excitabant calorem, cuius signum habetur ex testa qua scalpebat se: magnus enim pruritus scalptus calefacit valde. NEC CONTRADICAM SERMONIBVS SANCTI. Iuxta Hebræum habetur, *quia non negaui dicta Sancti*. Et est sensus, quia non peccaui in dictis Dei, intentionem itaque suam manifestat ex præterito. reddendo enim rationem petitionis suæ, *quia non peccaui*, insinuat quò rendit timor suus: videlicet ne peccet. acsi apertiùs dixisset, cupio nunc antequam peccem tolli ex hac vita. Et aprè de peccatis agendo, nominantur dicta Dei *dicta Sancti*, ad insinuandum, leges diuinas esse leges mundas ab omni peccato, vtpote æditas à Sancto, hoc est, mundo penitus. Non negasse autem dicta Dei intellige tum cogitatione, tum verbo, tum opere: quo contrà de peccatoribus dicitur, confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Et hinc clarè apparet testante ipso Iobe quòd hactenus non peccauerat.

Calefacere se in dolore, pro augmento doloris.

Dicta Sancti. id est, dicta Dei.

Vers. 11. QVÆ EST ENIM FORTITVDO MEA VT SVSTINEAM. Iuxta Hebræum vltimum verbum est *sperare*. rationem siquidem reddit, quare cupit succidi vitam suam ne peccet: quia videlicet agnoscit debilitatem animi sui. fortitudo siquidem robusti animi largitur spem euadendi pericula: quo contrà inquit *quæ fortitudo mea, vt sperem euadere peccatum?* AVT QVIS FINIS MEVS VT PATIENTER AGAM? Iuxta Hebræum habetur, *& quis finis meus vt prolongem animam meam?* hoc est, vitam meam. Et est sensus, & quis est terminus patiendi vt prorogatio vitæ meæ sit mihi grata. si enim statutus esset terminus doloris (puta per annum) cupienda esset prorogatio vitæ, vtpote post annum quietæ: sed interminato existente dolore, intolerabilis videtur prorogatio vitæ.

Anima, pro vita.

Vers. 12. NEC FORTITVDO LAPIDVM FORTITVDO MEA: NEC CARO MEA ÆNEA EST. Patui refert quòd iuxta Hebræum leguntur hæc interrogatiuè, *Num fortitudo lapidum fortitudo mea? num caro mea ænea?* Ex parte animi dicit, num fortitudo mea est fortitudo lapidum? hoc est, sine affectu tristitiæ, & aliarum passionum; ex parte verò corporis dicit, num caro mea ænea? hoc est, sine sensu doloris. Ex fragilitate siquidem animi, & ex dolore in corpore sine termino, rationem reddit quòd præfert vitæ mortem, ne mens abducatur à rectitudine diuinæ legis. Et propterea subiungit,

Vers. 13. ECCE, NON EST AVXILIVM MIHI IN ME: ET NECESSARII QVOQVE MEI RECESSERVNT A ME. Iuxta Hebræum longè aliter habetur, *An si non auxilium meum in me: & lex expulsa est à me?* Ratio rationum allatarum affertur concludendo, & consistit in hoc quòd defectus auxilij proprij in seipso non debet expellere obseruationem diuinæ legis ab eo: quod tamen accideret si perseuerante augmento doloris, infirmus animus abduceretur in desperationem. sic enim expelleretur diuina lex ab eo propter defectum auxilij, robusti animi & sani corporis. Est itaque ordo literæ, an si non auxilium meum in me erit, ideo etiam lex diuina expelletur à me? quasi dicat, abiit.

Vers. 14. QVI TOLLIT AB AMICO SVO MISERICORDIAM, TIMOREM DOMINI DERELINQVIT. Iuxta Hebræum habetur, *Liquefacto a socio suo gratia: & timorem Saddai relinquet.* Postquam Iob primùm manifestauit quo sensu dixerit se innocentem pati, & excusauit tam tristitiam, quàm timorem suum, ad socios suos reprehendentes ipsum vertit sermonem, arguendo eos multipliciter, inchoãdo ab eorum auaritia. & propterea proponit in genere quòd socius negans gratiam liquefacto, relinquit pariter timorem Dei omnipotentis. Appellat autem hominem deductum in miseriam liquefactum, eo quòd amiserit consistentiam propriam instar liquefactorum. Et sermo literæ est mutilus: nam sensus est, liquefacto debetur à socio eius gratia: & si omittit illam, etiam timorem Dei relinquet. Et per hoc insinuat, quòd peccat non solùm in proximum, sed in Deum.

Iob conqueritur se ab amicis deseri.

Homo deductus in miseriam, liquefactus, cur.

Vers. 15. FRATRES MEI PRÆTERIERVNT ME SICVT TORRENS, QVI RAPTIM TRANSIT IN CONVALLIBVS. Iuxta Hebræum habetur, *Fratres mei mentiti sunt sicut torrens: sicut impetus torrentium transibunt.* Aduerte prudens Lector quòd quamuis hæc & subiuncta de consanguineis Iobis manifestent maiorem afflictionem ipsius Iobis (vtpote, quia nec consanguinei miserti sunt eius) directè tamen commemorat Iob hæc ad duo: primum ad contradicendum Eliphaz dicenti puniri stultos in hac vita, deinde ad exaggerandum culpam sociorum, qui venerant ad consolandum eum: vt contextus literæ diligentiùs perspectus insinuat. Assimilat itaque consanguineos suos torrentibus, qui deficiunt quando opus est aqua: & ideo dicit, mentiti sunt vt torrens, qui prætendit abundantiam aquarum, & statim mentitur deficiendo. Proponit de fratribus suis duo, culpam scilicet, & pœnam. culpam quidem, dicendo, *mentiti sunt sicut torrens*: pœnam verò dicendo, *velut impetus torrentium transibunt.* Et ordine retrogrado tractat vtrumque. nam priùs manifestat pœnam: & deinde culpam, ibi, *considerate semitas.* Circa pœnam autem aduerte miram artem contra dicta Eliphaz, admitentis probare quòd iniquos oportet puniri in hac vita. Eliphaz siquidem dixerat in cap. 5. *Ego vidi stultum*, &c. Iob autem intendens dicere quòd impij quandoque in hac vita non puniuntur, sed cursu suo peracto intereunt, non dicit: Ego vidi impium in genere, sed ad specialissima descendens, *fratres*, videlicet suos, describit eorum impunitatem in hac vita: vt describendo fratres suos impios & impunes in hac vita, excludat simul dicta Eliphaz, dicentis quòd impij puniuntur in hac vita.

Iobis consanguinei torrentibus comparati.

Vers. 16. QVI TIMET PRVINAM, IRRVET SVPER EOS NIX. Iuxta Hebræum habetur, *Tenebrescentes à gelu, super eos teget se nix.* Prosequendo metaphoram torrentum, quorum meminerat, dicens, *sicut impetus torrentium transibunt*, declarat conditiones torrentum. quarum primò scripta est quòd obscurantur à gelu: & tunc super ipsos torrentes tegitur nix, proculdubio ab ipso gelu. aquæ siquidem torrentis, vtpote modicæ, tempore niuium facilè suscepta niue condensantur à gelu: & sic niues teguntur in eis, & ipsi obscurantur ex densitate. condensatæ enim aquæ non sunt oculis peruiæ: & ideo tenebrescentes dicuntur.

Torrentum conditiones.

TEMPORE,

Vers.17. TEMPORE, QVO FVERINT DISSIPATI, PERIBVNT: ET VT INCALVERINT, SOLVENT DE LOCO SVO. Iuxta Hebræum habetur, *In tempore colabuntur, excidentur: in calore suo extinguentur è loco suo.* Metaphoræ metaphorâ adiungit. declarat enim quòd tempore quo congelati torrentes fluunt colando, tunc quasi excidantur. quemadmodum enim dum arbores cæduntur stillant humores tanquam colando, ita tanquam incidantur torrentes describuntur tempore colationis. & rursus cùm torrentes congelati calefiunt à sole, describuntur extingui ex loco eorum: vt calefactio, quæ suapte natura accendit, contrarium effectum describatur habere in torrentibus congelatis, videlicet extinguere eos de loco suo. Et hoc ad sensum apparet verificari, Solis calore liquefaciente torrentes tam vehementer quòd moueat aquas congelatas de loco suo.

Vers. 18. INVOLVTÆ SVNT SEMITÆ GRESSVVM EORVM: AMBVLABVNT IN VACVVM, ET PERIBVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Inclinabuntur semitæ viæ eorum: ascendent in vacuum, & perdent se.* Descriptis torrentibus quo ad congelationem & liquefactionem, describuntur tertiò quo ad vias & terminum. Et vias quidem describit per semitas inclinatas relatiuè ad alueum torrentis. quemadmodum enim exuberantes aquæ fluminum declinant in loca humiliora hinc & inde, ita dissoluti torrentes declinant in vias magis imas hinc & inde. Terminum autem per ascensum in vacuum, hoc est, per resolutionem in vapores, qui ascendunt in vacuum, hoc est, aërem, (antiqui enim *aerem* appellabant vacuum) & sic pereunt, immo perdunt seipsos torrentes. Hic est sensus metaphoræ. & perspicuum est ex contextu quòd metaphora hæc affertur ad assimilandum fratres Iobis torrentibus. diuerat enim quòd sicut impetus torrentum transibunt. & statim subiunxit modum quo impetus torrentum generantur, videlicet ex multitudine niuis congelata, & postea sic calefacta vt tollat congelata de loco suo. & quomodo fluit, videlicet per semitas inclinatas. & quomodo desinit, videlicet per resolutionem in vapores Sed quid in specie circa fratres Iobis per hanc metaphoram significetur, difficile est explicare per partes singulas. perspicaciter autem considerando quòd Iob non vaticinatur de iis, quæ euenient fratribus suis, sed quòd suos fratres impios in persona reliquorum quoque impiorum introducit: intelligimus per hanc metaphoram significari quòd quemadmodum impetus torrentum transeunt habendo diuersos status naturales ex frigore & calore, ex humili & excelso, & tandem perdunt seipsos, ita impij cursus proprios præsentis vitæ peragunt cum diuersis contrarietatibus, & tandem perdunt seipsos. Et per hoc vltimum insinuat pœnam impiorum in alia vita futuram: per præcedentia verò insinuat vitam impiorum in præsenti, multiplici varietati subiici quasi rerum humanarum cursu naturali: ac per hoc non esse verum quòd Eliphaz dixerat, impios suorum scelerum merita recipere in hac vita.

Aer antiquis vacuum.

Impiorũ pœna in altera vita.

Vers. 19. CONSIDERATE SEMITAS THEMA: ITINERA SABA EXPECTATE PAVLISPER. Iuxta Hebræum habetur, *Respexerunt viæ Theme: itinera Sebe speraverunt in eis.* Proposuerat de fratribus suis & culpam & pœnam: declaratâque pœna declarat modò culpam, de qua dixerat, *fratres mei mentiti sunt sicut torrens.* Et ad exaggerationem culpæ describit quòd venientes ex regione Themanitarum, & ex regione Sabeorum amici Iobis sperantes in fratribus Iobis quòd subuenirent ipsi Iobi, obseruarunt an subuenirent. tanto enim damnabilior inuenitur auaritia consanguineorum Iobis, quanto etiam ab extraneis damnata est.

Vers. 20. CONFVSI SVNT, QVIA SPERAVI. Iuxta Hebræum habetur, *Pudore affecti sunt, quia speranit.* Fratres suos accusat quòd verecundati sunt deducto Iobe ad statum sperandi: hoc est, verecundati sunt habere se consanguineum deductum ad miseriam tantam, vt sola spes remanserit in eo, amissis rebus omnibus. de seipso siquidem loquitur Iob in tertia persona, VENERVNT QVOQVE VSQVE AD ME, ET PVDORE COOPERTI SVNT. Iuxta Hebræum habetur, *venerunt vsque ad eam, & vituperarunt.* Fœminini generis est Pronomen, & demonstrat calamitatem Iobis. Ad cumulum impietatis spectat quòd consanguinei Iobis venerunt ad videndum calamitatem ipsius: & non solùm puduerit eos miseri consanguinei, sed (quod deterius fuit) vituperauerunt Iobem, dicentes quòd iustè patitur, quòd meretur miseriam. Vide consanguineos verè mentitos consanguinitatem factis & verbis, quemadmodum torrentis aqua deficit quando opus est.

Iobi calamitas demonstrata.

Vers.21. NVNC VENISTIS, ET MODÒ VIDENTES PLAGAM MEAM TIMETIS. Iuxta Hebræum habetur, *Quia nunc fuistis ad ipsum, vidistis contritionem, & timuistis.* hoc est, hæc ideo commemorauerim, quia nunc vos confœderati mei fuistis iam per multos dies apud ipsum Iob, vidistis calamitatem eius, & timuistis auari ne ego destitutus etiam ope consanguineorum peterem à vobis subuentionem, videntes vrgeri iure societatis ad subueniendum miseriæ meæ derelictæ etiam à consanguineis meis.

Vers.22. NVNQVID DIXI. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Num sic dixi.* Quando aperui os ad loquendum vobis visitantibus me, num dixi sic: hoc est, subiuncta. AFFERTE MIHI, ET DE SVBSTANTIA VESTRA DONATE MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *date mihi, & de facultate vestra donate pro me?* Quamuis necessitudinis ratio posceret vt subueniretis mihi, ego tamen conscius auaritiæ vestræ non proposui in sermone meo vt daretis mihi aliquid, nec vt daretis aliquid alteri pro me: puta prædonibus qui rapuerunt armenta mea. Et ad hæc magis explicandum subiungit,

Vers. 23. VEL. Legendum est, ET ERIPITE ME DE MANV HOSTIS, ET DE MANV FORTIVM REDIMITE ME? De seipso loquitur eruendo & redimendo, non in propria persona (liber enim erat) sed in rebus suis raptis. acsi apertiùs dixisset, clarè vidistis quòd non erat vobis timendum à petitione mea.

Vers.24. DOCETE ME, ET EGO TACEBO. Reprehensa auaritia amicorum, reprehendit consequenter sermones eorum, dicendo, *docete me, & ego tacebo.* Ac si apertiùs dixisset, proferte doctrinam, & ego tacitus audiam: insinuans tacitè per hoc quòd non docent, sed proferunt opiniones falsas. patet siquidem in dictis Eliphaz multa contineri dogmata falsa: videlicet de punitione impiorum in hac vita, de beatitudine iustorum in hac vita, déque interitu animæ rationalis simul cum corpore. ET SI QVID FORTE IGNORAVI, INSTRVITE

Iobis amici in sermonibus reprehẽsi.

INSTRVITE ME. Iuxta Hebræum habetur, *& in quo erraui, facite intelligere me.* Reprehenso officio docendi, reprehendit consequenter officium arguendi. arguerat enim Eliphaz Iobem, sed nullum peccatum inuenerat verè in Iobe, quamuis multa obiiceret. & propterea Iob dicit, *facite me intelligere* (& non tantum audire.) quid est illud in quo erraui? ac si apertiùs dixisset, rationem afferte alicuius mei erroris, vt ratio moueat ducatque ad cognoscendum in quo erraui.

Arguendi officia reprehenditur.

Vers. 25. QVARE DETRAXISTIS SERMONIBVS VERITATIS? Iuxta Hebræum habetur, *Quam robo-rata sunt dicta rectitudinis?* Magnam esse vim dictorum rectorum affert, ad insinuandum quòd dicta eius vtpote recta sunt inexpugnabilia. propter quod & subiungit, QVVM E VOBIS NVLLVS SIT QVI POSSIT ARGVERE ME. Iuxta Hebræum habetur, *& quis increpabit increpando ex vobis?* Ex eo quòd dicta ab eo recta esse affirmauerat, infert optime nullum eorum esse tanti quòd dicta ipsius increpare possit.

Dictorum rectitudo.

Vers. 26. AD INCREPANDVM TANTVM ELOQVIA CONCINNATIS, ET IN VENTVM VERBA PROFERTIS. Iuxta Hebræum habetur, *Numquid in reprehendere verba cogitabitis.* Arguit Iob amicos quòd malè exercent officium interpretandi verba ipsius in deteriorem partem, interpretatus enim fuerat Eliphaz lamentationem Iobis ex lassitudine animi & timiditate prodisse: & propterea Iob monendo in futurum, *num verba mea cogitabitis ad reprehendendum me?* intinuat quòd errauerunt malè librando verba eius. Et huic sensui quadrant subiuncta, iuxta Hebraicam veritatem, *& in spiritu dicta affecti fastidio?* hoc est, num cogitabitis dicta affecti fastidio tanquam dicta in spiritu? indiscreta siquidem est interpretatio dictorum ab affectu fastidio tanquam fuerint dicta ex spiritu, hoc est, ex suprema animi parte, ex mente deliberata. Et per hoc insinuat Iob quòd lamentatio sua in tertio capitulo proposita, non ex deliberata mente, sed, vt declarauimus, ex velleitate tanquam ex affectu fastidij processerit.

Iob amicos arguit quòd verba ipsius interpretetur in deteriorem.

Vers. 27. SVPER PVPILLVM IRRVITIS, ET SVBVERTERE NITIMINI AMICVM VESTRVM. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam super pupillum irruetis, & fodietis super socium vestrum.* Exaggeratio est præmissi criminis male interpretandi verba Iobis. assimilat siquidem crimen eorum irruentibus super pupillum, & fodientibus ad eradicandum socium. Et ratio secundæ similitudinis est, quia isti interpretando male dicta Iobis, erant quasi cauantes malum sensum sub verbis. ratio verò primæ est, quia videntes Iobem omni auxilio destitutum, animæquiores effecti ad arguendum eum, erant tanquam irruentes in pupillum.

Vers. 28. VERVNTAMEN QVOD COEPISTIS EXPLETE. Iuxta Hebræum habetur, *Et nunc velite.* Completo sermone de præteritis malè gestis ab amicis, monet vt deinceps aliter velint se habere. Quid autem petat ab eis, subiungit. PRÆBETE AVREM, ET VIDETE AN MENTIAR. Iuxta Hebræum habetur, *vertite vos in me, & super facies vestras an mentiar.* Ordo literæ est, & an mentiar super facies vestras vertite vos (non corpore, sed animo) erga me: & sic recto erga me animo videbitis an mentiar coram vobis: hoc est, an errem, an peccem vobis præsentibus.

Caietan. in S. Script. Tom. II.

RESPONDETE OBSECRO ABSQVE CONTENTIONE. Iuxta Hebræum habetur, *Reuertimini obsecro, non erit iniquitas.* Declarat quod dixerat, *vertite vos in me.* reuertimini obsecro ad pristinam amicitiam, ita vt non sit iniquitas in collatione nostra, sicut nec erat priùs ante ruinam meam. ET LOQVENTIS, ID QVOD IVSTVM EST IVDICATE. Iuxta Hebræum habetur, *& reuertens adhuc iustificatio mea in ea.* Ecce fructus reuersionis eorum, quòd adhuc erit simul reuertens iustificatio mea in seipsam Et dicit adhuc, quoniam iam cœperat monstrare iustificationem suam, & sciebat quòd si reuerterentur ad rectam censuram, iustificatio quoque sua reuerteretur coram eis in seipsam: quia declaratus erat mentem suam. Vers. 29.

ET NON INVENIETIS IN LINGVA MEA INIQVITATEM Parui refert quòd Hebraice habetur, *An est in lingua mea iniquitas?* Dixerat, *an mentiar coram vobis.* explicat modò per partes quod in genere dixerat, dicendo; an in lingua mea est iniquitas, per declinationem ab eo quod est iustum & æquum? NEC IN FAVCIBVS MEIS STVLTITIA PERSONABIT. Iuxta Hebræum habetur, *& an palatum meum non intelliget fracliones?* hoc est, & an internum palatum mentis meæ malum habeat iudicium de afflictionibus quibus frangimur à Deo. hæc enim duo imputabantur Iobi, & quòd intus malè sentiebat de afflictionibus hominum à Deo (puta quòd non essent pro peccato) & quòd inique loquebatur præferendo mortem vitæ. Vers. 30.

CAPVT VII.

MALITIA EST VITA HOMINIS SVPER TERRAM. Iuxta Hebræum habetur, *Nónne tempus homini super terram?* hoc est, nónne tempus est hominis quandiu viuit super terram? Postquam Iob prosecuturum se iustificationis suæ causam proposuit, arguit etiam aduersùs Eliphaz dogma, sonans quòd aliquòd præsentis vitæ tempus videlicet post sex afflictiones) est tempus beatitudinis. Et vere sapiens Philosophus fuit Iob, qui viuere spectando ad tempus dixit proprium esse hominis quandiu viuit. solus enim homo inter animalia viuit vtendo omnibus differentiis temporis quatenus tempus est. sicut enim solus homo reminiscitur, ita solus homo viuit conferendo præterita futuris: reliqua enim animalia instinctu naturæ viuunt & thesaurizant. cuius signum est quòd formica nuper nata æquè thesaurizat, sicut formica quæ passa est hyemem. Et aduerte quòd Iob plus dicit, & minus intendit. nam intendit quòd viuere spectando ad futurum, proprium est homini in tota vita eius: & quia hoc conuenit homini quatenus vtitur tempore vt tempus est (hoc est, tempore secundum omnes temporis differentias absolute) ideo dicit, nónne tempus homini super terram? declaraturus paulo pòst id quod intendit. ET SICVT DIES MERCENARII DIES EIVS? Duo proponit de tempore vitæ hominis. alterum quòd homo semper viuit, spectando ad futurum? alterum quòd tempus vitæ hominis est sicut tempus mercenarij. Et vtrumque directè Vers. 1.

Iob humanæ vitæ miseriæ causam explicat. Tempus hominis quod.

Homo semper viuens.

Tempus vitæ hominis quale sit.

militat aduersùs Eliphaz, dicentem esse aliquod tempus vitæ hominis in quo homo viuit beatus. si enim homo quandiu viuit spectat ad futurum, iam non est beatus. talis enim viuendi modus signum est quòd homo non est assecutus beatitudinem. nam beatitudo est terminus & finis: spectare autem ad futurum, est tendentis ad vlteriora. Et similiter tempus mercenarij contrariatur tempori beatitudinis. nam tempus mercenarij expectat mercedem futuram, tempus autem beatitudinis habet illam præsentem. Arguit itaque Iob opinionem Eliphaz, tum ex ratione naturali, quia modus viuendi hominis est spectando ad futurum. tum ex ratione veræ fidei; quia totum tempus præsentis vitæ est sicut tempus mercenarij: ac per hoc expectans mercedem beatitudinis in alia vita.

Vers. 2. & 3.

SICVT SERVVS DESIDERAT VMBRAM, ET SICVT MERCENARIVS PRÆSTOLATVR FINEM OPERIS SVI. SIC ET EGO HABVI MENSES VACVOS, ET NOCTES LABORIOSAS ENVMERAVI MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *Sicut seruus desiderabit vmbram, & sicut mercenarius sperabit operam suam. sic hæreditauit mihi menses falsitatis, & noctes laboris supputarunt mihi.* Proposuerat duo: declaratiuus vtrumque inchoat more solito à postremo. Declarat itaque sensum similitudinis, sicut dies mercenarij dies eius, intelligi quo ad tempus laboris mercenarij: declarat autem hoc ex similitudine suimet secundum tempus hæreditate acceptum, ad seruum desiderantem vmbram, & ad mercenarium sperantem mercedem operis sui. seruus enim non desiderat vmbram quando habet eam, sed quando æstuat laborans sub Solis ardoribus iussus à domino suo: & similiter mercenarius non sperat mercedem quando habet eam, sed quando operatur sub spe mercedis. His, inquam, Iob assimilat se, non secundùm quòd Iob, sed in persona omnium hominum. & propterea dicit, quòd hæreditaria successione accepi mihi tempus plenum *falsitate*, & *laboris*: *falsitatis* quidem quo ad intelligibilia; *laboris* verò quo ad appetibilia. Omnes enim sumus hæredes antiquarum opinionum, refertarum innumeris falsitatibus: in quibus tamen doctrinis gaudemus nos occupare menses nostros, & omnes sumus hæredes exercitiorum patrum & auorum: & in huiusmodi laboribus exercemus nos, non solùm diebus, sed etiam noctibus. Meritò itaque dies hominis sunt sicut dies mercenarij dum operatur, quia tempus patrum nostrorum, & nostrum toti falsitatibus & laboribus refertum est, vt ad veritatem & quietem semper suspiret, quemadmodum seruus qui sole vritur ad vmbram, & mercenarius operans ad mercedem.

Dies hominis sicut dies mercenarij dum operatur.

Vers. 4.

SI DORMIERO, DICAM, QVANDO CONSVRGAM? Declarato altero propositorum, declarat nunc primò propositum, videlicet, *nonne tempus hominis?* Declarat autem sensum intentum, videlicet quòd homo quandiu viuit, viuit spectando ad futurum. & manifestat hoc, tum in quiete, tum in exercitatione operis. & inchoat à quiete naturali, qualis est somnus: morale siquidem est humani vt iens dormitum cogitet de tempore surgendi à somno: & similiter vt mane cogitet de diurno tempore vsque ad vesperam. Et ideo subiungitur, ET RVRSVM EXPECTABO VESPERAM, ET REPLEBOR DOLORIBVS VSQVE AD TENEBRAS. Iuxta Hebræum habetur, *& mensuratio vespera: & satiasti me vagationibus vsque ad vesperam.* Occupationes varias hominum appellat communi nomine vagationes, & explicat vtroque tempore quod est proprium hominis. nam non dicit, si dormiero surgam quandoque, sed dicit, si dormiero, dixi, quando surgam? dicere enim, quando surgam, est conferre tempus præsens futuro, quod est proprium hominis. & similiter mensurare tempus à manè vsque ad vesperam, actio est propria homini. Aptè quoque describitur homo saturatus vagationibus diurnis, eo quòd non desunt, sed vsque ad satietatem in promptu semper adsunt diuersæ vagationes hominibus. Ex hoc ergo signo quòd tam in principio noctis, quàm in principio diei, tam in principio quietis, quàm in principio exercitationis, homo viuit spectando ad futurum, declarauit quòd viuere spectando ad futurum proprium est homini: ac per hoc nullum tempus vitæ humanæ est tempus beatitudinis, cuius contrarium dixerat Eliphaz *in 5. cap.*

Vagationes, de varijs occupationibus hominum.

Viuere spectando ad futurum, homini proprium.

INDVTA EST CARO MEA PVTREDINE ET SORDIBVS PVLVERIS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Induta est caro mea vermem, & frustum pulueris.* Eliphaz dixerat non solùm in genere de tempore beatitudinis hominis, sed etiam in calce capituli quinti descenderat ad Iobem in individuo, monendo ipsum, Audi & tu, & sapito tibi proculdubio vt ad beatitudinem te præpares. huic, inquam, monitioni respondet modò Iob, confutando illam ex præsenti dispositione corporis sui: manifestans quòd corpus suum est sic malè dispositum, vt inhabilem ipsum reddat ad expectandum beatitudinem descriptam ab Eliphaz. & propterea dicit carnem suam vestitam iam vermibus natis ex vlceribus, & vestitam similiter frustis pulueris: quia in cinere sedebat, & tam agglutinatus erat cinis cruore imbibito, vt frusta pulueris confecta essent. CVTIS MEA ARVIT, ET CONTRACTA EST. Iuxta Hebræum habetur, *cutis mea scissa est, & abominabilis facta est.* Sententia clara est, quia ad literam verificatur. Et ex istis manifestatur quàm dira fuerit plaga personæ Iobis, quod priùs tacitum fuerat.

Vers. 5.

Iob se indispositum ait ad vitã æternam.

Plaga Iobis dira.

DIES MEI VELOCIVS TRANSIERVNT, QVAM A TEXENTE TELA SVCCIDITVR. Iuxta Hebræum habetur, *Dies mei fuerunt agiliores nauicula textoris.* Textoris nauicula vehiculum est fili ad texendum, & hinc & inde continuè agitur: & quanto agiliot est, tanto citiùs consumitur filum vectum in ea: dies autem Iobis assimilantur nauiculæ textoris quatenus vehentes vitam ipsius Iob tanquam eundo & redeundo; secundus enim dies repetitio est primi. Et intendit ad literam quòd dies sui quatenùs vehentes vitam ipsius, citius terminati sunt, quàm victurus fuisset secundùm naturæ cursũ. hoc enim sonat, & huc tendit maior agilitas dierum suorum, quàm nauiculæ textoris: narrat enim quòd dies sui acti sunt cum tanta agilitate, vt filum vitæ suæ longè plus duraturum, citiùs finitum fuerit. Et prosequendo metaphoram subiungit, & *consumpti sunt absque vlla spe.* Filum nauiculæ textoris finitur quidem, sed cum spe (nam

Vers. 6.

Dies Iobis nauiculæ textoris assimilitã.

ponitur

ponitur in ea calamus cum alio filo donec compleatur tela;) dierum verò meorum accelerata consumptio est sine spe prorogationis vitæ. ex magnitudine siquidem ægritudinis cum vehementia doloris, iudicabat rationabiliter vitam suam consumptam: & propterea impossibile esse sibi quòd expectaret beatitudinem promissam ab Eliphaz.

Vers. 7. MEMENTO QVIA VENTVS EST VITA MEA. Iuxta Hebræum habetur, *Memento quòd spiritus vitæ meæ.* & est numeri pluralis *vitæ meæ.* Dixerat Iob *in cap.* 3. proponendo lamentationem suam, quòd si olim mortuus fuisset, requiescere nunc cum Regibus & consulibus terræ, &c. contra quod dixit Eliphaz *in cap.* 4. quòd fundamentum hominis est puluis, & in morte non habet quod ponat: insinuando quòd anima hominis desinit simul cum homine. Et propter vtrumque dicit modò Iob, hominis animam post mortem perseuerare semper sine corpore: tum ne putarent quòd ipse in dictis in tertio capitulo crederet circulum animarum: tum ne ex verbis eius intelligeretur quòd animæ separatæ sunt extra statum tam pœnæ, quàm præmij, vt verba eius ibidem præ se ferebant: tum aduersùs Eliphaz, dicentem animam hominis simul mori cum corpore. Et apostrophat ad Deum, supplicando illi, memento quòd spiritus est vitarum mearum. in hoc enim quòd dicit vitas suas prodire ex spiritu, dicit animam suam esse spiritum: ac per hoc immortalem, contra Eliphaz. Per hoc autem quòd supplicat Deo vt recordetur spiritus eius nunquam reuersuri ad corpus, excludit non solùm circulum animarum, sed etiam statum exemptum à pœna & præmio. vana siquidem esset supplicatio pro spiritu suo separato, nisi spiritus separatus puniendus, vel beandus esset. Ad hæc itaque tendit vniuersa hæc particula, affirmans animas hominum viuere quidem post mortem hominis, sed nunquam redituras ad hanc vitam. Nec doctrina hæc militat aduersùs veram fidem resurrectionis mortuorum: quoniam nec tunc reuertentur animæ ad similem vitam in corporibus, sed ad viuendum in corporibus absque cibo & potu & vsu venereorum, absque præliis & dominio & ciuitatibus, &c. ET NON REVERTETVR OCVLVS MEVS VT VIDEAT BONA. Discerne prudens Lector inter spiritum & corpus. spiritum namque suum commendat Deo: de corpore autem dicit, *& non reuertetur oculus meus* (proculdubio corporeus) *vt videat bona*, præsentis vitæ.

Anima per seruatia post mortem sine corpore.

Anima spiritus, & immortalis:

nẽ tamen reuersura ad hanc vitam. Anima statum post resurrectionem mortuorum.

Vers. 8. NEC ASPICIET ME VISVS HOMINIS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Nec aspiciet me oculus inspectoris mei.* Conuersationem humanam qualis nunc est excludit, negando mutuos conspectus futuros, quales docent credentes circulum animarum. OCVLI TVI IN ME, ET NON SVBSISTAM. Iuxta Hebræum habetur, *oculi tui in me, & non ego.* Quamuis non sit futurus iterum mutuus conspectus hominum, oculi tamen tui Deus semper videbunt me, ita tamen quòd non ero ego, homo compositus ex anima & corpore. videbunt enim semper oculi tui me, hoc est, spiritum meum: sed ego qui constituor ex anima & corpore, non ero.

Spiritus & corpus differunt.

Conspectus mutui negatur esse futuri.

Vers. 9. SICVT CONSVMITVR NVBES, ET PERTRANSIT. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Consumpta est nubes, & iuit.* hoc est, consumpta est nubes, & iuit per resolutionem in ea, in quæ resoluenda erat. Dixerat, *& non ego.* affert modò similitudinem manifestantem quòd non ego in æternum. SIC QVI DESCENDIT AD INFEROS, NON ASCENDET. Iuxta Hebræum habetur, *sic descendens ad foueam non ascendet.* De homine est sermo. homo enim naturaliter consumitur, & vadit per resolutionem in animam, & corpus in foueam, sepulchri quidem quo ad corpus, inferni autem quo ad animam. ante mortem siquidem Christi omnium hominum animæ descendebant ad inferos Et propterea de ipso homine dicitur quòd quemadmodum nubes consumpta est, & iuit per resolutionem absque reuersione eiusdem, ita homo descendens in foueam per resolutionem in animam & corpus, nunquam ascendet de fouea, nunquam redibit ad hanc vitam. Et ad maiorem explicationem subiungitur quòd nunquam redibit in domum olim suam, neque cognoscet eum locus dignitatis eius, non redibit iterum Rex, seu Princeps, &c. Et assumpsit similitudinem ex nube consumpta: quoniam in ipsa videmus ad sensum consumptionem absque reditu eiusdemmet indiuidui cum frequenti reditu similium in specie: vt etiam ex ipsa similitudine insinuaret hominem non redire eundemmet, sed similem postea generari.

Hominem nõ redituru eundem, sed postea generari similem.

Vers. 10. NON REVERTETVR VLTRA AD DOMVM SVAM, NEQVE COGNOSCET EVM AMPLIVS LOCVS EIVS.

Vers. 11. QVAPROPTER ET EGO NON PARCAM ORI MEO. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam ego non prohibebo os meum.* Postquam Iob respondit ad obiecta multa Eliphaz, redit ad declarandum sensum pariter & rationem lamentationis suæ. promiserat enim in calce præcedentis capituli quòd si amici reuerterentur ad æquitatem animi, efficeret ipse vt iustificatio quoque sua rediret in seipsam. & proprerea dicit quòd adhuc non vult cohibere os suum à lamentatione vt declaret sensum illius. LOQVAR IN TRIBVLATIONE. Parui refert quòd Hebraice habetur, *in angustia spiritus mei.* Verè siquidem loquetur in angustia spiritus, hinc & inde vrgentibus rationibus diuersis iudiciorum Dei. CONFABVLABOR CVM AMARITVDINE. Legendum est, *in amaritudine animæ meæ.* Duas præmittit radices futuri sermonis (alteram angustiam spiritus inter diuersas rationes, alteram amaritudinem vitæ ex plagis propriis) ad manifestandum amicis suis rationem subiunctorum, ne interpretentur in malam partem, sicut priùs.

Angustia spiritus.

& amaritudo vitæ.

Vers. 12. NVNQVID MARE EGO SVM, AVT CETVS, QVIA CIRCVMDEDISTI MI CARCERE? Iuxta Hebræum habetur, *Numquid mare ego, numquid cetus, quòd pones super me custodiam?* Ecce sermo ex angustia spiritus directus ad Deum perscrutando rationes diuinorum iudiciorum, & hoc directè aduersùs Eliphaz, dicentem non immitti mala homini à Deo nisi propter ipsius hominis peccata. Inuestigando siquidem an Deus immiserit sibi hæc mala pro custodia, quemadmodum Deus custodit mare, & custodit cetum, docet quòd Deus quandoque angustat hominem aliquem ne noceat aliis præponendo commune bonum

libertati priuatæ alicuius. tali siquidem ratione custodit Deus mare ne operiat terram, præponendo salutem animalium viuentium in sicco, primæuæ dispositioni elementorum, qua aquæ tegere deberent terram. cetum quoque (hoc est, piscem maximum) custodit ne veniat ad mare mediterraneum, ne noceat commoditati humanæ.

Custodia maris & ceti, diuinæ prouidentiæ est.

Nec sis adeò rudis vt intelligas custodiam maris & ceti extra opera naturalia: sed quia opus naturæ est opus intelligentiæ, ideo Iob verissime attribuit huiusmodi custodiam diuinæ prouidentiæ.

Vers. 13. SI DIXERO: CONSOLABITVR ME LECTVLVS MEVS. Ecce sexto ex amaritudine animæ. & Hebraice habetur, *Quia dixi: Consolabitur me lectus meus.* affirmat enim se speraſſe quietem somni in lecto, vt sic consolationem aliquam acciperet. ET REVELABOR LOQVENS MECVM IN STRATV MEO. Sententia optimè redditur: nam Hebraice habetur, *eleuabit in eloquio meo stratus meus.* In idem enim redit, releuari secum loquendo in proprio stratu, & eleuari à proprio stratu secum loquendo. *eleuari* enim ad partem spectat contemplatiuam, *releuari* verò ad appetitiuam: sed hæc mutuo se inferunt. In quiete proprij colloqui ad seipsum, asserit se speraſſe quoque consolationem ex meditatione qua homo secum loquitur in loco quieto.

Lecti cõsolatio.

Colloquij eleuatio.

Vers. 14. TERREBIS ME PER SOMNIA, ET PER VISIONES HORRORE CONCVTIES. Iuxta Hebræum habetur, *Et terruisti me in somnijs, & a visionibus stupefecisti me.* iuxta duo priùs dicta (videlicet de consolatione lecti, & de eleuatione in colloquio) duas afflictiones commemorat sibi datas à Deo. alteram dormienti per terribilia somnia: alteram vigilanti ac meditanti per horribiles visiones. Satan enim acceperat potestatem aduersùs Iob citra ægritudines mortales, & propterea vexabat eum etiam in animo: commouendo phantasmata dormientis, & formando horribiles apparitiones in imaginatiua vigilantis, vel etiam in aëre relatiuè ad sensus Iobis.

Afflictiones Iob.

Vers. 15. QVAMOBREM ELEGIT SVSPENDIVM ANIMA MEA, ET MORTEM OSSA MEA. Iuxta Hebræum habetur, *Et elegit plus quam strangulationem anima mea: mortem plus quam ossa mea.* Inter tot dolores corporis & afflictiones animi quid elegerit commemorat, ampliando lamentationem suam *in cap. 3.* scriptam. ibidem enim manifestauit se præferre mortem vitæ: hîc autem manifestat quòd non solùm concupiuit mortem, sed etiam violentum moriendi modum. Parum dico: quia ait animam suam elegisse non solùm strangulationem (quæ est mors violenta,) sed plus quàm strangulationem, hoc est, quemcunque peiorem modum moriendi. Quòd autem subdit, *mortem plus quàm ossa mea*, Hebraico more postponitur: phrasis enim Hebræa præponit maius minori. Latinè enim dicendum fuisset, & elegit mortem plus quàm ossa mea, plus quàm strangulationem anima mea. Et ad literam dicit, *mortem plus quàm ossa mea*, ad insinuandum quòd sola ferè ossa remanserant in eo, consumptis iam carnibus dolore & vermibus.

Iob strangulationem & suspendium eligit.

Vers. 16. DESPERAVI, NEQVAQVAM VLTRA IAM VIVAM. Iuxta Hebræum habetur, *Abominatus sum, non semper viuam.* Res abominatione habita significatur per hanc particulam, *non semper viuam.* & est sensus, abominatus sum meipsum mortalem.

Iob abominatur se mortalem.

Vbi aduerte prudẽs Lector, quòd ordo harum trium particularum est, & abominatus sum me mortalem, & elegit anima mea mortem, & plus quàm strangulationem: sed metri causa non ordinatè scribuntur. Et recole quòd protestatus est Iob hæc elegisse animam suam, non absolutè, sed secundùm amaritudinem animæ suæ. quemadmodum enim (vt in præcedenti præmisit capitulo) iudicium diuersum est eorum quæ gustantur ab habente saliuam sanitatis, vel ab affecto saliua amara; ita alia est electio affecti amaritudine vitæ, & alia est electio animi liberi. illi enim consonant ea quæ tollunt amaritudinem vitæ: & propterea consonat ei plus mors, quàm vita: & tam tingens potest esse amaritudo vitæ, vt consonet ei plus quàm strangulatio. Et propterea Iob ad manifestandum maximam vitæ suæ amaritudinem, dicit, & quòd abominatus est se mortalem, & quòd elegit plus quàm strangulationem, non quòd absolutè hos actus exercuerit, sed, vt dictum est, secundùm velleitatem, & secundùm appetitum inferiorem affectum amaritudine. PARCE MIHI DOMINE. Iuxta Hebræum habetur, *prohibe a me.* Huc tendit vniuersa commemoratio recitatarum afflictionum & electionum: videlicet ad supplicandum Deo vt prohibeat ab eo tum augmentum, tum continuationem tam ingentis doloris & terroris. Et ad literã subiungit hanc supplicationem tanquam temperamentum præmissæ electionis. Ac si apertiùs dixisset. Inter tot mala elegi secundùm amaritudinem quidem animi & mortem, & plus quàm strangulationem; secundùm verò mentem, seu simpliciter & absolutè, elegi supplicare Deo vt prohibeat à me augmentem & continuationem doloris & terroris. Et per hoc declarat internam dispositionem animi sui fuisse rectam. NIHIL ENIM SVNT DIES MEI. Iuxta Hebræum habetur, *quia inanitas dies mei.* Aduersùs orationem Eliphaz orat Iob. ille enim supplicaturum dixit se Deo vt purgaret eum, & faceret beatum in hac vita: quo contrà Iob orando petit vt Deus desistat à tanta afflictione, non vt beatum eum faciat in hac vita, sed quia dies vitæ suæ sunt inanitas. Minus explico: quia dictio Hebraica significat *plus quàm vacuum.* Ex hoc itaque quòd dies vitæ eius, qui supersunt, sunt vacui omni spe bonorum temporalium, supplicat quòd minuat hoc malum. Et hîc subintelligitur absque repetitione, ratio dicta in præcedenti capitulo: scilicet ne auctum, vel continuatum malum abducat mentem à rectitudine. Ita quòd si perspicaciùs intellecta fuerit hæc petitio, supplicat Deo vt prohibendo hæc mala custodiat ipsum ne ruat in peccatum.

Iob petit à Deo liberari à miserijs.

Cur?

Vers. 17. QVID EST HOMO QVIA MAGNIFICAS EVM? AVT QVID APPONIS ERGA IVM COR TVVM? Iuxta Hebræum habetur, *Quid homo quod grandiuisti eum, & quod ponis ad eum cor tuum?* Interpollarim rationes diuersas iudiciorum diuinorum aduersùs Eliphaz profert. prius enim apernerat quòd Deus angustat quandoque hominem ne noceat aliis: modò autem manifestat quòd Deus affligit quandoque hominem, vt probet illum. per hæc enim confutatur

Iob admiratur Dei erga hominẽ prouidentiam.

Eliphaz

Eliphaz, dicens hominem affligi à Deo ob peccatum proprium duntaxat. Ait itaque ad Deum: *Quid homo quòd grandiuisti eum?* Præsupponit hominem, & admiratur quòd Deus grandierit eum. Præsupponendo itaque hominem, præsupponit naturalia hominis: & admiratur hominem postea factum a Deo grandem, proculdubio in supernaturalibus perficientibus naturam: in donis fidei, spei & charitatis: & vt vnico dicam verbo, in hoc quòd ordinatus est ad supernaturalem beatitudinem. valde enim grandiuit Deus hominem, quum gratuito beneficio contulit homini posse adipisci supernaturalem beatitudinem qua gaudent Angeli beati: & vere dignum est admiratione quòd homo mortalis secundùm corpus, habens animam rationalem in infimo ordine creaturarum rationalium, sit eleuatus à Deo in tantam magnitudinem, vt perueniat ad supremam beatitudinem creaturarum intellectualium.

Et tu perspicax Lector scito quòd oportuit Iobem talem hominis magnitudinem commemorare hîc, vt redderet rationem quare Deus affligit hominem probando illum. Probatio siquidem hominis per afflictiones, non apparet rationabilis relatiuè ad naturalia hominis præcisè: sed quòd Deus affligat homines probando illos relatiuè ad supernaturalia communicata homini, rationi consentaneum est. per afflictiones siquidem abstrahimur ab effectu carnis ac mundi, & discimus eleuari ad supernaturalia nobis promissa, & interuenit nonnulla commutatio bonorum præsentis vitæ cum bonis futuræ felicitatis.

Consequenter autem subiuncta verba sub eadem admiratione, *& quòd ponis ad eum cor tuum?* ad eundem supernaturalium ordinem spectant. & est sensus: Quid est homo quòd fecisti eum capacem beatitudinis supernaturalis, & quòd indefessam curam iugiter habes ad adducendum hominem in illam beatitudinem. in hoc enim officio continuè Deus perseuerat: & propterea scribitur in futuro.

Vers. 18. VISITAS EVM DILVCVLO, ET SVBITO PROBAS ILLVM. Iuxta Hebræum habetur, *Et visitasti eum in matutinis: in momentis probabis eum.* Executio antedictæ curæ scribitur in visitatione & probatione. Recole quòd Eliphaz *in cap. 5.* dixit hominem beatum post sex afflictiones: aduersùs siquidem illam opinionem dicit Iob tam *in matutinis*, quam *in momentis*. & est sensus quòd Deus visitat homines conferendo eis gratiam perfectarum virtutum in matutinis, hoc est, ante quamlibet afflictionem, ita quòd non est opus afflictione purgatiua ad habendum virtutem perfectam. Et hoc apparet in Sanctis multis, prius habentibus perfectas virtutes, quam tribulationes. Dictio autem interpretata *probabis*, non plenè explicatur: quoniam significat probationem ad eligendum. & est sensus quòd Deus probat electos in momentis, hoc est, absque successione temporum. dixerat enim Eliphaz quòd sex tribulationibus opus erat: dicit Iob quòd Deus probat homines in momentis quibuslibet, & non est opus expectare successionem temporum.

Visitatio Dei.

& probatio.

Homines autem probare attribuitur Deo, non propriè, sed metaphoricè, sicut & irasci, videlicet secundùm similitudinem effectus: hoc est, quòd Deus operatur ad instar probantis & examinantis homines per flagella. facit enim similem effectum effectui quem faceret probans & examinans. quorsum autem, iam dictum est. Vbi vides quòd Iob admiratur diuinam beneficentiam in omnibus istis quattuor actionibus: & docet quòd propter supernaturalia bona affligit Deus electos, tanquam probans & examinans illos: simúlque tempora Eliphaz confutat. Est & aliud mysterium in hac admiratione, videlicet quòd Eliphaz conuertendo sermonem suum ad Deum, commemorauit Deum facientem magna & inscrutabilia, dantem pluuiam, &c. Iob autem alloquens Deum, admiratur diuinam beneficentiam in collatione supernaturalium donorum; vt & hinc perpendamus quantum præstet oratio orationi.

VSQVEQVO NON PARCIS MIHI, NEC DIMITTIS ME VT GLVTIAM SALIVAM MEAM? Iuxta Hebræum habetur, *Vsquequò non vertes a me: non facies laxare me donec glutiam ego saliuam meam?* Simili fine concludit probationem suam, quali concluserat afflictiones suas. concluserat enim petendo vt cessaret Deus à tam vehementi afflictione: concludit similiter modò petendo laxitatem minimam. Et tali petitione manifestat Iob se affligi à Deo per modum probationis. dixerat in genere quòd Deus probat homines: nunc applicat ad seipsum quòd probatur à Deo per huiusmodi afflictiones, petendo laxitatem vel paruulam. Et vniuersum vitæ suæ tempus reliquum assimilat tempori paruissimæ moræ qua glutimus saliuam propriam. ita quòd ad literam petit relaxari dolores & terrores in hoc residuo vitæ suæ, quod est tam breue, quam tempus necessarium ad glutiendum saliuam. Et adiecit hoc directè contra monitionem Eliphaz, suadentis vt precaretur Deum ad hoc vt in hac vita postea viueret beatus. contra hoc enim directè petit tempus ad glutiendum saliuam propriam, hoc est, tempus tum minimum, tum necessarium ad vitam, in aliqua laxitate concedi. Et si Hebraicæ literæ ordinem cupis, dicito: Vsquequò non vertes probationem à me, non facies laxare me tum corpore, tum animo? hæc enim laxitas effectus est primæ actionis. Vers. 19.

Tempus ad glutiendũ saliuã propriã. pro tempore minimo.

PECCAVI. Officia multa simul exequitur. nam contra interpretantes quòd ipse dixerit se non peccasse, ait, Deo peccaui. & postquam rogauit relaxari probationem, consequenter supplicat condonari sibi peccata: & inchoat à confessione peccati, dicendo *peccaui*. QVID FACIVM TIBI O CVSTOS HOMINVM? Parui refert quòd Hebraicè habetur, *quid operabor tibi custos hominis*: Fatetur impotentiam suam ad repensandum iniuriam factam Deo quatenus est custos hominis. contra custodiam siquidem peccat, quicunque sub alicuius custodia deputatus declinate attentat. & iuxta hanc metaphoram aduersùs Deum custodem hominis peccamus, quoties à præstitutis Religionis, vel prudentiæ terminis declinamus. Agnoscens itaque celsitudinem custodis in quem peccauit, & conferens cum propriis viribus, verissimè dicit, *quid operabor tibi?* asserendo per hoc nullam sibi superesse operam ad repensandum peccatum. verissimum siquidem est quòd homo nihil potest reddere Deo pro peccato: sola enim Dei gratia remissio fieri potest peccati. Nec sermo iste Iobis Vers. 20.

Iob fatetur impotentiam suam ad repensandã iniuriã, quam Deo fecerat vt custodi hominis.

Gratia Dei sola peccati remissio.

bis est excusatior ius: sed quemadmodum confessus est se peccasse, ita profitetur posuisse seipsum in huiusmodi impotentia repensandi Deo. vtcunque enim propria voluntate facimus. QVARE POSVISTI ME CONTRARIVM TIBI. Iuxta Hebræum habetur, *quare posuisti me in obuium tibi*. Metaphora est. quum enim alicui cuncti vnus aliquis semper inuenitur obuius, non quòd ille occurrat cuncti, sed e conuerso, quia vadens semper quasi impingit in illum, habetur ille sic obuius fastidio. Et iuxta hanc similitudinem dicit Iob Deo, *quare posuisti me in obuium tibi*. hoc est, quare habes te circa me tanquam fastidio habitum, sicut fastidio habetur iugiter obuius cuncti. Et verificatur hoc in Deo relatiuè ad eum, qui peccauit, pro quanto non dat illi gratiam verè resipiscendi. & hæc est ratio propter quam peccator caret operatione grata Deo pro peccato commisso. ET FACTVS SVM MIHIMET IPSI GRAVIS? Iuxta Hebræum habetur, *& fui super me in onus*: Iustisti Domine, & sic est vt omnis inordinatus animus sibiipsi sit pœna, inquit August. & Gregorius ait, Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, suo pondere ad aliud trahit. propter hæc enim verificatur sententia Iobis, *& fui super me in onus*.

August. Gregor.

Scito hîc quòd Hebræi referunt Thalmudistas tradere quòd antiqui Rabini mutauerunt hanc literam, & multas alias sacræ Scripturæ, quas arbitrati sunt indecenter sonare: & in hac litera aiunt mutatum esse Pronomen secundæ personæ in primam. ita quòd secundùm primæuum textum legebatur, *& fui super te in onus*? quod si verum est, ignorantiam suam monstrauerunt magistri illi. non enim male sonat metaphora, *& fui super te in onus*; sed tanquam præcedentis sententiæ effectus quadrat, quia posuisti me in obuiũ tibi, ideo habitus sum apud te tanquam qui est alicui in onus, quia elongasti me à gratia tua, ideo meruì tractari à te tanquam si essem in onus tibi. Hæc dixerim, non vt adhibeatur fides Thalmudistis (quoniam ea facilitate possunt reiici, qua & admitti,) sed vt cauti sint Lectores, nec credulas præbeant aures.

Et formant istas interrogationes ad insinuandum duo. Alterum vt cognoscatur ratio, quare homo & peccat, & non potest satisfacere pro peccato. & hoc directè supra Eliphaz, dicentem quòd homo natus est ad peccatum. Longè altiùs dicit Iob, quòd ratio peccandi & impotentiæ satisfaciendi, est negatio diuinæ gratiæ. considerat enim Iob peccatum quatenus est offensa Dei custodis hominum. & propterea dicit, *quid faciam tibi, ô custos hominum*, quum tu posueris me tanquam exosum tibi, & tanquam sim tibi in onus? hoc est, tanquam sim tibi grauis ad videndum me. hæc enim ad negationem gratiæ spectant. Eliphaz autem considerauit peccatum quatenus est declinatio a rectitudine: & propterea dixit quòd homo natus est ad peccatum. & Philosophi consequenter dicunt quòd prauus frequentibus exercitationibus ad meliora, fit bonus, vera siquidem sunt hæc naturalia: sed celsiora sunt mysteria gratiæ quæ tradit Iob.

Alterum vt cognoscatur quòd hæc dependent ex simplici Dei voluntate. conferre enim, & non conferre gratiam, diuini est beneplaciti: iuxta verbum Christi Matth. 11. *ita Pater, quoniam sic placitum est ante te.* Matth. 11. 26.

Sed occurrit quæstio, quomodo hæc verificantur de Iobe, quum ipse sanctus vir fuerit, & in Dei gratia constitutus. Solutio est quòd ista verificantur de persona Iobis secundùm propria merita. hoc est, quatenus ex viribus propriis operabatur: vniuersæ enim iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ, & multo magis peccata etiam Sanctorum merentur negationem gratiæ, merentur quòd homo habeatur vt exosus relatiuè ad beatitudinis supernaturalis felicitatem, quæ in consortio consistit diuino.

Quæstio.

Solvitur.

CVR NON TOLLIS PECCATVM MEVM? ET QVARE NON AVFERS INIQVITATEM MEAM? Iuxta Hebræum habetur, *Et cur non leuabis rebellionem meam, & fauies transire iniquitatem meam?* Hebraica phrasis est *leuare* peccatum, pro *condonare* peccatum. & idem significatur per *facere transire* illud. Et ratio metaphoræ primæ est: quia quum Deus ignoscit peccatori, tanquam è supernis tollit onus peccati, quasi leuando illud ab homine. ratio verò secundæ est, quia quum Deus ignoscit peccatori, efficit vt peccati macula non maneat in eo, sed ab eo, quasi transeundo euanescat. Vers. 21.

Leuare, pro condonare phrasi Hebraica.

Facere transire, pro condonare.

Post itaque confessum peccatum, post confessam impotentiam satisfaciendi, supplex petit veniam admirando causam quare Deus negat veniam. Vbi primùm scito quo ad sensum literæ, *rebellionem* sonare peccatum quatenus est auersio ab incommutabili bono ipso Deo: *iniquitatem* autem sonare peccatum quatenus a rectitudine iuris declinat. Aduerte deinde quòd *tollere peccatum* potest intelligi, vel quo ad culpam, vel quo ad pœnam. & vtroque modo verificatur litera hæc. nam & quo ad culpam ignorans Iob an Deus ignouisset sibi peccata sua, petit tolli illa: & quo ad pœnam videbat se continuè affligi, & propterea petit tolli peccata sua quo ad pœnam.

Rebellio, de peccato quatenus.

Iniquitas, de peccato quatenus.

Tolli peccatum dupliciter intelligitur.

Sed insurgit quæstio: quia Iob non videtur constans sibi ipsi, eo quòd in principio sexti capituli affirmauit se longè plus pati, quàm mereantur peccata sua: quomodo ergo nunc petit tolli peccata sua quo ad pœnam quam patiebatur? Solutio est quòd peccata nostra possunt dupliciter iudicari & puniri, vel secundùm rigorem omnem quem diuina seueritas posset exigere, vel secundùm solitum diuinæ iustitiæ modum. Et sic locutus est Iob in principio sexti capituli: primo autem modo loquitur hîc. & propterea admirando dicit, cur non leuabis, seruando solitum iustitiæ tuæ cursum. & hoc quo ad pœnam: nam quo ad culpam, admiratio ad causam secretæ voluntatis diuinæ ignotam refertur. ECCE NVNC IN PVLVERE DORMIAM, ET SI MANE ME QVÆSIERIS, NON SVBSISTAM. Iuxta Hebræum habetur, *quia nunc in puluere iacebo, & quæres me, & non ego.* Aduersùs beatitudinem promissam ab Eliphaz post conuersionem hominis ad Deum, affert pro ratione quòd nunc morietur. Ac si apertiùs dixisset, non ideo peto veniam ac remissionem pœnæ vt reliquum vitæ meæ feliciter agam, vt Eliphaz suadet: quia nunc in puluere iacebo mortuus (hoc est, quia statim sum moriturus,) & quæres me, secundùm spiritum, & non ego, compositus ex anima & corpore inueniar, sed secundùm spiritum tantùm. *Alia quæstio.*

Solvitur.

Collige

Afflictionis hominis triplex causa.

Collige ex dictis Iobis causas tres quare Deus affligit hominem: vel propter peccatum proprium, vel ne noceat aliis, vel ad probandum hominem. & quòd ex istis confutantur duo dicta Eliphaz: alterum quòd homo affligitur à Deo propter peccatum duntaxat: alterum quòd Deo affligente innocentem infertur quòd homo esset iustior Deo. probante siquidem Deo innocentem, perspicuum est illationem esse falsam. Collige quoque petita à Iobe precante Deum, & inuenies duo præcipuè petita, videlicet veniam commissorum peccatorum, & præseruationem à futuris peccatis. nam relaxationem pœnæ petiit vt medium ad non peccandum: timebat enim (vt sæpe dictum est) menti suæ à continuato dolore & terrore. Et hinc patet spiritualis affectus Iobis in oratione, aduersùs mundanum affectum Eliphaz in sua oratione.

CAPVT VIII.

Vers. 1.

RESPONDENS AVTEM BALDAD. Legendum est, ET RESPONDIT BILDAD SVHITES. Secundo Iobis socio, secundus loquendi locus datus est. ET DIXIT, VSQVEQVO LOQVERIS TALIA. iuxta Hebræum habetur ita. incipit siquidem loqui arguendo Iobem quòd perseueraturum se profert in sententiis illis quæ in duobus præcedentibus capitulis sunt scriptæ. Ac si apertiùs dixisset. Video quòd frustrà monetis, quandiu durabit hæc pertinacia tua? ET SPIRITVS MVLTIPLEX SERMONIS ORIS TVI? Iuxta Hebræum habetur, *& spiritus fortis dicta oris tui?* Magnanimitas Iobis arguitur eo, quòd corpore non solùm attenuato, sed consumpto, eius spiritus fortis perseuerabat in dictis ore proprio.

Vers. 2. *Bildad Iob de impio sermone arguit.*

Iobis magnanimitas arguitur.

Vers. 3.

NVNQVID DEVS SVPPLANTAT IVDICIVM: AVT OMNIPOTENS SVBVERTIT QVOD IVSTVM EST? Iuxta Hebræum habetur, *Num El torquebit iudicium? & num Saddai torquebit iustitiam?* Resumit Bildad argumentum Eliphaz de iustitia Dei, quia Iob non explicitè responderat illi argumento. Concordant itaque Bildad & Eliphaz aduersùs Iobem, in argumento quòd Deus esset iniustus si non in hac vita redderet bonis bona, & malis mala. & propterea horrendo tantum nefas, dicit, *Numquid El torquebit iudicium?* profert siquidem sententias sanctissimas. impossible est enim quòd Deus vtatur fortitudine sua ad faciendum iudicium tortum, quemadmodum Principes mundi abutuntur potentia sua ad peruertendum iudicium. & similiter nunquid Saddai (hoc est, qui vincit omnia) vtetur omnipotentia sua ad torquendum iustitiam in iniquitatem, quemadmodum tyranni victores abutuntur victoria sua ad peruertendum iustitiam in iniquitatem.

Saddai, vincens omnia.

Vers. 4.

ETIAM SI FILII TVI PECCAVERVNT EI. Applicat Bildal sententias sanctas de iudicio & iustitia Dei ad mala & bona præsentis vitæ, manifestans per hæc intentionem suam, quòd videlicet intelligit has sententias verificari in hac vita: scilicet quòd in hac vita diuina iustitia reddit mala malis, & bona bonis. & inchoat à malis, afferendo in exemplum filios Iobis interemptos simul. Et primò refert culpam eorum, dicendo, *si filij tui peccauerunt ei.* hoc est, quia filij tui peccauerunt in Deum. Et subiungens pœnam dicit, ET DIMISIT EOS IN MANV INIQVITATIS SVÆ. Iuxta Hebræum habetur, *& misit eos in manu rebellionis eorum.* Ecce quòd reddidit mala malis. quia misit, per modum expellentis ex hac vita, eos in manu (hoc est, in opere) rebellionis eorum. significat enim eos inpœnitentes occisos.

Vers. 5. & 6.

TV TAMEN SI DILVCVLO CONSVRREXERIS AD DEVM, ET OMNIPOTENTEM FVERIS DEPRECATVS. SI MVNDVS ET RECTVS INCESSERIS. Iuxta Hebræum habetur, *Si tu quæres El, & Saddai deprecaberis. Si mundus & rectus tu.* Prosequitur alteram partem, videlicet quòd diuina iustitia reddit bonis bona præsentis vitæ, afferendo in exemplum ipsum Iobem, sub conditione tamen duplici. Altera est quòd sit rectè dispositus erga Deum supplicando, & instar inquirentis tendendo in Deum mente. Altera est quòd ipse sit mundus à peccatis, & rectus quo ad intentionem & opera. Nominat autem Deum *El*, & *Saddai*, ad insinuandum quod honorandus est & vt fortis, & vt qui omnia vincit, iustissimus retributor malorum & bonorum. STATIM EVIGILABIT AD TE, ET PACATVM REDDET HABITACVLVM IVSTITIÆ TVÆ. Iuxta Hebræum habetur, *quia nunc remouebit super te, & repensabit habitaculum iustitiæ tuæ.* Ecce redderè bona bonis. promittit enim quòd remouebit ab eo mala, & quòd repensabit habitaculum eius secundùm iustitiam eius. Et dicendo, *quia nunc*, videtur dissentire ab Eliphaz. iste siquidem Iobi dicenti quòd non supereſt sibi tempus habendi bona præsentis vitæ, promittit quòd si conuersus ad Deum mundus ac rectus fuerit, Deus nunc non solùm tollet mala, sed repensabit bona perdita, non omnia (quia non filios,) sed habitaculi proprij ipsius Iobis ad respondendum iustitiæ propriæ eiusdem. filij enim mortui præsupponuntur in iniquitatibus propriis: Eliphaz verò promittebat post sex tribulationes beatitudinem. Dixi autem *videtur*, quia non est hoc vsquequaque clarum. nam quod in vulgata subditur æditione,

Manus, pro opere.

Bildad Iobem vt ad Deum meliorémque vitam se cõuertat hortatur.

El, & Saddai pro Deo.

Vers. 7.

IN TANTVM VT SI PRIORA TVA FVERINT PARVA, ET NOVISSIMA TVA MVLTIPLICENTVR NIMIS. Iuxta Hebraicam veritatem habetur, *Et erit principium tuum paruum, & finis tuus crescet valde.* hic enim promittitur non solum successus prosper, sed etiam affirmatur quòd principium prosperitatis erit paruum, finis autem erit magnus. Et hoc consonat sententiæ Eliphaz paulatim per sex tribulationes vehentis hominem ad beatitudinem. ideo enim Bildad postquam dixit, *quia nunc*, &c. adiunxit, *& erit principium paruum*: ne intelligeretur quòd promitteret summum præsentis vitæ bonum statim, sed cum tempore per prosperos successus.

Bildad Iobi promittit, omnia sibi fore feliciora.

Vers. 8.

INTERROGA ENIM GENERATIONEM PRISTINAM. Legendum est, *primam.* Quòd autem sequitur, ET DILIGENTER INVESTIGA PATRVM MEMORIAM. Iuxta Hebræum habetur, *& dirige te ad inquisitionem patrum eorum.* Doctrinam hanc, (videlicet quòd Deus præsentis vitæ bona dat bonis, & mala malis) probat Bildad ex authoritate antiquorum. & propterea rogat Iobem vt interroget antiquos patres: & modum interrogandi explicat, dirigendo se ad

Deus bona bonis, & mala malis tribuit.

Generatio prima, de ijs qui viuebant annis ferè mille.

inquisita per patres primarum generationum. relicta enim erant in scriptis inquisita ab antiquis: & propterea dicit vt dirigat seipsum ad inquisitionem patrum eorum. Et intendit per generationem primam, ætatem eorum qui viuebant annis fere mille. hæc enim fuit prima hominum ætas. Vnde & subdit,

Vers. 9. HESTERNI QVIPPE SVMVS, ET IGNORAMVS. Iuxta Hebræum habetur, *Quia heri nos, & nò scimus.* Hic fiat punctus. Ratio ex parte nostri quare antiquorum authoritati deferre debemus, redditur tum ex præterito vitæ nostræ tempore, dicendo, *quia heri nos*: tum ex futuro, dicendo, *& nescimus.* ex eo enim quòd præterita vita nostra qui iam sumus ætatis processerit, est perinde acsi heri nati essemus, consequens est quòd etiam futurum est breuissimum, ac per hoc nescimus, & ideo egemus scientia antiquorum. Et ad hoc subiungitur similitudo. QVONIAM SICVT VMBRA DIES NOSTRI SVNT SVPER TERRAM. Interpres addidit *sicut*. Dies nostri relati ad scire & nescire, assimilantur vmbræ: in hoc quòd vmbra caret lumine rectorum radiorum, & nisi per reflexionem haberet lumen, esset penitus in tenebris: ita dies nostri nisi mutuatum à patribus participarent lumen scientiæ, essemus tanquam penitus ignorantes. Et intendit quòd mutuatum lumen scientiæ non ab vna patrum ætate, sed ab omnibus generationibus vsque ad primam, largitur nobis intelligentiam inuiterorum. Et vere sic esse experimur. in iis enim, in quibus desunt inquisita à priscis, nihil scimus.

Antiquorum authoritati deferendum, & cur.

Dies nostri cum vmbra comparati.

Vers. 10. Vnde & subditur, NONNE IPSI DOCEBVNT TE. Antiqui patres demonstrantur per Pronomen *ipsi*. LOQVENTVR TIBI. non verbo, sed scripto. ET DE CORDE SVO. hoc est, non fictè. PROFERENT ELOQVIA? Ad differentiam fingentium fabellas dixit, *& de corde suo proferent eloquia.* rogat enim Iobem vt antiquos veridicos Doctores consulat.

Vers. 11. NVNQVID VIRERE POTEST SCIRPVS ABSQVE HVMORE. Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid eleuabitur iuncus in non limoso.* Quod autem sequitur, AVT CRESCIT CARECTVM SINE AQVA. Iuxta Hebræum habetur, *crescet pratum sine aquis*: Sub vno enim interrogatiuo vtrumque comprehenditur. Nunquid leuabitur iuncus in non limoso, crescet pratum sine aquis: quasi dicat, non. Significanter autem de iunco dicit, *nunquid leuabitur*, eo quòd iuncus dicitur crescere in altitudinem decem cubitorum. Declarabit autem inferius hanc similitudinem dupliciter, hoc est, de iunco sine limo, & de iunco in limoso. Et quoniam nihil prosequitur Bildad de similitudine prati, signum est quòd apposita est similitudo prati ad manifestandum quid intendit circa iuncum: videlicet iuncum exigere loca aquosa.

Iunci similitudo.

Similitudo prati.

Vers. 12. QVVM ADHVC SIT IN FLORE, NEC CARPATVR MANV: ANTE OMNES HERBAS ARESCIT. Parui refert quòd Hebraicè non habetur *in flore*, sed *in ramo* suo: nec habetur *carpatur manu*, sed *præcidetur*. Incipit prosequi de iunco in non limoso: & dicit de eo quòd arescet ante omnes herbas, quanuis non incidatur, & habeat tamum. Et hoc potest intelligi dupliciter, vel de iunco nato in loco non limoso, quòd quanuis faciat ramum, & à nullo præcidatur, arescit tamen ante omnes herbas: vel de iunco nato quidem in limoso, sed subtracto limo, quod quanuis effecerit ramos, & à nullo præcidatur, arescet tamen ante omnes herbas.

Iunci sine limo duplex intelligitur.

SIC VIÆ OMNIVM QVI OBLIVISCVNTVR DEVM, ET SPES HYPOCRITÆ PERIBIT. Nomen Dei est *El*. Assimilat iunco arescenti vniuersum genus obliuiscentium Dei fortis ad construendum & destruendum: assimilat & tali iunco spem hypocritæ. Et ex hac applicatione apparet quòd Bildad limoso loco vegetanti & conseruanti iuncum, ita quòd sine eo arescit ante omnes herbas, assimilat bonam hominis dispositionem erga Deum, colendo ipsum, & veram animi rectitudinem erga homines. propterea enim dicit *sic via* (id est, progressus) obliuiscentium Deum, adiungendo *& spes hypocritæ peribit*: vt ex hoc quòd spes exercentis bonum extra animo ficto, perit, intelligamus multo magis perituram spem eorum, qui mala exercent, non solum intus, sed extrà. Vtranque igitur hominis rectitudinem erga Deum videlicet, & erga homines) vt superiùs præmiserat, exigit, dicendo quòd VIE obliuiscentium Dei, & spes hypocritæ assimilantur iunco in non limoso. Et intendit ad literam quòd quanuis huiusmodi mali viri habeant ramos filiorum, vel facultatum temporalium, quamuis non præcidantur violenta morte, arescent tamen ante omnes herbas: hoc est, arescent amittendo bona temporalia ante alios.

Obliuiscentium Deum via, & spes hypocritæ iunco assimilata.

Via, id est, progressus.

Vers. 13.

Vers. 14. NON FI PLACEBIT VECORDIA SVA. Iuxta Hebræum habetur, *Qui incidet ijs eius*, vel potius, *cuius incidetur spes eius*. De hypocrita prosequitur, dicendo iuxta primam lectionem quòd Deus fortis incidet spem hypocritæ: iuxta secundam verò cuius hypocritæ spes propria incidetur. Et ad literam prosequitur tot de spe hypocritæ, ad percutiendum Iobem, quem existimabat esse hypocritam. ET SICVT TELA ARANEARVM FIDVCIA EIVS Parui refert quòd Hebraicè habetur, *& domus aranea fiducia eius*. Tanti facit Bildad rectitudinem animi relatiuè ad prosperitatem rerum præsentis vitæ, vt hypocritæ spem qua sperat felices successus in hac vita, præcidendam affirmet, & eiusdem fiduciam assimilet domui araneæ, hoc est, telæ quam aranea habet pro domo.

Spes hypocritæ.

Hypocritæ fiducia domui aranea assimilata.

Domus aranea, pro tela quam habet aranea.

INNITETVR SVPER DOMVM SVAM, ET NON STABIT. Prosequendo similitudinem domus araneæ, dicit quòd quemadmodum aranea innititur super domum suam, & non stabit, ita hypocrita innitetur super iis, in quibus confidit, & non stabit. Et intendit per hoc quòd hypocrita non innititur rectitudini internæ, sed externis bonis similibus telæ araneæ. FVLCIET EAM, ET NON CONSVRGET. hoc est, quantumcunque fulciat domum suam hypocrita, non tamen surget. ruente domo? non materiali, sed constituta ex personæ dicit quòd quantumcunque fulciatur ab hypocrita, non tamen surget. Et in hoc directe percutit Iobem, qui arbitrabatur se fulcire domum suam sacrificiis & holocaustis, & non surrexit: hoc est, non est eleuata, sed vehementer depressa, & fere extincta.

Vers. 15.

HVMECTVS VIDETVR ANTEQVAM VENIAT SOL. Iuxta Hebræum habetur, *Viuidus ipse in facie Solis*. Postquam prosecutus est similitudinem iunci sine limo, prosequitur consequenter similitudinem iunci existentis in loco limoso. ideo enim attulit iuncum in parabolam, quia confert ad vtrumque statum, malorum vt felicet, & bonorum. Assimilauit itaque priùs impios & prospe

Similitudo iunci in limoso.

Vers. 16.

prosperitatem eorum iunco in non limoso: assimilare autem intendit nunc iustos & prosperos successus eorũ iunco in loco limoso. & de eo dicit quòd viuidus est in facie Solis, non arescens ex Solis ardore. ET IN ORTV SVO GERMEN EIVS EGREDIETVR. Iuxta Hebræum habetur, *& in horto suo ramus eius egredietur.* Hinc apparet quòd iuncus est etiam hortulana herba in regionibus quibusdam. aiunt enim non solum frondes & flores, sed etiam fructus facere. Lege Medicorum libros, & multas vtilitates illius inuenies. sed præsenti parabolæ sat est quòd in hortis vegetatur, & tamificat.

Vers. 17. SVPER ACERVVM PETRARVM RADICES EIVS DENSABVNTVR, ET INTER LAPIDES COMORABITVR. Iuxta Hebræum habetur, *Super fontem radices eius intricabuntur: domus lapidum intricabit se.* De iunco in horto, prosequitur quòd iuxta fontes firmat radices complectentes se inuicem. Obscurum autem nobis est quod subditur, videlicet quòd in domo lapidum intricabit se iuncus. ignotum est nobis an consonet iunco, vegetari iuxta domum in horto, ita quòd requirat & fontem & domum, non ligneam, sed lapideam: vel (quod potius crediderim) requirat lapides in limoso loco, & huiusmodi lapides appellentur domus lapidum, eo quòd tanquam habitaculum sint radicum iunci: ita quòd iuxta huiusmodi lapides sub fontibus intricet iuncus radices suas ad suæ vegetationis firmum fundamentum.

Domus lapidũ hic quid.

Vers. 18. SI ABSORBVERIT EVM. Legendum est, SI EVELLET EVM DE LOCO SVO, NEGABIT EVM, DICENS: NON VIDI TE. Quanuis iuncus limo, horto, fonte & lapidibus firmatus sit, si tamen euulsus fuerit de loco suo, negabit eum locus eius, dicendo, Non noui te, hoc est, si euulsus fuerit, non redibit ad vitam. Et intendit per hanc parabolam quòd vir mundus & rectus similis est huiusmodi iunco, & prosperitas eius bene radicata est, quum tamen moritur, non redibit ampliùs ad vitam. Et in hac postrema sententia consentit Bildad Iobi, qui in præcedenti capitulo hoc dixerat.

Parabola iũci ad virum mundum & rectum.

Vers. 19. HÆC EST ENIM LÆTITIA VIÆ EIVS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Ecce id lætitia viæ eius.* Quemadmodum superiùs iuncum arescentem applicauit obliuiscentibus Dei, ita iunci viuidi successum applicat viro iusto, dicendo: Ecce id quod de iunco viuido apparet, est *lætitia viæ eius*, ideſt, viri recti. VT RVRSVM DE TERRA ALII GERMINENTVR. Iuxta Hebræum habetur, *& è puluere altera germinabunt.* & est singularis numeri *altera.* Et est sensus. & de puluere, quæ est fundamentum hominis, altera multitudo hominum germinabunt. est enim constructio de significato. Et in his verbis consentire videtur Bildad sententiæ Eliphaz, qui dixit hominem mortalem totum. dicendo enim puluerem germinare homines, sentire videtur hominem totum ex elementorum compixtione surgere. Et, quod magis vrget, adiunxit hanc sententiam beatitudini viri iusti. Ac si apertiùs dixisset: Non conuenit eis plus beatitudinis, quàm in hac vita, quoniam perpetuitas hominis non est secundùm individuum, sed secundùm speciem. huiusmodi enim perpetuitas significatur adiungendo, *& de puluere altera germinabunt.*

Vers. 20. DEVS NON PROIICIET SIMPLICEM. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce El non abominabitur perfectum.* Quod hactenus dixerat sub parabolis, dicit nunc proprietate verborum, tum quo ad bonos, tum quo ad malos. Et de bonis quidem dicit, *Ecce El*, hoc est, Deus fortis, non vtetur fortitudine sua ad abominandum virum perfectum. Et dicit hoc directè contra Iobem, quòd si fuisset perfectus, Deus non fuisset abominatus eum. ipsa siquidem plaga Iobis existimabatur locuples testis quòd Deus abominaretur Iobem, reddendo etiam eum abominabilem hominibus. NEC PORRIGET MANVM MALIGNIS. Iuxta Hebræum habetur, *& non faciet innalescere in manu malefactorum.* Ecce conclusio quo ad malos, quòd quamuis impiorum aliqua sit prosperitas, non tamen faciet Deus innalescere prosperitatem in opere eorum.

Bonorum, & malorum status describitur.

Vers. 21. DONEC IMPLEATVR RISV OS TVVM, ET LABIA TVA IVBILATIONE. Monuerat Iobem quòd si conuerteretur ad Deum, mundúsque ac rectus fuerit, haberet bona præsentis vitæ: & concludendo dixerat, *Ecce El non abominabitur perfectum.* prosequendo & applicando ad ipsum Iobem, dicit, *donec impleatur os tuum risu*, hoc est, donec habeas plenam materiam gaudij: felicitatem liquidem circumloquitur per plenum risum & labiorum iubilationem. intendit enim affirmare quòd Deus adhuc bearet Iobem, si Iob perfectè reuerteretur ad Deum. Et hoc directè dicit contra dicta a Iobe quòd ipse est in tali statu quòd non posset amplius beari in hac vita.

Vers. 22. QVI ODERVNT TE, INDVENTVR CONFVSIONE: ET TABERNACVLVM IMPIORVM NON SVBSISTET. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Inimici tui induent pudorem, & tentorium impiorum non ipsum.* Id quoque quod concluderat de malis, applicat ad inimicos Iobis, vt perfectam felicitatem promittat ex depressione inimicorum. Et dicit, *induent pudorem*, ad significandum ignominiam manifestam. Interitus autem tentorij impiorum spectat ad id, quod concluserat in genere de impiis quòd Deus non faciet innalescere eos. explicat siquidem nunc interitum facultatum eorum: appellatione enim tabernaculi intelliguntur opes.

Inimici Iob.

Impiorum interitus. Tabernaculũ, de opibus.

CAPVT IX.

Vers. 1. & 2. IT RESPONDIT IOB, ET DIXIT: VERE SCIO QVÒD ITA SIT. Iuxta Hebræum habetur, *Profectò noui quòd ita. & subauditur est.* Primum argumentum Bildad fuerat. Nunquid Deus supplantat iudicium, aut Omnipotẽs subuertit iustitiam? & propterea Iob ad hæc respondere primùm studet, & inchoat ab assertione sententiæ prolatæ à Bildad. asserit enim ita esse, videlicet quòd Deus non peruertit iudicium. Minus dico: quia asserit se non nunc didicisse, sed olim nouisse, non qualitercunque, sed certè esse sic. ET QVÒD NON IVSTIFICETVR HOMO COMPOSITVS DEO. Iuxta Hebræum habetur, *& quis iustificabit homo cum El?* Dictio interpretata *iustificabit* (si liceret dici) interpretanda esset *iustitiabit*, formando verbum à iustitia, vt Hebræi faciunt à nominibus verba formando. Et est sensus, & quis, quantumlibet iustus homo, exercebit iustitiam cum Deo in iudicio? Et interrogatiue legendum est, quasi dicat,

Deus, nõ peruertens iudicium.

Homo comparatus Deo nõ potest iustificari.

Iustificandi verbum.

dicat, nullus. intendit enim manifestare quod se nosse dixerat, videlicet, quòd Deus non peruertit iudicium. ad hoc enim proponit, & quis potest exercere iustitiam homo cum El: hoc est, homo ex vna parte, & El (hoc est, Deus fortis) ex altera. Significanter autem nominat Deum El, vt ex ipso nomine (hoc est, ex ipsa diuina fortitudine) insinuetur omnimoda inæqualitas inter Deum & hominem tam infirmæ naturæ.

El hoc Deus fortis.

Vers. 3. SI VOLVERIT CONTENDERE CVM EO. Iuxta Hebræum habetur, *Si voluerit litigare cum eo.* Pronomen *eo* demonstrat *Deum.* nec loquitur de contentione quæ consistit in verbis, sed de lite iudiciaria. NON POTERIT RESPONDERE EI VNVM PRO MILLE. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *non respondebit ei vnum ex mille.* Numerus finitus pro infinito ponitur. & est sensus quòd nec in vno quidem respondebit vir Deo, litigando cum eo: insinuans per hoc quòd in nullo rationem habebit quicunque homo litigans cum Deo. Et hoc proponit Iob ad explicandum sensum propositæ enunciationis, *& quis iustitiabit homo cum El.* manifestauit siquidem & quòd homo nullus, & quòd in articulo nullo ius habebit litigans cum Deo.

Numerus finitus pro infinito.

Vers. 4. SAPIENS CORDE EST, ET FORTIS ROBORE. Vt innotescat tibi ordo subiunctorũ, scito quòd ad manifestandum propositam sententiam procedit tali ordine, primum ex conditionibus Dei: secundò ex conditionibus hominis relati ad actiones diuinas: tertiò ex conditione ipsius Iobs, & quartò ex forma litigandi. Quia enim dixerat, *quis homo iustitiabit cum El*, ideo & ex parte El, & ex parte hominis quantumcunque iusti, & ex parte modi agendi cum Deo, solicitus fuit declarare quod proponit.

Diuina potentia ac sapientia magnitudo ostenditur.

Ex parte itaque Dei affert duas conditiones. alteram quòd est sapiens corde, hoc est, ex intimis. est enim Deus sapiens non sapientia acquisita, indita, aut infusa, sed ipsa substantia eius est sapientia: ad insinuandum quòd nullus potest cum eo certare astutiis, fallaciis, falsis, aut veris artibus quibuscunque, eo quòd sapientia eius (vtpote intima) superat omne scire & sapere. Alteram quòd est fortis robore. nominauerat Deum El, hoc est, fortis: adiungit nunc dicendo *fortis robore.* Instar hominum fortium animo & corpore, fortitudine animi & robore corporis, describit Deum fortem robore, ad significandum quòd est per seipsum potens etiam exequi omnia: hoc est, quòd est tam potens vt non indigeat causis secundis quasi adminiculis. Et hoc est verissimum, quia non ex defectu virium, sed ex ordine sapientiæ suæ vtitur Deus causis secundis. Et dixit hoc ad manifestandum quòd nullus potest pugnare aduersùs fortitudinem diuinam. QVIS RESTITIT EI. Iuxta Hebræum habetur, *quis induruit ei, & pacem habuit?* Incipit declarare conditiones Dei dictas inchoando a secunda. declarat enim diuinum robur, ex hoc quòd nullus fuit ei durus, & pacem habuit. Et pacis nomen Hebraico more ad bonum omne se extendit: perinde ac si dictum fuisset, & bonum habuit.

Sapientia Dei intima.

Deus fortis robore.

Dei conditiones declarantur.

Vers. 5. QVI TRANSTVLIT MONTES. Aduerte prudens Lector quòd interpres mutauit ter in hoc contextu coniunctionem *quia*, in nomen relatiuum *qui.* quod ideo annotandum duxi, vt ex ipso contextu perpendatur quòd hæc tria subiuncta afferuntur in testimonium diuinæ fortitudinis. Legendum itaque est, *Quia facit abire montes.* Et ad literam significatur quòd Deus qui produxit montes, facit eos abire, destruendo illos. sunt enim montes generabiles & corruptibiles, quum sint in genere mixtorum. ET NESCIERVNT QVOS EVERTIT EOS IN FVRORE SVO. Duo sunt hîc mysteria. alterum quòd Deus vtitur destructione montium ad exequendum iustitiam suam vindicatiuam: hoc enim clarè insinuatur, dicendo *in furore suo.* Et hinc discè cohibere linguam quisquis es, qui ictus fulminum, alluuiones fluminum, & id genus reliqua naturalia negas ex diuina iustitia prodire in perniciem aliquorum. Alterum quòd Deus in huiusmodi effectibus sic occultè procedit, vt non præcognoscant ij, quorum interest, ad quorum perniciem tenditur. propterea enim hîc dicitur, *& nescierunt* (proculdubio homines) *quos subuertit in furore suo*, destruendo montes in quibus habitabant.

Qui extendit montes.

Montes generabiles & corruptibiles.

Vers. 6. QVI COMMOVET TERRAM DE LOCO SVO, ET COLVMNÆ EIVS CONCVTIVNTVR. Iuxta Hebræum habetur, *Quia facit tremere terram è loco eius, & columnæ eius contremiscent.* Terræ motus attribuitur fortitudini diuinæ, & describitur per tremitum è loco suo, eo quòd assimilatur tremori quo aliquis è loco suo exilit. terra enim secundùm partes illas in quibus contingit terræ motus, tremere videtur, ita quòd partes scissæ loca propria relinquant. Columnæ autem terræ metaphoricè appellantur inferiores partes terræ, sustentantes tanquam columnæ partes superiores.

Terræmotus.

Columnæ terræ, de partibus terræ inferioribus.

Vers. 7. QVI PRÆCIPIT SOLI, ET NON ORITVR, ET STELLAS CLAVDIT QVASI SVB SIGNACVLO. Iuxta Hebræum habetur, *Quia dicit Soli, & non clarescet, & pro stellis signabit.* Distinctio inter diem & noctem descripta heroicè, attribuit diuinæ fortitudini. Et describitur distinctio hæc per hoc quòd ordinat Deus vt sol non clarescat iugiter in hemisphærio aliquo: & sic quasi sigillum apponit ipsam terram, ad continendum claritatem Solis ab altero hemisphærio: terra siquidem impedit radios Solis ab altero hemisphærio. & quia sic fit nox (quæ non est aliud quam vmbra terræ) & apparent stellæ, ideo tanquam in fauorem stellarum nox fiat, dicitur, *& pro stellis signabit.*

Dies & motus distinctio.

Nox, id est, vmbra terræ.

Vers. 8. QVI EXTENDIT COELOS SOLVS. Non texitur litera relatiuis, sed participiis in subiunctis: vt discernamus quòd prædicta in testimonium diuinæ fortitudinis. subiuncta autem in testimoniũ etiam sapientiæ diuinæ afferuntur. Legendum itaque est, *Extendens cælos solus ipse.* Lege principium Geneseos, & inuenies quòd secunda die fecit Deus extensionem cœlorum. & ideo hîc dicitur quòd solus ipse extendit cœlos, dando vnicuique quantitatem terminatam: quod magnæ sapientiæ opus fuit. vide ibi diffusè hæc declarata in nostris commentariis. Et dicendo *solus ipse*, excludit errorem attribuentium formationem corporum cœlestium causis secundis. ET GRADITVR SVPER FLVCTVS MARIS. Iuxta Hebræum habetur, *& calcans super celsitudines maris.* Cumulus aquæ in magno Oceano eleuatus à Luna, appellatur celsitudo maris. & describitur calcatus à Deo, quia ad instar calcati in summitate, defluit aqua ex cacumine illius cumuli.

Celsitudo maris qua.

Vers. 9. QVI FACIT ARCTVRVM. Et hîc quoque habetur

Pax ad omne bonum extenditur.

Qui, per quia.

habetur participiū, *faciens Arcturum*, ET ORIAM, ET HYADES, ET INTERIORA AVSTRI. Diuinæ sapientiæ attribuitur non solùm cumulus aquarum in mari, sed etiam distributio siderum in cœlo. Et meminit quattuor siderum. Primò Arcturi, qui apud nos dicitur *caput vrsæ* distinctæ in vrsam maiorem, & vrsam minorem, ambientes polum arcticum, & nunquam nobis occidentes. Secundò Orionis, & est sidus inter Septentrionem & Zodiacum, apparétque accingi gladio. Tertiò Hyadum, quæ in signo tauri apparent: procedit enim à Septentrione paulatim versùs Austrum per hæc sidera. Quartò nullum in specie sidus nominat, sed in genere dicit, *& cubicula Austri*, non enim poterat nominare sidera circa polum antarcticum, eò quòd nunquam apparent illa nobis habitantibus in quarta Septentrionali. & propterea prudentissimè dixit de illis sideribus ignotis nobis, *& cubicula Austri*. hoc est, & penetralia poli antarctici.

Sidera quatuor memorantur. Primum. *Secundum.* *Tertium.* *Quartum.*

Vers. 10. QVI FACIT MAGNA, ET INSCRVTABILIA, ET MIRABILIA, QVORVM NON EST NVMERVS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Faciens magnitudines vsque non inuestigatio, & mirabilia vsque non numerus.* Postquam multa in specie attulit in testimonium sapientiæ & fortitudinis diuinæ, affert denuum in genere quòd Deus facit res magnas & mole magnitudinis, & quantitate virtutis, vsque adeò vt excedant inuestigationem humanam: & similiter facit res admiratione dignas in tanta multitudine quòd excedit omnem numerationem humanam. Et hæc manifestè verificantur in istis inferioribus, in virtutibus herbarum, lapidum, &c. priora autem verificantur præcipuè in magnitudine stellarum, & superiorum corporum & spirituum.

Deus res magnas faciens.

Vers. 11. SI VENERIT AD ME, NON VIDEBO EVM: SI ABIERIT, NON INTELLIGAM. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce transibit super me, & non videbo: & transibit, & non intelligam eum.* Declaratis conditionibus Dei, affert secundo loco conditiones hominis quattuor. Prima est ignorantia finis intenti à Deo affligente hominem. *Ecce*, inquit, hoc est, nouiter, *transibit* Deus *super me*, efficiendo in me aliqua mala præsentis vitæ (quæ transitoria esse constat,) *& non videbo*, quare & quorsum: & iterum atque iterum transibit, similibus effectibus, & *non intelligam* eum Deum quò rendat. ex hoc enim quòd homo afflictus ignorat quò tendit Deus per huiusmodi afflictiones, sequitur manifestè quòd homo non possit litigare cum Deo, vtpote nesciens merita causæ propriæ.

Hominis quadruplex conditio. Prima. Ecce, id est, nouiter.

Vers. 12. SI REPENTE INTERROGET, QVIS RESPONDEBIT EI? Iuxta Hebræum longe aliter habetur, *Ecce rapiet, quis faciet restituere eum?* Secunda hominis conditio est impotentia, de qua dicitur, *Ecce* Deus ad similitudinem rapientis tollet filios, filias, armenta, greges, familiam, &c. *quis faciet* ipsum Deum *restituere* raptæ quasi dicat, nullus: vanus est ergo litigantis conatus. VEL QVIS DICERE POTEST EI: CVR ITA FACIS? Parui refert quòd Hebraicè habetur, *quis dicet ei, quid facies?* Tertia hominis conditio est impotentia exigendi à Deo vt manifestet intentionem suam. de tali enim impotentia dicitur, *Quis dicet* Deo exigendo ab eo, *quid facies?* hoc est, quid intendis per hoc factum tribulationis? Vndique ergo ex conditionibus hominis cessant rationes litigandi cum Deo.

Secunda. *Tertia.*

DEVS, CVIVS IRÆ NEMO POTEST RESISTERE, ET SVB QVO CVRVANTVR QVI PORTANT ORBEM. Iuxta Hebræum habetur, *Eloah non reuocabit furorem suum: sub eo curuati sunt adiutores fortitudinis.* Non est sensus quòd Deus nunquam reuocet furorem suum (nam sæpe hoc facit, intercedentibus hominum precibus, seu bonis operibus,) sed est sensus quòd Deo non reuocante furorem suum, curuantur sub eo adiutores fortitudinis, hoc est, Dæmones, quorum studium est adiuuare confidentes in propriis viribus. Et describitur per hoc quarta hominis conditio, videlicet, quòd Deo non reuocante furorem suum, oportet succumbere hominem, cùm curuati fuerint & Dæmones, vt hinc omnis spes litigandi cum Deo auferatur homini. Vers. 13.

Adiutores fortitudinis, de Dæmonibus. Quarta.

QVANTVS ERGO SVM EGO VT RESPONDEAM EI, ET LOQVAR VERBIS MEIS CVM EO? Iuxta Hebræum habetur, *Etiam quis ego respondebo ei: eligam verba mea cum eo.* Postquam ex parte Dei & ex parte hominis ostendit non posse hominem litigare cum Deo, idem monstrat ex parte suimet, agnoscendo seipsum, dicens, *etiam quis ego?* quasi dicat, nihili sum ad respondendum Deo, & ad eligendum verba litis cum eo. Vers. 14.

QVI ETIAM SI HABVERO QVIPPIAM IVSTVM, NON RESPONDEBO: SED MEVM IVDICEM DEPRECABOR. Hebraicè habetur, *Qui si iustus fui, non respondebo: iudici meo supplicabo.* Litiganti fiduciam in propria iustitia, à seipso tollit Iob, dicens quòd etiam si fuit iustus, non respondebit Deo litigando, sed supplex deprecabitur iudicem suum. Vers. 15.

ET QVVM INVOCANTEM ME EXAVDIERIT, NON CREDO QVÒD AVDIERIT VOCEM MEAM. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Si vocaui, & respondit mihi, non credam quòd auscultabit vocem meam.* Dixerat se supplicaturum Deo, subiungit occultum sibi fore effectum exauditionis diuinæ. si vocaui, precando Deum, & respondit mihi, exaudiendo me: non tamen credam, incertus & ambiguus remanebo an exaudierit me. exaudit siquidem sæpe Deus supplicantes, non dando eis tunc rem petitam, sed vel differendo executionem, vel negando quod petimus, vt tribuat quod mallemus. & propterea Iob dicit quòd si etiam Deus exaudierit, non credet quòd auscultauerit vocem suam. Et hoc directè contra Bildad, dicentem ad Iobem quòd si Omnipotentem fueris deprecatus, habebis bona præsentis vitæ. Potest tamen & aliter intelligi hæc litera: vt quia dixerat, iudici meo supplicabo, subiungat propriæ iustitiæ vires nullas, dicens quòd etiam si exauditus fuerit, non credet quòd preces suæ meruerint exaudiri, sed attribuet exauditionem iustorum diuinæ gratiæ, non meritis iustitiæ supplicis. Et hoc etiam est contra Bildad & Eliphaz, vt infrà diffusiùs tractabitur. Prima tamen expositio est directè ad propositum. Vers. 16.

IN TVRBINE ENIM. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Qui in turbine conteret me.* Perseuerantia diuinæ iræ affligentis Iobem etiam supplicantem, etiam exauditum, describitur aduersùs Bildad (qui dixerat quòd nunc suscitabit super te bonum) supplicabo, inquit Iob, iudici meo qui in turbine conteret me; hoc est, Vers. 17.

quam

quantumcunque ipse perseueret in turbine afflictionum ad conterendum me. ET MVLTIPLICABIT VVLNERA MEA ETIAM SINE CAVSA. Iuxta Hebræum habetur, *& multiplicauit vulnera mea gratis.* Futuris præterita annectit, constans in prima sententia, videlicet quod Deus afflixit eum non propter peccata eius. hoc enim significatur dicendo, *& multiplicauit vulnera mea gratis.* Et aunt dictionem interpretatam *vulnera*, significate vulnera capitis: ad insinuandam iam multiplicata esse vulnera non minima, sed capitalia, hoc est, præcipua.

Vulnera, id est vulnera capitis.

Vers. 18. NON CONCEDIT REQVIESCERE. Iuxta Hebræum habetur, *Non dabit mihi requiescere spiritum meum.* Non solum conteret me in turbine afflictionum corporalium, sed nec dabit mihi vt spiritus meus aliquantulum quiescat. Et rationem subiungit iuxta Hebraicam veritatem, *quia saturabit me amaritudinibus*, redundantibus a corpore in animum. Et per hæc omnia manifestat se supplicaturum iudici suo, non vt det ei bona præsentis vitæ, sed etiam perseueranti in afflictione eius: quod est longe maius & alterius rationis, quàm dictum ab Eliphaz & Bildad. nam illi supplicandum dixerant Deo propter bona præsentis vitæ: Iob autem se supplicaturum affirmat non propter præsentis vitæ bona, sed quia par est vt humiliet seipsum Deo etiam perseueranti affligendo.

Vers. 19. SI FORTITVDO QVÆRITVR, ROBVSTISSIMVS EST. Iuxta Hebræum habetur, *Si ad robur, fortè ecce.* Postquam ex parte Dei, ex parte hominis, & ex parte ipsius Iobis monstrauit non esse litigandum cum Deo, monstrat postremò idem ex parte modi litigandi, excludendo vias quinque quibus litigari potest. & primò excludit vires, quod non possit viribus agere quispiam cum Deo, dicendo, si ad robur, seu vires cuiuspiam fortis spectetur, ecce fulcandi Deus superans omnem fortitudinem. SI ÆQVITAS IVDICII, NEMO AVDET PRO ME TESTIMONIVM DICERE. Iuxta Hebræum habetur, *& si ad iudicium, quis testificabitur pro me?* Exclusa via litigandi viribus, excluditur via litigandi iudicio, quia desunt testes, sine quibus iudicium fieri nequit. Et verè dicit se carere testibus aduersus Deum: quoniam nulla creatura tantæ est audaciæ, vt testificetur contra Deum.

Excludit via quinque. Prima.

Secunda.

Vers. 20. SI IVSTIFICARE ME VOLVERO, OS MEVM CONDEMNABIT ME. Iuxta Hebræum habetur, *Si iustificabo, os meum impiabit me.* Ex eo quod dicit, *os meum impiabit me*, insinuat se loqui de iustificatione quæ fit ore proprio. Tertia itaque via (videlicet deficientibus testibus hominem iustificare seipsum in iudicio, iurando de propria innocentia, sicut fecit Susanna) excluditur: quia *os*, inquit, *meum impiabit me.* eo enim ipso quòd iustifico me aduersus Deum, blasphemus fio, & fit os meum reddet me iniquum. Liceat autem fuisse verbum *impiare* ad explicandam dictionem Hebraicam. formant enim ab *impio*, *impiare*, significando tamen per impium contrarium iusto. SI INNOCENTEM OSTENDERO, PRAVVM ME COMPROBABIT. Iuxta Hebræum habetur, *perfectus ego, & torsit me.* hoc est, torsum me fecit. Et verificatur hæc sententia ex eo quod humana perfectio reducta ad examen diuini iudicij, si iudicetur exactè, inuenitur multis prauitatibus inuicta. & propterea Iob dicit, quòd etiam si ego sim perfectus, ad examen tamen diuinum ductus, inueniar non rectus. quod enim tortum est, alienum est à rectitudine. Et per hoc excluditur quarta via, ex fiducia in perfectione propria.

Tertia.

Impiat li verbum.

Quarta.

ET IAM SI SIMPLEX FVERO, HOC IPSVM IGNORABIT ANIMA MEA. Iuxta Hebræum habetur, *Perfectus ego, non sciam animam meam.* Quinta via litigandi excluditur ex certa notitia proprij animi. ait enim quòd etiam si ego perfectus fuero, non tamen sciam notitia euidente animam meam: delicta enim quis intelligit? ET TÆDEBIT ME VITÆ MEÆ. Iuxta Hebræum habetur, *abominabor vitam meam.* quantumcunque perfectus fuero, ex duobus postremis abominabilem iudico vitam meam. Verè à Spiritu sancto agitur perfectus quisque, abominando propriam vitam relatam ad diuinum examen, & ad occulta delicta, quia propter duo hæc abominabilis verè repræsentatur eiusdem.

Vers. 21.

Quinta.

VNVM EST QVOD LOCVTVS SVM. Iuxta Hebræum habetur, *Vnum illud, super sic dixi.* Completa responsione Iobis ad Eliphaz & Bildad, consentiente quòd Deus non peruertit iudicium, aut iustitiam, descendit ad materiam iustitiæ, seu iudicij, de qua erat tota quæstio: videlicet an Deus affligat innocentem. Isti enim duo amici Iobis asseruerant quòd Deus non affligit innocentem; Iob verò constanter dixerat pluries quòd Deus affligit innocentem, hoc est, absque peccati merito. Et propterea Iob intendens tueri quod dixerat, resumit sententiam suam, dicendo, *vnum illud*, supererat in quo dissentimus, *super sic dixi*. hoc est, super quo dixi sic. ET INNOCENTEM ET IMPIVM IPSE CONSVMIT. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *perfectum & impium ipse facit consumere.* Ecce quid dixi, videlicet quòd Deus facit consumere non solùm impium, sed etiam perfectum hominem. hæc enim sententia directè est contra sententiam Eliphaz & Bildad.

Vers. 22.

Deus & impium & innocentem percutit.

SI FLAGELLAT, OCCIDAT SEMEL, ET NON DE POENIS INNOCENTVM RIDEAT. Iuxta Hebræum habetur, *In flagellum faciet mori subito? probationem mundorum subsannabit.* Intendens Iob manifestare quòd Deus affligit hominem mundum à peccato, declarat hoc quadrupliciter, primò ex parte medij quo vtitur Deus tanquam flagello. Et intendit quòd hoc flagellum est dæmon: qui vtpote impius, delectatur in tentatione iustorum, & non facit eos mori subitò, sed multis afflictionibus vexat: *quemadmodum* tyranni non faciebant mori Martyres subitò, sed variis tormentis cruciabant. Ait itaque, an flagellum, hoc est, Dæmon flagellum Dei, faciet mori subitò viros mundos? quasi dicat, non. Et rationem subiungendo dicit, *probationem*, per varias pœnas, mundorum hominum *subsannabit*: hoc est, delectatus tentatione iustorum multiplicabit eas.

Vers. 23.

Flagellum. pro Dæmone, flagello Dei.

Impiat, de Dæmone.

TERRA DATA EST IN MANV IMPII. Quod nominauerat *flagellum*, modò explicat *impium*, proculdubio *Satan*, qui circumit terram, & ambulat in ea: in cuius manu relictus est Iob, vt in principio huius libri patet. Sciens enim Iob similem esse rationem de seipso & de aliis iustis, caute loquitur dicendo quòd terra data est (proculdubio à Deo) in manu impij, tanquam flagello Dei. ita quòd manus impij est ipsum flagellum Dei & instrumentum Dei ad flagellandum terram, hoc est, homines habitantes in ter-

Vers. 24.

Manus impij, ipsum flagellum Dei.

ra

ra. VVLTVM IVDICVM EIVS OPERIT. Hebraicè habetur, *operiet*. Occultam nobis esse & fore dispositionem hanc diuinam, dicit Iob, manifestando quòd Deus *operiet* (hoc est, perseuerabit tegendo) vultum iudicum eius, ne cognoscantur. Quia enim vultu detectō cognoscitur homo, ideo per hanc metaphoram significantur occultati nobis Dæmones, iudices terræ, multo magis quàm tyranni. propter quam occultationem, nostræ afflictiones attribuuntur casui, vel naturæ à multis.

Dæmones. iudices terræ.

Dæmones similes.

Vbi & aduerte quòd Dæmones appellantur *impij*, in quorum manu (hoc est, executione) dedit Deus homines habitantes in terra ad flagellandum eos. Et quia non sunt flagellum inanimatum: sed flagellum agens per intellectum & voluntatem, nec sicut carnifex, sed sicut dominus cum potestate magna, ideo dicuntur iudices eius, in cuius signum flagellaturus Deus Iobem dimisit in arbitrio Satan afflictionem Iobis, salua duntaxat vitâ eius: & similiter eidem commisit iudicium demoliendi omnia quæ erant Iobis. QVOD SI ILLE NON EST, QVIS ERGO EST? Iuxta Hebræum habetur, *si non vbi, quis ille?* Dixerat quòd Deus facit consumere perfectum & impium, quodque per flagellum impium probat mundos: arguit ad confirmandum Deum esse principalem actorem, dicendo *si non*, subaudi ipse Deus est actor horum, *vbi est actor horum? quis est ille actor horum?* quasi dicat, nullibi inuenietur, nullius erit actor horum.

Vers. 25. DIES MEI VELOCIORES FVERVNT CVRSORE. Iuxta Hebræum habetur, *Et dies mei agiles plus cursore.* Declaraturus quòd Deus affligit perfectum pœnitentem, præmittit materiam lamentationis suæ irreparabilem quo ad seipsum, contra promissionem factam à Bildad de felicitatis reditu, assimilando dies vitæ suæ, in terra quidem cursori, in aquis verò nauibus Ebeh, in aëre autem aquilæ festinanti ad cibum. Et intendit per has omnes similitudines quòd vita sua decurtata est, hoc est, quòd spacium vitæ suæ peragendum naturaliter multo adhuc tempore, peractum est celerrimè plus quàm celerrimè agitur spacium vitæ à cursore, & à nauibus Ebeh, & ab aquila festinante ad cibum. hæc est materia lamentationis. FVGERVNT, NON VIDERVNT BONVM. Ad declarandum maiorem agilitatem dierum suorum, describit eos fugisse, nec vidisse bonum: quoniam maior est velocitas fugientis, quàm currentis; fugientis, inquam, absque visu alicuius refugij.

Velocitas fugientis, quàm currentis maior est.

Vers. 26. PERTRANSIERVNT QVASI NAVES POMA PORTANTES. Iuxta Hebræum habetur, *transierunt cum nauibus Ebeh.* Et aiunt nomen esse proprium fluminis rapidissimi. SICVT AQVILA VOLANS AD ESCAM.

Ebeh fluuius rapidissimus.

Vers. 27. QVVM DIXERO: NEQVAQVAM ITA LOQVAR. Iuxta Hebræum habetur, *Si dicens ego, Oblauiscar eloquij mei.* Duo sunt genera mundorum, alterum innocentum, alterum pœnitentium, & in vtrisque intendit Iob declarare quòd Deus affligit perfectos. Secundo ergo loco declarat quòd Deus affligit mundos pœnitentes. & quia pœnitentia in duobus consistit (videlicet in cautela de futuris, & in ablutione præteritorum) ideo Iob incipit à cautela de futuris, dicendo, *si ego* sum *dicens*, in corde meo proponens quatuor subiuncta, videlicet, *Oblitus. id est lamentatio.* *Oblitiscar eloquij mei*, hoc est, lamentationis meæ.

Mundorum duo genera.

Caietan. in S. Script. Tom. II.

ideo enim præmisit materiam lamentabilem, vt intelligamus à quo eloquio intendit cauere. COMMVTO FACIEM MEAM. Iuxta Hebræum habetur, *relinquam iram meam.* Iram suam appellat imprecationes tot quas in tertio protulerat capitulo. ET DOLORE TORQVEOR. Iuxta Hebræum habetur, *& me retinebo.* hoc est, & vim mihiipsi inferendo, compescam motus naturales velleitatis meæ.

Ira, pro imprecationibus.

Vers. 28. VEREBAR OMNIA OPERA MEA. Iuxta Hebræum habetur, *Timui omnes mœrores meos.* Tres priores actiones sunt actiones exteriores: ista autem quarta spectat ad interna. qui enim timet aliquid, cauet ab illo: & propterea dicendo, *timui omnes mœrores meos*, insinuat quòd ex timore cauebit ab omnibus mœstitiis suis. Et dixit hæc Iob, non quòd putaret hæc esse peccata à quibus esset sibi cauendum, sed vt condescenderet amicis obiurgantibus eum de istis actionibus tanquam peccatis. Ac si apertiùs dixisset. Esto quòd hæc sint reprehensibilia, vt amici obiiciunt, si tamen ego continebo me ab istis, nihil mihi proderit. hoc enim subiungitur, SCIENS QVOD NON PARCERES DELINQVENTI. Iuxta Hebræum habetur, *sciui quòd non mundabis me*, à pœna quam patior. Scire se affirmat quòd non propterea Deus mundabit ipsum à malis quæ patitur.

Vers. 29. SI AVTEM ET SIC IMPIVS SVM; QVARE FRVSTRA LABORAVI? Iuxta Hebræum habetur, *Ego impiabor: vt quid ista vanitate fatigabor?* Communicando in vocabulis cum aduersariis appellantibus afflictiones peccata cautaliter (quia propter peccata veniunt aduersa) appellat se afflictum impium. Et propterea consequenter ad præmissa dicit: Ego quamuis continens me à prædictis, ero impius, quo ad pœnam: & propterea vana erit ista mea continentia qua fatigabor, vim inferendo naturalibus moribus meis. Et hinc clare excludit vtilitatem pœnitentiæ cauentis à lamentationibus: vtilitatem intellige quam socij promittebant ad consequendum munditiam ab afflictionibus præsentis vitæ.

Vers. 30. SI LOTVS FVERO QVASI AQVIS NIVIS. Iuxta Hebræum habetur, *Si me laui in aquis niuis.* Altera (vt dictum est) pars pœnitentiæ tractatur, videlicet ablutio præteritarum iniquitatum. de qua dicit sub metaphora ablutionis in aquis niualibus, quæ dicuntur valde purgatiuæ. Significanter autem dicit, *si me laui*, & non dicit, si tu Deus me lauisti: vt intelligamus quòd de ablutione peccatorum quæ fit per humanum studium, loquitur. ET FVLSERINT VELVT MVNDISSIMÆ MANVS MEÆ. Iuxta Hebræum habetur, *& mundabo in sapone manus meas.* Metaphorico sermone describit ablutionem immundorum operum.

Operum immundorum metaphorica descriptio.

Vers. 31. TAMEN SORDIBVS INTINGES ME. Iuxta Hebræum habetur, *Tunc in fouea balneabis me, & abominabuntur me vestimenta mea.* Fouea non sicca, sed cum sordibus humidis significatur, dicendo, *in fouea balneabis me.* Et vanam hanc suam pœnitentiam describit, dicendo quòd quum me lauero, tunc tu fœdabis me ad instar mergentis aliquem in cœnosam foueam: Et quia de afflictione in præsenti vita erat quæstio, inter Iobem & amicos eius, ideo de malo pœnæ intelligendum est dici tunc, *in fouea balneabis me.* Et est sensus quod tunc affliges me. dicit enim hæc Iob dicens

Iobis vana pœnitentia describitur.

contra Bildad, qui dixerat quòd *si mundus fueris, dabit tunc Deus tibi salutem*, contra hoc enim directe dicit quòd *si mundauero me tunc, Deus redarguet me forsitan*, quo ad mala præsentis vitæ. Et ad declarandum magnitudinem sordium adiungit quòd ita redderetur sordidus quòd etiam vestimenta sua abominabuntur ipsum. ad literam enim quando homo sudus est sordidus, indignus est vestibus antequam abluatur; & propterea dicitur, *& abominabuntur me vestimenta mea.*

Vers. 32. NEQVE ENIM VIRO QVI SIMILIS MEI EST, RESPONDEBO. Iuxta Hebræum habetur, *Quia non vir sicut ego respondebo ei.* Rationem reddit quare licet Deo hominem, qui se lauit, reddere sordidum, quod non esset licitum alteri homini. Et inchoat rationem ab imparitate naturæ: *quia* videlicet *Deus non est vir sicut ego.* hoc est, quia non sumus paris naturæ, vt liceat mihi respondere ei quemadmodum responderem homini, retorquendo eidem, obijciendo quæ iniuriam. Et quoniam non sufficit disparitas naturæ ad nihilcandum dictam actionem; nam contra ipsius tantam substantiam creatam si hoc ageret homo, poterit agere actione iniuriarum, ideo subiungit quod Deus est tam celsæ naturæ, vt nullum habeat supra se iudicem, & nulla sit supra eum potestas, quod est dicere quòd est tam excelsæ naturæ, vt quod vult sit ius: & propterea nullas remanet locus querelæ, si me quantumcumque ablutum reddet sordidum. hæc enim figuræ sumuntur iuxta Hebraicam veritatem, subiungendo, *veniamus simul ad iudicium.* hoc est, si veniemus simul ad iudicium.

Vers. 33. NON EST INTER NOS REPROBATOR: PONIT MANVM SVAM SVPER AMBOS NOS. hoc est, non est tertius reprobator vtriusque iudicando, qui exequendo ponat manum suam potentiam suam; super ambos nos, Deum videlicet, & me.

Vers. 34. *Virga pro fortitudine. Pauor, fortitudinem pauorem inuitans.* AVFERAT A ME VIRGAM SVAM. hoc est, sceptrum in nestatis suæ. ET PAVOR EIVS. hoc est, & potentia eius incutiens pauorem. NON ME TERREAT. Posse quam offerunt quod pœnitentia humana vana est ad prosperitatem præsentis vitæ, intendit inuestigando reddere causas quare Deus affligat amicos a peccatis, sed antequam ad hoc accedat, declarat se loqui secluso potentia Dei absoluta, & secluso iudicio Dei absoluto, intendens loqui sub potentia Dei & iustitia Dei ordinaria. Et ideo iuxta duas conditiones Dei videlicet quòd est supremus iudex, & supremæ potestas rogat vt ex parte Dei essent duo, videlicet quòd non vtatur rigore authoritatis suæ cum Iobe, & quod summa potestas eius non terreat eundem, intendens per hæc quòd secluso potentia Dei absoluta, & similiter secluso iudicio Dei absoluto, vellet loqui sub Dei potentia ordinaria, & sub iudicio Dei ordinario.

Vers. 35. LOQVAR, ET NON TIMEBO EVM. Secludente Deo vltimam potentiæ & iustitiæ absolutæ mecum, sequetur ex parte mei hic effectus quod ego loquar Deo nec quòd non timebo eum in mea locutione. SI QVI ENIM POSSVM METVENS RESPONDERI. Iuxta Hebraicum sic habetur *quia non sic ego mecum.* Ecce causa ex parte mei excludens timorem in locutione cum Deo, quia ego non sum sic mecum vt mala mea monstrant. mala enim mea monstrant me impium: *ego* autem quod me non sum impius, nullus habeo ei timorem in impetrando, propter-

ea non timebo loqui, secundo infra limites ordinariæ potentiæ & iustitiæ. sciebat enim quòd non ad purgationem peccati, sed ad probationem vexabatur.

CAPVT X.

Vers. 1. *Iob lamentatur suam afflictionem.* TÆDET ANIMAM VITÆ MEÆ. Iuxta Hebræum habetur, *Inciſa est anima mea in vitis meis.* Incipit Iob loqui absque timore, inchoans a materia propriæ lamentationis. tesamit enim, immo declarat quod per parabolas dixerat de agilitate dierum suorum, dicens quòd anima mea, non in scipsa, sed in extentione vitæ meæ, incisa est, decurtata est. DIMITTAM ADVERSVM ME. Iuxta Hebræum habetur, *dimittam super me eloquium meum.* Non retinebo sermonem, sed dimittam eloquium meum, non super quemcumque hominem, sed super me ipsum. Et exponendo subiungit, LOQVAR IN AMARITVDINE ANIMÆ MEÆ. super me ipsam tractabo de amaritudine animæ meæ.

Vers. 2. *Illius causam a Deo inquirens.* DICAM DEO. Nomen est Iehoah. Ecce cui loquar sine timore, gubernatori & iudici ordinario vniuersorum. NOLI ME CONDEMNARE: INDICA MIHI CVR ME ITA IVDICES. Iuxta Hebræum habetur, *non impiabis me, indica mihi super quo litigabis in me* Scito prudens Lector quòd Iob simul inuestigando manifestat causam afflictionis suæ, & quòd nō propter peccatum communiter afflictus est: quod est tertio loco manifestare quòd Deus affligit virum perfectum. Et vt melius intelligas subiuncta, aduerte quod Iob in hac inquisitione manifestat reuelatam sibi fuisse à Deo causam afflictionis suæ, & modum, videlicet mediante Satana expetente Iobem ad hoc vt peccaret. Rogat itaque Deum duo, alterum, *non impiabis me*, hoc est, non obiicias mihi tu quòd sum impius: tibi enim non possem resistere. Alterum, *indica mihi super quo impugnas me*, hoc est, causam quare perseueras affligendo. Et per modum inquirentis proponit publicandum quod sibi reuelatum fuerat secretò.

Vers. 3. NVNQVID BONVM TIBI VIDETVR, SI CALVMNIERIS, ET OPPRIMAS ME OPVS MANVVM TVARVM: ET CONSILIVM IMPIORVM ADIVVES. Iuxta Hebræum habetur, *Numquid bonum tibi quod fraudabis, quod abominaberis laborem manuum tuarum: & super consilium impiorum illustrasti?* Modum recenset quo traditus est in manus Satanæ affligendus, modus, inquam, qui scriptus est *in cap. 2.* videlicet quòd Deus laudauit Iobem quòd non sit similis ei in terra, &c. & tantæ laudi misceat tantam afflictionem. Hanc mixturam appellat Iob metaphoricè *fraudem*, quemadmodum enim mirrham aliquod aromaticū componens, miscendo malos pulueres sub bonis, fraudem committere dicitur, ita Deus sub laudibus Iobis miscens afflictiones, metaphoricè dicitur fraudare Iobem, secundum similitudinem effectus. Licet sicut fraudans, & propterea spectando ad illas laudes, tentationes ad afflictiones, dicit Iob Deo *quòd fraudabis*, hoc est, perseuerabis inflere fraudantis, *quod abominaberis*, quòd instar abominantis perseueras affligendo laborem manuum tuarum. Seipsum quare appellet laborem manuum Dei, inferius declarabit diffuse.

Modus quo traditus est in manus Satanæ recenseatur.

Quod

Quod etiam subdit de consilio impiorum, spectat ad petitionem Satanæ exauditam à Deo, *pellem pro pelle, & cuncta quæ habet dabit homo pro anima sua*, &c. hoc consilium impiorum aduersùs Iobem, illustrauit Deus concedendo potestatem exequendi illud. Ait itaque Iob Deo, *Num bonum tibi.* hoc est, num cedit tibi ad bonum, num propter bonum tuum proprium fecisti hæc? quasi dicat, non.

Vers. 4. NVNQVID OCVLI CARNEI TIBI SVNT? Probat quod dixerat, *num bonum tibi.* Et intendit quòd si afflictio mea esset propter bonum tuum, esset propter bonum notitiæ nouæ, quam acquireres per istam afflictionem de mea perseuerantia in bono: sed hoc bonum non acquires, quia tu omnia præcognouisti. Hanc itaque rationem intendens, procedit per modum inquirentis, monstrando Deum non acquirere notitiam occultorum & futurorum contingentium, quemadmodum acquirunt homines. & incipit ab organo sensus visus, dicendo, *Nunquid oculi carnei tibi sunt?* quasi dicat, non sunt tibi oculi carnei, sicut sunt hominibus, quibus oculi multas rerum differentias demonstrant. NVNQVID SICVT VIDERE HOMINIS VIDEBIS? Post organum visus excludit modum videndi. Et est sermo de modo videndi relatiuè ad sensibilia per accidens. homo enim videt intellectu & cogitatiua mediante sensu visus ea quæ latent, coniiciendo per signa: Deus autem non videt occulta inquirendo per signa, sed omnia manifesta sunt ei.

Vers. 5. NVNQVID SICVT DIES HOMINIS DIES TVI? Excludit tertiò notitiæ augmentum quod de die in diem homo acquirit. ET ANNI TVI SICVT HVMANA SVNT TEMPORA? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid anni tui sicut dies viri?* Dictio interpretata *viri*, non plenè explicatur: *Vir, de viro præcipuo.* nam significat virum præcipuum. Excludit enim quartò à notitia Dei studium eximiorum virorum, quo occupantur ad curiosa experimenta, vt notitiam proprietatum rerum & animalium habeant per se, vel alios.

Vers. 6. & 7. VT QVÆRAS INIQVITATEM MEAM, ET PECCATVM MEVM SCRVTERIS. ET SCIAS QVIA NIHIL IMPIVM FECERIM. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Quòd quæres iniquitatem meam, & peccatum meum inquires. Super scire tuo quòd non impiabo.* Non, vt vulgata habet æditio, quòd *nihil impium fecerim*, in præterito, sed in futuro legendum est, quòd *non impiabo.* hinc enim germanus literæ sensus aperitur, quòd non de inquisitione peccati occulti, sed de inquisitione tentatiua, an Iob peccaret, est sermo. Et quadrat hic sensus scriptis in primo & secundo capitulo, videlicet quòd Satan periit vt vexaretur Iob ad hoc vt peccaret. Ait itaque Iob, Nunquid humano more inquirendus fui à te, an peccatum, vel iniquitatem committerem, præcognoscente te quòd non eram peccaturus. Et si hæc sententia annotata fuerit, perspicuum fiet tum quòd fuit reuelata Iobi causa vexationis suæ, tum quòd Iob manifestat amicis suis nouam causam quare Deus vexat viros mundos, videlicet vt vexatio manifestet constantiam eorum, non Deo (qui omnia præuouit,) sed hominibus ad exemplum. QVVM SIT NEMO QVI DE MANV TVA POSSIT ERVERE. Iuxta Hebræum habetur, *& non de manu tua eruitur.* Ad exaggerandum vexationem viri mundi à Deo, adiungitur hæc clausula. tolerabilior enim est vexatio quæ potest declinari, à qua potest aliquis eripi: sed vbi nulla euasionis est spes, intolerabilis valde redditur.

MANVS TVÆ DOMINE FECERVNT ME, ET PLASMAVERVNT ME TOTVM IN CIRCVMITV. Vers. 8. Iuxta Hebræum habetur, *Manus tuæ figurauerunt me, & fecerunt me simul in circumitu.* Dixerat, num bonum tibi quòd fraudabis, quòd abominaberis laborem manuum tuarum? declarat modò vtrumque, videlicet quòd Deus abominatur opus manuum suarum, & quòd homo est labor manuum Dei. Et dicit hæc, non vt historiam narret, sed vt rationem reddat, quare Deo licitum est ordinario iure affligere viros mundos. ex his enim declarat sensum germanum fuisse quòd abominaberis laborem manuum tuarum, hoc est, quia labor est manuum tuarum. figulo enim licitum est destruere opus manuum suarum, quia est labor eius. Sed Iob inquisiuit, num propter bonum tuum hoc facis? & quum declarauit quòd non propter bonum Dei afflixit eum probando, declarat modò prædictum sensum, videlicet quia labor manuum tuarum sum ego, ideo absque iniuria & facis & destruis me. Ait itaque præpostero ordine familiari Hebræis, *manus tuæ figurauerunt me, & fecerunt me.* dicendum siquidem erat, manus tuæ fecerunt me, & figurauerunt me simul in circumitu: generatur siquidem homo in materno vtero non simul secundùm interna membra, sed primùm quod generatur, est cor, secundùm Philosophos: in circumitu autem (hoc est, secundùm exteriora membra) figuratur simul, vt hic dicitur. Et attribuitur opus naturæ diuinis manibus, eo quòd vires naturales sunt manus Dei, sunt instrumenta Dei, quibus tanquam manibus Deus vtitur ad effectus quos naturales dicimus. ET SIC REPENTE PRÆCIPITAS ME. Iuxta Hebræum habetur, *& destruxisti me* Ecce clarificatio sensus, quia tu me fecisti, tu me destruxisti.

Iob seipsum appellat laborem manuum Dei. cur.

Ordo præpostere Hebraïs familiaris.

Opus naturæ, Dei manibus attributum.

MEMENTO QVÆSO QVOD SICVT LVTVM FECERIS ME, ET IN PVLVEREM REDVCES ME. Vers. 9. Ad probandum quòd Deus est author vtriusque (vitæ videlicet, & mortis) testimonium affert ex prima conditione hominis, per modum reuocantis ad diuinam memoriam materiam ex qua olim fecit primum hominem, & in quam resoluendus est homo. ex hoc enim quòd Deus fecit hominem ex limo, sufficienter habetur quòd fecit eum mortalem. Verùm plus hîc significatur, dicendo, *& in pulverem reduces me.* insinuatur enim quòd non solùm ex necessitate materiæ, sed ex diuina prouidentia homo moritur: quod quidem verum esse, ex principio Geneseos apparet.

Deus vitæ & mortis author.

NONNE SICVT LAC MVLSISTI ME. Declarat quasi per singula illam particulam, *laborem manuum tuarum.* & in primis assimilat effusionem seminis humani ad generandum, emunctioni qua lac ex vberibus manu pressis egreditur. Seminatio enim tam viri, quam mulieris est primum concurrens ad generationem hominis: & vtriusque author describitur Deus tanquam manibus emungens genitalia vasa. ET SICVT CASEVM ME COAGVLASTI? Assimilatur conceptio coagulationi lactis in caseum. Et in hoc diuersa seminum officia insinuantur. nam semini virili attribuitur officium coaguli: Vers. 10.

Cõceptio coagulationi lactis in caseũ assimilata.

semini verò mulieris officium lactis quod coagulatur.

Vers.11. *Caro & pellis vestimentis collata.*

PELLE ET CARNIBVS VESTISTI ME. Assimilatur tam caro, quàm pellis vestimentis. & pellis quidem summæ vestis officium, caro verò internæ vestis exercere cognoscitur. In cuius signum defluxis ægritudine carnibus frigemus: vtpote naturali indumento carentes. OSSIBVS ET NERVIS COMPEGISTI ME. Clarè officia ossium & neruorum, quibus totum corpus connectitur, sonant.

Vers.12. VITAM ET MISERICORDIAM TRIBVISTI MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *Vitam & gratiam fecisti mecum.* Dictio interpretata *gratiam*, sonat beneficium gratuitum, hoc est, quod absque vllo merito, sola liberalitate donantis datur. Et perseuerando intra terminos bonorum naturalium, significatur liberum arbitrium quo homo præstat animalibus cæteris: describitur siquidem voluntas libera ab actu conferendi gratuito. animalia siquidem reliqua conferunt quicquid conferunt tanquam debitum: sic enim alunt filios, &c. homo autem etiam secluſa omni ratione debiti, beneficus est, quia vult. Egrediendo autem ad supernaturalia dona, significatur nomine gratiæ donum superadditum naturæ quo simus filij Dei. ET VISITATIO TVA. Iuxta Hebræum habetur, *& ordinatio tua custodiuit spiritum meum?* Quæ visitatio secundùm naturalia consistit in seminibus virtutum congenitis homini: secundùm verò supernaturalia dona consistit in ordine diuinæ prædestinationis. vtraque siquidem ordinatio custos est spiritus hominis, ne à malo, quod est verè malum, capiatur. Et hic completur labor manuum Dei manifestatus.

Liberum arbitrium significatur.

Vers.13. LICET HÆC CELES IN CORDE TVO. Iuxta Hebræum habetur, *Et hæc reconditi in corde tuo.* Manifestat Iob duo simul. alterum quòd hæc quæ dixit Deo per modum interrogantis & suggerentis, sunt vera: alterum quòd sunt etiam recondita apud Deum tanquam in corde Deitac per hoc non sunt omnibus manifesta. TAMEN SCIO, QVIA VNIVERSORVM MEMINERIS. Iuxta Hebræum habetur, *scini quod hoc tecum.* Dixerat Eliphaz fuisse sibi reuelatum mysterium, vt scriptum est *in capitulo quarto*, & tamen nihil mysterij in illa sua fictione continetur: è regione illius Iob dicit absque iactantia quòd hæc supradicta, quæ vere mysteria sunt, & recondita sunt apud Deum, fuerunt ipsi Iobi nota. Potest quoque Pronomen *hoc* demonstrare subiunctam sententiam, vt non solùm supradicta sint apud Deum, sed etiam subiuncta.

Vers.14. SI PECCAVI, ET AD HORAM PEPERCISTI MIHI: CVR AB INIQVITATE MEA ME MVNDVM ESSE NON PATERIS? Iuxta Hebræum habetur, *Si peccaui, & custodies me, & ab iniquitate mea non mundabis me.* In *cap.*8. Bildad ex parabola iunci distinxerat duos status hominis secundùm aduersitatem & prosperitatem præsentis vitæ ex culpa, vel merito apud Deum prouenientes. & propterea ad confutandam illam doctrinam distinguit Iob tres status hominis, & in quolibet mala inueniri declarat: manifestans; quarto loco Deum affligere perfectos & immundos, diuersimodè tamen ex diuersitate statuum. Inchoat itaque à statu peccantium per errorem: dictio enim interpretata *peccaui*, significat peccare per ignorantiam.

Status hominum tripliciter distinguitur.

Status peccantium per errorem, sine ignorantiam.

Et de peccantibus per ignorantiam, duo disponi à Deo dicit, alterum, *& custodies me*, hoc est, in carcerem me rediges. alterum, *& ab iniquitate mea non mundabis me.* Et hoc est declaratio primi, quòd videlicet custodies me in pœnam peccati per ignorantiam, & non dimittes me impunem. impunitas enim significatur dicendo, *& ab iniquitate mea non mundabis me.* mitis autem pœna significatur per custodiam.

Vers.15. *Status peccatiũ studiosè.*

ET SI IMPIVS FVERO, VÆ MIHI EST. Iuxta Hebræum habetur, *Si impiaui, va mihi.* Secundus status hominis describitur à peccato quod fit studiosè: dictio enim interpretata *impiaui*, significat peccare studiosè. & de huiusmodi peccantibus dicit, *va mihi.* Et in hoc contradicit Bildad. definit enim pœnam huiusmodi peccatorum non temporale malum, sed simpliciter & absolutè *va:* quod in sacra Scriptura sonare consueuit oppositum beatitudinis. ET SI IVSTVS. Sensus rectè redditur: quanuis Hebraicè habeatur, *& iustificabo.* hoc est, & si iustitiam exercebo. Tertius hominum status describitur ab exercitatione iustitiæ. & de his dicitur totum contrarium eius quod dixerat Bildad: nam subiungitur, *non leuabo caput meum.* Bildad siquidem dixerat, iuncum in loco limoso eleuaui, &c. Iob dicit quòd etiam si iustus ero, non leuabo caput meum, quo ad bona præsentis vitæ. SATVRATVS AFFLICTIONE, ET MISERIA. Iuxta Hebræum habetur, *saturitas ignominiæ, & videre afflictionem meam.* subaudi, erit mihi quantumcunque fuero iustus.

Va dictio, beatitudinis oppositum.

Iustificandi verbum.

Status hominum exercentis iustitiam.

Vers.16. ET PROPTER SVPERBIAM. Iuxta Hebræum habetur, *& eleuabit.* proculdubio, afflictio mea caput suum. Non leuabo ego caput meum, sed afflictio mea eleuabit caput suum crescendo. SICVT LEÆNAM CAPIES ME. Iuxta Hebræum habetur, *sicut leo venaberis me.* Apta similitudo ad insinuandum quòd Deus affligit etiam perfectos. nam leo venando persequitur tam iustos, quàm iniustos: & propterea Iob in persona iustorum dicit Deo, *sicut leo venaberis me*, tanquam non discernens inter iustum & iniustum. REVERSVSQVE MIRABILITER ME CRVCIAS. Iuxta Hebræum habetur, *& reuerteris, & mirabilis eris in me.* hoc est, & reuerteris ad cruciandum iustum ad hoc, vt sis mirabilis in me, & mihi similibus Sanctis tuis. Confer prudens Lector hanc sententiam cum suprà dictis, & perpendes quòd postquam Iob quæsiuit à Deo, num bonum tibi quòd abomineris me, & declarauit quòd Deus non propter bonum propriæ notitiæ abominabitur eum, & modò manifestat quòd Deus affligit iustum vt sit mirabilis iniusto: manifeste docuit solutionem quæstionis, *num bonum tibi*: videlicet quòd non bonum tibi internum, sed bonum tibi externum. Scientia enim internum bonum est: admirabilem autem esse in alio, bonum est externum. Ergo Deus non propter suum bonum quod in eo est, sed propter suum honum quod extra ipsum est (hoc est, propter gloriam suam apud alios) affligit iustos.

Deus etiam perfectos affligit.

& cur?

Scientia bonum.

Vers.17. INSTAVRAS TESTES TVOS CONTRA ME. Iuxta Hebræum habetur, *Renouabis plagas tuas contra me.* Sententia est clara. ET MVLTIPLICAS IRAM TVAM ADVERSVM ME, ET PENE MILITANT IN ME. Iuxta Hebræum

vnica

vnica est clausula, *& multiplicabis iram tuam mecum, mutationes & tempus mecum.* Quod dixit in genere, *multiplicabis iram tuam*, exponit per partes, dicendo, *mutationes & tempus.* Significant autem mutationes varietatem afflictionum: tempus verò expectationem quando finietur præsens tribulatio. concomitatur enim huiusmodi tempus præsentem pœnam, apud patientem successiue cruciatus varios.

Verſ.18. *Iob rursum plangit fe naturæ, propter afflictionum continuatiõ.*

QVARE DE VVLVA. Iuxta Hebræum habetur, *Et quare de vulua eduxisti me?* Magnitudo afflictionum iusti simul cum tenuitate boni præsentis vitæ, describitur tanta, vt æquipollere videatur infelicitati eorum, qui nascuntur mortui. Admirando itaque huiusmodi æquipollentiam quo ad bona præsentis vitæ, dicit Deo, *quare de vulua eduxisti me* viuum ad viuendum in præsenti vita: QVI VTINAM CONSVMPTVS ESSEM NE OCVLVS ME VIDERET. Iuxta Hebræum habetur, *desinam, & oculus non videbit me.* Non sunt verba optantis, sed librantis conditiones præsentis vitæ, inchoando à morte, quòd tandem desinam esse, & oculus carneus non me ampliùs videbit: hoc est, non ero ampliùs inter homines præsentis vitæ.

Verſ.19. *Vita breuitatis æquipollentia.*

FVISSEM QVASI NON ESSEM, DE VTERO TRANSLATVS AD TVMVLVM. Iuxta Hebræum habetur, *Sicut non fui ero: de vtero ad tumulum portabitur.* Æquipollere dicit præsentem vitam infanti translato ex vtero ad sepulchrum, dicendo, *ero sicut non fui*, hoc est, tanquam non fuissem. & hoc exponendo, subiungit tanquam quòd qui ex vtero portabitur ad sepulchrum.

Verſ.20.

NVNQVID NON PAVCITAS DIERVM MEORVM FINIETVR BREVI: Iuxta Hebræum habetur, *Nónne pauci dies mei?* Rationem reddit æquipollentiæ breuitatem vitæ, æstimando tempus vitæ præsentis tanquam nihil: ac per hoc bona & mala, quatenus vitæ præsentis sunt bona, vel mala, tanquam nihilum. DIMITTE ERGO ME VT PLANGAM PAVLVLVM DOLOREM MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *prohibe, dimitte me, & confortabo me parum.* Ecce solutio quæstionis, *quare de vulua eduxisti me?* videlicet vt conforter antequam moriar. Et in sententia hac insinuat Iob quòd propter hominis dispositionem ad futuram vitam, producit & vegetat Deus hominem in vita præsenti: ad hoc enim directe petit modicam confortationem ante mortem. Ait itaque, *prohibe*, Satanam continuantem afflictiones meas, *dimitte me*, absque tot vexationibus, vt non labatur mens mea, sed confortem me ipsum aliquantulum secundùm spiritum.

Verſ.21. *Terra ad quã per mortem, de inferno.*

ANTEQVAM VADAM, ET NON REVERTAR, AD TERRAM TENEBROSAM. Legendum est, *obscuram.* Quod autem sequitur, ET OPERTAM MORTIS CALIGINE. iuxta Hebraicam veritatem legendum est, *& vmbram mortis.* Præsens litera ex hoc ipso quòd cum tanto apparatu describit terram, ad quam itur per mortem, offert seipsam intelligendam de inferno, quò pergunt animæ ex propriis meritis, & propterea Iob ex propriis meritis se connumerat cum aliis iturum ad infernum, dicendo, *antequam vadam, & non reuertar*; petit enim confortari antequam ex propriis meritis vadat ad infernum. Quod autem dicit, *& non reuertar*, verificatur non solùm de reuersione ad præsentem vitam, sed etiam de reuersione ad locum quietis. Appellatur autem infernus duplici nomine, videlicet terra obscuritatis, & vmbra mortis. Et est sermo metaphoricus, significans animas in inferno secundùm intellectum carere lumine intelligibili, quo delectentur videre spirituales substantias; secundùm verò voluntatem carere securitate, & tanquam in pauore esse, quemadmodum qui terretur à trucibus vmbris, quas vmbras mortis dicimus. Et dicit hæc Iob ad manifestandum amicis vt discernant alio sensu dicta fuisse ab eodem de animabus defunctorum in cap. 3. *nunc quieſcerem cum Regibus & conſulibus terræ*, &c. alio verò sensu intelligenda esse hæc ibi enim naturali duntaxat ordine considerato quiescentes describuntur animæ omnes: hic verò secundùm propria merita relata ad diuinam iustitiam in terra obscuritatis & vmbra mortis, puniri dicuntur.

Inferni duplex nomen.

TERRAM MISERIÆ, ET TENEBRARVM. Iuxta Hebræum habetur, *Terram obſcuram ſicut tenebræ.* Declarat primum nomen, manifestando quòd non dixit terram obscuram, quemadmodum obscura est nox, sed multo obscuriorem, quemadmodum obscuriores sunt tenebræ quæ priuant etiam lumine stellarum. VBI VMBRA MORTIS ET NVLLVS ORDO. Iuxta Hebræum habetur, *vmbram mortis, & non ordinationes.* Declarat alterum nomen ab annexa priuatione ordinum qui fuerunt inter homines præsentis vitæ. describitur enim pauor absque diuersitate ordinum quos in præsenti videmus: puta inter nobiles & populares, inter dominos & seruos, inter Reges & varios ministros ac subditos, inter Pontifices & Clericos, & id genus reliquos. SED SEMPITERNVS HORROR INHABITAT. Iuxta Hebræum habetur, *& obſcurata eſt ſicut tenebræ.* Non sat fuit declarasse terram illam esse obscuram sicut tenebras, sed adiecit Iob modum quo terra illa facta est obscura, dicendo quòd obscurata fuit sicut tenebræ; hoc est, non est reddita obscura ex aliquo interueniente obstaculo extrinseco (quemadmodum contingit nobis obscuritas noctis ex interpositione terræ inter solem & nos, & ex interpositione nubium inter stellas & nos,) sed quemadmodum generatur obscuritas ipsarum tenebrarum. quod est dictu, terra illa est genita obscura secundùm seipsam, quemadmodum tenebrarum obscuritas genita est in tenebris secundùm seipsas. Et per hoc excluditur vicissitudo obscuritatis & lucis à terra illa, quemadmodum tenebræ non sunt quandoque lucidæ, & quandoque obscuræ. Et hæc verificantur in inferno de priuatione luminis gratuiti simpliciter & absolutè: de priuatione verò luminis naturalis quatenus delectat, vel consolatur habentem naturale lumen intellectus.

Declaratur primum.

Declaratur ſecundum.

CAPVT XI.

Verſ. 1. & 2.

RESPONDIT AVTEM ZOPHAR NAHAMATHITES. Tertius socius Iobis tertio loco loquitur: ordinate enim (vt viros graues decet) successiue loquebantur, disputando cum Iobe respondente singulis. ET DIXIT: NVNQVID QVI MVLTA LOQVITVR NON ET AVDIET? Iuxta Hebræum habetur,

Sophar iniqne aſſerit

Iob propter multa ipsius peccata, qua recenset, fuisse à Deo percussum.

Num multitudini verborum non respondebitur? Arguit Iobem quòd multiloquus fuerit, sed multiloquium non debet excludere responsionem. Ac si apertiùs dixisset, putas cum multiloquio tuo efficere vt respondeatur tibi? solent enim sæpe homines multiloquis non respondere. AVT VIR VERBOSVS IVSTIFICABITVR? Iuxta Hebræum habetur, *& num vir labiorum iustificabitur*? Vir labiorum appellatur vir præditus facundia dicendi. Et indignum reputat Zophar quòd eloquentiæ tribuatur iustificatio. ita quòd nec ex multiloquio, nec ex eloquentia, qua Iob iustificat causam suam, censendus est iustus: sæpe enim eloquentia oratoris vicit iustificando causam.

Vir labiorum qui.

Vers. 3. TIBI SOLI TACEBVNT HOMINES. Iuxta Hebræum habetur, *Mendacia tua homines facient tacere*? Et est interrogatiue legendum, Nunquid mendacia tua facient homines tacere? manifestè siquidem arguit Iobem mendacij, quod posteà explicabit: videlicet quòd plus patitur, quàm mereatur peccatum eius. ET QVVM CÆTEROS IRRISERIS, A NVLLO CONFVTABERIS? Iuxta Hebræum habetur, *& subsannasti, & non faciens pudere*? Vnde Zophar acceperit quòd Iob subsannauerit alios, non clarè patet. potest tamen intelligi quòd Iob subsannando Eliphaz dixerit Deo in cap. 10. *& hæc recondidisti in corde tuo*, tanquam irriserit apparitionem relatam ab Eliphaz *in cap.* 4. Irriserè quoque intelligi potest æquipollentia vitæ præsentis & translationis de vtero ad tumulum: vt quòd isti socij Iobis pendent tanti, ipse pro nihilo irridendo eos, dixerit. Et interrogatiuè legendum est, & non faciens pudere? quasi dicat quòd erit faciens pudere te irrisionis.

Iob mendacij arguitur.

Vers. 4. DIXISTI ENIM: PVRVS EST SERMO MEVS, ET MVNDVS SVM IN CONSPECTV TVO. Iuxta Hebræum habetur, *munda lex mea, electius sui in oculis tuis.* Ecce mendacia Iobis. In cap. 6. dixerat Iob, *vtinam appenderentur peccata mea*, &c. sententia illa appellatur lex Iobis, non statuentis, sed profitentis. profitebatur enim Iob hanc legem esse mundam apud Deum: & Zophar appropriat huiusmodi legem Iobi, eo quòd Iob solus profitebatur eam; in capitulo verò decimo dixerat Iob se electum à Deo ad hoc vt in ipso sic afflicto Deus esset mirabilis. & propterea Zophar refert quòd Iob dixerit se esse electum in oculis Dei.

Vers. 5. ATQVE VTINAM DEVS LOQVERETVR TECVM, ET APERIRET LABIA SVA TIBI. Sententia rectè redditur: Hebraicè tamen habetur, *Et profectò quis dabit Eloah loqui, & aperiet labia sua tecum*? Quia Iob sententias suas dixerat dirigendo sermonem ad Deum, ideo Zophar ad confutandum Iobem dicit se cupere vt Deus iudex omnium aperiret labia sua ad loquendum cum Iobe. more siquidem humano de Deo loquitur tanquam habente os & labia, describendo per huiusmodi sensibilia ea, quæ sunt supra omnem intellectum.

Vers. 6. VT OSTENDERET TIBI SECRETA SAPIENTIÆ. Iuxta Hebræum habetur, *Et annunciabit tibi occulta scientia.* Quod autem in vulgata sequitur additione, ET QVOD MVLTIPLEX SIT LEX EIVS, iuxta Hebræum habetur, *quia duplicia ad statutum.* Hic est neruus præsentis capituli aduersùs Iobem. tria siquidem Zophar proponit aduersùs Iobem vt confutet dicta illius. primum est quòd in scientia Dei summi iudicis sunt multa occulta nobis: alterum est quòd occulta quæ in scientia Dei latent, sunt duplicia relata ad statutum quodcunque. Et ponitur proportio finita pro infinita: dicuntur enim in proportione dupla, ad insinuandum quòd excedunt in infinitum. Ex his enim duobus confutat Zophar dicta Iobis, & excludit ea tanquam mendacia: quia Deus secundùm occultas rationes scientiæ suæ excedit omne statutum quo Iob meritur pœnam suam relatam ad peccatum suum. Et propterea subiungit tertium. ET INTELLIGERES QVOD MVLTO MINORA EXIGARIS AB EO QVAM MERETVR INIQVITAS TVA. Paraphrasis est: nam iuxta Hebræum breuissimè dicitur, *& scito quòd mutuabit tibi Eloah plus iniquitate tua.* Metaphora vtitur mutuantis. quemadmodum enim mutuans alicui, efficit illum debitorem, ita describitur Deus iudex puniendo Iobem mutuasse Iobi plus iniquitate eius, hoc est, pœna iniquitatis eius: ita quòd Deus iudex restat tanquam creditor, & Iob adhuc debitor pro iniquitate propria. hoc enim tertium tanquam consequens ex secundo, inducit Zophar: ex quibus confutata esse dicta Iobis arbitratur.

Vers. 7. FORSITAN VESTIGIA DEI COMPREHENDES. Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid inquisitionem Eloah inuenies*? Intendit Zophar prosequi tria proposita: & inchoat à primo, videlicet occulta scientiæ. De his enim occultis rationibus scientiæ diuinæ ait: Nunquid inquisitionem qua vtitur summus iudex erga nostra delicta, inuenies? quasi dicat, nequaquam. quod directè tendit aduersùs sententiam Iobis qua mensus est iustitiam Dei, & peccatum proprium. ET VSQVE AD PERFECTVM OMNIPOTENTEM REPERIES? Iuxta Hebræum habetur, *nunquid vsque ad finem Saddai inuenies*? Et est casus genitiui *Saddai*, & est nomen Dei significans Deum quatenus vincit omnia, quod nostri *Omnipotentem* vocant. quasi dicat, nequaquam. impossibile siquidem est inuenire terminos illius qui vincit omnia: nec inquisitio ergo, nec terminus diuinæ iustitiæ inueniri potest.

Saddai, nemè Dei, pro Omnipotenti.

Vers. 8. EXCELSIOR COELO EST, ET QVID FACIES? Iuxta Hebræum habetur, *Celsitudines cœlorum, quid operaberis*? Ad manifestandum amplius ex sensibilibus occulta diuinæ scientiæ, refert ea secundùm similitudinem ad corporalia loca, inchoando à cœlis, dicens, *celsitudines cœlorum*, subaudi, super scientia diuina: quid ergo operaberis tu ad inueniendum eam? & similiter subauditur, PROFVNDIOR INFERNO, QVID SCIES.

Vers. 9. LONGIOR TERRA MENSVRA EIVS, ET LATIOR MARI. Scientia Dei est res spiritualis carens huiusmodi dimensionibus longitudinis, latitudinis & profunditatis: sed ad insinuandum quòd inueniri à nobis non potest, per huiusmodi corporeas similitudines declaratur vis eius immensa, qua penetrat vniuersa, etiam corporea, longè eminentior omnibus.

Scientia Dei qua.

Vers. 10. SI SVBVERTERIT OMNIA, ET IN VNVM COARCTAVERIT, QVIS CONTRADICET EI? Iuxta Hebræum habetur, *Si concidet, & claudet, & congregabit: & quis respondebit ei*? Prosequitur propositum secundò, videlicet, quia duplicia ad statutum. prosequitur autem manifestando quòd si Deus res concideret scindendo eas, siue

res

res singulas concluserit, tollendo actiones earum, siue res omnes confundat, tollendo ordinem inter illas, nullus potest respondere ei. ex hac enim libertate in summo iudice qui omnia vincit, manifestat Zophar quòd occulta scientiæ Dei sunt duplicia ad statutum etiam ordinem totius vniuersi.

Vers. 11. & 12. IPSE ENIM NOVIT HOMINVM VANITATEM: ET VIDENS INIQVITATEM, NONNE CONSIDERAT? VIR VANVS IN SVPERBIAM ERIGITVR, ET TANQVAM PVLLVM ONAGRI SE LIBERVM NATVM PVTAT. Iuxta Hebræum habetur, *Quia ipse scivit homines falsitatis: & vidit iniquitatem, & non se intelliget? Et virum vacuum eleuabitur corde: & pullus onager hominem natus erit.* Scito circa literam quòd dictio interpretata *eleuabitur corde*, interpretanda fuisset *cordabitur*, fingendo passiuum verbum à nomine cordis. significat enim vsum cordis: tanquam diceremus, erigetur, seu eleuabitur corde.

Aduerte rursus circa literam oportere subintelligere ter nomen relatiuum *qui*. primum, quum dicitur, *& non se intelliget*, supplendum est, *& qui non se intelliget?* secundum, quum dicitur, *& hominem vacuum eleuabitur corde*, supplendum est, *qui eleuabitur corde*. tertium, quum dicitur, *hominem erit natus*, supplendum est, *qui erit natus*. Et est ordo litteræ quòd Deus vidit hominem qui natus erit pullus onager. Zophar igitur prosequendo tertium propositum (videlicet quòd Deus puniuit Iobem minus quàm meretur iniquitas eius) manifestat illud ex hoc quòd Deus sic se habet erga omne genus peccantium. Quod genus partitur in quinque partes enumeratas in littera. quarum prima est hominum fallacium: secunda iniquorum: tertia non intelligentium seipsos: quarta hominum vacuorum virtute qui eleuantur corde: & quinta hominum quasi à natura genitorum ad viuendum absque iugo, quèadmodum nascitur pullus onagri. nascuntur siquidem homines quemadmodum inclinati ad quædam bona (puta misericordiam, vel liberalitatem, & similia) ita inclinati ad quædam mala: puta ad mentiendum, vel furandum, & similia. & propterea Zophar acute dicit quosdam homines natos ad viuendum absque iugo. Ex hoc itaque quòd Deus & sciuit & vidit hos omnes peccatores, intelligi vult quòd Deus minus punit quàm mereamur. subintelligit enim Zophar quòd scire & videre Dei fuit citra punitionem condignam, quia nororiè clarum est innumerabiles peccatores ex hac vita migrasse citra punitionem condignam.

Peccantium genus quintuplex.

Vers. 13. *Sophar restituenti Iob felicissima quæque pollicitus.* TV AVTEM FIRMASTI COR TVVM. Iuxta Hebræum habetur, *Si tu direxisti cor tuum.* Postquam Zophar arguit Iobem mendacij, & putauit se confutasse illum, monet Iobem vt conuertatur in veritate ad Deum, promittendo ei felicitatem præsentis vitæ, & respondendo ad impedimenta felicitatis allegata à Iobe. Ait ergo quòd si rectificasti cor tuum coram Deo, ET EXPANDISTI. Iuxta Hebræum habetur, *& expandes ad eum manus tuas.* post rectificatum cor supplicando Deo.

Vers. 14. SI INIQVITATEM, QVÆ EST IN MANV TVA, ABSTVLERIS A TE, ET NON REMANSERIT IN TENTORIIS TVIS INIVSTITIA. Præposterо ordine scripta hæc intellige. nam prior debet esse pœnitudo admissorum criminũ, & expulsio eorundem à propria domo, quàm oratio.

Vers. 15. TVNC LEVARE POTERIS FACIEM TVAM ABSQVE MACVLA. Ecce promissio, quia tunc post pœnitentiam rectumque cor atque supplicationem oblatam Deo, eleuabis faciem tuam à macula: hoc est, à pœna. Et dicit hoc directè contra verba Iobis *in cap.* 10. *& iustificabo, & non eleuabo caput meum.* contra hoc enim directè ait, quia tunc eleuabis faciem tuam à macula. ET ERIS STABILIS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *& eris fortis.* contra id quod dixerat Iob *in cap.* 7. de debilitate corporis sui. ET NON TIMEBIS. contra id quod dixerat Iob in cap. 7. *terrebis me per somnia*, &c. promittit enim exemptionem & à pœnis corporis, & à pœnis animi.

Macula, pro pœna.

Vers. 16. MISERIÆ QVOQVE OBLIVISCERIS, ET QVASI AQVARVM QVÆ PRÆTERIERVNT NON RECORDABERIS. Iuxta Hebræum habetur, *Quia tu laboris obliuiscetis, sicut aqua transierunt recordaberis.* Promittit obliuionem perpessorum: & vt qualis sit futura obliuio intelligatur, adiungit similitudinem, quòd recordaberis quidem perpessorum, sed non eum aliquo vestigio eorum, quæ passus es, quemadmodum est recordatio aquarum quæ transierunt. vasa enim per quæ transiuit aqua, nullam retinent maculam, nullum retinent odorem, & breuiter nullum retinent vestigium aquæ quæ transiuit per ea: secus autem est si transisset oleum, aut vinum. Promittit enim per hanc similitudinem Iobi restaurationem talem quòd nec vestigium aliquod perpessorum remanebit in eo.

Vers. 17. ET QVASI MERIDIANVS FVLGOR CONSVRGET TIBI AD VESPERAM. Iuxta Hebræum habetur, *Et plus meridie surget tempus.* Contra id quod dixerat Iob *in cap.* 7. videlicet quòd nunc erat moriturus, directè promittit tempus vitæ plus meridie, hoc est, proportionaliter maius, quàm à meridie vsque ad noctem. Et per hoc promittit plus quàm dimidium vitæ Iobis felix. ET QVVM TE CONSVMPTVM PVTAVERIS, ORIERIS VT LVCIFER. Iuxta Hebræum habetur, *illustraberis, sicut mane eris.* Contra id quod dixerat *in cap.* 10. Iob *fœtuitas ignominiæ*, promittit Zophar illustrationem gloriæ. & ne subitò omnia futura simul intelligatur promittere, adiungit *sicut manè eris*, hoc est, eris successiuè crescens in bonis, quemadmodum lux manè successiuè clarescit.

Vers. 18. ET HABEBIS FIDVCIAM, PROPOSITA TIBI SPE. Parui refert quòd Hebraice habetur, *Et sperabis quia est spes.* Contra id quod dixerat Iob *in cap.* 7. nihil sibi sperandum esse in hac vita, dicit Zophar, *sperabis* præsentis vitæ bona, quia verè supereest spes bonorum quæ subiungit. ET DEFOSSVS SECVRVS DORMIES. Iuxta Hebræum habetur, *& fodies, secure dormies.* Vniuersam agriculturam comprehendit per *fodere*: fodiendo siquidem terram incipit agricultura. Promittit itaque agriculturam tam securam quòd agricolæ dormientes in agris, dormient securi ab hostibus & prædonibus.

Vers. 19. REQVIESCES, ET NON ERIT QVI TE EXTERREAT. Iuxta Hebræum habetur, *Et cubabis, & non terrens.* Promittit securitatem non solùm in agro, sed etiam domi dormienti: præposterò siquidem ordine scribuntur hæc. ET DEPRECABVNTVR FACIEM TVAM MVLTI. Honores mundi promittuntur: ita quòd bona vtilia & honores sperandi promittuntur.

Honores mundi promittuntur.

Vers. 20. OCVLI AVTEM IMPIORVM DEFICIENT, ET REFVGIVM PERIBIT AB EIS. Contra spem iu-

Spes impiorũ supputatur.

storum supputat spem impiorum, tria dicendo. primum relatiue ad bona præsentis vitæ, quòd oculi impiorum eleuati ad bona, non assequentur intentum, sed deficient expectando. alterum relatiuè ad mala, quòd carebunt refugio. tertium autem, ET SPES ILLORVM ABOMINATIO ANIMÆ. Iuxta Hebræum habetur, *& spes eorum tristitia anima.* Aptè describitur spes inanis quo ad externa, tam bona, quàm mala, quod est tristitia animæ: est siquidem totius vitæ tristitia.

Spes inanis describitur.

Iusti & impij differunt.

concludit igitur Zophar cum sociis suis inter iustos & impios differentiam esse, quòd iustis dantur a Deo bona præsentis vitæ, impiis autem mala.

CAPVT XII.

Vers. 1. & 2. *Iob amicos suos de sermone arguit.*

RESPONDIT AVTEM IOB, ET DIXIT: ERGO VOS ESTIS SOLI HOMINES. Iuxta Hebræum habetur, *Profectò quod vos populus.* Appellat Iob amicos suos, quamuis nobiles, plebem hoc est, plebeios) non quo ad personas, sed quo ad officium, arguit siquidem eos quòd sermo eorum est sermo plebeius, hoc est, dignus vt proferatur coram plebe potius, quàm sapientibus. Et verificantur hæc Iobis verba: quia in iis, quorum rationes habemus recurrere ad occulta in diuina sapientia mysteria, non est loquentis inter sapientes, sed loquentis ad plebem, quæ non est capax rationis speculatiuæ. percutit siquidem directe Zophar, qui ex occultis in diuina sapientia rationibus dixerat afflictum esse Iobem minus, quam mereretur: percutit & omnes eos, qui diuina mysteria personauerant, quæ communiter dicuntur, omittentes propriam rationem quæsiti. ET VOBISCVM MORIETVR SAPIENTIA. Patui refert an legatur, *scientia.* Et est sensus, & vobiscum non viuet, sed morietur speculatiua scientia causarum propriarum. sicut enim semina iacta in terram, in qua non vegetantur, moriuntur, sic scientia inchoata in mentibus eruditorum absque studio ad proprias rerum causas sistens in communibus, non viuit cum illis, sed moritur. Arguit itaque Iob amicorum sermonem quidem quòd est popularis: scientiam verò quòd non vegetatur in eis, sed cum eis manet perseuerans mortua.

Arguit de scientia, siue sapientia.

Vers. 3. *Iob tria addit de seipso.*

ET MIHI EST COR SICVT ET VOBIS. Duo arguerat in amicis: subiungit triã in seipso. Primum quòd habet cor ad audendum extollere diuina mysteria, quemadmodum audẽt ipsi. NEC INFERIOR VOBIS SVM. Secundum quòd non est minoris authoritatis quàm ipsi, erat enim Iob Princeps, & magnus inter omnes Orientales. QVIS ENIM HÆC QVÆ NOSTIS IGNORAT? Patui refert quod Hebraice habetur, *& cui non sicut ista?* Tertium quòd scit diuina mysteria similia istis quæ dixerant ipsi. & ne arrogare videatur sibi huiusmodi scientiam, dicit eam esse communem omnibus, subaudi eruditis.

Vers. 4.

QVI DERIDETVR AB AMICO SVO SICVT EGO, INVOCABIT DEVM, ET EXAVDIET EVM. Iuxta Hebræum habetur, *Risus socio suo ero, vocans Eloah, & respondit ei.* Et est ordo literæ, ego ero sicut qui est risus socio suo, inuocans Deum iudicem & gubernatorem omnium, & Deus respondit exaudiendo eum. Postquam Iob comparauit se amicis, & concluſit se nosse similia, & audere dicere ea, incipit dicere illa, inchoans ab immerita pœna iustorũ, & ab immerito bono iniquorum: quòd videlicet boni qui non merentur despici, sæpe despiciuntur, mali autem qui non merentur bona, pace securitateque fruuntur. sæpe enim talis diuersitas euidenter apparet in humano genere. Inchoat autem ab hac diuersa dispositione bonorum & malorum vitorum, vt confutet sententiam Zophar. Consentit enim Iob sententiæ Zophar in hoc quòd diuersitas ista proficiscitur ex occultis rationibus in sapientia diuina, & propterea hanc diuersitatem affert narratiuè: sed dissentit in hoc quòd occultæ in diuina prouidentia rationes huius diuersitatis pensent merita hominum qui despiciuntur, & hominum qui prosperantur in hac vita. quod dixerat Zophar: & super quod fabricauerat Zophar confutationem Iobis, dicendo ipsum ex occultis apud Deum rationibus afflictum minus, quàm mereretur. Intendens itaque Iob hæc manifestare, tam bonorum, quàm malorum affert duo genera: relatiuè videlicet ad Deum, & ad homines. vnde & incipit à iustis relatiuè ad Deum (hoc est, ab illis qui inuocant Deum, & exaudiuntur ab eo) dicendo de illorum genere quòd est risus socio suo: hoc est, quòd irridetur à socio suo, quod vertitur in ridiculum. Nec proponit hoc absolutè, sed supputando seipsum in genere talium inuocantium Deum qui irridentur à sociis suis: insinuans per hoc quòd amici sui irrisuri essent eum. DERIDETVR ENIM IVSTI SIMPLICITAS.

Religiosorum irrisio.

Vers. 5.

LAMPAS CONTEMPTA APVD COGITATIONES DIVITVM, PARATA AD TEMPVS STATVTVM. Iuxta Hebræum habetur, *risus iustus perfectus. Titio despectus cogitationibus quieti, directus nutantibus pede.* Dixerat ridiculos esse Religiosos, subiungit ridiculos quoque esse iustos perfectos, hoc est, omni ex parte inter homines integros. Assimilat autem irrisionem eorum titioni despecto à quiescentibus & directo ad nutantes pede, hoc est, ad hoc vt impingant pede in titionem, & sic quiescentes rideant. Et similitudo quidem manifesta est: quoniam titio qui non despicitur, ponitur, aut seruatur ad ardendum in igne: titio autem despicitur, quum ex igne segregatur, aut indignus igne habetur, & proiicitur vt sit offendiculum ambulantibus ad hoc vt quiescentes rideant de cespitantibus impingendo in titionem. Mysterium autem significatum per hanc similitudinem videtur esse, quòd viri omni ex parte integri æstimantur à fruentibus bonis huius mundi, & habentur tanquam non sint partes Reipublicæ, & tanquam offendiculum adhærentium eis. censent enim consulentes eos impingere, & adhærentes cadere: ridentque quum audiunt magnatem aliquem consulere eos, aut adhærere eis. Et vtinam hoc non quotidie videremus, nec est mirum: quia contraria est iustorum omni ex parte integrorum vita, actio ac censura, vitæ actioni ac censuræ eorum, qui principantur & gubernant: & propterea indignos regimine ac curia iudicant viros tam integros.

Irrisio insterum perfectorum. Confertur cũ titione.

Vers. 6.

ABVNDANT TABERNACVLA PRÆDONVM. Iuxta Hebræum habetur, *Pacificabunt tentoria prædonum.* Quia Hebræi pacis nomine significant salutem, ideo salutem in domibus prædonum significant per *pacificare*, & e regione iustorum perfe

Pax, pro salute apud Hebræos.

perfectorum qui irridentur, ponit prædones cum domorum pace. ET AVDACTER PROVOCANT DEVM, QVVM IPSE DEDERIT OMNIA IN MANVS EORVM. Iuxta Hebræum habetur, *& securitates irritantibus El, quibus adduxit Eloah in manu sua.* E regione Religiosorum qui irridentur, ponit securitatem irritantium Deum fortem, quibus irritantibus Deus gubernator omnium manu, (hoc est, operatione) propria attulit bona quæ habent. ita quòd etiam ingratitudinis erga Deum notantur isti.

Manus, pro operatione.

Vers. 7. NIMIRVM INTERROGA IVMENTA, ET DOCEBVNT TE. Hebraicè habetur, *Et profectò interroga bestias, & docebit te.* Vide contextum. narrauit iustorum miseriam, & iniquorum prosperitatem in hac vita: subiungit modò rationem suadentem quòd disparitas ista est quidem à Deo, sed non propter merita iustorum, & iniquorum: respondens per hoc directè ad sententiam Zophar, qui dixerat quòd ex occultis in diuina sapientia rationibus propter merita hominum fiebant hæc à Deo. Ratio autem Iobis consistit in hoc, quòd tam vegetabilia, quàm animalia in terra, aëre & aquis testantur quòd summus Deus dat bona & mala, non propter merita eorum, quibus dat. ad hoc enim citat vegetabilia & animalia, quia perspicuum est quòd illis non propter eorum merita Deus dat bona & mala. Ait itaque, *Interroga bestias, & docebit te* multitudo earum: hoc est, inquire perspicaciter bona & mala in bestiis, & multitudo earum docebit te materialiter & obiectiuè. relucet enim in eis bonum & malum vt Dei effectus non propter earum merita. Et eodem sensu intellige subiuncta de auibus, & arboribus, & piscibus. ET VOLATILIA COELI, ET INDICABVNT TIBI.

Deus dat bonum, & malum, non propter vllius meritum, sed proprio arbitrio.

Vers. 8. LOQVERE TERRÆ. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Vel arborem terra.* subauditur enim, interroga. ET RESPONDEBIT TIBI, ET NARRABVNT TIBI PISCES MARIS.

Vers. 9. QVIS IGNORAT QVOD MANVS DOMINI OMNIA HÆC FECERIT? Iuxta Hebræum habetur, *Quis nesciuit in omnibus istis, quòd manus Iehouah fecit hoc?* Vbi clarè videre potes Iobem concludere quòd quilibet videt in omnibus istis vegetabilibus & animalibus quòd manus Dei fontis essendi fecit hoc quod narraui, videlicet quòd quandoque iusti affliguntur, & iniqui prosperantur, non propter eorum merita. hæc enim notitia elicitur ex bono & malo in omnibus istis vegetabilibus & animalibus.

Vers. 10. IN QVIVS MANV ANIMA OMNIS VIVENTIS, ET SPIRITVS VNIVERSÆ CARNIS HOMINIS. Ratio redditur argumenti facti à bono & malo in animalibus & arboribus ad bonum & malum in hominibus. Et consistit ratio in hoc, quia in manu Dei est tam anima omnis viuentis (hoc est, animalium, & vegetabilium) quàm spiritus vniuersæ carnis hominis. quanuis enim non parua disparitas sit inter bonum & malum in hominibus, & bonum & malum in animalibus, & vegetabilibus, si consideretur ista disparitas ex parte naturarum diuersarum (hinc humanæ, ratione & libero arbitrio pollentis, inde irrationalium omnium) si tamen secundùm diuinam manum, hoc est, potestatem, consideretur, æqua est ratio inferendi bonum & malum vtrisque, rationalibus scilicet, & irrationalibus. & propterea Iob procedit ex parte manus diuinæ, ad inferendum quòd Deus quandoque confert hominibus malum absque eorum merito, sicut confert irrationalibus.

NONNE AVRIS VERBA DIIVDICAT. Proposita responsione ad Zophar, quia responsio fundata est super inquisitione eorum quæ fiunt à Deo inuegetabilibus animalibus & hominibus, ideo Iob subiungit modum quo notitia ista communis est viris doctis. dixerat enim, quis non sciuit in ominibus istis quòd manus Iehouah fecit hoc? & propterea ad verificandum quod dixerat, manifestat modum quo communiter habetur hæc notitia. Accedit quoque ad hoc intentio supplendi minus dicta à Bildad *in cap.* 8. monente Iobem vt interrogaret generationem antiquam. explicat siquidem Iob duos esse modos quibus habetur huiusmodi notitia: quorum alter est per disciplinam, alter per inuentionem. Et modus quidem sciendi per disciplinam, explicatur dicendo, *nónne auris verba discernit?* auditus enim est sensus disciplinæ, quia per ipsum præcipuè discimus à docentibus medio sermone. Modus autem sciendi per inuentionem, subiungitur, dicendo, ET FAVCES COMEDENTIS SAPOREM. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *& gutturi cibus sapiet?* Sensatio siquidem rerum sensibilium, initium est inuentionis: & est nihilominus terminus resolutionis nostri intellectus. nam quæ intellectus non potest resoluere vt testificata à sensibilibus, non sunt nobis euidentia: & propterea Iob modum sciendi per inuentionem à sensatione saporum in cibo descripsit.

Sciendi duplex modus.

Auditus, disciplina sensus.

Vers. 11.

Vers. 12. IN ANTIQVIS EST SAPIENTIA, ET IN MVLTO TEMPORE PRVDENTIA. Iuxta Hebræum habetur, *& in longitudine dierum intelligentia.* Primum spectat ad modum disciplinæ: secundum autem ad modum inuentionis. manifestat siquidem Iob quòd nostrum discere pendet à senibus tanquam doctoribus, & quòd scire per inuentionem est in longitudine dierum, hoc est, in hominibus diu viuentibus: quia inuentio exigit intelligentiam, hoc est, intellectum in statu perfecto: constat autem quòd intellectus præcipuè viget in antiquis. Et ex his omnibus declarat Iob modum quo notitiam de diuinis operibus habemus, videlicet, vel discendo ab antiquis, vel inueniendo in longitudine dierum. & hunc vltimum modum omiserat Bildad, & intendit per hæc insinuare quòd vtroque modo ipse habet notitiam diuinorum.

Notitiam diuinorum operum habendi modus quo.

Vers. 13. APVD IPSVM EST SAPIENTIA ET FORTITVDO: IPSE HABET CONSILIVM ET INTELLIGENTIAM. Declarato modo sciendi diuina opera, declarat modum quo Deus efficit sua opera. Et oportuit hoc declarare, ne putaretur quòd Deus esset agens per modum naturæ, efficiendo bona & mala rebus sine earum meritis: quemadmodum sol aliquibus prodest, & aliquibus nocet absque eorum meritis. Dicit itaque quòd Deus est agens à proposito, vtpote in quo est intelligentia penetrans omnia & singula, & sapientia ordinans omnia & singula, & consilium inuentiuum omnium & singulorum, & fortitudo executiua efficacissimè omnium & singulorum. Et per hæc simul texit Iob propositum suum ad prosequendum sermonem popularem, vt in principio capituli promiserat, dicendo, *& mihi est cor sicut & vobis.* nam ad manifestandum hæc quattuor esse in Deo, subiungit

Deus quo modo opera sua efficiat.

subiungit sermonem popularem incomparabiliter maiorem plebeio sermone tam Zophar, quam aliorum sociorum.

Vers. 14. *Fortitudinis diuinæ opera circa genus humanum sua.*

SI DESTRVXERIT, NEMO EST QVI ÆDIFICET. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce diruet, & non ædificabitur.* Incipit à fortitudine: & primum diuinæ fortitudinis opus affert diruere non qualitercumque, sed cum tali efficacia quòd dirutum nunquam ædificabitur. hoc enim opus excedit omnem virtutem tam humanam, quam angelicam, propriúmque est fortitudini diuinæ. Et quamuis sententia hæc vera sit applicata ad quamcunque materiam, contextus tamen immediate subiuncti operis insinuat quòd ad literam est sermo de homine. ita quòd sensus est, Ecce diruet hominem, & non ædificabitur. Sæpe autem videmus hominem dirui vel in progenie, vel in regno, ita quòd nunquam resurget. SI INCLVSERIT HOMINEM, NVLLVS EST QVI APERIAT. Iuxta Hebræum habetur, *claudet super virum, & non aperietur.* Nulla coniunctio intercedens inter primum opus & hoc, inter diruere & claudere, quum claudere terminetur ad hominem, testatur quòd etiam diruere terminatur ad hominem. Alterum itaque opus fortitudini diuinæ proprium narratur circa hominem, concludere videlicet hominem ita quòd à nullo potest aperiri. Et hoc quoque sæpe apparet, dum hominem in seipso conclusum ratione aliqua sibi apparente videmus, sic quòd impersuasibilis est ad verum, seu bonum. Et hoc quidem opus circa animæ libertatem, primum verò circa corporea & externa hominis bona versatur.

Vers. 15. SI CONTINVERIT AQVAS, OMNIA SICCABVNTVR: ET SI EMISERIT EAS, SVBVERTENT TERRAM. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce retinebit aquas, & siccabuntur ipsæ: & mittet eas & fuerunt reuolutæ super terram.* quamuis in Hebræo non habeatur Præpositio *super*. Prosequitur fortitudinis diuinæ opera. priùs enim circa genus humanum, modo autem circa elementa affert diuinæ fortitudinis opus duplex. alterum retentiuum aquarum, cum tanta efficacia, quòd siccabuntur ipsæ aquæ, eo modo quo dicimus exiccatos puteos, fluuios, & huiusmodi: alterum emissiuum aquarum, ita quòd reuoluantur super terram operientes eam. hæc enim solus Deus potest.

Circa elementa sua.

Vers. 16. APVD IPSVM EST FORTITVDO ET SAPIENTIA. Iuxta Hebræum habetur, *Cum eo fortitudo & decretum.* Resumit quattuor priùs dicta, videlicet fortitudinem, sapientiam, consilium & intelligentiam. sed aliter: quia tria (videlicet sapientiam, consilium & intelligentiam) resumit sub vno nomine, dicendo, *& decretum.* Ad decernendum siquidem de tanta varietate humanarum actionum concurrunt sapientia, consilium & intelligentia. & propterea explicaturus simul Iob opera sapientiæ, consilij & intelligentiæ diuinæ circa homines, resumit hæc tria sub nomine *decreti*: fortitudinem autem resumit tum ad insinuandum prædicta opera spectare ad fortitudinem, tum præcipuè ad insinuandum quòd subiuncta opera spectant ad decretum non qualitercunque, sed cum efficaci executione, quæ ad fortitudinem spectat. IPSE NOVIT ET DECIPIENTEM, ET EVM, QVI DECIPITVR. Iuxta Hebræum habetur, *ei errans, & faciens errare.* Pronomen *ei* demonstrat Deum. & est sensus quòd ipsius Dei tanquam decernentis cum efficacia, est vterque, videlicet errans & faciens errare. Et sub istis duobus generibus comprehendit omnia subiuncta. more siquidem solito proponit summarie quæ subiunctatus est, distinguendo per partes.

ADDVCIT CONSILIARIOS IN STVLTVM FINEM. Iuxta Hebræum habetur, *Ducit consiliarios in prædam.* Incipit supputare facientes errare, inchoando à *consiliariis*. & de illis dicit quòd Deus ducit eos in prædam, hoc est, efficit vt agantur tanquam ducti in prædam. Consiliariorum siquidem est agere alios: sæpe autem aguntur à passionibus timoris, vel cupiditatis, vel inuidiæ, & huiusmodi, & faciunt errare alios. Et hoc effici à Deo dicit Iob: & appellat ducere consiliarios in prædam, eo quòd in huiusmodi assimilantur consiliarij iis qui ducuntur in prædam, eo quòd aguntur captiuati à passionibus. Vers. 17. *Facientium errare genera.* 1. *Consiliariorum.* *Consiliariorum similitudo cum ductu in prædam.*

ET IVDICES IN STVPORIM. Iuxta Hebræum habetur, *& iudices faciet insanire.* Secundum genus facientium errare describitur nomine *iudicum*, qui sæpe insaniunt, officio iudicis abutendo. Et hoc quoque diuino decreto attribuit Iob. 2. *Iudicum.*

BALTEVM REGVM DISSOLVIT, ET PRÆCINGIT FVNE RENES EORVM. Iuxta Hebræum habetur, *Ligamen Regum aperuit, & liganit cingulum in lumbos eorum.* Tertio loco inter errare facientes supputantur *Reges*, quorum sæpe vincula, quibus alios detinent, inuito Rege soluuntur, & Reges ipsi in vincula rediguntur. Describit autem captiuitatem Regum per cingulum in renibus, quia sic solent equitantes captiui nobiles duci alligati sellis equorum. Vers. 18. 3. *Regum.* *Regum captiuitas describitur per cingulum in renibus.*

DVCIT SACERDOTES INGLORIOS. Iuxta Hebræum habetur, *Ducit Sacerdotes in prædam.* Quarto loco *Sacerdotes* collocantur inter errare facientes. & idem dicit de Sacerdotibus quod dixerat de consiliariis: quoniam simile est vtrorumque officium. consiliariorum siquidem est agere alios ad bonum, Sacerdotum verò est agere alios ad Deum: & sæpe Sacerdotes aguntur vel auaritia, vel aliis vitiis ad auertendum alios à Deo, quod etiam diuinæ attribuitur prouidentiæ. Vers. 19. 4. *Sacerdotii.*

ET OPTIMATES SVPPLANTAT. Iuxta Hebræum habetur, *& fortes flectit.* Quinto loco *potentes*, qui pollent fortitudine animi, inter facientes errare scribuntur: qui sæpe declinant ab animi fortitudine, flexi occasione aliqua. & hoc quoque Deo tribuitur. 5. *Potentum.*

COMMVTANS LABIVM VERACIVM. Iuxta Hebræum habetur *removens*. Sexto loco inter errare facientes scribuntur *veraces tacentes*. attribuitur siquidem Deo quòd tollit eis labium, hoc est, locutionem quæ fit per labia. Vers. 20. 6. *Veracium tacentium.*

ET DOCTRINAM SENVM AVFERENS. Iuxta Hebræum habetur, *& saporem senum auferet.* Septimo loco *senes sine sapore*, inter errare facientes supputantur. Nec est perspicuum an sit sermo de sapore senum in seipsis, an de sapore qui à senibus diffunditur in alios, hoc est, an de ratione, an de consilio. vtrouis autem priuati senes, authores sunt erroris. 7 *Senum sine sapore.*

EFFVNDIT DISPECTIONEM SVPER PRINCIPES. Iuxta Hebræum habetur, *nobiles*. Expedito genere facientium errare, tractat genus errantium. inter quos primum supputat *Nobiles*, super quos errantes Deus effundit despectionem, vt scilicet despiciantur ab aliis. Vers. 21. *Errantium genera.* 1. *Nobilium.*

ET EOS QVI OPPRESSI FVERANT RELEVAT. Iuxta Hebræum habetur, *& fortitudinem fortium debilitat. Fortes viribus corporis* errantes, debilitati describuntur secundo loco. 2. *Fortium viribus corporis.*

Qui

Vers. 21. 3 occulto-rum tuâ de.

QVI REVELAT PROFVNDA DE TENEBRIS. *Occulta valdè*, hoc est, latentia in cordibus vtpote non solùm in profundo loco, sed etiam in tenebris, hoc est, absque notitia sita inter errantes supputantur: & dicitur quòd Deus detegit ea. Sæpe enim huiusmodi occultatio est cæci. ET PRODVCIT IN LVCEM VMBRAM MORTIS. Vmbra mortis horribilia pericula quæ latent, quarto loco scribuntur. erant enim machinantes talia, & Deus sæpe manifestat ea.

4 Vmbra mortis, horribilium periculorum, quæ latent.

Vers. 23. 5 Errantium gentium multiplicationis ingratæ. 6 Necconstitutum

QVI MVLTIPLICAT GENTES, ET PERDIT EAS. Errantes gentes beneficio multiplicationis ingratæ, perimuntur sæpe à Deo. ET SVBVERSAS IN INTEGRVM RESTITVIT. Iuxta Hebræum habetur, *extendens gentibus, & duxit eas.* Sexto loco errantes gentes non contentas propriis sedibus ponit. extendere enim quærunt loca sibi, & Deus ducit eas ad alia loca occupandum.

Vers. 24.

7 Cæcitas mentis.

QVI IMMVTAT COR PRINCIPVM. Iuxta Hebraeum habetur, *Removens cor capitum populi terræ.* Septimo loco inter errantes, capita populi supputantur, pauentia tanquam absque corde. ET DECIPIT EOS VT FRVSTRA INCEDANT PER INVIVM. Iuxta Hebræum habetur, *& facit errare eos in vacuo non via.* A tribus declarat errorem capitum populi. Primùm a loco vacuo, & sine via, hoc est, inhabitato & absque via aliqua in eo. Secundò ab obscuritate, subiungens iuxta Hebræum, *Palpabunt obscuritatem, & non lucem.* Et hinc habes quòd metaphoricus est sermo iste. perspicuum est enim quòd vagatio diuturna in solitudine inuia, est etiam in die lucente sole. De vaga igitur mente per vanas rationes sine via (hoc est, sine medio ducente ad veritatem) est sermo. & adijcitur quòd tanquam palpantes obscura loca absque lucis adminiculo, incedent in affectibus & progressibus suis, hæsitantes an impingant, an recte progrediantur. Et adiungitur tertium, dicēdo, ET ERRARE EOS FACIET QVASI EBRIOS. Non solùm timor impingendi, sed insania in ijsdē pro pœna defectibitur instar hominis ebrij. Et si quæritur modus quo tot enumerata tam in facientibus errare, quàm in errantibus efficiuntur à diuina prouidentia, in promptu est responsio quòd quatenus sunt mala culpæ, fiunt negatiuè (hoc est, non dando gratiam,) quatenus autem sunt mala pœnæ, fiunt positiuè: ita quòd etiam ipsa peccata quatenus pœnalia, ordinantur positiuè a Deo in pœnam non solum peccantis, sed quandoque etiam aliorum.

CAPVT XIII.

Vers. 1.

ECCE OMNIA HÆC VIDIT OCVLVS MEVS, AVDIVIT AVRIS MEA. Completo sermone plebeio, subiungit se non dixisse hæc, nescijendo illa, sed partim vidisse & partim audisse diuinos effectus narratos superiùs. ET INTELLEXI SINGVLA. Iuxta Hebræum habetur, *& intellexit sibi.* Et quia pronomen *sibi* fœminini est generis, demonstrat autem. Et est sensus quod audita penetrauit intellectu. intendit enim quòd non solum vijs, sed etiam audita intellexit esse effecta à Deo. Et propterea subiungit,

Vers. 2.

SECVNDVM SCIENTIAM VESTRAM NOVI ETIAM EGO: NON INFERIOR VOBIS SVM. non tantùm se scire, quam illos se explicat, quia tamen præterire se potuisset illis.

Vers. 3.

SED TAMEN AD OMNIPOTENTEM LOQVAR. Patui retulit quòd Hebraice habetur, *Profectò ego ad Sadai loquar.* Affirmatus Iob se satisfecisse obiectionibus sociorum, & videns eos alienos à veritate, dicit se alloquuturum Deum, tam ad explicandum quòd absque fictione aliqua erat sermo eius: tum ad arguendum socios quod non veridicè disputarent. Et propterea subdit, ET DISPVTARE CVM DEO CVPIO. Quod iuxta Hebræum scribitur, *& disputare ad El volunt.* non sunt ex parte intentionis præfumentis verba hæc: sed manifestantis vt dictum est. tum puritatem sermonis sui, tum quales cupiat esse disputantes secum, videlicet secundum Deum veræ ac vtilis doctrinæ. hunc enim sensum subiuncta insinuant, quamuis speciem præsumptionis verba præ se ferant.

Vers. 4.

PRIVS VOS OSTENDENS FABRICATORIS MENDACII, IT CVITORES PERVERSORVM DOGMATVM. Iuxta Hebræum habetur, *Et profectò vos assarcientes falsitatis: sanatores nihilii omnes vos.* Necessitas disputandi cum Deo declaratur, ex eo quòd ipsi socij Iobis nec veridici, nec vtiles sunt, sed proferunt falsam doctrinam, & sanant nihil. hinc enim cogitur Iob ad dirigendum sermonem suum ad Deum qui vincit omnia, & ad disputandum cum Deo fortissimo omnium: quoniam non nisi veritatem & vtilitatem quærit. Vtrumque siquidem à Deo sperat, & neutram à socijs; quia omnes dicebant falsum, scilicet quod Iob afflictus erat à Deo propter peccata propria. Et Zophar addiderat duo, alterum quod minus punirebatur Iob, quàm mereretur: alterum quòd in scientia Dei latebant peccata Iobis, propter quæ punitus est. falsa enim erant hæc, & consequenter non sanabant animum Iobis percussum mœstitia.

Iob amicos suos exijt, eũ verbis conpu-tans, à Deo arguendos asserit.

ATQVI VTINAM TACVISSETIS, VT PVTARE-MINI ESSE SAPIENTES. Sententia rectè reddita, & veræ amicitiæ desiderium panditur.

Vers. 5.

AVDITE ERGO CORRECTIONIS MEAE. Iuxta Hebræum non habetur *ergo*, sed *nunc*. Et dictio interpretata *correctionem*, rectius forte interpretaretur *disputationem*. eadem enim est dictio quæ interpretata est *disputare*, quam aliunde proprie significare *reprehensionem*, sed extenditur ad disputationem. ET IVDICIVM LABIORVM MEORVM ATTENDITE. Iuxta Hebræum habetur, *& lites labiorum meorum auscultate.* Lites appellat partes disputationis futuræ cum Deo.

Vers. 6.

Vocat de disputatione cum Deo.

Vers. 7.

NVNQVID DEVS INDIGET VESTRO MENDACIO. Iuxta Hebræum habetur, *Numquid El loquemini iniquitatem*, & est dativi casus *El*. Et est sensus, numquid in fauorem Dei loquemini iniquitatem: quasi dicat, absit. ex eo namque quod isti socij Iobis loquebantur tanquam patrocinantes causæ Dei aduersus Iobem dicentem se afflictum à Deo plusquam mereretur peccatis suis, monet eos Iob vt caueant vitium. Ad vocem autem. VT PRÒ ILLO LOQVAMINI DOLOS? Iuxta Hebræum habetur, *& ei loquemini dolum?* Et est similis sensus, & in fauorem eius loquemini dolum: quasi dicat, absit. in fauorem siquidem Dei nihil iniquum dicendum est: quia odio habet Deus iniquitatem. & similiter nullo modo dictio vtilis dum est in fauorem Dei, qui est fons veritatis. Et dixit etiam hæc Iob ad verecundandos eos.

Vers.

dixerat, videlicet eos adhærere falsitati, & nihil sanare, quia amici eius tanquam defensores diuinæ iustitiæ loquebantur & iniquum & dolum. iniquum quidem, iniuriantes Iobi, dicendo eum vitium multorum scelerum: dolum autem fingendo quòd Deus non affligit aliquem nisi pro peccato eius. Et in his duobus tangit Iob duo vitia Aduocatorum, alterum quo iniustum fingunt, alterum quo mentiuntur patrocinando.

Vers. 8. NVNQVID FACIEM EIVS ACCIPITIS. Parui refert quòd iuxta Hebræum habetur, *eleuabitis*: quod enim solemus nos appellare *acceptionem personæ*, Hebræi dicunt *eleuationem faciei*. & nos quidem, quia non causam, sed personam in iudicio suscipimus, appellamus vitium hoc acceptionem personarum: illi autem appellant eleuationem faciei, quia deprimitur causa, & eleuatur facies hominis, hoc est, id quod apparet de homine. Tertium itaque vitium Aduocatorum non respicientium ad causam, sed ad id quod apparet de persona, & patrocinantur siue iustè, siue iniustè, prohibet dicendo, nunquid faciem eius (Dei videlicet) eleuabitis? hoc est, nunquid posthabentes causam iniustam cui patrocinamini, respicietis ad hoc duntaxat, quia loquimini in fauorem Dei? ET PRO DEO IVDICARE NITIMINI? Iuxta Hebræum habetur, *nunquid El litigabitis?* & est datiui casus *El*. Et est sensus, nunquid in fauorem Dei fortis litigabitis, assumendo litem pro eo? quasi dicat, nequaquam: quia quamuis in apparentia disputetis pro diuina iustitia, secundùm tamen veritatem contra diuinam prouidentiam loquimini.

Eleuatio faciei, id est, persona accepta.

Vers. 9. AVT PLACEBIT EI QVIA CLARE NIHIL POTEST. Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid bonum quòd quæret vos?* Irrisorie dicit, nunquid bonum vtile est Deo quòd quærat vos ad patrocinandum causæ suæ. AVT DECIPIETVR VT HOMO VESTRIS PRAVDVLENTIIS? Iuxta Hebræum habetur, *nunquid sicut illudere homini illudetis ei?* Aduocati quandoque illudunt homini habenti causam iniustam, suadendo quòd defendent eam, & vincent. Et hoc vitium non posse habere locum in causa Dei, explicat Iob dicendo, nunquid sicut contingit illudere homini promittendo patrocinium ignotæ illi causæ, illudetis Deo? quasi dicat, hoc est impossibile, quia Deum nihil latet.

Vers. 10. IPSE VOS ARGVET, QVONIAM IN ABSCONDITO FACIEM EIVS ACCIPITIS. Parui refert quòd iuxta Hebræum habetur, *Castigando castigabit vos, si in occulto faciem eleuabitis.* Nec habetur in Hebræo *faciem eius*, sed *faciem*, absque Pronomine alterius. Et est sensus quòd Deus quando erit tempus puniendi punier vos, si peccabitis etiam occulte, spectando non ad causam, sed ad personam cuiuscunque, siue hominis, siue Dei. Et quum tot vitia præmiserit patrocinantium, subiunxit solius istius vitij punitionem: quia putauit habere rationem Dei, patrocinando cuicunque causæ.

Vers. 11. STATIM VT SE COMMOVERIT, TVRBABIT VOS, ET TERROR EIVS IRRVET SVPER VOS. Iuxta Hebræum habetur vnica oratio ex istis & subiunctis, & legitur, *Si non celsitudo eius terrebit vos, & pauor eius cadet super vos.*

Vers. 12. MEMORIA VESTRA COMPARABITVR CINERI, ET REDIGENTVR IN LVTVM CERVICES VESTRÆ. Iuxta Hebræum habetur, *Recordationes vestræ similitudines cineris: corporibus luti corpora vestra.* Dixerat quòd Deus castigaret eos: subiungit quòd si non reuerentur ac timent Deum, contineat saltem eos propria conditio, videlicet quòd verterentur in cinerem, & nunc propria corpora sunt similia corporibus luteis. Et quidem quòd verterentur in cineres, significat dicendo, *recordationes vestræ similitudines cineris.* post mortem enim memoriæ hominum remanentes in cadaueribus, remanent tanquam in cineribus eorum. Quòd verò corpora humana similia sint corporibus luteis, significat dicendo, *corporibus luti corpora vestra.* subauditur enim similitudo antedicta. Et verè corporibus luteis quæ fiunt à figulis, similia sunt corpora nostra, quia de puluere terræ formata sunt.

Corpora humana corporibus luteis similata.

Vers. 13. TACETE PAVLISPER. Iuxta Hebræum habetur, *Tacete de me.* Postquam monstrauit Iob necessitatem disputandi cum Deo, & deinde monuit socios præ se ferentes patronos causæ Dei: subiungit consequenter quo animo, quaue intentione disputaturus est. Et quoniam amici eius interpretabantur verba Iobis tum tanquam desperati, tum tanquam præsumptuosi ac irritantis Deum, ideo monet eos vt taceant de ipso Iobe, hoc est, de intimis eius, de animo & intentione eius. VT LOQVAR QVODCVNQVE MIHI MENS SVGGESSERIT. Iuxta Hebræum habetur, *& loquar ego: & transibit super me quicquid.* Quia nemo nouit intima hominis nisi ipsemet, ideo Iob rationabiliter dicit, *tacete* vos *de me, & loquar ego* de me, & eueniat mihi quicquid euenerit: quasi dicat, relinquite mihi curam mei, eueniat mihi quodcunque sit illud.

Vers. 14. QVARE LACERO CARNES MEAS DENTIBVS MEIS, ET ANIMAM MEAM PORTO IN MANIBVS MEIS? Iuxta Hebræum habetur, *Super quo eleuabo carnem meam in dentibus meis, & animam meam ponam in manu mea?* Metaphoricus est sermo. actiones desperati scribuntur, videlicet mordere carnes proprias, & exponere vitam suam periculo mortis, sicut qui poneret vitam in manu facilè perdendam. Et intendit per hoc dicere, propter quam rationem ego desperabo? manifestat siquidem animum suum non desperare, vt amici interpretabantur.

Vers. 15. ETIAM SI OCCIDERIT ME, IN IPSO SPERABO. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce occidet me, non sperabo:* Ita iacet in litera Hebraica: quamuis Hebræi in margine scribant loco negationis Pronomen *ei*: & interpres antiquus non textum, sed scriptum in margine interpretatus est in vulgata æditione. Et licèt secundùm verba magna sit differentia: sensus tamen in idem redit, legendo interrogatiuè, *non sperabo?* significatur enim quòd non perdata spem, etiam si nunc occiderit me. Dicendo namque, *ecce occidet me*, demonstrat occisionem præsentem: & cum ea affirmat se perseueraturum in spe. vt per hoc intelligerent amici ipsum Iobem tam remotum à desperatione, vt etiam si Deus nunc occideret ipsum, non perderet spem. Et per hoc immutat spem suam tendere ad alteram vitam. VERVNTAMEN VIAS MEAS IN CONSPECTV EIVS ARGVAM. Iuxta Hebræum habetur, *tantum: iudicium meum in conspectu eius disputabo.* eadem siquidem dictio scribitur hic quæ superiùs interpretata est *disputare*: & clarum est quòd præsenti contextui quadrat vt interpretetur *disputabo.* Excluſa enim desperatione, excludit consequenter præsumptionem in futura disputatione: manifestando

Iobis spes de vita futura, non de præsenti.

festando quòd non vias Dei, sed vias proprias duntaxat disputabit. & rursus quòd illas disputabit in conspectu Dei, hoc est, veraciter absque fictione aliqua: vtpote coram Deo qui videt omnia.

Vers. 16. ET IPSE ERIT SALVATOR MEVS. Parui refert quòd iuxta Hebræum habetur, *Etiam mihi ipse in salutem.* Non solùm à præsuppositionis vitio excusat disputationem suam, sed etiam gratam Deo fore explicat ab effectu, quia ex hoc Deus erit ei in salutem. Et rationem subdit. NON ENIM VENIT IN CONSPECTVM EIVS OMNIS HYPOCRITA. Ex sua veracitate ostendit disputationem suam fore in conspectu Dei, & gratam illi. quia nullus hypocrita locum habet, aut gratiam in conspectu Dei.

Hypocrisis reijcitur.

Vers. 17. AVDITE SERMONEM MEVM, ET ÆNIGMATA MEA PERCIPITE AVRIBVS VESTRIS. Iuxta Hebræum habetur, *& annuntiationem meam in auribus vestris.* promittit enim indicare eis quæ nesciunt.

Vers. 18. SI FVERO IVDICATVS, SCIO QVOD IVSTVS INVENIAR. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce nunc ordinaui iudicium: noui quod ego iustificabo.* Ecce nouum annuntiatum. ecce, inquit, ordinaui nunc iudiciariam telam in disputatione mea cum Deo, & noui quòd ego iustificabo, hoc est, iustam faciam causam meam.

Vers. 19. QVIS EST QVI IVDICETVR MECVM, VENIAT. Iuxta Hebræum habetur, *Quis ipse litigabit mecum?* Non sunt verba inquirentis, quis est litigaturus secum, sed honorantis & reuerentis Deum cum quo est disputaturus. declarata enim mente propria, Iob subiungit moderamen quod cupit seruari ex parte Dei disputantis secum. Et intendit quòd si cum Iobe litigabit Deus simpliciter & absolutè, non intendit Iob disputare cum Deo: si autem Deus moderetur duo (malum videlicet, & terrorem) sic Iob disputabit cum Deo. De Deo itaque simpliciter & absolutè, ait honorando, & timendo. qui litigabit mecum, quis ipse? quasi dicat, excellentissimæ & ineffabilis est naturæ, potentissimus & terribilis. Et propterea subdit, QVARE TACENS CONSVMOR? Iuxta Hebræum habetur, *quia nunc tacebo, & consumar.* Ideo dico, *quis ipse* quia non disputabo cum ipso, sed tacebo territus ab eo, & consumar à potentia eius.

Vers. 20. DVO TANTVM NE FACIAS MIHI. Deum cum moderamine duarum actionum petit condisputatorem, dicendo, ET TVNC A FACIE TVA NON ABSCONDAR. Instar enim abscondentis se à facie hominis terribilis & potentis, describit seipsum si Deus absolutè disputaret cum eo. & propterea ab oppositio, ad instar non abscondentis se à facie Principis promittit seipsum si Deus moderetur duo subiuncta.

Vers. 21. MANVM TVAM LONGE FAC A ME: ET FORMIDO TVA NON ME TERREAT. Ecce duo moderamina quæ petit, quæ in calce quoque capituli noni petierat. supplicat enim vt Deus non vtatur potentia sua ad affligendum ipsum, quia potest: & similiter quòd maiestas eius non exhibeat se terribilem Iobi, quia terribilis est. tam territus siquidem homo, quam valde afflictus, non potest disputare.

Vers. 22. ET VOCA, ET EGO RESPONDEBO: VEL LOQVAR, ET RESPONDE MIHI. Præsuppositis his moderaminibus, dat Deo Iob in disputationem optionem, vt vel Deus proponat, & Iob respondeat, vel Iob proponat, & Deus respondeat. quod maximæ scientiæ arrogantiam sonat: qui enim dat optionem alteri arguendi, vel respondendi, sentit seipsum sufficientem ad vtrumlibet, & parui æstimare videtur condisputaturum. Et Iob quidem quamuis non animo paruipendendi Deum hanc optionem dederit, verba tamen arrogantia sunt, & scandalosa: propter quod à Deo in calce reprehenditur de arrogantibus sermonibus.

Vers. 23. QVANTAS HABEO INIQVITATES. Iuxta Hebræum habetur, *Quanta mihi iniquitates, & peccata?* & subauditur, *imponuntur.* Inchoat Iob disputationem cum Deo: & quia Deus non elegit personam proponentis, ipse Iob proponit.

Iob disputationem cum Deo inchoat.

Vbi aduerte prudens Lector, quòd quia Zophar *in cap.* 11. dixerat quòd propter occulta apud Deum peccata Iobis affligebatur Iob, ideo directè contra hanc sententiam Zophar, petit Iob à Deo manifestari sibi huiusmodi peccata: absurdum reputans quòd Deus puniat eum, & occultet peccata propter quæ punit eum. iniquum enim videtur quòd iudex puniat aliquem non indicando ei causam punitionis. Dictio interpretata *quanta*, communis est ad quantitatem numeri, & ad quantitatem magnitudinis. ait itaque Iob admirando & resumendo obiecta à Zophar, quantæ mihi iniquitates & peccata imponuntur: Et dictio interpretata *iniquitates*, significat peccata quæ studiose fiunt: dictio autem interpretata *peccata*, significat peccata quæ ignoranter fiunt. SCELERA MEA ATQVE DELICTA MEA OSTENDE MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *rebellionem meam & peccatum meum fac scire me.* Dictio interpretata *rebellionem*, significat peccata quæ fiunt cum contemptu. Iob qui nunquam commiserat rebellionem, nunquam peccauerat ex contemptu, dicit *rebellionem meam* non falsò: quia subauditur, *de qua accusor.* petit enim vt tam grauia, quàm minora peccata pro quibus dicitur puniri, notificentur sibi à Deo iudice affligente illum propter hæc crimina, vt Zophar dixit. vt ex hoc ipso quòd Deus affligens eum non notificat ei huiusmodi ignota crimina quæ obiecta sunt, intelligatur falsum esse quòd Deus afflixit Iobem propter peccata Iobis ignota tam Iobi, quàm aliis latentia in diuina scientia, quod Zophar dixerat.

Iniquitates & peccata differunt.

Vers. 24. CVR FACIEM TVAM ABSCONDIS, ET ARBITRARIS ME INIMICVM TVVM? Iuxta Hebræum futuri temporis sunt verba, *abscondes, & numerabis.* Duas rationes propter quas occultat quandoque iudex reo causam punitionis tangit, ad excludendum eas à Deo: vt sic liqueat falsum esse quòd occultet Deus peccata Iobis, propter quæ punite illum dicitur. Prima ratio est quum Princeps puniens supputat eum, quem punit inter inimicos suos. tunc enim nec audit illum, quia non meretur, vtpote inimicus. Et huiusmodi rationem inimicitiæ excludens à Deo, dicit, *cur faciem tuam abscondes*, ad non audiendum me, *& numerabis me inimicum tibi?* quasi dicat, nulla subest ratio quòd tu supputes me inter inimicos tuos, & instar abscondentis seipsum nolis me audire petentem notificari mihi causam punitionis.

Ecce ... CONTRA

CONTRA FOLIVM QVOD VENTO RAPITVR OSTENDIS POTENTIAM TVAM, ET STIPVLAM SICCAM PERSEQVERIS. Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid folium impulsum franges, & paleam ſiccam perſequeris?* Altera ratio eſt cum Princeps puniens pro nihilo habet punitionem, ſeu punitum. tunc enim contemnit notificare reo cauſam punitionis. Et huiuſmodi rationem excludens à Deo, aſſumit ſimilitudinem frangentis arboris frondem impulſam, hoc eſt, quæ cecidit: nam fractio frondis impulſæ, pro nihilo habetur & ſimiliter perſecutio paleæ ſiccæ quæ à vento propellitur, actio vana eſt quæ pro nihilo reputatur. Ait itaque, nunquid affligendo me, folium impulſum franges, & paleam ſiccam perſequeris: quaſi dicat, nequaquam: quia nec vanam, nec pro nihilo reputas afflictionem qua me affligis, nec me reputas vt paleam ſiccam, aut folium impulſum. Collige prudens Lector ex iſtis Iobem iuſtificare cauſam ſuam cum Deo, in hoc quòd niſi Deus notificet ei peccata, pro quibus dicitur affligi, Deus reputat Iobem inimicum, aut pro nihilo. Et verè ſententia iſta arrogantis eſt debere ſibi manifeſtationem cauſæ pro qua punitur: immo arrogantis ſibi notitiam impuratorum ſibi peccatorum, & quòd non pro illis punitur ſcientis. nam opera Dei tanquam hominis opera penſat: Deus autem altiori ratione occultat quandoque peccatum pro quo punit. vnde in calce Iob veniam petet de huiuſmodi arrogantibus verbis.

Verſ. 26. SCRIBIS ENIM CONTRA ME AMARITVDINES. Parui refert quòd iuxta Hebræum habetur, *ſuper me*. Aduerte quòd duo officia ſimul intendit Iob per hanc literam. alterum eſt reddere rationem eius quod dixerat, videlicet quòd Deus non paruipendit afflictionem ipſius Iobis. Alterum eſt confutare ſententiam Zophar, videlicet quòd Deus multa relinquit impunita: dixerat enim Zophar hoc, dicendo quòd Deus remanebat creditor ipſius Iobis. Ad vtrumque enim conferunt rationes tres quæ hîc ſcribuntur: quarum duæ ab ipſo Iobe, tertia autem à ſingulis hominibus totius humani generis ſumitur. Inſinuatur autem redditio rationis dictorum per coniunctionem *quia*, dicendo, *quia ſcribes ſuper me amaritudines*. ſi enim Deus pro nihilo haberet Iobem, aut affligere eum, non ſcriberet ſuper eum amaritudines pœnarum infligendarum: & ſimiliter ſi Deus multa relinqueret impunita, non ſcriberet ſuper Iobem (qui leuia duntaxat peccata commiſerat) amaritudines pœnarum. ET CONSVMERE ME VIS PECCATIS ADOLESCENTIÆ MEÆ. Iuxta Hebræum habetur, *& facies hæreditare me iniquitates pueritiarum mearum*.

Iobi punitio pro iniquitatibus pueritiæ eius, hæreditantis ſimilitudine ſignata.

Quia homo prouectæ ætatis tanquam alter eſt à ſeipſo puero, & hæreditare iuris eſt, ideo hæreditantis ſimilitudine ſignificatur punitio iuſta Iobis pro iniquitatibus pueritiæ, ſeu adoleſcentiæ eius. Pluraliter autem nominat *pueritias*, quæ multas ætates comprehendit, videlicet pueritiam, & adoleſcentiam. Et per hoc intendit peccata leuia: qualia ſunt peccata quæ conſequuntur illas ætates. vt per hoc quòd Deus ſcribit, & punit ipſum prouectæ ætatis pro peccatis pueritiæ, intelligatur & quòd nullum peccatum relinquit impunitum, & quòd non pro nihilo habet ipſum, & peccata eius puerilia, & punire illum.

POSVISTI IN NERVO PEDEM MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *Et ponis in vinculo pedes meos*. Dictio interpretata *vinculo*, non plenè explicatur: ſignificat enim ferream catenam, qualem apponi videmus ſupra pedes ſeruorum laborantium, ne liberum ſit eis fugere. Nec fiat vis ſi vinculum illud fabricatum erat aliter quàm per modum catenæ. ex contextu enim habetur duntaxat quòd per modum anuli cingebat infimam tibiæ partem, vt clarè ſubiungitur. Et metaphorico ſermone ſignificat timorem diuinæ legis poſitum ſibi à Deo ad continendum affectus & opera ab illicitis, ad inſtar ferripedis ne liberè fugiat. Et ſecunda ratio ad probandum diuinam ſolicitudinem erga ipſum Iobem & peccata eius, hîc incipit. ET OBSERVASTI OMNES SEMITAS MEAS. Ex duabus actionibus Dei integratur hæc ratio, altera eſt ponere in corde Iobis timorem peccandi: altera eſt obſeruare in materiis omnibus affectus & opera Iobis. hæc enim inſinuatur inſtar cuſtodientis omnia loca viarum per quas ferripes iré poteſt. ET VESTIGIA PEDVM MEORVM CONSIDERASTI. Iuxta Hebræum habetur, *ſuper radices pedum meorum ſculpes*. Radices pedum appellat talos, ſeu partem illam talarem, quoniam ex ea quaſi naſcitur pes. huiuſmodi enim partes tanquam ſculptæ (hoc eſt, cauatæ ex impreſſione ferrei vinculi) deſcribuntur. Et inſinuatur per hanc metaphoram effectus timoris Dei in animo Iobis, quòd ſic à Deo impreſſus erat animo eius timor offendendi Deum, vt tanquam cauatus eſſet animus eius. hoc eſt, vt animus eſſet retractus etiam à licitis multis ex timore peccandi. Hinc enim apparet magna Dei cura erga Iobem ne peccaret: ac per hoc quòd non reputat eum tanquam paleam ſiccam, aut frondem impulſam. Et rurſus hinc ſignum habetur quòd nullum relinquit peccatum impune.

Radices pedũ, pro talu, ſeu partibus talaribus.

Dei erga Iobem cura.

Peccatũ nullum relinqui impunitum.

QVI QVASI PVTRIDO CONSVMENDVS SVM, ET QVASI VESTIMENTVM QVOD COMEDITVR A TINEA. Iuxta Hebræum habetur, *Et ipſe ſicut putredo conſumetur: ſicut veſtis comedit eam tinea*. Obſcurus eſt ſermo: quia non apparet quid demonſtret Pronomen *ipſe*. contextus tamen innuit quòd Pronomen *ipſe* demonſtrat radicem pedis ſculptam, hoc eſt, cauatam impreſſione anuli ferrei: nam apud Hebræos maſculini eſt generis dictio interpretata *radix*. Et quadrat parabolæ vt radix pedis cauata, inſtar pomi putridi paulatim conſumatur, & inſtar veſtis comeſtæ à tinea, pluribus in locis conſumatur. Significatur autem per hanc parabolam quòd intima animi Iobis vnde oriuntur affectus & opera, non ſolùm fuerunt retracta ex impreſſo à Deo timore à multis licitis, ſed etiam quòd quò ad peccati fomitem velut res putrida paulatim, & velut veſtis eſa a tinea in diuerſis animi pronitatibus ad illicita conſumebantur. Verſ. 27. Verſ. 28.

CAPVT XIV.

HOMO NATVS DE MVLIERE. Tertia ratio hic incipit, BREVI VIVENS TEMPORE, REPLETVR MVLTIS MISERIIS. Iuxta Hebræum habetur, *curtus dierum & ſatur ira*. Tres miſeria Verſ. 1.

Conditiones humanæ miseræ describuntur.

miserabiles conditiones hominis describuntur. Prima quòd natus est ex muliere, vtpote ex parente imperfectissima originem habens. Altera quòd est curtus dierum, vtpote cuius vita tam citò desinit. Tertia quòd est satur iræ, vtpote repletus malis pœnæ quæ inferuntur à diuina ira, hoc est, à diuina iustitia vindicatiua.

Vers. 2. QVI QVASI FLOS EGREDITVR ET CONTERITVR. Iuxta Hebræum habetur, *Sicut surculus exiuit, & incisus est.* Incipit declarare propositas hominis conditiones. & omissa prima, inchoat à secunda, declarando brcuitatem vitæ hominis in iis qui ante tempus moriuntur: describens eos similes surculis (hoc est, ramusculis teneris) egredientibus ex arbore, qui succiduntur antequam vegetentur in ramos perfectos, & perficiant tempus quo essent naturaliter duraturi. innumera siquidem multitudo hominum, vel violentia, vel crapula, vel accidente ægritudine ante tempus suum moritur. ET FVGIT VELVT VMBRA, ET NVNQVAM IN EODEM STATV PERMANET. Iuxta Hebræum habetur, *& fugit velut vmbra, & non stabit.* Plus declarat quàm proposuit: quoniam duo simul hic declarantur. Alterum in iis qui perficiunt tempus integrum ætatum suarum, quòd vita eorum est similis fugæ: ita quòd non deambulant, sed velociter tanquam fugientes fuerunt. Alterum commune omnibus, quòd quemadmodum quæ transiit vmbra non redit, ita homines moriuntur. differentiam siquidem tangit inter corpus & vmbram, penes hoc quòd corpus quod localiter transiit, perseuerat in suo esse: vmbra verò existens in aliquo loco, quum desinit ibi esse, non perseuerat in suo esse, sed absolutè desinit esse: non enim migrat vmbra vnamet de loco ad locum. Et insinuat per hanc similitudinem quòd homo viuit fugiens tanquam vmbra, ita quòd non perseuerabit: mortuus enim homo non est homo.

Vita humana brevitas declaratur.

Homo cum surculis, seu ramusculis comparatus.

Vita humana fugæ similis.

Homo velut vmbra, fugiens.

Vers. 3. ET DIGNVM DVCIS SVPER HVIVSCEMODI APERIRE OCVLOS TVOS, ET ADDVCERE EVM TECVM IN IVDICIVM. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam super illum aperuisti oculos tuos, & me adduces in iudicium tecum.* Ecce nexus rationis huius tertiæ, quòd quanuis homo tot subiaceat miseriis, tu Deus aperis oculos tuos super eum: hoc est, instar aperientis oculos super aliquem consideras, & in ius cas, ac punis eum. hinc enim patet quòd Deus non parcit sit hominem & pœnam eius. Adiungit autem Iob (vt puto) vt quantumcunque afflictas, iudicialiter tamen à Deo intelligatur.

Dei ergo hominem eiusque pœnam curat.

Vers. 4. QVIS POTEST FACERE MVNDVM DE IMMVNDO CONCEPTVM SEMINE, NONNE TV QVI SOLVS ES? Iuxta Hebræum habetur, *Quis dabit mundum ex immundo? non vnum.* Probat quòd omnes homines iudicantur & puniuntur à Deo, quia nullus est homo qui non sit immundus fœditate peccati: nec potest se purum, aut alterum de immundo facere mundum, vt sic eximeretur à diuina punitione. hanc enim rationem sonant verba literæ, dicendo, *quis dabit mundum ex immundo?* quasi dicat, nullus. Et subiungendo, non vnum, explicat nullum fieri ab homine de immundo mundum.

Eius iudicii, & punitio.

Vers. 5. BREVES DIES HOMINIS SVNT, NVMERVS MENSIVM EIVS APVD TE EST. Iuxta Hebræum habetur, *Si determinati dies eius, numerus mensium eius tecum.* Oratio conditionalis est simul cum sequentibus particulis, CONSTITVISTI TERMINOS EIVS, QVI PRÆTERIRI NON POTERVNT. Iuxta Hebræum habetur, *statuta eius fecisti, & non transibit.* Ex quatuor particulis antecedens huius conditionalis integratur. prima est si determinati dies eius: secunda numerus mensium eius tecum: tertia statuta eius fecisti: quarta & non transibit. consequens autem immediatè subiungetur. Sensus autem est. si, inquit, dies vitæ cuiusque hominis determinati sunt quo ad numerum, & numerus iste non latet te, sed est tecum, & statuta numerorum dierum cuiusque hominis fecisti tu Deus (ita quòd non solum determinatus est numerus & manifestus tibi, sed etiam tu fecisti huiusmodi determinationem) & non transibit homo aliquis statutum sibi numerum. Vbi vides prudens Lector nihil horum affirmari in litera, sed sub conditione dici.

Mors, & certus dies mortis omni homini constitutus est.

RECEDE ERGO PAVLVLVM AB EO, VT QVIESCAT: DONEC OPTATA VENIAT ET SICVT MERCENARII DIES EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Laxa à supra eum, & prohibebit donec velet sicut mercenarium dies eius.* Ecce consequens inchoatæ conditionalis. Et consistit consequens in solis verbis istis, videlicet, *laxa à supra eum.* reliqui enim modum laxandi explicant. Iob itaque disputans cum Deo quum proposuisset inter conditiones hominis quòd est satur iræ, incipit hîc manifestare multitudinem irarum quibus repletur homo. & vsque ad finem capituli huius numerat iras sex: & in hac conditionali comprehendit iras duas. altera est quòd terminati sunt dies vitæ eius à Deo: altera quòd Deus assiduus est ad iudicandum & puniendum hominem & illam quidem insinuat in antecedente, istam verò in consequente huius conditionalis. Quanuis enim antecedens non affirmetur explicite: quia tamen assumitur vt præsuppositum tanquam manifestæ veritatis, ideò prima ira supputatur determinatio dierum cuiusque hominis decreta à Deo. & ex illa præsupposita infert vitationem superadditi diuini iudicij: hanc enim infert dicendo, *si determinati sunt dies*, &c. *laxa à supra eum.* perinde ac si diceret, si homo subiacet etiam huic miseriæ determinati numeri dierum vitæ eius, sufficiant propriæ miseriæ, & non superaddas tu Deus pœnas iudicij tui. Vers. 6.

Ira Dei multiplex.

Ira Dei prima, & secunda.

Aduerte prudens Lector quòd si hæc conditionalis integra grammaticaliter, Iob tenuerit propterea hanc consequentiam, simili errore ductus, videlicet quòd Deus tanquam homo gubernator hominem quasi mercenarium. Si autem intelligitur vt argumentum ad hominem (hoc est, ad opitulantem hominem, in sola hac vita puniri & præmiari) quatuor antecedentis particulam oportet annotare, antelligendo per eam significari quòd homo non transibit penitus (hoc est, nec secundum animam) statutos dies vitæ hominis. & sic antecedens etiã esset falsum simpliciter: & assumitur tanquam concessum ab aduersariis. Aduerte quoque circa tertiam particulam antecedentis (videlicet, *& statuta eius fecisti*) simul cum quarta, videlicet, *& non transibit*, quòd Iob meminit Dei statuentis, ad differentiã corporum cœlestiũ & complexionũ. tempus enim vitæ hominis tã definitũ in corporibus cœlestibus, quã definitũ in principiis intrinsecis vitæ cuiusque hominis, potest homo transire: sed tempus sta-

tutum à prima causa Deo, nullus homo potest transire. Qualem autem relaxationem intulerit, per subiuncta verba explicat, dicendo, *& prohibebit eum donec volet sicut mercenarium dies eius.* est siquidem sensus quòd homo relinquatur liber a iudicio diuino, quemadmodum mercenarius: ita quòd sicut mercenarium prohibet ab ocio non iudex, sed dies sua (si enim non laborat, non punitur, sed caret mercede illius diei;) ita hominem tempus suum prohibeat à peccato donec volet ipse homo non peccare: sicut mercenarius laborat quandiu volet, & quum non vult, desistit priuando se mercede. Hoc consequens petit Iob a Deo tanquam consentaneum dictis à sociis, deducendo ad inconueniens absurdúmque manifestum, videlicet quòd Deus non iudicet homines, sed tractet sicut mercenarios: quod etiam ipsi socij reputabant absurdum.

Vers. 7. LIGNVM HABET SPEM, SI PRÆCISVM FVERIT. Iuxta Hebræum præponitur Coniunctio, & habetur, *Quia arbori spes si præcisa fuerit.* Coniunctio *quia*, insinuat quòd accumulatur ratio rationi: accumulatio siquidem irarum suadet magis vitationem diuini iudicij priùs illatam. *Ira Dei tertia.* Tertia itaque ira scribitur, consistens in hoc quòd mors hominis est deterioris conditionis, quàm arborum & maris ac fluminis: nam arbor si præcisa fuerit, & etiam translata, germinabit. RVRSVM VIRESCIT, ET RAMI EIVS PVLLVLANT. Iuxta Hebræum habetur, *& adhuc faciet mutare, & ramum suum non prohibebit.* Et est sensus quòd si præcidens arborem etiam transferet eam incisam de loco ad locum, nihilominus incisa arbor & translata producet ramos. hoc enim quotidie experimur. *Hominis mors, eiusque conditio qua.*

Vers. 8. SI SENVERIT IN TERRA RADIX EIVS, ET IN PVLVERE EMORTVVS FVERIT TRVNCVS. Post mortem quasi violentam arboris, affert ad idem quasi mortem naturalem arboris quæ per senectutem radicis contingit, dicendo quòd si senuerit in terra radix arboris, ac per hoc aruerit arbor, si truncus eius mortuus fuerit in puluere (hoc est, instar mortui sepultus fuerit in puluere boni fimi) germinabit irrigatus. subditur enim,

Vers. 9. AD ODOREM AQVÆ GERMINABIT. hoc est, quando sentiet aquam, germinabit. ET FACIET COMAM QVASI QVVM PRIMVM PLANTATVM EST. Iuxta Hebræum habetur, *& faciet ramum sicut plantatio.* hoc est, perinde ac si fuisset arbor nouiter plantata.

Vers. 10. HOMO VERO QVVM MORTVVS FVERIT, ET NVDATVS ATQVE CONSVMPTVS, VBI QVÆSO EST? Iuxta Hebræum habetur, *Et vir morietur, & succidetur, & perijt homo: & vbi ipse?* Vtrumque mortis genus scribitur, naturalis quidem, dicendo *morietur:* violentæ autem, dicendo *succidetur.* Deinde quod commune est omnibus apponit, dicendo, *& perijt homo.* Et demum intentam deteriorem conditionem hominis in morte, subiungit, *& vbi ipse?* quasi dicat, nullibi. arbores enim tam præcisæ, quàm aridæ remanent alicubi ad germinandum iterum, vt dictum est: homo verò nullibi.

Vers. 11. & 12. QVOMODO SI RECEDANT AQVÆ DE MARI, ET FLVVIVS VACVEFACTVS ARESCAT. Iuxta Hebræum scribitur affirmatiuè, *Fluxerunt aquæ de mari, & fluuius arescet, & siccabitur.* SIC HOMO CVM DORMIERIT, NON RESVRGET. Iuxta Hebræum habetur, *Et vir iacuit, & non resurget.* Et est sensus quòd mare non secundùm totum, sed secundùm partem amittit aquam, & recuperat eam. hoc enim insinuatur dicendo, *fluxerunt aquæ de mari*; cointelligitur enim, & redierunt. nam de mari per fluxum & refluxum existente modò sine aquâ, & modò cum aqua, est sermo. Et clariùs de fluuio dicitur quòd arescet, consumptis penitus aquis eius. & tamen siccabitur iterum, hoc est, postquam aruit recuperabit aquam, & iterum siccabitur, iterúmque recuperabit aquam. Homo verò quum iacuerit per mortem, non resurget: ac per hoc est deterioris conditionis, quàm mare & aliqui fluuij, qui scilicet quandoque exiccantur. DONEC ATTERATVR COELVM. Iuxta Hebræum habetur, *donec nisi cœli.* Et est sensus, donec cœli soli sint: quod nunquam erit. explicat enim per hoc quòd homines nunquam resurgent. subiungitur enim iuxta Hebræum in plurali numero, *non expergiscentur, & non suscitabuntur à somno suo.* Declarat enim quod dixerat, videlicet quòd homo non resurget, manifestando quòd non resurget ex viribus propriæ naturæ. propterea enim dicit, *non euigilabunt, & non suscitabuntur à somno suo.* illi enim qui expergiscuntur, & qui suscitantur à somno suo, ex viribus propriæ naturæ redeunt ad vigiliam. Et hunc esse literalem sensum, testantur subiuncta de desiderio suscitationis hominis à Deo.

Vers. 13. QVIS MIHI HOC TRIBVAT. Iuxta Hebræum duntaxat habetur, *Quis dabit.* & sunt verba desiderantis. VT IN INFERNO PROTEGAS ME, ET ABSCONDAS ME DONEC PERTRANSEAT FVROR TVVS? Iuxta Hebræum habetur, *in fouea abscondes me, absondes me donec reuerti furorem tuum.* De fouea sepulchri, quæ manifesta est omnibus, loquitur, cupiens tanquam res recondita abscondi in sepulchro, abscondi, inquam, donec adueniat tuum reuerti à furore tuo, quo me & mori & mortuum tenere decreuisti. Deum enim alloquitur, & de irarum multitudine tractat: & propterea meminit furoris. *Resurrectio mortuorum.*

Vbi aduertè quòd quia supputauerat inter iras diuinas respectu humani generis mortem absque facultate iterum viuendi, subiungit tum desiderium resurgendi, tum quòd Deus solus potest adimplere hoc desiderium. hinc enim & firmantur dicta (scilicet quòd homo ex viribus propriæ naturæ non potest resurgere) & excluditur dogma putantium, quòd post annum maximum redibunt istimet homines virtute corporum cœlestium. ET CONSTITVAS MIHI TEMPVS IN QVO RECORDERIS MEI. Sententia rectè redditur: quanuis Hebraicè verba sint in futuro Indicatiui. ex hoc enim quòd est sermo cupientis, sufficienter habetur quòd futuro Indicatiui vtuntur Hebræi hîc pro futuro Optatiui, habentes duntaxat Indicatiui futurum. Quia itaque dixerat, *donec reuertaris à furore tuo*, determinat illud *donec*, dicendo, *ponas mihi tempus, & recorderis mei.* quantumcunque longum esset tempus, modò esset determinatum, sat mihi esset. Et dicendo *ponas mihi*, insinuat quòd cupit tempus constitui sibi, hoc est, ita constitui quòd notificetur sibi.

Vers. 14. PVTASNE MORTVVS HOMO RVRSVM VIVET? Iuxta Hebræum habetur, *Si morietur*

tur homo, si viuet. Inchoatur longa conditionalis, cuius antecedens constitit in his duobus, *si morietur homo, si viuet.* Et est sensus, si homo morietur, & iterum viuet. & subiungit immediate consequens, CVNCTIS DIEBVS QVIBVS NVNC MILITO, EXPECTO DONEC VENIAT IMMVTATIO MEA. Iuxta Hebræum habetur, *cunctis diebus temporis mei sperabo donec veniet mutatio mea.* Prima consequentis pars est hæc: explicans quòd si mortuus homo iterum viueret, omnibus diebus temporis sui speraret donec veniret mutatio eius qua fieret de mortuo viuus. Et in hac sententia insinuat Iob quod si homo mortuus viuet iterum, anima hominis est immortalis: alioquin non esset verum quòd speraret quousque resurgeret. ex hoc enim quòd asserit quòd speraret omnibus diebus temporis sui, & manifestando quantitatem temporis apponit, *donec veniet immutatio mea*, patefacit quòd remaneret anima eius sperans vsque ad resurrectionem.

Anima hominis immortalis.

Vers. 15. VOCABIS ME. Iuxta Hebræum habetur, *Vocabis, & ego respondebo tibi.* Secunda est hæc consequentis pars, significans quòd si mortuus homo viuet iterum, fiet resurrectio te Deo vocante, & me respondente tibi. Et per hoc docet quòd Deus solus potest efficere resurrectionem hominis. Quid autem respondebit, subiungit. OPERI MANVVM TVARVM PORRIGES DEXTERAM. Iuxta Hebræum habetur, *operi manuum tuarum concupisces.* Responsio est gratiarum actionis, profitendo quòd ratio in Deo ad resuscitandum hominem est amor quo concupiscit homini tanquam operi manuum suarum vitam, quam formando illum olim dederat. Et dicit *concupisces*, ad significandum perseuerantem in Deo affectum ad vitam hominis, qui Dei manibus formatus in superiori tractatu describitur.

Resurrectio futura asseritur.

Aduerte prudens Lector duo. Alterum quòd in vniuersa hac litera non asseritur futura resurrectio, sed desiderium eius, & conditionalis multa inferens. Alterum quòd pro clariori sensu futura hæc (*sperabo, vocabis, & respondebo*) pro Optatiuis recte exponuntur, *sperarem, vocares, responderem*, carent siquidem Hebræi Optatiuo modo.

Vers. 16. TV QVIDEM GRESSVS MEOS DINVMERASTI: SED PARCE PECCATIS MEIS. Iuxta Hebræum habetur, *Quia nunc gressus meos numerabis, non exspectabis super peccato meo.* Quarta ira scribitur, consistens in hoc quòd Deus nullum peccatum relinquit impune. Et specialiter ac directè dicit hoc contra Zophar, qui dixerat Deum esse creditorem Iobis super peccatis eius. Ait itaque, quia nunc gressus meos numerabis, ac si apertiùs dixisset, Locutus sum de statu futuræ resurrectionis sub desiderio & conditione, redeo ad loquendum de iis, quæ de facto facis nunc, hoc est, in præsenti vita: & quia nunc in præsenti vita perseueras numerando gressus meos (hoc est, affectus & opera mea) ideo consequens est quòd non expectabis tanquam creditor non exigens à debitore, non cogens illum ad soluendum. Et significanter dicit, *super peccato meo*, quod committitur per ignorantiam, subiunctutus maiora peccata.

Ira Dei quarta.

Vers. 17. SIGNASTI QVASI IN SACCVLO DELICTA MEA. Iuxta Hebræum habetur, *Signata in ligamine rebellio mea.* In persona humani generis ascribit sibi rebellionem. numerat enim iras quibus homo repletur: & quum dixisset de peccatis minimis, *non exspectabis super peccato*, idem dicit de peccatis maximis, quæ ad similitudinem reconditorum in ligamine aliquo diligenter clauso sub annulo Principis, dicuntur reposita apud Deum ad puniendum. SED CVRASTI INIQVITATEM MEAM. Iuxta Hebræum habetur, *& adiuncxbis super iniquitatem meam.* Tertium peccati genus quod studiosè fit, adiungit peccato ex contemptu, & peccato per ignorantiam (vt nullum peccatum exemptum esse a diuina punitione manifestet) dicendo, *& adiunxbis*, iudicando & puniendo, *super iniquitatem meam.*

Vers. 18. MONS CADENS DEFLVIT. Iuxta Hebræum habetur, *Et profecto mons cadens defluet.* Dictio interpretata *defluet*, significat *paulatim cadet.* significatur enim quòd mons vetustate sua cadens, non totus simul, sed paulatim cadet: quemadmodum cum homo senex paulatim consumitur. Quinta hominis ira describitur, consistens in hoc quòd spes hominis est similis monti cadenti, & rupi, & lapidibus, & puluetis alluuioni. ET SAXVM TRANSFERTVR DE LOCO SVO. Iuxta Hebræum habetur, *& rupes segregabitur è loco suo.* De rupe tota simul cadente, deficiente naturaliter continuitate ipsius cum reliquo monte, est sermo. sæpe enim videmus rupes sic segregari e loco suo.

Ira quinta.

Vita hominis, simile monti cadenti, & rupi.

Vers. 19. LAPIDES EXCAVANT AQVÆ. Iuxta Hebræum habetur, *Petras contuderunt aquæ.* Et hoc quoque continue videmus, dum contusas ab aquis petras aspicimus. ET ALLVVIONE PAVLATIM TERRA CONSVMITVR. Iuxta Hebræum habetur, *abluet casus sui puluerem terræ.* Sic iacet in Hebræo. singulare tamen ponitur pro plurali, *diluet*, pro *diluent.* Et est sensus quòd casus aquarum diluunt puluerem terræ. Non desunt tamen interpretantes *germina*, seu *pullulationes aquæ.* sed parui refert: quia inter cadentes aquas hæc supputantur. nisi enim descenderent, non diluerent puluerem terræ.

Petra item, & diluta terra.

Aduerte quòd quatuor hæc conueniunt in hoc quòd pedentium fiunt. nam & mons senex paulatim cadit, & rupes paulatim debilitatur in continuitate sui ad reliquum montem: & petra paulatim contunditur ab aqua: & pluuis terræ paulatim à descendentibus abluitur aquis. Sed inter prima duo & reliqua duo differentia est: quia prima fiunt ab intrinseco, postrema verò ab extrinseco, vt patet. Inter montis autem, & rupis casum hoc interest, quod paulatinus casus montis est sensibilis: paulatina verò debilitatio rupis non patet ad sensum. & similiter paulatina contusio lapidis non percipitur sensu: paulatina verò abiectio terræ sensibiliter fit. aqua enim diluens puluerem turbulenta, sensibiliter fiunt. ET HOMINEM ERGO SIMILITER PERDES. Iuxta Hebræum habetur, *& spem hominis perdidisti.* De spe vitæ præsentis est sermo. vita enim præsens est præcipuum quod amamus, & speramus: iuxta illud, *pellem pro pelle, & cuncta quæ habet dabit homo pro anima sua.* Est itaque sensus quòd spem hominis de præsenti vita reputas pro re perdita tanquam non sit tua. res enim perdita non subest curæ eius qui amisit illam. Et intendit Iob per hanc similitudinem

Vita hominis perdita ponitur.

non excludere præsentem vitam hominis à cura Dei, sed dicere quòd Deus relinquit vitam hominis assimilari supradictis quattuor rebus, videlicet quia homo in senectute est similis monti cadenti. post ætatem verò consistentiæ vsque ad senecturem est similis rupi, quia debilitatur, & in omni ætate ab extrinsecus aduenientе alimento contunditur, quoniam agendo in alimentum, repatitur: ac per hoc est similis petræ quæ contunditur ab aqua. & similiter est similis dilutæ terræ in omni ætate, dum ab extrinsecis excellentiis caloris, vel frigoris sensibiliter patitur perdendo sanitatem. Ad hoc enim præmissæ sunt similitudines istæ vt vita hominis describeretur similis illis, & propterea dicitur perdita à Deo.

Vers. 20. RODORASTI EVM PAVLVLVM VT IN PERPETVVM TRANSIRET. Iuxta Hebræum habetur, *Vicisti eum ad semper, & iuit.* Dictio interpretata *vicisti*, non plenè redditur: caremus enim verbo respondente verbo Hebraico. quia tamen sententia seruatur, complectenda est interpretatio hæc. Sexta ira describitur, consistens in hoc quòd Deus mittit in morte animam hominis absque notitia eorum quæ contingunt filiis eius, &c. Ad declarandam autem immortalitatem animæ vtitur parabola pugnantium: quorum victor mittit victum, & victus vadit cariturus notitia eorum, quæ erga suos aguntur. Describit itaque Deum & hominem tanquam pugnantes *ad semper*, hoc est, pro sempiternitate vitæ hominis. Et verificatur huiusmodi pugna penes hoc quòd homo vellet semper viuere, à Deo autem statutum est homini semel mori. Et quia Deus est tanquam victor in hac pugna, ideo dicit Deo, *vicisti eum ad semper*, (hoc est, appetentem sempiternitatem, tendentem velleitate ad semper viuere) & iuit. Præpostero ordine scribitur, *& iuit.* nam post subiunctam sententiam intelligendum est, & homo secundùm animam iuit. IMMVTABIS FACIEM EIVS, ET EMITTES EVM. Iuxta Hebræum habetur, *mutabit faciem suam, & misisti eum.* Tempus quando victus homo mittitur & vadit, describitur a mutatione faciei, hoc est, à morte. mors enim hominis communiter apparet primùm in facie mutata: ex mutata enim facie consueuimus discernere, & dicere, mortuus iam est. Ait itaque, *mutabit* homo *faciem suam*, moriendo, & tunc *misisti eum*, procul dubio secundùm animam, *& iuit*, priùs enim mittitur, & consequenter vadit.

Ira sexta.

Ad semper, pro sempiternitate vitæ hominis.

Mutatio faciei, de morte.

Homo quomodo immortalis.

Aduerte perspicax Lector ex hoc quòd homo in morte asseritur missus à Deo, & quòd iuit, scribitur homo immortalis secundùm animam. nam neque de cadauere verificatur *mitti* & *ire*; neque de nihilo, si anima desiit esse, verificari potest *mitti* & *ire*. quod enim non est, mitti non potest, neque potest ire.

Vers. 21. SIVE NOBILES EVERINT FILII EIVS, SIVE IGNOBILES, ET NON INTELLIGET. Iuxta Hebræum habetur, *Multiplicabuntur filij eius, & nesciet: & deficies, & non intelliget eos.* Affirmat Iob quòd anima separata non intelliget ea quæ fiunt hic, asserendo quòd propriorum filiorum nescit statum, tum prosperitatis significatum per multiplicationem rerum, tum aduersitatis significatum per defectum rerum. minor est enim ratio intelligendi alia quæ hic fiunt.

Anima separata status quus.

Vers. 22. ATTAMEN CARO EIVS DVM VIVET DOLEBIT, ET ANIMA ILLIVS SVPER SEMETIPSO LVGEBIT. Iuxta Hebræum habetur, *Tantum caro eius super eum dolebit, & anima eius super eum tristabitur.* Non solùm tollit ab intellectu animæ separatæ notitiam eorum quæ fiunt hîc, sed etiam ab affectu eiusdem tollit dolorem & tristitiam, dicendo quòd tantùm in hac vita dolor & tristitia conueniunt homini. dolor quidem carne sua existente in eo, quia dolor in solutione continui consistere dicitur. tristitia autem, anima hominis existente in eo: quia tristitia animi passio est, etiam si secundùm carnem non doleamus.

Aduerte hîc duo. Alterum quòd exclusio tristitiæ ab anima separata, intelligenda est respectu eorum quæ fiunt hîc, quòd scilicet non tristatur de malis contingentibus hîc. hoc enim manifestè sequitur ad præmissa, scilicet quod nescit ea quæ fiunt hîc. secus autem est de anima separata respectu eorum quæ patitur ibi: quia verè tristatur tam in inferno, quàm in purgatorio. Alterum quòd excludendo dolorem & tristitiam ab anima separata respectu eorum quæ fiunt hîc excludit. pari ratione reliquas omnes animi passiones.

CAPVT XV.

Vers. 1. RESPONDIT AVTEM ELIPHAZ THEMANITES. Perpende seruatum loquendi ordinem inter tres disputantes cum Iobe. incœperat enim Eliphaz: secutus est Bildad, & demum Zophar. & propterea iterum qui cœperat Eliphaz disputat, respondendo ad ea quæ dixerat Iob. ET DIXIT,

Vers. 2. NVNQVID SAPIENS RESPONDEBIT QVASI IN VENTVM LOQVENS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Nunquid sapiens respondebit scire venti.* In principio duodecimi capituli laudauit seipsum Iob mordendo socios quòd loquebantur plebeia, ac per hoc scientiam suam præponens scientiæ sociorum: & propterea Eliphaz arguit Iobem, quòd officium insipientis exercuit respondendo cum scire ventoso, hoc est, in flato vento propriæ reputationis. non est, inquit, hoc officium sapientis, qualem teipsum iactas. ET IMPLEBIT ARDORE STOMACHVM SVVM? Iuxta Hebræum habetur, *& implebit Euro ventrem suum?* Ventus Orientalis, qui etiam Subsolanus vocatur (qui vrens est) significatur. arguit siquidem Iobem quòd non solùm est inflatus vento iactantiæ, sed habet animum repletum vento vrente, vtpote aduersùs socios insurgente.

Eliphaz Iob arguit iactantia.

Eurus, pro vento Orientali, siue Subsolano.

Vers. 3. ARGVIS VERBIS EVM QVI NON EST ÆQVALIS TIBI. Iuxta Hebræum habetur, *Disputando in re non proderit.* Prosecutio est sermonis, nunquid sapiens respondebit scientiam venti, &c. prosequitur enim subiungens disputando in re quæ non proderit. hoc enim non est officium sapientis. ET LOQVERIS QVOD TIBI NON EXPEDIT. Iuxta Hebræum habetur, *& verbis non iuuabit in ipsis.* Disputationem Iobis accusat tum in re, tum in verbis, dicens vtraque fore inutilia. disputauerat enim de iustitia propria, & verbis requirentibus à Deo, &c.

&

& vtrunque censet Eliphaz inutile tum Iobi, tum sociis.

Vers. 4. QVANTVM IN TE EST EVACVASTI TIMOREM, ET TVLISTI PRECES CORAM DEO. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam tu franges timorem, & minues locutionem in conspectu El.* Quia Iob disputare cum Deo cœperat, tuendo se iustum, & absque culpa tam vehementer afflictum ab ipso Deo, arguitur ab Eliphaz quòd defendere hæc, est frangere in aliorum animis timorem Dei, & minuere in aliis locutionem in conspectu El. hoc est, minuere supplicationes quæ offeruntur Deo. quia audientes alij quòd Deus tam malè tractat iustos timentes & colentes Deum, retrahentur à timore & cultu diuino, deferendo, vel saltem minuendo vtrunque, ne malè tractentur à Deo, sicut tu Iob malè tractaris. Et nominat Deum El, tanquam cui maior tam timor, quàm honor debetur.

Vers. 5. DOCVIT ENIM INIQVITAS TVA OS TVVM. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *docebit.* significatur enim perseuerantia per futurum *docebit.* rationem enim præsumptuosæ disputationis reddit iniquitatem Iobis perseuerantem ad docendum linguam eius. ET IMITARIS LINGVAM BLASPHEMANTIVM. Iuxta Hebræum habetur, *& eliges linguam calidorum.* Arguitur Iob tum quòd iniquus in voluntate & ore, tum quòd callidus in intellectu & lingua. Eliphaz enim attribuitur astutiæ & iniquitati verba Iobis ad Deum sonantia iustitiam ipsius Iobis, qui dixerat, *quantæ mihi iniquitates*, &c.

Arguitur Iob iniquitatis, & calliditatis.

Vers. 6. CONDEMNABIT TE OS TVVM, ET NON EGO: ET LABIA TVA RESPONDEBVNT TIBI. Iuxta Hebræum habetur, *Faciet impium te os tuum, & non ego: & labia tua testificabuntur in te.* Tam manifestam culpam reputat in disputatione Iobis, vt censeat non esse opus accusatore & testibus: quia sermo proprius Iobis accusat eum impietatis, & labia propria testificantur contra eum.

Impietatis arguitur.

Vers. 7. NVNQVID PRIMVS HOMO TV NATVS ES, ET ANTE OMNES COLLES FORMATVS? Iuxta Hebræum habetur, *& ante colles partus*, seu *parituit?* Quia Iob à cæteris dissentiens docebat Deum affligere hominem absque culpa hominis, Eliphaz irridendo eum dicit, *nunquid tu ante colles* (hoc est, antequam formaretur mundus iste) genitus es, & natus primus homo, hoc est, Doctor humani generis. primus enim homo suapte natura est Doctor reliquorum hominum: vtpote pater filiorum.

Colles, pro mundo.

Homo primus, de Doctore generis humani.

Vers. 8. NVNQVID CONSILIVM DEI AVDISTI. Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid in secreto Eloha audies.* Et hoc quoque irridendo subiungit, nunquid perseuerabis audiendo Deum secretò tibi loquentem: docebat enim Iob ea quæ alios latebant de prouidentia Dei. ET INFERIOR TE ERIT EIVS SAPIENTIA? Iuxta Hebræum habetur, *& minuetur ad te sapientia?* Et est sensus, & sapientia minor erit te. Non est sermo de sapientia Dei, sed de scientia absolutè. & irridendo dicitur, nunquid ipsa scientia erit minor te, qui te nouum Doctorem humani generis exhibes?

Vers. 9. QVID NOSTI QVOD IGNOREMVS? QVID INTELLIGIS QVOD NESCIAMVS? Quia Iob annunciaturum se dixerat quædam quasi noua, respondet Eliphaz, *quid nosti quod ignoremus?* & *quid intelligis*, & non nobiscum illud? Adæquat se & socios Iobi tum in scientia, tum in acumine intelligendi.

ET SENES ET ANTIQVI SVNT IN NOBIS, MVLTO VETVSTIORES QVAM PATRES TVI. Vers. 10. Parui refert quòd Hebraice habetur, *Etiam decrepitus etiam senex nobiscum: maior patre tuo diebus.* Hebraico more præposterus seruatur ordo, scribendo priùs decrepitum, & postea senem. quia Iob dixerat in cap. 12. *in antiquis est sapientia* (insinuans se ab antiquis didicisse) respondet Eliphaz quòd si de antiquitate agitur, apud nos est senex & decrepitus maior secundum dies patre tuo a quo iactas te didicisse. Et intelligo per hoc quòd Eliphaz præponit antiquitatem patrum nationis suæ patribus nationis Iobis: historia autem patrum vtriusque nationis, non est nobis manifesta.

NVNQVID GRANDE EST, VT CONSOLETVR TE DEVS? SED VERBA TVA PRAVA HOC PROHIBENT. Vers. 11. Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid parùm tibi consolationes El, & verbum suaue tecum?* Quia Iob despiciebat temporalia bona quæ promittebant ei socij conferenda à Deo si conuerteretur ad Deum, ideo Eliphaz arguendo eum dicit, *nunquid parum tibi*, hoc est, pro modico habes, *consolationes El*, hoc est, Dei fortis? in contemptum siquidem Dei fortis ad vleiscendum, intorquet huiusmodi paruipensionem. Et quia Iob non erat contentus scientia communi de diuinis, sed celsiorem profetebat de diuina prouidentia sententiam, ideo Eliphaz arguit eum, *nunquid parum tibi quod verbum suaue tecum?* Et appellat *suaue verbum* scientiam quæ communiter habetur de diuinis: eo quòd ad instar incessus suauis progreditur ad homines doctrina communis hominibus sapientibus.

Verbum suaue, de scientia quæ habetur de diuinis.

QVID TE ELEVAT. Iuxta Hebræum habetur, *tollet cor tuum.* Et est sensus, cur cor tuum tollit te supra te? quasi dicat, non est in te excellentia notitiæ quæ efficiat vt cor tuum tollat te supra te. ET QVASI MAGNA COGITANS ATTONITOS HABES OCVLOS? Iuxta Hebræum habetur, *& quid innuent oculi tui?* Quia Iob disputando cum Deo suspicientes seruabat oculos tanquam familiariter alloquens Deum, ideo Eliphaz arguit eum, & quid innuent (hoc est, perseuerantes significant) oculi tui? nefas enim reputabat innuere familiaritatem cum Deo & hunc esse literalem sensum subiuncta testantur. Vers. 12.

QVID TVMET CONTRA DEVM SPIRITVS TVVS, VT PROFERAS DE ORE TVO HVIVSMODI SERMONES? Iuxta Hebræum habetur, *Quo tu reduces ad El spiritum tuum, & proferes ex ore tuo sermones.* Effectus cordis tetis explicatur, quòd Iob perseuerabat reducendo spiritum suum tanquam impetum suum ad El (hoc est, ad Deum fortem) disceptando cum eo. hic enim effectus est à corde tollente hominem supra seipsum. Significanter autem dicit *reduces*, quia sæpe Iob similia fecerat: vt patet in præcedentibus. Et quia hic effectus non continebatur intus, sed prodibat in sermonem exteriorem, ideo adiungit *& proferes*, (hoc est, perseueras proferendo) de ore tuo sermones disputationis directos ad El Deum fortem, non reuerendo fortitudinem diuinam. Vers. 13.

QVID EST HOMO VT IMMACVLATVS SIT, ET VT IVSTIFICETVR NATVS DE MVLIERE? Parui refert quòd dictio interpretata *immaculatus*, sonat propriè *mundus.* Hactenus increpauit Iobem, modò incipit reprehendere dicta ab eo Iob enim pluries dixerat se iustum, tum respondendo Vers. 14.

ipſi Eliphaz *in cap.6.* tum reſpondendò ad Bildad *in cap.*10. tum reſpondendo ad Zophar *in cap.*13. & propterea Eliphaz repetit ea, quæ *in cap.*4. in prima reſponſione dixerat de peccato omnium hominum, quòd videlicet nullus homo eſt mundus a peccato, nullus iuſtus apud diuinum tribunal. Probat autem hoc ex vilitate conditionis humanæ, dicendo, *quid eſt homo* ſubauditur enim relatus ad Deum, vt mundus ſit à peccato, & vt iuſtificet ſe apud diuinum tribunal: Et vilitatem explicat apponendo, *natus de muliere*, immunditiarum plena.

Mundum neminem inueniri apud Deum.

Verſ. 15. ECCE INTER SANCTOS EIVS NEMO IMMVTABILIS. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce in Sanctis ſuis non credet.* Scito prudens Lector quòd eadem Hebraica dictio ſcribitur hic, quæ ſcripta eſt *in cap.*4. dicente Eliphaz, *ecce in ſeruis ſuis non faciet firmitatem*, dictio ſquidem hæc interpretari poteſt vtroque modo, videlicet *facere firmitatem*, vel *credere.* Et ibi quidem expoſuimus *non facere firmitatem*, hic verò apponemus *non credere*, vt vtraque interpretatio manifeſtetur. Non itaque attribuitur Deo hoc quod eſt nõ credere Sanctis ſuis, eo quòd lateat ipſum aliquid cogitabile à Sanctis ſuis, & timeat decipi: ſed attribuitur ei nõ credere in Sanctis ſuis, ad inſinuandum Sanctos Dei eſſe fallaces. ideo enim alicui non creditur, & in aliquo non confidimus, quia fallax eſt. Et verificatur de Sanctis Angelis quòd ſint fallaces: quòd poſſint fallere, conſiderata eorum conditione ſecundum naturalia dumtaxat. ET COELI NON SVNT MVNDI IN CONSPECTV EIVS. Niſi Eliphaz cœlos animatos intellectiua anima credidiſſet, nequaquam de mundicia à peccato tractans dixiſſet, *& cœli non erunt mundi in oculis Dei* argumentum enim aſſumit a Sanctis Angelis & a cœlis, conuenientibus in hoc quòd vtraque ſecundum naturalia eorum immunditiam peccati haberent ſi exactè iudicarentur à Deo, ſaltem propter minoratem gratitudinem relatiue ad diuina beneficia collata eis.

Sancti Dei fallaces.

Angeli Sancti, fallaces

Verſ. 16. QVANTO MAGIS ABOMINABILIS ET INVTILIS HOMO, QVI BIBIT QVASI AQVAM INIQVITATEM? Sententia optimè redditur: veruntamen iuxta Hebræum habetur, *Etiam quia abominabilis & putridus homo, bibens ſicut aquas iniquitatem.* Probauerat hominem eſſe immundum apud Deum tum ex hominis vilitate (vtpote nati ex muliere, tum ex immunditia Angelorum & cœlorum, qui longè excellunt homines: probat tertiò adiungendo, etiam quia homo eſt abominabilis & putridus, bibens iniquitatem ſicut aquam. Hæc autem tria retrogrado ordine conſequenter ſe habent. nam ex hoc quòd homo bibit ſicut aquam iniquitatem, putreſcit in animo, & inde redditur abominabilis tanquam res putrida. Deſcribitur autem iniquitas hominis ad ſimilitudinem potus aquæ: quia ſicut aqua eſt naturalis potus hominis, quemadmodum & reliquorum animalium, ita iniquitas eſt naturalis homini propter promtitudinem hominis ad peccandum. Et hunc eſſe germanum ſenſum huius literæ teſtantur verba eiuſdem Eliphaz in cap.5. *homo natus eſt ad iniquitatem.* repetit enim quæ priùs dixerat. Et directè per hoc probat quòd homo nullus eſt mundus apud Deum.

Homo abominabilis & putridus.

Verſ. 17. OSTENDAM TIBI. Iuxta Hebræum rectiùs habetur, *Annuntiabo tibi, audi me.* audire enim quadrat narrationi. QVOD VIDI NARRABO TIBI. Iuxta Hebræum habetur, *& hoc vidi, & narrauì.* Scito prudens Lector quòd quamuis legi poſſit *narrabo*, magis tamen quadrat *narrauì.* promittens ſiquidem Eliphaz narrare tradita à ſapientibus, interponit quòd viſa narrauit, dicendo *& hoc* (ſubauditur enim relatiuum *quod vidi*) *& narrauì*, in prima reſponſione. tunc enim narrauit apparitionem ſibi factam. Vnde & ſtatim ſubiungit auditionem narrandorum.

SAPIENTES CONFITENTVR, ET NON ABSCONDVNT PATRES SVOS. Iuxta Hebræum habetur, *Quæ ſapientes annuntiabunt, & non abſconderunt a patribus ſuis.* Et eſt ordo literæ, quæ ſapientes non abſconderunt, & annuntiabunt à patribus ſuis. metri enim cauſa tranſpoſitio ſæpe accidit. Authoritate itaque ſapientum qui didicerunt à propriis patribus (proculdubio etiam ſapientibus) roborat narranda: profitendo quòd hæc didicit ab illis ſapientibus, non occultantibus, ſed manifeſtantibus quæ didicerunt à ſapientibus patribus. Verſ. 18.

QVIBVS SOLIS DATA EST TERRA, ET NON TRANSIBIT ALIENVS PER EOS. Iuxta Hebræum habetur, *Eis ſolis eis data eſt terra, & non tranſiuit alienus inter eos.* Incipit Eliphaz narrare audita à ſapientibus Et quia quæſtio inter Iobem & ſocios verſabatur circa duo (alterum quòd iuſti abſque propria culpa priuabantur à Deo bonis præſentis vitæ: nam & hoc de ſeipſo dixerat Iob, & *in cap.*12. dixerat quòd religioſi & iuſti ſunt ridiculi, alterum quòd iniqui & impij proſperantur in hoc mundo: diuerat enim Iob in eodem 12.cap. *abundant tentoria prædonum*, &c. & *in cap.*9. dixerat, *terra data eſt in manu impij*, quod Eliphaz intellexerat dictum de hominibus impijs, de quibus proculdubio verificantur verba hæc, ideo Eliphaz intendit authoritate ſapientum tueri contraria iis quæ dixerat Iob. & primùm de iuſtis, deinde de impijs, iuxta ea quæ dixerat ipſemet Eliphaz in prima reſponſione *in cap.*4. & 5. De iuſtis itaque ait, *eis ſolis eis* directè contra ſententiam Iobis dicit duo, videlicet quòd eis, hoc eſt, iuſtis. & ſolis eis, ad excludendum iniquos. Nec refert an Pronomen *eis* demonſtret ſapientes, vel iuſtos: quoniam iidem habentur ſapientes & iuſti apud intelligentes, quòd omnis malus ignorat, & quòd errant omnes qui operantur malum. Significanter autem vniuerſa opulentia data à Deo exprimitur, dicendo, *data eſt terra*, vt directè reſpondeatur verbis Iobis, *terra data eſt in manu impij.* Significantiùs autem adiungitur, *& non tranſiuit alienus inter eos*, ad manifeſtandum tranquillam eſſe fruitionem opulentiæ iuſtorum. tam quieta ſiquidem deſcribitur, vt nec alicuius alieni tranſitu perturbetur. Et per tranquillitatem tantam inſinuat Eliphaz quòd non loquitur de iuſtis qualitercunque, ſed de iuſtis affectis virtutes purgati animi, ſecundùm ea quæ dixerat *in cap.*5. vbi graduauit iuſtos ſecundùm virtutes purgatorias, dicens eos pati aliqua, demum autem purgato penitus animo, pati nihil. propter quod bteuiſſimè hîc de iuſtorum felicitate, quam in hac vita ponebat, loquitur. Verſ. 19.

Iuſtorum felicitas in hac vita.

CVNCTIS DIEBVS SVIS IMPIVS SVPERBIT. Iuxta Hebræum habetur, *Cunctis diebus impij ipſe dolens.* Tractat conſequenter de miſeria impiorum, contra Iobem qui dixerat, *pacifica erunt tentoria prædonum*, &c. longo ſiquidem ſermone (vſque ad finem videlicet capituli huius) tractat miſerias impiorum: vt ex tot annexis malis declaret Verſ. 20.

Impiorum miſeria.

claret opulentiam impiorum esse in hac vita infelicem. huc enim tendit vniuersus iste tractatus: vt per disparitatem hanc (videlicet quòd opulentia iustorum est beata, vtpote quæ nec alieni transitu perturbatur: opulentia autem impiorum misera est, vtpote quæ habet tot mala pœnæ annexa) assequatur intentum. per hæc enim Eliphaz putat se probasse intentum, scilicet quòd felicitas præsentis vitæ est duntaxat iustorum. Narraturus autem impiorum miserias, incipit à perturbationibus animi, dicendo quòd impius cunctis diebus vitæ suæ afficitur dolore instar parturientis: talem enim dolorem sonat Hebraica dictio, anhelat siquidem ad patranda multa difficilia: & donec fiat voti compos, dolet tanquam parturiens. ET NVMERVS ANNORVM INCERTVS EST TYRANNIDIS EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *& numerus annorum absconditus est forti.* Altera miseria consistit in continuo periculo vitæ ipsius impij potentis. Et est sermo de morte violenta: propter huiusmodi enim periculum dicitur quòd absconditus est forti numerus annorum.

Vers. 21. SONITVS TERRORIS SEMPER IN AVRIBVS ILLIVS. Interpres addidit *semper*, & mutauit plurale in singulare: nam Hebraicè scribitur *terrorum*. Tertia perturbatio animi describitur in multitudine terrorum quos patitur tanquam ille qui audit sonum aduentantium contra se terribilium. ET QVVM PAX SIT, ILLE SEMPER INSIDIAS SVSPICATVR. Iuxta Hebræum habetur, *in pace prædo veniet ei.* hoc est, in tempore quo quiescere arbitratur, superueniet ex improuiso prædo, seu vastator rerum illius. Et hæc est quarta miseria.

Vers. 22. NON CREDIT QVOD REVERTI POSSIT DE TENEBRIS AD LVCEM: CIRCVMSPECTANS VNDIQVE GLADIVM. Iuxta Hebræum habetur, *Non credet plus ab obscuritate, & visus ipse ad gladium.* Quinta miseria consistit in hoc quòd quando non credet passurum se ampliùs ab obscuritate (hoc est, ab occultis insidiis) tunc visus est ad gladium, hoc est, tunc visus est ab insidiantibus vt percutiatur eorum gladio.

Vers. 23. QVVM SE MOVERIT AD QVÆRENDVM PANEM, NOVIT QVOD PARATVS SIT IN MANV EIVS TENEBRARVM DIES. Iuxta Hebræum habetur, *Vagus ipse ad panem, vbi nouit quod paratus in manu eius dies obscuritatis.* Malum culpæ describitur valde infame, videlicet quòd vagatur ad rollendum panem vndecunque vbi nouit quòd dies obscuritatis (hoc est, dies insidiarum efficacium ad rapinam panis) paratus est in manu eius. valde enim infame est quòd promiscuè alienum panem quis tollat; quando videt sibi commoditatem tollendi per occultas insidias.

Culpæ malum infame.

Dies obscuritatis, id est, insidiarum.

Vers. 24. TERREBIT EVM TRIBVLATIO, ET ANGVSTIA VALLABIT EVM SICVT REGEM QVI PRÆPARATVR AD PRÆLIVM Iuxta Hebræum habetur, *Terrebunt eum tribulatio, & angustia: roborabitur ipse sicut Rex paratus ad gyrum.* Duo mala describuntur, alterum pœnæ, alterum culpæ. Et malum quidem pœnæ est quòd terrebitur impius à tribulatione & angustia contingentibus eì: malum verò culpæ quòd impius aduersùs tribulationem & angustiam roborabit se tanquam Rex paratus ad gyrum hostium contra eum. docuerat siquidem Eliphaz in prima responsione quòd beatus homo quem increpauerit Deus, &c. & propterea culpabile censet insurgere aduersùs tribulationes & angustias tanquam ad oppugnandum illas armata manu. Et quamuis loquatur de impiis in genere: mordet tamen Iobum, qui territus est ab afflictionibus, & insurrexit aduersùs eas oppugnando eas armatus propria iustitia, & multitudine rationum querularum.

Pœna malum quod.

Quod malum culpæ.

Vers. 25. TETENDIT ENIM ADVERSVS DEVM MANVM SVAM, ET CONTRA OMNIPOTENTEM ROBORATVS EST. Iuxta Hebræum eadem sententia habetur, *Quia extendit ad El manum suam, & ad Saddai roborabit se.* Ratio redditur peccati quod committitur inuehendo contra tribulationes & angustias, quia est inuehi aduersùs Deum actorem tribulationis & angustiæ. Et in hoc manifestè carpit Iobem tanquam extendentem manum suam aduersùs El, id est, Deum fortem, & perseuerantem roborando se aduersùs Saddai, hoc est, Deum vincentem omnia. querulis enim sermonibus locutus fuerat Iob quòd absque culpa fuerat afflictus ab eo. Ad cumulum autem criminis & stultitiæ Iobis dicitur quòd extendit manum ad summè fortem, & ad vincentem omnia robur suum perseuerat exercendo.

Vers. 26. CVCVRRIT ADVERSVS EVM ERECTO COLLO. Iuxta Hebræum habetur, *Curret ad eum in collo.* Pronomen *eum* demonstrat Deum: & est sensus quòd impius instar currentis in collo erecto aduersùs aliquem, insurget aduersùs Deum. superbia siquidem impij promittentis sibiipsi victoriam, describitur per hanc parabolam: & Iobem carpit, qui dixerat in cap. 13. *Ecce ordinaui iudicium, & noui quòd iustificabo.* ET PINGVI CERVICE ARMATVS EST. Iuxta Hebræum habetur, *in grossitudine altitudinum scutorum suorum.* Prosequitur parabolam currentis in collo, apponendo in grossitudine altitudinum scutorum suorum. ita quòd describitur non solùm superbus ex collo, sed etiam securus: vtpote confidens in scutis suis tum grossis, tum altis. Et per hanc parabolam rationes significantur quibus vtebatur Iob ad sui defensionem. confidebat siquidem in celsitudine & profunditate rationum suarum.

Currere in collo, parabolicè pro superbire.

Vers. 27. OPERVIT FACIEM EIVS CRASSITVDO, ET DE LATERIBVS EIVS ARVINA DEPENDET. Iuxta Hebræum habetur, *Quia operuit faciem suam in adipe suo, & fecit rugam super ilia.* Ad aliud crimen impij transit, videlicet ad auaritiam accumulantem diuitias. Et priùs describit impium opulentum valde, sermone metaphorico, assimilando eum homini tam pingui vt facies tegatur adipe, & ilia complicata pinguedine operiantur. Coniunctio autem *quia*, ad subiunctum refertur factum.

Auaritia malum.

Vers. 28. HABITABIT IN CIVITATIBVS DESOLATIS, ET IN DOMIBVS DESERTIS QVÆ IN TVMVLOS SVNT REDACTÆ. Iuxta Hebræum habetur, *Et habitauit ciuitates destructas: domos non habitabunt in eis, quia parata sunt ad acernos.* Vnde diuitias impius accumulauerit manifestatur, videlicet ex rapina tum rei publicæ, tum priuatarum facultatum. Et rapinam quidem rerum publicarum describit dicendo, *& habitauit in ciuitatibus destructis*, ab ipsomet, non quo ad mœnia, sed quo ad facultates. rapinam verò rerum priuatorum hominum describit subiungendo *domos* (subaudi *in quibus*) *non habitabunt.*

Rapina rei publicæ.

Rapina rerũ priuatorum.

hoc

hoc est, perseuerare non possunt habitatores. Et ratio subditur, quia paratæ sunt ad aceruos ruinarum. ad similitudinem domorum mentium, ex quibus fiunt acerui ruinarum, describuntur ciuium facultates redactæ ab auaritia impij Domini.

Vers. 29. NON DITABITVR, ET NON PERSEVERABIT SVBSTANTIA EIVS. Quamuis tam nefarie cumulet diuitias, non tamen ditabitur cum firmitate diuitiarum. expositiue siquidem intelligendum est quod adiungitur, videlicet, *& non firmabitur substantia eius.* NEC MITTET IN TERRAM RADICEM SVAM. Iuxta Hebræum habetur, *& non extendet terræ finem eorum.* Et est sermo de fine intento, & dicitur quòd impius quamuis ex rapina ditetur, non tamen intentum finem magnitudinis suorum extendet in terra. sæpissime enim videmus tales deficere.

Vers. 30. NON RECEDET DE TENEBRIS. proculdubio peccatorum. Et est sensus, quia non recedet de tenebris peccatorum suorum. ideo & præcedentia & sequentia mala verificabuntur. Quamuis hoc de malo pœnæ possit intelligi, quòd videlicet ipse impius semper erit comitatus tenebris multæ ignorantiæ. RAMOS EIVS ARIDA-CIET FLAMMA. Parabola est. describuntur siquidem filij ad instar ramorum arboris qui arefiunt à flamma: ad insinuandum quòd deficient penitus eorum facultates, sicut deficit viriditas rami exiccati à flamma. ET AVFERETVR SPIRITV ORIS SVI AB EO. Iuxta Hebræum habetur, *& recedet in spiritu oris sui.* Mors repentina quam sæpe incurrunt tyranni, describitur per recessum à præsenti vita in spiritu oris sui, hoc est, absque ægritudine, vigente spiritu oris eius.

Rami, prosilyi.

Mors repentina describitur.

Vers. 31. NON CREDET FRVSTRA ERRORE DECEPTVS, QVOD ALIQVO PRETIO REDIMENDVS SIT. Iuxta Hebræum habetur, *Non credet valido errans, quòd vana erit mutatio eius.* Et est sensus, errans in hoc quòd vana erit ad prosperitatem præsentis vitæ mutatio eius de iniquitate ad virtutem, non credet valido veritate ac doctrina ad instruendum alios. Et hoc manifestè dicitur contra Iobem, deridentem promissiones prosperitatis si Iob mutaretur. & arguit Iobem incredulitatis, quòd scilicet non credit ipsis & sapientibus qui verè valent ad instruendum eum de veritate.

Iob arguitur incredulitatis.

Vers. 32. ANTEQVAM DIES EIVS IMPLEANTVR PERIBIT, ET MANVS EIVS ARESCENT. Iuxta Hebræum habetur, *In non die suo succidetur, & ramus eius non refrigeratus est.* Ad instar arboris quæ succiditur ante tempus congruum, describitur miseria impij quòd non prorogabitur vita eius vsque ad naturalem diem mortis eius, sed priùs occiditur, & ramus (hoc est, filius, seu minister) eius non est refrigeratus ad producendum fructum intentum.

Vers. 33. LÆDETVR QVASI VINEA IN PRIMO FLORE BOTRVS EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Succidetur sicut viris vua acerba eius.* Dixerat, succidetur in die non suo: manifestat diem non suum à similitudine vitis quæ succiditur habens vuam acerbam. hinc enim clarè apparet incisio in die non suo: non est enim tempus incidendi vites quando habent vuam acerbam. ET PROICIET SICVT OLEA FLOREM SVVM. Dixerat, *& ramus eius non est refrigeratus:* manifestat modò hoc à similitudine arborum producentium oliuas quando proiiciunt flores suos adustæ à ventis australibus.

CONGREGATIO ENIM HYPOCRITÆ STERILIS. Iuxta Hebræum habetur, *Quia congregatio impij sola.* Rationem reddit dictarum similitudinum, explicando quorsum tendant, videlicet quòd quemadmodum vuæ acerbæ & flores oliuarum pereunt, ita quæ congregauit impius desolabuntur. ET IGNIS DEVORABIT TABERNACVLA EORVM, QVI MVNERA LIBENTER ACCIPIVNT. Iuxta Hebræum breuiùs dicitur, *& ignis deuorauit tentoria munerum.* hoc est, ditata ex muneribus quæ offeruntur à redimentibus vexationem suam, & à corruptoribus iustitiæ. Vers. 34. *Hypocritarū maledictio.*

CONCIPIT DOLOREM, ET PEPERIT INIQVITATEM, ET VTERVS EIVS PRÆPARAT DOLOS. Iuxta Hebræum habetur, *Concipiendo iniquitatem, & pariendo tortum, & venter eorum parabit dolum.* De tentoriis munerum dicuntur hæc. narratur siquidem iniquitas eorum tam in animo, quàm in operibus, ad similitudinem mulieris concipientis prolem, & fouentis eam in vtero, & demum parientis. ait enim, *concipiendo iniquitatem*, quo ad primum: *& pariendo tortum*, quo ad tertium: *& venter eorum parat dolum*, quo ad secundum. hæc enim sunt officia magnatum qui ex muneribus ditantur. Vers. 35. *Magnates, qui ditantur ex muneribus.*

CAPVT XVI.

RESPONDIT AVTEM IOB, ET DIXIT: AVDIVI FREQVENTER TALIA. Iuxta Hebræum habetur, *Audiui sicut hæc multa.* Quia Eliphaz & socij in responsionibus primis dixerant similia istis quæ dixit Eliphaz, ideo Iob respondendo dicit, Audiui multa ptiùs, sicut ista quæ nunc dixisti. siquis enim diligenter perspiciat primas eorum responsiones, inueniet omnes conatus eorum adhibitos fuisse ad monstrandum quòd iusti non affliguntur à Deo, sed impij: & hoc probasse, quia impiorum prosperitati annexa sunt innumera mala, verorum autem iustorum prosperitas immunis est a malis. CONSOLATORES ONEROSI OMNES VOS ESTIS. Patui refert quòd Hebraicè habetur, *consolatores laboris omnes vos.* hoc est, consolatores adiicientes laborem mihi estis vos omnes. multiplicantes siquidem eadem diuersis verbis, sæpe respondendo fingerunt laborem & fastidium cordis patienti. Vers. 1. & 2.

NVNQVID HABIBVNT FINEM VERBA VENTOSA. Iuxta Hebræum habetur, *Num finis verbis venti?* Arguerat Iobem Eliphaz inflationis, seu venti, sermone prolixo valde laudando se & socios, & præferendo antiquitatem nationum suarum: & propterea Iob dicit, *num finis verbis venti*, quem in me reprehenditis, & quem in vobis monstratis? censet enim resecanda esse verba tam reprehendentia, quàm proferentia ventum. Et rationem subiungit, AVT ALIQVID TIBI MOLESTVM EST SI LOQVARIS? Iuxta Hebræum habetur, *vel quid roborabit te quod respondebis?* Ecce ratio resecandi verba venti, quia nihil prosunt ad roborandum te vt respondeas rationibus meis. Vers. 3. *Iob arguitur inflationis seu venti.*

POTERAM ET EGO SIMILIA VESTRI LOQVI. Patui refert quòd Hebraicè habetur, *Etiam ego sicut vos loquar.* Et est sensus quòd quemadmodum vos attribuitis verba mea vento vanæ gloriæ, ita etiam ego, si vellem, attribuerem verba Vers. 4.

vestra

vestra vento simili. ATQVE VTINAM ESSET ANIMA VESTRA PRO ANIMA MEA. hoc est, vtinam vita vestra esset afflicta loco vitæ meæ. Nec sunt verba cupientis tantum malum sociis: sed sunt verba velleitatis, qua quisque mauult alteri malum, quam sibi ipsi.

Vers. 5. CONSOLARER ET EGO VOS SERMONIBVS. Iuxta Hebræum habetur, *cumularem super nos sermones.* non repeterem eadem sicut vos facitis, sed multiplicarem super vos sermones rationales. ET MOVEREM CAPVT MEVM SVPER VOS. more mulierum commiserantium non solùm verbis, sed gestibus condolerem.

Vers. 6. ROBORAREM VOS ORE MEO. cuius oppositum vos facitis imponendo mihi peccàta quæ non commisi. ET MOVEREM LABIA MEA QVASI PARCENS VOBIS. Iuxta Hebræum habetur, *& motio labiorum meorum prohibebit.* hoc est, & labia mea non mouerentur, ad displicentia vobis, sed prohiberent molesta: cuius contrarium vos facitis.

Vers. 7. *Iob dolorem suum explingit.* SED QVID AGAM? Interpres hæc addidit. SI LOCVTVS FVERO, NON QVIESCET DOLOR MEVS. In idem redit quod Hebraicè scribitur, *non prohibebitur dolor meus.* hoc est, si loquar respondendo vobis, non propterea vitabo dolorem meum, eo quòd materiam tristem vos ingeritis. ET SI TACVERO, NON RECEDET A ME. Iuxta Hebræum habetur, *& prohibebo quid à me abibit?* subauditur repetita coniunctio: & si prohibebo locutionem meam silendo, quid doloris à me propterea abibit? quasi dicat, nihil. Collige itaque quòd sermo sociorum non erat consolatorius, sed addebat fastidium: & quòd nec sermo proprius, nec silentium proprium mitigabat dolorem eius.

Vers. 8. NVNC AVTEM OPPRESSIT ME DOLOR MEVS. Iuxta Hebræum habetur, *Tantum nunc lassauit me.* Et est sensus. inter duo extrema (videlicet loquendi, respondendo ad singula, & tacendi penitus) eligam medium, videlicet, nunc dicam solummodo id quod lassauit me, idquod fatigauit me vsque ad extremam lassitudinem. subiunctura est enim afflictionem suam & quo ad magnitudinem, & quo ad causas tum primam, tum secundam, tum meritoriã, ad confutandum sententiam Eliphaz, qua dixerat, solis iustis datam esse terram, ita quòd nullus perturbaret eos. subiungit enim & se esse iustum, & actore Deo se afflictum ab impio hoste: hæc enim directe aduersantur sententiæ Eliphaz, quam dicit se accepisse à sapientibus. ET IN NIHILVM REDACTI SVNT OMNES ARTVS MEI. Iuxta Hebræum habetur, *desolasti omnem congregationem meam.* Incipit narrare magnitudinem mali proprij, dirigendo sermonem ad Deum. Et summariè ad duo capita, omnia quæ passus est, colligit. dicendo enim, *desolasti omnẽ congregationem meam*, comprehendit non solùm tot congregationes ouium, & camelorum, & asinarum, & seruorum, & filiorum, sed etiam congregationem membrorum propriorum. fuerat enim percussus in membris propriis omnibus tam grauiter vt desolata dicantur membra.

Iob calamitatis magnitudinem narrat.

Vers. 9. RVGÆ MEÆ TESTIMONIVM DICVNT CONTRA ME, ET SVSCITATVR FALSILOQVVS ADVERSVS FACIEM MEAM, CONTRADICENS MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *Et fecisti rugare me, testis fuit: & surrexit in me macies mea, in facie mea testificabitur.* Alterum caput est consumpta iam propria caro: ita quòd non solùm membra omnia desolata, sed caro consumpta narratur. Describitur autem consumpta caro a rugis in pelle. homines enim carnosi, absque rugis sunt: consumpta autem carne, rugat pellis. Et tanquam in testem consumptæ carnis affert maciem propriam. & propterea ad instar testis testificantis contra aliquem in conspectu illius, introducit maciem, verissimè contra ipsius valetudinem testificantem coram & palam.

Vers. 10. COLLIGIT FVROREM SVVM IN ME, & COMMINANS MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *Furor eius rapuit & odit me.* Et est *odit* præteriti temporis. postquam summariè mala propria attribuit Deo actori, incipit per partes attribuere illa Satanæ tanquam causæ secundæ, ad directè confutandum verbum Eliphaz quòd alienus non transiuit inter eos. Subiunctarus autem *hostem*, de illo dicit tum internum odium contra ipsum Iobem tangendo totius persecutionis radicẽ ex parte Satanæ, tum actionem exteriorem, videlicet *rapuit* lupino more. huiusmodi enim rapere significat Hebraica dictio. exulceratus siquidem in membris, tanquam morsus lupina aggressione describitur. FREMVIT CONTRA ME DENTIBVS SVIS. Instar bestiarum iratarum frendentium dentibus describitur furor Satanæ, ad insinuandum immanitatem eius. HOSTIS MEVS TERRIBILIBVS OCVLIS ME INTVITVS EST. Iuxta Hebræum habetur, *hostis meus acuet oculos suos in me.* Ecce cuius descripsit odium, furorem ac fremitum. eiusdem enim subiungit oculorum acumen directum aduersùs ipsum Iobem, quod verum esse, perspicuum est ex scriptis in principio huius libri.

Rapidi verbum. Satanæ furor.

Vers. 11. APERVERVNT SVPER ME ORA SVA. Non digreditur Iob transiens à Satana ad ministros eius, socios videlicet Iobis: quoniam tanquam ministri Satanæ vexabant Iobem. ET EXPROBRANTES PERCVSSERVNT MAXILLAM MEAM. Iuxta Hebræum habetur, *in opprobrio percusserunt maxillas meas.* Non alapis, sed opprobriis (imponendo crimina) percusserunt socij Iobis maxillas illius, vituperantes eum coram. SATIATI SVNT POENIS MEIS. Iuxta Hebræum habetur, *simul super me congregabuntur.* Qui simul venerant ad consolandum me, perseuerant congregati contra me. in hoc enim officio ministri erant Satanæ.

Socij Iob instar ministrorum Satanæ.

Vers. 12. CONCLVSIT ME DEVS APVD INIQVVM. Iuxta Hebræum habetur, *Tradet me El tortificanti.* Attribuerat priùs Deo, deinde Satanæ suam afflictionem manifestat nunc modum quo ab vtroque percussus est, dicendo, *tradet me El tortificanti.* hoc est, perseuerat tradendo me tortificanti Deus fortis. Non dicit *Elohim*, quoniam non iudicio, sed potestati Dei attribuit quòd dederit eum in manus Dæmonis, cuius officium est efficere torturam. vtitur siquidem Deus iniquo officio & Dæmonum, & hominum ad bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum, secundùm Apostoli sententiam, ET MANIBVS IMPIORVM ME TRADIDIT. Iuxta Hebræum habetur, *& super manus impiorum humiliabit me.* Multos Dæmones operatos fuisse aduersùs se manifestat. Et dicit *humiliabit*, ad insinuandum perseuerantiam. perseuerabat enim Iobis afflictio, continuando dolorem, & multiplicando opprobria.

Vers. 13. EGO ILLE QVONDAM OPVLENTVS, REPENTE

TE CONTRITVS SVM. Iuxta Hebræum habetur, *Pacificus fui, & contrinit me, & tenuit ceruicem meam, & fregit me.* Quia apud Hebræos pacis nomine salus vniuersa significatur, propterea vnico verbo Iobis quieta tam opulentia, quam sanitas significatur, dicendo, *pacificus fui.*

Pax, de salute vniuersa apud Hebræos.

Pro intelligentia autem subiunctorum aduerte prudens Lector duo. Alterum quòd Iob vtitur tribus parabolis ad explicandas vexationes quibus afflixit eum Satanas. quarum prima spectat ad res Iobis, secunda ad propriam personam, & tertia ad ordinem afflictionum. Alterum circa ordinem literæ. nam metri causa multa transposita sunt: & particula illa in calce harum parabolarum scripta, *curret super me sicut potens*, debet esse prima. Ita quod postquam dictum est *pacificus fui*, intelligendum est subiungi, & *curret super me sicut potens, & apprehendit ceruicem meam, & fregit me, & contrinit me.* Hic est ordo rectus quo ordinanda est hæc prima parabola. assimilat siquidem Dæmonem viro robusto ac potenti, ex improuiso aggredienti aliquem (hoc enim significatur dicendo, *curret super me sicut potens*) & apprehendenti hominem per ceruicem, vt non se possit defendere manibus, aut dentibus: & per hoc significatur quòd Dæmon vexauit Iobem sic vt non relinqueret ei modum resistendi, vt testantur afflictiones illatæ, & frangenti ac conterenti eum. Ad instar tenentis hominem per ceruicem, & interim per suos ministros diripientis omnia penitus, describit prima vexatio Iobis per *frangere*, & *conterere*, absque resistentia siquidem omnia, quasi fregit Iobem tollendo camelos, oues, asinas, & boues, contriuit autem occidendo filios & filias. ET POSVIT ME SIBI QVASI IN SIGNVM. Iuxta Hebræum habetur, *& posuit me sibi in scopum.* Altera parabola assimilat Dæmonem statuenti hominem in scopum sagittariorum. dicit enim quòd Satan statuit ipsum Iobem in scopum, ad insinuandum tum studium ad intimè affligendum personam eius, quemadmodum sagittantes student ad propiùs attingendum centrum scopi: tum multitudinem percussionum, quemadmodum scopus percutitur vniuersus à multitudine sagittantium.

Dæmon viro robusto & potenti similatur.

Assimilatus statuenti hominem in scopum sagittariorum.

Vers. 14. CIRCVNDEDIT ME LANCEIS SVIS. Iuxta Hebræum habetur, *Circumibunt super me sagittarij eius.* Ecce multitudo sagittantium non ex vno loco, sed circũcirca, vt in membris omnibus omni ex parte percussum se significet. CONVVLNERAVIT LVMBOS MEOS, NON PEPERCIT: ET EFFVDIT IN TERRA VISCERA MEA. Iuxta Hebræum habetur, *scindet renes meos, & non miserebitur: effundet ad terram fel meum.* Describit seipsum vulneratum sagittis non solùm antè & retro, sed ex vtraque parte vulneratum intimè: per hoc quòd in parte posteriore scissi sunt renes, & in parte anteriore effusum est fel. renes enim intima membra sunt posterius, & fel intimum quid est anterius. Et quia parabola est, intellige per hæc percussam totam personam eius non solum in pelle, sed etiam intimè, citra tamen mortalia vulnerat. Et describuntur hæc facta absque misericordia, ad insinuandum quòd Satan nullo est vsus moderamine ad inferendum personæ Iobis quæ poterat mala. Vtitur autem verbis futuri temporis, ad insinuandum perseuerantiam vulnerum. conseruabat siquidem Satan vulnera viuida ad continuandum dolorem.

CONCIDIT ME VVLNERE SVPER VVLNVS. Vers. 15. Iuxta Hebræum habetur, *Dirumpet me diruptione super faciem diruptionis.* Tertia est hæc parabola, ad insinuandum excellentiam mali ex continuata successione mali ad malum: explicat enim id quod in principio libri narratum est de successione vnius afflictionis ad alteram absque mora: & propterea dicit, *diruptione super faciem diruptionis*, hoc est, super non reparata, sed existente & apparente diruptione. assimilat siquidem accumulationem afflictionum suarum multis diruptionibus vnius muri, seu sepis, quarum vna superuenit alteri non reparatæ, sed seruanti faciem suam, hoc est, apparenti. Dixi autem, *seu sepis*, quoniam Hebraicum verbum à diruptione sepium tractum est. IRRVIT IN ME QVASI GIGAS. Iuxta Hebræum habetur, *curret super me sicut potens.* Hæc est enim particula transposita, quam in principio primæ parabolæ expoſuimus intelligendam.

Iob afflictionum suarum cumulationẽ multis diruptionibus vnius muri, seu sepis similat.

SACCVM CONSVI SVPER CVTEM MEAM. Vers. 16. Postquam Iob manifestauit authorem afflictionis suæ Deum per Dæmonem, subiungit consequenter qualiter ipse susceperit afflictiones. & quum narrauerit odium ac sæuitiam Dæmonum erga ipsum, non dicit qualem seipsum exhibuit odio & sæuitiæ Dæmonum, sed qualem se exhibuit Deo principali authori afflictionum. Et quum afflictus fuit in rebus & filiis, scidit pallium suum, totondit caput, & adorauit Deum, vt in primo capitulo scriptum est, vt Deo humilianti exhiberet se humilem. amplius autem humilianti illum Deo propriam personam percutiendo, exhibuit se ampliùs humilem, induendo seipsum sacco non super aliud indumentum, sed immediatè super carnem, vt hic ipse narrat. Et quia cruor tanquam glutinum affixerat saccum cuti, ideo dicit consuisse se saccum super cutem suam. ET OPERVI CINERE CARNEM MEAM. Iuxta Hebræum habetur, *& exercui me in puluere carnis meæ.* non solùm exhibui me humilem in indumento, sed etiam in loco. sedit enim in cinere, vt in secundo capitulo scriptum est. Et cinerem appellat hic puluerem, narrans quòd exercuit se in puluere, comedens etiam ibi, & bibens. Adiungit autem *carnis meæ*, ad insinuandum quòd sciens & prudens deiecit celsitudinem suam ad huiusmodi vilitatem.

Qualiter afflictiones ipse susceperit.

Cinis, pro puluere.

FACIES MEA INTVMVIT A FLETV. Iuxta Vers. 17. Hebræum habetur, *Facies mea contracta est a fletu.* Quemadmodum enim cutis contrahitur iuxta ignem, ita cutis quæ remanserat in facie Iobis contracta est adurente eam calore multi fletus. fluunt enim calidæ lachrymæ. Et quoniam flere inter humiliatis actus hic supputatur, intelligendus est hic fletus tanquam voluntarius, vt procedit ex interna animi tristitia. Ac si apertiùs dixisset, quemadmodum humilianti me Deo exhibui me humilem exteriùs in sacco & cinere, ita Deo contristanti me exhibui me tristem in animo cum multitudine fletus extrà. ET PALPEBRÆ MEÆ CALIGAVERVNT. Iuxta Hebræum habetur, *& super palpebras meas vmbra mortis.* Quia attenuato valde humido retracti sunt ad interiora oculi Iobis, & propterea vmbra non modica fiebat a supercilijs ad palpebras, ideo dicit, *& super palpebras meas vmbra mortis.* præferebat enim vmbra illa horrendum quid sicut vmbra mortis, sicut vmbræ truces. & hoc narrat tanquam concomitans consummatum fletum.

Et

Et per hæc manifestat Iob quòd non est indignatus aduersus Deum, vt socij imponebant ei, sed humiliter suscepit mala de manu Dei. hæc enim humilitatis & patientiæ internæ sunt signa.

Vers. 18. HÆC PASSVS SVM. Interpres hæc verba addidit, & diuisit vnam sententiam in duas. nam iuxta Hebraicam veritatem legitur, *Super non torto in manibus meis, & oratione mea munda.* TERRA NON OPERIES SANGVINEM MEVM, ET NON ERIT LOCVS CLAMORI MEO. Vbi clarè cernitur vnica sententia: & est imprecatiua duorum malorum, ad testificandum innocentiam & religionem ipsius Iobis. tractat enim, vt prædictum est, causam meritoriam propriæ afflictionis, repetens quòd non propter iniquitatem, aut irreligiositatem afflictus est. Et quoniam prius asserenti hoc idem non credebant socij, ideo modò asserit idem, adhibito duplici iuramento, hoc est, vtroque modo iurandi, videlicet per execrationem, & per inuocationem. Iurando autem per execrationem, apostrophat ad terram, imprecans quòd non tegat ipsius sanguinem si in manibus eius iniquitas, aut oratio eius immunda fuit. Et per non tegi à terra sanguinem significat corpus inhumatum, & consequenter expolitum feris & auibus. Videbat siquidem Iob corpus suum tam desolatum, vt nullum censeret superesse malum præsentis vitæ quod posset corpori suo imprecari. & propterea imprecatur illi pessimum quod reputatur euenire mortuo in hoc mundo, videlicet quòd relinquatur inhumatum. Quo ad animam verò imprecatur quòd clamori eius non sit locus. hoc est, quòd preces suæ cum quantocunque animi clamore effundentur ad Deum, non exaudiantur. Hæc, inquam, duo mala imprecatur ad testificandum tum super non torto, seu iniquo in manibus, hoc est, in operibus eius aduersùs proximum: tum super oratione sua munda relatiuè ad Deum. imponebatur enim Iobi & quòd non mundas ad Deum preces funderet, sed peccatorum sordibus fœdas, tum quòd iniquus fuerit aliis hominibus: vt sociorum verba pluries insinuarunt.

Iob imprecatur corpus suum relinqui inhumatum.

Imprecatur animæ quod non sit locus clamori eius.

Vers. 20. ECCE ENIM IN COELO. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam nunc ecce in cœlis testis meus.* Ipsa continuatio textus monstrat quòd iuramentum iuramento Iob adiungit, dicendo, *etiam nunc ecce in cœlis testis meus.* Deum enim demonstrando inuocat ipsum in testem super innocentia sua. ET CONSCIVS MEVS. Iuxta Hebræum habetur, *& testis meus in excelsis.* hoc est, quanuis Deus non testificetur innocentiam meam in his inferioribus, testificatur tamen in excelsis coram Angelis. Et hoc verum esse patet ex scriptis *in primo & secundo capitulo*, in quibus Deus laudat Iobem coram Angelis.

Vers. 21. VERBOSI AMICI MEI. Iuxta Hebræum habetur, *Patroni mei, socij mei.* Hactenus Iob monstrando se iustum & afflictum a Deo per Dæmonem, confutauit sententiam Eliphaz & sociorum, dicentium quòd iustis data est terra sic quòd prosperitas eorum non perturbatur: modò respondet Eliphaz increpanti eum quòd præsumpserit disputare cum Deo. Et responsio consistit in hoc quòd disputatio debet fieri inter socios: sed quia ipse caret sociis, ideo stillante oculo ad Deum, conuenit homini disputatio cum Deo. Omnes siquidem has propositiones Iob profert in hoc contextu, quanuis non eodem ordine, incipit enim ab illa, videlicet quòd non habet socios, dicendo, *patroni mei, socij mei.* Ironia est. & est sensus quòd socij mei non exhibent se mihi socios, sed patronos ironicè, hoc est, sed aduersarios in causa mea. AD DEVM STILLAT OCVLVS MEVS. Iuxta Hebræum habetur, *ad Eloah stillauit oculi mei.* Ita iacet in Hebræo. & est sensus quòd vterque oculus stillauit non timul: & propterea vsus est verbo singularis numeri *stillauit.* exiccato siquidem valde humore cerebri, vix stilla lachrymæ nunc ex vno oculo, nunc ex altero disputante Iobe cum Deo colabatur. Ecce particula vna alterius propositionis, videlicet stillante ad Deum oculo congruit homini disputatio cum Deo. Et hæc particula manifestat modum humilem requisitum ad disputationem hominis cum Deo: simúlque declarat Iobem talem modum seruasse. Significanter autem dicitur *ad Eloah*, quia ad Deum quatenus iudex est, sermonem disputando dirigebat.

ATQVE VTINAM SIC IVDICARETVR VIR CVM DEO, QVOMODO IVDICATVR FILIVS HOMINIS CVM COLLEGA SVO. Interpretes mutando contextum, occultant veritatem Hebraicæ literæ: nam iuxta Hebræum habetur, *Et disputabit homo cum Eloah, & filius hominis cum socio suo.* Vbi clarè apparet in calce scribi illam propositionem, videlicet disputatio humana est inter socios. hoc enim significatur dicendo, *& filius hominis cum socio suo.* disputatio enim inquilitio est veritatis, & suapte natura exigit quòd fiat à inuantibus se mutuo ad inuestigandam veritatem: officium autem sociorum est adiuuare se inuicem. Et propterea Iob perspicaciter respondet ad Eliphaz, quòd optimè nouit disputationem filij hominis debere esse cum socio suo: cum Deo autem deficientibus sociis congruit homini disputare non simpliciter & absolutè, sed stillante oculo. hoc enim significatur dicendo, *ad Eloah stillauit vterque oculus, & disputabit homo cum Eloah.* Et per hoc excludit præsumptionis vitium in sua cum supremo iudice disputatione. aperit quoque per stillantem oculum necessitatem disputandi cum Deo dicente ius. quia stillans oculus, iam exhausto capite inducebat ad quærendum à Deo causam tantæ afflictionis: ita quòd stillans oculus & necessitatem & modum disputandi insinuat, præcipuè tamen modum. Vers. 22.

ECCE ENIM BREVES ANNI TRANSEVNT, ET SEMITAM PER QVAM NON REVERTAR, AMBVLO. Iuxta Hebræum habetur, *Quòd anni numeri venient, & semitam non reuertar, ibo.* Hinc incipere deberet aliud capitulum: quia particula illa initium est, immo pars subiunctæ sententiæ. ad manifestandum siquidem quòd iam complebuntur anni vitæ suæ, subiunget spiritum suum destructum, &c. Transit itaque Iob ad confutandum promissiones sociorum de futura in hac vita prosperitate ipsius Iobis. iurauerat enim se esse iustum, & mundas ad Deum preces fundere: & propterea secundùm promissiones sociorum debebat prosperari. aduersùs itaque huiusmodi promissiones affert propinquum se esse morti, dicendo *quòd anni numeri venient.* Annos paucos appellat annos numeri. decurtatum siquidem valde tempus vitæ suæ credebat: & propterea appellat vitæ suæ annos paucos, dicens Vers. 23.

Anni numeri, id est, anni.

dicens de eis quòd *venient*, subauditur, nunc nunc. Et per semitam qua ibit, & non reuertetur, mortem describit.

Mors depicta.

CAPVT XVII.

Vers. 1. *Iob ex afflictionis suæ magnitudine nimis sibi hic videtur præter mortem contendit.*

SPIRITVS MEVS ATTENVABITVR, DIES MEI BREVIABVNTVR: ET SOLVM MIHI SVPEREST SEPVLCHRVM. Iuxta Hebræum habetur, *Spiritus meus destructus est, dies mei iuciſi sunt: sepulchra mihi*, subauditur *adsunt*. Ad manifestandum quod proposuit (scilicet quòd adhuc pauci suæ vitæ nunc venient ad finem) affert tanquam testes destructum spiritum, diésque succisos, ita quòd sepulchrorum officia imminent. Potest autem nomine spiritus intelligi tam flatus, quam internus spiritus, qui à Physicis asseritur instrumentum animæ ad operationes vitales & animales. & flatum quidem suum ait destructum, quia loquebatur cum difficultate: internum autem spiritum deductum ferè ad nihilum, ipsa carnis consumptio & oculorum retractio & somni amissio manifestabant: dies verò succisos ad manifestandum paucitatem annorum affert. Et hinc apparet quòd Iob non erat senex quando passus est: succisos enim dies causantes paucitatem annorum, non potest allegare senex, etiam si ante moreretur, quam naturaliter victurus fuisset.

Spiritus natio.

Vers. 2. NON PECCAVI, ET IN AMARITVDINIBVS MORATVR OCVLVS MEVS. Iuxta Hebræum habetur, *Si non illusiones mecum: & in mutare eorum dormiens oculus meus.* Dixerat Eliphaz carpendo Iobum, non credet validò, errans quòd vana mutatio sua: & propterea Iob respondet quòd ipse putans mutationem suam esse vanam ad prosperitatem vitæ præsentis, non erat, immo bene facit, non credens huiusmodi illusionibus: ita quòd doctrinam quam Eliphaz appellauit *validam*, Iob appellat *illusiones*. Confutando itaque promissiones futuræ in hac vita prosperitatis, inchoat propositionem conditionalem, cuius antecedens habet duas partes, altera est, *si non illusiones mecum*, altera, *& in mutare eorum dormit oculus meus*. hoc est, si promissiones prosperitatis non sunt illusiones, & securus quiesco in mutatione quam socij mei dicunt futuram.

Iob amicos ipse secit argumentum ipse tamen in ipso facto reprehendit.

Vers. 3. LIBERA ME, ET PONI ME IVXTA TE. Iuxta Hebræum habetur, *Pone nunc fideiussionem mei tecum.* Ad Eliphaz sermonem dirigit, petens vt si vult ipsum Iobum credere pollicitis, fideiubeat quòd ita eueniet sicut promisit, ne securitatis argui possit credendo facilè. Et hæc est propositio consequens ad integrandum inchoatam conditionalem, sonantem si promissiones non sunt illusiones, detur mihi fideiussio. ET CVIVSVIS MANVS PVGNET CONTRA ME. Iuxta Hebræum habetur, *quis ipse manui meæ tangetur?* quasi dicat, nullus est qui manum suam manui meæ iungat fideiubendo. Et exclusa fideiussione intelligi vult promissiones sibi factas fore illusiones.

Iob si fideiussionem promissionum petit ab Eliphaz.

Vers. 4. CORDVM LONGI FECISTI A DISCIPLINA. Iuxta Hebræum habetur, *Quia cor eorum abscondisti ab intelligentia.* Dixerat Eliphaz Iobum non credentem promissionibus istis errare: respondet Iob alloquendo Deum quòd ipsi non intelligunt diuinæ prouidentiæ mysteria, dicendo, *quia cor* (hoc est, intimum) *eorum*, tum sociorum meorum, tum sapientum, quos citant socij, *abscondisti ab intelligentia*, proculdubio mysteriorum diuinæ prouidentiæ. Significater autem nominat *cor*, ad insinuandam causam meritoriam abscessionis ab intelligentia esse peccatum quod corde committitur. Et abscessionem hanc attribuit Deo vt actori, ad insinuandum quòd pœna est propter eorum peccatum, propter quod non dicit, *abscondisti intelligentiam* (quoniam Deus intelligentiam proponit omnibus;) sed dicit, *abscondisti cor eorum ab intelligentia.* PROPTEREA NON EXALTABVNTVR. PRÆDAM POLLICETVR SOCIIS. Iuxta Hebræum habetur, *ideo non exaltabis ad blanditiam, annuntiabit socios.* Quia cor eorum abscondisti ab intelligentia, ideo non exaltabis eum, qui socios annuntiat, hoc est, qui socios iustorum ac suos annuntiat ad blanditiam, hoc est, ad blandas prosperitates vitæ præsentis. Et per hoc manifestè arguit & socios & sapientes, à quibus didicerũt annuntiantes blanda iustis, quos solos socios sapientum appellant, & dicit Deo, ideo non exaltabis huiusmodi sapientes, optimè inferendo ex prima pœna hanc secundam. Et est sermo de exaltatione ad gloriam veræ doctrinæ. & propterea subiungit effectum, ET OCVLI FILIORVM EIVS DEFICIENT. hoc est, & oculi imitatorum doctrinæ eius deficient, seu consumentur, expectando verificationem talis doctrinæ, & non videndo verificatam eam.

Pœna causa qua.

Iob socios sapientum arguit.

Vers. 5.

Vers. 6. POSVIT ME QVASI IN PROVERBIVM VVLGI. Iuxta Hebræum habetur, *Et statuet me in parabolam populorum.* Tertia est hæc ratio non credendi promissionibus sociorum. prima fuit, quia non inuenitur fideiussor: altera, quia Deo puniente sapientes non verificatur eorum doctrina: tertia verò deducit ad absurdum. Est enim sensus quòd si crederem annuntianti blanda, ipse annuntians statueret me in parabolam populorum, hoc est, ego credens ei redderer parabola populorum iocantium de me quòd destitutus penitus in rebus filiis & corpore, ita vt alterum habeam in sepulchro pedem, crediderim promittentibus felicitatem vitæ præsentis. apud populos siquidem in parabolam (hoc est, in similitudinem) vertus fuisset Iob, dicendo, spes tua erit sicut spes Iobis. ET EXEMPLVM SVM CORAM EIS. Iuxta Hebræum habetur, *& in inferno prius ero.* hoc est, ideo efficiar parabola populorum credendo annuntianti blanda, quia prius moriar, quam blanda adeptè possint mihi. Dicto interpretata *infernus*, non proprie significat infernum, sed locum combustionis: quia tamen aiunt Hebræos nomine *thopheth* intelligere infernum, ideo sic interpretata est. certum est autem quòd mors describitur per hæc.

Infernus, de morte.

Vers. 7. CALIGAVIT AD INDIGNATIONEM OCVLVS MEVS, ET MEMBRA MEA QVASI IN NIHILVM REDACTA SVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Caligauit ab indignatione oculus meus, & membra mea sicut vmbra omnia ipsa.* Adiungit suprascriptis malis propriis alia duo mala. alterum est obtenebrationis oculorum ab indignatione, hoc

Indignatio Iob.

hoc est, ab ira susceptа. nominat enim afflictionem suam non iustitiam, sed indignationem, quia non ex merito peccatorum suorum affligebatur, sed tanquam ex indignatione Dei erga ipsum Iobem. Alterum quòd omnia eius membra erant sicut vmbra. hoc est, quòd non erant ampliùs membra, quòd non poterant exercere membrorum officia, sed erant velut vmbra membrorum. vmbra enim membrorum non exercet membrorum officia, sed repræsentat duntaxat membra. Et per hæc Iob manifestat se propinquissimum morti.

Vers. 8. STVPEBVNT IVSTI. Parui refert quòd iuxta Hebræum habetur, *Stupebunt recti super hoc.* Respondet ad id quod dixerat Eliphaz, franges timorem, & minues locutionem coram Deo: respondet, inquam, quòd recti super hoc (id est, super coniunctione calamitatis cum innocentia) non temere iudicabunt ex calamitate iniquitatem, vt vos iudicatis, sed admirando stupebunt patientes mysteria diuinæ prouidentiæ. ET INNOCENS CONTRA HYPOCRITAM SVSCITABITVR. Iuxta Hebræum habetur, *& mundus super impium mouebit se.* Considerabit siquidem mundus quòd iusti calamitas documentum est ad intelligendum quanta erunt supplicia impiorum, iuxta Petri Apostoli in primæ epistolæ *cap.* 4. sententiam. ex hac enim consideratione mouebit se vir mundus à peccato super impium, hoc est, reprehendendo impium malè interpretantem calamitatem iusti.

Vers. 9. ET TENEBIT IVSTVS VIAM SVAM. Non minuetur timor Dei, aut diuinus cultus in hominibus iustis, sed apprehendet quilibet iustus viam suam, hoc est, firmiter eam tenendo prosequetur illam. ET MVNDIS MANIBVS. Legendum est, *& mundus manibus*, AVGEBIT FORTITVDINEM. non solùm vitabitur diminutio diuini cultus, sed mundus manibus (hoc est, munda habens opera, augebit fortitudinem, tum propriam, tum aliorum ad aggrediendum quæ Dei sunt, & sustinendum aduersa.

Mundus manibus, id est, munda habēs opera.

Vers. 10. IGITVR OMNES VOS CONVERTIMINI. Iuxta Hebræum habetur, *Et profectò omnes ipsi reuertemini.* Recti quidem stupebunt non declinantes à via sua, vos verò certè reuertemini ad tuendam doctrinam contrariam quam protulistis. Et per hoc monet eos vt agnoscant seipsos non rectos esse ET VENITE. Iuxta Hebræum habetur, *& venietis nunc?* ET NON INVENIAM IN VOBIS SAPIENTEM. Respondet ad id quod dixerat Eliphaz quòd sapientes docuerunt eos: ad hoc, inquam, respondet, *venietis nunc*, non corporeo gressu, sed mentis attentione ad me subiungentem quæ dicam, & videbitis quòd *non inueniam in vobis sapientem*, hoc est, verè sapientem quemcunque eorum quos iactatis sapientes.

Iob amicos insipientiæ arguit.

Vers. 11. DIES MEI TRANSIERVNT. Ostensurus quòd sapientes citati ab Eliphaz non verè sapiunt, imò quòd desipiunt, resumit se esse propinquissimum morti, dicendo, *dies mei transierunt.* COGITATIONES MEÆ DISSIPATÆ SVNT. Iuxta Hebræum habetur, *cogitationes meæ solutæ sunt.* Accumulat rationes ad probandum quòd est propinquus morti, adiungendo, quia perdidit penitus somnum: & à causa somni perditi inchoat, dicendo, *cogitationes meæ solutæ sunt*, à naturali regimine impotente reducere eas ad quietem. TORQVENTES COR MEVM, NOCTEM VERTERVNT IN DIEM. Iuxta Hebræum habetur, *cogitationes cordis mei noctem ponent in diem.* Causam ad effectum applicatam narrat, videlicet quòd solutæ cogitationes cordis sui perseuerant tollendo somnum. Priuationem siquidem somni describit per noctem positam in diem. nox enim est naturale tempus dormiendi, dies verò vigilandi: & propterea significatur tempus dormiendi occupatum à vigilia. ET RVRSVM POST TENEBRAS SPERO LVCEM. Iuxta Hebræum habetur, *lucem propinquam à facie obscuritatis.* Non solùm solutas, sed etiam pauidas cogitationes causantes vigiliam narrat, dicendo quòd cogitationes suæ ponent *lucem propinquam* (hoc est, lucem candelæ propinquam iacenti propter timorem) *à facie obscuritatis.* hoc est, cogitationes meæ terrent me in tenebris iacentem sine somno, vsque adeò vt oporteat ad euitandum horrorem obscuritatis habere lucernam accensam propinquam oculis meis. Et per hoc firmatur quòd penitus perdiderat somnum.

Noctem in diem ponere, pro priuari somno.

Vers. 12.

Vers. 13. SI SVSTINVERO. Iuxta Hebræum habetur, *Si sperabo.* Prænarrata propinquitate mortis suæ formatrationem aduersùs sapientiam sapientum, dicendo, *si sperabo*, felicitatem præsentis vitæ, quam iuxta vestrorum sapientum sententiam promittitis mihi, ecce quid eueniet, videlicet, INFERNVS DOMVS MEA EST. Iuxta Hebræum habetur, *fouea domus mea.* Incipit narrare quæ euenient: & inchoans à domo, dicit domum suam foueam sepulchri. ET IN TENEBRIS STRAVI LECTVLVM MEVM. Descripta domo describit lectum in obscuritate perpetua, vtpote intra sepulchrum.

Domus & lectus Iob, de sepulchro, & obscuritate in illo.

Vers. 14. PVTREDINI DIXI: PATER MEVS ES: MATER MEA, ET SOROR MEA, VERMIBVS. Iuxta Hebræum habetur, *Foueam vocaui, pater meus tu: mater mea, & soror mea, vermem.* Surrogat sibi loco patris foueam, & loco matris & sororis vermes. Ita quòd foueam sepulchri loco domus & loco patris surrogauit, ea forte ratione, quia principium generationis attribuitur non solùm patri, sed loco.

Vers. 15. VBI EST ERGO NVNC PRÆSTOLATIO MEA? ET PATIENTIAM MEAM QVIS CONSIDERAT? Iuxta Hebræum habetur, *Et vbi nunc spes mea? & spem meam quis videbit ipsam?* Si sperabo quod promittitis, sequetur nunc mors mea: & vbi spes mea in hac vita adimplebitur (quasi dicat, nullibi.) *& quis videbit* impleri *spem meam?* quasi dicat, nullus.

Vers. 16. IN PROFVNDISSIMVM INFERNVM DESCENDENT OMNIA MEA: PVTASNE SALTEM IBI ERIT REQVIES MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *In foueam descendent, si simul super puluere requies.* Dixerat, *quis videbit?* subiungit irrisoriè, nisi aliqui in sepulchrum meum descendant ad videndum si simul in puluere requies felicitatis promissæ mihi est: quod est ridiculum.

CAPVT XVIII.

Vers. 1. & 2. RESPONDIT AVTEM BILDAD SVHITES. Ordinate respondent iterum eo ordine quo prius responderant. ET DIXIT: VSQVE AD QVEM FINEM VERBA IACTABIS? Iuxta Hebræum habetur, *Vsquequo ponetis finem verbis?* Honoris gratia alloquitur Bildad Iobem in secunda persona numeri pluralis, dicendo *ponetis*. arguit autem eum quòd multiplicat verba declinando ab eo in quo præcipue consistit quæstio: & propterea subiungit, INTELLIGE PRIVS, ET SIC LOQVAMVR. Iuxta Hebræum habetur, *intelligetis, & postea loquemur.* Arguit Iobem quòd non penetrat præcipuum difficultatis mysterium. & occasionem sumpsit ex eo quòd Iob multiplicauerat verba ad monstrandum propter propinquitatem suam ad mortem vanas fore promissiones sibi factas. Ac si apertiùs Bildad dixisset. non intelligis quòd non consistit nervus quæstionis in assecutione nouæ prosperitatis tuæ, sed in hoc quòd soli impij patiuntur huiusmodi aduersitates. in hac enim sententia diffunditur vniuersus sermo præsentis capituli.

Iob arguitur à Bildad.

Vers. 3. QVARE REPVTATI SVMVS VT IVMENTA, ET SORDVIMVS CORAM TE? QVID PERDIS ANIMAM TVAM IN FVRORE TVO? Iuxta Hebræum habetur, *Quare reputati sumus sicut bestia: abscondisti sumus in oculis vestris, rapiens animam suam in furore suo?* Metri causa transpositæ sunt particulæ. ordo enim literæ est, quare reputati sumus sicut bestia rapiens animam suam in furore suo, absconditi sumus in oculis vestris? Antequam sententia incipiat doctrinæ, respondet Bildad ad ea, quæ dixerat Iob, videlicet quòd Deus abscondit cor eorum ab intelligentia, quódque ipsi annuntiant socios ad blanditiam. Ad hæc, inquam, respondendo dicit duo. alterum, *quare absconditi sumus in oculis vestris.* hoc est, quare iudicio vestro habemur absconditi ab intelligentia? alterum, *quare sumus reputati sicut bestia rapiens animam suam in furore suo*, hoc est, sicut bestia acta a passionibus animæ. hoc enim maximè apparet quum bestia furibunda absorbet id parum iudicij quod habet, & agitur furore. dicit enim hoc directè respondendo ad obiectam eis doctrinam blandam. hoc enim nihil aliud est, quàm doctores agi à passionibus animi etiam docendo: quod est eos esse subiectos passionibus, adeò vt nec in doctrinæ iudicio liberi sint, & propterea similes esse bestiæ furibundæ.

Vers. 4. NVNQVID PROPTER TE DERELINQVETVR TERRA. Metaphora est aduersùs doctrinam Iobis, & sumitur similitudo ab expugnatore terrarum, cuius timore derelinquitur ciuitas ab habitatoribus. Ac si apertiùs dixisset, nunquid propter tuam doctrinam desinent homines in qua soliti sunt versari doctrina manere, nunquid tam potens eris doctrina tua quòd efficies eos qui sunt nati & nutriti in communi doctrina quam profitemur deserere illam? quasi dicat, minimè. ET TRANSFERENTVR RVPES DE LOCO SVO? Iuxta Hebræum habetur, *& recedet rupes è loco suo?* Metaphora est rupis nomine, significans fixam ac immobilem doctrinam quam sapientes & socij Iobis profitebantur. nunquid tam potens erit doctrina tua quòd doctrina quam profitemur fixa ac immobilis tanquam rupes, recedet è loco suo: hoc est, à mentibus sapientum quæ sunt propria loca doctrinæ.

Rupes, de doctrina quam profitebantur sapientes, & socij Iob.

NONNE LVX IMPII EXTINGVETVR. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Etiam lux impiorum extinguetur.* Duo simul officia facit Bildad. nam & Iobis doctrinam non sat fuit dixisse inualidam, sed dicit etiam extinguendam: & in genere dicit quòd lux (hoc est, doctrina) impiorum extinguetur. Incipit itaque enarrare miserias quæ solis impiis eueniunt, inchoans ab extinctione doctrinæ: quæ nominatur *lux*, eo quòd doctrina illuminatiua est mentium. ET NON SPLENDEBIT FLAMMA. Iuxta Hebræum habetur, *& non splendebit scintilla ignis eius.* Pronomen *eius* demonstrat impium. & vsque adeò doctrinam impiorum extinctum iri dicit, vt nec scintilla splendeat, ad instar ignis qui sic extinguitur vt nec scintilla remaneat. Vers. 5.

Lux, de doctrina. Impiorũ miseria narrantur.

LVX OBTENEBRESCET IN TABERNACVLO ILLIVS. Parui refert quòd Hebraicè scribitur in præterito *obtenebrata est.* Ad instar deficientis luminis in tabernaculo describitur defectus celerrimus doctrinæ impij, dicendo quòd in proprio tabernaculo obscurata est, hoc est, in propria familia defecit. ET LVCERNA QVÆ SVPER EVM EST, EXTINGVETVR. Iuxta Hebræum habetur, *& candela eius super eum extinguetur.* hoc est, ad instar candelæ quæ extinguitur cum homine, doctrina impij extinguetur super ipsum, hoc est, cum ipsomet, & non æmanebit lucens. Vers. 6.

ARCTABVNTVR GRESSVS VIRTVTIS EIVS. Extinctioni doctrinæ adiungit duas alias miserias. altera est arctabuntur gressus fortitudinis, seu roboris eius: altera subiungitur, ET PRÆCIPITABIT EVM CONSILIVM SVVM. Hebraicè tamen habetur, *& proijcies.* Post doctrinam apte subiungit prudentiam quæ relucet in consilio, & fortitudinem virium corporis & facultatum exteriorum. Et progressus quidem virium arctandos, prudentiam autem proiicientem in deterius proponit, declaraturus singula. Vers. 7.

IMMISIT ENIM IN RETE PEDES SVOS: ET IN MACVLIS EIVS AMBVLAT. Iuxta Hebræum habetur, *Quia fuit missum rete in pedes eius, & super rete ambulabit.* Dictio secunda vice interpretata *rete*, non propriè significat rete, sed aliquid simile. Duo proposuerat: consilium videlicet, & robur. & propterea inchoans à consilio, declarat impij consilium ducere ipsum in malum, tum quo ad pericula cognita, tum quo ad pericula latentia. Et pericula quidem cognita describuntur ad instar retis missi ante pedes eius, ita quòd videns illud confidit ambulare super illud, & pertransire. sæpe enim accidit vt parata pericula non æstimemus, sed inter illa progrediamur, faciendo quòd facturi sumus confidentes euadere. Vers. 8.

Consilium impij.

TENEBITVR PLANTA ILLIVS LAQVEO, ET EXARDESCET CONTRA EVM SITIS. Iuxta Hebræum habetur, *Apprehendet calcaneum laqueus, roborabit super eum latrones.* Sic iacet in Hebræo: sed frequenter mutatur plurale Vers. 9.

plurale in singulare, *roborabit*, pro roborabunt. est enim sensus quòd multitudo latronum tobur exercebit super eum. Terminus describitur impij ambulantis super rete nomine *calcanei*, quod est extrema pars corporis, ac si apertiùs dictum fuisset quod malo vsus consilio non cuadet, sed tandem capietur, incidet in laqueum, & tanquam superuenientibus latronibus male tractabitur.

Robur impy.

Vers. 10. ABSCONDITA EST IN TERRA PEDICA EIVS, ET DECIPVLA EIVS SVPER SEMITAM. Latentia pericula describuntur ad instar laqueorum absconditorum in terra super semitam.

Pericula latentia describuntur.

Vers. 11. VNDIQVE TERREBVNT EVM FORMIDINES. Rectiùs diceretur: *terrores*. ET INVOLVENT PEDES EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *& dispergent eum ad pedes eius*. Describitur terminus impij in periculis occultè paratis ei, ad instar hominis non intendentis transire per semitam, & tamen territus ex in circumitu imminentibus sibi malis dispergitur ambulando hac atque illac, & sic venit ad semitam in qua absconditus est ei laqueus ad illaqueandum pedes. simili siquidem modo impij incidunt in latentes insidias, proprio vtentes consilio ad euadendum ab imminentibus sibi malis aliis.

Impy terminus describitur.

Vers. 12. ATTENVETVR FAME ROBVR EIVS, ET INEDIA INVADAT COSTAS ILLIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Erit famelici robur eius, & fractionis parata ad costam eius*. Frequens apud Hebræos vsus nominis abstracti pro concreto, insinuat intelligendum esse nomine *fractionis parata*, effractoris parati ad costam eius. Declarato consilio impiorum quo ad euentum malum, declarat consequenter arctari robur impij, tum quo ad facultates, tum quo ad vires corporis. & de opibus quidem dicit quòd erunt famelici & effractoris parati ad latus eius. Vtinam quotidie non videremus hæc. videmus enim multorum opes exhauriri stipendiis satellitum paratorum ad latus diuitis, qui hic appellantur effractores & famelici, quia sunt viri tenues, & prompti ad mala.

Vrallio, pro effractore. ab. fractum pro concrete.

Vers. 13. DEVORET PVLCHRITVDINEM CVTIS EIVS, ET CONSVMAT BRACHIA ILLIVS PRIMOGENITA MORS. Iuxta Hebræum habetur, *Comedet membra pellis eius, comedet membra eius primogenitus mortis*. Vires corporis consequenter describit exhauriendas in impijs à primogenito mortis, hoc est, à mœrore. mœror enim appellatur primogenitus mortis, quia primum quod gignit mors in animis nostris est mœror: quilibet enim tristatur cogitans se morituum. & mœror comesturus describitur membra pellis, hoc est, quia etiam corrodit membra sub pelle immediatè existentia consumptis carnibus, iuxta illud Prouerb. 17. *spiritus tristis desiccat ossa*. propter quod exaggerando repetitur, *comedet membra eius*. Quamuis autem Bildad dicat hæc de impijs in genere, carpit tamen Iobem dolore consumptum quòd adhuc magis consumetur.

Primogenitus mortis, id est, mœror. Mœror comesturus membra pellis cutis

Prou 17.22.

Vers. 14. AVELLATVR. Rectiùs legitur, *Soluetur*, è TENTORIO SVO SPES EIVS. Propinquitatem ad mortem tantum vt non sit spes vitæ, describit per spei effixionem à propria domo: homo enim non sperans ampliùs viuere, soluit spem manendi in domo sua. narratis siquidem miseriis impij viuentis, transit ad miseriam impij morituri. ET CALCET SVPER EVM QVASI REX, INTERITVS. Iuxta Hebræum habetur, *& facies deambulare ipsum ad Regem terrorum*. hoc est, ad mortem quatenus est supremum terribilium, secundùm doctrinam negantium aliam vitam. Duo itaque mala in impio moriente describuntur. alterum desperatio ducens ipsum paulatim ad mortem tanquam deambulantem: alterum terror. propterea enim describitur pergens ad Regem terrorum.

Impij termini describuntur.

Rex terrorum de morte.

Vers. 15. HABITENT IN TABERNACVLO ILLIVS SOCII EIVS QVI NON EST. Iuxta Hebræum habetur, *Habitabit in tentorio eius ex in non ei*. Transit ad miserias impij post mortem. & habitator significatur alienus à consanguineis & affinibus defuncti, dicendo quòd in tabernaculo eius defuncti habitabit homo ex iis, qui comprehenduntur *in non ei*, hoc est, in non coniunctis ei. ASPERGATVR IN TABERNACVLO EIVS SVLPHVR, *ad ignominiam*, loco aromatum quæ in domo mortui diuitis cremabantur.

Impy miseria post mortem.

Vers. 16. DEORSVM RADICES EIVS SICCENTVR: SVRSVM AVTEM ATTERATVR MESSIS EIVS. Futura Indicatiui sunt hæc omnia verba: & secunda particula iuxta Hebræum habetur, *& sursum incidetur ramus eius*. Metaphorico sermone significat inchoata opera ab impio defuncto defectura, tum quia arescet radix (hoc est, id quod fouet & alit inchoatum opus) tum quia succidetur *ramus*, hoc est, quicquid in inchoato opere prouectum erat.

Impij defuncti inchoata opera defectura.

Vers. 17. MEMORIA ILLIVS PEREAT DE TERRA. Iuxta Hebræum habetur, *peryt*. & est sermo de memoria laudis & gloriæ. ET NON CELEBRETVR NOMEN EIVS, IN PLATEIS. Interpres addidit *celebretur*, ad claritatem sensus. in platea siquidem congregari homines soliti sunt conferre de nomine defuncti, miserando & laudando tempore quo defunctus est. Inter miserias itaque defuncti supputat, & quòd in posterum non erit memoria eius, & quòd tunc non erit nomen eius in platea.

Vers. 18. EXPELLET EVM. Legendum est, *Pellent eum*, DE LVCE AD TENEBRAS. hoc est, quem glorificabant viuum, vituperabunt mortuum. ET DE ORBE TRANSFERENT EVM Iuxta Hebræum habetur, *elongabunt eum*. hoc est, indignum orbe terrarum dicent eum.

Vers. 19. NON ERIT SEMEN EIVS, NEQVE PROGENIES. Iuxta Hebræum habetur, *Non filius ei, & non nepos in populo eius*. Sententia est clara. NEC VILLÆ RELIQVIÆ IN REGIONIBVS EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *in habitationibus eius*. nec est opus expositione.

Vers. 20. IN DIE EIVS STVPEBVNT NOVISSIMI, ET PRIMOS INVADET HORROR. Iuxta Hebræum habetur, *Super diem eius stupebunt posteri, & priores apprehendit pauor*. Quamuis memoria laudis non erit, erit tamen memoria calamitatis tantæ quòd & posteri stupebunt, & antiquiores superstites affecti sunt pauore, quemadmodum nauigantes in fluctibus & procellis: talem enim timorem insinuat Hebraica dictio.

Vers. 21. HÆC SVNT ERGO TABERNACVLA INIQVI, ET ISTE LOCVS EIVS QVI IGNORAT DEVM. Iuxta Hebræum habetur, *Tantum hæc habitacula iniqui,*

Vers. 14. Impij meritis maledicio.

iniqui, & iste locus non nouit El. hoc est, eius qui non nouit Deum fortem. Annota prudens Lector aduerbium *tantum*; quoniam in eo consistit nervus totius sententiæ Bildad aduersùs Iobem. manifestat enim per hanc exclusionem quòd prædictæ omnes miseriæ accidunt impijs duntaxat: vt hinc colligat Iobem inter impios. Nec intendit Bildad quòd cuilibet impio eueniant vniuersa mala hæc, sed quòd nulla harum miseriarum afficitur nisi impius. Describit itaque miserias dictas sub specie habitaculorum & locorum, in quibus quasi habitant & conuersantur iniqui relatiue ad homines & ignorantes Deum notitia obsequijque eo quòd eum tales has miserias nequeunt, quemadmodum nec habitaculis, nec locis carere possunt.

CAPVT XIX.

Vers. 1. & 2. *Iob amicos crudelitatis arguit.*

RESPONDIT AVTEM IOB, ET DIXIT: VSQVEQVO AFFLIGITIS, parui refert quòd Hebraice habetur, *contristabitis*, ANIMAM MEAM. Ac si apertius dixisset, tanto dolori quem sustineo in corpore, vsque quò perseuerabitis in gerendo tristitiam in animo. ET ATTERITIS ME SERMONIBVS? Futurum est apud Hebræos. Duo absurda committebant socij Iobi, alterum quòd perseuerabant dicendo contristantia Iobem, qui tamen venerant ad consolandum eum: alterum quòd multiplicabant non rationes, sed verba: & propterea Iob dicit, *vsquequo atteretis me sermonibus.*

Vers. 3. EN DECIES CONFVDISTIS ME. Iuxta Hebræum habetur, *Hoc decem vicibus pudore afficietis me.* Si supputatur numerus alterni sermonis, quinquies locuti sunt hactenus socij, & Iob quinquies quoque respondit connumerata responsione ista, & propterea dicit hoc decem vicibus, hoc est, cum isto supputato colloquio decem vicibus affecistis me pudore, quinquies audiendo, & quinquies respondendo. ET NON ERVBESCITIS OPPRIMENTES ME. Iuxta Hebræum habetur, *non erubescetis, audebitis in me*: Debebant enim erubescere ex tali officio: nec debebant audere in socium tam vehementer afflictum, sed condolere & commiserari.

Vers. 4. NEMPE, ETSI IGNORAVI, MECVM ERIT IGNORANTIA MEA. Iuxta Hebræum habetur, *Et etiam profectò erraui: mecum dormiet error meus.* Verba sunt non asserentis se erratse, sed concedentis socijs: ac si dixisset, esto quòd erraui. respondet siquidem tacitæ obiectioni, videlicet quòd ratione erroris contristabant eum socij, & audebant in eum. Et appellatur error sermo excusatorius Iobi, videlicet quòd erat afflictus, non propter peccata propria. de hoc enim dicit, *& profectò etiam erraui*, id est, esto quòd erraui, non vos lædet error meus, sed quiescet mecum: hoc est, ex quo videtis me fixum in hac sententia, esto quòd errem, non propterea perseuerare debetis audendo & contristando me, quia non nocet vobis error meus, sed mecum dormiet nulli molestus. Et dicit hæc respondendo ad Bildad, qui in præcedenti capitulo dixerat Iobi, *numquid propter te relinquentur terræ, &c.*

Vers. 5. AT VOS CONTRA ME ERIGIMINI, ET ARGVITIS ME OPPROBRIIS MEIS. Iuxta Hebræum habetur, *Si certè super me ingrandescetis, & arguetis super me vituperium meum.* Inchoat conditionalem, cuius antecedens habet duas partes, quarum prima est quòd si certè grandes fietis super me dissentientem à vobis. altera est, *& vituperium meum* (hoc est, & afflictionem meam tanquam vituperium meum) reprehenderis super me, hoc est, super merito meo. Tangit enim in hoc antecedente vtrumque, videlicet, & dissidentes doctrinas de aduersitatibus hominum in prima parte, & dissidentes sententias de merito ipsius Iobis. nam dissentiebant de aduersitatibus hominum in communi, affirmante Iobe affligi quandoque homines à Deo sine eorum culpa: affirmantibus autem sociis homines affligi à Deo pro peccatis duntaxat. Dissentiebant quoque consequenter applicando hæc ad Iobem, asserentibus sociis Iobem puniri pro peccatis eius: affirmante autem Iobe se longe plus pati, quàm mereantur peccata sua.

vituperium, pro afflictione.

Vers. 6. SALTEM NVNC INTELLIGITE: QVIA DEVS NON ÆQVO IVDICIO AFFLIXERIT ME, ET FLAGELLIS SVIS ME CINXERIT. Parui refert quòd iuxta Hebræum habetur, *Scite nunc quod Eloah fecit tortum mihi, & laqueum super me fecit circundare.* Ecce consequens ad integrandum inchoatam conditionalem: & constat consequens ex duabus partibus. altera est, *Eloah* (hoc est, Deus iudex) *fecit tortum mihi*, quo ad quantitatem mali, affligendo me plus quam mereor: altera est quòd fecit malum meum incurabile. hoc enim significatur metaphora laquei circundantis, dicendo, *& laqueum circundare fecit super me*, vt nulla ex parte possim euadere.

Iob. à Deo flagellari se immerito.

Aduerte prudens Lector quòd Iob non blasphemat; quia non absolutè, sed sub conditione affirmat Deum non rectum fecisse iudicium. est enim sensus quòd si Deus affligit pro peccatis duntaxat, fecit non rectum iudicium mihi, puniendo me longe plus quàm mereor. Nec putes Iobem confisum in proprio scrutinio meritorum suorum, prorupisse in hanc conditionalem: quoniam inexcusabilis esset à blasphemia; scriptum est enim, *delicta quis intelligit?* sed confisus in diuina reuelatione protulit hanc conditionalem, quamuis minus prudenter. reuelatum siquidem fuisse Iobi quòd Deus afflixit eum, ad probandum quòd etiam tam vehementer afflictus non peccaret, sed perseueraret in rectitudine animi, apparet superiùs *cap.* 10. Dixi autem *minus prudenter*, quia in modo loquendi retorquet iniustitiam in Deum. debuisset siquidem dicere se plus pati, quam meretur, & non ponere os in iudicium Dei. vnde & inferiùs arguitur Iob à Deo quòd hæc dixerit. Est itaque conditionalis ista vera, quamuis tam antecedens, quàm consequens sit falsum: quemadmodum vera etiam est ista conditionalis, si leo volat, leo habet alas, & tamen tam antecedens, quam consequens est impossibile.

Vers. 7. ECCE CLAMABO VIM PATIENS, ET NEMO AVDIET. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce clamabo tortum, & non respondebitur mihi.* Prosequitur conditionalem, inchoando à secunda parte consequentis, videlicet, *laqueum super me fecit circundare.* declarat siquidem quòd nulla sibi relicta est via euadendi, incipiens à via clamoris

clamoris queruli, clamando sibi fieri tortum: quantumcunque enim clamauero, non inuenitur respondens, hoc est, releuans me. VOCIFERABOR, ET NON EST QVI IVDICET. Parui refert quòd Hebraice habetur, *& non iudicium.* non solùm carco releuante, sed etiam non inuenio iudicium. præsupponit enim se pati iniustum.

Vers. 8. SEMITAM MEAM CIRCVMSCRIPSIT, ET TRANSIRE NON POSSVM: ET IN CALLE MEO TENEBRAS POSVIT. Iuxta Hebræum habetur, *Viam meam obstruxit, & non transibo: & super semitas meas tenebras ponet.* Tertiò facultatem euadendi tanquam pei recessum à loco in quo patitur ademptam sibi describit, ad instar hominis cui via publica obstructa est, & cui obscuratæ sunt particulares semitæ. Et intendit per has similitudines dicere consequenter quòd Deus ipsum intellectum eius lumine veritatis in multis rationibus mouentibus eum, & obstruxit ei viam ad assequendum bonum, indurando cor eius ad volendum sistere in vita solita: hæc enim sequuntur ex illa conditionali. si enim asseritur opinio sociorum de Iobis punitione, & iungitur innocentiæ eiusdem quam tuetur, sequuntur omnia hæc, videlicet & quòd non inueniat iudicium, & quòd obtenebratus est intellectus Iobis, & quòd obstinata est voluntas eius, vt nunquam transeat ad euadendum malum, & assequendum bonum felicitatis prædicatæ à sociis.

Vers. 9. SPOLIAVIT ME GLORIA MEA. Legendum esset, *honore meo.* Manifestato laqueo circundante ipsum, manifestat magnitudinem afflictionis, colligendo prænarrata mala sua summatiè, & explicando mala alia priùs tacita. & dicit hæc ad inchoandum probationem consequentiæ. Dico *ad inchoandum*, quia ad verificandum sequelam consequentis ex antecedente non sat est manifestare magnitudinem afflictionis, sed adiungere oportet quòd afflictus est iustus. ex ambobus enim simul, & non ex altero tantùm, verificatur quòd plus patitur, quàm mereatur, vt patet. & propterea Iob manifestat priùs afflictionis propriæ magnitudinem, & deinde propriam coram Deo iustitiam. Verùm magni refert discernere hanc manifestationem ab immediatè præcedente: quoniam illa innititur sententiæ falsæ, assumptæ in antecedente conditionalis dictæ: ista autem innititur veritati rerum gestarum. subiungit enim mala quæ vere passus est, & vere testantur magnitudinem afflictionis. & inchoat a priuatione honoris: non enim amplius honorabatur. ET ABSTVLIT CORONAM DE CAPITE MEO. hoc est, authoritatem, qua additione dignus tanquam Rex habebar.

Iob afflictionis sua magnitudinem ostendit.

Vers. 10. DESTRVXIT ME VNDIQVE, ET PEREO. Iuxta Hebræum habetur, *Destruet me in circuitu, & iui.* hoc est, perseuerat destruendo me in circuitu, & iui in manus eius metaphorico sermone diceptionem ac consumptionem opum suarum describit. ET QVASI LVVLS, E ARBORI ABSTVLIT SPEM MEAM. Iuxta Hebræum habetur, *& mouit sicut arborem spem meam.* Spem suam appellat filios propagaturos progeniem eius. & modum quo interierunt commemorando, assimilat commotioni arboris. consueuerunt siquidem arbores euelli ex magno venti turbine: & sic occisos fuisse filios testatur historia in principio huius libri scripta. concussit siquidem ventus domum in qua erant, &c.

Spei Iobi, filij propagaturi progenies eius.

Vers. 11. IRATVS EST CONTRA ME FVROR EIVS. Afflictionem propriæ personæ percussæ à planta pedis vsque ad verticem commemorat. ET SIC ME HABVIT QVASI HOSTEM SVVM. Parui refert quòd Hebraice habetur, *& supputauit me sibi sicut ostes suos.* Narratis malis illatis sibi a Deo, narrat modum quo intulit hæc Deus, & describit fuisse modum hostilem: hoc est, quòd tanquam contra hostem suum processit Deus. Et explanando hunc modum subiungit,

Vers. 12. SIMVL VENERVNT LATRONES EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Simul venient societates eius.* Vere secundùm historiã simul tempore venturæ ordinatæ fuerunt, & venerunt societates diuersæ, videlicet Chaldæorum, Sabæorum, & Dæmonum tum excitantium ventos, tum immittentium ignem. Et pronomen *eius* demonstrat Deum, sub cuius potestate sunt societates illæ tanquam societates militum. ET FECERVNT SIBI VIAM PER ME. Iuxta Hebræum habetur, *& calcarunt super me vias suas.* hoc est, vno eodemque tempore calcarunt vias suas diuersas contra me. ET OBSEDERVNT IN GYRO TABERNACVLVM MEVM. Ad verificandum quòd Deus processit contra eum tanquam hostem, describitur tanquam circundatus societatibus istis ad expugnandum eum. Et verè sic fuerat: quoniam ad expugnandum animum eius vt rueret in peccatum, occisi sunt filij & famuli, consumptæ oues, & direpta reliqua animalia. quo ad hoc siquidem verificatur similitudo hostilitatis, & non solùm secundùm res gestas exteriùs: quamuis Deus non intenderit expugnare, sed tradiderit eum Dæmonibus intendentibus expugnare.

Vers. 13. FRATRES MEOS LONGE FECIT A ME. Narratis malis sibi illatis directe, subiungit mala quæ per modum sequelæ euenerunt sibi. & fratres quidem appellat consanguineos & affines. ET NOTI MEI QVASI ALIENI RECESSERVNT A ME. Iuxta Hebræum habetur, *& noti mei tantùm alienati sunt à me.* hoc est, & mihi tantùm noti (vtpote qui mihi soli communicabant secreta sua) alienati sunt à me.

Iob ostendit se ab amicis destitutum. Fratres Iobi, consanguinei & affines.

Vers. 14. DERELIQVERVNT ME PROPINQVI MEI. Iuxta Hebræum habetur, *Prohibuerunt appropinquantes mihi.* hoc est, soliti appropinquare mihi visitando me, prohibuerunt officia salutationis, visitationis, comitatus, & huiusmodi. ET QVI ME NOVERANT, OBLITI SVNT MEI. & vniuersaliter illi obliti sunt mei, inter quos & me mutua erat notitia.

Propinqui Iobi, qui appropinquare sibi soliti.

Vers. 15. INQVILINI DOMVS MEÆ, ET ANCILLÆ MEÆ SICVT ALIENVM HABVERVNT ME: ET QVASI PEREGRINVS, EVI IN OCVLIS EORVM. Hinc apparet quòd famuli & famulæ Iobis habitantes in domo Iobis, non fuerunt percussi percussis aliis Iobis famulis, sed ex industria a Satana reseruati ad multiplicandam tristitiam Iobis, videndo se despici à domesticis famulis qui remanserant.

Vers. 16. SERVVM MEVM VOCAVI, ET NON RESPONDIT: ORE MEO DEPRECABAR ILLVM. Habebat Iob domi non solùm famulos, seu ministros, quos interpres appellauit *inquilinos domus*, sed etiam seruos, etiam despicientes Iobem.

Inquilini domus Iobi. eius famuli

Vers. 17. HALITVM MEVM EXHORRVIT VXOR MEA. Iuxta Hebræum habetur, *Halitus meus alienus vxori meæ.* hoc est, tanquam alienus habetur ab vxore mea: quod est dicere vxorem suam vitare ipsum tanquam virum alienigenam. ET ORA-

BAM. Iuxta Hebræum habetur, *& miseratus sum filios ueteri mei*. defunctorum siquidem filiorum iacturam miseratus erat. Et ad cumulum miseriarum Iobis spectabat proculdubio miseratio hæc.

Vers. 18. SIVLTI QVOQVE DESPICIEBANT ME. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam iniqui abominati sunt me*. Et, quod deterius est, QVVM AB EIS RECESSISSEM, DETRAHEBANT MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *surgam, & locuti sunt in me*. Iniqui abominati sunt me sedentem, & surgentem ad honorandum eos prosecuti sunt iniuriis verborum. & in hoc carpere videtur socios iniquos.

Vers. 19. ABOMINATI SVNT ME QVONDAM CONSILIARII MEI. Iuxta Hebræum habetur, *Abominati sunt me omnes gentes secreti mei*. Diuersarum nationum Consiliarios se habuisse insinuat, à quibus etiam despiciebatur. ET QVEM MAXIME DILIGEBAM, ADVERSATVS EST MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *& ille amani versi sunt in me*. Dicendo *versi sunt*, insinuat quòd Pronomen *ille* demonstrat multos. demonstrat enim quemlibet sociorum præsentium quos alloquebatur, demonstrat eorum illorum. Et Hebraica phrasi subintelligitur relatiuum, *& ille*, quem *amani, versi sunt contra me*.

Vers. 20. PELLI MEÆ CONSVMPTIS CARNIBVS ADHÆSIT OS MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *In pelle mea & in carne mea affixum est os meum*. Post consecuta extrinsecus, manifestat quid consecutum fuerit intrinsecus (hoc est, in corpore proprio) ex percussione suscepta, dicendo quòd ossa per vniuersum corpus tanquam affixa conglutinata sunt tam carni, quam pelli suæ. Et hinc apparet quòd non tota Iobis caro consumpta erat, sed quicquid carnis remanserat, & quicquid fractæ pellis erat, cohærebat ossibus tanquam affixum, ita quòd non poterat Iobi cutis digitis alienis trahi in rugam. ET DERELICTA SVNT TANTVMMODO LABIA CIRCA DENTES MEOS. Iuxta Hebræum habetur, *& euasi in pelle dentium meorum*. Excipit ab affixa pelle pellem dentium, quam ex industria Satan reliquit solutam, vt facultas loquendi ad maledicentiam & blasphemiam remaneret in Iobe.

Vers. 21. MISEREMINI MEI, MISEREMINI MEI, SALTEM VOS AMICI MEI. Interpres addidit *saltem*, & mutauit *socios* in *amicos*. QVIA MANVS ELOHA TETIGIT ME. Sententia est clara.

Vers. 22. QVARE PERSEQVIMINI MI SICVT DEVS, ET CARNIBVS MEIS SATVRAMINI? Iuxta Hebræum habetur, *Quare persequemini me sicut El, & carne mea non saturabimini?* Inter subsecuta mala supputat postremò officia sociorum mala erga eum, prouocando eos ad misericordiam. & dicit, *quare persequemini me sicut El*, idest, Deus fortis: arguendo eos quòd perseuerant persequendo eum hostiliter. nam hic (hoc est, hostiliter) Deum persequi ipsum Iobem, paulo antè descripserat. Et significanter dicit *sicut El*, quoniam absurdum est socios imitari potentiam diuinam affligentem aliquem. Quod autem dicit, *& carne mea non saturabimini*, ad manifestandum sociorum peccatum spectat. vobis, inquit, non sat est cruciatus carnis meæ quem videtis, sed perseueratis apponendo cruciatum animi, contristando continuè me.

Vers. 23. QVIS MIHI TRIBVAT VT SCRIBANTVR STERMONES MEI. Defuit *nunc*, & superfluit *mihi*: Hebraicè enim habetur, *Quis dabit nunc, & scribentur sermones mei*. Occultata siquidem hactenus in corde suo prolaturus, dicit, *Quis dabit nunc*, hoc tempore, quo manifesto tam excellsum mysterium Dei. Et est sermo mutilus: metri enim causa transposita est particula in libro. Ita quòd clausula ista ad sui integritatem ordinanda est cum dicta particula, & est sensus, quis dabit nunc, & scribentur in libro sermones mei, non quos dixi, sed quos proferam. post narratam siquidem magnitudinem afflictionis propriæ, intendit manifestare propriam iustitiam, non operum, sed fidei: vt integrè pateat ipsum tam vehementer afflictum fuisse, & esse iustum apud Deum. QVIS MIHI DET VT EXARENTVR IN LIBRO. STYLO FERREO ET PLVMBI LAMINA, VEL CELTE SCVLPANTVR IN SILICE. Iuxta Hebræum habetur; *quis dabit in libro & sculpentur? In stylo ferri & plumbo, ad semper in petra incidentur?* Vt prædictum est, particula *in libro*, non ad hanc, sed ad præcedentem immediatè spectat sententiam. Ita quòd Iob cupit verba subiuncta scribi dupliciter (tum in libro, tum in petra) dicendo, *quis dabit, & sculpentur in stylo ferri & plumbo, ad semper in petra incidentur?* Vbi manifestè patet petram esse in qua incidendo sculpenda sunt verba instrumento ferreo. Et ratio affertur ad hoc, vt seruentur in perpetuum: libri enim facilè & consumuntur, & perduntur. Quod autem dicitur *de plumbo*, spectat ad hoc quod incisæ in petra concauitates literarum implentur plumbo, vt facilè legi possint. Vers. 24.

SCIO ENIM QVOD REDEMPTOR MEVS VIVIT. Iuxta Hebræum habetur, *Et ego scini Redemptorem meum viuum*. Ecce verba scribenda in libro, & sculpenda in petra & meritò quia fidem Messiæ Redemptoris humani generis reliquorumque fatuæ continent. Fidem itaque suam non vacillantem, sed certam manifestat, dicendo, *& ego scini*. Incipit autem a Coniunctione copulatiua, ad manifestandum quod non solus habuit hanc notitiam. dicendo enim, *& ego scini*, insinuat quòd alij quoque hoc idem seruent: vt intelligeremus quòd fides Messiæ, & resurrectionis antiquior est Iobe. Et dicendo, *Redemptorem meum*, spem suam in Redemptore positam manifestat. Redemptorem autem (vt subiuncta testantur) a seruitute corruptionis corporeæ significat. Et dicendo *viuum*, aperit Redemptorem suum esse Deum: vtpote qui perseuerat viuus. non enim dicit, *viuet*, sed *viuum*, ad significandum quòd tunc & semper viuit Redemptor eius. ET IN NOVISSIMO DIE DE TERRA SVRRECTVRVS SVM. Iuxta Hebræum habetur, *& nouissimum super puluerem leuabit*. subauditur enim more soluto relatiuum. Ita quòd ordo literæ est, & nouissimum qui super puluerem leuabit. Et aiunt Hebræi posse subintelligi in verbo *leuabit* Pronomen *se*. ita quod duplex est lectio: vel *leuabit se*, vel *leuabit*. Profitetur itaque Iob Redemptorem suum non solùm viuum, sed etiam nouissimum. hoc est, quòd post eum non erit alius Redemptor, ad excludendum fictum à quibusdam Philosophis. Redemptorem hominum nunquam post: enim, sed quilibet eorum habet successorem. opinati sunt enim corpus cœleste post completum annum maximum producere iterum eosdem homines: & sic deinceps completo maximo quoque anno, denuo producere eosdem homines. a. per hoc nullum esse Redemptorem hominum nouissimum, quia nullus annus maximus est vltimus, sed in æternum cuilibet succedet Vers. 25.

Redemptor Iobi Deus viuus, & nouissimus. Iob super futura resurrectione consolatur seipsum.

det alius. Ad excludendum ergo huiusmodi Redemptorem, appellat Redemptorem suum nouissimum.

Resurrectio Messiæ indicata.

Messiæ duplex natura significata.

Et si subintelligitur Pronomen *se*, resurrectio ipsius Messiæ significatur, dicendo, qui super puluerem leuabit se. Et sic naturæ duæ significantur in Messia: altera qua semper est viuus, altera in qua post mortem resuscitatus est à seipso. Si verò non subintelligitur Pronomen *se*, resurrectio communis significatur efficienda à Messia, dicendo *qui super puluerem leuabit*, proculdubio quos redemit. effectus enim redemptionis describitur.

Redemptionis effectus describitur.

Vers. 26.

ET RVRSVM CIRCVNDABOR PELLE MEA. Iuxta Hebræum habetur, *Et postea pelle mea circundati sunt ista.* Et est fœminini generis ac numeri singularis Pronomen *ista*. & est ordo literæ, & postea pelle mea ista fuerunt circundati artus mei, seu membra mea. est enim masculini generis *membrum* apud Hebræos. Verificatur autem & postea, secundùm vtranque lectionem: nam post Messiæ resurrectionem resurrectio erit aliorum, & prior est naturaliter actio leuationis, quàm passio eius qui leuatur ex puluere. Nec me latet dictionem interpretatam *circundati*, posse etiam interpretari *incisi*, vel *consumpti*: sed quia contextus horret has significationes in hac litera, ideo electa est significatio *circundationis*, quadrans contextui. ET IN CARNE MEA VIDEBO DEVM SALVATOREM MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *& de carne mea videbo Eloah.* Substantiuum verbum præsentis temporis in Hebræo non sæpe, sed semper omissum, insinuat subintelligendum hîc esse verbi substantiui participium *ens*, ita quòd ordo literæ est, & de carne mea ens videbo Eloah. Manifestè profitetur se resurrecturum cum propria pelle, & propria carne, & Deum iudicem se visurum, dicendo & constans, *de carne mea videbo Eloah*, hoc est, Deum iudicem.

Vers. 27.

QVEM VISVRVS SVM EGO IPSE, ET OCVLI MEI CONSPECTVRI SVNT, ET NON ALIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt, & non alienus.* Salutarem sibi Deum iudicem fore affirmat, dicendo, *quem ego videbo mihi*, non aduersùs me. Et corporali visione visurum se Eloah manifestat, dicendo, *& oculi mei videbunt.* Et per hoc duas in Eloah naturas iterum manifestat: alioquin oculis suis non esset visurus Eloah. nisi enim Deus iudex esset etiam homo, corporeis oculis non videretur. Et ad excludendum deliramenta quæ secutus est Pythagoras, dicens se olim fuisse Euphorbum, subiungit, *& non alienus.* subauditur enim *pro me*, seu *loco mei.* ad declarandum siquidem quòd ipsemet penitus resurget, excludit omnem diuersitatem substantialem, dicendo, *& non alienus* à me, loco mei. REPOSITA EST HÆC SPES MEA IN SINV MEO. Iuxta Hebræum habetur, *consumpti sunt renes mei in pectore meo.* Consummato sermone fidei de Messia Redemptore in duabus naturis (diuina scilicet, & humana) & de resurrectione hominum, & de postremo iudicio, dicit Iob metaphorico sermone nihil remansisse in intimis suis. vniuersam enim fidem ac spem suam per dicta verba protulerat. Et ad instar renum consumptorum (vtpote in quibus nihil remansit pinguedinis ac humoris) describit intima animi sui, dicendo *consumpti sunt renes mei.* ad insinuandum enim quòd metaphorice loquitur, adiungit *in pectore meo.* renes enim corporei longè sunt à pectore: secreta autem animi dicuntur recondita in pectore. Assimilantur autem etiam apud Hieremiam *cap.* 17. intima animi renibus, quia renes in corpore purgatorij sunt, secundùm Physicos: & ideo intima animi, quatenus purgatoria animi esse debent, appellantur renes. Et in proposito aptissimè renibus consumptis assimilantur intima animi Iobis purgatoria ipsius exhausta, proferendo palam quicquid in eis latebat. Et dixit hoc ad manifestandum sociis quòd hactenus retinuerat apud se fundamentum iustitiæ suæ, fidem scilicet Messiæ, & resurrectionis, &c. modò autem coactus est manifestare, sicut non expectent amplius audire in quo consistit iustitia eius.

Pythagoras se olim Euphorbum deliraſſe.

Intima animi, de renibus.

QVARE ERGO NVNC DICITIS: PERSEQVAMVR EVM, ET RADICEM VERBI INVENIAMVS CONTRA EVM? FVGITE ERGO A FACIE GLADII. Iuxta Hebræum habetur, *Quia dicetis, Quis persecutus est eum? & radix verbi inuenta est in me. Timete vobis à facie glady.* Post manifestatam propriam iustitiam monet Iob socios ne perseuerent in temerario iudicio iniquitatis ipsius Iobis. monet autem prædicendo tum eorum obstinationem, tum pœnam. Et obstinationem quidem prædicit vt causam pœnæ, dicendo, *quia dicetis*, hoc est, perseuerabitis, dicentes hæc duo: alterum, quis persecutus est eum, nisi Deus, qui omnium hominum merita nouit: alterum, *& radix verbi* (hoc est, rei, idest, persecutionis: verbum enim quandoque sumi pro re apud Hebræos perspicuum est) *inuenta est in me.* Et intendit per radicem, iniquitatem tanquam persecutionis radicem: vtpote meritoriè germinantem persecutionem. dicebant enim socij Iobis quòd Deus inuenit in Iobe radicem persecutionis, hoc est, iniquitatem merentem persecutionem. Quia, inquam, perseuerabitis hæc dicendo temerario iudicio, ideo timete vobis à facie gladij supremi iudicis quem manifestauit me visurum. QVONIAM VLTOR INIQVITATVM GLADIVS EST. Iuxta Hebræum habetur, *quia ira iniquitatibus gladij.* Et est ordo literæ, quia ira gladij imminet iniquitatibus. ecce ratio pœnæ metuendæ, quia vindicta gladij imminet iniquitatibus. Et gladij nomine potestatem exterminatricem significat. ET SCITOTE ESSE IVDICIVM. Iuxta Hebræum habetur, *propterea scietis quòd iudicium.* Intendit Iob quòd iudicium superest in alia vita. & de illo dicit, *propterea scietis quòd iudicium* est, propter iniquitates vestras scietis, experientia teste, quòd iudicium supereſt.

Vers. 28.

Verbum pro re apud Hebræos. Radix, de iniquitate.

Gladius, pro potestate exterminatrice. Iudicium futurum prædicatur.

CAPVT XX.

RESPONDIT AVTEM ZOPHAR NAMATHITES. Tertius socius tertio loco respondet iterum. ET DIXIT: IDCIRCO COGITATIONES MEÆ VARIÆ SVCCEDVNT SIBI. Iuxta Hebræum habetur, *Idcirco cogitationes meæ facient respondere me.* Dixerat in postremis verbis Iob quòd ira gladij imminet iniquitatibus: accepitque Zophar hanc sententiam ex ore Iobis confessam, & dicit. *idcirco*, hoc est, propter hanc quam confiteris sententiam quòd ira diuini gladij decreta est iniquis, cogitationes meæ quæ fundantur

Vers. 1. & 2.

super

ſuper hac ſententia facient reſpondere me, tuendo & proſequendo quæ priùs dixeram, & quæ ſocij dixerunt: videlicet quòd ira Dei eſt propter iniquitates.

Vbi aduerte quòd Zophar inuertit Iobis verba ad ſuum propoſitum, non ignoranter, ſed ſciens & prudens, illudendo Iobi: vt in ſequenti capitulo Iob teſtatur. comminatus ſiquidem fuerat Iob in calce præcedentis capituli iram gladij diuini decretam iniquis, intendens loqui de ira iudicij diuini poſt hominis mortem: Zophar verò quamuis ſenſum Iobis intelligeret, verba tamen Iobis feſtinus accepit, & inuertit vtendo illis pro ſententia ſua, tanquam Iob confeſſus fuerit ſententiam ſociorum ſuorum: & propterea feſtinanter inchoat ab occaſione ſumpta ex verbis Iobis, dicendo, *ideo*, &c. ET MENS IN DIVERSA RAPITVR. DOCTRINAM QVA ME ARGVIS AVDIAM. Iuxta Hebræum habetur, *& pro feſtinatione mea in me, correctionem erubeſcentiæ meæ audiam.* Inſinuat ipſemet Zophar feſtinationem propriam ad reſpondendum: hoc eſt, quòd quum audiuit Iobem confiteri quòd ira diuini gladij decreta eſt iniquis, ſtatim ex ore Iobis feſtinanter accepit verbum tanquam ad confutandum Iobem verbis ipſiuſmet Iobis. & pro huiuſmodi feſtinatione petens veniam, præoccupando correptionem quam meretur (indecens enim eſt huiuſmodi feſtinatio) offert ſe auditurum pro feſtinatione ſua qua vſus eſt, correctionem erubeſcentiæ ſuæ, hoc eſt, facientem ipſum erubeſcere. ET SPIRITVS INTELLIGENTIÆ MEÆ RESPONDEBIT MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *& ſpiritus ab intelligentia mea teſtificabitur mihi.* Intelligentiam ſuam Zophar appellat ſententiam quam ipſe intelligebat, quam profitebatur, videlicet quòd ira Dei decreta eſt iniquis: ſpiritum autem ab huiuſmodi veritate intellecta procedentem appellat impulſum internum in mentibus hominum, & etiam in verbis ipſius Iobis apparentem, tanquam Iob ab huiuſmodi ſpiritu actus protulerit verba illa. & propterea dicit, *& ſpiritus procedens ab intelligentia mea* (hoc eſt, à veritate à me intellecta) *teſtificabitur mihi*, vtpote communis humano generi.

Verſ. 3.

Sophar correptionē Iobi dicit ſe auditurū, & qua ſit apud Deū pars impy multa proſequitur.

Intelligentia Sophar, pro eius ſententia & veritate quā intelligebat & profitebatur.

Verſ. 4. HOC SCIO A PRINCIPIO. Iuxta Hebræum habetur, *Num hoc noſti a ſemper, à conſtitutione hominis ſuper terram?* Quaſi dicat, optimè noſti. & ad exponendum *ſuper*, ſubiungit *à poſitione hominis ſuper terram.* Nec eſt perſpicuum an Zophar crediderit mundum atque hominem fuiſſe ab æterno, an creatum in principio temporis, vt Moyſes ſcripſit. ſi enim Philoſophorum opinionem ſequebatur, legendum eſt appoſitiuè, *à ſemper, à poſitione hominis ſuper terram.* ſi verò veritatem reuelatæ fidei ſequebatur, intelligendum eſt poſitionem hominis ſuper terram limitare ſemper. ita quòd quum dixiſſet *à ſemper*, limitando æternitatem ad tempus quo factus eſt homo, ſubiungit, *à poſitione hominis ſuper terram.* perinde acſi dixiſſet, à ſemper, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed ex quo poſitus eſt homo ſuper terram. Et intendit per hoc dicere quòd non oportet fingere reſurrectionem mortuorum cum iudice iniquorum: quoniam ex quo conditus eſt homo ſuper terram, ſemper iniqui fuerunt puniti à Deo. huc enim tendit vniuerſum capitulum hoc: vt in hoc principio & in calce patet.

Verſ. 5. QVÒD LAVS IMPIORVM BREVIS SIT, ET GAVDIVM HYPOCRITÆ AD INSTAR PVNCTI. Iuxta Hebræum habetur, *Quòd cantus impiorum ex propinquo, & latitia hypocritæ vſque vnius puncti.* Ecce demonſtratum per Pronomen *hoc* (dicendo, *num hoc noſti*) verificatum ſemper ex quo poſitus eſt homo ſuper terram. & duo ſignificantur de proſperitate impiorum, propinquitas videlicet ad caſum, & momentanea duratio. Et propinquitas quidem ad caſum deſcribitur inſtar propinquitatis localis ad perturbantia, dicēdo quòd cantus impiorum ex propinquo habet perturbantia & tollentia ipſum. momentaneam verò durationem ſignificat ad ſimilitudinem morantis vſque ad vnum temporis punctum (hoc eſt, quaſi indiuiſibile momentum) dicendo, *& latitia hypocritæ vſque vnius puncti*, hoc eſt, inſtantis moram. Nominat autem *cantum* & *latitiam*, vt tam internum, quàm externum gaudium comprehendat: & meminit impiorum & hypocritæ, vt tam occultè, quàm patenter iniquos comprehendat. Et hæc proponit tanquam genera miſeriarum, quibus iniqui afficiuntur in hac vita à Deo, declaraturus modos quibus ambo verificantur. Zophar enim ordinatè procedens ad manifeſtandum propoſita, primùm manifeſtat ſenſum propoſitorum, patefaciendo etiam de quibus impiis loquitur: deinde manifeſtat modos quibus verificatur propinquitas: & demum quomodo verificatur celeritas pœnarum.

Impiorū proſperitas, propinquitas ad caſum, & momentanea duratio.

Verſ. 6. SI ASCENDERIT VSQVE AD COELVM SVPERBIA EIVS, ET CAPVT EIVS NVBES TETIGERIT. Iuxta Hebræum habetur, *Si aſcendet in cœlum celſitudo eius, & caput eius nubes attinget.* Dixerat cantum impiorum ex propinquo: & propterea ad confutandum apparentem elongationem proſperitatis dicit, *ſi aſcenderit vſque ad cœlum* (quaſi elongata à perturbantibus) *celſitudo impij, & caput eius ad nubes attigerit*, hoc eſt, ad locum excelſum in quo ſuſpicimus nubes. metaphorico enim ſermone maxima celſitudo humanæ proſperitatis deſcribitur.

Nubes, de loco excelſo in quo ſuſpiciūtur nubes. Humanæ proſperitatis celſitudo maxima deſcribitur.

Verſ. 7. QVASI STERQVILINIVM IN FINE PERDETVR. Iuxta Hebræum habetur, *Sicut ſtercus eius in perpetuum peribit.* E regione eleuationis ad cœlum ponit eiectionem ſtercoris proprij ad inferiora, non vt recondatur, ſed vt in perpetuum pereat. per hanc metaphoram inſinuans concomitantiam ruinæ ad celſitudinem: ita quòd quemadmodum celſitudinem impij hominis concomitatur naturaliter in corpore viliſſimum ſtercus eiiciendum, ita in ſtatu excelſo comitatur futura ruina in vilitatem abominabilem. Intendit enim per hoc quòd in impiis proſperitas fert ſecum neceſſitatem cadendi, quemadmodum neceſſitatem egerendi. & propterea dicit quòd in perpetuum peribit ſicut ſtercus eius. ET QVI VIDERVNT, DICENT, VBI IPSE? hoc eſt, qui eum viderant in tanta celſitudine, aſpicientes illius ruinam admirando dicent, Vbi ipſe eſt? locum tam ſordidum, aut nullum inter humanas dignitates conſiderantes.

Impiorum proſperitates ex propinquo.

Verſ. 8. VELVT SOMNIVM AVOLANS. Optimè interpretatus eſt Hebraicam literam, *Sicut ſomnium volabit.* quoniam ſubintelligitur relatiuum: & eſt ſenſus, ſicut ſomnium quod volabit. poſtquam enim Zophar manifeſtauit quo ſenſu intelligatur proſperitas impiorum ex propinquo ex metaphora præcedente, declarat conſequenter quo ſenſu intelligatur eorundem proſperitas momentanea, aſſimilando eam ſomnio, non

Eorum proſperitas momentanea.

retento

Similitudo somnij ponitur.

retento in memoria, sed volanti à memoria somniantis. Et propterea subiungit, NON INVENIETVR. Iuxta Hebræum habetur, *& non inuenient illud.* qui somniauerunt. TRANSIET SICVT VISIO NOCTVRNA. Iuxta Hebræum habetur, *& profugus erit sicut visio noctis.* Assimilatur secundò impius diues visioni noctis, hoc est, spectris, seu simulachris apparentibus in nocte timentibus hominibus in vigilia. aiunt enim vidisse se imaginem quandam, quæ velut profuga non apparet amplius. Assimilatur ergo prosperitas impij somnijs & spectris statim transeuntibus, ad insinuandum tum eam esse valde vanam, tum nullius durationis. Vnde & subiungitur, OCVLVS QVI EVM VIDERAT NON VIDEBIT. Iuxta Hebræum habetur, *Oculus vidit eum, & non adiiciet* proculdubio ad videndum iterum. De simulachris visis in nocte dicitur, *oculus vidit illud* scilicet secundum existimationem videntis, & quam vult iterum videre illud, non videbit amplius. mementum eam enim durationem per hanc similitudinem insinuat. NEQVE VLTRA INTVEBITVR IVM LOCVS SVVS. Particula hæc merito causa transposita est. pertinet enim ad metaphoram locutionem primò dictam, *si ascenderit in cælum*, &c. Ita quòd cognoscenda est in calce illius metaphoræ postquam scriptum est, *ubi ipse?* subiungitur etiam, *& non adhuc videbit eum locus eius*, hoc est, & non redibit ad pristinam celsitudinem.

Similitudo visionis noctis.

Vers. 9.

Vers. 10.

FILII EIVS ATTERENTVR EGESTATE. Iuxta Hebræum habetur, *Filij eius placabunt pauperes.* Manifestat consequenter Zophar de quibus impijs loquitur, videlicet de perseuerantibus in iniquitate. Et oportuit hoc manifestare, quia Iobi, quem confitebantur ex propria iniquitate percussum, felicitatem, si conuerteretur ad Deum & bona opera, promiserant. Describit itaque perseuerantem impium ab operibus filiorum placantium pauperes qui conqueruntur de patre. Ac si apertius diceret, de illo impio loquor qui sic perseuerat, vt non ipse placet pauperes querulos, sed filij eius hoc faciunt officium, quia patet tam terribili est vsurpator alieni, vt pauperes querulo non possint habere quod suum est ab eo. ET MANVS ILLIVS REDDENT ET DOLOREM SVVM. Iuxta Hebræum habetur, *& manum eius restituent male partum.* Manus filiorum demonstrantur restituentes pauperibus male acquisita a patre, ad vitandum infamiam ex clamoribus pauperum consurgentem: contingit enim nonnunquam hoc officium facere a filijs inuito patre.

Vers. 11.

OSSA EIVS IMPLEBVNTVR VITIIS ADOLESCENTIÆ EIVS. Iuxta Hebræum habetur *implebuntur vitijs pueritiæ eius.* Et est sensus, quòd perseuerauit in vitijs a pueritia sua. ossa enim sustentantia corpus, pro membris & constructionibus sustentantibus moralem vitam ponuntur repleta pueritijs, hoc est, vitijs etiam a pueritia contractis. iam enim dictum est quòd perseuerantes impios intendit describere, propter quod & subiungit, ET CVM EO IN PVLVERE DORMIENT. Ecce perseuerantia vitiorum vsque ad mortem, vtpote quæ comitabuntur eum vsque ad puluerem sepulchri, seu cadaueris.

Similitudo visionis noctis.

Vers. 12.

QVVM ENIM DVLCE FVERIT IN ORE EIVS MALVM. Iuxta Hebræum habetur, *Si dulcebit in ore eius malum.* Postquam manifestauit quod loquitur de impijs perseuerantibus, adiungit modum ac rationem, quo & qua aliquis perseuerat in malo morali. Et constitit tam modus, quam ratio in delectatione. ideo enim perseuerat homo in mala vita, quia delectatur in malis operibus. Describit itaque huiusmodi delectationem ad instar cibi dulcis, qui retentus intrà os delectat. dicendo, *si malum* (proculdubio morale) *dulcebit*, hoc est, tanquam cibus dulcis in ore eius delectabit animum eius. ABSCONDET ILLVD SVB LINGVA SVA. Prosequitur similitudinem delectati in dulcedine cibi dulcis in ore, quòd ad continuandam delectationem non transglutiet cibum dulcem, sed tanquam absconditum sub lingua retinebit; vt hinc intelligamus quòd delectatio faciet retinere id quod delectat vt continuetur delectatio.

PARCET ILLI. Iuxta Hebræum habetur, *Misereabitur super illud.* Quod potest dupliciter exponi. primò vt intellexit interpres antiquus, *non deglutiet illud.* & sic continuatur similitudo explanando magis illam. Secundò, vt explicetur hypocrisis eorum, qui delectantur in malo, dicendo, *misereabitur super illud*, proculdubio malum: hypocritæ enim audiendo homines opprimi, miserantur eos, & tamen non desistunt ab oppressione hominum, & propterea subiungitur, ET NON DERELINQVET ILLVD, sed retinebit. IT CELABIT IN GVTTVRE SVO. Iuxta Hebræum habetur *& prohibebit illud intra palatum suum.* ad instar cibi dulcis prohibebit ne exeat à palato suo. Ecce modus quo perseuerat homo in malo, declaratus est ex similitudine retinentis rem dulcem diutius in ore, quia delectat.

Hypocritarũ miseratio.

Vers. 13.

PANIS EIVS IN VENTRE ILLIVS VERTETVR IN FEL ASPIDVM INTRINSECVS. Vltima dictio scilicet *intrinsecus*, iuxta Hebræum habetur, *propè eum.* Incipit Zophar declarare quòd facultates impiorum habent malum propinquum, declarando hoc in comestis, in suctis, in habitis à natura, in solutionibus, in commutationibus & in accumulationibus. Inchoando itaque a facultatibus voratis, appellat eas *panem eius*, quia tanquam panem suum reputat eas impius & dicit quòd quemadmodum comestus cibus in visceribus vertitur in amaritudinem similem amaritudini existentium prope serpentes, ita facultates voratæ vertentur in amaritudinem impij tanquam habentes prope serpentes regulos. Quia enim propria nomina animalium minus certa sunt apud Hebræos, ideo varie transferuntur ab interpretibus. & quoniam non legimus aspidem, sed regulum inficere propinqua, ideo melius legerent *regulorum*, quam *aspidum.*

Vers. 14.

Substantiæ. Domus, auro, argento, & cæteris rebus, quæ possidentur.

DIVITIAS QVAS DEVORAVIT EVOMET. Iuxta Hebræum habetur, *Substantiam deglutiuit, & euomit eam.* Declarat *panem*, dicendo *substantiam.* & substantiæ nomine significatur annum, argentum, & vniuersaliter quicquid possidemus. Declarat & amaritudinis effectum instar vomitus, ad significandam inuitam restitutionem, seu extractionem, propter quam subiungitur, ET DE VENTRE ILLIVS EXTRAHET EAS DEVS. Nomen est *El*, diuina enim fortitudo scribitur extractiua deglutitas alienas res de ventre impij, hoc est, etiam de penetralibus eius.

Vers. 15.

CAPVT ASPIDVM SVGET. Si legendum est *caput*, non est legendum *aspidum*, sed *viperæ.* nam Zophar hæc dicens, credidit scripturibus narrantibus quòd fœmina viperæ concipit ex sputo, quod periculum est ex capite ipsum ictu. & propterea

Vers. 16.

propterea dicit, *fuget caput*: quoniam tanquam fugendo sputum concipit. Quæ fictio significare potest amputationem capitis masculi, quam scribunt interuenire in tali coitu. aiunt enim masculum spuere in os fœminæ, quæ amputat illius caput. Et per hoc significatur impij iniquitas occidentis etiam hominem vt habeat facultates illius. Pœna autem subiungitur, dicendo, ET OCCIDET EVM LINGVA VIPERÆ. Legendum esset, *lingua cerastis*, vel, *lingua naderos*. de his enim serpentibus legitur quòd lingua est venenosa. Et apte hæc pœna redditur culpæ prædictæ. Si verò, quia hæc fabellis similia à Physicis creduntur, legitur, *Venenum reguli fuget: occidet eum lingua naderos*, seu *cerastis*, significatur propinquitas ruinæ in fictis. reipublicæ siquidem bona tanquam matris vbera sucta ab impio insinuantur, sic vt in venenum incurabile fugat sipiipsi impius. Et quia ad vsurpandum reipublicæ honores, officia atque tes, vtitur officio linguæ alienæ & propiæ, ideo adiungitur quòd venenosa lingua occidet eum. Et veneno reguli attribuitur fugi, quia sola respiratio sufficit ad hoc vt homo inficiatur veneno reguli propinqui.

Impij iniquitas manifestata.

Impij pœna.

Vers. 17. NON VIDEAT RIVVLOS FLVMINIS TORRENTIS MELLIS ET BVTYRI. Iuxta Hebræum habetur, *Non videbit in partitionibus fluminia torrentum mellis & butyri.* In acquisitis ex naturalibus operibus apum & vaccarum propinquum impio malum pœnæ describitur: quòd cum tanta copia mellis & butyri abundet vt tanquam fluenta torrentum impetu magno currentium sint, tam amata est illius animo auaro distributio butyri & mellis pro vsu domesticorum famulorum & seruorum quòd ex industria non videbit huiusmodi partitiones, ne crescat tristitia sua videndo huiusmodi partitiones. Et in melle ac butyro intellige reliqua.

Pœna mali.

Vers. 18. LVET QVÆ FECIT OMNIA, NEC TAMEN CONSVMETVR. Iuxta Hebræum habetur, *Reddet laborem, & non deglutiet.* In solutionibus propinquum impio malum describitur, quòd quando soluit mercedem laboris illis, qui laborauerunt in vineis, agris, vel aliis exercitiis, tanta afficitur passione auaritiæ, vt comedendo non deglutiat. hoc est, vt non exerceat officium gutturis, quod est delectari cibo atque potu. in gutture enim huiusmodi delectatio sentitur. IVXTA MVLTITVDINEM ADINVENTIONVM SVARVM SIC ET SVSTINEBIT. Iuxta Hebræum habetur, *sicut substantia permutatio, eius, & non lætabitur.* In commutationibus emendo res quibus opus est, malum propinquum impio describitur: quod quamuis commutatio eius dando pecuniam pro rebus sit sicut substantia (hoc est, sit opportuna ac vtilis sicut reliqua quæ possidet) non tamen lætabitur, quia nummos proprios minuit.

Impij malum in fructuum deglutitione describitur.

Describitur in commutationibus.

Vers. 19. QVONIAM CONFRINGENS NVDAVIT PAVPERES: DOMVM RAPVIT, ET NON ÆDIFICAVIT EAM. Iuxta Hebræum habetur, *Quia fregit, reliquit pauperes: domum rapuit, & non ædificabit eam.* Interserit iniquitates impij tres. Prima est *fregit*. & sub hac comprehenduntur omnia mobilia malè acquisita: nam tanquam frangendo res alienas mobiles, partem tollunt. Secunda est *reliquit pauperes*. & sub hac comprehenditur vniuersa erga pauperes animi crudelitas. Tertia est *domum rapuit*. & sub hac comprehenditur omnium immobilium occupatio. Significanter autem adiungitur, *& non ædificabit eam*, ad insinuandum quòd rapuit domum non indigentem restauratione: vt intelligamus quòd non rapuit bona immobilia ruentia & instauratione indigentia, sed optima.

Impij tres iniquitates interserta.

NEC EST SATIATVS VENTER EIVS: ET QVVM HABVERIT QVÆ CONCVPIERAT, POSSIDERE NON POTERIT. Iuxta Hebræum habetur, *Quia non sciuit pacificationem in ventre suo, in concupito suo non euadet.* In accumulationibus rerum declaratur malum propinquum impio, inchoando à desideriis. Et ait. quia nescisit in ventre suo, hoc est, in animo suo, pacificationem, hoc est, satietatis quietem, ideo non euadet in concupito suo. hoc est, quia animum habuit insatiabilem, ideo semper habet animum illaqueatum aliquo concupiscibili, ita quòd non potest euadere à laqueo concupiscibilium. Vers. 20.

Impij malum in accumulationibus rerum.

NON REMANSIT DE CIBO EIVS: ET PROPTER EA NIHIL PERMANEBIT DE BONIS EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Non reliquiæ cibo eius: super sic non faciet expectare bonum suum.* Ad cumulum seruandi facultates, impius inisci disponit vt non sint reliquiæ cibo suo. hoc est, vt tam modicum paretur sibi pro cibo, vt non superfint reliquiæ: & tamen non assequetur intentam durationem rerum suarum. hoc enim significatur dicendo, super sic non faciet bonum suum expectare, hoc est, plus durare. Vers. 21.

QVVM SATIATVS FVERIT, ARCTABITVR ET ASTVABIT: ET OMNIS DOLOR IRRVET SVPER EVM. Iuxta Hebræum habetur, *In implere sufficientiam suam angustia ei: omnis manus laborantis veniet ei.* Postremò describitur propinquum malum impio in accumulatione rerum ad sufficientiam suam, dicendo quòd quamuis fructus omnium laborantium sint prouentus ipsius, tamen angustia erit ei. Et hic terminatur declaratio primò propositi à Zophar, videlicet cantus impiorum ex propinquo. Vers. 22.

VTINAM IMPLEATVR VENTER EIVS, VT EMITTAT IN EVM IRAM FVRORIS SVI. Iuxta Hebræum habetur, *Et sit in implere ventrem suum, mittet in eum iram furoris sui.* Intendit manifestare consequenter alterum propositum, videlicet, *& lætitia hypocritæ vsque ad tempus punctum.* Vbi prudens Lector etiam considerabis quòd propinquitatem mali manifestauit ex intrinsecis passionibus ipsius impij: parantem autem temporis manifestat ab extrinseca diuina punitione. & ad insinuandum celeritatem diuinæ punitionis dicit, quòd non expectabit Deus quòd impius sit repletus concupitis: sed erit hoc quòd dum implet impius ventrem suum hoc est, dum studet ad satiandum animum suum mittet, protinus Deus, in eum iram furoris sui. Et declarando hanc iram subiungit, ET PLVET SVPER ILLVM BELLVM SVVM. Ad istam plenam describitur prælium diuinum aduersus impium, ad insinuandum tum multitudinem prælantium, tum impossibilitatem resistendi. Quale autem sit hoc prælium, subiungit, declarando illud per partes. Et si diligentius perspectæ fuerint subiunctæ partes, apparebit quod Zophar quamuis in communi de impiis loquatur, carpit tamen manifestè Iobem. nam colligit afflictiones Iobi inchoando à percussione personæ ipsius Iobi sub metaphora percussi à sagitta: sub qua metaphora Iob *in cap.* 16. describipetur se percussum. Vers. 23.

Prælium diuinum aduersus impium fluuia instar describitur.

FVGIET ARMA FERREA, ET IRRVET IN ÆRE- Vers. 24.

CVM ÆREVM. Iuxta Hebræum secunda particula habetur, *transibit cum arcus chalybis.* Prosequendo similitudinem pluuiæ, assimilat impium fugienti pluuiam. & dicit quòd fugiet à præliantibus gladiis ferreis, & percutietur à sagittariis habentibus sagittas ex chalybe, quod est valentius ferro: hoc est, fugiet minora mala, & percutietur maiori malo. Et ad literam intendit quòd impij euadunt illæsi à multis malis minoribus, sed non euadunt maiora mala diuini furoris. sæpe enim videmus impios euadere multa pericula.

Impius fugienti pluuiæ similatur.

Vers. 25. EDVCTVS ET EGREDIENS DE VAGINA SVA, ET FVLGVRANS IN AMARITVDINE SVA. Iuxta Hebræum habetur, *Euaginauit & exiuit ex intimo eius, & fulgur ex felle eius.* Lege verba Iobis *cap.* 16. & perpendes Zophar aduersùs Iobem describere ipsius percussionem. ille dixit *scidit renes meos, & effudit fel meum:* iste dicit quòd *sagitta chalybis penetranit intima impy,* sic quòd tanquam in vagina concluſum gladium oportuit educere illam. ad significandum enim quòd tota sagitta penetrauit eum, dicit *euaginauit.* & ad euaginationis metaphoram explànandum addit, *& exiuit ex intimo eius,* proculdubio *sagitta:* de qua subditur, *& fulgur ex felle eius.* chalybs enim splendens describitur ad similitudinem fulguris. Idem autem significatur per fel & per intimum, nec superfluè, quia Hebræa non sonant *intimum*, sed *intra*: & adiungendo *fel*, exprimitur *intimum.* Percussio itaque personæ Iobis penetrans intima, describitur propter impietatem eius à prælio diuino effecta. VADENT ET VENIENT SVPER EVM HORRIBILES. Iuxta Hebræum habetur, *ibit super eum terrores.* Sic iacet in Hebræo. & est sensus quòd multitudo terrorum ibit super eum. Et hoc quoque dixerat de seipso Iob *in cap.* 7. est enim sermo de terroribus somniorum & visionum.

Vers. 26. OMNES TENEBRÆ ABSCONDITÆ SVNT IN OCCVLTIS EIVS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Omnis obscuritas absconsionibus eius.* Expositio est præcedentis clausulæ. appellatur enim obscuritas abscondita obscuritas inuisibilis, qualis erat obscuritas terrentium Iobem. Et appellat absconsiones eius segregationes ipsius Iobis ab aliis, quando videlicet erat solus alicubi tanquam si esset absconditus. tunc enim apparebant ei terrentia eum. DEVORABIT EVM IGNIS QVI NON SVCCENDITVR. Iuxta Hebræum vltima dictio habetur, *sufflatus est.* ignis enim non sufflatus scribitur. Et appellatur ignis non sufflatus, ignis non ab homine accensus: qualis scribitur tempore Abrahæ super Sodomam, & tempore Eliæ super quinquagenos. Et ad literam loquitur de igne qui consumpsit oues Iobis, vt narratur in principio libri huius. AFFLIGETVR RELICTVS. Iuxta Hebræum habetur, *frangetur remansio in tentorio eius.* Et consequenter intelligendo, remansionis nomine appellat filios, qui naturaliter remansuri sunt in paterna domo. secundùm historiam namque fracti fuerunt filij, concussa domo in qua erant, & super eos ruente.

Obscuritas absconsita, pro inuisibili.

Ignis non sufflatus, pro igne non accenso ab homine.

Remansio. de filijs naturaliter remansuris in paterna domo.

Vers. 27. REVELABVNT COELI INIQVITATEM EIVS. Iob asseruerat se iustum, & in testes attulerat Deum in cœlis, & terram non operientem caduer eius: vt patet *cap.* 16. Zophar autem affert cœlos & terram, factis detegere iniquitatem Iobis. Et de cœlis quidem postquam ignem non sufflatum qui de cœlis consumpserat oues, & contritionem filiorum à vento qui fit in aëre (quem Hebræi inter cœlos supputant) attulerat, quasi concludendo dicit, *reuelabunt cœli iniquitatem eius.* De terra autem subiungit, ET TERRA CONSVRGET ADVERSVS EVM. Rectiùs iuxta Hebræum habetur, *& terra surgens ei.* Et est sermo de Sabæis & Chaldæis, qui direpuerunt armenta Iobis, &c. Vnde statim subiungitur ad declarandum hunc sensum. APERTVM ERIT GERMEN DOMVS ILLIVS: DETRAHETVR IN DIE FVRORIS DEI. Iuxta Hebræum habetur, *Captiuabit fructum domus eius: tractiones in die furoris eius.* Terra surgens aduersùs Iobem captiuauerat armenta, fructum domus Iobis. Dictio autem interpretata *tractiones*, non plenè exprimitur: quoniam Hebraica dictio significat violentas tractiones, quæ fiunt trahendo aliqua super imam terram, quod vulgari Italico dicimus *straciuare.* huiusmodi enim tractiones describuntur ad describendum violentam cum festinatione deductionem armentorum. Diem autem furoris eius (idest, impij) intellige passiuè, hoc est, furoris quem impius patitur.

Vers. 28.

Dies furoris impij, pro furore quē patitur impius.

Vers 29. HÆC EST PARS HOMINIS IMPII A DEO. Nomen est *Elohim.* Ne putares quòd descripta mala pœnæ euenirent casu impiis, concludit Zophar quòd à Deo summo iudice decreta est pars hæc impiis. ET HÆREDITAS VERBORVM EIVS A DOMINO. Iuxta Hebræum habetur, *& hæreditas dicti eius ab El.* Tanquam hæreditaria portio congeries afflictionum asseritur decreta impiis à Deo forti ad puniendum, vt intelligamus deberi impiis iure mala pœnæ, quemadmodum debetur eis hæreditas. Et dicit hoc ad excludendum iustos tanquam extraneos ab huiusmodi hæreditate, ad significandum quòd soli impij affliguntur à Deo. Meminit autem dictorum impij, ad insinuandum etiam peccata oris, quòd etiam propter illa punitur impius à Deo.

Impy pars apud Deum qua.

CAPVT XXI.

RESPONDIT AVTEM IOB, ET DIXIT: AVDITE QVÆSO SERMONES MEOS. Iuxta Hebræum habetur, *Audite audiendo sermonem meum.* Quia Zophar interruperat sermonem Iobis festinanter accipiens verbum ex ore eius, ideo Iob patienter audito sermone Zophar rogat respondendo vt audiant non qualitercunque, sed audiendo, hoc est, perseueranter vsque ad finem. ET AGITE POENITENTIAM. Iuxta Hebræum habetur, *& erit ista consolatio vestra.* hoc est, & patientia audiendi erit vestra consolatio pro qua venistis. Pronomen enim *ista*, demonstrat patientiam audiendi. Pronomen autem *vestra*, non passiuè, sed actiuè (hoc est, à vobis) demonstrat: perinde ac si dixisset, & erit patientia audiendi loco vestri officij consolandi me.

Vers. 1. & 2.

Iob patienter ab amicis audiri postulat.

SVSTINETE ME VT EGO LOQVAR, ET POST MEA, SI VIDEBITVR, VERBA RIDETE. Sententia

Vers. 3.

tia rectè redditur. nisi quòd interpres addidit illas duas dictiones *si videbitur*, & mutauit singulare in plurale. nam interpres scripsit *videte:* iuxta Hebræum autem habetur *irride*. Omnes quidem rogat vt patienter audiant: sed quia solus Zophar irriserat eum, inuertendo verba Iobis contra eum, ideo singulariter dicit *irride*, seu subsanna.

Vers. 4. NVNQVID CONTRA HOMINEM DISPVTATIO MEA EST. Iuxta Hebræum habetur, *Numquid ego ad hominem eloquium meum*. Iustificauerat se Iob manifestando fidem & spem suam in Deum redempturum ipsum, &c. Zophar autem hypocrisi Iobis professionem hanc attribuens, nisus est probare esse figmentum, quia semper impij fuerunt puniti in hac vita à Deo: & propterea Iob respondendo ad Zophar, incipit à confirmatione professionis suæ de venturo Messia, & futura resurrectione, &c. Suam itaque professionem demonstrat, dicendo, *eloquium meum*. & est sensus, nunquid ego ad hominem professionem meam habeo: quasi dicat, minimè, sed ad Deum. hoc est, non spectando ad testimonium humanum, sed ad testimonium diuinum professus sum fidem qua iustificor. Intendit enim per hoc manifestare quòd non fictè, sed in veritate locutus est ea, quæ dixit de futura vita, quia Deus non potest falli, quia non est locus fictioni inter hominem & Deum, sed inter hominem & hominem. Ad excludendum ergo fictionem dicit, *nunquid ego ad hominem eloquium meum* habui, nunquid ego ad complacendum homini dixi hæc. hoc est, nunquid finxi hæc ad complacendum Deo quasi homini adulando, sicut fit inter homines? VT MERITO NON DEBEAM CONTRISTARI? Iuxta Hebræum habetur, *& si, quare non decurtabit se spiritus meus?* hoc est, & si verum est quòd eloquium meum non est ad hominem, sed verum coram Deo, quare spiritus meus non decurtabit se quo ad pollicita præsentis vitæ ad socios siquidem monentes Iobem vt speraret felicitatem præsentis vitæ (quod esset protrahere spem in longum, respondet, *quare non decurtabit se spiritus meus*, nulla est ratio quare spiritus meus protrahat in longum præsentis vitæ spem, & non decurtet illam. si non supereſſent bona futuræ vitæ, protraheret forte spiritus meus spem in hac vita, sed existente vero quod dixi, nulla est ratio protrahendi, sed decurtandi, vtpote qui sum iam ferè mortuus, vt priùs patefeci.

Fidei suæ professionem monstrat.

Vers. 5. ATTENDITE MIHI, ET OBSTVPESCITE, ET SVPERPONITE DIGITVM ORI VESTRO. Iuxta Hebræum habetur, *Vertite ad me, & admiramini: & ponite manum super os*. Tria monet seruanda à sociis circa tantum mysterium futuri iudicij & resurrectionis. Primum est, *vertite ad me*, non corpoream faciem, sed mentis considerationem vertite ad mea dicta. per hoc enim excludit contemptum dictorum. Secundum est, *& admiramini magnitudinem mysterij*. & per hoc excludit temerarium iudicium. Tertium est, *ponite manum super os*, hoc est, silete, continete sermones vestros à blasphemia Redemptoris vestri.

Vers. 6. ET EGO QVANDO RECORDATVS FVERO PERTIMESCO: ET CONCVTIT CARNEM MEAM TREMOR. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Et si recordatus fui, & fui territus: & apprehendet carnem meam tremor*. Non miremini quòd monuerim vos considerare, admirari, & tacere: quandoquidem sola recordatio (hoc est, ad mentem reuocatio) futuri iudicij, gignit in me terrorem tantum in animo vt redundet in carnis tremorem.

Vers. 7. QVARE ERGO IMPII VIVVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Quare impij viuent*. Confirmata professione fidei suæ Iob accedit ad monstrandum futuri iudicij necessitatem ex parte impiorum, qui in hac vita non puniuntur. ita quòd duo simul officia facit, dum & monstrat quosdam impios in hac vita impunes (quod est directè contra doctrinam sociorum) & hinc necessitatem futuri iudicij ad puniendum dictos impios infert. Ad monstrandum autem quosdam impios in hac vita non puniri, inchoat à felici quorundam impiorum in hoc mundo vita. & describendo felicitatem eorum, incipit à bonis naturæ, dicendo, quare impij viuent, integra incolumitate? Et inchoat interrogatiuè, quia responsurus est in hoc eodem capitulo, ET SVBLEVATI SVNT. Iuxta Hebræum habetur, *& senescent*. Ecce aliud bonum longæ vitæ. CONFORTATIQVE SVNT DIVITIIS. Iuxta Hebræum habetur, *etiam roborati sunt substantia?* hoc est, auro, argento & reliquis bonis fortunæ.

Impiorum nonnulli quare in finem vsque vita prosperentur.

Iudicij futuri necessitas ex parte impiorum monstratur.

Impiorũ mũdana felicitas.

Vers. 8. SEMEN EORVM PERMANET CORAM EIS. Iuxta Hebræum habetur, *Semen eorum directum coram eis cum eis*. Tria bona relatiuè ad filios describuntur, videlicet quòd filij bene directi sunt, & quòd directio hæc est coram parentibus, non in partibus remotis, & quòd filij concordes sunt parentibus. huiusmodi enim vnanimitas significatur, dicendo *cum eis*, PROPINQVORVM TVRBA, ET NEPOTVM IN CONSPECTV EORVM. Iuxta Hebræum habetur, *& germina eorum in oculis eorum*. Agrorum & vinearum germina describuntur, & non à remotis, sed in eorum oculis.

Vers. 9. DOMVS EORVM SECVRÆ SVNT, ET PACATÆ. Iuxta Hebræum habetur, *Domus eorum pax à timore*. Præcipuum domesticæ familiæ bonum pax describitur, tanta vt etiam externo careat timore. ET NON EST VIRGA DEI SVPER ILLOS. Nomen est *Eloah*. significatur enim quòd Deus iudex non flagellat eos.

Pacis bonum in familia.

Vers. 10. BOS EORVM CONCEPIT, ET NON ABORTIVIT. Iuxta Hebræum habetur, *Bos eorum grauidauit, & non abominabitur*. De tauris est sermo, & dicitur quòd tauri eorum non abominantur consortia armentorum, sed vacant ad grauidandum vaccas. VACCA PEPERIT, ET NON EST PRIVATA FOETV SVO. Iuxta Hebræum habetur, *euadet vacca eorum, & non abortiet*. hoc est, multitudo vaccarum eorum euader pericula ventris, & non abortiet, sed tempore congruo pariet.

Vers. 11. EGREDIENTVR QVASI GREGES PARVVLI EORVM, ET INFANTES EORVM EXVLTANT LVSIBVS. Iuxta Hebræum habetur, *Mittent sicut pecudes filios suos, & pueri eorum saltabunt*. Multitudo & exultatio filiorum paruulorum describitur.

Vers. 12. TENENT TYMPANVM ET CITHARAM, ET GAVDENT AD SONITVM ORGANI. Iuxta Hebræum habetur, *Eleuabitur in tympano, & cithara, & lætabuntur ad vocem organi*. Eleuabunt vel seipsos saltando, vel voces cantando.

Nec

Nec ponderes nomina musicorum instrumentorum, sed intellige illa, quorum vsus est in huiusmodi.

Vers. 13. DVCVNT IN BONIS DIES SVOS. Iuxta Hebræum habetur, *Consument in bono dies suos.* Perseuerantia in bono felicitatis mundanæ vsque ad mortem describitur. ET IN PVNCTO AD INFERNA DESCENDVNT. Iuxta Hebræum habetur, *& in puncto fossæ frangentur.* Ad complementum felicitatis pertinet quòd morituri non longa ægritudine vexentur, sed breuissima. & talis breuitas describitur, dicendo, & frangentur ægritudine non longa, sed in puncto fossæ, hoc est, tam breui perinde ac si esset in momento sepulchri.

Vers. 14. QVI DIXERVNT DEO. Iuxta Hebræum habetur, *Et dixerunt ad El:* RECEDE A NOBIS, ET SCIRE VIARVM TVARVM NOLVMVS. Non sat fuit describisse istos impios in principio, sed in calce describit eos contemptores Dei fortis ad puniendum eos. Et quattuor blasphemias eorum refert. Prima est, *recede à nobis*, hoc est, à nostro cultu, & à nostra gubernatione. Secunda est, *scire viarum tuarum nolumus*, hoc est, documenta viarum tuarum ad homines, & viarum ducentium homines ad te, nolumus. respuunt enim nosse tam gratiam & veritatem, quæ sunt viæ Dei ad homines, quàm præcepta Dei, quæ sunt viæ Dei ducentes homines ad Deum.

Impiorũ blasphemiæ quatuor relatæ.

Vers. 15. QVIS EST OMNIPOTENS VT SERVIAMVS EI. Vt aliàs diximus, Hebraicè habetur, *Quis Saddai*, hoc est, vincens omnia. negant enim hac tertia voce inueniri Deum omnipotentem: & inde inferunt negationem seruitutis suæ ad colendum eum. ET QVID NOBIS PRODEST SI ORAVERIMVS ILLVM? Sententia redditur: significatur enim hac quarta blasphemia vanas esse preces quæ funduntur Deo.

Vers. 16. VERVNTAMEN QVIA NON SVNT IN MANV EORVM BONA SVA. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce non in manu eorum bonum eorum.* Descriptà felicitate impiorum, declarat Iob quale est vniuersum bonum felicitatis eorum, dicendo, *Ecce*, demonstrando vniuersum bonum descriptæ felicitatis, non in manu (hoc est, in potestate) eorum est bonum eorum. Duo siquidem sunt genera bonorum hominis. alterum bonorum quæ sunt in potestate hominis, qualia sunt bona animi, virtutes scilicet. alterum bonorum quæ non sunt in potestate hominis, qualia sunt bona naturæ, & bona fortunæ. Addifferentiam itaque bonorum animi, dicit de bonis impiorum, *ecce non in manu eorum bonum eorum.* Et propterea meritò subiungit, CONSILIVM IMPIORVM LONGE SIT A ME. Iuxta Hebræum habetur, *longè fuit à me.* ego enim studui ad acquirenda & accumulanda bona quæ sunt in hominis potestate: vt sunt virtutes animi, quas nullus inuitus amittit, quæve nulli nisi volenti & studioso communicantur: bona autem tam naturæ, quàm fortunæ & abinuitis auferuntur, & absque nostro labore sæpe habetur: vt patet in hæredibus.

Impiorum felicitatis vniuersum bonũ quale, declaratur.

Bonorum hominis duplex genus.

Vers. 17. QVOTIES LVCERNA IMPIORVM EXTINGVITVR, ET SVPERVENIET EIS INVNDATIO. Iuxta Hebræum secunda particula habetur, *& veniet super eos fractio eorum.* Mouerat quæstionẽ, quare impij viuent, &c. respondet quæsito quòd quoties impij frangentur ægritudine, & extinguetur vitalis lux eorum. ET DOLORES DIVIDET FVRÓRIS SVI. Iuxta Hebræum habetur, *dolores destribuentur in furore eius.* Ita iacet in Hebræo. & est sensus, dolorum multitudo distribuetur in furore Dei. Ecce responsio ad quæsitum, quòd ideo impij felicitate huius temporis gaudent, quia reseruantur ad dolores post mortem. Significanter autem dicit dolores distribui, quia secundùm merita partitur Deus impiis pœnas sensis appellatas *dolores.*

Impiorum perditio.

Pœna sensus.

Dolores, de pœna sensus.

ERVNT SICVT PALEÆ ANTE FACIEM VENTI: ET SICVT PAVILLA QVAM TVRBO DISPERGIT. Iuxta Hebræum habetur secunda particula, *& sicut gluma furatus est eam turbo.* Non solùm pœna sensus, sed etiam pœna damni describitur post mortem quòd eiicientur impij à facie Dei, vt res quæ pro nihilo habentur, vt fœnum, seu palea quæ pellitur à vento, & vt gluma, seu quisquilia quam turbo surripit. Et disparitas metaphoræ insinuat quòd pœna damni, non æquè molesta est impiis, sed vnus ægrè fert eam magis, quàm alter. Vers. 18.

Damni pœna.

Non omnibus æqua.

DEVS SERVABIT FILIIS ILLIVS DOLOREM PATRIS. Iuxta Hebræum habetur, *Eloab reseruabit filiis illius malè patrum eius.* hoc est, Deus non puniet mortuum priuando filios malè acquisitis à patre. dicit enim hoc contra socios, dicentes patres puniri in filiis. Vbi prudens Lector aduerte, dupliciter posse intelligi peccata parentum puniri in filiis, vel relatiuè ad mortuos, vel relatiuè ad viuentes in hac vita. Et Iob quidem dicit Deum non punire peccata parentum in filiis relatiuè ad parentes mortuos. Et verum dicit, quia pœnam debitam mortuis non transfert in filios. In multis autem locis sacra Scriptura dicit Deum punire peccata parentum in filiis etiam vsque ad tertiam & quartam generationem. & verum est relatiuè ad viuentes, vel parentes ipsos, vel alios, vt vel sic moneantur. ET QVVM REDDIDERIT, TVNC SCIET. Iuxta Hebræum habetur, *reddet ei, & sciet.* Deus iudex non puniet filios pro patre mortuo, sed reddet ei patri mortuo, & sciet, hoc est, & cognoscet pœnam qua punitur. Et in hoc tangit rationem vtriusque, affirmationis videlicet, & negationis. hoc est, & quare non punit filios pro patre mortuo (quia patet mortuus ignorat quid erga filios agitur) & quare punit patrem mortuum in seipso, quia cognoscit se puniri. viuit enim secundum animam, & notitia intellectuali percipit se puniri. propter quod subditur, Vers. 19.

Peccata parentum quomodo dicantur puniri in filys.

VIDEBVNT OCVLI EIVS INTERFECTIONEM SVAM. Iuxta Hebræum habetur, *fractionem suam.* Quia res intellectualis ordinis occultæ sunt nobis (qui per sensibilia duntaxat cognoscimus illas) ideo pœna animæ intellectiuæ separatæ à corpore significatur ad instar sensibilis fractionis, vt intelligamus dolores animæ saltem similes doloribus quos sentimus dum franguntur membra. ET DE FVRORE OMNIPOTENTIS BIBET. Nomen est Saddai. Assimilatur secundò pœna animæ furori bibito, vt intelligamus pœnam penetrare intima animæ, quemadmodum bibitum penetrat intima corporis. Assimilatur itaque pœna animæ & extrinsecæ fractioni & intrinseco bibito, vt plenus dolor intelligatur. Vers. 20.

Pœna animæ intellectiuæ ad instar fractionis significata.

Furori bibito similata.

QVID ENIM AD EVM PERTINET DE DOMO SVA POST SE: ET SI NVMERVS MENSIVM EIVS DIMIDIETVR? Iuxta Hebræum habetur, *Quia* Vers. 21.

Vers. 30. *Impium seruari in diem perditionis.*

QVIA IN DIEM PERDITIONIS SERVATVR MALVS: ET AD DIEM FVRORIS DVCETVR. Iuxta Hebræum habetur, *Quia in die fractionis prohibebitur malus, in die irarum portabuntur.* Ecce verba transeuntium per viam, contestantia sententiam dictam à Iobe de futuro, post mortem iudicio aduersùs impios in præsenti vita impunes. sonant enim transeuntium verba hæc sententiam hanc: nam reddunt pro ratione futuræ magnæ punitionis impiorum impunitatem eorum tempore paruarum pœnarum. aiunt enim, quia malus in die fractionis (hoc est, in tempore paruæ pœnæ) prohibebitur, ne parua afflictione attingatur, ideo in die irarum (hoc est, magnarum pœnarum) portabuntur, inuiti subibunt magnas pœnas. Ex hoc enim prouerbio suadet Iob quòd quia multi impij non puniuntur in hac vita, reseruantur cruciandi in futuro post mortem iudicio maioribus pœnis.

Vers. 31.

QVIS ARGVET CORAM EO VIAS EIVS. Parui refert quòd Hebraicè habetur *annunciabit.* Alterum argumentum assumit ex defectu arguentium impios diuites in hoc mundo. ex hoc enim quòd in hac vita nullus arguit eos verbis, nullus repensat factis, & sic impunis moritur, intelligi vult necessarium fore iudicium post hanc vitam. Describit itaque in primis defectum arguentium verbis, dicendo, quis annunciabit coram eo viam eius? quasi dicat, nullus in hac vita. ET QVÆ FECIT. Sententia recte redditur: quanuis Hebraice legatur, *& illud fecit.* hoc est, & illud malum quod fecit. QVIS REDDET EI? quasi dicat, nullus in hac vita. describitur enim defectus punientium.

Vers. 32.

ET IPSE AD SEPVLCHRA PORTABITVR: hoc est, & sic morietur. ET IN CONGERIE MORTVORVM VIGILABIT. Iuxta Hebræum habetur, *& super acerium continuabit.* & est sermo de aceruo manipulorum tritici, hordei, & similium.

Impius hic quis.

Quia per Pronomina duntaxat locutus fuerat in hoc argumento, manifestat nunc de quo impio loquitur, videlicet de impio opulento. Describit autem impium diuitem à continua copia frugum terræ. & propterea dicit, *& super aceruum*, hoc est, super multitudinem aceruorum qui constituuntur ex manipulis frugum tempore messis, persecutabit in tota vita sua.

Vers. 33.

DVLCIS FVIT GLAREIS COCYTI. Iuxta Hebræum habetur, *Dulcuerunt ei glebe vallis.* Modus narratur quo continuata fuit annis singulis copia frugum: quia videlicet pars agrorum non sata, sed quiescens in glebis planitiei dulcuit ei, hoc est, delectabilis fuit ei. Industria solita narratur qua partes magnorum agrorum alternatim seruntur & quiescunt, vt singulis annis habeantur segetes, &c. ET POST SE OMNEM HOMINEM TRAHET. Hyperbole est, ad significandum multitudinem ingentem impiorum similium futuram tanquam tractam exemplo impij diuitis atque impunis. Similisque multitudo describitur in tempore præterito, subiungendo, ET ANTE IPSVM NON NVMERVS. Et dixit hæc Iob ad manifestandum quòd non loquitur de aliquo vno singularissimè inuento homine impio ac felici in hac vita, quia innumerabilis multitudo huiusmodi hominum & futura est, & præteriit. per hoc enim respondet tacitæ obiectioni, videlicet quòd ipse Iob assumit argumenta à rarissimè contingente. excludit enim hanc obiectionem ex innumerabili multitudine impiorum, qui sunt diuites & impunes in hac vita.

Vers. 34. *Conuellit Iob falsam sociorum consolationem.*

QVOMODO IGITVR CONSOLAMINI ME FRVSTRA. Rectiùs legitur, *vanitate.* Concludit Iob aduersùs socios quòd consolantur ipsum promissionibus vanis: promittebant enim felicitatem huius vitæ. QVVM RESPONSIO VESTRA REPVGNARE OSTENSA SIT VERITATI. Iuxta Hebræum habetur, *& responsiones vestræ remansit mendacium?* Rationem reddit consolationis vanæ, quia responsiones eorum ex dictis ab ipso Iobe remanserunt mendaces. ex monstrata enim necessitate futuri iudicij post mortem, conuincebantur falsa dicta sociorum dicentium pœnas & præmia in hac duntaxat vita.

CAPVT XXII.

Vers. 1.

RESPONDIT AVTEM ELIPHAZ THEMANITES. Seruato ordine, primus inter socios tertiò loquitur. ET DIXIT,

Vers. 2.

NVNQVID DEO POTEST COMPARARI HOMO, ETIAM QVVM PERFECTÆ EVERIT SCIENTIÆ? Iuxta Hebræum habetur, *Num El proderit vir, quia proderit super eos intellectori?* Aduerte prudens Lector, ex conclusione illata ab Eliphaz post tot negationes interrogatoriè assertas haberi intentionem Eliphaz: quorsum videlicet tendunt hæc. Intendit siquidem inferre quòd Iob est percussus à Deo propter multitudinem iniquitatum eius: inferre, inquam, ex hoc quòd homo non potest prodesse, aut nocere Deo. hoc est, quòd nulla actio Dei erga homines emanat à Deo propter acquirendum aliquod bonum ipsi Deo, aut propter vitandum aliquod malum in ipso Deo. ex hoc enim quòd afflictio Iobis caret ratione ex parte Dei, infert quòd ratio eius est ex parte Iobis: ac per hoc multitudo iniquitatum Iobis est ratio afflictionis eius. Ad hoc itaque tendens Eliphaz, vt rationem afferat integram, lustrat partes hominis communes bonas & malas, monstrando quòd nec gubernatio hominum (& hoc quo ad commune omnibus) nec iustitia, nec perfectio hominis prodest Deo, & hoc quo ad partes bonas: deinde quo ad malas quòd iniquitas hominis non potest nocere Deo. A gubernato homine itaque inchoans ait, *num vir proderit El*, hoc est, Deo forti nullo indigenti? quasi dicat, nequaquam. Et ad manifestandum modum prodessendi de quo loquitur, subdit, *quia proderit vir intellectori super eos*, homines: hoc est, homo proderit Deo isto modo, quia Deus super eos est intellector gubernando eos, & proficiens in intelligentia ex experientia regendi homines. Excludit itaque à Deo profectum sciendi ex hoc quòd gubernat homines, dicendo, *num El proderit vir, quia proderit super eos intellectori?* vt intelligamus quòd Deus non gubernat homines propter bonum ipsius Dei.

Eliphaz arguit, Iobem percussum à Deo propter multitudinem iniquitatum.

Deum nō propter bonū proprium dare bona hominibus.

Vers. 3.

QVID PRODEST DEO SI IVSTVS FVERIS. Iuxta Hebræum habetur, *Num complacentia in*

Saddai quòd iustificabis. Postquam dixit quòd homo quatenus gubernatur à Deo non prodest Deo, dicit consequenter quòd homo quatenus iustus non prodest delectationi Dei vincentis omnia. Vbi scito quòd licèt Deo placeant iusti (vt Scriptura sæpe testatur) nihil delectationis tamen Deus acquirit ex hoc quòd iustos facit homines, ex hoc quòd iustus est, aut fit homo. Et hunc sensum intendit Eliphaz. si enim Deus acquireret aliquid gaudij de hominis iustitia, sequeretur quòd iustificatio hominis prodesset Deo, & quòd Deus propter acquirendum delectationis bonum in seipso iustificaret hominem. Significanter autem nominat Deum Saddai, ad monstrandam impossibilitatem. si enim acquireret Deus delectationem ex iustitia hominis, non vinceret omnia, quia quo ad plenitudinem sui gaudij penderet a iustitia hominis, &c. AVT QVID EI CONFERS SI IMMACVLATA FVERIT VIA TVA. Iuxta Hebræum habetur, *& num vtilitas, quia perficies vias tuas?* Subauditur repetitum *in Saddai*, ita quòd sensus est, & num vtilitas in Saddai, quia perficies vias tuas? quasi dicat, minimè. excludit siquidem quamcunque in Deo vtilitatem ex hoc quòd homo perfectus est in omnibus operibus suis: ita quòd Deus non propter propriam vtilitatem operatur ad faciendum hominem perfectum in operibus suis. Collige prudens Lector quòd Eliphaz per hæc tria (videlicet notitiam, delectationem, & vtilitatem) comprehendit omne genus boni, honesti, delectabilis, & vtilis, quod imaginabile est: ad excludendum à Deo dependentiam à quocunque extrinseco, ad manifestandum quòd Deus dat homini bona non vt ipse Deus lucretur, aut seruet aliquid in seipso Deo.

Vers. 4. NVNQVID TIMENS ARGVET TE, ET VENIET TECVM IN IVDICIVM? Iuxta Hebræum clariùs habetur, *Num à timore tuo arguet te: veniet tecum ad iudicium.* Postquam declarauit quòd Deus non propter bonum proprium dat bona hominibus, declarat consequenter quòd Deus non propter malum aliquod vitandum in seipso, infert mala hominibus, affligendo eos, & exercendo iudicia sua cum eis. hoc enim significatur, dicendo, *num à timore tuo arguet te*, eo modo, quo Principes timentes sibi ipsis ab aliquorum audacijs castigant eos. Et ad manifestandum castigandi modum iustum, subiungit, *veniet tecum ad iudicium*, hoc est, subiiciet te iudicio, exercebit tecum iudicium? quasi dicat, minimè. non enim est Deus vt humanus Princeps, qui quandoque timens sibi, subiicit aliquos iudicio.

Nec propter malum aliquod vitandũ in seipso, inferre mala hominibus.

Vers. 5. ET NON PROPTER MALITIAM TVAM PLVRIMAM, ET INFINITAS INIQVITATES TVAS? Iuxta Hebræum habetur, *Nonne malum tuum grande, & non finis iniquitatibus tuis?* Ecce intenta conclusio, ecce ex prædictis illatio. ex eo enim quòd Deus afflixit Iobem, & non propter ipsum Deum, intulit quòd propter malitiam magnam & iniquitates sine numero Iobis afflixit eum. hæc itaque est vis rationis Eliphaz aduersùs Iobem. Et ne videretur temere iudicare Iobem iniquum, subiungit in specie iniquitates Iobis.

Vers. 6. ABSTVLISTI ENIM PIGNVS FRATRVM TVORVM SINE CAVSA. Iuxta Hebræum habetur, *Quia exiges pignus a fratribus tuis gratis.* hoc est, absque rationabili causa, debebas enim fratribus tuis mutuare absque pignore: quia fratres tui sunt, nec suberat specialis ratio quare pignus exigeres ab eis, sed sola diffidentia tua ratio fuit. Narrat autem Eliphaz hanc actionem & subiunctas verbis futuri temporis, ad insinuandam perseuerantiam, quòd videlicet Iob perseuerauit in huiusmodi malis actionibus. tempus enim futurum non refertur ad tempus quo loquebatur Eliphaz, sed ad tempus quo Iob cœpit esse malus. ET NVDOS SPOLIASTI VESTIBVS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *& vestes nudorum spoliare facies.* hoc est, vestes sine quibus homines remanebant nudi, fecisti spoliare vt darent tibi eas in pignus, quod inhumani animi est.

Iniquitates Iob in specie.

AQVAM LASSO NON DEDISTI. Iuxta Hebræum habetur, *Non aqua lassum potabis.* Inhumanitatis officia prosequitur. ET ESVRIENTI SVBTRAXISTI PANEM. Iuxta Hebræum habetur, *& a famelico prohibebis panem.* Sententia clara est. Vers. 7.

IN FORTITVDINE BRACHII TVI POSSIDEBAS TERRAM. Iuxta Hebræum habetur, *Et vir brachij ei terra.* In tertia persona de Iobe loquitur, dicendo quòd quia ipse erat vir brachij (hoc est, vir potens) ideo ei terra parebat, ideo erat Princeps cui alij subiiciebantur. ET POTENTISSIMVS OBTINEBAS EAM. Iuxta Hebræum habetur, *& spectatus vultu, habitabit in ea.* hoc est, & spectatus vultu ab eo, qui perseuerat habitando in ea, id est, ab habitatoribus terræ. Attribuitur itaque principatus Iobis potentiæ eius, & honori ac reuerentiæ habitantium in terra illa. talis enim honor significatur, dicendo, & spectatus facie ab eo qui habitat in ea. Vers. 8.

VIDVAS DIMISISTI VACVAS. Hebraicè habetur *misisti*, & hoc solum peccatum scribitur in præterito. Narrando itaque peccata regiminis, primùm iustitia negata viduis scribitur, dicendo, *viduas petentes iustitiam misisti vacuas à tribunali tuo.* ET LACERTOS PVPILLORVM COMMINVISTI. Iuxta Hebræum habetur, *& brachia orphanorum conterentur.* Miserabiles personæ omnes comprehenduntur per viduas & pupillos. & per vacuitatem contritaque brachia vniuersa iniustitia comprehenditur: nam vacuitas negatam iustitiam, contritio autem brachiorum oppressionem bonæ causæ insinuat. Vers. 9.

Vidua, & pupilli, per omnibus miserabilibus. Brachia contrita, de vniuersa iustitia.

PROPTEREA CIRCVNDATVS ES LAQVEIS. Ex culpa infert pœnas, commemorando summariè sub metaphora laqueorum & aquarum afflictiones Iobis. fuerunt siquidem laquei in circumitibus eius Chaldæi, Sabæi & Dæmones, tollendo & consumendo ea, quæ erant Iobis. ET CONTVRBAT TE FORMIDO SVBITA. Vers. 10.

ET PVTABAS TE TENEBRAS NON VISVRVM: ET IMPETV AQVARVM INVNDANTIVM NON OPPRESSVM IRI. Iuxta Hebræum habetur, *& terrebit te timor subitò. Vel obscuritas non videbis, & abundantia aquarum operiet te.* Sic iacet in Hebræo. Nouam pœnam internæ cæcitatis in Iobe describit Eliphaz causatam ex repentino timore, vel repentina obscuritate. hanc enim pœnam describit inchoando à causa proxima, *& terrebit te timor*, vel obscuritas, *subitò:* & subiungendo, *ipsam cæcitatem, non videbis.* Interserit autem pœnam hanc internam inter pœnas externas (laqueos videlicet, & aquas) subiungens Vers. 11.

iungens, *& abundantia aquarum operiet te.* hoc est, conuenient ad operiendum te. percussio siquidem personæ Iobis per hanc metaphoram significatur. Intendit autem Eliphaz per hanc nouiter explicatam cæcitatem, dicere quòd Iob impeditus vel à timore ex improuiso, vel ab obscuritate phantasmatum ministrantium intellectui, perseuerabit non videndo veritatem & efficaciam rationis allatæ ad monstrandum, quòd propter iniquitates suas afflictus est. existimabat enim Eliphaz quòd ratio quam attulit, conuinceret Iobem, si Iob haberet intellectum liberum & expeditum à passionibus & obscuritate turbatorum phantasmatum.

Vers. 12. AN COGITAS QVÒD DEVS EXCELSIOR COELO SIT, ET SVPER STELLARVM VERTICEM SVBLIMETVR. Iuxta Hebræum habetur, *Nisi Eloah celsus in cœlis: & vidis caput stellarum, quia eleuarunt se.* Exceptio fit à cæcitate. Ac si apertiùs dixisset. dixi quòd impeditus à passionibus, vel obscuritate, non videbis veritatem: hoc, inquam, dixi, nisi secteris subiunctum errorem, videlicet quòd Deus non intelligit, nec curam habet istorum inferiorum, nisi in genere, seu in communi. si enim Iob talem secutus fuisset errorem, ratio allata ab Eliphaz nihil valeret aduersùs Iobem: quoniam ratio Eliphaz præsupponit prouidentiam diuinam circa singulos homines singillatim. Motus est autem Eliphaz ad hanc exceptionem dicendam ex duobus dictis à Iobe. alterum est, quòd Deus fecerit ei tortum, affligendo plus quàm meretur: hoc enim sonuerunt verba eius *in cap.* 19. alterum quòd Deus iudex est excelsorum: hoc enim *in cap.* 21. dixit Iob. ex his enim duobus ansam accepit Eliphaz proponendi hanc exceptionem, tanquam Iob senserit quòd Deus non errat iudicando excelsa, quamuis erret iudicando singulares homines. Sermone itaque mutilo proponit exceptionem, dicendo *nisi Eloah*; subauditur enim coniunctio *quia*. & est sensus, nisi quia Eloah, idest, Deus iudex excelsus in cœlis est, & vidit caput stellarum, hoc est, supremam superficiem stellarum, ad differentiam nostræ visionis. nos enim videmus infimam superficiem stellarum: Deus autem videt superficiem supremam, videt conuexam superficiem cœli & astrorum. Et intendit per hoc manifestare causam subiuncti erroris, videlicet quòd quia Deus est tam excelsus, vt sit in cœlis, hic, quòd videat summitates astrorum, sit tanquam valde distans à nobis, & iudicans ea quæ videt, cœlestia scilicet. Quod autem dicit, *quia eleuarunt se*, ad reddendam rationem quare Deus videt summitatem stellarum, spectat. & est sensus, quia suapte natura sunt eleuatæ, ac per hoc tanquam propinquæ excelso iudici in cœlis.

Caput stellarum, de suprema stellarum superficie.

Vers. 13. ET DICIS. Iuxta Hebræum habetur, *Et dices.* Hîc completur oratio, nisi quia Eloah excelsus in cœlis, & vidit caput stellarum, quia eleuauerunt se, *& dices.* hoc est, ideo dices. QVID ENIM NOVIT DEVS? Iuxta Hebræum habetur, *quid nouit El?* Ecce error dicendus. non enim asserit Eliphaz quòd Iob profiteatur hunc errorem, sed per modum exceptionis proponit. Est itaque sensus erroris, quid istorum singularium quæ generantur & corrumpuntur, *nouit El*, idest, Deus fortis? quasi dicat, modicum, aut nihil. Et ad hoc declarandum subiungitur. ET QVASI PER CALIGINEM IVDICAT. Iuxta Hebræum habetur, *num per caliginem iudicabit?* Caliginosa describitur istorum singularium generabilium & corruptibilium notitia diuina. profitetur enim error iste (qui communis Philosophiam profitentibus est) quòd Deus intelligit singularia quæ generantur & corrumpuntur, non secundùm eorum indiuiduales conditiones, sed secundùm quòd communicant in natura essendi, & perpetuis essendi participationibus: & propterea hæc notitia appellatur metaphoricè pariens iudicium per caliginem. qui enim non nouit in particulari particulares conditiones & actiones istius hominis, non potest nisi obscurè iudicare de singularibus. Et quia omnis obscuritas longè est à Deo, ideo dicitur, *num iudicabit per caliginem?* quasi dicat, minimè: ac per hoc non iudicat nos. Et ad hoc manifestandum subiungitur. NVBES LATIBVLVM EIVS, NEC NOSTRA CONSIDERAT. Iuxta Hebræum habetur, *Nubes absconsio ei, & non videbit.* Metaphoram prosequitur habitantis in cœlo, tanquam visio eius non se extendat vltra locum nubium versùs nos. propterea enim dicit *nubes* (hoc est, locus vbi generantur nubes, & reliqua quæ in aëre apparent) sunt ei absconsio, hoc est, sunt ei quasi occultantia quæ apud nos fiunt, & ideo non videbit hæc. Sensus autem per metaphoram intentus est quòd intuitus diuinus non extenditur ad ea quæ generantur & corrumpuntur: ipse enim defectus generabilium & corruptibilium describitur tanquam abscondens ea ab intuitu diuino, tanquam indigna diuino intuitu. comprehendit enim omnia quæ generantur & corrumpuntur sub nomine *nubium*, quæ in supremo loco propinquissimo cœlestibus corporibus apparent. ET CIRCA CARDINES COELI PERAMBVLAT. Iuxta Hebræum habetur, *& circumitum cœlorum deambulat.* Metaphoræ est prosecutio, significans progressum diuinæ gubernationis terminari ad ea, quæ concluduntur intra circularem lineam quæ circino cœlorum fit. dictio enim interpretata *circumitum*, sonat circularem lineam quæ circino fit. Et significatur per hanc metaphoram quòd gubernatio diuina non attingit hæc inferiora nisi quatenus attinguntur per corpora cœlestia: quod est dictu, inferiora hæc non totaliter gubernari à Deo, sed secundùm quòd comprehenduntur sub cœlestibus motibus quos Deus regit.

Nubes de loco vbi nubes generantur, & quæ apparent in aëre.

Vers. 15. NVNQVID SEMITAM SECVLORVM CVSTODIRE CVPIS. Iuxta Hebræum habetur, *Num viam à semper obseruabis.* Explicatur secta Philosophorum distinguentium res rerumque conditiones in perpetuum, vel temporale: & docentium quòd res omnes quatenus perpetuæ, subsunt diuinæ gubernationi, temporales autem minimè. Et hoc quadrat antedictis, quòd videlicet ea, quæ generantur & corrumpuntur, quatenus secundùm speciem sunt perpetua, gubernantur à Deo per corpora cœlestia, quorum tam substantiæ, quàm motus perpetui sunt. Hanc itaque sectam appellat Eliphaz *viam à semper*, dicendo, num viam à semper obseruabis, quia est via innixa sempiternitati. QVAM CALCAVERVNT VIRI INIQVI? Parui refert quòd Hebraicè habetur, *gentes iniquitatis?* Manifestat quòd actores & sequaces sectæ huius fuerunt viri pleni iniquitatis: vtpote nihil diuini timoris habentes.

Vers. 16. QVI SVBLATI SVNT ANTE TEMPVS SVVM. Iuxta Hebræum habetur, *Qui succisi sunt, & non*

tempus. hoc est, absque tempore euadendi: de succisis siquidem in diluuio, aut etiam in Sodomis videtur esse sermo. vtrique enim succisi sunt, sic quod non fuit eis tempus euadendi: & non credentes diuina iudicia extendi ad eos, describuntur. ET FLVVIVS SVBVERTIT FVNDAMENTVM EORVM. Iuxta Hebræum habetur, *fluuius colabitur fundamentum eorum.* De iis, qui in diluuio perierunt, verificatur ad literam quòd fundamentum eorum sint fluuius qui colabitur, hoc est, aqua fluens colatae cœlis & fontibus abyssi. Metaphorice autem verificatur etiam de Sodomitis tanquam fluuius ignis & sulphuris colatus de cœlis. sed & de vniuersis negantibus diuinam prouidentiam, quòd fundamentum eorum est nullius stabilitatis, sed tanquam fluuius qui continue fluit, verificatur.

Vers. 17. QVI DICEBANT DEO: RECEDE A NOBIS. Nominatur Deus *El*, ad significandum summum Deum, qui antonomastice appellatur *fortis*. *recede à nobis*, hoc est, absit cultus tuus à nobis. Et ratio subditur, ET QVASI NIHIL POSSIT FACERE OMNIPOTENS ÆSTIMABANT EVM. QVVM ILLE IMPLESSET DOMOS EORVM BONIS. Iuxta Hebræum habetur, *& quid operabitur Saddai eis? Et ipse impleuit domos eorum bono.* Prima sententia interrogatiuè scripta, prosecutio est sermonis negantium diuinam prouidentiam. mutando enim primam in tertiam personam, dicunt eis demonstrando se & homines reliquos, quum debuissent dicere *nobis*. ratio siquidem abiiciendi diuinum cultum fuit negatio diuinæ operationis circa homines, significata, dicendo, & quid operabitur Saddai eis? quasi dicant, nihil. Nominat autem Saddai, ad significandum Deum supremum qui est super omnia. Quæ autem subiunguntur verba, sunt Eliphaz, ad confutandam dictam blasphemiam ex opere Dei quo impleuit domos eorum bono. QVORVM SENTENTIA PROCVL SIT A ME. Iuxta Hebræum habetur, *& consilium impiorum longè fuit à me.* Eximit assertiuè seipsum Eliphaz à consilio impiorum, quemadmodum & Iob excmerat seipsum.

Vers. 18.

Vers. 19. VIDEBVNT IVSTI, ET LÆTABVNTVR. de punitione impiorum, vtpote de diuina iustitia. Et dicit hoc Eliphaz è regione verborum Iobis *in cap.* 17. stupebunt recti super hoc. aduersus siquidem illam sententiam dicit, videbunt iusti punitionem tuam inter impios, & non stupebunt, sed lætabuntur. ET INNOCENS. Iuxta Hebræum habetur, *& mundus subsannabit eos.* Ad excusandum Zophar qui subsannauerat Iobem, dicit hoc Eliphaz.

Impiorũ punitio.

Vers. 20. NONNE SVCCISA EST ERECTIO EORVM, ET RELIQVIAS EORVM DEVORAVIT IGNIS? Iuxta Hebræum habetur, *Si non fuit destructum lenamen nostrum, & residuum eorum comedit ignis.* Ab effectibus contrariis probat iustorum lætitiam insubsannantem, irridentem impios, si videlicet res fouentes & eleuantes nos iustos non sunt destructæ, res autem impiorum voratæ sunt ab igne. ab huiusmodi enim effectibus discernebat Eliphaz iustum ab iniusto, loquendo consequenter ad rationem quam attulit aduersùs Iobem.

Vers. 21. ACQVIESCE IGITVR EI, ET HABETO PACEM. Iuxta Hebræum habetur, *Fac prodesse nunc cum eo, & pacificate.* Completa ratione aduersus Iobem incipit monere eum vt saltem nunc faciat prodesse sibi esse cum Deo. hactenus fuisti longè à Deo, & nocuit tibi, fac prodesse tibi nunc esse cum Deo, & cessando à lamentationibus pacifica teipsum. ET PER HÆC HABEBIS FRVCTVS OPTIMOS. Iuxta Hebræum habetur, *in eis veniet tibi bonum.* Pronomen *eis* demonstrat ambo antedicta, videlicet esse cum Deo, & pacificare seipsum. per hæc enim duo pollicetur bonum felicitatis vitæ præsentis: alteram enim non credebat. Hæc autem duo vsque ad finem capituli prosequitur cum fructu pollicito.

Acquiescere Deo.

Vers. 22. SVSCIPE EX ORE ILLIVS. Legendum est, *Accipe nunc ex ore illius legem.* Manifestando siquidem quid est esse cum Deo, dicit hoc consistere in tribus actionibus, quarum prima est complecti diuinam legem tanquam ex ore ipsius Dei latam. Et intendit per legem ex ore Dei, præcepta moralia. hæc enim Deus ipse actor naturæ rationalis indidit menti humanæ. Modus autem complectendi diuinam legem subiungitur, dicendo, ET PONE DICTA EIVS IN CORDE TVO. hoc est, & absque hypocrisi exequere dicta eius: pone dicta eius non in exterioribus tantùm, sed in corde tuo, in intimis tuis.

Esse cum Deo quid.

Lex ex ore Dei, de præceptis moralibus.

Vers. 23. SI REVERSVS FVERIS AD OMNIPOTENTEM, ÆDIFICABERIS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *vsque Saddai.* Dictio *ædificaberis*, transposita metri causa est. adiungitur enim præcedenti actioni vt fructus eius. Ita quòd ordo literæ est, & pone dicta eius in corde tuo, ædificaberis: destructus es quo ad bona omnia, ædificaberis secundùm vniuersa bona. Et dicit *ædificaberis*, ad significandum quòd non statim simul bona omnia habebit, sed successiuè ad instar domus quæ ædificatur.

Legem diuinam complectendi modus quis.

Deinde subiungitur altera actio necessariò concomitans, esse cum Deo: & propterea inchoat eam ab esse cum Deo, dicens, *si reuerteris vsque Saddai*, dicendo enim *vsque Saddai*, manifestat coniunctionem ipsius cum Deo, qui vincit omnia. Et dicit *reuerteris*, quia præsupponit Iobem recessisse à Deo peccando, vt superiùs explicauerat. ET LONGE FACIS INIQVITATEM A TABERNACVLO TVO. Legendum est absque Coniunctione, *elongabis iniquitatem à tentoriis tuis.* Ecce actio secunda quæ inferitur ex esse cum Deo, dicendo, *si reuerteris vsque ad Saddai, elongabis iniquitatem a tentoriis tuis*, non solum vitabis iniquitatem, sed etiam elongabis eam à te, & tuis domesticis.

Vers. 24. DABIT PRO TERRA SILICEM, ET PRO SILICE TORRENTES AVREOS. Iuxta Hebræum habetur, *Et pone super puluerem fortitudinem, & in petra torrentes Ophir.* Fructus reuersionis ad Deum elongantis iniquitatem, describitur in specie: descriptus enim fuerat in genere, dicendo, *ædificaberis.* Et describitur primùm in ædificiis, dicendo, *& pone super puluerem fortitudinem*, hoc est, & ædifica à fundamentis. ponere enim fortitudinem super puluerem est, super puluerem fundare fundamenta fortia. Et tanta auri copia promittitur, vt petras ædificij tegat auro: hoc enim significatur subiungendo, *& in petra torrentes Ophir.* Dicendo autem torrentes Ophir, insinuat quòd aurum in terra Ophir non excauatur (quemadmodum excauatur intra cauernas montium in mineris) sed per torrentes cum arena vehitur.

Fructus reuersionis ad Deum describitur in specie.

Ponere fortitudinem super puluerem, quid.

Vers. 25. ERITQVE OMNIPOTENS CONTRA HOSTES TVOS. Iuxta Hebræum habetur, *Et erit Saddai in thesauros tuos.* Potest tamen legi *in fortitudines*

Ibid.

tuas. elige quam malueris lectionem. *Si thesauros* legis, significantur reconditi fructus agrorum, frumentum, hordeum, &c. fructusque animalium, lana, caseus, &c. Si verò legis *fortitudines*, securitas ab hostibus & prædonibus significatur: & Deus ipse qui omnia vincit, exhibiturus hæc prædicitur. ET ARGENTVM COACERVABITVR TIBI. Iuxta Hebræum habetur, *& argentum fortitudinum tibi.* Appellat argentum fortitudinum, pretium reconditorum in thesauris. promittit enim recondendas copias tantas, vt vendere possit, & argentum inde cumulare.

Argentũ fortitudinum, de pretio reconditorum in thesauro.

Vers. 26. TVNC SVPER OMNIPOTENTEM DELITIIS AFFLVES. Iuxta Hebræum habetur, *Quia tunc super Saddai delitiaberis te.* Tertia actio (videlicet cultus diuinus orando, supplicando ac offerendo describitur) inchoando ab illius causa. quia tunc, hoc est, in tanta rerum copia, delitias tuas facies innixus super Saddai summo Deo vincente omnia; hoc est, quia agnosces delitias tuas à Deo qui vincit omnia. ET ELEVABIS AD DEVM FACIEM TVAM. Ecce tertia actio incipiens ab oratione, idest, ab eleuatione mentis in Deum ad instar eleuantis faciem versùs Deum habitantem in cœlis.

Vers. 27. ROGABIS EVM, ET EXAVDIET TE. Ecce supplicatio cum fructu. *& vota tua reddes.* ecce oblatio.

Vers. 28. DECERNES REM. Rectiùs legitur, *Decernes dictum.* hoc est, decernes futurum aliquod te facturum, dicendo illud. ET VENIET TIBI. Iuxta Hebræum habetur, *& firmabitur tibi*, quod dixisti. ET IN VIIS TVIS SPLENDEBIT LVMEN. Modus quo firmatur, & ex voto succedit dictum, manifestatur: videlicet quòd illuminabitur in viis suis, hoc est, in operationibus suis opportunis ad assequendum quod dixerat. Et isti sunt fructus diuini cultus.

Vers. 29. QVI ENIM HVMILIATVS FVERIT, ERIT IN GLORIA. Iuxta Hebræum habetur, *Quia humiliauerunt, & dixisti celsitudinem.* Recole quòd Eliphaz proposuit duo (scilicet esse cum Deo, & pacificationem) promittendo quòd in eis erit bonum Iobi. & primum quidem prosecutus est multipliciter: modò autem prosequitur secundum, scilicet, *& pacifica te.* Est itaque sensus literæ, quia humiliauerunt Sabæi, Chaldæi cœlum, & Deus te tot afflictionibus, & tamen tu dixisti celsitudinem (hoc est, locutus es excelsa de teipso, dicendo te iustum) propterea turbatio est in animo tuo, & inquietus es. ET QVI INCLINAVERIT OCVLOS SVOS, IPSE SALVABITVR. Sententia clariùs redditur. tu dicendo excelsa, contrarium pacì viam ingressus es; quia inclinans oculos, saluabitur, hoc est, dirigens mentis oculos ad ea quæ non celsitudinis, sed humilitatis sunt, saluus erit: quia agnoscens peccata sua, seruabitur.

Vers. 30. SALVABITVR INNOCENS: SALVABITVR AVTEM IN MVNDITIA MANVVM SVARVM. Iuxta Hebræum habetur, *Euadet homo mundus, & liberabitur in munditia manuum tuarum.* Sic iacet in Hebræo. De Iobe loquitur in tertia persona quòd quamuis illaqueatus fuerit innumeris iniquitatibus, euadet tamen, &, si dici licet, euasus erit, non qualitercunque, sed per opera munda. Regreditur autem ad Iobem in secunda persona, dicendo, *manuum tuarum*, ad manifestandum quòd in tertia persona allocutus est ipsum Iobem, cui respondebat. Per oculos itaque humiles, & opera munda, pacificatio Iobis habenda atque seruanda scribitur.

Pacificatio Iob per humiles oculos, & opera munda.

CAPVT XXIII.

RESPONDIT AVTEM IOB, ET DIXIT: NVNC QVOQVE IN AMARITVDINE EST SERMO MEVS. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam dies amaritudinis eloquij mei.* Quum audisset Iob socios non solùm incredulos iuramentis & professæ fidei Messiæ, sed etiam persistentes ac augentes argumenta ad probandum ipsum percussum propter multitudinem iniquitatum eius. conqueritur quòd adhuc perseueret dies amaritudinis eloquij sui, ad manifestandum munditiam propriam. Et ratio amaritudinis subiungitur. ET MANVS PLAGÆ MEÆ AGGRAVATA EST SVPER GEMITVM MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *Manus mea aggrauata est super suspirium meum.* hoc est, percussio mea qua me percutiunt socij, aggrauata est super suspirium meum ad manifestationem veritatis. suspirante enim Iobe ad hoc vt manifestaretur vera causa ob quam percussus est à Deo, socij magis ac magis aggrauabant argumenta, & verba percutientia Iobem: eo quòd imponebant ei pro causa percussionis iniquitates quas non fecerat. Nec mireris percussionem apud Hebræos significari nomine *manus.* nam & apud Latinos litera scripta appellatur manus: dum dicimus de scripto, *hæc est manus illius.* Apud vtrosque enim effectus appellatur nomine causæ: percussio enim & scriptio fit manu.

Vers. 1. & 2.

Percussio manus nomine significata.

QVIS MIHI TRIBVAT VT COGNOSCAM, ET INVENIAM ILLVM. Interpres addidit *mihi.* VENIAM VSQVE AD SOLIVM EIVS Legendum est, *præparationem eius.* Declarat Iob suspirium suum ad tribunal supremi iudicis: vt manifestetur iustitia causæ suæ, & imponatur silentium sociis iniquè iudicantibus ipsum. Suspirat autem, ordinatè explicando, se cupere in primis notitiam viæ ad tribunal Dei. deinde ire vsque ad locum in quo est præparatio Dei, hoc est, vsque ad tribunal eius: humano enim more diuina describit. tertiò inuentionem eius, dicendo, *& inueniam* eum: quamuis transposita sint in litera secundum & tertium.

Vers. 3. *Iob diuinum iudicium inuocat, ostendens se non puniri propter peccata sua.*

PONAM CORAM EO IVDICIVM. Iuxta Hebræum habetur, *Ordinabo coram eo iudicium.* hoc est, iudiciariã telam inter afflictiones meas, & peccata mea. ET OS MEVM REPLEBO INCREPATIONIBVS. Legendum est, *disputationibus.* non enim cupit arguere Deum, sed disputare coram eo pro iustitia propria, quòd scilicet non est percussus propter peccata sua.

Vers. 4.

VT SCIAM VERBA QVÆ MIHI RESPONDEAT, ET INTELLIGAM QVID LOQVATVR MIHI. Ecce qualis est præsentia apud summum Iudicem quam cupit, ad quam vellet ire. cupit enim præsentiam in qua audiat verba respondentis iudicis, & intelligat ea. claram siquidem manifestationem veritatis in causa ipsius vellet fieri à Deo, qui per effectus suos quos communiter videmus, non manifestat clarè huiusmodi veritatem. & propterea describitur tanquam absens & valde distans summus Iudex: & describitur concupitus

Vers. 5.

cupitus accessus ad præsentiam illius. & velleitas, non deliberatum votum per hæc describitur.

Vers. 6. NOLO MVLTA FORTITVDINE CONTENDAT MECVM : NEC MAGNITVDINIS SVÆ MOLE ME PREMAT. Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid in multitudine potentiæ litigabit mecum? non.* Sæpe Iob distinxit duos modos quibus Deus agere potest, vel ratione suæ potentiæ, vel ratione meritorum secundùm ordinem iudicij diuini decretum in præsenti vita. Et eandem distinctionem repetit hic, manifestando quòd loquitur de iudicio coram Deo, non secundùm multitudinem potentiæ Dei, hoc est, secundùm multas rationes potentiæ diuinæ, quia sic succumberet Iob. Deus enim si vellet, pro quocunque peccato posset maiores pœnas infligere quam passus fuerit Iob. Sed huiusmodi exacta iustitia quæ secundùm potentiam Dei attenditur, non vtitur Deus in hac vita. & propterea Iob asserit *non*, dum respondet interrogationi, *nunquid litigabit mecum in multitudine potentiæ?* respondet enim negatiuam partem, intrepidè asserendo quum dicit *non*.

Modi duo quibus agit Deus.

Vers. 7. PROPONAT AEQVITATEM CONTRA ME. PERVENIET AD VICTORIAM IVDICIVM MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *tantum ipse ponet in me. Ibi rectum fuit disputatum cum eo: & euadam in perpetuum à iudicatore meo.* Ecce alter modus quo agit Deus, qui describitur in litera ad instar iudicis considerantis rectum secundùm merita causæ, & non secundùm id quod posset absolutè facere. Ad excludendum itaque modum iudicandi ex ratione diuinæ potentiæ, & ad affirmandum modum iudicandi rectum secundùm merita causæ, dicit de Deo. tantum ipse ponet in me, hoc est, iudicando attribuet mihi, *ibi*, hoc est, in suo tribunali, rectum quod fuit disputatum cum eo, de meritis causæ meæ, an scilicet peccata mea secundùm communem regulam mereantur tantam afflictionem : hoc enim fuit disputatum superiùs à Iobe cum Deo. & per huius diuini iudicij sententiam distinctiuam, euadam in perpetuum à iudicatore meo, hoc est, à multitudine iudicantium me propter iniquitates meas percussum esse imponeretur. siquidem per hanc sententiam silentium omnibus consentientibus contrarium.

Vers. 8. SI AD ORIENTEM IERO, NON APPARET. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce ad ante ibo, & non ipse.* Aduerte prudens Lector quòd Iobis verba in litera sonant quatuor vias, videlicet progredi versùs ante, vel versus retro, vel ad sinistram, vel ad dexteram. Intelligit autem (vt patebit) Orientem & Occidentem, Septentrionem, vel Meridiem plagas cœli. Dixerat, *quo dabit vt sciam & vadam ad tribunal Dei?* & propterea declarat se nescire viam per naturalia opera inuestigandi tribunal Dei, & inueniendi ipsum clarè manifestantem rationes iudiciorum suorum quæ exercet erga nos. Et verum dicit : quia per supernaturalem reuelationem notificantur nobis. Ad manifestandum itaque quòd Deus quatenus iudex manifestans rationem sui iudicij, nulla naturali via inuenitur, discurrit per quattuor cœli plagas, comprehendendo sub eis res naturales vniuersas. Et inchoat ab Oriente sub nomine anteriorís partis, hoc est, denominatæ ab anteriore parte hominis. sic enim Hebræi consueuerunt nominare Orientalem plagam. Et similiter intellige de Occidente nominato retrò, & de Septentrione nominato sinistra, & de Meridie nominato dextra. nominibus siquidem est vtendum vt plures vtuntur. Ecce, inquit, ad antè, hoc est, ad Orientem, ibo intellectuali inuestigatione naturalium existentium in Oriente: & non ipse, inuenietur iudex respondens. SI AD OCCIDENTEM. Iuxta Hebræum habetur, *& retro, & non intelligam eum.* hoc est, & ibo inuestigando res naturales in Occidente, & similiter non intelligam eum iudicem respondentem mihi.

Antè ad Orientem. Retro, de Occidente. Sinistra, de Septentrione. Dextra, de Meridie.

SI AD SINISTRAM, QVID AGAM? NON APPREHENDAM EVM. Iuxta Hebræum habetur, *Sinistram in facere suo, & non videbo.* Eccè ibo inuestigando ad *sinistram*, hoc est, Septentrionem, *in facere suo*, nobis patente. Septentrionalia enim nobis habitantibus in hac quarta terræ manifestiora sunt, vtpote existentia supra Horizontem nostrum. Et quoniam multa naturalia à Philosophis & Astrologis cognita sunt ex operibus Septentrionalium astrorum; ideo de Septentrione specialiter dicit *in facere suo* : & per huiusmodi notitiam non videbo Deum iudicem respondentem. SI ME VERTAM AD DEXTERAM, NON VIDEBO ILLVM. Iuxta Hebræum habetur, *teget dexteram, & non videbo.* hoc est, perseuerat Deus occultando nobis dexteram, id est, Meridiem. Polus enim antarcticus occultatur semper nobis Septentrionalibus. & propterea non dixit, Ecce ibo ad dexteram, sed dixit *dextram* nobis rectam : & consequenter quòd per illam non videbit Deum iudicem manifestantem rationes suorum iudiciorum. Et tu prudens Lector ex istis duabus postremò nominatis & sic descriptis, habes quòd quattuor cœli plagas significat per ante, retro, sinistram & dextram, vt exposuimus. Vers. 9.

IPSE VERÒ SCIT VIAM MEAM, ET PROBABIT ME QVASI AVRVM QVOD PER IGNEM TRANSIT. Iuxta Hebræum habetur, *Quia nouit viam mecum : probauit me, sicut aurum egrediar.* Completa manifestatione suspirij sui, Iob incipit respondere ad argumentum Eliphaz. & quia ratio Eliphaz fundabatur super distinctione hac, aut ex parte Dei, aut ex parte Iobis, ratio afflictionis eius se tenet, ideo Iob respondet reddendo rationem afflictionis suæ ex parte vtriusque (scilicet, & ex parte Iobis, & ex parte Dei) vt penitus euacuet argumentum Eliphaz. Rursus, quia Eliphaz appposuerat exceptionem nili Iob se tutaretur dicentes Deum ignorare hæc nostra singularia, ideo Iob inchoat responsionem suam, asserendo Deum cognoscere singulas actiones ipsius Iobis. nec solùm asserit; sed huiusmodi diuinam notitiam affert pro causa suæ afflictionis, dicens, *quia nouit*, Deus, *viam meam* (hoc est, viam quæ est mecum, viam actionum mearum internam, quæ non potest tolli à me: vtpote consistentem in virtutibus animi) ideo *probauit me, & sicut aurum probatum igne egrediar*, absque detrimento. Ecce ratio afflictionis ex parte Iobis non multitudo iniquitatum eius (vt Eliphaz intulerat) sed bonum ipsius Iobis, quémadmodum bonum est auro discerni per ignem. Vers. 10.

Iob respondet ad argumentum Eliphaz.

Afflictionis ratio ex parte Iobi.

VESTIGIA EIVS SECVTVS EST PES MEVS. Iuxta Hebræum habetur, *In gressu eius apprehendit pes meus.* Scito tamen quòd dictio interpretata *gressu*, est Infinitiuus, & anceps ad *ambulare*, vel *heare*. & vtrumque sensus capax est litera. Dixerat siquidem Iob quòd Deus posuerat viam eius, & propterea declarat viam suam, inchoans vel Vers. 11.

vel ab effectu beatitudinis æternæ, quam parauit Deus iustis (dicendo, *in beare suo vidit*, seu *apprehendit pes meus*, ideſt, affectus meus) vel à ſequela Dei tanquam præeuntis, dicendo, *in ambulare eius apprehendit*, ſeu *vidit*, hoc eſt, videndo inchoauit iter, pes meus, id eſt, affectus meus. dictio ſiquidem interpretata *apprehendit*, poteſt interpretari *vidit*. & ſecunda lectio magis quadrat ſubiunctis. VIAM EIVS CVSTODIVI, ET NON DECLINAVI EX EA. Interpres addidit *ex ea*. Proſequitur metaphoram ſequentis Deum præeuntem, ambulando per eandem viam qua ille præiuit, & non declinando ad dextram, vel ad ſiniſtram. Et ſignificat per metaphoram hanc quòd viam ducentem ad Deum beatitudinem ſuiipſius Deu & reliquorum Beatorum ac beandorum, vidit, inchoauit & proſecutus eſt.

Pes, pro affectu.

Verſ. 12. A MANDATIS LABIORVM EIVS NON RECESSI. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Præceptum labiorum eius, & non recedam.* Quod dixerat ſub metaphora, explicat, dicens, *præceptum labiorum eius*; ſubaudi, eſt, quodcunque illud fuerit ſic perſeuero ſeruando quòd non recedam ab eo. Et futurum *non recedam*, refertur ad præceptum Dei pronuntiatum labiis Dei, hoc eſt, præcepta moralia quæ Deus promulgauit per ſeipſum, quia indidit ea menti noſtræ. ET IN SINV MEO ABSCONDI VERBA ORIS EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *ex ſtatuto meo abſcondi dicta oris eius.* Duo ſimul manifeſtat. alterum quòd non ex timore, aut alia paſſione ad horam bene fecit, ſed ex electione deliberata ac firma, dicendo *ex ſtatuto meo.* alterum quòd non tanquam hypocrita bene fecit in exterioribus actionibus, ſed valde chara habens dicta ex ore Dei abſcondit ea. hoc eſt, recondita ſeruauit in corde ſuo.

Verſ. 13. IPSE ENIM SOLVS EST. Iuxta Hebræum habetur, *Et ipſe in vno.* Reddita ratione ex parte Iobis quòd non iniquitas eius, ſed puritas ipſius cauſa fuit (vt ſcilicet tanquam purum aurum emergeret) quòd afflictus eſt, reddit rationem eiuſdem afflictionis ex parte Dei, inchoando à Dei ſingularitate. *& ipſe in vno*, hoc eſt, & ipſe Deus eſt in vno indiuiduo duntaxat: vnitas ſiquidem Dei aſſeritur. Nec te turbet trinitas diuinarum perſonarum: quoniam quemadmodum deitas non multiplicatur in trinitate, ita nec hic Deus (ſonans indiuiduum deitatis) multiplicatur in trinitate: & propterea veriſſimè dicitur, & ipſe Deus eſt in vno deitatis indiuiduo. ET NEMO AVERTERE POTEST COGITATIONEM EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *& quis reſpondebit ei?* Scito tamen quòd dictio interpretata *reſpondebit*, anceps eſt vel ad *reſpondebit*, vel ad *faciet redire*: ſed ſenſus in idem redit. Si eſſent Dij multi (ſaltem duo) vnus poſſet reſpondere alteri, reſiſtendo ei. & ſimiliter vnus poſſet facere redire alterum, hoc eſt, efficere vt deſiſteret à cœpto. Sed quia Deus eſt in vno tantùm deitatis indiuiduo, optimè infertur, *& quis reſpondebit ei*, reſiſtendo? quaſi dicat, nullus. vel, *& quis faciet redire eum*, vt non proſequatur quod cœpit? quaſi dicat, nullus. Quorſum autem tendant hæc de ſingularitate Dei, manifeſtat, ſubiungens, ET ANIMA EIVS QVODCVNQVE VOLVIT HOC FECIT. Iuxta Hebræum habetur, *& anima eius concupiuit, & fecit.* Simplex voluntas Dei redditur pro ratione ex parte Dei quare afflixerit Iobem. reſpondet ſiquidem ad rationem Eliphaz quòd Deus ex parte ſui non operatur circa nos vt lucretur honeſtum, delectabile, aut vtile quodcunque bonum in ſeipſo, ſed ex ſimplici voluntate ſua. quam deſcribit ad inſtar animi cupientis facere aliquid, & facientis illud, dicendo de Deo, *& anima eius concupiuit, & fecit*, hoc eſt, & voluntas eius voluit affligere me, & fecit. Et per hæc paret ſolutio argumenti Eliphaz. ex ſingularitate ſiquidem ipſius Dei prouenit quòd voluntas eius non poteſt eſſe mala: immo quòd voluntas eius eſt lex. & propterea Iob doctiſſimè ex hoc quòd Deus eſt vnus carens pari, intulit pro ratione faciendi voluntatem eius ſolam ex parte ipſius Dei.

Afflictionis ratio ex parte Dei Vnitas Dei aſſeritur.

QVVMQVE EXPLEVERIT IN ME VOLVNTATEM SVAM. Iuxta Hebræum habetur, *Quia faciet reddere ſtatutum meum.* Quanuis ex parte Dei ſola Dei voluntas ſit ratio gubernandi nos, tanta tamen ſubiungitur Dei benignitas erga ipſum Iobem, vt quamuis afflixerit, non tamen irremuneratam dimiſſurus ſit electionem firmam viæ rectæ, quam electionem firmam dixerat ſe habuiſſe. hoc enim ſignificant verba iſta, *quia faciet reddere ſtatutum meum*, de progreſſu in via Dei. Et oportuit explanari hoc à Iobe, ad manifeſtandum tum quòd rectitudo eius non remanebit irremunerata, tum quòd remuneratio eius erit poſt hanc vitam. ſæpe enim dixerat ſe propinquum morti. Significanter autem dicit, *ſtatutum meum*, & non dicit, opera mea bona, ad comprehendendum etiam ſtatutum mentis ſuæ ad rectitudinem ſeruandam in tanta afflictione. ET ALIA MVLTA SIMILIA PRÆSTÒ SVNT EI. Iuxta Hebræum habetur, *& ſicut ea multa cum ipſo.* Ne putaretur geſta à Deo cum Iobe, eſſe aliquid ſingulare, declarat Iob quòd ſimilia iſtis ſunt multa cum Deo. multos enim probat quaſi aurum, & præmia illis reſeruat in alia vita. Verſ. 14.

ET IDCIRCO A FACIE EIVS TVRBATVS SVM, ET CONSIDERANS EVM TIMORE SOLICITOR. Iuxta Hebræum habetur, *Idcirco à facie eius terrebor: intelligam & metuam ab eo.* Poſtquam reſpondit ad rationem Eliphaz, reſpondet conſequenter ad obiectam ſibi cæcitatem ab eodem. Et quia Eliphaz dixerat Iobem non intelligere vel ex timore repentino, vel ex obſcuritate, reſpondet Iob ad ſingula. & quantum ad timorem fatetur ſe terreri à Deo, & timere ipſum, verùntamen nec terror, nec timor impedit eius intelligentiam. Et dicendo ideo *à facie eius*, manifeſtat quòd rationi conſentaneum eſt ipſum terreri à facie Dei. Aſſi apertiùs dixiſſet. non ſum abſorptus timore repentino: ſed quia Deus facit quod vult, ideo à facie eius terrebor, hoc eſt, perſeuerabo territus, moderatè tamen: quia intelligam, non ſum excæcatus, ſed perſeuerabo intelligens pariter & metuens à Deo potente efficere quicquid vult. Verſ. 15.

Iob reſpondet ad obiectam ſibi cæcitatem ab Eliphaz.

DEVS MOLLIVIT COR MEVM, ET OMNIPOTENS CONTVRBAVIT ME. Iuxta Hebræum habetur, *Et El emolliuit cor meum, & Saddai terruit me.* Reſpondet ad alteram partem diſiunctiuæ (videlicet quòd obſcuratus eſt intellectus Iobis) inchoando à diuino beneficio circa partem affectiuam. non parua ſiquidem gratia Dei eſt habere cor tenerum, alienum eſſe à duritia cordis, mouerique ad timendum à quibus timendum eſt: vt teſtatur ad oppoſitum duritia cordis Pharaonis. Agnoſcit itaque Iob teneri cordis beneficium à Deo forti ad emolliendum cor homi- Verſ. 16.

nis

nis, dicendo, *& El emolliuit cor meum, & Saddai vincens omnia terruit me*, non fui impetterritus ab eo.

Vers. 17. NON ENIM PERII PROPTER IMMINENTES TENEBRAS, NEC FACIEM MEAM OPERVIT CALIGO. Iuxta Hebræum habetur, *Quod non sum incisus à facie obscuritatis, & ex facie mea operuit caligo.* Et subintelligitur negationem repeti, vt interpres antiquus explicando adiunxit. est enim sensus quòd non sum incisus a facie obscuritatis, & ex facie mea nihil operuit caligo. Respondet itaque ad obscuritatem sibi obiectam ab Eliphaz, quòd Saddai terruit eum sic quòd non fuit à facie obscuritatis incisus, nec aliquid faciei mentis eius tectum est caligine. Vtitur autem metaphora incisionis: quia perturbatis & obscuratis phantasmatibus fit quasi incisio intellectus à ministrante phantasia. separatus enim quoad vsum intellectus à corpore. Metaphora autem caliginis vtitur ad significandam internam obscuritatem.

Respondet ad obiectam sibi obscuritatem ab eodem.

CAPVT XXIV.

Vers. 1. QVARE A SAPIENTIA NON SVNT ABSCONDITA TEMPORA: QVI AVTEM NOVERVNT EVM, IGNORANT DIES ILLIVS. Manca est litera, & tam intolerabiliter vt mutetur sensus, & obscuretur intentio loquentis. Iuxta Hebræum itaque habetur, *Quare a Saddai non sunt abscondita tempora, & cognoscentes eum, non viderunt dies illius?* Quia Eliphaz excipiendo tractauerat & abominatus fuerat sectam dicentium Deum non cognoscere hæc temporalia, sed sempiterna, ideo Iob resumendo veram ac sanctam sententiam Eliphaz de notitia Dei penetrante singulares res quæ fiunt & corrumpuntur in tempore, proponit per modum quæstionis cæcitatem sociorum cognoscentium Deum habere notitiam temporum, & non discernere dies Dei diuersos ad faciendum iudicium & iustitiam tempore quo viuit homo, & post mortem hominis. Acsi apertiùs dixisset. alienum a ratione est vt quis cognoscat Deum habere curam singulorum quæ fiunt in tempore, & non cognoscat quòd Deus reseruat multa punienda in alia vita. hæc est quæstio quam proponit ad arguendum socios cæcitatis: & ad confutandam pollicitationes eorum omnes consistentes infra terminos huius vitæ. Ait itaque, *quare à Saddai*, ab eo qui vincit omnia, *non sunt abscondita tempora* (anni, menses, dies, horæ, momenta singularum rerum) secundum vestram & meam professionem: & tamen cognoscentes eum habere huiusmodi notitiam, non viderunt dies eius diuersos ad puniendum in hac vita & in alia. negabant enim Iobis socij diuersitatem talem dierum Dei, putantes nullam punitionem reseruari à Deo homini post mortem.

Iob socios cæcitatis arguit.

Vers. 2. ALII TERMINOS TRANSTVLERVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Confinia attingent.* Aduerte prudens Lector intentionem Iobis ex præmissa quæstione colligi. arguerat siquidem socios cæcitatis relatiuè ad diuersos dies Dei: & propterea vsque ad finem capituli colligit diuersa peccantium genera, ad manifestandum multitudinem peccantium qui in hac vita non puniuntur. vt hinc cæcos esse socios conuincat profitentes Deum gubernare singula, nisi etiam profiteantur quòd Deus reseruat multa punienda in alia vita: alioquin maxima iniquorum multitudo remaneret impunis. Huc tendit vniuersus discursus Iobis in hoc capitulo. & propterea tria genera iniquorum colligit. Primum est eorum, qui communiter à iudicibus non puniuntur pœna mortis: quum tamen, quia inimici Dei sunt, mereantur mortem secundùm diuinam iustitiam. Secundum est eorum, qui hìc plectuntur morte, statim vt scitur: quorum tamen multitudo non parua nescitur in iudicio. Tertium est eorum, qui longo processu puniuntur: quorum quoque multitudo non parua euadit impunis. Ex his enim clarè apparet quòd ne iniqui remaneant impunes, oportet confitentes Deum gubernare singula, confiteri consequenter quòd Deus reseruat multos puniendos in alia vita.

Iniquorum triplex genus.

Primum itaque iniquorum genus introducit describendo societates prædonum. talem enim comitatum explicaturus inchoat à loco quem inuadunt, dicendo, *confinia attingent*, significans per hoc quòd egrediuntur à regione propria ad prædandum in regionibus finitimis. Et hinc oritur quòd à nullo iudice puniuntur. propriam nanque patriam ditant: potentes verò inuadunt alienos agros, ita vt non possint ab alienis puniri. DIRIPVERVNT GREGES, ET PAVERVNT EOS. Incipit enumerare actiones eorum, inchoando à rapina totius gregis sic quòd pauerunt gregem ipsum, non dilaniarunt. Et in hoc significatur quòd cum tanta potentia veniunt, vt quiescant securi ad pascendum raptos greges.

Vers. 3. ASINVM PVPILLORVM ABEGERVNT. Futurum est in Hebraico. Augetur iniquitas ex qualitate hominum, quibus inferunt damna, discurrendo per pupillos, viduas, miselios, & pauperes. Et de orphanis quidem dicit quòd abigent asinos eorum: de viduis autem, ET ABSTVLERVNT PRO PIGNORE BOVEM VIDVÆ. Iuxta Hebræum habetur, *accipient pignus bouem viduæ.* Et est sensus, accipient bouem viduæ appositiuè pignus, hoc est, quem duntaxat posset vidua pignorare. significatur enim quòd nihil aliud habet vidua, nisi illum bouem.

Iniquitas augetur ex qualitate hominum quibus inferuntur mala.

Iniquitates varia recenſentur.

Vers. 4. SVBVERTERVNT PAVPERVM VIAM. Iuxta Hebræum habetur, *Declinabunt miselli à via.* Nec miselli securè possunt per viam publicam ire propter huiusmodi comitatum prædonum etiam misellis non parcentium. ET OPPRESSERVNT PARITER MANSVETOS TERRÆ. Iuxta Hebræum habetur, *pariter absconditi sunt pauperes terræ.* Latere etiam pauperes terræ metu talis comitatus scribitur.

Vers. 5. ALII QVASI ONAGRI IN DESERTO EGREDIVNTVR AD OPVS SVVM. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce onagri in deserto egressi sunt ad operationem suam.* Explicat Iob de quibus loquitur, assimilando eos onagris, non domesticis (mansuescunt enim aliquid onagri) sed in deserto, hoc est, in feritate sua: ad insinuandum quòd homines de quibus loquitur, sunt inimici ciuilitatis humanæ. Ecce, inquit, homines similes onagris in deserto, egressi sunt ex regione propria ad exercendam operationem suam. de qua operatione subiungit, VIGILANTESQVE AD PRÆDAM. Iuxta Hebræum habetur, *matutini ad rapinam.* Ecce operatio eorum. PRÆPARANT PANEM LIBERIS. Iuxta Hebræum habetur, *planicies*

nicies Et, panis pueris. Et est sensus quòd planicies frugum est ei, ideſt, comitatui illi, quemadmodum panis pueris. Et significatur per hanc similitudinem, quòd comitatus prædonum reputat sibi debitos fructus agrorum qui sunt culti ab aliis, quemadmodum debetur pueris panis absque vllo labore puerorum. intendit enim dicere quòd prædones isti veniunt ad colligendum agrorum fructus tanquam suos. & propterea subiungit, AGRVM NON SVVM DEMITVNT. Iuxta Hebræum habetur, *In agro segetem suam metent.* Describit consequenter quòd metent in agro quascunque segetes tanquam suas. ET VINEAM EIVS QVEM VI OPPRESSERVNT VINDEMIANT. Iuxta Hebræum habetur, *& vineam impy tardabunt.* & est genitiui casus *impy.* Et significatur quòd cognoscentes aliquam vineam esse alicuius viri impij similis eis, reseruabunt vindemiam illius aliquantulum, sed tandem vindemiabunt etiam illam.

Vers. 6.

Vers. 7. NVDOS DIMITTENT HOMINES, INDVMENTA TOLLENTES, QVIBVS NON EST OPERIMENTVM IN FRIGORE. Iuxta Hebræum habetur, *Nudum facient dormire à sine indumento, & non operimentum in frigore.* Hactenus de rapina animalium, & eorum quæ in agris & vineis vegetantur, locutus est: deinceps de iniuriis personarum prosequitur, inchoans à denudatione hominum, sic quòd oporteat eos dormire nudos, nudos, inquam, sic quòd carent & indumento & operimento in frigore.

Vers. 8. QVOS IMBRES MONTIVM RIGANT, ET NON HABENTES VELAMEN AMPLEXANTVR LAPIDES. Iuxta Hebræum habetur, *Ab inundatione montium irrigabuntur, & à sine oppositio amplexati sunt rupem.* Fugientes à facie prædonum describuntur in montibus destituti sub periculo inundantium aquarum, quæ fluunt ex montibus cum tanto impetu quòd profugi carentes obstaculo seruante eos à cursu aquarum, coguntur amplecti rupem in qua seipsos retineant ne ab impetu aquæ ferantur præcipites.

Vers. 9. VIM FECERVNT DEPRÆDANTES PVPILLOS. Iuxta Hebræum habetur, *Rapient ex præda orphanum.* Raptus hominum significatur à rapina miserabilium personarum, quales sunt pupilli. ET VVLGVM PAVPEREM SPOLIAVERVNT. Iuxta Hebræum habetur, *& super pauperem accipient pignus.* hoc est, super paupere redimendo accipient totum quod habet. nomine siquidem pignoris significatur vniuersum quòd potest dari in pignus. feritas enim istorum describitur quòd si raptus pauper redimere se vult, exigunt ab eo totum quod possidet.

Vers. 10. NVDIS ET INCEDENTIBVS ABSQVE VESTITV, ET ESVRIENTIBVS TVLERVNT SPICAS. Iuxta Hebræum habetur, *Nudi incerunt absque indumento, & famelici portauerunt manipulum.* Miseriæ subsecutæ in hominibus ciuitatis illius describuntur. & primò quo ad indumenta, quòd oportuit eos nudos incedere: deinde quo ad panem, quòd famelici portauerunt manipulum spicarum non habentes segetes: postea quo ad oleum & vinum. INTER ACERVOS EORVM MERIDIATI SVNT, QVI CALCATIS TORCVLARIBVS SITIVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Intra cellaria sua facient oleum, torcularia calcarunt & sitierunt.* Tam modica quantitas oliuarum relicta narratur vt oleum faciant non in molis solitis, sed intra cellaria, in quibus recondere consueuerunt oleum. in torcularibus quoque tam patum vini exprimendum relictum est à prædonibus, vt calcantes iterum torcularia sitiant, hoc est, nequeant extinguere sitim ex residuo illo.

Miseria inde secuta describuntur.

Vers. 11.

DE CIVITATIBVS FECERVNT VIROS GEMERE, ET ANIMA VVLNERATORVM CLAMAVIT. Iuxta Hebræum habetur, *Ex ciuitate homines clamabunt, & anima interfectorum clamabit.* Luctus cum clamore plorantium interfectos ab istis prædonibus describitur, pro miseria postrema dicendo quòd homines ex ciuitate clamabunt: & rationem clamoris subiungendo, & anima interfectorum clamabit vindictam à Deo, eo clamoris modo, quo sanguis Abel clamauit ad Deum, hoc est, ad instar clamantis exigit vindictam. describuntur enim tam viui, quam interfecti clamantes petendo vindictam à Deo. ET DEVS INVLTVM ABIRE NON PATITVR. Iuxta Hebræum habetur, *& Eloah non ponet defectum?* Interrogatiue legenda est hæc clausula, ad asserendum quòd Deus iudex puniet istos prædones impunes in hac vita. tanquam igitur absurdum valde socios alloquendo concludit, *& Eloah non ponet defectum*: pœnas futuræ vitæ sub defectus nomine comprehendens: quoniam in priuatione eorum quæ apti nati erant, habere consistunt.

Vers. 12.

Defectus, de pœnis futuræ vitæ.

Vers. 13. IPSI FVERVNT REBELLES LVMINI. Iuxta Hebræum habetur, *Ipsi fuerunt in rebellibus luminis.* Ne quis diceret quòd isti prædones peccauerunt contra homines, & non contra Deum, & propterea non remanent puniendi à Deo, addidit Iob quòd ipsi prædones fuerunt inter rebelles luminis, tum fidei, tum menti humanæ inditi naturaliter: ac per hoc peccatum eorum redundat in iniuriam Dei, qui vtrumque lumen humano generi communicauit. NESCIERVNT VIAS EIVS. Probatio est quòd fuerunt inter rebelles luminis. NEC REVERSI SVNT PER SEMITAS EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *& non sederunt in vijs eius.* hoc est, non acquieuerunt ad volendum per vias ducentes ad Deum ambulare. ita quòd abiecerunt vias Dei ab intellectu & voluntate sua: & ideo ex ignorantia affectata conuincuntur rebelles luminis.

Vers. 14. MANE PRIMO CONSVRGIT HOMICIDA. Iuxta Hebræum habetur, *Ad lucem surget homicida.* Expedito primo iniquorum genere, introducit genus alterum, comprehendens homicidas & adulteros, contra quos statim vt scitur vindicta fit. Ab homicidis itaque inchoans, describit eos priminn à tempore, dicens quòd ad lucem (hoc est, orto sole) surget homicida. INTERFICIT EGENVM ET PAVPEREM. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *interficiet pauperem & egenum.* Ita quòd egeni nomine intelligas hominem plus quàm pauperem quasi mendicum, quem miserum superiùs appellauimus. PER NOCTEM VERO ERIT QVASI FVR: Vtroque tempore (die videlicet, & nocte) exercens officium suum describitur homicida. & die quidem interficiens pauperes, qui inueniuntur soli & inermes: nocte autem ad instar furis insidijs vacans ad occidendum aliquem.

Homicida describitur.

Vers. 15. OCVLVS ADVLTERI OBSERVAT CALIGINEM. Iuxta Hebræum habetur, *Oculus adulteri obseruauit vesperam.* fugit enim diurnam

Adulter describitur.

lucem, & expectat noctem: & propterea describitur curam habere horæ vespertinæ. Et ad hoc manifestandum subiungitur. DICENS NON VIDEBIT ME OCVLVS, ET OPERIET VVLTVM SVVM. Non sufficit ei cautela temporis: sed adiungit velamen faciei, vt non cognoscatur ab obuiantibus.

Vers. 16. PERFODIT IN TENEBRIS DOMOS, SICVT IN DIE CONDIXERANT SIBI. Sensus recte redditur, & Pronomen *sibi* demonstrat adulterum & adulteram. *Perfodere* autem describitur metaphoricè: quia ad instar fodientis & per foramen intrantis ingreditur adulter domum adulteræ per occultos meatus. ET IGNORAVERVNT LVCEM. hoc est, absque lumine candelæ conuenerunt adulter & adultera.

Vers. 17. SI SVBITO APPARVERIT AVRORA, ARBITRANTVR VMBRAM MORTIS. Iuxta Hebræum habetur, *Quia simul, manè eis vmbra mortis*. hoc est, quia simul sunt adulter & adultera, ideo manè quum oritur sol, est eis exosum tanquam vmbra mortis. timent enim ne reperiantur, aut ne videantur aduenientè luce diei. ET SIC IN TENEBRIS QVASI IN LVCE AMBVLANT.

Vers. 18. Iuxta Hebræum habetur, *quia cognoscet terrores vmbræ mortis*. LEVIS IPSE SVPER FACIES AQVARVM. Describitur adulter manens cum adultera, quando sentit terrores vmbræ mortis, hoc est, quando sentit aliquem motum, vel vocem in domo adulteræ, & terretur ne occidatur. & de eo dicitur quòd est tam agilis fugiendo, tanquam ambulans super aquas. Hoc enim significatur, dicendo, quia cognoscet terrores vmbræ mortis, ideo leuis ipse super facies aquarum. qui enim super superficiem aquæ iturus est, oportet quòd sit tam agilis eundo, vt velocitas motus eius vincat grauitatem corporis sui, & sic tanquam leuior aquis eat super superficiem aquæ. hyperbolico enim sermone describitur magna agilitas adulteri timentis & fugientis per vias aliquas tenuissimas immeabiles, sic vt incredibile videatur quòd vir tranſeat per eas. MALEDICTA SIT PARS EIVS IN TERRA, NEC AMBVLET PER VIAM VINEARVM. Iuxta Hebræum habetur, *Maledicetur pars eorum in terra, non reuoluet viam vinearum*. Pronomen *eorum*, adulteros & homicidas fugientes demonstrat. Et portio terræ in qua occultantur, maledicenda describitur: quia subiacere solet maledicto iudicis & quærentium vindictam. locus enim in quo inueniuntur, tanquam maledictus tractatur violentè educendo eos inde, vel percutiendo ibidem. & propterea de quolibet eorum fugiente subiungitur, *non reuoluet viam vinearum*. hoc est, capietur antequam fugiendo per vineas reuoluat (hoc est, voluendo perficiat) viam vinearum, quæ communiter parum distant à ciuitate. significatur enim per hoc quòd fugiens incidet in manus persequentium infra breuem distantiam à ciuitate. Propter quod aptissimè subiungitur,

Vers. 19. AD NIMIVM CALOREM TRANSEAT AB AQVIS NIVIVM, ET VSQVE AD INFEROS PECCATVM ILLVS. Iuxta Hebræum habetur, *Siccitas etiam calor rapient aquas niuis, fouea peccauerunt*. Similitudinem affert ad manifestandum quod dixerat, videlicet quòd homicidæ & adulteri fugientes incident citò in manus persequentium. Est autem similitudo quòd quemadmodum siccitas & calor trahunt aquas niuium liquefaciendo niues, ita fouea sepulchri trahit eos qui peccauerunt. vulgò enim dicitur quòd mors vocat eos. Et dicit siccitas etiam calor, hoc est, calor iunctus siccitati, ad differentiam caloris iuncti humori. ad sensum enim patet quòd calida aqua effusa super niuem non liquefacit, sed indurat eam: propter quod in regionibus frigidis, super congelati fluminis portionem quandam effundunt aquam calidam, vt durior portio illa, via sit curribus & equitibus. calidum igitur & siccum oportet esse quod liquefacit niues. *Siccitas, pro calore.*

Vers. 20. OBLIVISCATVR EIVS MISERICORDIA. Iuxta Hebræum habetur, *Obliuiscetur eius amicus*. nullus amicus comparebit pro adultero, aut homicida fugiente. DVLCEDO ILLIVS VERMIS. Iuxta Hebræum habetur, *dulcuit ipse vermi*. Dixerat quòd sepulchrum trahit eos qui peccauerunt: dicit consequenter quòd vermes cupiunt eum tanquam cibum eorum dulcem. Et per hoc significat propinquitatem ad mortem tam adulteri, quàm homicidæ fugientis. NON SIT IN RECORDATIONE, SED CONTERATVR SICVT LIGNVM INFRVCTVOSVM. Iuxta Hebræum habetur, *adhuc non memorabitur, & fuit fractus sicut arbor iniquitatis*. Celeritas vindictæ describitur per hyperbolem, dicendo quòd adhuc non memorabitur, & fuit occisus. est enim sensus quòd statim vt apprehensus fuit, fuit occisus absque tela iudiciarij processus, absque commemoratione criminis. notorium enim præsupponitur factum cum fuga facientis. Affert autem ad hoc similitudinem arboris iniquitatis quæ frangitur absque mora. Appellatur autem arbor iniquitatis arbor nociua. huiusmodi enim arbores sine mora & consilio succiduntur. Et hîc finitur tractatus secundi generis iniquorum, quorum multi in hac vita statim puniuntur. ex hoc enim quòd homicidæ & adulteri merentur mortem, & aliqui fugientes in hac vita puniuntur, multi autem adulteri & homicidæ remanent impunes, insinuat Iob quòd reseruantur puniendi in alia vita. *Vindicta celeritas per hyperbolem.* *Arbor iniquitatis, pro arbore nociua.*

Vers. 21. PAVIT ENIM STERILEM, ET QVÆ NON PARIT, ET VIDVÆ BENE NON FECIT. Iuxta Hebræum habetur, *Frangens sterilem non pariet, & viduæ non bene fecit*. Tertium iniquorum genus introducit describendo ciuem diuitem erigentem se in ciuitate in quasi tyrannum. describit autem crimina eius tum erga mulieres, tum erga viros. Et circa mulieres non meminit adulterij, sed defloratio-nis virginum cum procuratione aborsus, dicendo *frangens sterilem*, hoc, est frangens virginem ad sterilitatem. Et dicit hoc ad differentiam coniugij in quo frangitur virgo ad fœcunditatem. diues enim iste nolebat ducere quas violabat virgines in vxores: & volens consulere honori puellarum, dabat eis aliquid quo fierent steriles, non simpliciter & absolutè, sed quo ad hoc, videlicet ne parerent ex concubitu cum eo. ad limitandum siquidem sterilitatem adiungitur, *non pariet*. Et simile intelligo gestum circa viduas, significatum, honestè dicendo, *& viduæ non bene fecit*. Circa viros autem subiungitur. *Diues describitur.*

Vers. 22. DETRAXIT FORTES IN FORTITVDINE SVA. Iuxta Hebræum habetur, *Et trahet fortes in potentia sua*. Modus exercendi tyrannidem describitur

Tyrannis. bitur: videlicet quòd diues potentia diuitiarum suarum trahet ad se sortes, vt sic exhibeat se terribilem ciuibus aliis. ET QVVM STETERIT, NON CREDET VITÆ SVÆ. Iuxta Hebræum habetur, *surget, & non faciet credere in vitis.* hoc est, eleuabit se tam terribilem, vt efficiat quòd multi metuentes ab eo, arbitrentur vitas suas non fore securas: quod vtinam crebrò non videremus.

Vers. 23. DEDIT EI DEVS LOCVM POENITENTIÆ, ET ILLE ABVTITVR EO IN SVPERBIA. Iuxta Hebræum habetur, *Dabit ei securitatem, & innitetur.* Dives ille potens & terribilis dabit ei (hoc est, alicui metuenti) securitatem, promittendo illi quòd securus potest manere. Et hoc intellige accepto munere aliquo: & sic ille, qui metuebat, innitetur super securitate sibi data ex promissione diuitis. OCVLI AVTEM EIVS SVNT IN VIIS ILLIVS. Perfidia diuitis describitur quòd quamuis promiserit securitatem metuenti, nihilominus oculi ipsius diuitis vigilant super vias illius quem securum fecerat, expectando tempus ac locum commodum quo possit supplantare illum.

Diuitis perfidia.

Vers. 24. ELEVATI SVNT AD MODICVM, ET NON SVBSISTENT. Sententia redditur: Hebraicè tamen legitur, *Elevati sunt paulum, & non ipse.* De quibusdam huiusmodi ciuilium tyrannorum dicit quòd eleuati sunt paulum, hoc est, breui tempore, & non ipse, tyrannus erit. Nec hoc intelligas dici ad describendum omnes huiusmodi tyrannos (quoniam subiuncta litera non verificatur de omnibus) sed quemadmodum inter adulteros descripsit fugientem qui cito incidit in manus persequentiũ, ita inter huiusmodi ciuiles tyrannos describuntur aliqui qui parum durant, deuenientes ad paupertatem. de istis enim dicitur, *eleuati sunt paulum, & non inuenietur ipse.* Modus autem quo non erit ipse, subiungitur. ET HVMILIABVNTVR SICVT OMNIA, ET AVFERENTVR. Iuxta Hebræum habetur, *& depauperati sunt, sicut omnes restringentur.* Ecce modus, quo desinunt citò quandoque huiusmodi tyranni: deueniendo scilicet ad paupertatem, consumptis opibus in malis vsibus. depauperati autem restringentur à iudice, sicut omnes alij ciues qui malè fecerunt, restringi solent à iudice addicente malefactores carceri. ET SICVT SVMMITATES SPICARVM CONTERENTVR. Iuxta Hebræum habetur, *& sicut caput spicæ succidentur.* Discerne inter modum puniendi fugientem adulterum, seu homicidam, & modum puniendi ciuilem tyrannum. de illo siquidem paulo antè dictum est quòd statim sicut arbor iniquitatis frangetur. de isto autem dicitur quòd mancipabitur carceri quemadmodum alij malefactores. significando per hoc quòd procedetur cum iudiciaria tela, & postea sicut caput spicæ incidetur, hoc est, discussa causa & matura ad mortem, capite plectetur, quemadmodum expectatæ ad maturitatem spicæ succiduntur. Et ex hoc quòd aliqui merentes mortem intercedente iudiciaria tela puniuntur hic, & non omnes similes puniuntur hic, insinuat Iob quòd tales reseruantur puniendi in alia vita. Collige ergo prudens Lector quòd Iob conuincit socios ex tribus generibus iniquorum. tum ex prædonibus, qui peccant penitus impunes: tum ex homicidis & adulteris, quorum aliqui duntaxat occiduntur statim: tum ex ciuilibus tyrannis, quorum aliqui duntaxat occiduntur cum iudiciaria tela. sub istis enim tribus generibus iniquorum merentium in hoc mundo mortem, & tamen non punitorum in hoc mundo, comprehendit omnes iniquos impunes in hac vita: & conuincit socios vt profitentes Deum habere curam singularium quæ temporaliter fiunt, profiteantur consequenter diuersos Dei dies ad iudicandum, alterum in præsenti vita, alterum in alia vita: alioquin tanta multitudo iniquorum remaneret impunis.

QVOD SI NON EST ITA. Iuxta Hebræum habetur, *Et si non.* Et est sensus, & si non asseritur quod dixi. QVIS ME POTEST ARGVERE ESSE MENDACEM. Iuxta Hebræum habetur, *vbi quis faciet mentiri me:* quasi dicat, nullibi. & similiter nullus tanti erit quòd faciat mentiri me. ET PONERE ANTE DEVM VERBA MEA? Iuxta Hebræum habetur, *& ponet in non verbum meum?* Hebraicæ phrasis est significare *nihilum*, per non, perinde ac si dixisset, & annihilabit sermonem meum. videbat enim Iob inductionem qua vsus fuerat, conuincere aduersarios, & propterea sic concluserit. Vers. 25. *Nihilum, pro non.*

CAPVT XXV.

RESPONDIT AVTEM BILDAD SVHITES. Ordinatè secundus socius tertiò respondet. ET DIXIT: POTESTAS ET TERROR APVD EVM EST. Iuxta Hebræum habetur, *Potestas & timor cum eo.* Dictio interpretata *potestas*, non plenè explicatur quoniam significat potestatem exercentem actionem suam. Vbi aduerte quòd Iob *in cap.* 23. dixerat de Deo iudice, Nunquid litigabit mecum in multitudine potentiæ? & subiunxerat, non. ideo Bildad contra hanc Iobis sententiam opponit, dicendo, *potestas & pauor cum eo*, proculdubio Deo. intendit enim confutare Iobem qui dixerat quòd cupit ire ad tribunal Dei: quia ibi Deus non iudicaret eum in multitudine potentiæ, ac per hoc ipse iustificaret causam suam. Et propterea Bildad inchoat à contrario fundamento, videlicet quòd cum Deo est potestas, & timor. hoc enim directè contrariatur fundamento Iobis, scilicet Deus non litigabit in multitudine potentiæ. nam sensus verborum Bildad est quòd exercitium potestatis diuinæ gignens timorem, est cum Deo, hoc est, in tribunali eius. QVI FACIT CONCORDIAM IN SVBLIMIBVS SVIS. Partui refert quod Hebraicè habetur, *pacem.* Probat Bildad quòd Deus exerceat potestatem suam cum terrore, ab effectu quem efficit Deus in creaturis spiritualibus, Angelis scilicet, & animalibus corporum cœlestium. Effectus autem iste est pax. intendit enim quòd trementes Angeli intuendo magnitudinem diuinæ potestatis quam exercet, viuunt in summa pace: quemadmodum exercitus sub Imperatore potentissimo & terribili viuit in pace. Vers. 1. Vers. 2. *Bildad, potestatem & timorem esse cum Deo.*

NVNQVID EST NVMERVS MILITVM EIVS. Partui refert quòd Hebraicè habetur, *societatum eius.* Et est sermo de militatibus societatibus. Manifestat quòd pax spiritualium substantiarum sit effectus terroris diuinæ potestatis, ex duobus. primò ex parte multitudinis innumerabilis Vers. 3. *Pax spiritualium substantiarum quomodo sit effectus terroris diuinæ potestatis.*

Angelorum. quòd enim tam maxima multitudo conueniat & perseueret pacifice, oportet ex vno aliquo effici: hoc autem vnum (vt testantur humanæ res) est timor à gubernante. ET SVPER QVEM NON SVRGIT LVMEN ILLIVS. Iuxta Hebræum habetur in futuro *surget*. Probat secundò ex parte excellentiæ diuinæ potestatis attingentis omnes. Ita quòd probatio integratur hinc ex parte multitudinis innumerabilis, inde ex parte eminentiæ diuinæ potestatis attingentis omnes. continuando siquidem inchoatum interrogatiuum, dicit, *& super quem non surget*, non eleuabitur, & eminebit *lumen illius*? hoc est, actio illius ad instar luminis solaris. sol enim in sua eminentia perseuerans attingit lumine omnia.

Lumen pro actione.

Vers. 4. NVNQVID IVSTIFICARI POTEST HOMO COMPARATVS DEO. Iuxta Hebræum habetur, *Et quomodo iustificabitur homo cum El?* Postquam Bildad probauit quòd potestas & timor sunt cum Deo, infert ex dicto principio, *& quomodo iustificabitur homo cum El*: quasi dicat, nullo modo. Infertur autem hoc etiam ex confessione ipsius Iobis: quoniam apud diuinum iudicium secundùm potentiam exterrentem renuit Iob iudicari. Et significanter Deus nominatur *El*, quia est nomen fortitudinis, seu potentiæ. AVT APPARERE MVNDVS. Iuxta Hebræum habetur, *& quomodo mundus erit natus de muliere*? tam imperfecta parente. directè siquidem concludit (ex contrario tamen principio) tam Iobem, quam quemcunque alium hominem apud diuinum tribunal fore iniustum & immundum.

Bildad omnẽ Deo comparatum iustificari posse.

Vers. 5. ECCE LVNA ETIAM NON SPLENDET, ET STELLÆ NON SVNT MVNDÆ IN CONSPECTV EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce vsque lunam non faciet illuminare, & stellæ non mundabuntur in oculis eius.* Apposuerat rationi vtilitatem hominis, dicendo, *homo natus ex muliere*; & ideo adiungit argumentum sumptum ex vtilitate hominis relatiuè ad lunam & stellas. Et argumentum clarè sonat quòd luna & stellæ non mundantur in diuino iudicio: ergo multo minus homo, qui est tanquam vermis.

Difficultates duæ. Prima.

Sed occurrunt hîc duæ difficultates. Altera quomodo Bildad affert ad propositum, defectum luminis in luna: quoniam disputatio cum Iobe est de mundditia morali, quæ est mundditia animi: defectus autem luminis lunæ non est in animo, sed in corpore, non est spiritualis, sed corporalis: & propterea impertinens videtur ad propositum. *Secunda.* Altera est de immunditia stellarum quæ nam sit immunditia ista de qua loquitur Bildad. nam in stellis nulla adhuc visa est immunditia corporei luminis, aut cuiuscunque alterius qualitatis.

Soluuntur. Solutio primæ est quòd Bildad per sensibilia insinuat intelligibilia, & per defectum luminis in luna insinuat defectum iustitiæ in anima lunæ relata ad diuinum iudicium. præsupponit enim cœlestia corpora esse animata: vt intelligeremus quòd de immunditia spirituali intendit, adiunxit quòd stellæ non mundabuntur in oculis eius. hoc enim non nisi de spirituali immunditia intelligi potest: quum expressè dicatur, *in oculis Dei*, non in oculis hominum. Et per hoc patet solutio secundæ. Vbi etiam aduerte quòd Eliphaz *in cap.* 15. dixerat quòd cœli non sunt mundi in oculis Dei: Bildad autem consequenter dicit de astris quòd luna & stellæ non sunt mundæ in oculis eius. Attribuitur autem defectus luminis lunæ eius immunditiæ: quoniam ex hoc quòd luna est tanquam fæx cœlestium corporum, est non penitus naturæ diaphanæ: & propterea defectum luminis sortitur.

Vers. 6. QVANTO MAGIS HOMO PVTREDO. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam quia homo vermis, & filius hominis vermis.* Relatiuè ad cœlestia corpora incorruptibilia, homo est vermis, imò plus distans à cœlesti corpore, quàm vermis ab homine. quia homo & vermis communicant in corpore generabili & corruptibili: corruptibile autem & incorruptibile dissunt plus quàm genere. Dicit autem, *homo & filius hominis*, ad resumendum antedicta, *homo, & natus de muliere*, vt conclusio quadret propositis.

Homo vermis.

CAPVT XXVI.

Vers. 1. & 2. RESPONDIT AVTEM IOB, ET DIXIT: CVIVS ADIVTORES, NVNQVID IMBECILLIS. Sententia recte redditur: Hebraicè tamen habetur, *Quem adiuuisti in non potentia.* Præpositio tamen interpretata *in*, potest interpretari *ad*, ita quòd potest legi, *ad non potentiam.* Quia Bildad assumpserat partes Dei iudicis (manifestando tribunal diuinum exercere potestatem terribilem, ac per hoc nullũ iustificari in tribunali illo) ideo Iob inuehitur aduersùs Bildad, arguendo eum temeritatis quòd adiutorem Dei egerit. & rationem subdit: quia adiutore indiget is cui minor est potentia, non Deus, cui nihil potentiæ deest, quem, inquit, adiuuisti: & rationem subiungendo *in non potentia*, hoc est, cum in quo non est potentia sufficiens. ET SVSTENTAS BRACHIVM EIVS QVI NON EST FORTIS? Iuxta Hebræum habetur, *saluasti brachio, & non robur?* Metaphorico sermone continuat inuectionem temerarij adiutorij, describendo eum ad instar adiuuantis virum iam lassum interposito salutari brachio: quasi dicat, Dei vires non lassantur vt egeat brachio tuo saluante ipsum. prius enim exclusit adiutorium, & postea effectum adiutorij.

Iob Bildad temeritatis arguit quòd egerit adiutorem Dei.

Vers. 3. CVI DEDISTI CONSILIVM, FORSITAN ILLI, QVI NON HABET SAPIENTIAM: ET PRVDENTIAM TVAM OSTENDISTI PLVRIMAM? Iuxta Hebræum habetur, *Cui consuluisti in non sapientia, & statutum multitudini indicasti?* Vt hæc intelligas, reuoca ad mentem quòd cùm aliquis præsente Principe respondens, ex parte Principis dicit in fauorem Principis aliquid esse de intentione Principis, quod tamen Princeps præsens nec cogitauerat, ille fictor agit facto consiliarium: quoniam secundùm veritatem dat tunc consilium illius rei, quam promulgat esse de intentione Principis: iste, inquam, quanuis non per modum consilij, opere tamen consilium dat Principi. & quia Bildad dicebat esse statutum à Deo vt in iudicio diuino exerceret potestatem suam terribilem, & hoc falsum est, & præsente Deo tanquam in fauorem Dei Bildad promulgabat hoc esse de intentione Dei, ideo Iob inuehitur contra eum, dicendo, *consuluisti?* hoc est, officium consiliarij non per modum dantis consilium, sed facto exercui-

sti?

sti? Et rationem vitij subiungit, dicendo, *in non sapientia*, hoc est, nunquid ei in quo non est sapientia sufficiens? Princeps enim cui deficit sapere, indiget consilio. Ad insinuandum autem hunc modum dandi consilium, subiungit, *& statutum Dei indicasti multitudini.* ad instar Consiliarij, non per modum dantis consilium, sed promulgantis præsente Principe hoc esse statutum à Principe, promulgabat Bildad statutum Dei de vsu potestatis terribilis in tribunali diuino.

Vers. 4. QVEM DOCERE VOLVISTI? Iuxta Hebræum habetur, *Cuius annuntiasti verba?* Prosequitur inuectionem, exaggerando temeritatem ex eminentia Dei. Ac si apertiùs dixisset, non ponderasti eminentiam Dei cuius præsumpsisti annuntiare verba quæ non dixit. NONNE EVM, QVI FECIT SPIRAMENTVM? Iuxta Hebræum habetur, *& anima cuius exiuit à te?* hoc est, & cuius intimum, cuius voluntas exiuit fingendo & loquendo à te, à corde tuo, non à veritate? arguit enim eum quòd non à veritate, non à diuina reuelatione, sed à seipso Bildad protulerit animum (hoc est, intentionem) Dei, non ponderando de cuius anima (hoc est, intentione) finxerit.

Anima, pro intentione.

Vers. 5. ECCE GIGANTES GEMVNT SVB AQVIS, ET QVI HABITANT CVM EIS. Iuxta Hebræum habetur, *Gigantes dolebunt à sub aquis, & habitantes cum eis.* Dictio interpretata *dolebunt*, significat dolere, non qualitercunque, sed ad instar dolorum partus. Completa inuectione, respondet ad probationem allatam à Bildad. probauerat enim Bildad seueritatem diuini iudicij ex pace multitudinis Angelorum. respondet itaque Iob quòd Deus non eodem modo vtitur potestate sua erga nos in hac vita, & erga spirituales substantias: sed aliter vtitur potestate sua gubernando, & consequenter iudicando spirituales substantias, & aliter vtitur potestate sua gubernando & iudicando nos in hoc mundo sensibili. Et cum hac distinctione confutat obiectionem Bildad, in totóque hoc capitulo nihil aliud dicit nisi membra huius distinctionis, inchoando à iudicio diuino quo vtitur Deus circa Dæmones & animas damnatas. Et Dæmones quidem nominat gigantes: animas verò damnatas nominat habitantes cum eis. In promptu autem est ratio, quare Dæmones appellantur gigantes, propter scilicet magnitudinem potentiæ, & eminentiam relatiuè ad homines. Ait itaque metaphorico sermone quòd gigantes (hoc est, Dæmones & animæ habitantes cum eis,) dolebunt tanquam parturientes à sub aquis, hoc est, tanquam submersi in afflictionibus. perinde ac si dixisset, fateor quòd Deus exercet potestatem suam terribilem in alia vita, iudicando Dæmones, & animas habitantes cum eis. potestatem siquidem terribilem describit ab effectu, dolore scilicet, & submersione Dæmonum & habitantium cum eis.

Gigantes, de Dæmonibus.

Habitantes cum gigantibus, idest. Dæmonibus, pro animis damnatis.

Vers. 6. NVDVS EST INFERVS CORAM EO. Iuxta Hebræum habetur, *Nuda fouea è regione eius, & non operimentum perditioni.* Tum materia, tum adiuncta perditio testatur quòd de fouea inferni est sermo. Et subtilis ratio redditur discernendi inter gubernationem ac punitionem Dæmonum animarúmque, & gubernationem ac punitionem hominum in hac vita, dicendo nudus infernus è regione eius. Differentiæ tres inter illos & nos manifestantur. Prima est quòd illi sunt nudi, nos autem vestiti carne. caro namque tegmen est animæ nostræ, aggrauans eam, & auertens tam intellectiuam, quam appetitiuam partem animæ a supernis. Altera quòd illi sunt è regione Dei, nos autem minimè. hoc est, illi sunt in statu tali quòd possunt ad libitum dirigere intuitum versùs Deum, quemadmodum stantes è regione alicuius possunt ad libitum aspicere illum. substantiæ siquidem spirituales describuntur differentes à nobis penes hoc quòd nos non possumus mentis aciem dirigere directè ad Deum, quoniam non intelligimus eum nisi in phantasmatibus: oportet enim intelligentem phantasmata speculari. illæ autem intelligunt Deum non per phantasmata, sed tanquam è regione ipsius stantes. Tertia est quòd inter illos & Deum nullum intercedit medium prohibens visionem: inter nos autem & Deum intercedunt media multa, quia non nisi per sensibilia ascendimus ad notitiam Dei. & propterea dicit nullum esse operimentum perditioni, hoc est, spiritibus perditionis filiis. Et oportuit apponere hanc tertiam ad excludendum obiectionem qua dici potuisset quòd licèt spirituales substantiæ stent è regione Dei, interiacens tamen medium prohibet eas aspicere in Deum. Ex tam diuersa itaque conditione spiritualium substantiarum & hominum reddit Iob rationem quare Deus vtitur cum illis potestate terribili, & non nobiscum. & rursus ex hoc ipso quòd Deus vtitur potestate terribili iudicando eos qui sunt in fouea inferni, supplet, vel docet, omissa à Bildad de damnatione & miseria multarum spiritualium substantiarum.

Inferorum & hominum dif ferentia tres.

Vers. 7. QVI EXTENDIT AQVILONEM SVPER VACVVM. Postquam Iob aperuit quòd Deus vtitur potestate terribili circa spirituales substantias, tractat consequenter quòd Deus non vtitur nobiscum simili potestate terribili, sed gubernat nos per media sensibilia, & exercet nos per tentationes Dæmonum, intendens per hæc describere qualiter nos cognoscimus Deum, & proficimus in bono, vel deficimus à bono: vt ex his intelligerent socij quòd Deus aliter iudicat nos in hac vita, & aliter animas in alia vita cum Dæmonibus. Per hoc enim Iob assequitur intentum, videlicet quòd Deus non iudicaret eum in multitudine potentiæ suæ. locutus est enim de seipso iudicando in hac vita, hoc est, secundùm iudicia quæ Deus exercet in præsenti vita. Monstrando itaque media per quæ Deus gubernat nos, incipit à cœlo sub nomine Septentrionis (eo quòd polus Septentrionalis supereminet nobis) dicendo extendens sinistram, hoc est, Septentrionem, super vacuum, hoc est, aërem: antiqui enim aërem nominabant vacuum. Et vtitur verbo *extensionis*, quemadmodum & in Genesi describitur secunda die facta extensio cœlorum, ad significandum quòd Deus dedit quantitatem tantam cœlo. ET APPENDIT TERRAM SVPER NIHILO. Quia Vniuersi corporei principia prima sunt cœlum & terra, circunferentia & centrum, ideo statim post cœlum meminit terræ. & vtendo metaphora appensionis, dicit quòd Deus appendit terram super nulla re, ad significandum quòd fecit terram in seipsa sustentatam, & non alicui rei alteri innixam. Et hoc est veriſſi

Vacuum, pro aëre.

Terra super nihilo appensa.

veriſſimum, quia ipſa eſt grauiſſima inter omnes partes Vniuerſi: hæc per hoc naturaliter quieſcit in totius Vniuerſi infimo, quod perſpicuum eſt eſſe centrum mundi.

Vers. 8. *Nubium duplex officium. Vnum aquas continendi. Aqua in nubibus ligata.*

QVI LIGAT AQVAS IN NVBIBVS SVIS. Ad inſtar colligentis aquas, & concludentis eas intra limbum luteum, deſcribitur Deus colligens vapores humidos, ex quibus fiunt nubes continentes aquas quaſi ligatas in eis. ſunt enim aquæ in nubibus non actualiter, ſed in potentia valde propinqua ante pluuiam: & propterea deſcribuntur ligatæ in nubibus, & non ſcindentes nubes. VT NON ERVMPANT PARITER DEORSVM. Iuxta Hebræum habetur, *& non ſciſſa eſt nubes ſub eis.* Aquæ actualiter concluſæ, ſcindunt concludentem limbum ſub eis luteum, impedientem fluxum earum: quo contrà aquæ in nubibus concluſæ non ſcindunt nubem longè fragiliorem, quàm ſit labium luteum. vt ex hac differentia intelligamus quòd aquæ non continentur actualiter in nubibus, ſed in potentia valde propinqua actui: & ideo dicuntur aquæ ligatæ in nubibus, ſic quòd non ſcindant nubes. Nec pluuia fit per ſciſſionem nubis, ſicut aqua fontis fluit ſcindendo terram ex qua egreditur: ſed nubes ipſa vertitur in aquam, non prius quàm pluat, ſed ſimul generando pluit, & pluendo generatur, & propterea dicitur, *& non eſt ſciſſa nubes ſub eis.*

Vers. 9. *Solium Dei, pro cælo. Alterum nubium officium tegendi cœlum ne appareat.*

QVI TENET VVLTVM SOLII SVI, ET EXPANDIT SVPER ILLVD NEBVLAM SVAM. Solium Dei appellatur cœlum, & ad literam deſcribitur alterum officium nubium. prius enim ſcriptum eſt officium continendi aquas: modò verò ſubiungitur officium tegendi cœlum ne appareat nobis. Parui enim refert quòd iuxta Hebræum legendum eſſet, *accipiens faciem ſedis*, hoc eſt, nolendo apparentiam ſedis ſuæ, expandit ſuper illam nubem ſuam. Vtitur autem metaphora ſolij velati ne appareat, ad inſtar venerabilium rerum, quæ quandoque velantur, & quandoque deteguntur, vt in maiori habeantur veneratione. deſcribitur namque tale nubium officium quòd eſt tegere nobis cœlum, ordinati ad hoc vt ſedes Dei venerabilior nobis reddatur, quandoquè apparens, & quandoque non apparens. Theologicè loquitur, & in naturalibus relationes ad diuinum honorem conſiderat.

Vers. 10. *Mare.*

TERMINVM CIRCVNDEDIT AQVIS, VSQVE DVM FINIANTVR LVX ET TENEBRÆ. A nubibus deſcendit ad mare. & iuxta Hebræum dicit, *Statutum circino dedit ſuper facies aquarum, vſque ad conſumptionem luminis cum obſcuritate.* Et ad literam ſignificatur quòd Deus ſtatuit certum ſpatium mari vt non operiat vniuerſam terram. & hoc quandiu nox comitabitur diem, & è conuerſo, hoc eſt, non ad certum tempus, ſed in perpetuum. ad ſignificandum enim determinatam quantitatem ſpatij iuxta terram, dicit *ſtatutum circino dedit.* Linea enim quæ ducendo circinum fit, certum ſpatium concludit. Et vtitur ſtatuti nomine, ad ſignificandum firmitatem ambientium mare. Nec ex iſtis intelligas ſtatutum eſſe à Deo vt mare non occupet nouiter aliquam partem terræ aridæ (hic enim ſenſus eſt falſus, quoniam ad ſenſum patet aliquam olim partem terræ aridæ eſſe modò ſub aquis, & è contrario aliquam terræ partem olim ſub aquis, inodò eſſe aridam) ſed ſenſus eſt quòd mare ſemper perſeuerat intra determinatam quantitatem ſtatuti ſibi ſpatij à principio, quo Deus dixit, *congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida.* Genes. 1. 9. Significanter quoque dicit *ſuper facies aquarum*, ad manifeſtandum quòd terra arida eſt celſior mari. niſi enim terra arida eminentior eſſet mari, mare proculdubio operiret terram, quoniam aqua ſemper fluit in decliuiorem locum. Modus itaque deſcribitur quo determinatum ſpatium datum eſt aquis, videlicet eleuando aliquas terræ partes ſuper aquarum facies, hoc eſt, ſuperficies. *Facies, pro ſuperficie.*

COLVMNÆ COELI CONTREMISCVNT, ET PAVENT AD NVTVM EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Columnæ cælorum trement, & obſtupeſcent a clamore eius.* Quia tam præcedentia, quam ſequentia de operibus Dei in rebus ſenſibilibus tractant, ideò metaphoram hanc columnarum cœli intelligendam de montibus puto. montes enim excelſi appellantur columnæ cœli, ideſt aëris, eo quòd erecti ſtant tanquam columnæ erectæ in aëre nihil ſuſtentantes. in Pſalmo ſiquidem octauo clarè patet aërem ſupputari inter cœlos, dum dicitur *volucres cæli:* & iuxta Hebræum, *auem cælorum.* Commotio itaque montium deſcribitur ad inſtar obſtupeſcentium & trementium à clamore Principis. clamor enim Dei imperium eius quo imperat efficì aliquid magnum ac ſtupendum, ſignificat. Magnum autem ac ſtupendum eſt, montes excelſos ſocialiter commoueri quaſi motu tremoris: & propterea hic effectus naturalis deſcribitur ſub metaphora tremoris à clamore Dei. Et admiſcetur admirationis ſtupor, ad inſinuandum quòd imperium Dei penetrat ad intima montium, & ex montium intimis tanquam ex animo prouenit exterior motus tremoris. Vers. 11. *Columnæ cæli, de montibus excelſis. Cælum, pro aere. Clamor Dei, pro eius Imperio.*

IN FORTITVDINE ILLIVS REPENTE MARIA CONGREGATA SVNT. Iuxta Hebræum habetur, *In potentia ſua diuiſit mare.* Localis diſtinctio diuerſorum ſinuum aquarum aſcribitur diuinæ potentiæ. Hebraica ſiquidem conſuetudine quælibet aquarum congregatio, ſiue dulcium, ſiue amararum, appellatur *mare.* ET PRVDENTIA EIVS PERCVSSIT SVPERBVM. Iuxta Hebræum habetur, *& in intelligentia ſua fregit fortitudinem.* Terræmotus quo ſcinduntur etiam lapideæ terræ partes ſignificatæ nomine fortitudinis, attribuitur intelligentiæ diuinæ: vt ex hoc effectu naturali qui ex neceſſitate materiæ prouenit attributo diuinæ intelligentiæ, intelligeremus quòd multo magis omnia naturalia efficit Deus per intellectum, ita quòd Deus non eſt agens naturale, ſed agens à propoſito. Vers. 12. *Aquarũ congregatio, pro mari, apud Hebræos. Terræmotus. Fortitudo, de partibus terræ lapideis.*

SPIRITVS EIVS ORNAVIT COELOS. Iuxta Hebræum habetur, *In ſpiritu ſuo cælos pulchrifecit.* Deſcribitur per hoc differentia inter modum quo Deus efficit naturalia in ſphæra elementari (in nubibus, in montibus, in aquis, &c.) & modum quo pulchritudine donauit cœlos, decorando illos tot aſtris, penes hoc quòd cœlos pulchrifecit in ſpiritu ſuo, hoc eſt, abſque corporeo inſtrumento. modus enim fuit purè ſpiritualis. Et per hunc modum inſinuatur oppoſitus modus, ſcilicet per inſtrumentum corporeum, quo Deus mutationes in aëre, in aquis, &c. efficit. ET OBSTETRICANTE MANV EIVS EDVCTVS EST COLVBER TORTVOSVS. Vers. 13. *Modus quo Deus efficit naturalia in ſphæra. & modus quo pulchritudine donauit cœlos, differunt.*

Iuxta

Iuxta Hebræum habetur, *dolendo peperit manus eius serpentem vectem.* Dictio interpretata *dolendo peperit*, significat dolere in partu. & est præteritū perfectum: & propterea oportet interpretari vel doluit, vel dolendo peperit. Dictio quoque interpretata *vectem*, anceps est, vel ad recuruum, vel ad vectem, hoc est, sudem, palum, trabem in transuerso sitam ad obstruendum, ad claudendum, &c. Diabolus siquidem describitur ab officio tum serpendi ad intima animi humani, tum impediendi & obstruendi viam cœlestem hominibus. inter alia siquidem media quibus Deus nos gubernat, connumeratur postremò Diabolus quo ad officium tentandi nos. Et attribuitur manui (hoc est, gubernationi) diuinæ partus Dæmonis quantum ad hoc officium: quoniam secundùm veritatem gubernatio diuina admittit Dæmones quo ad hoc officium inter media quibus gubernat nos. nisi enim diuina gubernatio hoc officium inter sua media admitteret, machinationes Dæmonum non se extenderent ad homines. Attribuitur autem diuinæ manui *dolendo*; tum ad significandum quòd quemadmodum mulier pariens dolores partus non eligit, sed tolerat propter bonum generationis, ita diuina gubernatio non eligit, sed permittit Dæmones tentare hominem propter bonum electorum. tum ad insinuandum modum quo officium hoc recipitur in hominibus, videlicet cum afflictione animi, vel corporis, ita quòd dolor manus diuinæ referatur ad effectum. Et quia vtroque modo verificatur metaphora doloris, ideo vtrunque diximus. Sapienter autem Iob manifestando modum quo gubernamur à Deo; diuersum esse à modo quo gubernat Deus substantias spirituales, meminit quòd Deus gubernat nos etiam per Dæmonum tentationes, exercendo nos: quia hinc apparet iustificatio ipsius Iobis non puniti, sed exercitati afflictionibus illatis sibi per Satanam.

Dolendo peperit, id est, dolore in partu.

Diaboli descriptio.

Manus, pro gubernatione.

Vers. 14. ECCE HÆC EX PARTE DICTA SVNT VIARVM EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce iste partes viarum eius.* Pronomen *iste* demonstrat dicta de actione diuina. & ne putares Iobem collegisse vniuersa opera Dei, explicat quòd istæ sunt partes viarum Dei, & non sunt vniuersæ viæ Dei. ET QVVM VIX PARVAM STILLAM SERMONIS EIVS AVDIERIMVS. Iuxta Hebræum habetur, *& quàm exiguum verbum auditum est in eo.* Totum quod docetur & discitur de Deo ex operibus eius, valde exiguum esse dicit. auditus enim sensus est disciplinæ. QVIS POTERIT TONITRVVM MAGNITVDINIS ILLIVS INTVERI? Iuxta Hebræum habetur, *& tonitruum potentiarum eius à quo intelligetur?* quasi dicat, a nullo homine. Et dicit hoc aduersùs Bildad, qui tonitruum potentiarum Dei introduxerat ad iudicandum homines in præsenti vita. Ac si apertiùs dixisset. opera Dei quibus nos regit, ducunt nos in notitiam suauis regiminis diuini, quo gubernat nos homines, & non in notitiam quòd Deus gubernat nos tonitruo potentiarum eius. suauis enim ordo nobis cognitus ducit in suauem vsum diuinæ potestatis in hoc vniuerso sensibili: tonitrui autem potentiarum Dei ordo non est nobis notus.

CAPVT XXVII.

DIDIT QVOQVE IOB. Interuallum insinuatur quo Iob expectauit an Zophar, cuius interierat tertiò respondere, vellet aliquid dicere: & tacente Zophar, Iob addidit subiuncta quinque capitula. in quorum primo arguit socios erroris circa pœnas iniquorum, quòd scilicet malè sentiebant de diuina prouidentia quo ad punitionem iniquorum. ASSVMENS. Iuxta Hebræum legendum esset, *eleuare parabolam suam.* Videns quòd nullus responderet, magnificauit, seu exaltauit sermonem suum, qui appellatur *parabola*, eo quòd plenus est similitudinibus. ET DIXIT: VIVIT DEVS. Legendum esset, *Viuus El.* Ecce exaltatio sermonis. inchoat enim quasi victor à iuramento, damnaturus socios. illius siquidem temporis more iurando, ait, *viuus El*, hoc est, Deus fortis. QVI ABSTVLIT IVDICIVM MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *fecit recedere iudicium meum.* hoc est, qui non exercuit iudicium meum. Deus enim non iudicando Iobem, sed probando ipsum, concessit vt affligeretur Iob. & propterea iudicium Iobis describitur tanquam recesserit: quia secundùm veritatem absens fuit ab afflictione eius. Metaphorico itaque sermone dicit quòd Deus fecit recedere iudicium Iobis, ad manifestandum quòd non fuit pro peccatis punitus. ET OMNIPOTENS QVI AD AMARITVDINEM ADDVXIT. Hebraicè habetur, *& Saddai amaricauit animam meam.* Inuocando in testem Deum tum fortem, tum vincentem omnia, resumit quod prius dixerat, videlicet quòd placuit Deo amaricare vitam eius, seorsum collocando iudicium iuxta merita ipsius Iobis.

Vers. 1.

Parabola, pro sermone Iob.

Vers. 2.

QVIA DONEC SVPEREST HALITVS IN ME. Vers. 3. Iuxta Hebræum habetur, *Quod toto adhuc anima mea in me, & spiritus Eloah in naribus meis.* Hebraica phrasi *toto adhuc*, significatur toto tempore quo adhuc fuerit anima in corpore. Vitæ itaque suæ tempus reliquum describit per perseuerantiam animæ suæ in eo, & flatus concessi à Deo gubernante in naribus. tamdiu enim homo viuit, quamdiu respirat. nasus autem respirationis organum iuge est: dormientes enim clauso ore, respiramus per nares. A duobus itaque se concomitantibus (videlicet existentia animæ in corpore, & officio respirandi) describit tempus vitæ hominis.

Toto adhuc, phrasi Hebraica, pro toto tempore, quo adhuc.

Nasus respirationis organum.

NON LOQVENTVR LABIA MEA INIQVITATEM, NEC LINGVA MEA MEDITABITVR MENDACIVM. Vers. 4. Sensus rectè redditur: Hebraicè tamen habetur, *Num loquentur labia mea iniquitatem, & lingua mea num meditabitur dolum?* Frequēti consuetudine Hebraicus sermo vtitur interrogatiuis ad firmiorem assertionem. horroris siquidem causa dicit, Num labia mea loquentur iniquitatem? ad insinuandum labia sua aliena valde esse à tali crimine, scilicet vt loquantur quod iniquum est. Et hinc incipit manifestare materiam super qua iurat. Horret quoque quòd lingua eius meditetur dolum, hoc est, meditatum dolum loquatur. Duo peccata locutionis à se excludit. alterum est loqui iniquum: alterum loqui dolum. Primum apertè dicitur malum: secundum autem malum dicitur sub specie boni.

Super vtroque iurat damnaturus socios, ad insinuandum quòd nec iniustum, nec palliatum proferet sermonem. ABSIT A ME VT IVSTOS VOS ESSE IVDICEM. Iuxta Hebræum habetur, *Absit mihi, num iustificabo vos?* Ecce quorsum tendunt dicta. socios enim malè sentientes de punitione iniquorum à Deo si iustificaret, loqueretur iniquum secundùm veritatem, & diceret meditatum dolum secundum mentem ipsius Iobis cognoscentis oppositum. DONEC DEFICIAM, NON RECEDAM AB INNOCENTIA MEA. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *non faciam recedere puritatem meam à me.* Dictio interpretata *puritatem*, à multis *innocentia*, à nonnullis *perfectio* interpretatur. Ex duobus capitibus intendit Iob arguere socios. Primùm ex parte sui, & deinde ex parte rei dictæ. Et ex parte quidem sui fundat argumentum super contrarietate inter ipsum & socios, vtpote inter iustum, & iniustos. & propterea manifestat primò se iustum, dicendo quòd donec finiatur vita sua, non faciet recedere à se perfectionem suam. dicendo enim, *non faciam recedere*, significat tum ipsam esse secum, tum firmum propositum conseruandi eam in futuro.

Vers. 5.

Vers. 6. IVSTIFICATIONEM MEAM QVAM COEPI TENERE, NON DESERAM. Iuxta Hebræum habetur, *In iustitia mea tenui, & non dimittam eam.* Dixerat bonitatem propriam in præsenti & proposito de futuro: subiungit eandem in præterito, dicens, *in iustitia mea tenui me, &* ex quo tenui *non dimittam eam.* hoc est, perseueraui in ea. futurum enim *non dimittam*, refertur ad præteritum *tenui.* NEQVE ENIM REPREHENDIT ME COR MEVM IN OMNI VITA MEA. Iuxta Hebræum habetur, *non vituperabit cor meum à diebus meis.* Manifestat initium iustitiæ suæ fuisse non nuper, sed a diebus suis, à diebus liberi arbitrij dies enim ante vsum liberi arbitrij, non sunt nostri quo ad possessionem & vsum. Et propterea ex tunc se perseuerasse in bonis moribus, manifestat, dicens, *à diebus meis cor meum non vituperabit*, non proferet aliquid vituperabile. futurum enim refertur ad præteritum significatum, dicendo *à diebus meis.* Nec huic sententiæ contrariantur verba Iobis *in cap.* 13. de peccatis adolescentiæ suæ, & *in cap.* 6. de pondere peccatorum suorum: quoniam Iob non dicit hîc se nunquam peccasse, sed nunquam commisisse aliquid vituperabile, & hoc ex corde, hoc est, ex intentione. cum hac enim veritate stat quòd multa leuia peccata commiserit quæ. hominem non vituperant. Et si aliquid vituperio dignum ex surreptione commisisset repentina perturbatione, vel ignoranter, non propterea esset falsum quod hic dicit Iob: quoniam non ex corde profectum fuisset vituperabile.

Vers. 7. SICVT IMPIVS INIMICVS MEVS, ET ADVERSARIVS MEVS QVASI INIQVVS. Iuxta Hebræum habetur, *Erit sicut impius inimicus meus, & insurgens in me sicut iniquus.* Quia pio & iusto contrariatur impius & iniquus, ideo ex hoc quòd Iob manifestauit se iustum, declarauit quòd impij & iniqui sunt sibi contrarij: & consequenter infert quòd quicunque est inimicus eius, erit sicut impius. & similiter quicunque insurgit in eum, erit sicut iniquus. Et per hæc probauit ex parte sui id quod dixerat, *absit à me vt iustificem vos.* intendit enim sub hac locutione in genere, carpere socios insurgentes in eum, & collocare eos inter impios & iniquos: quia sunt contrarij iusto.

Q. ÆST ENIM SPES HYPOCRITÆ. Incipit hîc arguere socios ex parte rei dictæ ab ipsis sociis de punitione impiorum a Deo. inchoat autem tractatum hunc a qualitatibus animi iniqui, & primùm à spe, manifestans spem hypocritæ in Deo esse nullam, seu vanam, dicens, *qua enim spes hypocritæ?* quasi dicat, nulla. SI AVARE RAPIAT, ET NON LIBERET DEVS ANIMAM EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *quia rapiet, quia pacificabit Eloah animam eius?* Fomentum spei in hypocrita tangit, vt confutet illud. foueri siquidem potest hypocritæ spes in Deo, ex hoc quòd ipse hypocrita vacat rapinis, & Deus gubernator & iudex pacificat vitam eius, non perturbando eam afflictionibus. Vers. 8.

Spes hypocritæ vana.

NVNQVID DEVS AVDIET CLAMOREM EIVS QVVM VENERIT SVPER EVM ANGVSTIA? Nominatur Deus *El.* Probat hypocritæ spem esse vanam, ex hoc quòd Deus fortis non exaudiet clamorem eius superueniente angustia. AVT POTERIT IN OMNIPOTENTE DELECTARI, ET INVOCARE DEVM OMNI TEMPORE? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid super Saddai delitiabitur: vocabit Eloah in omni tempore?* Duas alias qualitates mali animi describit. vna est quòd delitias suas non agnoscet à Deo qui vincit omnia. alia est quòd Deum gubernantem non inuocabit omni tempore (prosperitatis scilicet, & aduersitatis) sed tempore aduersitatis duntaxat: de quo prædictum est quòd Deus non exaudiet. Tres istæ malæ dispositiones animi hypocritarum (& multo magis aliorum manifestè impiorum) allatæ sunt à Iobe relatiuè ad Deum, vt hinc ansam accipiat ad confutandum socios de punitione iniquorum. hinc enim habetur quàm malè dispositi sunt erga Deum iniqui omnes: & propterea hinc consequenter oritur longè grauior punitio iniquorum, quàm ea, quæ describta est sæpe a sociis; & propterea subdit, Vers. 9. Vers. 10.

DOCEBO VOS PER MANVM DEI QVÆ OMNIPOTENS HABEAT, NEC ABSCONDAM. Iuxta Hebræum habetur, *Docebo vos in manu El, quòd cum Saddai non mentiar.* Promittit se docturum eos quid est in manu, hoc est, in plaga quam infert Deus fortis impiis, & quod inuenitur circa hoc apud Deum omnipotentem: docturum autem sic quòd non mentietur. Significanter autem dicit *quòd cum Saddai*, ad differentiam eius quòd agitur, & inuenitur cum hominibus. intendit enim docere socios punitionem impiorum in futura vita: & propterea dicit eam esse cum Deo. ECCE, VOS OMNES NOSTIS: ET QVID SINE CAVSA, VANA LOQVIMINI? Iuxta Hebræum habetur, *Ecce, vos omnes, vos vidistis: & quare ista vanitate vanescetis?* Arguit socios quòd quum sint viri docti, non deberent loqui vanitatem subiunctam, doctos siquidem eos omnes significat, dicendo cum emphasi, *Ecce, vos omnes, vos vidistis*, legendo doctrinarum volumina, & quare vanescetis vanitate ista, quam dixistis, quamve subiungo. Doctrinam de punitione iniquorum in hac duntaxat vita, appellat vanitatem, quia in his vanis constituit vltionem diuinam. Vers. 11. Vers. 12.

Vanitas, de doctrina punitionis impiorum tantùm in hac vita.

HÆC EST PARS HOMINIS IMPII APVD DEVM, ET HÆREDITAS VIOLENTORVM QVAM AB OMNIPOTENTE SVSCIPIENT. Iuxta Hebræum dictio interpretata *violentorum*, sonat *fortium.* Vers. 13.

fortium, & Deus primò nominatur El, & deinde Saddai. Clausula ista est vanitas demonstrata, dicente Iobe, & quare vanitate ista vanescetis? refert siquidem Iob sententiam in qua omnes socij conuenerunt, videlicet quòd impiorum punitio à Deo fit in hac duntaxat vita. Pronomen enim *hæc* demonstrat subiuncta, quæ sonant punitionem impiorum in hac vita. Hanc sententiam describit, dicendo, *hæc est pars impij cum El, & hæreditas fortium a Saddai suscipient*, hoc est, quam a Saddai suscipient. Ad insinuandum siquidem quòd punitio impiorum à Deo fit in hac vita duntaxat, vtitur nomine partis & hæreditatis. nam ad excludendum debere impijs aliquam aliam pœnam, describitur quòd hæc punitio est pars eorum, & hæreditas eorum. ei enim qui partem hæreditatis sibi contingentem suscepit, nihil aliud debetur: habuit enim partem suam. Ad instar itaque distributarum portionum, & hæreditatis, dixerant Iobis socij: hæc est pars impij cum Deo forti, & hæreditas fortium ad opprimendum alios, quam à Deo omnipotente suscipient pro peccatis suis.

Vers. 14. SI MVLTIPLICATI FVERINT FILII EIVS, IN GLADIO ERVNT, ET NEPOTES EIVS NON SATVRABVNTVR PANE. Dictio interpretata *nepotes*, sonat potiùs *germina*, comprehendit enim reliquam progeniem. Ecce pars & hæreditas iniquorum descripta à sociis Iobis: videlicet quòd filij iniquorum punientur gladio, & soboles eorum non saturabitur pane. has enim pœnas & subiunctas superiùs dixerant socij Iobis, extendendo eas, sed Iob resumit eas summariè.

Pœna iniquorum in filijs & progenie in vita, & post mortem.

Vers. 15. QVI RELIQVI FVERINT EX EO, SEPELIENTVR IN INTERITV. Iuxta Hebræum clariùs scribitur, *Superstites eius in morte sepelientur, & vidua eius non flebunt*. Alia pœna describitur. primæ enim intelliguntur viuente iniquo patre: hæc autem post mortem eius, quòd superstites sic sepelientur quòd viduæ non flebunt. In qua pœna duo mala continentur. alterum quòd sepelientur absque lugubri officio, vtpote nec domesticis viduis lugentibus: alterum quòd viduæ domesticæ erunt tot afflictionibus pressæ, quòd non lugebunt defunctos suos.

Vers. 16. & 17. SI COMPORTAVERIT QVASI TERRAM ARGENTVM, ET SICVT LVTVM PRÆPARAVERIT VESTIMENTA. PRÆPARABIT QVIDEM, SED IVSTVS VESTIETVR ILLIS, ET ARGENTVM INNOCENS DIVIDET. Descripta pœna iniquorum in filiis & progenie in vita & post mortem, describitur pœna eorundem in argento & vestibus: quamuis impius congreget pecuniam innumerabilem sicut puluerem, & vestes copiosè sicut lutum, ad hanc deducetur miseriam quòd iustus induet præparatas vestes ab impio, & similiter vir mundus distribuet pecuniam congregatam ab iniquo. Si quæris quomodo hæc verificantur, quum frequenter conspiciatur contrarium, videlicet quòd impij gaudent rebus iustorum, recole quòd ista verba non sunt Iobis, sed sociorum, & à Iobe reprobata.

Pœna eorundem in argento & vestibus, tanquam immobilibus.

Vers. 18. ÆDIFICAVIT SICVT TINEA DOMVM SVAM, ET SICVT CVSTOS FECIT VMBRACVLVM. Descripta iniquorum pœna quo ad bona mobilia sub nominibus argenti & vestium, describitur eorundem pœna quo ad bona immobilia. Et de domo quidem dicit quòd domum suam impius ædificauit sicut tinea, quæ construit domum corrodendo aliena, & eiicienda inde: eiicitur enim tinea excutiendo vestem. De agris verò dicit quòd fecit vmbraculum sicut custos. custos enim horti in æstate construit sibi vmbraculum ad exiguum valde tempus. Puniendus itaque impius eiectione à propria domo, & desertione agrorum, describitur per has metaphoras. Et hic terminatur sententia sociorum Iobis relata à Iobe, & appellata *vanitas*, quia iniquorum pœnas omnes concludit in præsenti sæculo.

Pœna eorundem in immobilibus.

Vers. 19. DIVES QVVM DORMIERIT, NIHIL SECVM AVFERET. Iuxta Hebræum habetur, *Dives iacebit, & non congregabitur*. Incipit Iob docere veritatem de punitione impiorum à Deo, & propterea inchoat à morte iniquorum sub nomine diuitis, dicens, *Dives iacebit*, moriendo. Et primam pœnam docet fore quòd non congregabitur. Lege capitulum 25. & 35. Geneſis, & inuenies scriptum tam de Abraham, quàm de Isaac mortuo quòd congregatus est ad populos suos. quo contrà, hîc dicitur de iniquo mortuo, *& non congregabitur*. pœna enim damni (priuatio scilicet societatis cum animabus iustorum) describitur. APERIET OCVLOS SVOS, ET NIHIL INVENIET. Iuxta Hebræum habetur, *oculos suos aperuit, & non ipse*. Descripta pœna damni, describitur pœna sensus animæ separatæ, primùm in intellectu, deinde in voluntate, & demum in adiectis ab extrinseco. Et de pœna intellectus dicit, *aperuit oculos suos*. oculos proculdubio mentis, quos quasi clausos in hac vita tenuerat, aperuit mortuus ad cognoscendum seipsum, & vidit quòd non ipse, non quo ad substantiam & iniquitatem, sed quo ad potentiam. Videt enim separata anima se esse eandem in substantia, & talem in qualitate iniquitatum, sed se non esse eandem quo ad libertatem & potestatem: non enim potest dominari, & facere sicut in hac vita dominabatur & faciebat. propterea enim sub nomine diuitis describit impium mortuum, vt clariùs eluceſcat quòd mortuus incepit cognoscere seipsum non esse ipsum diuitem liberum & potentem qui fuerat. Et hæc est prima pœna sensus, intueri seipsum priuatum libertate ac potestate quam olim habuerat.

Pœna impiorum quintuplex.

1. *Damni.*

2. *Sensûs in parte intellectiua.*

Vers. 10. APPREHENDET EVM QVASI AQVA INOPIA. Iuxta Hebræum habetur, *Apprehendet eum sicut aquæ terrores noctis*. Nox enim, iudicio meo, rectius iungitur cum hac clausula, quàm cum sequente, cum qua communiter scribitur. Pœna sensus in parte appetitiua animæ separatæ describitur in copia terrorum apprehendentium eam instar aquarum cum impetu superuenientium. Et terrores non qualescumque, sed terrores nocturni (qui sunt maiores, quàm diurni) describuntur, vt intelligamus maximo affici timore animam separatam statim vt agnoscit seipsam: timet enim sententiam iudicis. OPPRIMIT EVM TEMPESTAS. Iuxta Hebræum habetur, *furiatus est eum ventus*. Dictio interpretata *ventus*, non plenè redditur, dicentibus nonnullis quòd significat ventum Occidentalem, aliis verò quòd significat ventum Australem. Et est illamet dictio quæ *Exodi* 10. significat ventum qui eiecit multitudinem locustarum ab Ægypto ad mare rubrum, & ibi quidem exponitur pro vento Occidentali: & hîc quadrat vt ventus quoque Occidentalis intelligatur, vt hinc & inde, subter & supra pati separatam animam describatur. pœnas siquidem alterius vitæ nobis ignotas describit Iob per similitudines sensibilium

3. *In parte appetitiua.*

lium quæ videmus. Deſcriptis itaque pœnis internis, deſcribuntur pœnæ tanquam ab extrinſecis adiectæ, ex quattuor differentiis locorum, videlicet hinc & inde, ſubter & ſupra.

Vbi prudens Lector aduerte quòd nulla deſcribitur afflictio frangens, ſeu vulnerans, aut quouis modo conſumens, nullus introducitur motus alterationis, diminutionis, aut corruptionis, ſed motus dumtaxat localis, qui nihil abſcit à ſubſtantia: ad inſinuandum quòd pœna ſenſus animarum ſeparatarum non corrumpit, non diminuit, non alterat animas ſeparatas, ſed inquietas eas reddit. inquietudo namque omni ex parte ex contrariis partibus hinc & inde, ſubter & ſupra, deſcribitur. Et quamuis hæc ſonent inquietudinem localem, ſignificatur tamen per has metaphoras inquietudo animæ, quæ ſecundùm veritatem eſt dolor, ſeu triſtitia: quoniam delectatio quæ contrariatur triſtitiæ, diſſimilatur quies animi: ſi enim delectatio eſt quies animi, conſequens eſt vt triſtitia ſit inquietudo animi. Et hæc eſt pœna animæ ſeparatæ ſecundùm veritatem, & deſcribitur hîc ad inſtar inquietudinis localis ex omni parte, inchoando à plaga Occidentali, quam dicitur, furatus eſt eum ventus Occidentalis.

Verſ. 21. TOLLET EVM VENTVS VRENS, ET AVFERET. Iuxta Hebræum habetur, *Tollet eum Eurus, & iuit.* Orientalis ventus appellatus à noſtris Eurus ſignificatur. Et quod dicitur *& iuit*, ſignificat efficaciam atque effectum vtriuſque venti: deſcribitur enim quòd tam vento Occidentali ſurripiente eum, quàm vento Orientali tollente eum, iuit, hoc eſt, tranſlatus eſt. Hinc ergo & inde inquietus deſcribitur, nunc à vento Orientis, & deinde à vento Occidentis, & è contra. ET VELVT TVRBO RAPIET EVM DE LOCO SVO. Iuxta Hebræum habetur, *& tempeſtas mouit eum de loco ſuo.* Dictio interpretata *tempeſtas mouit*, præteritum perfectum eſt verbi deducti à tempeſtate prout ſignificat marinas procellas, quo verbo nos caremus. deſcribitur enim quòd ab iis quæ ſubter eum ſunt, eſt etiam inquietatus, afferendo metaphoram tempeſtuoſi maris, vſque adeò vt tollat hominem de loco ſuo.

4. In omnimoda inquietudine.

Verſ. 22. ET MITTET SVPER EVM, ET NON PARCET. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Et iaciet ſuper eum, & non miſerebitur.* Deſcribitur inquietatus ab iis quæ ſupra eum ſunt, afferendo metaphoram iacientis deſuper abſque ceſſatione ad affligendum eum.

Vbi notanda ſunt duo, Alterum quòd nulla explicatur materia quæ proiicitur ſuper eum: ſed ſolummodo inſinuatur aliquid afflictiuum, vt manifeſtè teſtantur ſubiuncta. Alterum quòd abſque miſericordia versùs eum deſcribitur iaciens, ad inſinuandum perpetuitatem pœnæ. DE MANV EIVS FVGIENS FVGIET. Vide metaphoram, deſcribitur damnatus affligi ex iactis ab eo qui eſt ſuprà, affligi, inquam, ſic quòd à manu iacientis fugiendo fugiet. Et per huiuſmodi fugam ſignificatur inquietudo eiuſdem cauſata à ſupernis, ſimul cum hoc quòd eſt pœna intolerabilis. ideo enim fugit, quia non poteſt tolerare. Ex quibus omnibus clarè apparet quòd omni ex parte pœna damnatæ animæ inquietudo deſcribitur.

Verſ. 23. §. *In plena irriſione.* STRINGET SVPER EVM MANVS SVAS. Iuxta Hebræum habetur, *Plaudet ſuper eum manibus ſuis.* Adiungitur inquietudini altera pœna, videlicet irriſio. deſcribitur enim damnata anima tanquam fugiens ſic quòd fugiendo irridetur à ſpectantibus. Deſcribuntur autem irridentes duabus actionibus. altera eſt plaudere manibus, vt fieri ſolet inter homines: altera eſt ſibilare, de qua ſubiungitur, ET SIBILABIT SVPER ILLVM INTVENS LOCVM EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *& ſibilabit ſuper eum è loco ſuo.* Irridentes deſcribuntur immoti ex propriis locis: ad inſinuandum quòd iuſti apud quos confuſi tanquam irriſi habentur damnati, firmi in propriis locis manent. quod directè contrariatur inquietudini damnatorum deſcriptæ. Collige prudens Lector deſcriptas pœnas animarum, & ſupputabis pœnas quinque. primam damni: reliquas ſenſus tum in parte intellectiua, tum in parte appetitiua, tum in omnimoda inquietudine, tum in plena irriſione: vt non ſolùm afflictas, ſed dehoneſtatas ac vituperatas eas intelligamus.

CAPVT XXVIII.

Verſ. 1. HABET ARGENTVM VENARVM SVARVM PRINCIPIVM. Iuxta Hebræum habetur, *Quia eſt argento exitus.* Nota prudens Lector coniunctionem *quia*: iterum dico nota, quia hinc pendet tam ordo literæ, quam notitia intentionis Iobis. intendit enim Iob in hoc capitulo manifeſtare aduerſus ſententiam ſociorum portionem iuſtorum decretam à Deo, non conſiſtere in opibus mundi huius, ſed in ſapientia & intelligentia, quæ conſtat ex timore Dei, & receſſu à malis operibus. poſtquam enim manifeſtauit portionem iniquorum decretam à Deo, non eſſe in hac vita (vt ſocij dicebant) ſed fore in alia vita, conſequens erat vt manifeſtaret portionem iuſtorum à Deo decretam. Et quia ſocij dixerant illam conſiſtere in bonis præſentis vitæ (vt patet in ſuperiùs dictis ab eis) & quia præſentis vitæ bona multiplicia ſunt, ideo Iob diſcernere intendit inter bona etiam præſentis vitæ quo ad tria: locum videlicet, pretium & viam. Intendit ſiquidem diſcernere inter bonum ſpirituale, & bonum corporeum? & manifeſtare quòd corporea bona ſunt in certis locis, habent certum pretium, inueniuntur & acquiruntur labore humano: ſpirituale autem bonum ſapientiæ ſecundùm Deum, nullo continetur loco, ſuperat omne pretium, & non ab homine, ſed à Deo hominibus communicatur per ipſius Dei timorem. & propterea à bonis corporeis inchoando, narrat loca eorum ſimul cum hominis induſtria atque opera ad extrahendum ea ex locis occultis, in quibus natura illa producit. Et quoniam locus naturalis in quo res pretioſæ producuntur à natura, eſt cauſa motiua hominis ad quærendum & inueniendum illas, ideo incipit à Coniunctione *quia*, dicens, quia eſt argento exitus.

Iob, ſapientiã auro longè præferendam.

Vbi annotatione quoque dignum eſt quòd tria tantùm genera bonorum corporeorum commemorat, videlicet metalli, lapidis pretioſi, & frumenti, nullamque mentionem facit de gregibus & armentis. quia armenta & greges in promptu ſunt, nec humana inquiſitione inueniuntur: metalla autem & lapides pretioſi ex occultis

occultis terræ, vel aquarum educuntur. Frumentum quoque quum ex terra paludosa gignitur, ex occultis humana operante industria fit: & propterea istum duntaxat modum subiunget circa frumentum. Ait ergo, *quia est argento exitus* naturalis, hoc est, locus vnde naturaliter exit. *Metalla.* ET AVRO LOCVS EST IN QVO CONFLATVR. Iuxta Hebræum habetur, *& locus auro colabunt.* hoc est, & locus est in quo gignitur aurum quod homines colant. tangit enim tum locum generationis auri, tum modum industriæ humanæ ad habendum illud purum. Et apposuit hunc modum ad differentiam auri quod dicitur inueniri in puritate propriæ massæ. intendit enim loqui de iis quæ cum difficultate ab homine fiunt circa pretiosa habenda.

Vers. 2. *Puluis, locus in quo ferrum gignitur.* FERRVM DE TERRA TOLLITVR. Iuxta Hebræum habetur, *Ferrum de puluere tolletur.* Locus in quo gignitur ferrum describitur puluis: quia ferrum compactum puluери terrestri in minera inuenitur, & multo labore oportet separare ferrum ab admixto puluere. ET LAPIS SOLVTVS CALORE IN ÆS VERTITVR. Iuxta Hebræum habetur, *& lapide colato æs.* Quemadmodum ferrum tolli dixit de puluere, ita dicit æs tolli ex lapide fuso. lapidea siquidem materia iungitur ærі, & propterea oportet fundendo separare æs à materia lapidea. *Æs vbi gignatur.*

Vers. 3. TEMPVS POSVIT TENEBRIS, ET VNIVERSORVM FINEM IPSE CONSIDERAT: LAPIDEM QVOQVE CALIGINIS, ET VMBRAM MORTIS. Iuxta Hebræum habetur, *Finem posuit obscuritati, & omni termino ipse inquirens: lapidi, caligini & vmbræ mortis.* Huiusque pendet ordo literæ à principio capituli. est enim ordo literæ, quia argento est exitus, & auro, & ferro, & æri, ideo homo posuit finem obscuritati & omni termino quem ipse inquirit, tum lapidi, tum caligini, tum vmbræ mortis. Et obscuritatis nomine significantur quæ sub terra, seu sub aquis occultantur. frequenter enim Hebræi vtuntur nomine abstracto pro concreto, obscuritate pro obscuris. Et iuxta communem loquendi vsum dicit, *posuit finem*, hoc est, compleuit. Est itaque sensus literæ. quia sunt loca in quibus gignitur aurum, argentum, &c. ideo homo posuit finem obscuris, hoc est, inquisiuit & compleuit inuentionem occultorum. Et modum inquirendi & acquirendi ea, valde difficilem subiungit, dicendo, *& omni* obscurorum *termino*, quem ipse homo inquirit, posuit finem, non parcendo lapidi, non parcendo caligini, nec vmbræ mortis. ad inueniendum siquidem pretiosa quæ latent sub terra, vel sub aquis, homo scindit lapides, excauat montes, loca adit tenebrosa, & non sine periculo mortis: vt ruentes quandoque partes terræ super homines in mineris testantur. Hæc sunt quæ proponit Iob de pretiosarum rerum inquisitione & inuentione ab homine: dico autem *proponit*, quia subiuncturus est declarationem horum. *Obscuritas, de vis, quæ sub terra, seu sub aquis.* *Finem ponere, pro complere.*

Sed perspicaciter aduertendum est quòd loca metallorum proponuntur vt causæ motiuæ hominis ad inquirendum & inueniendum res pretiosas occultas: ipsa autem inquisitio cum tot difficultatibus, proponitur tanquam principaliter intenta. in cuius signum circa eam occupatur totus subiunctus sermo de rebus corporeis pretiosis.

Vers. 4. & 5. DIVIDIT TORRENS A POPVLO PEREGRINANTE, EOS QVOS OBLITVS EST PES EGENTIS HOMINIS, ET INVIOS. TERRA DE QVA ORIEBATVR PANIS, IN LOCO SVO IGNI SVBVERSA EST. Iuxta Hebræum habetur, *Erupit torrens à cum habitatione quod obliti sunt a pede: depauperata sunt ab homine, vagata sunt terram. Ex ea egredietur panis, & sub ea fuit euersa sicut ignis.* Prima inquisitio obscurorum perducta vsque ad finem ab homine, affertur, describendo terram habitatam, erumpente torrente (hoc est, erumpentibus aquis inundantibus) effectam paludosam, sic quod loca illa reddita sunt immeabilia pedibus, & in processu temporum exiccatam industria & labore hominis diuertentis aquas, ita quòd terra illa colitur, seritur, & profert segetes frumenti. Et hoc est primum pretiosum inquisitum & inuentum ab homine in terra obscura sub aquis. Alterum autem pretiosum ex eadem terra describitur, dicendo, *& sub ea fuit euersa sicut ignis.* hoc est, & sub eadem terra, quæ tanto tempore sub aquis fuerat, euertendo eam in partibus infimis inueniuntur similia igni. Per quæ intelligo res pretiosas similes igni in colore & luce. vapores enim sub terra, à calido quasi suffocato ab aquis digesti vertuntur in res pretiosas, puta lapides pretiosos. Et nisi hoc quãdoque euenisset de facto, nequaquam Iob inter industrias humanas ad inueniendum pretiosa eam supputasset: sed in partibus Orientis facilè credi potest hoc euenire. *Inquisita & inuenta ab homine in terra obscura sub aquis. Frumentum.*

Vide singula. Describit eruptionem aquarum inundantium, sub nomine erumpentis torrentis: ad significandum quòd accidit aquarum eruptio non continua ad instar fluminis, sed vno quodam tempore ad instar torrentis qui non continuè fluit. locus autem olim habitabilis significatur, dicendo *à cum habitatione*, hoc est, à loco in quo erat habitatio. Diuturnitas autem temporis illius terræ sub aquis describitur, dicendo *quod obliti sunt à pede.* tam longo siquidem tempore terra illa describitur paludosa, quòd obliuioni tradita est à pedibus, hoc est, ab itinere, quod fit ambulando pedibus, hoc est, quòd non est in memoria hominum ambulario per illam. Industria autem humana considerans terram illam feracem fore frumenti, & sub ea genita esse pretiosa, describitur, dicendo, *depauperata sunt ab homine*, proculdubio aquæ illæ. Et modus subiungitur, *commota*, seu *vagata sunt terram.* Diuersio earum per canales significatur. sic enim terra media, redditur ab homine sicca. Fructus quoque primus describitur feracitas frumenti, dicendo, *ex ea egredietur panis.* alter verò fructus describitur, dicendo, *& sub ea fuit euersa pars infima terræ, & sicut ignis res pretiosa inuentæ sunt.*

Vers. 6. *Lapides pretiosi.* LOCVS SAPPHIRI LAPIDES EIVS, ET GLEBE ILLIVS AVRVM. Duæ simul aliæ humanæ industriæ introducuntur. altera ad inueniendum lapides pretiosos sub aquis fluminum: altera ad inueniendum aurum sub montibus. Quamuis verba hæc sola intelligi possent de vno eodemque loco (pro quanto inuenitur aurum mixtum lapideæ materiæ sapphirini coloris) subiuncta tamen testantur quòd diuersa loca significantur. alter sub aquis: alter sub montibus. Ita quòd repetendus est locus, ordinando literam sic. locus est sapphir (hoc est, lapides pretiosi) lapides eius, & locus puluis auri ei: ille sub aquis, iste sub montibus. *Sapphir, pro lapidibus pretiosis.*

Vers. 7. SEMITAM IGNORAVIT AVIS, NEC INTVITVS

EST EAM OCVLVS VVLTVRIS. Affirmauit loca in quorum altero gignitur aurum, & in altero lapides pretioſi: tractat conſequenter de viis ad hæc loca, dicendo viam ignotam eſſe tam volatilibus, quàm pedibus gradientibus animalibus. Et de volatilibus quidem clare dicit, *via non cognouit eam volatile, & non vidit eam oculus vulturis*, iuxta vulgatam ædition em. Hebraicè enim neſcio quæ auis nominetur. De animalibus autem gradientibus pede ſubiungitur,

Verſ. 8. NON CALCAVERVNT EAM FILII INSTITORVM, NEC TRANSIVIT PER EAM LEÆNA. Dictio interpretata *inſtitorum*, nomen eſt animalis cuiuſdam gradientis pede, vt teſtatur calcatio: ſed nomina propria auium, lapidum atque locorum periſſe ab Hebræorum notitia aiunt. Dictio quoque interpretata *leæna*, ſonat leonem. ſed non refert ad propoſitum quodcunque greſſibile animal intelligatur: quoniam intentio Iobis eſt dicere quòd via ad prædicta loca nec volatilibus, nec greſſibilibus animalibus eſt nota. Et verum dicit, quia occupata eſt via aquis, vel mole montis.

Verſ. 9. AD SILICEM EXTENDIT MANVM SVAM. Iuxta Hebræum habetur, *In rupem miſit manum ſuam.* Induſtriam atque laborem hominis ad faciendum viam perueniendi ad locum ſub montibus in quo gignitur aurum, deſcribit, dicendo quòd homo miſit manum ſuam in rupem montis ſcindendo & fodiendo. SVBVERTIT A RADICIBVS MONTES. Rectiùs legitur, *euertit ex radice montes.* Quotidie videmus hoc fieri in montibus minerarum. homines enim non euertunt ſuperiores partes montium, ſed infimas quæ ſubter valde ſunt: quæ hic appellantur metaphoricè radices montium, eo quòd ſicut arborum radices ſub terra ſunt, ita quæ euertuntur partes montium; in profundo terræ ſunt. Hic eſt modus quo homo ponit finem caligini & vmbræ mortis, faciendo viam ad inueniendum aurum.

Verſ. 10. IN PETRIS RIVOS EXCIDIT, ET OMNE PRETIOSVM VIDIT OCVLVS EIVS. Deſcripta humana induſtria ad faciendam viam ad locum auri, deſcribitur conſequenter humana induſtria ad expediendam viam ad locum ſub aquis in quo gignuntur lapides pretioſi. Deſcribitur autem locus iſte ſub flumine fluente inter latera lapidea, & propterea difficilius eſſe diuertere aquas fluminis: & tamen homo vincens difficultates omnes, ſcindit duros lapides in lateribus fluminis ad faciendum multos riuos per quos diuertat aquas fluminis. Hoc enim ſignificatur, dicendo, *in petris riuos ſcidit.* & eſt ſermo de lapidibus duris. Quod autem ſubiungitur, *& omne pretioſum vidit oculus eius*, metrico more tranſpoſitum eſt. nam effectus vltimus ſignificatur, ante quem intelligenda ſunt ſubiuncta. Verſ. 11. PROFVNDA QVOQVE FLVVIORVM SCRVTATVS EST. Iuxta Hebræum habetur, *A perplexitate flumina ſtrinxit.* Perplexitatem appellat iunctas aquas in vno flumine ex concurſu diuerſarum aquarum. inſinuat enim per perplexitatem, flumen de quo loquitur habere non paruam, ſed magnam aquarum multitudinem: vt tanto difficilius ac maius opus hominis intelligamus. Ad expediendum itaque viam ad locum ſub magno flumine, homo primùm multos riuos in petris ſcindit ad diuertendum aquas fluminis per eos, & deinde ſtringit à perplexitate aquarum: reſtringit autem apponendo ligna, lapides, & huiuſmodi, ad retinendum reliquias fluentis aquæ ne via ſolita fluant, ſed impeditæ fluant per riuos factos. ET ABSCONDITA PRODVXIT IN LVCEM. Parui refert quòd Hebraicè ſcribitur, *& abſconditum fecit exire in lucem.* Effectis riuis, & impedito ſolito aquarum meatu, primus effectus eſt quòd locus qui abſconditus erat ſub aquis fit manifeſtus ſub luce Solis, & tunc ſubiungendum eſt, *& omne pretioſum vidit oculus eius*, vltimus ſiquidem effectus eſt inuentio lapidum pretioſorum ibidem: hæc autem inuentio deſcribitur, dicendo, *& omne pretioſum vidit oculus eius.* Et hinc habes quòd ſub nomine *ſapphir* ſuperiùs quum propoſitus eſt locus iſte, comprehenduntur multi pretioſi lapides, de quibus hic dicitur, *omne pretioſum vidit oculus eius.*

Perplexitas, de iunctu aquis in vno flumine.

SAPIENTIA VERÒ VBI INVENITVR. Iuxta Hebræum habetur, *Et ſapientia de vbi inuenietur?* Sic iacet in Hebræo, & Latinè dicendum eſſet *qua*, aduerbium enim locale ſignificans viam intelligendum eſt. proponit enim de ſapientia tria (videlicet viam, locum & pretium) tractaturus de tribus iſtis vſque ad finem capituli. Sapientiæ autem, & intelligentiæ nomine ſignificat non ſapientiam & intelligentiam abſolutè, prout inuenitur in Deo, & in ſubſtantiis ſpiritualibus, ſed ſapientiam ac intelligentiam quæ eſt ſummum bonum hominis: de hac enim eſt ſermo præſentis capituli. Intendit ſiquidem Iob tractare hæc tria de ſapientia ac intelligentia hominis: vt ex calce capituli patet. & inchoans de via ad ſapientiam, proponit iſtæ viæ ad aurum & lapides pretioſos, & ſapientia qua inuenietur? ET QVIS EST LOCVS INTELLIGENTIÆ? Parui refert quòd Hebraicè habetur, *& vbi iſte locus intelligentiæ?* Poſt propoſitam viam, proponit locum è regione locorum, in quibus aurum & lapides pretioſi gignuntur. Sapientia autem & intelligentia non introducuntur vt diuerſæ res, ſed vt diuerſa officia vnius & eiuſdem rei. intelligentia enim ad acumen mentis, ſapientia verò ad iudicium ordinémque ſpectat. Verſ. 12. *Sapientia via.* *Locus.*

NESCIT HOMO PRETIVM EIVS. Iuxta Hebræum habetur in præterito *neſciuit.* Ecce tertium quod nunquam fuit notum homini, pretium ſapientiæ, vtpote inæſtimabilis ab homine. Hebraica enim æſtimationem ſonant. NEC INVENITVR IN TERRA SVAVITER VIVENTIVM. Iuxta Hebræum habetur, *& non inuenietur in terra viuorum.* Propoſitis tribus de ſapientia beante hominem, tractat ſingula inchoans à loco. Viuorum autem terram dicit habitabilem ab hominibus, ad differentiam inferni quæ terra mortuorum dicitur. Verſ. 13. *Pretium.* *Terra viuentium qua: qua mortuorum*

ABYSSVS DICIT: NON EST IN ME; ET MARE LOQVITVR: NON EST MECVM. Dictio interpretata *abyſſus*, ſonat profunditatem vaſtam tanquam vacuam. & propterea quemadmodum ſuperiùs Iob aërem nominauit vacuum, ita nunc nominat ipſum à profunditate magna inter cœlum & terram. Tria itaque loca (terram, aërem, & aquas) introducit, in quibus non inuenitur ſapientia. Attribuitur autem locutio mari & aëri, poëtico more, ſecundùm proſopopœiam figuram. Verſ. 14.

NON DABITVR AVRVM MVNDVM PRO EA, Verſ. 15.

NEC

Sapientiam non ante emi.

NEC APPENDETVR ARGENTVM IN COMMVTATIONE EIVS. Tractato loco tractatur consequenter pretium satis clarè.

Vers. 16. NON CONFERETVR TINCTIS IN DIE COLORIBVS, NEC LAPIDI SARDONYCHO PRETIOSISSIMO, VEL SAPPHIRO. Iuxta Hebræum habetur, *Non eleuabitur in obryzo ophir.* IN ONYCHE PRETIOSO ET SAPPHIR. Dixerat quòd argentum non ponderabitur vt pretium eius: dicit consequenter quòd ipsa non eleuabitur quasi in statera ex vna parte, existéte in altera parte obryzo, ophir, onyche & sapphir. Et recole prudens Lector quod prædiximus, videlicet periisse apud Hebræos propria nomina lapidum. & propterea in his & subiunctis noli fundere intelligentiam super nominibus pretiosorum lapidum.

Vers. 17. NON ADÆQVABITVR EI AVRVM, VEL VITRVM, NEC COMMVTABVNTVR PRO EA VASA AVRI. Iuxta Hebræum habetur, *Non appretiabitur eam aurum & adamas: & commutatio eius vasa obryzi.* Quia bis iam meminerat auri (semel mundi, & iterum obryzi ophir) ideo tertiò commemoratum aurum, & quartò repetitum aurum, ad aurum iunctum humano artificio pretiosis lapidibus in annulis, monilibus, coronis, &c. & ad aurum formatum in vasa spectat.

Vers. 18. EXCELSA ET EMINENTIA, NEC COMMEMORABVNTVR IN COMPARATIONE EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Ramoth & ghabis non memorabitur.* Nomina lapidum dicuntur ramoth & ghabis, & quanuis pretiosi lapides, indigni tamen recordatione censentur relatiuè ad sapientiam. TRAHITVR AVTEM SAPIENTIA DE OCCVLTIS. Iuxta Hebræum habetur, *& tractus sapientiæ plus quam margaritarum.* Non solùm sapientiam inæstimabilem dicit, sed etiam operam quæ impenditur ad acquirendum sapientiam superare omne pretium manifestat, dicendo, *& tractatus sapientiæ plus quàm margaritarum.* Appellat autem operam ad acquirendam sapientiam tractum, ad insinuandum quòd oportet illam trahere, quòd trahendo acquiritur, quasi violentiam adhibendo. Et verè sic esse, testatur Dominus in Euangelio, dicens, *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Matth. 11. 12.

Vers. 19. NON ADÆQVABITVR EI TOPAZIVS DE ÆTHIOPIA. Non est sermo de sapientia, sed de tractu sapientiæ. & dictio interpretata *topazius*, ab aliis *smaragdus*, ab aliis *lapis pretiosus* interpretatur. NEC TINCTVRÆ MVNDISSIMÆ COMPONENTVR. Iuxta Hebræum habetur, *in obryzo mundo non eleuabitur.* Similitudo stateræ repetitur, ad insinuandum tractum sapientiæ esse inæstimabilem.

Vers. 20. VNDE ERGO SAPIENTIA VENIT? ET QVIS EST LOCVS INTELLIGENTIÆ? Iuxta Hebræum habetur, *Et sapientia de vbi veniet? & vbi ille locus intelligentiæ?* Vt paulo superiùs diximus, per *de vbi* intelligendum est *quà.* tractato enim pretio, & sapientiæ & tractus eius resumit de via & loco difficultatem, dicendo per modum interrogationis, *& sapientia quà veniet, & vbi ille locus intelligentiæ?*

De vbi, pro quà.

Vers. 21. ABSCONDITA EST AB OCVLIS OMNIVM VIVENTIVM. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Abscondetur ab oculis omnis viui.* Tam de via ad sapientiam, quàm de loco sapientiæ dicitur quòd occultabitur ab oculis omnis viui. & est sermo de oculis mentis cuiusque hominis in hac vita. supernaturale siquidem donum Dei est: & propterea suapte natura occultatur hominibus. VOLVCRES QVOQVE COELI LATET. Hebraicè habetur *latuit.* Spirituales substantiæ appellantur metaphoricè volucres cœli relatiuè ad homines habitantes in terra. illarum enim celsitudo per hanc metaphoram significatur. Et quia, vt dictum est, supernaturalis ordinis est locus sapientiæ cum via ad eam, ideo verificatur quòd latuit substantias spirituales, loquendo de eis secundùm naturalem earum notitiam.

Sapientiam à cœlo dari.

Vers. 22. PERDITIO ET MORS DIXERVNT: AVRIBVS NOSTRIS AVDIVIMVS FAMAM EIVS. Ignorari quoque ab animabus mortuorum damnatis & Dæmonibus describitur, introducendo quòd confessi sunt se famam duntaxat sapientiæ audisse. Et verificatur hoc, quia tam damnatæ animæ, quàm Dæmones caruerunt & carent huiusmodi dono supernaturali, & propterea non nouerunt illud: & quia cognoscunt se damnatos eo quòd exhibuerunt se indignos simili dono, ideo famam illius audisse fatentur.

Sapientia donum caruere animæ damnatæ & Dæmones.

Vers. 23. DEVS INTELLIGIT VIAM EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Elohim intellexit viam eius, & ipse sciuit locum eius.* Habes hinc duo quæ suprà diximus. alterum quòd sapientia & intelligentia in vnam coincidunt rem, ex hoc quòd non discernendo inter eas, dicitur via eius locus eius. Alterum quòd rectè interpretatum est *quà*, pro *de vbi.* clarè enim hîc explicatur via significata per illud Aduerbium locale. Deo itaque gubernatori ac iudici vniuersorum reseruata dicitur notitia tam viæ, quàm loci sapientiæ.

Vers. 24. IPSE ENIM FINES MVNDI INTVETVR; ET OMNIA QVÆ SVB COELO SVNT, RESPICIT.

Vers. 25. QVI FECIT VENTIS PONDVS. Iuxta Hebræum habetur, *Quia ipse fines terræ aspiciet, sub omnibus cœlis videbit. Ad faciendum vento pondus.* Oportet hucusque contexere literam, vt intelligatur ratio quæ affertur ad probandum quòd Deus gubernator nouit locum ac viam sapientiæ beantis hominem. probat enim ex hoc quòd Deus videt hæc inferiora quæ generantur & corrumpuntur, & efficit ea. excludendo siquidem errorem eorum, qui dicunt Deum videre sempiterna duntaxat, & perpetuitatis solummodo curam habere, dicit ipsum videre omnia extrema terræ, & omnia quæ sub cœlis sunt, videre, inquam, ad faciendum vento pondus: hoc est, videre non solùm speculatiuè, sed practicè, quemadmodum artifex aspicit facienda ab ipso. Et consistit vis rationis in hoc quòd Deus videt & moderatur omnia hæc: ita quòd ex hoc quòd Deus videt & moderatur hæc omnia, probat quòd Deus vidit etiam practicè (vt artifex) viam sapientiæ, & locum eius. Et in promptu est efficacia probationis: quia sapientia tenet præcipuum locum inter effecta a Deo quæ communicantur homini, & pertinet ad maximum ac summum moderamen hominis. Quod autem dicit, *ad faciendum vento pondus*, significat moderamen ventorum, quòd ad instar eorum quæ ponderantur decreuit ventos, qui exempti ab omni pondere videntur, & (vt contingit) sine moderamine fieri. ET AQVAS APPENDIT IN MENSVRA. Iuxta Hebræum habetur, *& aquas direxit cum mensura.* Alterum opus diuinæ prouidentiæ describitur aquas pluuiales moderati dirigendo eas cum mensura, quæ tamen immensurabiles videntur.

Deum videre omnia extrema terræ, & omnia quæ sub cœlo sunt, exclusio errore eorum, qui dicunt Deum videre tantùm sempiterna.

Pondus, pro moderamine.

Deum moderari aquas pluuiales, dirigendo eas cum mensura.

Vers.26. QVANDO PONEBAT PLVVIIS LEGEM, ET VIAM PROCELLIS SONANTIBVS. Iuxta Hebræum habetur, *Faciendo pluuiis statutum, & viam coruscationi voces.* Qualiter mensurat Deus aquas, declarat, dicens, *faciendo pluuiis statutum.* hoc est, constituendo pluuiæ terminos quantitatis, temporum, &c. Adiungit autem quòd simul effecit vt tonitrua essent *via* coruscationibus, dicendo, *& coruscationi viam voces*, hæc enim cum pluuia fiunt. & prius fit tonitruum, quàm coruscatio (& propterea appellatur *via coruscationis*) quanuis nos prius videamus coruscationem, quam audiamus tonitruum. quia illuminatio peruenit in instanti ad nos: sonus autem peruenit ad nos successiuè tempore aliquãto intercedente, eo quòd tanquam per motum localem diffunditur in aëre, eo modo quo iacto in aquam lapillo fiunt circuli multi successiuè.

Tonitrua, coruscationis via.

Vers.27. TVNC VIDIT ILLAM, ET ENARRAVIT: ET PRÆPARAVIT, ET INVESTIGAVIT. Quanuis nulla quodammodo sit differentia: quia tamen res magni momenti tractatur, Hebraica litera recensenda est. *Tunc vidit eam, & narrauit eam: præparauit eam, & etiam quæsiuit eam.* Non nouiter, sed tunc quando vidit fines terræ, & omnia quæ sub cœlo sunt ad moderandum ventum & pluuiam, ad faciendum viam coruscationi, vidit sapientiam, & narrauit eam, & præparauit eam, & etiam quæsiuit eam. vt intelligamus tum quòd simul Deus prouidit rebus aliis & homini: hoc enim insinuatur, dicendo, *tunc.* tum quòd qui res quæ videntur imponderabiles & immensurabiles, disposuit in pondere & mensura, viámque decreuit rebus quæ videntur carere via, ipse credatur commensurasse homini sapientiam, quæ non humana, sed diuina res est, & viam decreuisse homini ad sapientiæ donum. Ait itaque tunc, disponendo de Vniuersi gubernatione *vidit*, practicè vt artifex *eam*, scilicet sapientiam communicandam homini, *& enarrauit eam*, (reuelauit siquidem eam primo homini, vt testatur lex data eidem de cibo vetito: lex enim positiua præsupponit legem fidei) *præparauit.* ad instar siquidem artificis describitur Deus videns communicandam sapientiam, & loquens de illa, præparans eam. hoc est, præparationes pro ea statuit, quod est decernere viam ad sapientiam: præparationes enim sunt viæ ad rem. & demum etiam quæsiuit eam, inter homines & ab hominibus. Officium diuinæ beneuolentiæ gubernando homines describitur per inquisitionem sapientiæ. & assimilatur Deus inquirenti sapientiam, ad insinuandum quòd Deus ex parte sua quasi quærit homines volentes sapientiæ donum. Annotatione siquidem dignum est quòd Hebraica litera duas sonat combinationes. altera est, *vidit eam, & narrauit eam*: altera est, *præparauit eam, & etiam quæsiuit eam.* propterea enim nulla interiacet Coniunctio inter membra primæ, & membra secundæ, vt intelligeremus quòd prima combinatio agit de iis, quæ à Deo per seipsum fiunt, secunda autem de illis, quæ in hominibus & ab hominibus exigit. præparatio enim & inquisitio, ad dona Dei in nobis spectant.

Præparatio quid.

Vers.28. ET DIXIT HOMINI. Manifestat illam particulam, *& narrauit*, explicando eui narrauit, dicens, *& dixit homini*, proculdubio inchoando à primo homine: dixit autem reuelando & primo homini, & multis aliis successiuè. ECCE TIMOR DOMINI IPSA EST SAPIENTIA, ET RECEDERE A MALO INTELLIGENTIA Quia perspicuum est timorem esse in animæ parte, non intellectiua, sed appetitiua, ideo non ipsa sapientia, sed via ad sapientiam demonstratur, dicendo, *ecce timor Domini.* Et similiter *recedere à malo*, via demonstratur ad assequendum intelligentiam. *initium* enim *sapientiæ timor Domini, & intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Et hinc apparet quòd de sapientia hominis non ea quæ ponitur à Philosophis prima virtus intellectualis, sed de sapientia supernaturali Dei dono quod homines ducit ad beatitudinem (quæ timore Dei & recessu à malo morali acquiritur) est sermo in præsenti capitulo.

Timor Domini an sit ipsa sapientia.

Psal. 110.10.

Sed occurrit hîc quæstio quare nihil reuelatur de loco sapientiæ. quum enim de sapientia proposita fuerint tria (videlicet pretium, via & locus) & de pretio dictum sit quòd tam sapientia, quàm tractus eius est inæstimabilis, de via verò quòd est timor Domini, & recedere à malo, reliquum erat vt reueleretur locus: nam paulo superiùs scriptum est quòd Elohim videt viam & locum sapientiæ. Solutio est quòd timor Domini cum recessu à malo, est non solùm via, sed etiam locus in quo gignitur & conseruatur sapientia. via enim & locus in rebus corporeis distinguuntur, in rebus autem spiritualibus coëunt: quemadmodum notitia per multos sensus corporeos distinguitur, quæ in intellectu vnitur. Et quòd hic sit sensus intentus in litera, insinuatur ex hoc quòd in hac conclusione mentio fit sapientiæ & intelligentiæ, & priùs bis sapientiæ adiunxerat viam, & intelligentiæ locum: hinc, inquam, insinuatur quòd de sapientiæ via dicit, *ecce timor Domini*, & de loco intelligentiæ dicit, *& recedere à malo.* Et quia nec timor Dei sine recessu à peccato, nec recessus à peccato sine timore Dei gignit sapientiam, aut ducit ad illam, ideo vtrunque simul iunctum exponimus, intelligendo reuelari nobis quòd hæc duo simul iuncta constituunt tum locum in hominibus gignentem ac conseruantem sapientiam, tum viam ducentem hominem ad sapientiam beantem hominem in æterna vita, per hæc enim Iob declarat portionem à Deo decretam iustis in hac vita relatiuè ad vitam perpetuò beatam, quæ inchoatur & participatur per sapientiæ ac intelligentiæ donum in hac vita, timendo Deum, & recedendo à peccatis. Præclara profectò sententia, & digna vt ante oculos semper habeatur vt speculum & regula tam animi, quàm operationum nostrarum. ad animum siquidem spectat timor Adonai: ad opera verò recedere à malo. hæc enim duo constituunt sapientiæ præparationem, quam Deus & facit & quærit in nobis cooperantibus.

Alia quæstio.

Solvitur.

CAPVT XXIX.

Vers. 1. DIDIT QVOQVE IOB, ASSVMENS PARABOLAM SVAM. Dictio interpretata *assumens*, sonat *exaltare.* capitulum siquidem hoc incipit quemadmodum & cap. 27. & propterea significantur similia, videlicet quòd Iob iterum expectauit, an socij vellent aliquid

aliquid dicere: & illis tacentibus, addidit sermonem subiunctum, qui appellatur *parabola*, quia similitudinum plenus est & dicitur quòd Iob exaltando parabolam suam dixit, ad significandum, sermonem subiunctum spectare ad exaltationem eorum, quæ priùs disputando dixerat Iob.

Vers. 2. *Iob pristina cupit felicitatis restitui.*

ET DIXIT: QVIS MIHI TRIBVAT VT SIM IVXTA MENSES PRISTINOS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Quis dabit mihi sicut menses antiquitatis.* In præcedentibus duobus capitulis manifestauit Iob portionem impiorum, & portionem iustorum, de quibus tam longa fuerat disputatio inter socios & ipsum: reliquum erat vt quia disputatio descenderat ad ipsum Iobem, satisfaceret de seipso. Et propterea in hoc sermone recensет de seipso tria. primò successus prosperos ab ineunte ætate vsque ad afflictionem hanc: deinde *in cap.* 30. aduersa quæ in hac afflictione euenerunt: & tertiò moralem bonitatem totius vitæ suæ *in c.* 31. Conferendo enim præcedentem prosperitatem cum subsecuta aduersitate, perpenditur quantitas aduersitatis maior, quàm est secundùm seipsam: & conferendo vtrumque statum cum integritate morum in tota vita, perpenditur quòd Deus non afflixit eum propter peccata eius, & sic ex his satisfacit de seipso. Ait itaque, *quis dabit mihi sicut menses antiquitatis*, hoc est, similes menses mensibus meæ vitæ ab antiquo, ab ineunte ætate. SECVNDVM DIES QVIBVS DEVS CVSTODIEBAT ME. Iuxta Hebræum habetur, *sicut dies Eloah, custodiet me.* Declarat quales menses cupit, videlicet similes diebus Dei gubernantis ac iudicis. est enim genitiui casus *Eloah.* Et declarando quare appellat dies illos dies Eloah, subiungit *custodiet me*, hoc est, quia ab antiquo custodiet me, perseuerauit custodiendo me. futurum enim *custodiet* referetur ad antiquitatem. Agnoscit per hæc Iob prosperitatem præteritam à Deo.

Vers. 3. *Custodia diuina Iobum in pueritia.*

QVANDO SPLENDEBAT. Iuxta Hebræum habetur, *Splendente lucerna eius super caput meum.* Modus custodiæ diuinæ describitur ad instar porrigentis lucernam splendentem super caput custoditi. primum siquidem diuinæ gratiæ hominem custodientis donum describitur illuminatio, non ad pedes tantùm, aut ad partem aliquam, sed ad vniuersa agenda & cauenda: & propterea describitur super caput. ET AD LVMEN EIVS AMBVLABAM IN TENEBRIS. Futuri temporis est dictio interpretata *ambulabam.* significat enim quòd sub lucerna splendente super caput eius, ibo ab initio splendentis lucernæ iugiter in tenebris, hoc est, in ætate puerili, quæ aptissimè eunti in tenebris assimilatur: eo quòd incipiens homo habere vsum liberi arbitrij, tam parum luminis prudentiæ habet, vt sit in interna via suorum operum tanquam ambulans in tenebris. Agnoscit itaque Iob quòd quando caruit lumine interno naturæ, ambulauit sub lumine diuinæ gratiæ custodientis illum in pueritia, deducendo illum per viam rectam.

Ætas puerilis eunti in tenebris similata.

Vers. 4. *Custodia diuina in adolescentia.*

SICVT FVI IN DIEBVS ADOLESCENTIÆ MEÆ. Verè ab antiquo custoditum se à Deo iugiter manifestat, post custodiam pueritiæ adiungens custodiam adolescentiæ. QVANDO SECRETE DEVS ERAT IN TABERNACVLO MEO. Rectiùs legeretur, *comitante Eloah super tentorij mei.* Modus quo custoditus est in adolescentia,

narratur, describendo Deum tanquam socium exhibentem se gubernantem ea, quæ erant tentorij Iobis, ad comprehendendum enim vniuersa pertinentia ad prouisionem domus, dicit in genitiuo *super tentorij mei*, hoc est, super rebus domus meæ. Et per hoc insinuatur quòd Deus non deseruit Iobem in adolescentia, sed semper comitatus est eum Eloah, hoc est, gubernans ipsum.

QVANDO ERAT OMNIPOTENS MECVM, ET IN CIRCVMITV MEO PVERI MEI. Iuxta Hebræum habetur, *In adhuc Saddai mecum: circumitus mei pueri mei.* Custodia diuina in ætate virili quando iam filios genuerat, & eos pueros alebat atque instruebat, narratur, dicendo *in adhuc*, hoc est, perseuerante mecum Saddai, Deo qui vincit omnia, pueri mei erant circumitus mei. multitudo enim filiorum cum frequentia adunandi filios coram se significatur. Attribuit autem Saddai tantam perseuerantiam custodiæ diuinæ, ad insinuandum magnitudinem doni. rarum enim valde est (& propterea vincenti omnia attributum) vt diuina custodia vincat mores hominis ab ineunte ætate vsque ad finem, in homine præsertim diuite. Vers. 5. *Custodia in ætate virili.*

QVANDO LAVABAM PEDES MEOS BVTYRO. Iuxta Hebræum habetur, *In lauando gressus meos in butyro.* Butyri enim magna copia significatur, describendo quòd ambulando balneabantur pedes in butyro, quemadmodum fit ambulando per loca aquosa. Et hinc insinuatur magna copia gregum & armentorum. ET PETRA FVNDEBAT MIHI RIVOS OLEI. Dictio interpretata *riuos*, sonat *paludes.* significatur enim tanta abundantia olei, vt constituerit quasi paludem olei. Quod autem dicitur de petra, petram molentem oliuas intellige, vel lapidosa loca olearum. Vers. 6. *Petra. pro lapidosis locis olearum.*

QVANDO PROCEDEBAM AD PORTAM CIVITATIS. Iuxta Hebræum habetur, *Egredienti me ad portam super ciuitatis*, hoc est, super iis, quæ sunt ciuitatis. IN PLATEA FACIAM PARARE SEDEM MEAM. Sic iacet in Hebræo Narratis diuina custodia diuitiisque naturalibus (filiorum scilicet) & artificialibus armentorum & agrorum, narrat honores authoritatis suæ in publicis iudiciis, dicendo, *egrediente me*, à propria domo, *ad portam* proculdubio ciuitatis, in qua antiquitus celebrabantur iudicia, *super ciuitatis*, hoc est, super publica iudicia ciuitatis, *faciam parare sedem meam*, in platea existente in porta ciuitatis. Et hinc apparet quòd Iob erat Princeps ciuitatis. ait enim quòd ipse imperabat parari sibi sedem in platea ad dicendum ius omnibus. Vers. 7. *Honores & dignitates Iob.*

VIDEBANT ME IVVENES, ET ABSCONDEBANTVR, ET SENES ASSVRGENTES STABANT. Iuxta Hebræum habetur, *Viderunt me pueri, & absconditi sunt, & senes surrexerunt, & steterunt.* Honor ei exhibitus ab omnis ætatis viris manifestatur ab extremis ætatibus, pueritia & senectute. Vers. 8.

PRINCIPES RETINVERVNT IN SERMONIBVS, ET MANVM PONENT ORI SVO. Adiungitur honor ei exhibitus à primatibus ciuitatis, quòd aduenientе ipso inchoatos sermones retinebant primates perseuerando in silentio. huiusmodi enim perseuerantia narratur, dicendo, *& manum ponent ori suo*, ad differentiam eorum Vers. 9.

qui quamuis aduenientе Principe interrumpant sermonem, postquam tamen Princeps sederit, redeunt ad prosequendum inchoatos sermones.

Vers. 10. VOCEM SVAM COHIBEBANT DVCES, ET LINGVA EORVM GVTTVRI SVO ADHÆREBAT. Iuxta Hebræum habetur, *Voces Ducum absconditæ sunt, & lingua eorum palato illorum adhæsit.* Honor ei exhibitus à militantibus ducibus describitur similiter quòd voces eorum cessauerunt ad instar absconditorum, & quòd silentium perseuerauit, tanquam lingua Ducum adhæserit palato. Vers. 11. AVRIS AVDIENS BEATIFICABAT ME, ET OCVLVS VIDENS, TESTIMONIVM REDDEBAT MIHI. Legendum est, *Quia auris audiuit, & beauit me: & oculus vidit, & testificatus est mihi.* Ratio tanti honoris redditur primùm ex parte nominis, deinde ex parte factorum. Et ex parte quidem nominis commemorat tum audientes, quia auris multorum audiuit facta à me, & beatum me prædicauit: tum videntes, quia & oculus multorum vidit iudicia mea, & testimonium perhibuit mihi proculdubio veræ iustitiæ.

Honoris tanti ratio.

Vers. 12. EO QVOD LIBERASSEM PAVPEREM VOCIFERANTEM, ET PVPILLVM CVI NON ESSET ADIVTOR. Iuxta Hebraum tres istæ actiones scribuntur in futuro: ita quòd legendum est, *Quia faciam eua lere pauperem clamantem, & pupillum, & non adiutor ei.* Futuri temporis verbum hic & in subiunctis scribitur, ad significandum perseuerantiam: & nihilominus relatiuè ad sessionem in tribunali scribitur. Et hîc incipit ratio tanti honoris ex parte factorum. Tria autem genera oppressorum simul colligit, videlicet pauperem clamantem, pupillum & carentem adiutore. Et est sermo de istis quatenus vexabantur ab aliis iniquè, vt inferiùs clarè subiungitur. hos enim faciebat Iob euadere ab iniurijs vexantium eos.

Iob bona sua opera enarrat.

Vers. 13. BENEDICTIO PERIVNTIS SVPER ME VENIET. Sic iacet in Hebræo. In criminalibus causis qualiter iudicauerit, manifestat, dicendo, *super me veniet benedictio pereuntis.* scribitur enim per hoc quòd ipse fecit pereuntem euadere mortem, & propterea benedicendum se fore ab illo. Et est sermo de pereunte (hoc est, de constituto in mortis periculo) propter insurgentes contra eum denuntiatores, seu accusatores. ET COR VIDVÆ CONSOLATVS SVM. Iuxta Hebræum habetur, *& cor vidua faciam cantare.* quod est longe plus quam consolari.

Manifestat qualiter iudicauerit in criminalibus.

Vers. 14. IVSTITIA INDVTVS SVM. Ne putares quòd Iob ex potentia, aut ob nominis gloriam prædicta fecisset, manifestat quòd omnia fecit iustè iudicando, dicens, *iustitia indutus sum*, hoc est, omnes actiones meas vestiui iustitia tanquam forma earum. ET VESTIVI ME SICVT VESTIMENTO. Iuxta Hebræum habetur, *& induit me sicut pallium.* Iustitiam actionum suarum iudicialium dicit non fuisse occultam, sed manifestam, assimilando eam supremo indumento quod vocatur *pallium*, vestis enim sub pallio non patet, sed pallium ipsum patet omnibus. Et hinc discant Principes non sufficere in iudiciis iustitiam, sed oportere iustitiam esse manifestam publicè. propterea enim Iob dixit vtrumque, quo ad se quidem, *iustitia indutus sum*, quo ad publicum verò officium, *& induit me sicut pallium.* ET DIADEMATE IVDICIO MEO. Iuxta Hebræum habetur, *& linteolum iudicium meum.* De linteolo quo Orientales vtebantur, & vtuntur pro tegmine capitis, est sermo. Et est sensus quòd iustitia induit me sicut pallium, & iudicium meum fuit manifestum sicut linteolum quo tegitur caput.

Iustitia illius qualis fuerit in causis cognita.

OCVLVS FVI CÆCO, ET PES CLAVDO. Iuxta Hebræum habetur, *Oculi fui cæco, & pedes claudo ego.* Non alterius, sed amborum oculorum officium cæco præstitisse, & similiter non alterius, sed vtriusque pedis officium suppleuisse se manifestat. Modum quo in iudicijs iustè liberauit vexatos describit, videlicet supplendo cæcis officium oculorum, & claudis officium pedum. Metaphoræ sunt istæ, significantes quòd non-videntes proprium ius illuminauit: scientes autem propriarum causarum ius, sed inualidos ad prosequendum illud, ac si essent claudi, adiuuit. Ignorantibus itaque lumen & inualidis adiutorium exhibendo, liberauit iniustè vexatos. Discant hinc iudices qualiter se habere debent circa iustitiam cæcorum & claudorum, hoc est, ignorantium, vel impotentium. Vers. 15.

PATER ERAM PAVPERVM. Iuxta Hebræum habetur, *Pater ego egenis.* Metaphora est, significans quòd in causis miserabilium personarum, patris officium ipse supplebat, vt iustè posset eos liberare. ET CAVSAM QVAM NESCIEBAM, DILIGENTISSIME INVESTIGABAM. Interpres addidit *diligentissimè*, præter hoc quòd mutauit futurum *inuestigabo*, in præteritum. sed nihil refert ad sensum: quoniam futurum *inuestigabo* relatiuè ad præteritum *nescini* Hebraico more dicitur. In causis cognitis qualiter se habuerit manifestauerat: reliquum erat vt in causis, quarum iustitia erat occulta, seu ambigua ipsi Iobi iudici, qualiter se habuisset manifestaret. manifestat autem se non præcipitem processisse, sed vacasse inquisitioni ad sciendam veritatem. Vers. 16.

Qualiter se habuerit in occultis & ambiguis.

CONTEREBAM MOLAS INIQVI, ET DE DENTIBVS ILLIVS AVFEREBAM PRÆDAM. Metaphora est ad declarandum completè modum quo exercuit iudicium & iustitiam. executio siquidem aduersùs eos, qui aliena occupauerant, describitur sub metaphora frangentis dentes molares alicuius lupi, & ex ore illius tollentis raptam ouem. Vtrumque bonum executio hæc continet, videlicet & punitionem raptoris, frangendo eius dentes molares, hoc est, vires quibus prævalebat ad vorandum aliena: & restitutionem rei ablatæ, faciendo iacere ex dentibus illius prædam, vt Hebraica sonant. Vers. 17.

Qualiter in finem exercuerit iudicium & iustitiam, ostendit.

DICEBAMQVE: IN NIDVLO MEO MORIAR, ET SICVT PALMA MVLTIPLICABO DIES. Iuxta Hebræum habetur, *Et dixi: Cum nido meo consumar, & sicut phœnix multiplicabo dies.* Narrat fiduciam quam prosperitatis tempore habebat, afferendo tres combinationes. Quarum prima longæuam vitam & superstites filios iungit. pollicebatur enim sibiipsi filios superstites, dicendo, *cum nido meo consumar* (filij enim nidi nomine significantur, ad instar auium in nido genitarum, fotarum & inde prodeuntium) & multitudinem dierum vitæ sicut arenam, vt multi interpretantur. Dictio tamen interpretata *arena*, anceps est ad arenam, vel phœnicem. & si *arena* legitur, hyperbole est, multitudo dierum vitæ suæ sicut multitudo arenæ. Si verò legitur *phœnix* (quæ viuere dicitur solitaria annis quadraginta Vers. 18.

Fiduciã narrat quam habebat tempore prosperitatis.

Filij nidi nomine significati.

supra

supra trecentos) oportet nidi metaphoram aliter intelligere, & ad obitum similem phœnicis obitui referre. scribunt enim phœnicem sentientem se ætate senili grauari, in constructum à se nidum ex aromatibus (cinnamomo scilicet, thure & aliis eiusmodi iacere se, & ibi consumi cum suo nido, igne ex radiis Solis reflexis ad resplendentes pennas eius genito: ita quòd longæuam sicut phœnicis vitam, & honorabile suum funus inter aromata pollicetur sibi instar phœnicis. Et hunc sensum Hebraica litera sonat, dicendo, *cum nido meo consumar*; & propterea consequenter legendum est, *& sicut phœnix multiplicabo dies.*

Phœnix.

Vers. 19. RADIX MEA APERTA EST SECVS AQVAS, ET ROS MORABITVR IN MESSIONE MEA. Iuxta Hebræum habetur, *Radix mea aperta ad aquas, & ros manebit in messem meam.* Altera combinatio pollicita est hæc, comprehendens arbores germinaturas, & segetes peruenturas ad messem, illas beneficio aquarum, & istas beneficio roris. *radix*, inquit, *mea*, hoc est, multitudo arborum, *aperta*, ad germinandum, erit *ad aquas*, ad beneficium aquarum: *& ros manebit vsque ad messionem meam.*

Vers. 20. GLORIA MEA SEMPER INNOVABITVR, ET ARCVS MEVS IN MANV MEA INSTAVRABITVR. Iuxta Hebræum habetur, *Honor meus nouus mecum, & arcus meus in manu mea faciet mutare.* Tertia est combinatio perseueraturi honoris cum potentia. Pollicetur siquidem sibi perseuerantem honorem describendo nouum, tanquam nunquam veterascat: potentiam verò describit ad instar arcus efficacis ad faciendum mutationes: ad differentiam arcus cuius iactus pro nihilo habentur, ita quòd non mouentur à locis suis illi contra quos iacitur. Pulchra certè metaphora, discernitur potestas Principis executiua efficax ab inaniter comminatoria. illa enim tanquam arcus faciens mutare est in manu Principis: ista autem tanquam arcus cuius iactus pro nihilo habentur. Pollicebatur itaque olim sibiipsi Iob & longæuam vitam cum honorabili funere, fructuique & fruges, necnon perseuerantem honorem cum potestate efficaci. Et hæc refert, ad manifestandum quòd secundùm humanam rationem radicatæ & stabilitæ sic erant res eius quòd poterat sibi polliceri hæc. ita quòd non est digressus narrando quod olim dixerat: sed descripsit per hæc bene fundatam prosperitatem suam.

Vers. 21. *Iobu honor in concilio.* QVI ME AVDIEBANT, EXPECTABANT SENTENTIAM, ET INTENTI TACEBANT AD CONSILIVM MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *Me audierunt, & expectabunt, & tacebunt ad consilium meum.* Post narratum honorem sibi exhibitum in iudiciis cum iustitia quam exercuit, post narratum fundamentum prosperitatis, narrat honorem sibi exhibitum in conciliis. Narrat autem eum antè, tunc, & post, quamuis non ordinatè. nam inchoat ab honore sibi exhibito tunc quum ipse proferebat consilium suum, dicendo quòd quam primùm audierunt ipsum loquentem, silebunt & expectabunt vsque ad finem consilij mei. Et futurum *expectabunt*, ac *tacebunt* refertur ad præteritum *audierunt.*

Vers. 22. *Honor ei exhibitus post consilium.* VERBIS MEIS ADDERE NIHIL AVDEBANT. Iuxta Hebræum habetur, *Post verbum meum non iterabunt.* Clarè describitur honor ei exhibitus post datum ab eo consilium. Et dicendo *non iterabunt*, insinuat quòd semel iam locuti fuerant alij, & quòd ipse vltimus loquebatur in conciliis tanquam Princeps, auditis aliorum votis. ET SVPER ILLOS STILLABAT ELOQVIVM MEVM. Interpres vertit futurum in præteritum. Duo simul narrantur, & quòd tunc verbum Iobis suscipiebatur tanquam è superius stillans, tanquam cœleste oraculum, & ratio quare non iterabant. ex hoc enim quòd consilium Iobis tanquam diuinum habebant, consequens erat quòd non iterarent.

Vers. 23. EXPECTABANT ME SICVT PLVVIAM, ET OS SVVM APERIEBANT QVASI AD IMBREM SEROTINVM. Præteritum est *aperiebant*, sed futurum *expectabant*. Et futurum *expectabant*, refertur ad præteritum *aperuerunt*: significatur enim quòd apertum os secuta est expectatio. Narrato honore tunc & post, narrat honorem antequam Iob loqueretur, describendo Consiliarios tanquam expectantes concupitam pluuiam. & exaggerando desiderium eorum assimilat eos inhiantibus ad serotinam pluuiam, hoc est, ad pluuiam pro suprema maturitate frugum, seu vuarum. huiusmodi enim pluuia appellatur *pluuia serotina.*

Honor Iobi antequam loqueretur.

Pluuia serotina quæ.

Vers. 24. SI QVANDO RIDEBAM AD EOS, NON CREDEBANT. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Ridebo ad eos, & non credent.* Post narratam authoritatem suam in conciliis, narrat quantæ authoritatis fuerint gestus eius, incipiendo à risu, dicens, *ridebo ad eos, & non credent*, esse risum simplicem, sed habentem mysterium. ita quòd Iobis etiam risus erat authoritatis apud illos. ET LVX VVLTVS MEI NON CADEBAT IN TERRAM. Iuxta Hebræum habetur, *& lumen faciei meæ non facient cadere.* Tanquam vilius radios (iuxta antiquorum opinionem quòd vilio fit extra mittendo) describit intuitus oculorum ipsius Iobis tantæ authoritatis vt annotauerint etiam oculorum Iobis motus ad aspiciendum hunc, vel illum, hoc, vel illud. huiusmodi enim annotatio aspectionum tanquam radiorum describitur, dicendo, *& lumen faciei mea non facient cadere*, tanquam vanum quid, cuius casus non æstimatur, sed excipient tanquam pretiosum quid, tanquam habens mysterium.

Iobi gestus quanti habebantur.

Intuitus ipsius quanti.

Vers. 25. SI VOLVISSEM IRE AD EOS, SEDEBAM PRIMVS: QVVMQVE SEDEREM QVASI REX CIRCVNSTANTE EXERCITV, ERAM TAMEN MOERENTIVM CONSOLATOR. Iuxta Hebræum habetur, *Eligam viam eorum, & sedebo caput, & habitabo sicut Rex in exercitu: sicut mœstos consolabitur.* Narrat demum authoritatem atque honorem sibi exhibitum vtroque tempore scilicet belli, & pacis: dicens quo ad authoritatem, *eligam viam eorum*, belli scilicet, vel pacis cum alienis. dicendo enim *eligam*, manifestat tantæ authoritatis fuisse quòd ad ipsum spectabat electio pacis, vel belli eorum cum aliis. Honor autem subiungitur, tempore quidem pacis, dicendo, *& sedebo caput*, hoc est, & quiescam residens aliorum caput. tempore verò belli subiungitur, *& habitabo tanquam Rex in exercitu.* supremus enim honor in exercitu est honor Regis, eiusdémque est suprema potestas atque authoritas. Et dicendo *sicut Rex*, insinuat quòd non erat Rex, sed Princeps ciuitatis atque exercitus. Quod autem adiungit, *sicut mœstos consolabitur*, ad rationem spectat vtriusque. ratio enim redditur

Iobi authoritas & honor vtroque tempore tuarantur.

quate vtroque tempore Iob erat caput, quia erat sicut qui mœstos consolabitur, hoc est, perseuerans indefessè in officio consolandi mœstos. huiusmodi enim commiseratio benigna non ad horam, sed iugis tam in ciuitate, quàm in exercitu, significatur per futurum *consolabitur*.

CAPVT XXX.

Vers. 1. *Plangit Iob pristinam illam felicitatem vesanam sibi in desperationem, & irrisionem.*

NVNC AVTEM DERIDENT ME IVNIORES TEMPORE. Narrato successu prosperitatis suæ, narrat consequenter afflictionem quæ superuenit ei: & è regione authoritatis & honoris prænarrati apud Primates, Duces, Senatum & populum, narrat se irrideri ab hominibus pauperrimis & vilissimis. Describit itaque derisores in primis ab ætate, dicendo *iuniores tempore*: deinde à patribus, subiungendo, QVORVM NON DIGNABAR PATRES PONERE CVM CANIBVS GREGIS MEI. Hebraicè habetur, *quorum abominatus sum patres ad ponendum cum canibus ouium mearum*. Sententia clara est.

Vers. 2. QVORVM VIRTVS MANVVM MIHI ERAT PRO NIHILO. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam vis manuum eorum quare mihi*? Rationem adhibit quare patres eorum abominatus fuerat, describendo eosdem ab inertia, dicendo quòd vires manuum eorum ad nihil sunt vtiles. nullius enim vtilitatis significantur, dicendo, *quare mihi*? subauditur enim *operabitur*. quasi dicat nulla est vtilitatis ratio. ET VITA IPSA FVIABANTVR INDIGNI, EGESTATE ET FAME STERILES. Iuxta Hebræum habetur, *super eos perijt senium in penuria, & in fame solum*. Manifestat patrum inertiam ab effectu, quia senectus perijt super eos sola, hoc est, destituta in penuria & fame. Non est vsquequaque clarum an significetur istorum senectutem petisse, hoc est, quòd non peruenerunt ad senectutem ob penuriam & famem: vel significetur quod quum peruenerunt ad senectutem, destituti ob penuriam & famem perierunt.

Vers. 3. QVI RODEBANT IN SOLITVDINE, SQVALENTES CALAMITATE ET MISERIA. Iuxta Hebræum habetur, *Fugientes siccitatem crepusculi, desolationem, & miseriam*. Depictis patribus, describit tertiò ipsos derisores simili inertia ac segnitie, manifestando eam primùm ex eo quòd fugiunt siccitatem crepusculi noctis, desolationem ac miseriam, hoc est, ex eo quòd habent crepusculum noctis siccum, vtpote carentes cœna: & similiter habent desolationem ac miseriam. hæc enim attestantur inertiæ ac pigritiæ eorum.

Vers. 4. ET MANDEBANT HERBAS, ET ARBORVM CORTICES. Iuxta Hebræum habetur, *Incidentes vrticam super arborem*. Dictio interpretata *vrticam*, sonat (vt aiunt) herbam quandam amaram. Dictio quoque interpretata *arborem*, anceps est ad arborem, vel ad herbarium. sed parui refert: significantur enim isti tam inertes, vt vescerentur huiusmodi amaris herbis pro obsonio, pro pane autem radicibus genestarum. nam subditur iuxta Hebræum, *radix genestarum panis eorum*. Dictio tamen interpretata *genestarum*, à multis interpretatur *iuniperorum*.

QVI DE CONVALLIBVS ISTA RAPIENTES, QVVM SINGVLA REPERISSENT, AD EA CVM CLAMORE CVRREBANT. Vers. 5. Iuxtà Hebræum habetur, *Ab intra expellentur: clamabunt super eos sicut furem*. Describuntur isti inuenti in hortis pro huiusmodi herbis, quòd expellentur ab iis qui sunt intra hortum: expellentur autem clamando aduersùs eos, sicut clamatur aduersùs furem. Et per hoc describitur quàm exosi & abominabiles aliis isti sunt.

IN DESERTIS HABITABANT TORRENTIVM, ET IN CAVERNIS TERRÆ, VEL SVPER GLAREAM. Vers. 6. Iuxta Hebræum habetur, *In rimis torrentium ad habitandum, in foraminibus pulueris, & petrarum*. Post descriptum cibum, describitur habitatio eorundem vel in rimis iuxta torrentes, vel in foraminibus puluerij (hoc est, locorum effossorum ad educendum inde puluerem terræ pro aggeribus & aliis eiusmodi) vel in cauernis petrarum.

QVI INTER HVIVSCEMODI LÆTABANTVR, ET ESSE SVB SENTIBVS DELITIAS COMPVTABANT. Vers. 7. Iuxta Hebræum habetur, *Inter arbores clamabunt, sub sentibus congregabuntur*. Nocte habitabant in prædictis locis: die autem otiosi clamabant inter arbores, vel sub sentibus congregati quasi sub vmbra.

FILII STVLTORVM ET IGNOBILIVM, ET IN TERRA PENITVS NON PARENTES. Vers. 8. Iuxta Hebræum habetur, *Filij vilitatis, etiam filij sine nomine, contusi sunt à terra*. Concludit demum ipsos derisores esse filios vilitatis, hoc est, repletos & abundantes vilitatibus. Hebraico enim more quemadmodum appellantur filij iniquitatis, ita & filij vilitatis, & id genus reliqui. Vnde & subditur, *etiam filij sine nomine*, hoc est, filij nullius nominis nec in bono, nec in malo. Propter quod consequenter subditur, *contusi sunt à terra*, hoc est, qui contusi sunt à terra. filij enim nullius nominis, vetè tanquam contusi sunt à terra, carendo omni nomine ac si nunquam fuissent.

NVNC IN FORVM CANTICVM VERSVS SVM, ET FACTVS SVM EIS IN PROVERBIVM. Vers. 9. Parui, aut nihil refert quòd Hebraice habetur, *Et nunc sonus eis fui, & fui eis in verbum*. Dictio interpretata *sonus*, sonum musicum significat: à nonnullis tamen interpretatur *cantus*. Descripta qualitate irrisorum Iobis, describitur modus irridendi, quòd videlicet irridebant ei cantando, & communiter loquendo.

ABOMINANTVR ME. Vers. 10. Hebraicè habetur, *Abominati sunt me*. E regione senatus inhiantis ad consilium Iobis describit quòd etiam personæ vilissimæ abominatæ sunt eum, & cõsequenter iuxta Hebræum, *elongauerunt se à me*. Sententia est clara. ET FACIEM MEAM CONSPVERE NON VERENTVR. Iuxta Hebræum habetur, *& à facie meâ non prohibuerunt thuum*. Modus quo abominati sunt eum, describitur, videlicet spuendo versus eum, quasi in faciem eius. colligitur enim ex hac narratione quòd vilissimi homines audita Iobis tanta calamitate venerint & viderint eum in cinere sedentem totum plagatum, & abominantes eum spuerint versùs eum, & recesserint non reuersuri. Et hic finitur prima pars narrationis: in qua (vt clarè patet) narrauit se & irrisum & despectum ab hominibus vilissimis.

PHARETRAM ENIM SVAM APERVIT. Vers. 11. Iuxta Hebræum

Hebræum habetur, *Quia funem meum aperuit.* Narratis infortunijs & deiectionibus in quas incidit, reddit rationem earundem ex parte Dei, asserendo pro causa totius sui mali diuinam actionem qua aperuit funem ipsius Iobis ad affligendum eum. Sæpe in sacra Scriptura funis nomine significantur termini confinia statuentes, quia funiculis distinctio agrorum fiebat. Per funem itaque suum Iob confinia suorum agrorum atque rerum significat, quæ Deus aperuit irruentibus hostibus. Et altius ac verius intelligendo per funem suum insinuat tegmen diuinæ protectionis, quo protegebatur Iob cum suis omnibus ab aduersitatibus quibuscunque, dicente Satana ad Deum, *nonne tu operuisti eum*, &c. vt patet *in cap. 1.* Hunc funem diuinæ protectionis dicit Iob non solutum, sed apertum fuisse a Deo, ad insinuandum liberum ac ampium patefactum ingressum Satanæ ad res Iobis. Et verum dicit, quia quamdiu clausus manfit, Satan non nocuit ei: sed quum aperuit illum, Satanæ patuit ingressus ad nocendum Iobi. Primam itaque causam suæ afflictionis agnoscit ac narrat Deum, dicendo, *quia funem meum*, quo protegebar, *aperuit.* ET AFFLIXIT ME. ad affligendum me aperuit funem meum: rursus, quia aperuit funem meum, quo ad mea, & afflixit me, quo ad personam meam. ET FRÆNVM POSVIT IN OS MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *& frænum à facie mea miserunt.* Causa secunda narratur: Dæmones enim significantur ad instar emittentium à se frænum cohibens eos à facie Iobis. Et significatur per hanc metaphoram quòd restrictio potestatis Dæmonum ne nocerent Iobi, fuerat tanquam frænum retinens ipsos Dæmones longe a facie Iobis: & aperiente Deo funem Iobis, Dæmones tanquam sine fræno effecti sunt. Et hæc primum locum tenet inter secundas causas afflictionis Iobis.

Funis meus & deiectionum earum causa ex parte Dei.

Funis, pro terminis.

Funis, pro tegmine diuinæ protectionis.

Vers. 12. AD DEXTERAM ORIENTIS CALAMITATES MEÆ ILICO SVRREXERVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Super dexteram iuuentus surgent.* Quia proposuit duas actiones Dei (videlicet, aperire funem, & affligere) & dispositionem Dæmonum, videlicet sine fræno: incipit ab hoc vltimo, describendo Dæmones ad instar iuuenum surgentium super dextram, hoc est, in robore manus dexteræ. Et ætas quidem iuuenilis ad impetum sine fræno spectat: dextera autem ad robur. surgere verò tanquam ex otio describuntur, quia quiescebant prius, non valentes offendere Iobem. PEDES MEOS SVBVERTERVNT. Iuxta Hebræum habetur, *pedes meos miserunt.* Afflictio Iobis in primo capitulo sub vocabulorum proprietate narrata, recensetur iterum sub metaphoris. chamelos enim boues & asinos quos abegerunt Sabæi & Chaldæi, appellat pedes suos: & propterea dicit *miserunt*: abegerunt enim illos. Assimilat autem eos pedibus, ad insinuandum eorum officium relatiue ad animum ipsius Iobis: vt intelligeremus quòd non tanquam caput, aut pectus, sed tanquam pedes habebat copiam animalium, quòd vtebatur eis tanquam pedibus, hoc est, ad ambulandum. pedibus enim gradimur: & copiis istis Iob gradiebatur ad felicitatem æternæ vitæ. ET OPPRESSERVNT QVASI FLVCTIBVS SEMITAS SVAS. Iuxta Hebræum habetur, *& spinauerunt super me vias fractionis eorum.* Liceat fingere verbum *spinandi* ad reddendum Hebraicam literam. & est ordo literæ quòd viæ contritionis eorum *spinauerunt super me.* Et est sensus quod opera quibus tanquam frangentes priuauerunt me opibus, pupugerunt me tanquam spinæ. Moderata tristitia ob perditas opes per hanc metaphoram describitur. non describit animum suum stoicum, aut mollem, sed medium: vtpote punctum tanquam a spinis.

Pedes, de chamelis, bobus & asinis.

Spinandi verbum.

DISSIPAVERVNT ITINERA MEA. Iuxta Hebræum habetur, *Diruerunt viam meam.* Oues consumptas cœlesti igne, assimilat viæ suæ dirutæ. alia animalia assimilauerat pedibus missis, quia abacta fuerant: oues autem assimilantur viæ dirutæ, quia consumptæ fuerant. simili autem ratione oues assimilat viæ suæ: quia videlicet vtebatur illis tanquam via ad felicitatem æternam. INSIDIATI SVNT MIHI, ET PRÆVALVERVNT: ET NON FVIT QVI FERRET AVXILIVM. Iuxta Hebræum habetur, *in fractione mea proficient, non adiutor eis.* Quia procedendo ex vno nocumento in alind Dæmones ordinabant afflictionem Iobis cum tanta potentia quòd non egebant auxilio, ideo dicitur quòd *in fractione mea proficient*, subiungendo *non adiutor eis.* Et hinc prudens Lector perpende quòd de Dæmonibus est sermo: quoniam nec de Chaldæis, nec de Sabæis, nec de ambobus verificatur hæc litera, sed de Dæmonibus. homines enim egerunt auxilio ignis cœlestis ad perficiendum fractionem opum Iobis: Dæmones autem Chaldæis & Sabæis vtentes veluti ministris, non indigerunt adiutore, sed ipsimet ignem ab aëre immiserunt ad consumendum oues, & ventum excitarunt ad conterendum filios. & propterea subditur,

Vers. 13. *Via diruta, ac cuibus cœlesti igne consumptis. Oues vpi diruta similata.*

Vers. 14. QVASI RVPTO MVRO, ET APERTA IANVA IRRVERVNT SVPER ME, ET AD MIAS MISERIAS DEVOLVTI SVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Sicut fractura lata venient: sub desolatione se inuoluerunt.* Applicando quod dixerat de actione Dei, *quia funem meum aperuit*, describit consequenter aperturam tanquam fractionem latam qua ingressus datus est Dæmonibus ad desolandum ea quæ erant Iobis. & ideo non sat est describere ingressum latum (vtpote ad chamelos, asinos, boues, oues, famulos, & filios ac filias: sed complectendo vniuersa, subiunxit sub desolatione *se inuoluerunt*, hoc est, omni ex parte desolantes venerunt, ad instar eorum, qui se toros inuoluunt sub linteis.

Vers. 15. REDACTVS SVM IN NIHILVM. Iuxta Hebræum habetur, *Reuolando super me terrores.* Dæmonibus ascribit tantos calamitatum narratos in primo & secundo capitulo: & quorsum, manifestat, dicens, *reuoluendo super me terrores.* Ad terrendum itemm atque iterum Iobem describuntur Dæmones per nuntios successiue reuoluentes terrores: vt multiplicatis terroribus, animus Iobis exorbitaret. ABSTVLIT QVASI VENTVS DESIDERIVM MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *persequetur sicut ventus voluntatem meam, & sicut nubes transiuit salus mea.* Dictio interpretata *voluntas*, spontaneum affectum significat. Discerne prudens Lector. opes suas assimilauit pedibus & viæ: filios autem a spontaneo describit affectu, & salutem suam appellat. Et in promptu vtriusque est ratio. nam filij saluant patrem, prorogando esse eius ad perpetuitatem: & ad filios, patris amor non ex electione, sed

Saluatio filij.

ſponteus eſt, vtpote ex ipſa natura prodiens. Oppreſſionem itaque filiorum multitudini Dæmonum aſcribens, metaphora vtitur venti propellentis nubem, dicens, *perſequetur ſicut ventus voluntatem meam*, hoc eſt, ſponte à me amatos, *& ſicut nubes* à vento propulſa *tranſiuit ſalus mea*, hoc eſt, multitudo filiorum ſaluans genus meum.

Verſ. 16. NVNC AVTEM IN MEMETIPSO MARCESCIT ANIMA MEA. Iuxta Hebræum habetur, *Et nunc ſuper me effundet ſe anima mea.* Afflictionem perſonæ propriæ recenſet, dicendo, *& nunc ſuper me*: aperte inſinuans quòd hactenus narrauit animi ſui afflicti occupationem circa luctum filiorum, ſed nunc proſtremò ſuper meipſum (vtpote tam dirè percuſſum in corpore) effundetur anima mea, ad inſtar effuſi liquoris deſcribitur anima ſecundum omnes ſuas actiones & paſſiones occupata circa ſeipſum totum vehementiſſimè afflictum. ET POSSIDENT ME DIES AFFLICTIONIS. Iuxta Hebræum habetur, *& apprehendent me dies afflictionis.* Proſequitur particulam illam propoſitam, *& affixit me.* perſeuerantia autem inſinuatur per effuſionem ac apprehenſionem futuri temporis: perſeuerabat enim dolor in corpore ipſius

Afflictiones Iob.

Verſ. 17. NOCTE OS MEVM PERFORATVR DOLORIBVS. Iuxta Hebræum habetur, *Nocte oſſa mea perfodit ſuper me.* Ingens doloris vis penetrans ad intima, ſignificatur ad inſtar fodientis a pelle vſque ad oſſa: ſubintelligitur enim afflictio, dicendo *perfodit*. ET QVI ME COMEDVNT, NON DORMIVNT. Iuxta Hebræum habetur, *& venæ meæ non quieſcunt*, hoc eſt, & venæ meæ non quieſcent emittendo humores putres.

Verſ. 18. IN MVLTITVDINE EORVM CONSVMITVR VESTIMENTVM MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *In multitudine vis mutabitur veſtimentum meum.* Effectus humoris putris manantis ex venis Iobis, deſcribitur mutatio indumenti. ſaccus enim quo indutum ſe dixerat *in cap.* 16. ſignificatur mutatus in fœdam formam ex multitudine vitium ipſius emanationis. ET QVASI CAPITIO TVNICÆ SVCCINXERVNT ME. Iuxta Hebræum habetur, *ſicut os tunicæ meæ cinget me.* Condenſatio facti ex humore putrido, deſcribitur tanta quòd adhærebat Iobi ſic commenſuratè, quemadmodum tunicæ os cingit collum. conſueuit enim accommodari cum commenſuratione exacta os tunicæ ad collum in locis illis vbi homines vtuntur tunicis: hoc idem ſub metaphora confuendi deſcripſerat *in cap.* 16.

Verſ. 19. COMPARATVS SVM LVTO, ET ASSIMILATVS SVM FAVILLÆ ET CINERI. Iuxta Hebræum habetur, *Proiecit me in lutum, & æſtimatus ſum ſicut puluis & cinis.* Alter effectus ſecutus ex putri humore deſcribitur quòd proiectus eſt in lutum: & declarando metaphoram, ſubiungit, *æſtimatus ſum ſicut puluis & cinis.* Et eſt ſermo de puluere qui verrendo domum eiicitur, & de cinere qui poſt colatum lixiuium eiicitur. vterque enim quia immunditia eſt, proiicitur in loca luti. Seipſum itaque Iob æſtimatum à domeſticis tanquam domus immunditiam, eiiciendum deſcribit propter abundantiam putredinis.

Verſ. 20. CLAMO AD TE, ET NON EXAVDIS ME. Iuxta Hebræum habetur, *Clamabo ad te, & non reſpondebis mihi.* Sæpe dixerant ſocij monendo Iobem vt regaret Deum, quia Deus exoratus ſanaret eum, &c. Iob autem reſponderat eis ſe iam propinquum morti, ſed non compleuerat hoc reſponſum: & propterea narrando ſuam afflictionem, duo ſimul facit. alterum quòd ad cumulum ſui mali aperit afflictionem ſuam eſſe deſperatam: alterum quòd perficit reſponſionem datam ſociis. Manifeſtat itaque afflictionem ſuam eſſe, abſque ſpe ſanitatis, deſcribendo vanas fore pro ſanitate hac preces ad Deum, quamuis ex clamore cordis fulas, dicendo, *clamabo ad te; & non reſpondebis mihi.* STO, ET NON RESPICIS ME. Iuxta Hebræum habetur, *ſteti, & intelliges in me.* Sic iacet in Hebræo: interpretes mutant affirmatiuam in negatiuam. Manifeſtat Iob rationem quare Deus non reſpondet exaudiendo non eſſe iniquitatem ipſius Iobis: deſcribendo ſeipſum ſtantem in conſpectu Dei, & Deum curam habentem ipſius, dicens, *ſteti*, non receſſi à gratia Dei, ſed rectus ſteti coram te, *& tu intelliges in me*, perſeuetando in iugi cura mei.

Verſ. 21. MVTATVS ES MIHI IN CRVDELEM, ET IN DVRITIA MANVS TVÆ ADVERSARIS MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *Verteris in crudelem mihi, in fortitudine manus tuæ odio habebis me.* Effectus non exauditionis narratur perſeuerans plaga, immo perſeueratura vſque ad mortem, deſcribendo Deum ad inſtar Principis, qui ex humano & miti vertitur in crudelem, & odio habentem aliquem. Et verificatur metaphora hæc de Deo non ſecundùm id quod in Deo eſt, ſed ſecundùm ſimilitudinem effectus: quatenus effectus Dei in afflictione Iobis erant (vt Iob putabat) perſeueraturi vſque ad mortem, immo ducturi citò ipſum ad mortem: ac per hoc ſimiles iis, quæ facit crudelis homo odio habens, & potens, qui non ſatiatur affligendo, niſi afflictionibus ducat ad mortem.

Verſ. 22. ELEVASTI ME, ET QVASI SVPER VENTVM PONENS ELISISTI ME VALIDE. Iuxta Hebræum habetur, *Portabis me, ad ventum facies equitare me, & liquefacies me ſtatuto.* Ordinatorum effectuum ſeries deſcribitur, ne errares, intelligendo à Iobe deſcribi Deum mutatum, & affert metaphoram declarantem quòd Deus non mutatus facit mutationes noſtras, facit ea quæ ſunt amantis, & poſtea ea quæ videntur odio habentis & crudelis. Affert autem ſimilitudinem ex nube niuea delata vento ex vna regione in alteram, in qua poſtquam niuxerit liquefit ſtatim nix, vtpote non ex cœlo illius regionis genita.

Cerne prudens Lector in hac ſimilitudine contrarios quidem effectus congelationis & liquefactionis, ſed vnicam cauſam, ventum ſcilicet in alienam regionem ducentem niuem. Deſcribit itaque Deum non mutatum, ſed vno eodémque ſtaturo tanquam portantem Iobem (per quod cura ipſius ſignificatur) & facientem equitare Iobem ſuper ventum: per quod proſperitas vniuerſa tanquam innixa vento ſignificatur. & demum liquefacientem eundem: per quod totalis conſumptio eius vſque ad mortem tanquam liqueſcentibus partibus vitalibus inſinuatur.

Proſperitas vniuerſa veluti vento innixa.

Verſ. 23. SCIO QVIA MORTI TRADES ME, VBI CONSTITVTA EST DOMVS OMNI VIVENTI. Iuxta Hebræum habetur, *Quia noui mortem facies reuerti me, & domum paratam omni viuo.* Manifeſtat liquefactionem vltimò propoſitam, dum manifeſtè

ſeſte explicat ſe noſſe plagam ſuam eſſe mortalem. Et in hoc deceptus eſt: quoniam Deus dederat poteſtatem Dæmoni affligendi corpus Iobis citra mortem, hoc eſt, afflictionem inducentem mortem. Nec mirum quòd in hoc ſingulari facto deceptus fuerit: vehementia enim doloris, tanta macies, tantuſque fluxus ſanguinis putridi, percuſſis vniuerſis partibus corporis, ſigna mortis erant. Et dicit ad mortem, *facies reuerti me*, quia homo puluis eſt, & in puluerem reuerſurus. Domus quoque parata omni viuenti, terra dicitur, tanquam mater communis, hoc eſt, principium ac locus humanæ generationis.

Domus parata omni viuenti, de terra tanquam communi matre.

Verſ. 24. VERVNTAMEN NON AD CONSVMPTIONEM EORVM EMITTIS MANVM TVAM: ET SI CORRVERINT, IPSE SALVABIS. Iuxta Hebræum habetur, *Tantum non in prece mittet manum, ſi in fractione ſua eis clamor.* Manifeſtat quare Deus ipſum clamantem non exaudiet, quod primò propoſuerat. & hoc eſt alterum quod ſupplet ad integrandam reſponſionem. primum enim dixit ſupplicationes pro ſanitate ſua non eſſe exaudiendas: nunc autem explicat rationem communem, dicendo, *tantum non in prece mittet manum.* reſpondet ſiquidem directè exhortationi ſociorum: reſpondet, inquam, per locum ab exceptione quòd ſola ſupplicatio pro vita, non admittitur à Deo à clamantibus tempore mortis. Hæc enim exceptio ſignificatur, dicendo, *tantum non mittet* Deus *manum*, non extendet Deus operationem, *in prece*, ad preces ſupplicantium: ſi in fractione ſua, qua franguntur ad mortem, fuerit eis clamor ad Deum. Et hæc exceptio directè confutat monitionem ſociorum. & innititur exceptio hæc ſuper ineuitabili morte. nullus enim exauditur ad euitandum mortem quum tempus mortis aduenit. Intendit enim Iob dicere quòd preces pro euitanda paupertate, pro euaſione alicuius periculi, & ſimilibus, exaudiuntur à Deo: preces autem pro euitanda morte nunquam exaudiuntur. iam enim dixerat quòd nouerat ſe reuerti ad mortem ex plaga ſua.

Mori ineuitabile nulla exauditur prece.

Verſ. 25. FLEBAM QVONDAM SVPER EO QVI AFFLICTVS ERAT, ET COMPATIEBATVR ANIMA MEA PAVPERI. Iuxta Hebræum habetur, *An non fleui ad durum diei: triſtata eſt anima mea ad miſellum?* Manifeſtat quod tertiò propoſuerat, videlicet *fleti*, & reſpondet valde ſummariè ſociorum exhortationi quòd conuertatur ad bona opera. nam ſocij ſæpe hortati ſunt eum tum vt rogaret Deum, tum vt vacaret bonis operibus, & ſic ſuccederent ei proſpera. Propterea ſiquidem Iob poſtquam ſatisfecit integrè quo ad ſupplicationes, ſatisfacit conſequenter quo ad bona opera, ſummatim colligens bona opera erga alios ſub virtute miſericordiæ, dicens, *an non fleui ſuper durum diei?* Et appellatur durus diei homo cui dies eſt durus, vel quo ad viuere (vt moriens in adoleſcentia, ſeu iuuentute) vel quo ad ſucceſſus bonos: vt eſt is qui vocatur infortunatus, vtriſque enim tempus ſad inſtar duri non cedit: illis quo ad viuere, iſtis quo ad proſperari. Affirmat itaque ſe fuiſſe miſericordem, & fuiſſe miſeratum tam duros diei, quàm miſellos, egenos ſcilicet, & mendicos.

Durus diei. homo cui durus eſt dies.

Verſ. 26. EXPECTABAM BONA, ET VENERVNT MIHI MALA: PRÆSTOLABAR LVCEM, ET ERVPERVNT TENEBRÆ. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Quia bonum ſperaui, & venit malum: & ſperabo lucem, & venit caligo.* hoc eſt, quia operabar ſic quòd meritò ſperabam bonum, & tamen venit malum: & perſeuerans in huiuſmodi ratione ſpei, expectans lumen occupatus ſum à caligine. ſociis enim reſpondet de præſentis vitæ bono & malo, proſperitate & aduerſitate.

Verſ. 27. INTERIORA MEA EFFERBVERVNT ABSQVE VLLA REQVIE. Iuxta Hebræum habetur, *Viſcera mea ferbuerunt, & non ſiluerunt.* Proſequitur afflictiones ſuas, & ex calore febrili conſurgente ex plagis, narrat viſcera ſua (epar, pulmonem, &c.) feruere ad inſtar bullientium abſque ſilentio, hoc eſt, continuè. & ideo putabat ſe mori: febris enim continua ſæpe ducit ad mortem. PRÆVENERVNT ME DIES AFFLICTIONIS. Hinc habetur quòd Iob non erat ſenex, non ex ſenectute putabat ſe propinquum morti. ſi enim ſenex fuiſſet, non dixiſſet, *præuenerunt me dies afflictionis*, loquens de febre ducente eum ad mortem: ſenectus enim morbus eſt incurabilis, & mortalis.

Abſque ſilentio, pro continuè.

Senectus, morbus incurabilis

Verſ. 28. MOERENS INCEDEBAM, SINE FVRORE: CONSVRGENS IN TVRBA CLAMABAM. Iuxta Hebræum habetur, *Obſcurus iui in ſine ſole: ſurrexi, in congregatione clamabo.* Domeſticorum crudelitatem erga ipſum Iobem deſcribit, narrando *quòd in ſine ſole* (hoc eſt, in nocte) *iui obſcurus*, hoc eſt, ſine lumine per aulam. Vnde autem ſic ire contigerit, declarat, dicendo *ſurrexi*, è lectulo, *& clamabo in congregatione*, hoc eſt, domeſticis in domo congregatis. Et futurum *clamabo* refertur ad præteritum *ſurrexi*. Narrat itaque quòd videns lucernam extinctam ſurrexit, & clamauit ad congregatos domeſticos, & nullo veniente iuit nocte ſine lumine. Nullum autem aduenientem deſcribit, ſubiungens:

In ſine ſole, pro in nocte.

Verſ. 29. FRATER FVI DRACONIBVS, ET SOCIVS FILIABVS STRVTHIONIS. Domeſticos mares appellat dracones, & domeſticas mulieres appellat filias ſtruthionis: eo quòd iſtæ relinquebant eum ſicut ſtruthio relinquit oua propria, illi autem venenoſis verbis tanquam dracones mordebant eum: & tamen ipſe illis fratrem, & iſtis ſocium ſe exhibuit.

Dracones, de maribus domeſticis. Struthionis filia, id eſt, domeſtica mulieres.

Verſ. 30. CVTIS MEA DENIGRATA EST SVPER ME. Pellem ſuam ex humoribus putridis denigratam narrat: & oſſa ſua aruiſſe ſubiungit. iuxta Hebræum, *& os meum aruit plus ſiccitate.* Hyperbole eſt. deſcribit enim oſſa ſua ſicca plus quàm ſit ipſa ſiccitas, ad inſinuandum ſiccitatem magnam valde.

Verſ. 31. VERSA EST IN LVCTVM CITHARA MEA, ET ORGANVM MEVM IN VOCEM FLENTIVM. Parui refert quòd Hebraicè non ſcribitur *verſa eſt*, ſed ſcribitur *& fuit*, ſenſus enim in idem redit. Et iuxta Hebræum nominantur inſtrumenta muſica duo, quorum alterum in luctum, alterum in vocem flentium fuiſſe narrat, eo quòd vice inſtrumentorum muſicorum olim impium lætificantium ſucceſſerat luctus, & lamentatio ſimilis flentibus.

CAPVT XXXI.

Verſ. 1. PEPIGI FOEDVS CVM OCVLIS MEIS, VT NE COGITAREM QVIDEM DE VIRGINE. Iuxta Hebræum habetur, *Pepigi fœdus in oculis meis, & quid intelligam ſuper virgine.* Contextus Hebraicus

Hebraicus ſonat primò fœdus quod ſecum intra ſeipſum coram mentis ſuæ oculis Iob pepigit. hinc enim poſt narratam afflictionem incipit narrare innocentiam atque mores rectos totius vitæ ſuæ: & inchoat à tempore quo habuit oculorum mentis vſum integrum, dicendo *in oculis meis*, beneficio oculorum meorum videndo recta quæ agenda ſunt; & mala vitanda. Et deliberatum ac firmatum propoſitum ſignificat, dicendo *pepigi fœdus*. intendit enim narrare quòd ab initio liberi arbitrii deliberauit fixo ac immobili propoſito ad inſtar pangentis fœdus, quod inuiolabile debet eſſe. ideo enim pacta fiunt vt non liceat mutare. Quid autem tam firmiter deliberauerit, quæve ſit materia huius fœderis, ſubiungit, diſtinguendo eam in duas partes. quarum prima ſupputatur, dicendo, *& quid intelligam ſuper virgine*: perinde acſi dixiſſet, *tum quid intelligam ſuper virgine*. ſubiungitur enim iterum &, æquiualens ad *tum*. Significat autem per hæc verba quorſum ſubitutus eſſet ſtatum coniugalem: ita quòd primum quod deliberaſſe ſe narrat, fuit finis cum reliquis conditionibus conſiderandis ad ducendum virginem in coniugem. Et per hoc declarat quòd non libidinis, ſed prolis gratia intellexit ducendam eſſe virginem. Prudenter itaque & caſtè diſpoſuiſſe ſe ad ſubeundum coniugium fuit prima pars fœderis.

Iob innocentiam. & virtutes ſuas enarrat.

Fœdus pangit.

Fœderis pars prima.

Verſ. 2. QVAM ENIM PARTEM HABERET IN ME DEVS DESVPER, ET HÆREDITATEM OMNIPOTENS DE EXCELSIS? Iuxta Hebræum habetur, *Et quæ pars Eloah deſuper, & hereditas Saddai de excelſis*. Altera fœderis pas narratur, dicendo, *& quæ pars*, &c. hoc eſt, tam conſiderare quæ pars, quæve hæreditas decernitur homini à Deo iudice & omnipotente. Nomine autem partis & hæreditatis (vt etiam ſuperiùs diximus) intelligitur tam pœna, quàm præmium, quatenus debetur alicui iure tanquam pars eius, tanquam hæreditas illius. Et ſignificatur deliberaſſe ſe conſideraturum tam pœnam, quàm præmium decretum à Deo hominibus. Duo itaque ſub ſuo fœdere concluſit: alterum de rectitudine circa ſtatum coniugalem, alterum de fine ſuorum operum, præmio videlicet in altera vita parato à Deo iuſtis aſſequendo, & pœna parata iniquis vitanda. Et per hæc duo vniuerſam vitam ſuam comprehendit. nam ad primum caput reducuntur humanæ rationes: ad ſecundum autem diuinæ regulæ.

Pars ſecunda.

Parte, & hæreditate, tam pœna, quàm præmium ſignificata.

Verſ. 3. NVNQVID NON PERDITIO EST INIQVO, ET ALIENATIO OPERANTIBVS INIQVITATEM? Quamus in textu Hebraico nullum ſcribatur verbum; veriſſimè tamen verbum ſubſtantiuum ſubintelligitur, futuri tamen temporis. intendit enim ſecundam partem ſui fœderis manifeſtare eſſe rationi conſonam atque neceſſariam, ex eo quòd iniquis erit in altera vita vtraque pœna, videlicet ſenſus, & damni. Et pœna quidem ſenſus ſignificatur nomine fractionis, ſeu contritionis, loco cuius in vulgata æditione ſcribitur *perditio*. pœna verò damni ſignificatur nomine *alienationis*, quia in alienatione à Deo conſiſtit pœna damni.

Iniquorum duplex pœna in altera vita.

Verſ. 4. NONNE IPSE CONSIDERAT VIAS MEAS, ET CVNCTOS GRESSVS MEOS DINVMERAT? Iuxta Hebræum ſunt futuri temporis verba, *videbit, numerabit*. Poſt probationem ex futura vita, affert probationem ad idem ex officio Dei in præſenti vita quòd perſeuerat videndo ſtudia cuiuſlibet ſingularis hominis, & ſingulas cuiuſque actiones. ad inſinuandum enim hoc, dicit Deum videre vias ipſius Iobis, & numerare greſſus eius omnes.

Verſ. 5. SI AMBVLAVI IN VANITATE, ET FESTINAVIT IN DOLO PES MEVS. Rectiùs legitur, *An ini cum falſitate, & feſtinauit ſuper dolum pes meus?* quaſi dicat, minimè. Manifeſtato fœdere inito ſecum à principio, intendit manifeſtare conſequenter executionem illius quo ad vtramque iuſtitiæ partem, videlicet declinare à malo, & facere bonum. Et inchoans à vitatione mali, incipit à vitato interno dolo, omnique falſitate. Et aptè deſcribit ſe non iuiſſe cum falſitate, negando enim ſocietatem falſitatis in itinere, inſinuat falſitatem non eſſe electam ab eo: negando autem pedem ſuum feſtinaſſe ſuper dolum, manifeſtat quòd nec ex paſſione animi ſecutus eſt dolum. feſtinatio enim pedis ſequelam affectus quaſi feſtinantis præoccupando electionem deliberatam ſignificat.

Pedis feſtinatio electionem deliberatam denotat.

Verſ. 6. APPENDAT ME IN STATERA IVSTA, ET SCIAT DEVS SIMPLICITATEM MEAM. Iuxta Hebræum habetur, *Ponderabit me in bilance iuſtitia, & cognoſcet Eloah puritatem meam*. Quia ſolus Deus eſt teſtis veracis animi, ideo Deum introducit iudicem ad inſtar ponderantis in bilance iuſtitiæ, & ponderando cognoſcentis puritatem animi eius ab omni falſitate & dolo.

Deus ſolus animi veracis teſtis.

Verſ. 7. SI DECLINAVIT GRESSVS MEVS DE VIA. Vitationem cupiditatis ac occupationis rei alienæ deſcribit. & iuxta Hebræum non repetitur ter coniunctio *ſi* in hac clauſula, vt in vulgata æditione: ſed ſcribitur ſemel, *ſi declinauit greſſus meus de via*, proculdubio recta. Et nomine greſſus intellige ſtudium. ET SI SECVTVS EST OCVLVS MEVS COR MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *& poſt oculum meum iuit cor meum*. hoc eſt, & cor meum iuit cupiendo poſt oculum meum, hoc eſt, viſa. negat enim ſe cupiſſe aliena pulchra & deſiderabilia quæ vidit. ET SI MANIBVS MEIS ADHÆSIT MACVLA. Iam dictum eſt quòd in Hebræo non repetitur *ſi*: & dictio interpretata *macula* anceps eſt ad maculam, vel quicquam. Senſus tamen in idem redit: nam ſignificatur rem alienam nullam fuiſſe occuparam ab eo. Ex tribus ergo partibus integratur huius conditionalis antecedens, videlicet ex corde, greſſu (hoc eſt, ſtudio) & manu, hoc eſt, opere. conſequens autem ſubiungitur, dicendo, SERAM, ET ALIVS COMEDAT. Imprecatio eſt mali ſibiipſi, ſatis clara. ET PROGENIES MEA ERADICETVR. Iuxta Hebræum habetur, *& germina mea eradicabuntur*. Conſequenter ad ſata comedenda ab alio, ſubiungit etiam imprecando quòd arbores ac vites ſuæ eradicentur.

Greſſus, pro ſtudio.

Manus, pro opere.

Verſ. 8.

Verſ. 9. SI DECEPTVM EST COR MEVM SVPER MVLIEREM, ET SI AD OSTIVM AMICI MEI INSIDIATVS SVM. Iuxta Hebræum habetur, *Si inclinatum eſt cor meum ſuper mulierem, & ſuper oſtium ſocij mei inſidiatus ſum*. Vitaſſe ſe adulterium narrat, formando ſimiliter conditionalem cum execratione. cuius antecedens caſtum cor & pudicas actiones aſſumit, dicendo, *ſi inclinatum eſt cor meum ſuper mulierem*, quo ad cor: quo ad pudicitiam verò actionum, ſubiungendo, *& ſuper oſtium ſocij mei inſidiatus ſum*. hoc eſt, ad inſtar inſidiantis me geſſi erga

erga vxorem proximi mei ad ingrediendum ad eam.

Vers. 10. SCORTVM ALTERIVS SIT VXOR MEA, ET SVPER EAM INCVRVENTVR ALII. Sensus redditur, sed non metaphora: nam iuxta Hebræum habetur, *Molet alteri vxor mea, & super eam genuflectent alij.* Adulterium vxoris imprecatur sibi, describendo illud ex parte mulieris ad instar molæ molentis alieno: ex parte verò viri ex incuruatione super eam genuflectendo. Vbi aduerte quòd metaphora molæ describitur scortum publicum. nam mola quatenus mola, suscipit semen, non ad fœcunditatem, vt terra, sed ad perditionem, quatenus molens aliis est mercenaria, & parata cuicunque deferenti granum ad eam: quæ tres conditiones constituunt meretricem publicam.

Mola, pro scorto publico.

Vers. 11. HOC ENIM NEFAS EST, ET INIQVITAS MAXIMA. Iuxta Hebræum habetur, *Quia ipsum scelus, & ipsum iniquitas iudicum.* Exaggerat adulterij crimen tripliciter. tum secundùm seipsum, quia non est simplex peccatum, sed scelus, tum relatiuè ad iustitiam humanæ curiæ, quia est iniquitas iudicum, hoc est, à iudicibus punienda. tum relatiuè ad consanguineos & affines, quia est intolerabilis, subiungendo, Vers. 12. QVIA IGNIS IPSA, VSQE AD PERDITIONEM VORABIT. hoc est, quia ipsa adulterij iniquitas est intolerabilis tanquam ignis voraturus vsque ad consumptionem. ET OMNIA ERADICANS GERMINA. Iuxta Hebræum habetur, *& in omnibus frugibus meis eradicabitur.* Altera est hæc imprecationis pars. imprecatur siquidem sibi & vxoris adulterium, & eradicationem nouellarum frugum: Hebraica enim dictio *nouella agrorum germina* sonat.

Adulterium.

Vers. 13. SI CONTEMPSI SVBIRE IVDICIVM CVM SERVO MEO, ET ANCILLA MEA, CVM DISCEPTARENT ADVERSVM ME. Legendum est, *An abominabor iudicium serui mei, & ancillæ meæ, litigantibus eis mecum?* quasi dicat, minimè. Post declinationem ab iniusto, subiungit quòd complexus est quæ iusta sunt: inchoans à iustitia inter se, & seruos, & ancillas. Aduerte tamen quòd non dicit, an abominatus sum, sed *abominabor*, ad insinuandum quòd fuerat paratus ad subeundum iudicium cum seruis & ancillis si litigassent cum eo: ac per hoc multo magis se paratum ad subeundum iudicium cum quibuscunque secum litigantibus manifestat.

Vers. 14. QVID ENIM FACIAM CVM SVRREXERIT AD IVDICANDVM DEVS. Iuxta Hebræum habetur, *Et quid faciam quando surget El, & quando visitabit quid respondebo ei?* Rationem reddit subeundi iudicium cum seruis & ancillis, eo quòd agnoscit seipsum seruum relatiuè ad El, hoc est, Deum fortem. ac per hoc si ipse abominaretur iudicium seruorum, tolleret sibiipsi iudicium à Deo, tolleret sibiipsi tum responsionem visitanti per afflictiones Deo, tum opera, seu consilia ad iustificandum se: quoniam abominabilem me Deo redderem, abominando iudicium serui mei. Et hæc ratio magni momenti erat apud Iobem, qui nisus est iustificare causam suam cum Deo affligente ipsum.

Vers. 15. NVNQVID NON IN VTERO FECIT ME QVI ET ILLVM OPERATVS EST, ET FORMAVIT ME IN VVLVA VNVS? Interpres mutauit Pronominis numerum: legendum esset, *& formauit nos in vulua vnus?* Altera adiungitur ratio ad idem, ex vnitate creatoris animæ, & formatoris corporis cum paritate naturalis loci, ac per hoc parentis: vt hinc describeretur paritas naturæ in homine domino & in homine seruo, & ex identitate naturæ intelligeremus non esse abominandum iudicium cum seruis.

Dominum, & seruum naturâ pares.

Vers. 16. SI NEGAVI, QVOD VOLEBANT, PAVPERIBVS, ET OCVLOS VIDVÆ EXPECTARE FECI. Iuxta Hebræum habetur, *An prohibebo à voluntate pauperes, & oculos viduæ consumam?* quasi dicat, minimè. Et futuri temporis verba referuntur ad subintellecta præterita petitionum pauperum & viduarum. Prohibentur autem pauperes à voluntate petendi, quando dissimulamus audire, quando nihil respondemus petentibus: ex hoc enim non redeunt ad petendum. Consumere quoque oculos viduæ, est dare bona verba viduæ, & non succurrere illi; ex hoc enim tanquam suspiciendo iugitur & inaniter, consumptionem oculorum incurrit.

Consumere oculos viduæ, pro illi non succurrere.

Vers. 17. SI COMEDI BVCCELLAM MEAM SOLVS, ET NON COMEDIT PVPILLVS EX EA. Iuxta Hebræum habetur, *Et comedam panem meum solus ego, & non comedit pupillus ex eo?* Prosequitur eandem clausulam, & communionem panis (hoc est, cibi sui) ad miserabiles personas, sub nomine pupilli describit.

Panis, pro cibo.

Vers. 18. QVIA AB INFANTIA CREVIT MECVM MISERATIO, ET DE VTERO MATRIS MEÆ EGRESSA EST MECVM. Iuxta Hebræum habetur, *Quia à pueritijs meis grandiuit me tanquam pater, & de vtero matris meæ ducam eam.* Nulla virtus nominatur, ea fortè ratione, quia pluribus nominibus (diuersis respectibus) nominatur virtus qua benefici sumus miserabilibus personis. relatiuè enim ad inopiam quæ subleuatur, appellatur *misericordia*: relatiuè verò ad spontaneam collationem boni, appellatur *benignitas*: relatiuè autem ad rationem vtriusque, appellatur *humanitas.*

Pupillus, pro misero.

Misericordia. Benignitas. Humanitas.

De huiusmodi itaque virtute dicit duo. Alteram, *ex vtero matris meæ ducam eam*, hoc est, congenitam mecum in materno vtero, egrediens inde ducam eam. futurum enim *ducam* refertur ad præteritum subintellectum congenerationis in vtero. Et per hoc insinuat quòd habuit hanc virtutem tanquam inditam naturaliter. quod verificari facilè patet ex eo quòd nascuntur homines inclinati ad hanc, vel illam virtutem moralem, ad hanc, vel illam artem, ad hoc, vel illud vitium, quod ex cœlo & ex complexione fieri Philosophi tradunt. Alterum *tanquam pater grandiuit me à pueritijs meis.* Pater grandem quo ad corpus quidem alendo, quo ad animam verò instruendo facit filium à pueritiis eius. Hebræi enim pueritias appellant multas ætates primas, infantiam videlicet, pueritiam & adolescentiam. Officium itaque instructoris atque instinctoris exercuisse virtutem hanc in eo ab ineunte ætate manifestat. agebatur enim intus frequentibus instinctibus ad opera misericordiæ, etiam quum infans, seu puer esset.

Pueritia apud Hebræos, multa ætates primas.

Vers. 19. SI DESPEXI PRÆTEREVNTEM EO QVÒD NON HABVERIT INDVMENTVM, ET ABSQVE OPERIMENTO PAVPEREM. Iuxta Hebræum habetur, *An videbo pereuntem à sine indumento, & non operimentum misello?* quasi dicat, minimè. Operibus misericordiæ alendo, adiungit opera misericordiæ, vestiendo miserabiles personas:

quas

quas describit pereuntes, eo quòd carerent vestitu & quocunque operimento. Et dicit, *an videbo*, ad insinuandum quòd postquam vidit, non perseuerauit videndo, sed statim prouidit de operimento. Vnde & subiungit,

Vers. 20. AN NON BENEDIXERVNT MIHI LVMBI EIVS, ET DE VELLERE AGNORVM MEORVM CALEFIET?, Sententia clara est.

Vers. 21. SI LEVAVI SVPER PVPILLVM MANVM MEAM. Manifestata sua virtute in operationibus iustitiæ & misericordiæ, manifestat consequenter virtutes suas in affectibus, seu passionibus animi (ira, spe, delectatione, metu, tristitia, &c.) incipiendo à cohibitione iræ erga easdem miserabiles personas, formando conditionalem cum magna execratione, dicens, *si eleuauí manum meam*, hoc est, si comminatus sum orphano, hoc est, cuicunque miserabili personæ. QVIA VIDEBO IN PORTA AVXILIVM MEVM. hoc est, confisus in auxilio optimatum qui in porta sedere solent: hoc est, confisus in authoritate mea.

Animi passiones.
Ira.
Orphanus, pro quacunque miserabili persona.

Vers. 22. HVMERVS MEVS A IVNCTVRA SVA CADAT. Iuxta Hebræum habetur, *Latus meum ab humero suo cadet.* Ecce prima pars imprecationis. imprecatur enim sibiipsi quòd latus suum decidat ab humero suo. diuiso homine toto in partes quattuor, illa pars quæ sub humero pendet, appellatur *latus.* Et ad integrandum imprecationem totius quartæ partis dextræ, subiungit, *& brachium meum ex canna sua frangetur.* hoc est, & brachium meum ex integro frangatur. Vide quàm aptè imprecatur ex peccato manus dextræ ruinam totius quartæ partis dextræ, hinc in fractura brachij, & inde in casu lateris.

Vers. 23. SEMPER ENIM QVASI TVMENTES SVPER ME FLVCTVS TIMVI DEVM, ET PONDVS EIVS FERRE NON POTVI. Iuxta Hebræum habetur, *Quia timor ad me contritio El, & celsitudinem eius non potero.* Responsionẽ reddit quare non iratus est aliis, confisus in magnitudine suæ authoritatis, ex parte timoris Dei: quia semper timuit iram Dei fortis, sciens quòd non poterit resistere celsitudini diuinæ potentiæ.

Vers. 24. SI PVTAVI AVRVM ROBVR MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *An posui aurum spem meam, & obryzo dixi, fiducia mea?* quasi dicat, minimè. Post iram prosequitur spem, manifestans affectum suum moderatum circa aurum, in quo confidere solent homines.

Spes.

Vers. 25. SI LÆTATVS SVM SVPER MVLTIS DIVITIIS MEIS, ET QVIA PLVRIMA REPERIT MANVS MEA. Legendum est, *An gaudebo, quia multa vis mea, & quia multum inuenit manus mea?* quasi dicat, minimè. Moderamen est delectationis ob multitudinem vitium suarum ex multitudine seruorum & famulorum: & similiter ob multitudinem rerum, fructus scilicet agrorum, gregum & armentorum quæ ad manum in promptu inuenit.

Delectatio.

Vers. 26. & 27. SI VIDI SOLEM CVM FVLGERET, ET LVNAM INCEDENTEM CLARE. ET LÆTATVM EST IN ABSCONDITO COR MEVM, ET OSCVLATVS SVM MANVM MEAM ORE MEO. Iuxta Hebræum habetur, *An videbo lucem quod lucebit, & lunam pretiosam euntem. Et incitatum est in abscondito cor meum, & osculatum est manum meam os meum?* quasi dicat, minimè. Alienos ab animo suo etiam primos motus superstitionis manifestat, inducendo quandam superstitionis speciem colentium solem, & lunam: qui quum viderent solem lucere (hoc est, manè oriri lucentem, ad differentiam Solis orientis interpositis nubibus) & similiter visa luna pretiosa (hoc est, luna splendente, & oriente in crepusculo noctis) & animo venerabantur, & exteriori cærimonia manum admouebant ori osculandam. sic enim sonat Hebraica litera. Appellatur autem plena luna pretiosa, eo quòd quum plena est magni æstimabatur. Erat itaque superstitio tam matutina, quàm vespertina erga duo luminaria magna.

Plena luna pretiosa, cur.

Vers. 28. QVÆ EST INIQVITAS MAXIMA. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam hoc iniquitas iudicis.* Quia de adulterio dixerat quòd est iniquitas iudicum, ideo copulando hanc illi, dicit etiam, hoc est iniquitas iudicis, hoc est, ab humano iudice punienda. Et rationem subiungit. QVIA MENTITVS SVM AD EL DESVPER. hoc est, quia committendo huiusmodi superstitionem mentitus essem Deo forti super omnia. Et appellatur peccare in Deum mentiri Deo: eo quòd contrarium eius quod homo debet Deo, reddit ei, eo quòd contrarium eius quod inditum menti hominis est reddit Deo. inditum est enim humanæ menti vt Deum fortem super omnia existentem veneretur super omnia, cuius contrarium facit diuinum honorem exhibens alteri. Et ex hac litera habetur quòd in ciuitate illa prohibita erat idololatria sub pœna mortis, & solus Deus colebatur: alioquin non dixisset Iob, *etiam hoc est iniquitas iudicis, quia mentitus sum ad El desuper.*

Mentiri Deo, pro peccare in illum.

Vers. 29. SI GAVISVS SVM AD RVINAM EIVS QVI ME ODERAT, ET EXVLTAVI QVÒD INVENISSET EVM MALVM. Iuxta Hebræum habetur, *An lætatus sum in fractione oderis mei, & me moui, quia inuenit eum malum?* quasi dicat, minimè. Non sat fuit manifestasse moderamen delectationis in copia bonorum, sed adiunxit nunc nullam lætitiam ex morte oderis sui, & nullum motum aduersùs eundem multitudine malorum oppressum.

Vers. 30. NON ENIM DEDI AD PECCANDVM GVTTVR MEVM, VT EXPETEREM MALEDICENS ANIMAM EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Et non dedi ad peccandum palatum meum, petendo in execratione animam eius.* Hebraico more præponuntur maiora minoribus. minus enim est vitare peccatum imprecandi malum oderis, quàm non lætari in ruina illius, nec moueri in malis eiusdem.

Vers. 31. SI NON DIXERVNT VIRI TABERNACVLI MEI: QVIS DET DE CARNIBVS EIVS VT SATVREMVR. Iuxta Hebræum habetur, *An non dixerunt viri tentorij mei: Quis dabit de carne eius? non saturabimur.* Pronomen *eius* demonstrat oderem Iobis: constantiam siquidem suam manifestat Iob, in hoc quòd non se mouit auditis malis oderis sui. commendat enim suam constantiam ex hoc quòd habuit viros tabernaculi sui impellentes eum vt moueret se aduersùs oderem, dicendo, quis dabit de carne oderis? hoc est, vtinam concederetur nobis facultas comedendi eum) etenim non saturabimur, non quiescemus si detur nobis licentia aggrediendi eum.

Vers. 32. FORIS NON MANSIT PEREGRINVS, OSTIVM MEVM VIATORI PATVIT. Iuxta Hebræum habetur, *Foris non dormiet peregrinus, ostia mea viatori aperiam.* Interna solicitudo ipsius Iobis erga hospitali

hospitalitatem inter animi eius dotes supputatur, narrando de seipso, aperui non ostium, sed *ostia* viatori, non permittendo peregrinum dormire absque hospitio.

Vers. 33. SI ABSCONDI QVASI HOMO PECCATVM MEVM, ET CELAVI IN SINV MEO INIQVITATEM MEAM. Iuxta Hebræum habetur, *An operui tanquam hominem rebelliones meas, ad abscondendum in abscondito meo iniquitatem meam?* Hæc clausula pendet ex subiunctis, nec habet sensum suum absque subiunctis: & propterea tota

Vers. 34. litera afferenda est. SI EXPAVI AD MVLTITVDINEM NIMIAM, ET DESPECTIO PROPINQVORVM TERRVIT ME: ET NON] MAGIS TACVI, NEC EGRESSVS SVM OSTIVM. Iuxta Hebræum habetur, *Quia frangam multitudinem magnam, & vilipensio familiarum terrebit me, & tacui, non egrediar ostium.* Post moderamen tor

Notanda sine timor. passionum animi describit moderamen timoris, immo negationem mali timoris. Et quoniam timor malus nascitur ex propria culpa, ideo Iob manifestat se fuisse intrepidum, hoc est, nunquam metuisse ab aliquo propter iniquitatem aliquam ipsius Iobis, quia nunquam offenderat aliquem. Et se non offendisse aliquem manifestat in duobus. primò, quia nunquam fuit fracturus multitudinem magnam: secundò, quia nunquam vilipendit familias, hoc est; cognationem, seu gentem aliquam: dictio enim Hebraica interpretata, *familiarum*, sonat *gentes*, eo sensu quo dicimus gentem Flauiam, gentem Æmilianam, gentem Fabiam, &c. Et hinc colligitur quòd de animo suo intrepido in officiis publicis loquitur. tractare enim aliquid offendens multitudinem populi, vel cognationes multas, publicæ est personæ. Securitatem autem suam describit, in hoc quòd non oportuit ipsum occultare peccatum ex contemptu, seu peccatum studiosè commissum, quemadmodum oportet occultare hominem criminosum, occultare autem tacendo, & non egrediendo ostium domus. Non est itaque sensus quòd Iob commissa crimina non occultauerit (quoniam Iob apertè dixit *in c. 17.* se nunquam commisisse aliquid vituperabile) sed est sensus quòd non oportuit vnquam occultare rebelliones, aut iniquitatem, hoc est, peccata ex contemptu, aut studiose commissa (vtpote nunquam commissa) sicut oportet occultare hominem metuentem interfici, aut capi. Non oportet, inquam, me occultare peccata eo quòd commiserim hæc duo, videlicet quia frangam (hoc est, quia fracturus eram) multitudinem magnam, hoc est, plebem: aut quia vilipensio familiarum attentanda à me terrebit me ex commotione familiarum aduersum me: & propterea oportuit me cum silentio domi continere, ne egressus, à plebe, vel à familiis malè tractarer.

Vers. 35. QVIS MIHI TRIBVAT AVDITOREM. Legendum est, *audientem me*. In calce totius sui sermonis ad socios cupit Iob habere virum eruditum audientem ipsum: quorsum autem, subiungit, VT DESIDERIVM MEVM AVDIAT OMNIPOTENS, ET LIBRVM SCRIBAT IPSE QVI IVDICAT. Iuxta Hebræum habetur, *ecce signum meum Saddai testificabitur mihi, & liber scripsit vir litis meæ.* Ad hoc cupio habere virum audientem me, vt nunc quando in promptu adest Omnipotens ad subscribendum, liber quem scripsisset vir de lite mea, testificaretur mihi subscriptus ab Omnipotente. Hic est sensus germanus: ordo autem literæ est. ecce signum meum, hoc est, signator meus subscribendo, est Saddai, Deus omnia vincens: & liber litis meæ, disputationis meæ, quem scripsit vir testificabitur mihi, tanquam subscriptus ab Omnipotente. Præteritum *scripsit*, respicit futurum *testificabitur*: prius enim scribitur liber, & deinde testificatur.

Vers. 36. VT IN HVMERO MEO PORTEM ILLVM, ET CIRCVNDEM ILLVM QVASI CORONAM MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *An non super humerum meum portabo eum: ligabo eum coronæ mihi.* Pronomen *eum*, demonstrat librum à viro scriptum, & ab Omnipotente subscriptum. pollicetur enim sibiipsi quòd liber ille victoriam ipsius in hac cum sociis lite manifestaret tum absentibus, tum posteris. & propterea affirmat quòd liber ille dignus esset vt veheretur ab ipso Iobe super humerum proprium, & vt ligaretur seruandus ad coronas sibi, hoc est, ad insignia victoriæ suæ.

Vers. 37. PER SINGVLOS GRADVS MEOS PRONVNTIABO ILLVM. Iuxta Hebræum habetur, *Numerum gressuum meorum annuntiabo illi.* Pronomen *illi* demonstrat virum audientem ad scribendum librum. integram enim veritatem affectuum & operum suorum annuntiaturum se illi promittit, vt libro nihil desit. ET QVASI PRINCIPI OFFERAM EVM. Iuxta Hebræum habetur, *tanquam Ducem faciam appropinquare eum.* Pronomen *eum*, eundem scriptorem demonstrat. promittit enim se honoraturum virum illum tanquam Ducem, describendo quòd faciet eum appropinquare quo ad loca, & sedendo & gradiendo tanquam Ducem. Et dicit hæc ad insinuandum magnitudinem desiderij sui; vt reddantur merita litis suæ publica coram vniuerso humano genere. Et videmus adimpletum esse hoc Iobis desiderium: quoniam liber iste scriptus est à Moyse, & subscriptus à Deo, quia canonicus est tam apud Hebræos, quàm Christianos. Et hîc secundùm veritatem terminantur verba disputationis Iobis cum sociis.

Vers. 38. SI ADVERSVM ME TERRA MEA CLAMAT, ET CVM IPSA SVLCI EIVS DEFLENT. Patui refert quòd Hebraicè scribuntur verba futuri temporis, *clamabit, flebunt.* Deinde immediatè iuxta Hebræum subiungitur, Vers. 39. *Si virtutem eius comedi absque argento, & animam herorum eius contristaui.* Vers. 40. *Pro frumento egrediatur spina, & pro hordeo tribulus.* Ipsa diseretio manifestat quòd primùm loquitur de agris propriis, deinde de agris alienis: nam in prima sententia dicit *terra mea*, in secunda autem dicit, *animam herorum eius.* Formet itaque duas conditionales cum vno consequente. & est sensus quòd si retinuit mercedem debitam operariis agrorum ipsius Iobis, & similiter si non soluit quæ comedit producta in agris aliorum, euenit ei hoc malum quòd pro tritico oriatur spina, & pro hordeo tribulus. Describitur autem terra eius clamans cum sulcis flentibus, significando operarios laborantes in terra & sulcis eius. Virtutem quoque terræ appellat fructus terræ. TERMINATA SVNT VERBA IOB. Hæc clausula deficit in textu vulgatæ æditionis: & manifestat finitum esse sermonem Iobis ad socios. Vbi aduerte

Tritticia.

Virtus terræ pro fructus terræ.

quòd author libri transposuit clausulas vltimò scriptas: quoniam secundùm ordinem sermonis Iobis, prius dixit innocentiam suam erga agricolas & heros fructuum, & demum protulit desiderium suum vt scriberetur liber disputationis suæ, & in hoc terminauit sermonem suum: sed author libri, quia poëtice scripsit, existimauit indecens vt personam lugubrem quandiu perseuerat afflictio, terminaret cum coronis: & ideo terminauit sermonem Iobis in execrationibus testibus innocentiæ.

CAPVT XXXII.

Vers. 1. Miserunt autem tres viri isti respondere Iob. Finiuit Iob sermonem suum, tacuerunt pariter & tres socij eius, cum quibus tam longa fuit disputatio. eo quod iustus sibi videretur. Iuxta Hebræum habetur, *quia ipse iustus in oculis suis.* Ratio silentij sociorum redditur, quia Iob erat iustus in oculis propriis. hoc est, quia videbant quòd Iob erat pertinax in iudicio propriæ iustitiæ, nec vllis argumentis, aut suasionibus poterat persuaderi illi quòd pro peccatis suis esset afflictus a Deo. reputabant enim vanum fore respondere amplius.

Vers. 2. Et iratus indignatusque est Elihv. Iuxta Hebræum habetur, *Et iratus est furor Elihu.* Quartus introducitur disputator aduersus Iobem: qui, vt subiuncta testantur, interfuerat longæ disceptationi inter Iobem & tres illius socios. Describitur autem iste quartus furore commotus iræ, primùm à nomine proprio Elihu: deinde à patre, filii Barachel. deinde à patria Byzites. deinde à gente, de cognatione Ram. Et tanta diligentia ad describendum sic istum, insinuat quòd non fuit persona ficta Elihu, sed vir in rerum natura. iratus est autem aduersvm Iob, eo qvod ivstvm se esse diceret coram Deo. Iuxta Hebræum habetur, *super eius iustificare animam suam ab Elohim.* Aduerte prudens Lector quòd antiquus interpres sensum optimè reddidit quicquid dicant interpretes moderni. dictio siquidem Hebraica sonans *ab*, vel *pra*, exposita ab antiquo interprete *coram*, bene exposita est: quia hæc verba sunt verba authoris libri, reddentis rationem quare Elihu iratus est contra Iobem. certum est autem quòd Iob nunquam iustificauit animam suam præ Deo, sed quòd iustificauit animam suam à Deo, hoc est, iustitia approbata à Deo, vt patet *in cap.* 13. & hoc ægrè ferens Elihu narratur iratus. Cerne differentiam. socij Iobis tacuerunt, quia Iob erat iustus in propriis oculis: Elihu irascitur, quia

Vers. 3. Iob dicit se iustum in oculis Dei. Porro aduersvm amicos eius indignatvs est, eo qvod non invenissent responsionem rationabilem, sed tantvmmodo condemnassent Iob. Iuxta Hebræum habetur, *Et in tres socios eius iratus est furor eius, super quo non inuenerunt responsionem, & fecerunt impium Iob.* Dictio interpretata *fecerunt impium*, sonat (si dici liceret) *impiauerunt*: &, vt subiuncta testantur, subintelligitur negatio repetenda. Ita quòd sensus est, super eo quòd non inuenerunt responsionem, & non fecerunt impium Iobem. Duo defectus attribuuntur sociis Iobis. alter quòd non inuenerunt quid responderent Iobi: alter expositiuus prioris quòd non prævaluerunt ad demonstrandum quòd Iob esset impius, quòd Iob propter iniquitatem suam esset percussus.

Et Elihv expectavit Iobem loqventem, eo qvod seniores essent qvi loqvebantvr. Cvm avtem vidisset qvod tres respondere non potvissent. Iuxta Hebræum habetur, *quòd non responsio in ore trium virorum.* Non dicitur quòd vidit impotentiam respondendi, sed quòd vidit non esse responsionem in ore eorum. hoc est, vidit eos finisse responsiones suas. Et iratvs est furor eius. Respondit qve, non requisitus, Elihv filivs Barachel Bvzites, et dixit: Ivnior svm tempore, et vos decrepiti, idcirco demisso capite veritvs svm vobis indicare meam sententiam. Iuxta Hebræum habetur, *idcirco expaui & timui annuntiare vobis scire meum.* Sententia est clara. Vers. 4. & 5. Vers. 6.

Sperabam enim. Iuxta Hebræum habetur, *Dixi.* proculdubio in corde meo. qvod ætas prolixior loqveretvr, et annorvm mvltitvdo doceret sapientiam. Duo attribuit tempori. Alterum quòd dat sermonem, dicendo, *die loquemur*: quo contrà, iuuentutem decet silere. Alterum quòd largitur sapientiam, dicendo, *& multitudo annorum facient scire sapientiam.* in breui siquidem tempore acquirere sapientiam, valdè difficile & rarissimum est. Vers. 7. *Tempus dat sermonem. Largitur sapientiam.*

Sed, vt video, spiritvs est in hominibvs, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Patui refert quòd Hebraicè habetur, *Profectò spiritus ipse in homine, & flatus Saddai facit intelligere eos.* Tribuenda interno spiritui magis, quàm tempori sapientia affirmatur. Appellat autem spiritum, mentem eleuatam supra crassitudinem corporeorum sensuum, tanquam spiritum in corpore. & per flatum Omnipotentis intelligit eandem mentem quatenus est à Deo tanquam flatus eius, hoc est, tanquam ab intimis Dei prodiens, sicut flatus noster ab intimis nostris. Et verificatur metaphora pro quanto mens nostra facta est similis Deo in summo viuentium gradu, in quo formaliter viuit Deus, hoc est, in gradu intellectuali. Nec à veritate discrepat hæc Elihu sententia: quoniam longè plus confert ad sapere internæ mentis spiritualitas, quàm multitudo annorum. Vers. 8. *Sapientia interno spiritui magis, quàm tempori tribuenda. Spiritus quid. Flatus Omnipotentis quid.*

Non svnt longævi sapientes, nec senes intelligvnt ivdicivm. Iuxta Hebræum habetur, *Non magni sapient, & senes intelligent iudicium.* Negatio in principio huius clausulæ, repetenda in secunda particula eius, subintelligitur. est enim sensus, non magni sapient, & non senes intelligent iudicium: hoc est, non magnitudo dat sapere, nec senectus dat intelligere iudicium. Et est sermo de magnitudine authoritatis, & iudicio iustitiæ. & verum dicit consequenter ad præmissa. Vers. 9.

Ideo dico: Avdite me, ostendam vobis etiam ego meam scientiam. Hebraicè habetur, *Ideo dixi: Audi me, annuntiabo scire meum etiam ego.* Concludit ex insufficientia eorum dixisse se forè audiendum, manifestaturum scire suum. Vers. 10. *Iob silentium imponit amicis.*

Ecce

Vers. 11. ECCE EXPECTAVI. Quare sit audiendus, rationem reddit primùm ex eorum insufficientia cognita, cognita autem expectatione perfecta: quam expectationem perfectam manifestat ex multis cõditionibus seruatis ab eo. Ipsam itaque expectationem proponit, dicendo, *Ecce expectaui.* AD SERMONES VESTROS AVSCVLTABO. Sic legendum est. Primò narrat quòd expectauit, deinde modum expectandi, videlicet auscultando sermones eorum, & non dormiendo, aut mente vaga. Vulgata autem additio diuidit & mutilat: nam iuxta Hebræum immediatè subiungitur, *vsque ad intelligentias vestras, vsque ad exquirendum verba, & vsque vos intelligam.* Auscultasse testatur perfectè, tum quo ad rationes quas iuxta suas intelligentias attulerant, tum quo ad verba exquisita ad explicandas suas sententias, tum quo ad ipsius Elihu intelligentiam tam rationum, quàm verborum quæ dixerant. Completè itaque expectauit, qui vsque ad terminum horum trium auscultauit.

Vers. 12. SED, VT VIDEO, NON EST QVI POSSIT ARGVERE IOB, ET RESPONDERE EX VOBIS SERMONIBVS EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Et ecce non Iobem arguens, respondens dictis eius ex vobis.* Omnibus auditis ac intellectis, concludit apparere palam quòd nullus eorum perseuerauit arguens Iobem, nullus eorum perseuerauit respondens dictis Iobis. ad manifestandum siquidem eorum insufficientiam, hoc dicit. Et vtitur participiis præsentis temporis cum demonstratiuo Aduerbio, ad insinuandum eorum perseuerantem insufficientiam ad respondendum Iobi, & arguendum eum iniquitatis.

Vers. 13. NE FORTE DICATIS: INVENIMVS SAPIENTIAM, DEVS PROIECIT EVM, NON HOMO. Iuxta Hebræum habetur, *Ne quando dicetis: Inuenimus sapientiam, El impellet eum, non vir.* Nititur excludere quam videbat excusationem tacitè afferri ab istis tribus sociis Iobis. Et consistit excusatio insufficientiæ in hoc sermone. nos quidem inuenimus sapientiam sufficientem ad respondendum Iobi, & arguendum eum iniquitatis, sed ipse Iob est tam pertinax, & immobilis, vt nullus vir, sed solus El (hoc est, Deus fortis) impellet eum, hoc est, mouebit eum de loco suo, mouebit eum à sensu proprio. Et verè (vt author libri in principio huius capituli innuit) hæc fuit ratio, quare omiserunt respondere Iobi socij eius. Et quia hæc tacendi ratio aduersabatur rationi qua Elihu mouebatur ad loquendum, ideo nititur confutare eam. Elihu enim mouebatur (vt ipse dicit) ad loquendum ex insufficientia eorum, qui locuti fuerant: hæc autem ratio tacendi excusat insufficientiam, accusando immobilitatem Iobis. Ait itaque, ideo dixi hæc omnia de insufficientia vestra, ne quando dicatis pro ratione silentij vestri, nos inuenimus sapientiam sufficientem, sed ipse Iob est ita immobilis, quòd non vir, sed El impellet eum, hoc est, mouebit eum. impellens enim mouet impulsum de loco eius.

Impellit, pro mouet.

Vers. 14. NIHIL LOCVTVS EST MIHI, ET EGO NON SICVNDVM SERMONES VESTROS RESPONDEBO ILLI. Iuxta Hebræum habetur, *Et non ordinauit ad me verba, & in dictis vestris non respondebo illi.* Ad confutandum illam particulam, *vir non mouebit eum*, dicit quòd Iob non direxit verba sua ad ipsum Elihu: hoc est, adhuc non disputauit mecum, qui non sum responsurus El secundùm dicta vestra, arguit siquidem eos arrogantiæ, quòd id quod ipsi nequiuerunt efficere, dicant non posse fieri à viro vllo, quum ipse Elihu esset præsens.

Vers. 15. EXTIMVERVNT, NEC RESPONDERVNT VLTRA, ABSTVLERVNTQVE A SE ELOQVIA.

Vers. 16. QVONIAM IGITVR EXPECTAVI, ET NON LOCVTI SVNT, STETERVNT, NEC RESPONDERVNT VLTRA: RESPONDEBO ET EGO PARTEM MEAM, ET OSTENDAM SCIENTIAM MEAM. Iuxta Hebræum habetur, *Fracti sunt, non responderunt adhuc: recesserunt ab eis verba. Et expectabo, quia non loquentur: quia steterunt, non responderunt adhuc.*

Vers. 17. RESPONDEBO ITIAM EGO PARTIM MEAM: ANNVNTIABO SCIRE MEVM ETIAM EGO. Sic distinguenda est litera hæc, in qua Elihu nititur probare quòd ex insufficientia illi tres Iobis socij tacuerunt. ad hoc enim dicit *fracti sunt*, animo, & propterea non responderunt adhuc, ideſt, vltrà. Et subiungit ad idem, *recesserunt ab eis verba, & ego expectabo.* accusat eos & quòd intus fracti sunt animo, & quòd extrà amiserunt eloquium, & quòd ipse tamen expectauit vt redirent ad seipsos, & recuperarent eloquium. Et dicit hoc de illis in tertia persona, apostrophando ad circunstantes. Et futurum *expectabo* refertur ad præterita *fracti sunt, recesserunt.*

Adhuc, pro vltrà.

Et tu prudens Lector, si hæc contuleris cum principio huius capituli, arbitraberis quòd Elihu imponit hæc tribus illis Iobis sociis: nec mirum, quia passionibus iræ & propriæ gloriæ agebatur. Et arrogat sibi necessitatem loquendi ex insufficientia illorum: propter quod subiungit, *quia expectati non loquentur, quia steterunt*, (hoc est, non prosecuti sunt) *nec responderunt vltrà*, ideo *respondebo etiam ego partem meam* (hoc est, quod iure, non præsumptione respondendum est à me) & annuntiabo scire meum etiam ego. in quo cupiditas gloriæ notatur.

Vers. 18. PLENVS SVM ENIM SERMONIBVS. Altera ratio loquendi affertur. prius enim conatus est monstrare necessitatem loquendi ex insufficientia aliorum: modò aperit necessitatem loquendi ex plenitudine suæ scientiæ. Describit autem mentem suam in forma ventris pleni verbis cum impulsu interno ad propellendum verba extrà. subiungit enim de tali impulsu. ET COARCTAT ME SPIRITVS VTERI MEI. Rectius legeretur, *angustauit me spiritus uteri mei.* Experimur pleno utero ventum internum angustare hominem, eo quòd non habeat quo propellat contenta in ventre, vno non cedente alteri propter plenitudinem. iuxta hanc metaphoram describit se plenum sermonibus, & impulsum animi sui ad propellendum concepta verba angustare ipsum.

Vers. 19. EN VENTER MEVS QVASI MVSTVM ABSQVE SPIRACVLO. Sensus recte redditur Parabolam parabolâ declarat: mentem suam quasi ventrem plenum cum impulsu, declarat ad instar utris pleni musto absque spiraculo. subiungitur enim, QVOD LAGVNCVLAS NOVAS DIRVMPIT. Iuxta Hebræum habetur, *sicut uteres noui scindetur.* Et est sensus quod quantumcunque uteres sint noui, sequetur scissio, nullo existen-

te ſpiraculo. intendit enim per hoc aperire quòd cogitur loqui. Et propterea proſequendo parabolam, ſubiungit, LOQVAR, ET RESPIRABO PAVLVLVM. Iuxta Hebræum habetur, *Loquar, & dilatabitur mihi.* loquendo enim latior locus datur conceptis verbis, quemadmodum aperiendo vtrem latior datur locus contentis in vtre. propter quod conſequenter dicit, APERIAM LABIA MEA, ET RESPONDEBO. hoc eſt, non loquar impertinentia, ſed ſpectantia ad reſpondendum Iobi.

Verſ. 20.

Verſ. 21. NON ACCIPIAM PERSONAM VIRI, ET DEVM HOMINI NON ÆQVABO. Iuxta Hebræum habetur, *Non nunc eleuabo faciem viri, & hominem non nominabo.* Puritatem intentionis atque ſermonis ſui futuri manifeſtat: puritatem autem, ſeu munditiam à vitio acceptionis perſonarum, à vitio humani reſpectus quo non ad cauſam, ſed ad perſonam ſpectatur, quod frequentiſſimum eſt inter homines. huiuſmodi vitium deſcribit ab actionibus duabus: altera eſt eleuare faciem viri, altera nominare hominem. Et prima quidem ſonat eleuare non merita cauſæ, ſed faciem viri, hoc eſt, præferre perſonam meritis cauſæ. Altera autem ſonat laudare hominem. nomen enim ad famam & laudem ſpectat: hoc eſt, præferre nomen hominis veritati, præferre famam ac gloriam hominis meritis cauſæ. vtrumque pollicetur ſe euitaturum.

Verſ. 22. NESCIO ENIM QVANDIV SVBSISTAM, ET SI POST MODICVM TOLLAT ME FACTOR MEVS. Iuxta Hebræum habetur, *Quia neſciui nominabo: ſicut parum, comburet me factor meus.* hoc eſt, quia neſciui ſi nominabo hominem, paulo pòſt combuſtionis pœna conſumar à Deo factore meo. tiqoris autem tanti ratio eſt, quia in Dei iniuriam redundare putat iuſtificationem Iobis, nomen iuſti in Iobe perculſo à Deo, & non pœnitente, ſed dicente ſe iuſtum.

CAPVT XXXIII.

Verſ. 1. *Proœmium Elihu.* AVDI IGITVR. Iuxta Hebræum habetur, *Et nihilominus audi nunc Iob eloquia mea, & omnia verba mea auſculta.* Hactenus alloquutus eſt communiter Iobem, ſocios & aſtantes: nunc directè dirigit ſermonem ad Iobem, rogans eum, vt nunc non obſtante quod non vult nominare hominem, patienter audiat, & auſcultet verba ſua, non quædam, ſed omnia. Et rationem ſubiungit.

Verſ. 2. ECCE NVNC APERVI OS MEVM, LOCVTA EST LINGVA MEA IN PALATO MEO. perinde ac diciſſet, quia nunc incipio loqui poſt diuturnum ſilentium.

Verſ. 3. SIMPLICI CORDE MEO SERMONES MEI, ET SENTENTIAM LABIA MEA PVRAM LOQVENTVR. Iuxta Hebræum habetur, *Rectitudo cordis mei dicta mea, & ſcire labiorum meorum electum loquar.* Contra duas malas conditiones loquutionis promittit duas virtutes in ſermone ſuo: contra malignitatem rectitudinem cordis, & contra paſſiones, ſeu perturbationes animi electum ſcire. pollicetur enim quòd dicta ſua prodibunt ex rectitudine cordis, & quòd loquetur non irriſoria, ſed ſcientiam electam: hoc eſt, diu meditatam, & cum maturo conſilio electam ad proferendum. Et dicit hæc ne Iob putet quòd ipſe imitaturus ſit Iobis ſocios, qui & irriſerant Iobem, & criminati fuerant eum. SPIRITVS DEI FECIT ME, ET SPIRACVLVM OMNIPOTENTIS VIVIFICAVIT ME. Iuxta Hebræum habetur, *Spiritus El fecit me, & flatus Saddai viuificabit me.* Rationem reddit ſuæ ſcientiæ & integritatis: quia communes quidem homines fecit El, me autem fecit ſpiritus El: ideſt, Dei fortis: ac per hoc ſum ſimilis ſpiritui Dei, ſum vnus illorum, de quibus paulo antè dixi, *ſpiritus eſt in homine, & flatus Omnipotentis facit eos intelligere.* propterea enim addit, *& flatus Saddai viuificabit me.* Futurum *viuificabit* reſpicit præteritum *fecit.* & eſt ſenſus quòd iugiter viuificor flatu Omnipotentis: hoc eſt, prodeuntibus ex intimis vincentis omnia, ideſt, arcanis myſteriis Dei viuificor iugiter.

Verſ. 4.

Verſ. 5. SI POTES. Legendum eſt, *Si poteris*, RESPONDE MIHI. Quia Iob dixerat ſe alloqui Deum, & cupere reſpondere Deo, ſemoto tamen terrore, ideo Elihu aſſumens perſonam Dei inuitat Iobem ad reſpondendum: ſi tamen valebit reſpondere. ad hoc enim ſpectat tota iſta clauſula quæ hinc incipit, ET ADVERSVS FACIEM MEAM CONSISTE. Iuxta Hebræum habetur, *ordina coram me, ſta.* hoc eſt, diſpone teipſum ac tuos ſermones coram me, & ne diuertas, ſed ſta audiens me, & reſpondens mihi.

Verſ. 6. ECCE, ET ME SICVT ET TE FECIT DEVS. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce ego, ſicut os tuum ad El.* Et eſt ſenſus, ecce ego in perſona Dei ſicut os tuum loquutum eſt. quæſierat enim Iob diſputare cum Deo. ET DE EODEM LVTO EGO QVOQVE FORMATVS SVM. Iuxta Hebræum habetur, *de luto formatus ſum etiam ego.* Verba hæc referri poſſunt ad præcedentem ſententiam, vt ſit ſenſus, ecce ego in factorem Dei quamuis de luto ſim formatus. Rectiùs tamen referuntur ad ſubiuncta: vt ſit ſenſus, de luto formatus ſum & ego, ſicut & tu, & propterea palàm excluditur ratio terroris.

Verſ. 7. VERVNTAMEN MIRACVLVM MEVM NON TE TERREAT, ET ELOQVENTIA MEA NON SIT TIBI GRAVIS. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce formido mea non terrebit te, & manus mea ſuper te non aggrauabit.* Quia pluries dixerat Iob ſe cupere agere cauſam ſuam cum Deo, ſeruatis his duabus conditionibus (videlicet quòd formido Dei non terreat eum, & manus Dei non aggrauetur ſuper eum) ideo Elihu loquuturus pro Deo, dicit quòd quia ipſe eſt formatus de luto, excluditur manifeſtè à Iobe terror, & manus aggrauatio: ac per hoc ſi poteſt reſpondeat. Et hîc finitur proœmium Elihu.

Verſ. 8. *Elihu ex ſermonibus Iob oſtendere nititur eum non eſſe iuſtum.* DIXISTI ERGO IN AVRIBVS MEIS, ET VOCEM VERBORVM TVORVM AVDIVI. Iuxta Hebræum habetur, *Tantùm dixiſti in auribus meis, & vocem verborum audiam.* Futurum *audiam* refertur ad præteritum *dixiſti*, & eſt ſenſus quòd ſubiuncta hæc, & non alia à Iobe dicta, intendit arguere, eligit ſiquidem & determinat materiam ſui ſermonis ex dictis à Iobe voce propria ipſius Iobis, audiente ipſo Elihu auribus propriis. Et Hebraico more Pronomen ſubintelligitur cum relatiuo: tantum dixiſti, hoc eſt, tantum hæc quæ dixiſti.

MVNDVS

Vers. 9. MVNDVS SVM EGO, ET ABSQVE DELICTO IMMACVLATVS, ET NON EST INIQVITAS IN ME. Iuxta Hebræum habetur, *Mundus ego, absque scelere mundus ego, & non iniquitas mihi.* Dictio interpretata *scelere*, significat peccatum ex contemptu, quæ sæpe interpretatur *rebellio:* dictio autem interpretata & hîc, & frequentissimè *iniquitas*, sonat peccatum studiose patratum, non tamen ex contemptu. Refertur itaque Iobis munditia ab vtroque peccati genere, ad differentiam peccatorum leuium, quæ ex humana fragilitate vitari non possunt.

Vers. 10. QVIA QVERELAS IN ME REPERIT, IDEO ARBITRATVS EST ME INIMICVM SIBI. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce, occasiones super me inueniet, reputabit me in inimicum sibi.* Verba hæc sonant executionem sententiæ illius, occasiones quærit qui vult recedere ab amico. Et quanuis *in cap.* 13. Iob dixerit, *quare faciem tuam abscondes, & reputabis me inimicum tibi,* nunquam tamen legitur dixisse quòd Deus occasiones inuenit super eum, sed Elihu assumpsisse videtur hanc sententiam ex verbis Iobis ibidem, *quia scribes super me amaritudines, & facies hæreditare me iniquitates pueritiarum mearum*, hæc enim interpretatus est Elihu *occasiones.* Secundùm tamen veritatem neutrum dixit Iob in sensu quem imponit ei Elihu: vt patet legenti capitulum illud, expositum iuxta Hebraicam veritatem. Hæc tamen vltimò dicta (scilicet, *reputabit me inimicum sibi*) potuit accipere Elihu ex verbis Iobis *cap.* 19. scriptis: vbi assertiuè Iob hoc dixit, dicendo, *reputauit me sibi sicut inimicos suos.*

Vers. 11. POSVIT IN NERVO PEDES MEOS, CVSTODIVIT OMNES SEMITAS MEAS. Iuxta Hebræum futuri temporis sunt verba, *ponet, obseruabit.* Et aiunt Hebræi significari cippum ligneum, pedes constringentem. Accepit autem Elihu hanc sententiam ex verbis Iobis ibidem scriptis, quorum sensum aliter accepit Elihu. nam Iob dixerat ad significandum fuisse in se cohibitam libertatem peccandi: Elihu verò interpretatus est quòd Iob dixerit fuisse sibi impositam difficultatem euadendi. sermo enim parabolicus à diuersis diuersimodè interpretatur.

Vers. 12. HOC EST ERGO, IN QVO NON ES IVSTIFICATVS. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce hoc non iustificasti.* Manifestat Elihu hæc dicta à Iob esse illa quæ non sunt iustificata, quæ iniusta sunt in quibus Iob iustitiam offendit, super quibus futurus est sermo. declarat siquidem Elihu hæc dicta à Iobe fore materiam circa quam versabitur disputatio: vniuersus siquidem sermo Elihu subiunctus, erit circa hæc Iobis dicta. Vnde & subiungit, *respondebo tibi*, arguendo hæc dicta à te. QVIA MAIOR SIT DEVS HOMINE. Iuxta Hebræum habetur, *quòd grandebit Eloah præ homine.* Dictio interpretata *grandebit*, potest est Chaldaica & Hebraica. & si Chaldaica est, verbum est à magnitudine deductum: ac per hoc rectiùs interpretatur *grandebit*, quàm *grandescet:* quoniam non fieri grandem, sed habere, seu exercere in seipso actum grandis significatur, quemadmodum *frigeo*, & *caleo* differunt à *frigesco*, & *calesco.* Si verò est Hebraica, verbum est deductum à multitudine quo caremus: sed quemadmodum comparatiuo *maior* vtimur etiam ad multitudinem (dum dicimus exercitus maior, multitudo maior) ita verbum *grandere* extendi potest vt significet grandere, vel secundùm magnitudinem, vel secundùm multitudinem: vtroque enim modo verificatur quòd grandebit Eloah præ homine. non est enim sensus quòd Deus in seipso grandebit plusquam homo: sed est sensus quòd Deus quatenus gubernat & iudicat, in sua gubernatione, in suo iudicio, grandebit plusquam homo, erit in actu maioritas tam secundùm magnitudinem, quàm secundùm multitudinem longè plus quàm homo. Verbi gratia, si homo habet aliquid iusti, longè maior iustitia est in Dei iudicio. & similiter si homo habet aliquas rationes pro sua iustitia, seu pro se, longè plures rationes sunt pro Dei iudicio, seu gubernatione. Et intendit Elihu per hæc verba manifestare fundamentum suæ responsionis, quòd ex isto principio (scilicet Eloah grandebit præ homine) respondebit arguendo dicta Iobis: quemadmodum enim summauit dicta Iobis contra quæ dicturus est, ita summat dicenda à se ad hanc sententiam tanquam principium ac fundamentum omnium dicendorum, tanquam in qua consistit vis totius responsionis.

Grandendi verbum.

Vers. 13. ADVERSVS EVM CONTENDIS, QVOD NON AD OMNIA VERBA RESPONDERIT TIBI. Iuxta Hebræum habetur, *Quare ad eum litigasti, quia omnia verba sua non respondebit.* Non recedit Elihu à pollicitis, sed recitata Iobis dicta arguere incipit à ratione dicendi. ratio enim dictorum Iobis fuit silentium Dei, non respondentis, hoc est, non manifestantis omnia verba sua. Et verum dicit Elihu, quanuis in alio sensu apud Iobem. nam Iob *in cap.* 13. & 23. concupiuit habere responsionem à Deo, hoc est, manifestationem, quòd afflictio quam patiebatur non erat punitio, sed probatio. hoc enim manifestari cupiebat, & per modum disputantis proponebat: sed tam Elihu, quàm tres socij Iobis afflictionem illam iudicabant esse punitionem. & propterea Elihu interpretatur verba Iobis in malam partem: tum quo ad modum dicendi, imponendo ei quòd litigauerit aduersùs Deum: tum quo ad quæsitum, imponendo ei quòd quæsierit vt Deus omnia sua verba dicat, respondendo ad quæsita: quum Iob nec somniauerit hoc. Latet & aliud impositum Iobi in hoc Dei silentio. vt enim subiuncta testantur, Elihu intellexit, seu inuertit quæstionem Iobis cupientis responsionem diuinam, tanquam Iob speraret quòd Deus diceret contrarium eius quod dixerat ipsa percussione. Elihu enim quia appellabat afflictionem Iobis punitionem (ac per hoc Deum per illam dicere Iobem esse iniustum) consequenter loquendo imponit Iobi speranti iustificationem causæ suæ à Deo, quod quæsierit vt Deus dicat contrarium eius, quod dixerat puniendo: & propterea arguendo Iobem dicit, *quare ad eum ligasti*, &c.

Vers. 14. SEMEL LOQVITVR DEVS, ET SECVNDO IDIPSVM NON REPETIT. Iuxta Hebræum habetur, *Quia in vna loquetur El, & in duabus non videbit eam.* Ita habetur ad verbum in Hebræo. Vbi clarè patet nihil dici de repetitione, sed de locutione & visione sermonem esse. Et est sensus quòd locutio Dei est sicut visio Dei, immo quòd locutio Dei imitatur visionem: ita quòd ex hoc quòd Deus videt rem non in duabus,

Loqui & videre in vna, pro loqui & videre absque mutatione.

Vnitas non patitur mutationem.

Loquitur Deus immutatus.

sed in vna, sequitur quòd Deus loquetur in vna. Appellat autem loqui & videre in vna, loqui & videre absque mutatione: loqui autem & videre in duabus, loqui & videre cum mutatione. Et Philosophicè loquitur: quoniam vnitas non patitur mutationem. quod enim penitus vnum perseuerat, immutabile omnino est: quo contra mutatio omnis absque pluralitate nequit intelligi. Est itaque germanus literæ sensus quòd immutatus loquetur Deus, quia immutatus videt, quia non cum mutatione videt quamcunque rem. Et per hoc directè confutat Iobem, præsupposito quòd afflictio Iobis fuerit punitio. nam hoc præsupposito Iob iustè punitus & impœnitens, sperando quòd Deus respondendo iustificaret ipsius causam, imponebat mutationem Deo. & propterea Elihu perspicaciter reddit rationem silentij diuini ex hoc quòd Deus loquitur immutatus: mutaretur enim Deus, si non mutato Iobe iustum diceret Iobem quem puniendo dicit iniustum. Huic sensui seruiunt tres subiuncti modi loquendi, quibus consueuit loqui Deus homini: immo ad manifestandum quasi per inductionem dialecticam quòd Deus loquitur immutatus, affert tres modos quibus loquitur nouiter Deus homini interueniente mutatione ex parte hominis: loquitur, inquam, ad faciendam mutationem alteram in homine. ex his enim clarè patet quòd noua locutio Dei ad hominem ad bonum ipsius hominis directa, non prouenit ex mutatione aliqua in Deo, sed ex mutatione hominis: ac per hoc Iob immutatus (vtpote impœnitens) vanè quærebat nouam locutionem Dei. Huc tendit sermo subiunctus in toto hoc capitulo.

Vers. 15. PER SOMNIVM IN VISIONE NOCTVRNA: QVANDO IRRVIT SOPOR SVPER HOMINES, ET DORMIVNT IN LECTVLO. Iuxta Hebræum quattuor hæc cum Præpositione eadem scribuntur: videlicet, *In somnio, in visione noctis, in cadente sopore super homines, in dormitionibus super lectum.* Et per duo prima diuersi gradus apparitionum, quæ fiunt dormientibus, scribuntur. quædam enim apparent ambigua, vt somnia: quædam vt manifestè significantia, vt visiones. Per reliqua verò duo, diuersi modi dormiendi occurrentes ad hæc insinuantur, videlicet vel per repentinum soporem, vt contigit Abrahæ, *Genes.* 15. vel per ordinariam dormitionem, vt sæpe contingit.

Apparitiones Dei.

Deus quomodo homini loquatur vt erudiat illum.

Vers. 16. TVNC APERIT AVRES VIRORVM, ET ERVDIENS EOS INSTRVIT DISCIPLINA. Iuxta Hebræum habetur, *Tunc patefaciet aurem virorum, & in eruditione eorum sigillabit.* Ecce primus modus quo nouiter Deus loquitur homini, non mutato Deo, sed mutato homine de vigilia in somnum. tunc enim per somnium, seu visionem loquitur Deus, patefaciendo internam hominum aurem (hoc est, ad instar detegentis aurem corpoream hominis audientis ne velamen auris impediat auditionem) & erudit eos sigillando. Quia de noua locutione Dei ad hominem est sermo, ideo consequenter loquendo, describit hominem cui, loquitur Deus, percipientem aure: locutio enim percipitur auditu. Velamen autem quod tollit Deus patefaciendo aurem hominum, impedimentum est internum, vel inordinati motus phantasmatum, vel dispositionis alicuius humoris attentionem animæ ad somnium, seu visionem prohibentis. Eruditio autem sigillatur, cùm imprimitur ac firmatur in mente hominis ipsum somnium, seu ipsa visio, erudiens eum, ad differentiam somniorum quæ euanescunt à mente hominis.

Locutionis Dei ad homines modi tres. Primus.

Vers. 17. VT AVERTAT HOMINEM AB HIS QVÆ FECIT. Iuxta Hebræum habetur, *Ad faciendum recedere hominis opus.* Quattuor fines, seu fructus huiusmodi eruditionum scribuntur. primus est quòd homo facturus opus aliquod, eruditur ne faciat illud. ET LIBERET EVM DE SVPERBIA. Iuxta Hebræum habetur, *& altitudinem à viro tegat.* Secundus fructus est tollere ab animo hominis appetitum alicuius celsitudinis affectatæ. Et hic fructus describitur sub metaphora tegentis altitudinem homini. quod enim alicui tegitur, negatur videndum, ac per hoc appetendum. eruditur siquidem homo quandoque per somnia vt non tendat ad talem celsitudinem.

Eruditionum eiusmodi fines, seu fructus quatuor. Primus. Secundus.

Vers. 18. ERVENS ANIMAM EIVS A CORRVPTIONE. Iuxta Hebræum habetur, *Prohibebit animam eius à fouea.* Tertius fructus est quòd homo eruditur ad euitandum aliquod periculum fortuitum, significatum per casum in foueam. ET VITAM ILLIVS VT NON TRANSEAT IN GLADIVM. Quartus fructus est quòd eruditur quandoque homo per somnia ad euitandum suiipsius interfectionem ab hostibus, seu aliis. Et enumerauit Elihu tot fructus somniorum, ad probandum quòd Deus qui gubernat homines, est ille, qui per somnia loquitur homini. ex istis siquidem effectibus bonis intelligi vult quòd actor eorum est gubernator noster summè bonus.

Tertius.

Quartus.

Vers. 19. INCREPAT QVOQVE PER DOLOREM IN LECTVLO. Iuxta Hebræum habetur, *Et castigabitur in dolore super lectum suum.* Secundus modus loquendi quo Deus locutione noua alloquitur hominem, describitur inchoando à naturali ægritudine qua laborat quandoque homo vsque ad portas mortis. Appellat autem ægritudinem *castigationem*, eo quòd relata ad Deum gubernantem omnia, species est castigationis qua castigat homines, quanuis relata ad compositionem hominis sit defectus naturalis. Magnitudo autem ægritudinis describitur multipliciter. nam primùm à situ, dicendo, *super lectum meum:* & à dolore extenso ad omnia ossa eius subiungendo, ET OMNIA OSSA EIVS MARCESCERE FACIT. Iuxta Hebræum habetur, *& multitudo ossium eius fortitudine.* hoc est, vehementia doloris.

Deus quomodo loquatur vt increpet

Locutionis Dei secundus modus

Castigatio, pro ægritudine.

Ægritudinis magnitudo.

Vers. 20. ABOMINABILIS EI FIT IN VITA SVA PANIS, ET ANIMÆ ILLIVS CIBVS ANTE DESIDERABILIS. Describitur consequenter magnitudo ægritudinis ab abominatione cibi: & litera est clara.

Vers. 21. TABESCET CARO EIVS, ET OSSA QVÆ TECTA FVERANT, NVDABVNTVR. Iuxta Hebræum habetur, *Prohibebit carnem suam à visu, & contusa sunt ossa eius, non sunt visa.* Macies tanta describitur ex ægritudine quòd non remanet in ægro caro quæ videatur. & similiter ossa describuntur depressa tanquam fuerint contusa, ita quòd non discernantur à visu.

Vers. 22. APPROPINQVABIT CORRVPTIONI ANIMA EIVS, ET VITA ILLIVS MORTIFERIS. Iuxta Hebræum habetur, *Et appropinquabit ad foueam anima eius, & vita eius morituris.* De fouea sepulchri est sermo. & ægritudo describitur tanta vt æger perueniat ad

ad hoc quòd sit similis morituris ac proximis sepulturæ.

Vers. 23. SI FVERIT PRO EO ANGELVS LOQVENS VNVS DE MILLIBVS, VT ANNVNTIET HOMINIS ÆQVITATEM. Iuxta Hebræum habetur, *Si est super eum Angelus interpres, vnus de millibus, ad annuntiandum homini rectitudinem eius.* Scito prudens Lector quòd sæpe Hebraicus sermo significat per casum datiuum fauorem. & propterea quum hîc dicitur, ad annuntiandum homini, sensus est ad annuntiandum in fauorem hominis. officium siquidem Angeli describitur annuntiare Deo in fauorem hominis ægri rectitudinem vitæ ipsius ægri, quòd scilicet vitam duxerit rectam rectitudine morali. Et Angeli nomine intellige substantiam spiritualem, interpretem, hoc est, mediatorem ac intercessorem: vnum autem ex millibus, hoc est, aliquem ex innumerabili Angelorum multitudine, iuxta scripta superiùs *in cap.* 25. quicunque Angelus ille sit. Dicit itaque quòd si appropinquante ægro ad mortem, Angelus mediatorem se exhibuerit annuntiando Deo in fauorem ægri rectitudinem ægri. Et introducit Elihu in hac noua Dei locutione ad hominem Angelos intercessores, ad complectendum modum quo Deus immutatus loquitur nouiter ob mutationem interuenientem in Angelis.

Angeli officium in annuntiando de homine ægro.

Angelus, pro substantia spirituali.

Interpres, pro mediatore ac intercessore.

Vers. 24. MISEREBITVR EIVS, ET DICET. Iuxta Hebræum habetur, *Et misertus est eius, & dixit.* Duo proposuerat de Angelo. alterum, si est interpres: alterum annuntiare in fauorem hominis rectitudinem eius. & propterea declarando modum primi dicit de Angelo, *& misertus est eius.* Ratio quare Angelus exhibet se mediatorem, describitur misericordia erga ægrum. declarando verò modum quo Angelus in fauorem hominis annuntiat rectitudinem eius, subiungit, *& dixit Angelus Deo*, LIBERA EVM, VT NON DESCENDAT IN CORRVPTIONEM, INVENI IN QVO EI PROPITIER. Iuxta Hebræum habetur, *redime eum à descensu in foueam, inueni pretium.* Dictio interpretata *pretium*, significat pretium non integrum. Supplicatio Angeli pro homine, declaratur in modo quo Angelus annuntiat Deo. supplicando enim dicit, *redime eum à descensu in foueam*, quia inueni in eo aliquid pretij pro ipsius redemptione ab imminente morte. Et vtitur redemptione ac pretio, ad insinuandum quòd rectitudo viri ægri proponitur ab Angelo tanquam pretium pro redemptione ab imminente morte. Et quia rectitudo ægri non plenè merebatur sanitatem, ideo pretium minus describitur, & suppetiæ Angelici suffragij adiunguntur vnà cum noua oratione ipsius ægri, quæ oratio transponitur in litera, iuxta metrorum consuetudinem.

Supplicatio Angeli pro homine.

Vers. 25. CONSVMPTA EST CARO EIVS A SVPPLICIIS, REVERTATVR AD DIES ADOLESCENTIÆ SVÆ. Iuxta Hebræum habetur, *Tenerior effecta est caro eius pra pueritiis, reuertetur ad dies pueritiarum suarum.* Transposita est hæc clausula, qua narratur vltimus effectus diuinæ gratiæ in hoc ægro, quòd sic rediit ad sanitatem, quòd caro eius creuit tenera delicata magis, quàm caro puerorum, & hoc progressu reuertetur ad dies pueritiæ suæ, hoc est, ad dies augmenti carnis & roboris. & propterea clausula hæc intelligenda est ac si fuisset scripta in calce huius tractatus.

DEPRECABITVR DEVM, ET PLACABILIS EI ERIT. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Orabit ad Eloah, & voluit eum.* Ecce oratio ægri subsecuta orationem Angeli, & consequenter describitur noua locutio Dei ad ægrum, dicendo de Deo, *& voluit eum.* Dictio tamen interpretata *voluit*, voluntatem complacentiæ significat: nec malè interpretatur, *& gratificatus est ei.* describitur enim Deus mutato tam Angelo, quàm homine ægro supplicando, nouiter loquens immutatus, loquens autem bis, prius castigando cũ mutatione hominis de sano in ægrum, & postea gratiam conferendo sanitatis, interuenientibus supplicationibus Angeli & hominis ægri. ET VIDEBIT FACIEM EIVS IN IVBILO, ET REDDET HOMINI IVSTITIAM SVAM. Iuxta Hebræum præteriti temporis sunt verba, *vidit, reddidit.* Et istæ quoque transpositæ sunt particulæ. nam actio Dei, *& reddidit homini iustitiam eius*, prior fuit quàm actio hominis, *& vidit faciem eius in iubilo*: & postrema est sanitas suprascripta. Quia autem per modum redemptionis gratia ista introducta est, ideo consequenter dicitur quòd Deus reddidit homini ægro iustitiam eius, hoc est, id quod merebatur rectitudo eius. Vbi aduerte quòd quia rectitudo erat pretium insufficiens, ideo duæ actiones attribuuntur Deo. prima est gratificatio, secunda reddere ius: quia fecit partim iustitiam, & partim gratiam. Videre autem faciem Dei in iubilo, effectus est in agro reuiuiscente, dum exhilaratus agnoscit beneficium curationis à Deo tanquam videns Deum placatum sibi. Vers. 26.

RESPICIET HOMINES. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Respiciet super homines.* Tertius modus quo nouiter loquitur Deus homini, incipit describi. & est sermo de visione non solùm speculatiuè, sed practicè, qua Deus videt homines gubernando eos. Introducit autem Deum respecturum super homines, tum ad insinuandum specialem curam de hominibus præ cæteris animantibus, vtpote quia indesinenter hominibus imputat peccata ad pœnam, & bona opera ad præmium: quæ cura non habet locum circa alia animantia, quia carent libero arbitrio tum ad insinuandum Deum esse ad quem dirigitur veniæ petitio à peccatore verè pœnitente. tum ad insinuandum hunc tertium loquendi modum, vt inferiùs declarabitur. ET DICET. Iuxta Hebræum habetur, *& dixit.* proculdubio homo peccator Deo prospicienti super homines. PECCAVI, ET VERE DELIQVI, ET VT ERAM DIGNVS NON RECEPI. Iuxta Hebræum habetur, *peccaui, & rectum tortificaui, & non profuit mihi.* Dicendo *peccaui*, humiliat se Deo, confitendo se peccasse. dicendo verò, *& rectum tortificaui*, manifestat se agnoscere quòd peccatum consistit in declinatione à recto. ad instar siquidem virgam rectam tortificantis describit peccantem: quia secundùm veritatem peccatum consistit in actione obliqua relatiuè ad rectum moraliter. Dicendo autem, *& non profuit mihi*, manifestat peccatum non solùm contrariari bono honesto per hoc quòd contrariatur recto, sed est contrariari bono tam vtili, quàm delectabili. Et verum dicit, quia quamuis materia in quam peccatur, sit quandoque homini peccanti vtilis, aut delectabilis: ipsum tamen peccatum nec vtile ei est, nec delectabile. Vers. 27.

Locutionis Dei ad hominem modus tertius.

Vers. 28. LIBERAVIT ANIMAM SVAM NE PERGERET IN INTERITVM, SED VIVENS LVCEM VIDERET. Iuxta Hebræum habetur, *Redemit animam ſuam a tranſitu in foueam, & vitam ſuam in luce videbit.* Introducto Deo proſpiciente ſuper homines, & homine peccatore pœnitente confitendo Deo peccatum ſuum, debebat conſequenter ſubiungi locutio Dei (quæ principaliter intenditur,) & tamen tacita locutione Dei, deſcribitur effectus, dicendo de homine pœnitente, *redemit animam ſuam*, proculdubio pœnitendo, & confitendo peccatum ſuum Deo: redemit autem tum à tranſitu in foueam ſepulchri (per quod inſinuatur quòd propter peccatum merebatur mori); tum ab aduerſitatibus præſentis vitæ, dicendo, *& vitam ſuam in luce videbit.* ſignificat enim per *lucem* proſperitatem: & per hoc inſinuat quòd per peccatum merebatur pati aduerſitates præſentis vitæ. Et dicendo *redemit*, manifeſtat quòd huiuſmodi humilis pœnitudo vim redemptionis habet à malis præſentis vitæ quæ homo meritus eſt peccando. eſt enim, vt Elihu putat, vera pœnitentia tanquam pretium ſufficiens ad liberandum hominem à merito pœnarum, quod meritum incurrerat peccando. Et hinc elicitur modus loquendi quo Deus loquitur homini verè pœnitenti, videlicet non imputando ad pœnam homini peccatum quod fecerat. arbitratus eſt ſiquidem Elihu quòd Deus gubernando homines, ſtatuerit verè pœnitentibus non imputanda fore peccata ad pœnam, ita quòd ipſa pœnitentia ſit loco pœnæ. & propterea Deus loquitur pœnitenti non noua aliqua actione, ſed ſeruando ſtatutum ſuum, loquitur negatiuè, hoc eſt, non imputando peccatum ad pœnam. Et ad hunc loquendi modum inſinuandum introduxit Deum reſpicientem ſuper homines tanquam incumbentem gubernationi hominum ſecundùm ſtatuta ab ipſo Deo: & introducit hominem voluntaria pœnitudine redimere vitam ſuam ab aduerſitatibus & morte. Immutatus itaque Deus loquitur homini mutato de peccatore in pœnitentem, non imputando ei peccata ad pœnam.

Lux, de proſperitate.

Aduerte prudens Lector quòd Elihu errans in principio, errat conſequenter in concluſione: nam ex hoc quòd errauit putans ſancta opera hominis mereri duntaxat bona præſentis vitæ, & peccata non imputari niſi ad pœnas præſentis vitæ, errauit conſequenter in hoc quòd poſuit Deum ignoſcere pœnitenti, non conferendo internum gratiæ donum in anima pœnitentis, ſed non imputando ad pœnam præſentis vitæ peccata commiſſa.

Vers. 29. & 30. ECCE HÆC OMNIA OPERATVR DEVS TRIBVS VICIBVS PER SINGVLOS. VT REVOCET ANIMAS EORVM A CORRVPTIONE, ET ILLVMINET LVCE VIVENTIVM. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce omnia hæc operabitur El, bis ter cum homine. Ad faciendum reuerti animam eius a fouea, ad illuminandum in luce viuentium.* Explanatis tribus modis, quibus immutatus Deus noua locutione loquitur homini interuenientibus mutationibus ex parte hominis, adiungit Elihu quòd omnia hæc ſuprà dicta operatur Deus fortis cum homine non ſemel, ſed bis, aut ter ad bonum hominis in præſenti vita, ad reuocandum eum à morte, ad dandum illi proſperitatem viuentium in hoc ſæculo.

Vbi prudens Lector collige quòd quamuis inter iſtos tres loquendi modos multæ inſinuentur differentiæ (puta quòd locutio prima fit reuelando per ſomnia, ſeu viſiones, ſecunda curando ægritudines, tertia non imputando peccata ad pœnam: & ſimiliter in prima interuenit mutatio hominis ex vſu ſenſuum in alienationem ab vſu ſenſuum; in ſecunda verò mutatio tam Angeli, quàm hominis recti ad ſupplicandum, in tertia autem mutatio hominis peccatoris in verè pœnitentem, conueniunt tamen omnes in hoc quòd finis ac fructus eſt vitatio malorum præſentis vitæ & aſſecutio bonorum præſentis vitæ. hæc enim manifeſtè ſubiungit Elihu, deſcribendo vitationem malorum per reuerſionem à tranſitu in foueam ſepulchri, & periculorum: acquiſitionem verò bonorum per illuminationem in luce proſperitatis viuentium in hoc ſæculo. Et hîc finitur ſermo Elihu ad Iob de ratione dictorum, quòd ſcilicet Deus non reſpondet Iobi. per hæc enim manifeſtaſſe ſe arbitratur Elihu quòd fruſtrà Iob cupit reſponſionem Dei, niſi mutetur de peccatore in verè pœnitentem, quia Deus ipſe non mutatur.

Vers. 31. ATTENDE IOB, AVDI ME: TACE, ET EGO LOQVAR. Reprehenſurus Elihu dicta Iobis ſuperiùs recitata, inuitat eum ad tacendum, audiendum, & attendendum ſermoni ſuo.

Vers. 32. SI SVNT SERMONES, RESPONDE MIHI. Ne videatur negare Iobi tempus reſpondendi ad prædicta, offert illi commoditatem reſpondendi antequam tranſeat ad ſermonem principaliter intentum. VOLO ENIM TE APPARERE IVSTVM. Iuxta Hebræum habetur, *quia volui iuſtificare te.* Habere ſe intentionem rectam erga Iobem dicit Elihu. accendit ſiquidem Iobem ad reſpondendum obiectis, quia non appetit damnationem, ſed iuſtificationem Iobis. Et dicit *volui*, inſinuans quòd cum hac intentione incepit loqui.

Vers. 33. SI NON SVNT, AVDI ME: TACE, ET DOCEBO TE SAPIENTIAM. Vide arrogantiam iuuenilem.

CAPVT XXXIV.

Vers. 1. PRONVNTIANS ITAQVE ELIHV, ETIAM HÆC LOCVTVS EST. Iuxta Hebræum habetur, *Et reſpondit Elihu, & dixit.* Promiſerat in præcedenti capitulo, *reſpondebo tibi*: exequitur modò.

Vers. 2. AVDITE SAPIENTES VERBA MEA, ET SCIENTES AVSCVLTATE ME. Sermonem reſponſiuum dirigit non tam ad Iobem, quàm ad ſocios Iobis, quos vocat ſapientes & ſcientes, tanquam arbitros, atque cenſores dicendorum: & quos paulo antè arguerat inſufficientiæ, modò inuocat tanquam doctos & ſapientes. Cerne paſſionem, vt ipſe loqueretur arguit illos, vt dicta eius probentur, laudat illos.

Vers. 3. AVRIS ENIM VERBA PROBAT, ET GVTTVR ESCAS GVSTV DIIVDICAT. Rationẽ reddit quare rogat eos vt audiant & auſcultent verba eius: quia auris officium eſt diſcernere verba, quemadmodum officium palati eſt diſcernere cibos, & hoc ſuperiùs Iob dixerat.

Vers. 4. IVDICIVM ELIGAMVS NOBIS, ET INTER NOS

NOS VIDEAMVS QVID SIT MELIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Iudicium electum eſt nobis: cognoſcemus inter nos quid bonum.* Non eligendum, ſed iam electum, & in præcedenti capitulo manifeſtatum iudicium, diſcutiendum ac tractandum dicit: quia iam propoſuerat cauſam diſcutiendam ex verbis Iobis ſumptam. & conſequenter tanquam ſocios ad diſcernendum & iudicandum ſimul cum ipſo inuitat, dicendo, *cognoſcemus inter nos quid bonum*, in electa cauſa eſt.

Verſ. 5. QVIA DIXIT IOB: IVSTVS SVM, ET DEVS SVBVERTIT IVDICIVM MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *Quia dixit Iob: Iuſtificaui, & El fecit recedere iudicium meum.* Fideliter refert Elihu verba Iobis ſcripta *in cap.* 27. iuxta Hebraicam veritatem: nec digreditur Elihu ab electa & propoſita materia, ſed eandem ſub aliis verbis reſumit. Aduerte tamen quòd Iob dixerat hæc ad ſignificandum quòd Deus affligendo eum poſuerat iudicium Iobis ſeorſum, hoc eſt, non vſus fuerat iuſtitia punitiua: Elihu verò interpretatus eſt Iob dixiſſe quòd Deus fecit iniuſtitiam. & contra hunc ſenſum longo ſermone inferiùs inuehetur.

Iob accuſatur blaſphemiæ, & alterum criminum.

Verſ. 6. IN IVDICANDO ENIM MENDACIVM EST. iuxta Hebræum habetur, *Super iudicium meum faciam mentiri.* Hæc ſententia relatiuè ad Deum (hoc eſt, ad iudicium factum, aut faciendum à Deo) nunquam inuenitur dicta à Iobe: ſi refertur autem ad iudicium à ſociis factum, inuenitur dicta à Iobe bis, ſemel *in cap.* 6. & iterum *in cap.* 13. vtrobique enim arguit ſocios falſitatis: & quòd amplius eſt *in cap.* 13. arguit eos doli pro Deo. Et iuxta hunc ſenſum fideliter refertur hanc ſententiam dixiſſe Iobem, videlicet quòd faciet mendaces cenſentes afflictionem ſuam eſſe Dei iudicium puniens ipſum. ET VIOLENTA SAGITTA MEA ABSQVE VLLO PECCATO. Iuxta Hebræum clariùs legeretur, *confractus ſagitta mea abſque ſcelere.* Et dixit Iob hoc *in cap.* 16. iuxta Hebraicam veritatem. ibi enim dixit & iurauit ſe eſſe mundum, & ſciſſum ſe deſcripſit à ſagittariis. Dictio interpretata *ſcelere*, illa eſt quæ ſonat peccatum ex contemptu. &, vt diximus, hæc ad electam ſpectant materiam: & ideo abſque digreſſione recitata ſunt.

Verſ. 7. QVIS EST VIR VT EST IOB: QVI BIBIT SVBSANNATIONEM QVASI AQVAM? Reſumpta materia, inuehitur primùm in perſonam Iobis, deteriorem dicens ipſum hominibus cæteris: probans hoc à tribus. primum, quia quaſi pro refrigerio animi vtitur ſubſannatione, ad inſtar bibentis aquam pro refrigerio. Et quia Elihu non explicat ſubſannatos, ideo ambiguum reſtat an intendat ſubſannationem ſociorum, an de ſubſannatione diuini iudicij circa eum, appellando ſubſannationem dictum Iobis de propria innocentia, eo quòd dicendo ſe innocentem tam vehementer afflictum, in deriſum ponebat iudicia Dei, vt ipſi putabant. Et hic ſenſus videtur complectendus, quia directè conſonat metaphoræ potus aquæ ad refrigerium. putabant enim iſti quòd Iob ſic ſe conſolaretur eximendo ſe ab iniquis, qui merentur propter peccata ſua puniri.

Verſ. 8. QVI GRADITVR CVM OPERANTIBVS INIQVITATEM, ET AMBVLAT CVM VIRIS IMPIIS. Probat ſecundò Iobem deteriorem ex eo quòd ibit in ſocietate operantium iniquitatem: & tertiò ex eo quòd perſeuerat cum viris impietatis. ideo deterior cæteris cenſetur Iob, quia ſubſannationi diuinorum iudiciorum adiungit perſeuerantem impietatem in animo, & iniquitatem in opere.

Verſ. 9. DIXIT ENIM: NON PLACEBIT VIR DEO, ETIAM SI CVCVRRERIT CVM EO. Iuxta Hebræum habetur, *Non proderit viro in complacere ſuo cum Elohim.* Et eſt ſenſus quòd complacentia bonorum operum ſecundùm legem Dei, non proderit homini: hoc eſt, quòd bene facere ex amore Dei gubernatoris ac iudicis, non proderit homini. Duo autem dicta citra hoc fuerant à Iobe *in cap.* 30. alterum per modum exceptionis, quòd non proſunt preces ad Deum pro euitanda morte quando homo iam eſt confractus ægritudine ad mortem. alterum quòd ipſe Iob vacauit operibus miſericordiæ: & quando ſperauit bonum, venit malum, quando expectauit lucem, venerunt tenebræ. ex his ſiquidem dictis à Iobe, elicita eſt ab Elihu hæc ſententia hic recitata. & fideliter quidem intelligendo quòd non proderit ad bona præſentis vitæ: hoc eſt, quòd non oportet prodeſſe ad bona præſentis vitæ. in hoc enim ſenſu habetur hæc ſententia ex Iobe. Et recitantur etiam hæc ab Elihu, quia pertinent ad propoſitam materiam: immo ſunt velut anima materiæ propoſitæ. Iob ſiquidem afflictus affirmando ſe iuſtum, ſuper hoc ſe fundat quòd ſancta & Deo gratiſſima opera hominis non oporteat prodeſſe homini ad bona præſentis vitæ: cuius contrarium ſentiebant Elihu, & tres Iobis ſocij, & ſapientes ab eis ſuperiùs citati.

Opera bona non prodeſſe homini ad bona præſentis vitæ.

Verſ. 10. IDEO VIRI CORDATI AVDITE ME. Tanquam indignus refutatur Iob peior omnibus, & ſocij eius tanquam viri cordis (hoc eſt, vigentes corde, vigentes voluntate bona) præferuntur audituri. ABSIT A DEO IMPIETAS, ET AB OMNIPOTENTE INIQVITAS. Incipit Elihu reprehendere dicta Iobis recitata. & quia malè interpretatus verba Iobis, intellexerat Iobem dixiſſe quòd Deus ſecum iudicium iniuſtum feciſſet, ideo defendendo iuſtitiam Dei inchoat Elihu ab hoc, videlicet quòd longè eſt à Deo impietas in animo, & iniquitas in opere. & primò Deus nominatur *El*, ſecundò *Saddai*: quæ nomina ſunt ſæpe expoſita.

Æquitas iudicij diuini oſtenditur ab Elihu.

Verſ. 11. OPVS ENIM HOMINIS REDDET EI, ET IVXTA VIAS SINGVLORVM RESTITVET EIS. Probat diuinam iuſtitiam ab vtraque parte iuſtitiæ, videlicet à reddere ius, & à non facere iniquum. Et primam quidem partem affert, dicens, quia reddet homini iuxta opus eius: & non ſolùm iuxta opus, ſed etiam iuxta viam (hoc eſt, ſtudium) vniuſcuiuſque. Alteram verò partem ſubiungit:

Verſ. 12. VERE ENIM DEVS NON CONDEMNABIT FRVSTRA, NEC OMNIPOTENS SVBVERTET IVDICIVM. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam profectò El non impiabit, & Saddai non tortificabit iudicium.* Quia caremus verbo correſpondente verbo Hebraico, ideo vſurpamus *impiare*, pro cenſere impium. & eſt ſenſus quòd certum eſt Deum fortem non iudicare impium eum, qui non eſt impius: & ſimiliter Omnipotentem non tortificare iudicium.

Impiare, pro cenſere impium.

Verſ. 13. QVEM CONSTITVIT ALIVM SVPER TERRAM? AVT QVIM POSVIT SVPER ORBEM QVEM FABRICATVS EST? Iuxta Hebræum habetur,

betur, *Quis visitauit super eum terram? & quis posuit habitabilem vniuersam eam*: Intendens Elihu probare vtranque partem iustitiæ diuinæ, incipit a parte negatiua, quam vltimò proposuerat. probat enim quod Deus non facit totum, ex hoc quòd ipse est qui iudicat mundum, & non accipit personam hominis: hæc enim duo argumenta assumit. Et primæ quidem rationis nexum constituit super diluuium vniuersale, dicendo, *Quis visitauit super eum* hoc est, hominem *terram*: quasi dicat, nisi ipse Deus. Verè enim Deus visitauit terram diluuio super hominem, hoc est, propter peccata hominis. puniuit enim terram cum omnibus animantibus propter hominem. Et quia saluauit Noe cum filiis a quibus habitatus est orbis terrarum, ideo subiungit, *& quis posuit habitabilem vniuersam eam*, scilicet terram: quasi dicat, nisi ipse Deus. Opus itaque Dei quo puniuit terram diluuio vniuersali propter hominem, saluando aliquos ad habitandum vniuersum orbem, affertur primum. & deinde augendo opus Dei quid posset
Vers. 14. iuste facere, subiungit. SI DIRIXERIT AD EVM
Vers. 15. COR SVVM, SPIRITVM ILLIVS ET FLATVM AD SE TRAHET. DEFICIET OMNIS CARO SIMVL, ET HOMO IN CINEREM REVERTETVR. Iuxta Hebræum habetur, *Si ponet ad eum cor suum, spiritum suum, & flatum suum ad se congregabit. Consumetur omnis caro simul: & homo in puluerem reuertetur.* Pronomen *eum* demonstrat hominem, & est sensus quòd si Deus ponet cor suum ad hominem exactius discutiendum, iudicandum ac puniendum, Deus congregabit ad seipsum spiritum suum, ac flatum suum. Metaphora est ad instar hominis continentis in seipso quæ sua sunt: spiritus enim Dei congregandus ad Deum, sonat communicationem, seu conseruationem spiritus (hoc est, rationalis animæ) in hominibus: flatus verò communicationem, seu conseruationem animæ sensitiuæ, quæ in viuentibus seruatur respirando, vel aliquo proportionali. Est itaque sensus quòd si Deus vellet exactiùs punire hominem, subtraheret communionem vitæ rationalis ac sensitiuæ: ac per hoc periret simul omnis caro animalium, piscium, & auium, & homo in puluerem reuerteretur. Aptè Elihu operi diuino in diluuio vniuersali propter peccata hominum annectit opus Dei quod posset iustè facere, propter peccata hominum, delendo totaliter hominem cum omnibus animantibus. Et facilitas operis insinuatur in hoc quòd sola congregatione ad se spiritus sui, & flatus sui, hoc faceret Deus: quod est dicere quòd sola subtractione communionis suæ hoc faceret. Aptè, inquam: quia hinc apparet quòd in diluuio vniuersali Deus non exercuit iustitiam exacte cum genere humano, sed clementer saluauit quosdam ad propagationem humani generis, & quædam animalia ad propagationem animalium.

Vers. 16. SI HABES ERGO INTELLECTVM, AVDI QVOD DICITVR: ET AVSCVLTA VOCEM ELOQVII MEI. Iuxta Hebræum habetur, *Et si intelligentia, audi hoc: ausculta vocem verborum meorum.* Attulerat Elihu duo diuina opera propter peccatum hominis: alterum factum, alterum quod posset facilè facere: & non explicarat quorsum hæc attulerit. & ideo dirigendo sermonem ad Iobem ait, *& si est intelligentia* tecum ad penetrandum mysteria horum dictorum, *audi, ausculta*, &c.

NVNQVID QVI NON AMAT IVDICIVM, SANARI POTEST. Iuxta Hebræum habetur, *Num etiam osor iudicij dominabitur?* Declarat quorsum hæc diuina opera attulerit, videlicet ad ostendendum quòd Deus non inique iudicat puniendo. declarat autem deducendo ad absurda quatuor. Quorum primum est, *num etiam osor iudicij dominabitur*, simpliciter & absolutè. quamuis enim multi Principes osores iustis dominentur ad tempus, dominentur alicubi, non solùm tamen absurdum, sed impossibile est quòd osor iudicij dominetur simpliciter & absolutè, hoc est vbique, semper & super omnia. opera enim duo allata monstrant Deum dominari simpliciter & absolutè. ET QVOMODO TV EVM QVI IVSTVS EST INIQVVM CONDEMNAS? Iuxta Hebræum habetur, *& num iustum multum impiabit?* Alterum absurdum deducitur: & metri causa iustum multum dicit pro multitudine iusta, perinde acsi dixisset, num multitudinem iustam impiabit. Ex operibus enim allatis apparet quòd Deus genus humanum ferè totum puniuit, & totum punire posset: & si Deus iniquè iudicaret, sequeretur hoc absurdum quòd multitudinem iustam censeret impiam.

Dominiũ Dei simplex, & absolutum.

Iustum multum, pro multitudine iusta.

Vers. 18. QVI DICIT REGI, APOSTATA: QVI VOCAT DVCES IMPIOS. Iuxta Hebræum habetur, *An dicendum Regi, Beli-iahal: impius ad Principes?* Tertium absurdum est quòd esset dicendum vniuersorum Regi *Beli-iahal* (hoc est, absque iugo iustitiæ) si Deus iudicaret iniquè. Quartum autem absurdum est quòd dicendum esset *impius* agmini Angelorum qui sunt ministri Dei, qui hic appellantur Principes, seu nobiles. si enim Deus iudicaret iniquè, ministri quoque eius impij essent exequendo. Et addidit hoc Elihu, carpendo Iobem qui dixerat in cap. 9. *terra data est in manu impij*, & *in cap.* 16 quòd *Deus dedit eum in manu iniqui*, loquens vtrobique de Satana.

Belial quid nominis.

Principes hoc, de Angelis.

Vers. 19. QVI NON ACCIPIT PERSONAS PRINCIPVM, NEC COGNOVIT TYRANNVM CVM DISCEPTARET CONTRA PAVPERIEM. Ecce altera ratio ad manifestandum quòd Deus non iudicat iniquè: & argumentum est satis clarum. Hebraicè tamen sententia hæc scribitur sic, *Qui non eleuauit facies Principum, & non est agnitus dives coram paupere.* Vitium acceptionis personarum excludit a Deo ex negatione respectus in iudicio ad dominos & ad diuitem litigantem cum paupere. OPVS ENIM MANVVM EIVS SVNT VNIVERSI. Ratio quare non accipit personam hominis, redditur ex eo quòd omnes homines sunt opus manuum Dei. ex hoc enim manifesta ratio consurgit quòd Deus nullam habet rationem respiciendi magis dominum, quam seruum, diuitem, quàm pauperem, nec ex parte sui, nec ex parte eorum: vtpote qui eos omnes fecit pares in natura. paritas enim significatur per ministerium manuum diuinarum: ita quòd non fecit diuitem propriis manibus, & pauperem per ministros.

Personarum acceptio à Deo exclusa.

Paritas per ministerium manuum diuinarum significata.

SVBITÒ MORIENTVR. Postquam probauit partem negatiuam (videlicet quòd Deus non iudicat iniustè) probat partem affirmatiuam priùs propositam, videlicet quòd Deus reddit vnicuique secundum opera eius. Et vt penetres ordinem atque vim progressus subiuncti, scito quòd Elihu vtens illa Philosophorum regula, si vnum contrariorum est, inuenitur quoque & Vers. 20.

alterum,

alterum, format duas distinctiones. Altera est, Deus punit quosdam Principes repentina morte, extinguendo simul principatum: quosdam autem punit occidendo quidem Principes, sed relinquendo principatum. Altera est, Deus quosdam punit absque spatio pœnitentiæ post percussionem: quosdam autem punit dando eis post percussionem tempus pœnitendi. Et intendit per hæc percutere Iobem, collocando eum sub hoc vltimo membro: vt clarè verba ipsius Elihu in calce huius capituli testantur.

Declaraturus itaque quòd Deus reddit vnicuique secundùm opera eius, declarat hoc in Principibus, continuando præcedentem sententiam quòd Deus non respicit in iudicio Principes plusquam alios. Et introducit diuinam iustitiam quæ quandoque exercetur repentina morte tyrannorum cum extinctione principatus. & mors quidem repentina describitur, dicendo, *subito morientur*, Principes aliqui: extinctio verò principatus describitur subiungendo, ET IN MEDIA NOCTE CVRVABVNTVR POPVLI, ET PERTRANSIBVNT, ET AVFERENT VIOLENTVM ABSQVE MANV. Iuxta Hebræum habetur, *& media nocte tremens populus, & transibunt, & facient recedere fortem non in manu* Describitur repentina mors Principis in medio noctis. ita quòd in ipsa media nocte, audita repentina morte Principis surgit populus tanquam tremens, eo quòd in illo principio sunt tanquam nescientes quid agant: sed animæquiores effecti transibunt discurrendo ciuitatem, & facient recedere fortem (hoc est, & facient vt in ciuitate non sit fortis, hoc est, non sit aliquis Princeps) & hoc facient non in manu, hoc est, non occidendo, nec percutiendo, nec violentia aliqua, sed consilio libertatis seruandæ, ex quo Deus liberauit eos de manu tyranni.

Principis mors repentina, cum extinctione principatus.

Vers. 21. *Deus videns opera & studium hominum.*

OCVLI ENIM EIVS SVPER VIAS HOMINVM, ET OMNES GRESSVS EORVM CONSIDERAT. Ratio mutationis tantæ redditur ex parte diuinæ gubernationis. describitur enim Deus videns studia hominum & opera eorum omnia.

Vers. 22. NON SVNT TENEBRÆ, ET NON EST VMBRA MORTIS, VT ABSCONDANTVR IBI QVI OPERANTVR INIQVITATEM. Ne obiiceretur diuinæ visioni quòd tenebræ, aut vmbra mortis impediunt diuinam visionem ab intuitu operantium iniquitatem, excludit Elihu hæc impedimenta, dicendo quòd nec tenebræ nocturnæ, nec vmbra mortis (hoc est, loca horrenda præ se ferentia mortem, qualia sunt subterranea loca) efficiunt quòd abscondantur ibi, hoc est, in diuino intuitu, operantes iniquitatem. Et declarat per hoc quòd peccata commissa siue in tenebris nocturnis quo ad tempus, siue in locis obscurissimis significatis per vmbram mortis, videntur à Deo. Potest tamen altiùs interpretando intelligi quòd Elihu insinuat negationes & priuationes non impedire visionem Dei: contra Philosophos negantes huiusmodi defectus comprehendi inter ea quæ videntur à Deo.

Vmbra mortis, de locis obscurissimis.

Vers. 23. *Pœnitendi tempus priuatio.*

NEC ENIM VLTRA IN HOMINIS POTESTATE EST, VT VENIAT AD DEVM IN IVDICIVM. Iuxta Hebræum habetur, *Quia non super hominem ponet adhuc, ad eundum ad El in iudicium.* Cerne prudens Lector quòd Elihu inchoauit primam distinctionem, describendo primum illius membrum in repentina morte Principis, &c. & quia in eodem casu verificatur quoque diuina punitio absque spatio pœnitentiæ, ideo antequam alterum primæ distinctionis membrum prosequatur, inchoat distinctionem secundam: videlicet quòd Deus puniendo aliquos, non dat quandoque tempus pœnitendi, & quandoque dat. Inchoat autem manifestando primum huius distinctionis membrum, dicens, *quia non ponet super hominem* (hoc est, in facultate hominis) *adhuc ad eundum*, hoc est, tempus ampliùs eundi, *ad El*, Deum fortem, *in iudicium*, hoc est, pro iudicio decreto pœnitentibus. Et introducitur hæc clausula cum Coniunctione *quia*, ad manifestandum quòd Deus puniuit tyrannum morte repentina, priuando illum ex proposito diuinæ iustitiæ tempore pœnitentiæ post punitionem. Tria itaque coinciderunt in illa iustitia, videlicet punitio Principis, extinctio principatus, & priuatio temporis pœnitendi.

CONTERET MVLTOS ET INNVMERABILES, ET STARE FACIET ALIOS PRO EIS. Iuxta Hebræum habetur, *Franget fortes, non inuestigatio: & fecit stare alios pro eis.* Ecce alterum membrum primæ distinctionis. in primo membro continetur contritio Principum cum extinctione principatus: in hoc verò contritio Principum non extincto principatu. Et contritio quidem Principum significatur, dicendo, *franget fortes.* & quoniam non est sicut primus modus rarus, sed frequens est iste modus diuinæ iustitiæ, ideo adiungitur, *non inuestigatio*, hoc est, quorum non est inuestigatio. Non extinctio verò principatus significatur, dicendo, *& fecit stare alios pro eis*, proculdubio succedentes in principatu. Vers. 24. *Principum contritio non extincto principatu.*

NOVIT ENIM OPERA EORVM, ET IDCIRCO INDVCET NOCTEM, ET CONTERENTVR. Iuxta Hebræum habetur, *Ideo faciet cognoscere opera eorum, & voluet noctem, & conterentur.* Alterum membrum secundæ distinctionis non solùm scribitur, sed infertur, dicendo, *ideo*, hoc est, quia quosdam punit absque tempore pœnitendi, ideo consequens est quòd detur alterum membrum: quia quandoque punit tollendo Principem, & principatum, & tempus pœnitendi, & quandoque punit tollendo Principem, sed non principatum, ideo consequens est vt quandoque puniat dando tempus pœnitendi: hoc enim reliquum erat. Et hic puniendi modus describitur, dicendo, *cognoscere faciet Deus opera eorum*, id est, Principum opera mala, & voluet noctem, & conterentur. E regione prioris dicti (videlicet *media nocte*) dicit, *voluet noctem*, iuxta consuetum loquendi modum significans noctis partem post mediam noctem. consueuimus enim dicere de Sole post summum ascensum ad meridiem quum incipit descendere quòd voluit se: & hoc loquendi modo significatur secunda medietas noctis, dicendo, *voluet noctem.* Et significatur per hoc quòd Deus voluet noctem quandoque puniendo, hoc est, puniet extendendo contritionem pro tempore pœnitendi. vtitur enim hac metaphora è regione contritorum media nocte. illorum enim punitio caruit reuolutione noctis, quia extincti sunt media nocte: isti autem describuntur media quidem nocte (hoc est, quum minus crederent, & funditus quiescerent) contriti, sed cum reuolutione noctis, hoc est, cum tempore Vers. 25. *Ideo, pro quia.*

pœnitendi

pœnitendi post percussionem concessio. Assumit autem metaphoram ex nocte potius, quàm ex die, tum quia nox congruit afflictionibus: tum quia inopinatas describit punitiones, improuisum autem nocti quadrat.

Vers. 26. QVASI IMPIOS PERCVSSIT EOS IN LOCO VIDENTIVM. Iuxta Hebræum habetur, *Pro impijs applausus eorum in loco videntium.* Declarat illam particulam, *facies cognoscere opera eorum.* & dictio interpretata *applausus*, significat percussionem manuum: quæ quia solet fieri quandoque iocando, ideo ad excludendum iocum dicit quòd applausus eorum erit pro impijs: hoc est, quòd in loco publico quasi in spectaculo applaudent contritis Principibus non ioco, sed pro impijs. declarat enim modum quo Deus faciet cognoscere opera eorum. Et intendit Elihu per hoc dicere quòd Iob contritus est à Deo cum reuolutione noctis vt possit pœnitere: percussus autem vt cognoscantur iniqua opera eius, & patiatur derisiones publicas reputatus impius, quas irrisiones ipse Iob dixerat sibi inferri *in cap.* 30. ad mordendum enim Iobem ordinat Elihu sermonem de modis diuinæ iustitiæ.

Vers. 27. QVI QVASI DE INDVSTRIA RECESSERVNT AB EO, ET OMNES VIAS EIVS INTELLIGERE

Vers. 28. NOLVERVNT. VT PERVENIRE FACERENT AD EVM CLAMOREM EGENI, ET AVDIRET VOCEM PAVPERVM. Iuxta Hebræum habetur, *Qui ideo recesserunt a post eum, & omnes vias eius non intellexerunt Ad faciendum venire super eum clamorem pauperis, & clamorem pauperum audiet.* Coniunctio ideo refertur ad causam peccati recessus à Deo, & describuntur isti ideo recedentes à sequela Dei, & non intelligentes vias eius, quia opprimunt pauperes Auaritia itaque Principum ratio declinandi à lege Dei describitur. & pauperum oppressio describitur à clamore eorum super Deum tolerantem: & clamor pauperum describitur exauditus in contritione istorum auarorum Principum. Describitur autem exauditio in futuro, ad intimandum quòd Deus non statim punit istos, sed differt quandoque punitionem eorum, tandem tamen exaudiet clamorem pauperum. Et per hæc quoque intendit accusare Iobem auaritiæ, & quòd tandem Deus audiuit clamorem pauperum conterendo Iobem.

Principium auaritiæ. Tandem oppressio. Pauperum clamor.

Vers. 29. Propter quod & subiungit, IPSO ENIM CONCEDENTE PACEM, QVIS EST QVI CONDEMNET? EX QVO ABSCONDERIT VVLTVM, QVIS EST QVI CONTEMPLETVR EVM, ET SVPER GENTES ET SVPER OMNES HOMINES.

Vers. 30. QVI REGNARE FACIT HOMINEM HYPOCRITAM PROPTER PECCATA POPVLI. Quia ista particula vnicam comprehendit sententiam, iuxta Hebraicam veritatem, ideo afferenda est simul vt iacet in Hebræo, *Et ipse faciet quiescere, & quis impiabit, & celabit faciem, & quis videbit eum? & super gentem, & super hominem simul. A regnare hominem hypocritam, à deceptore populi.* Dictio interpretata *deceptore*, ponitur ad supplendum nomen quo careamus, significans eum qui facit impingere. Princeps enim hypocrita decipiendo populum facit eos impingere in opinionem bonam de eo. Non sat fuit Elihu describere Iobem contritum tandem propter suam auaritiam: sed quia Iob dixerat *in cap.* 29. narrando suam olim prosperitatem Deum fuisse secum, & *in cap.* 31. narrauerat sua multa opera bona, ideo Elihu sub prætextu reddendæ rationis, quare Deus differt punitionem auarorum Principum, quare differt exauditionem clamoris pauperum qui opprimuntur, describit (in genere tamen) Iobem hypocritam: vt subiuncta eius verba manifestant. Et nequaquam Iobis operibus bonis, sed diuinæ authoritatis libertati ascribit prosperitatem præteriti temporis, dicendo, *& ipse* Deus *faciet quiescere* aliquem absque turbatione quacunque, *& quis impiabit?* quasi dicat, nullus: nullus enim censebit impium quem Deus non turbat. credebat enim Elihu aduersitates euenire duntaxat propter peccatum: & propterea dicit quòd dante Deo quietem alicui, nullus censet eum impium. *&* ipse Deus *celabit faciem*, hoc est, ad instar celantis propriam faciem subtrahit iudicia sua, quibus cognoscitur iudex hominum, *& quis videbit eum*, iudicem: quasi dicat rarus, aut nullus durante occultatione facici. Et quia has diuinas dissimulationes descripserat absque explicatione hominum & vitiorum, ideo relatiuè ad homines explicat dissimulationes istas fore tam super gentem, quàm super singularem hominem, dicendo, *& super gentem, & super hominem simul*; relatiuè verò ad vitia explicat dissimulationes istas respectu hypocritæ Principis, dicendo, *a regnare hominem hypocritam.* est enim ordo literæ, & ipse faciet quiescere, & celabit faciem tam super gentem, quàm super singularem hominem a pœnis quas meretur homo hypocrita regnans, qui facit impingere populum. est enim Princeps hypocrita proponendo suas simulationes tanquam ponens offendiculum in quod impingat populus declinando à vero in falsum, hoc est, in opinionem bonam de Principe malo. Et nihil dicitur hîc de peccatis populi, propter quæ Deus facit regnare hypocritam: quod tamen in vulgata æditione legitur.

Princeps hypocrita quis.

Vers. 31. QVIA ERGO EGO LOCVTVS SVM AD DEVM, TE QVOQVE NON PROHIBEBO. Iuxta Hebræum longe aliter habetur, *Quia ad El eleuauit, toleraui, non destruam* Modus quo Princeps hypocrita decipit populum, describitur, videlicet colendo Deum, & orando ad Deum eleuata voce. oratio siquidem hypocritæ redditur pro ratione decipiendi populum, dicendo, *quia ad El*, Deum fortè, hypocrita *eleuauit*, hoc est, eleuata voce dixit, *toleraui, non destruam.* hoc est, tu scis Deus quòd aliqua mala non puniui, sed toleraui, ne destruerem: hoc est, vt euitarem scandala, & magna mala.

Vers. 32. SI ERRAVI, TV DOCE ME. Iuxta Hebræum habetur, *Absque videbo, tu doce me.* Professio est orationis hypocritæ, petentis à Deo, *absque videbo*, hoc est, præter illud quòd ego videbo iudicandum, faciendum, vitandum, *tu* Deus *doce me*, quid agendum, quid vitandum, quid iudicandum. SI INIQVITATEM LOCVTVS SVM, VLTRA NON ADDAM. Iuxta Hebræum habetur, *si iniquitatem operatus sum, non addam.* Sancta profectò oratio, nisi esset simulata. docuerunt siquidem Philosophi, Principes mundi simulatos cultus Dei, vt populus minus putet pati se iniustum.

Absque videbo. phrasis Hebr. pro præter illud quod ego videbo

Principes mũdi cultum diuinum simulasse.

Vers. 33. NVNQVID A TE DEVS EXPETIT EAM, QVIA DISPLICVIT TIBI? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid a tecum emendabit illam? quia abominatus es.* Descripto hypocrita tolerato à Deo, non

potest

potest se continere Elihu quin manifestet explicitè quòd Iobem pinxerit propriis coloribus. Iobi siquidem dicit, *Nunquid a tecum*, subaudi prodiet quod *emendabit ipsam* hypocrisim. Et in idem redit sensus si legitur, *restituet ipsam*. obstinatus enim describitur Iob in sua hypocrisi. Et eiusmodi obstinatio significatur, dicendo, *nunquid a tecum* quod *emendabit illam*: quasi dicat nequaquam. & ratio subiungitur, quia abominatus es emendationem, dicendo te esse iustum, & Deum non fecisse iustitiam. TV ENIM COEPISTI LOQVI, ET NON EGO. Iuxta Hebræum habetur, *quia tu eliges, & non ego*. Rationem reddit Elihu quare ipsum Iobé sic vituperauerit, *quia tu eliges*, hoc est, quia tu post percussionem elegisti disputare de iudiciis Dei, *& non ego*, elegi hanc materiam quæ cogit me ad dicendum ista pro defensione diuinæ iustitiæ. Futurum *eliges* ad insinuandum perseuerantiam electæ materiæ ponitur. QVOD SI QVID NOSTI MELIVS LOQVERE. Iuxta Hebræum habetur, *& quid sciuisti loqui?* quasi dicat, nihil. Arguit Iobem quòd quum elegerit viam impœnitentiæ profitendo se iustum, nihil sciuerit dicere ad tuendam suam iustitiam.

Vers. 34. & 35. VIRI INTELLIGENTES LOQVANTVR MIHI, ET VIR SAPIENS AVDIAT ME. IOB AVTEM STVLTE LOCVTVS EST, ET VERBA ILLIVS NON SONANT DISCIPLINAM. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Viri cordis dicent mihi, & vir sapiens audiens me. Iob non sapiendo loquetur, & verba eius non intelligendo.* Indignum censet Iobem etiam vt audiat sermones iptius Elihu, dicendo quòd homines cordis debent esse alloquentes ipsum Elihu, & sapiens debet esse audiens eum, Iob autem perseuerabit loquendo absque sapientia & absque intellectu. Et per viros cordis intelligit homines seruantes cor mundum, vel saltem redeuntes ad cor: per sermonem verò absque intellectu intelligit sermonem vacuum sententiis dignis vt intelligantur.

Vir cordis, de hominibus qui seruant cor mundum, vel saltē redeunt ad cor. Sermo absque intellectu, de sermone vacuo sententijs.

Vers. 36. PATER MI PROBETVR IOB VSQVE AD FINEM. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *vsque semper*. Conuertendo sermonem ad Deum, supplicat Elihu Deo tanquam patri suo, tanquam patri iustorum, ad tollendam suspicionem odij, seu liuoris aduersùs Iobem, ad insinuandum quòd ex amore iustitiæ & iustorum (vtpote filiorum Dei) petit vt perseueret punitio Iobi *vsque semper*, vtpote impœnitentis. Et dictio interpretata *probetur*, rectiùs hoc in loco interpretaretur *discernatur*, quoniam non ad probandum, sed ad discernendum Iobem à iustis petit perseuerare afflictionem. Potest tamen quadrare *probetur*, intelligendo quòd Elihu vtitur vocabulo Iobis appellantis suam afflictionem, non punitionem, sed probationem: ita quòd illudendo Iobi dixerit, *probetur vsque semper*, non finiatur ista probatio, hoc est, ita afflictio, quam non veretur vocare probationem. NE DESINAS AB HOMINE INIQVITATIS. Iuxta Hebræum habetur, *super responsionibus in viris iniquitatis*, hoc est, affligatur semper propter responsiones suas solitas in viris iniquitatis, hoc est, quia responsiones eius sunt responsiones viri iniqui.

Vers. 37. QVI ADDIDIT SVPER PECCATA SVA BLASPHEMIAM. Iuxta Hebræū habetur, *seelu*. est enim dictio illa quæ significat *peccatum ex contemptu*, quia addidit super priora peccata auaritiæ & hypocrisis, peccatum contemptus tam hominum, quàm Dei. vtrumque enim subiūgit, INTER NOS INTERIM CONSTRINGATVR, ET TVNC AD IVDICIVM PROVOCET SERMONIBVS SVIS DEVM. Iuxta Hebraeum habetur, *inter nos plaudet, & multiplicabit dicta sua ad El*. Describitur Iob contemnens socios ad instar plaudētis percussione manuum. nō quòd Iob leuitatem hanc commiserit, sed quia Iob dixerat se cōuertere sermones suos ad Deum, disputatur cum Deo potius, quàm cū hominibus, interpretatus est Elihu quòd Iob despexerit socios, & quòd paruipenderit Deum multiplicando dicta sua ad Deum disputando: quum tamen secundùm veritatem Iob ideo non cum homine, sed cū Deo causam suā agere diceret, quianō homo, sed Deus videbat intima cordis eius, & veram rationem afflictionis eius.

Et tu prudens Lector potes facilè perpendere quòd ideo Elihu distinxit suprascriptos modos diuinæ iustitiæ, & dilationem punitionis hypocritarū, vt cōfutaret Iobem secundùm vtrunque tempus, prosperitatis videlicet præteritæ, & aduersitatis præsentis. accusat enim eum hypocrisis in prosperitate, & quòd ideo tunc reputatus est iustus, quia Deus differebat punitionem eius: accusat quoque eum obstinationis in aduersitate, quòd, Deo dante, ei post percussionem tempus pœnitendi abominetur pœnitentiam. finis enim huius capituli restatur quòd ad confusionem Iobis dicta sua ordinauerit Elihu.

CAPVT XXXV.

RESPONDIT IGITVR ELIHV, ET HÆC RVRSVS LOCVTVS EST. Iuxta Hebræum habetur, *Et respondit Elihu, & dixit*. Insinuatur quòd Elihu expectauit an Iob responderet aliquid: & Iobe tacente, ipse prosecutus est responsionem promissam ad dicta Iobis assumpta *in cap.* 33. Vers. 1.

NVNQVID ÆQVA TIBI VIDETVR TVA COGITATIO. Sententia optimè redditur: iuxta Hebræum enim scribitur, *Nunquid hoc cogitasti ad iudicium*: hoc est, nunquid hoc quod subiungam cogitasti quadrans iudicio, quadrans recto discursui rationis? quasi dicat, minimè. intendit enim subiungere quòd Iobis dicta contra sese pugnant. VT DICERES, IVSTIOR SVM DEO. Iuxta Hebræum habetur, *dixisti iustificare ego ab El*. ita iacet in Hebræo. Recolito tamen quod diximus *in c.* 12. videlicet quòd Præpositio Hebraica anceps est ad *pra*, vel ad *ab*. & quia interpretes intellexerunt tam ibi, quàm hîc significari *pra*, ideo transtulerunt comparatiuum: nos autem exactè scrutando quid quadrat tum veritati, tum contextui, transferri fecimus *ab*. nam falsum est quòd Iob dixerit, *Iustior sum Deo*: verissimum autem est quòd Iob dixit, se iustificaturum causam suam apud tribunal diuinum: vt clarè patet *in c.* 23. Contextui quoque subiunctorum dictorum à Iobe minus quadrat illud, *Iustior sum Deo*; & valde quadrat hoc, scilicet *iustificabor ego ab El*, vt clarè patebit. Nec mireris ob incongruum sermonem, *iustificare ego ab El*. quoniam, vt verbum verbo redderetur, transtatum est sic: dicendum enim fuisset, *iustificari me ab El*, vel *iustificans ego ab El*. & est sensus, iustificans causam meam ego iudicante Deo. Vers. 2.

Elihu cōuincitur falsi.

DIXISTI ENIM: NON TIBI PLACET QVOD RECTVM, EST VEL QVID TIBI PRODERIT SI Vers. 3.

EGO PECCAVERO? Iuxta Hebræum habetur, *Quia dices, Quid proderit tibi, quid prodero à peccato meo?* Ecce alia Iobis dicta, contraria illi dicto, *iustificabor ego ab El.* & ad insinuandum quòd Iob perseverat in his dictis vtitur futuro, *quia dicet.* Dictum autem Iobis ad Deum, *quid proderit tibi*, ad significandum quid proderit iustitia mea tibi Deus, affertur. Et dixit hoc Iob *in cap.* 10. sub aliis verbis, videlicet, *si iustus fuero, non leuabo caput.* Sensus autem subiuncti dicti, *quid prodero à peccato meo*, est quid prodero recedendo à peccato meo. Et dixit hoc Iob *in cap.* 9. sub aliis verbis, videlicet, *si lauero me aquis niuis, balneabis me in fouea.* Quia igitur ista Iobis dicta significant quòd tam innocentia, quàm pœnitentia inutilis est apud Deum, & primum Iobis dictum sonat quòd ipse obtinebit iustificationem à Deo, ideo Elihu dicit Iobi, Nunquid cogitasti hoc esse secundùm iudicium, arguendo eum quòd hæc dicta non sunt secundùm iudicium: vtpote quæ sibi inuicem aduersantur. Et hinc clarè patet quòd contextus exigit interpretationem quam elegimus. longè enim ab Elihu propositio est, *iustior sum Deo:* & directè aduersatur secundò inductis, *iustificans ego ab El.* hactenus enim Elihu impugnauit hoc dictum Iobis absolutè: modò autem impugnat illud idem argumento ad hominem, hoc est, ex propriis dictis ipsius Iobis. quónam pacto dicis te iustificandum à Deo, quum dicas quòd tam iustitia innocentis, quàm iustitia pœnitentis non prodest apud Deum?

Vers. 4. ITAQVE EGO RESPONDEBO SERMONIBVS TVIS, ET AMICIS TVIS IECVM. Patui refert quòd Hebraicè legitur, *Ego reddam tibi verba, & socys tuis tecum.* Iactat se quòd id quod nescierunt socij perpendere in verbis Iobis, ipse perpendit, & reddet tam Iobi, quam sociis quod debetur dictis verbis. intendit enim explanare quid veri, & quid falsi continetur in istis vltimò recitatis, omittendo primum: quia aduersùs illud satis putat se dixisse in præcedentibus.

Innocentia & pœnitentia quomodo non prosint homini.

Aduerte hîc quòd Iob dixerat hæc ad hunc sensum, videlicet quòd non oportet prodesse homini ad bona præsentis vitæ tam innocentiam, quàm pœnitentiam: Elihu autem (vt subiuncta testantur) discutit introducta dicta absolutè. Considera quoque prudens Lector quòd quanuis apud Iobem & veritatem magni referat dicere hæc absolutè, & dicere hæc relatiuè ad bona præsentis vitæ, apud socios tamen Iobis & Elihu paria sunt hæc: quoniam præmia & pœnas præsentis duntaxat vitæ admittebant: & consequenter apud eos erat idem dicere quòd innocentia & pœnitentia non prosunt, & dicere quòd non prosunt ad bona præsentis vitæ. & propterea Elihu discutit hæc dicta absolutè, tanquam loquens in idiomate suo.

Vers. 5. SVSPICE COELVM, ET INTVERE. Intendens Elihu discutere dicta Iobis, ostendit primùm quid veritatis continent, quòd videlicet iustitia hominis non prodest Deo, & iniquitas hominis non nocet Deo. Et assumit argumentum à sensu, hoc est, ab iis quæ ad sensum videmus, videlicet ex hoc quòd cœli sunt ita eleuati supra nos, vt nec prodesse, nec nocere possimus cœlis: multo ergo minus possumus prodesse, aut nocere Deo, qui est secundùm naturam longè excelsior nobis, quàm sint cœli eleuati secundùm locum. ET CONTEMPLARE ÆTHERA QVOD ALTIOR TE SIT. Iuxta Hebræum habetur, *& vide cælos eleuauerunt præ te.* Vis argumenti iam declarata est.

Iustitia hominis quomodo non prosit Deo, & iniquitas hominis Deo non noceat.

Vers. 6. SI PECCAVERIS, QVID EI NOCEBIS? Iuxta Hebræum habetur, *Si peccasti, quid operaberis in eo?* quasi dicat, nihil. Et excludit ab actu peccandi efficaciam attingendi Deum, dicendo quòd nihil operabitur in Deo, quod plus excludit quàm non nocere Deo. peccata siquidem filij quanuis quandoque non noceant patri, operantur tamen in patre ingerendo illi mœstitiam. ET SI MVLTIPLICATÆ FVERINT INIQVITATES TVÆ, QVID FACIES CONTRA EVM? Iuxta Hebræum habetur, *& multiplicarunt rebelliones tuæ, quid facies ei?* Peccata ex contemptu quæ præcipuè videntur attingere Deum (quia Deus ipse contemnitur) excluduntur ab efficacia faciendi aliquid Deo. Et verum dicitur, loquendo de Deo in seipso; secus autem est loquendo de Deo in nomine, regno, aut lege eius: quia Deus in seipso in nullo penitus mutatur ex peccatis aliorum, quantuncunque despicientium eum, sed nomen eius, sed filij eius, sed præcepta eius læduntur peccatis nostris.

Peccata ex contemptu quomodo excludantur ab efficacia aliquid faciendi Deo.

Vers. 7. SI IVSTE EGERIS, QVID DABIS EI? quasi dicat, nihil. & Pronomen *ei* demonstrat Deum in seipso. & est sensus, quid dabis redundans in Deum in seipso. AVT QVID DE MANV TVA ACCIPIET? quasi dicat, nihil. & est similiter sensus quòd Deus de sacrificiis tuis nihil redundans in ipsum Deum accipit. Ita quòd nec ex interna iustitia hominis, nec ex exterioribus sacrificiis & oblationibus prodesse aliquid Deo dicitur. Et verum est loquendo de Deo in seipso, secus autem est loquendo de nomine Dei: quoniam ad glorificandum nomen Dei, ad adimplendum præcepta eius, ad multiplicandum filios regni eius, operantur valde iusta & sancta opera hominum.

Sacrificia & oblationes quomodo non prosint Deo.

Vers. 8. HOMINI QVI SIMILIS TVI EST, NOCEBIT IMPIETAS TVA, ET FILIVM HOMINIS ADIVVABIT IVSTITIA TVA. Interpres addidit verba *nocebit*, & *adiuuabit.* in Hebræo enim sine verbo est sermo: quia subintelliguntur repeti verba priùs dicta, videlicet viro sicut tu operabitur, seu faciet impietas tua, & filio hominis dabit iustitia tua. Attulerat priùs rationem ex celsitudine Dei maiore celsitudine cœlorum, adiungit modò alteram rationem ex parte hominis; quia scilicet homo homini est similis, ideo iustitia, seu iniquitas hominis attingit alterum hominem operando in eò bonum, vel malum: per hoc insinuans quòd Deum à cuius similitudine valde deficimus, opera nostra non attingunt.

Vers. 9. PROPTER MVLTITVDINEM CALVMNIATORVM CLAMABVNT. Postquam Elihu declarauit quid veri habent illa Iobis dicta, *quid proderit tibi*, &c. intendit declarare quid falsitatis continent. manifestauit enim quòd verificantur quo ad hoc quòd opera nostra nihil mutant in Deo: manifestat modò falsum esse quòd opera nostra non prosint, vel obsint quo ad hoc quòd exaudiamur à Deo. Et quoniam contingit quandoque oppressos ab hominibus clamare ad Deum, & non exaudiri, reddit rationem quare non exaudiuntur: quia videlicet non debito modo clamant. Introducit

inquo

Calumniatores, de hominibus plenis fraudibus ad Deum clamantibus. Oppressi violentia.

itaque oppressos ab hominibus multiplicantibus fraudes (quos interpres *calumniatores* appellat) clamantes ad Deum. ET EIVLABVNT PROPTER VIM BRACHII TYRANNORVM. Iuxta Hebræum habetur, *clamabunt à fortitudine multorum.* Oppressis fraude, adiungit oppressos violentia, similiter clamantes.

Vers. 10. & 11.

ET NON DIXIT. Subauditur multitudo clamantium. VBI EST DEVS QVI FECIT ME, QVI DEDIT CARMINA IN NOCTE. QVI DOCET NOS SVPER IVMENTA TERRÆ, ET SVPER VOLVCRES COELI ERVDIT NOS? Hebraicè habetur, *vbi Eloah factor meus, dans cantus in nocte. Docens nos pra bestys terræ, & pra volatilibus cœli sapientificabit nos?* Clamor oppressorum absque agnitione celsitudinis diuinæ & beneficiorum Dei quæ confert hominibus, describitur: ad insinuandum quòd clamor ad Deum prodest quidem ad hoc vt exaudiat Deus, sed quòd quandoque non profit, prouenit ex hoc quòd clamorem non comitatur agnitio diuinæ celsitudinis, non comitatur gratiarum actio pro tot beneficiis quæ confert Deus homini. Et celsitudo quidem diuina scribitur, dicendo, *vbi.* ex loco enim celsitudo significatur: omnes enim venerantur Deum in cœlis. Beneficia verò subiunguntur, tum creationis, dicendo, *factor meus:* tum reuelationis per somnia & visiones, dicendo, *dans cantus in nocte:* tum intellectualis luminis ad ea quæ sunt sapientiæ & prudentiæ, dicendo, *docens nos*, &c.

Clamor oppressorū absque agnitione celsitudinis diuinæ, & beneficiorū Dei.

Vers. 12.

IBI CLAMABVNT, ET NON EXAVDIET, PROPTER SVPERBIAM MALORVM. Iuxta Hebræum habetur, *Ibi clamabunt, & non respondebit, à facie superbiæ malorum.* Introducit Elihu alios clamantes ad Deum, qui similiter non exaudiuntur propter aliam causam, videlicet propter superbiam. Vbi aduerte quòd primos clamantes descripsit non exaudiri, quia non dixerunt, *vbi Eloah*, &c. istos autem introducit clamantes, *ibi* (hoc est, agnoscendo vbi Eloah) & tamen Deus non respondebit exaudiendo à facie superbiæ malorum, hoc est, propter superbiam malorum operum eorum, qui clamant. Duas itaque causas non exaudiendi affert, alteram ex deficiente gratitudine, alteram ex apposita excellentia operum malorum. Et per has extremas causas comprehendit medias: non ergo inutiles sunt iustitiæ nostræ ad hoc vt exaudiamur.

Superborum clamor.

Vers. 13.

NON ERGO FRVSTRA AVDIET DEVS, ET OMNIPOTENS CAVSAS SINGVLORVM INTVEBITVR. Iuxta Hebræum habetur, *Tantum falsitas non audiet El, & Saddai non videbit illud.* Explicat Elihu quorsum tendunt hæc quæ discutit circa Iobi dicta: tendunt enim ad hoc quòd falsum est Deum non videre opera nostra, nec audire preces nostras. Et dicit tantùm falsitas quòd *Deus non audiet*, &c. ad insinuandum quòd dicta Iobis licèt contineant veritatem (tum quo ad hoc quòd opera nostra non mutant aliquid in Deo, tum quo ad hoc quòd sæpe non exaudimur à Deo propter impedimenta ex parte nostri) quo ad hoc tamen quòd Deus non videt opera nostra, & quòd Deus non audit preces nostras, falsa sunt. Et est sermo de videre & audire non solùm speculatiuè, sed practicè, eo modo, quo qui gubernat, videt & audit pertinentia ad regimen suum. Et loquitur de Deo humano more, distinguendo *videre*, & *audire:* quum in Deo non sit huiusmodi distinctio, quia est actus purissimus.

Vers. 14.

ETIAM QVVM DIXERIT, NON CONSIDERAT. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam quòd dices, Non videbis eum.* Non sat fuit Elihu declarare quòd propter impedimenta ex parte nostri sæpe non exaudimur: sed adiungit rationem quare exauditio sæpe differtur. huiusmodi enim dilatio argumentum præbet hominibus quòd non prosunt, vel obsunt opera nostra, ac preces nostræ. Introducit itaque hominem arguentem quòd Deus non videbitur puniens ex eo quòd tardat punitio, dicendo, *etiam quòd dices*, promittendo impunitatem, *non videbis eum*, hoc est, ne timeas iram Dei, quia non videbis eum punientem. IVDICARE CORAM ILLO. Iuxta Hebræum habetur, *iudicium coram eo.* Responsio est ad promittentem impunitatem ex tarditate. respondet siquidem quòd quamis tu dicas, *non videbis eum* punientem, attamen iudicium est coram Deo, subaudi decretum. Et ideo subiungitur, *& expecta eum.* iudicium quidem decretum est coram Deo, sed quia tardat, expecta illud.

Exauditio sæpe differtur, & cur.

Vers. 15.

NVNC ENIM NON INFERT FVROREM SVVM, NEC VLCISCITVR SCELVS VALDE. Iuxta Hebræum habetur, *Et nunc, quia non visitauit furor eius, & non sciuit incrementum valde.* Ratio redditur, quare diuinum differtur iudicium quo ad executionem, tum ex parte modi quo Deus procedit ad puniendum, quia non visitat vlciscendo in furore. homines enim qui furore acti vlciscuntur, non tardant: Deus autem ideo nunc (hoc est, in tempore præsenti quo vellemus videre iudicia Dei contra iniquos) differt vltionem, quia non visitat in furore. Tum ex parte mensuræ sceletum. Reuoca prudens Lector, ad memoriam verbum Dei ad Abraham, *nondum sunt completa iniquitates Amorrhæorum*, & intelliges hæc. statuit Deus quandam iniquitatum mensuram relatiuè ad talem pœnam in hac vita: & interim quòd impletur mensura illa, differt punire vsquequo completa fuerit. Hoc statutum ipse Deus reuelauit Abrahæ, hoc statutum tangit Elihu, dicendo, *& non sciuit incrementum valde.* Causa metri transpositæ sunt dictiones. est enim sensus ac literæ ordo, & sciuit incrementum non valde. Ratio quare Deus differt, est quia sciuit incrementum iniquitatum non valde, non plenum respectu statutæ mensuræ. Et vtraque ratio dilatæ vltionis diuinæ in hac vita vera est.

Vers. 16.

ERGO IOB FRVSTRA APERIT OS SVVM, ET ABSQVE SCIENTIA VERBA MVLTIPLICAT. Iuxta Hebræum habetur, *Et Iob in vanitate aperiet os suum, in non scire verba multiplicabit.* Quia Iob in principio capituli recitata, & in toto hoc capitulo ab Elihu discussa, dixerat relatiuè ad exaudiri quo ad bona tantùm præsentis vitæ, & Elihu declarauerat quòd bona opera & preces ritè oblatæ prosunt ad hoc, vt exaudiamur: ideo concludit Elihu arbitrans se confutasse Iobem quòd Iob perseuerabit aperiendo os suum in vanitate operum bonorum, & multiplicabit verba absque scientia.

CAPVT XXXVI.

Vers. 1. & 2. ADDIDIT QVOQVE ELIHV, ET DIXIT: SVSTINE ME PAVLVLVM, ET INDICABO TIBI. Insinuatur aliud, hoc est, quartum sermonis principium: & propterea rogat expectari adhuc paulum. videbatur enim excedere mensuram loquendi, ex quo iam tertiò incœperat loqui, & nullus sociorum Iobis locutus fuerat quartò. QVIA ADHVC HABEO QVOD PRO DEO LOQVITVR. Iuxta Hebræum habetur, *quia adhuc ad Eloah verba.* hoc est, quia adhuc supersunt verba in fauorem Eloah, ideſt, Dei iudicis.

Vers. 3. REPETAM SCIENTIAM MEAM A PRINCIPIO, ET OPERATOREM MEVM PROBABO IVSTVM. Iuxta Hebræum habetur, *Eleuabo scire meum in à longinquo, & operatori meo dabo iustitiam.* Promittit duo, alterum spectans ad loca sermonis assumenda, videlicet quòd ratiocinabitur eleuando suam scientiam ad ea, quæ longè distant à præsenti materia. Et verum dicit quo ad hoc postremum: quia argumentum assumet diffuso sermone à nubibus, pluuiis, ventis, & aliis eiusmodi, quæ longè distant à præsenti materia, de qua erat disputatio. Alterum spectans ad finem intentum, dicendo, *& operatori meo dabo iustitiam.* ad hoc enim vniuersum dirigit sermonem, vt defendat iustitiam Dei, quam putabat accusari à Iobe. Et dicit, *operatori meo*, ad insinuandum quòd debitor est pro suscepto beneficio ad defendendum iustitiam Dei eo quòd fecit eum.

Et tu prudens Lector intelliges quoque ex his pollicitis ab Elihu, non solùm modum ac finem sermonis subiuncti, sed etiam subiuncti sermonis partes duas ordine retrogrado. nam primò tractabit de iustitia Dei, & deinde argumenta sumet ex longinquo.

Vers. 4. *Elihu aquitatem iudicij diuini iustitiæ, argumenta sumens ex longinquo.*

VERE ENIM ABSQVE MENDACIO SERMONES MEI. Parui refert quòd Hebraice habetur, *Quia profectò non falsitas sermones mei.* Daturum se Deo iustitiam aduersùs Iobem confidit, & probat. ex parte quidem sermonum, quia absque fallitate sunt: ex parte verò scientiæ, subiungit, ET PERFECTA SCIENTIA PROBABITVR TIBI. Iuxta Hebræum habetur, *perfectus scientijs tecum.* De seipso Elihu dicit Iobi, perfectus scientiis est tecum, ita quòd nulla scientia deest, nulla falsitas admiscetur.

Vers. 5. DEVS POTENTES NON ABIICIT, QVVM ET IPSE SIT POTENS. Legendum est, *Ecce El potens, & non abominabitur potentem robore cordis.* Hactenus Elihu impugnauit Iobis dictum primum, videlicet *iustificauit.* modò intendit consequenter arguere reliqua Iobis dicta recitata *in cap.* 33. videlicet, *occasiones inuenit, & reputauit me inimicum sibi*, & reliqua. intendit enim confutare hanc sententiam. Et ad hoc vtitur duabus distinctionibus, altera inter potentem & pauperem, altera inter impium & iustum hominem, declarando quòd quia Deus non discernit in iudiciis inter potentem & pauperem, sed inter impium & iustum, clarè apparet quòd Deus nullum reputat inimicum sibi nisi impium, aduersùs nullum quærit occasiones, sed homo reddendo se impium constituit se inimicum Dei. Dicturus itaque hæc Elihu, inchoat à prima distinctione, incipiendo à potentibus, quòd scilicet Deus non odio habet potentes, non quærit occasiones aduersùs eos, dicendo, *Ecce in manifesto est El*, id est, Deus fortis, *potens, non abominabitur potentem.* Rationem non abominandi, explicat similitudinem, dicendo, *potens non abominabitur potentem.* similitudo enim inter aliquos ratio est naturalis non odij, sed amoris. Et quoniam inter homines contingit per accidens quandoque quòd potens abominabitur potentem propter robur cordis, ideo ad hoc accidens excludendũ à Deo, apponit robore, seu fortitudine cordis. Rex siquidem aliquis abominatur Regem alium propter amplitudinem cordis ad subiiciendum regnum illius sibi; ad insinuandum verò quòd hoc non habet locum in Deo (qui est Dominus omnium) dicit, *Ecce El potens non abominabitur in robore cordis potentem hominem.*

SED. NON SALVAT IMPIOS. Iuxta Hebræum habetur, *Non viuificabit impium.* Secundam inchoat distinctionem: metrico enim more transponuntur particulæ, *& iudicium pauperibus tribuit.* Ecce alterum membrum primæ distinctionis. in qua clarè dicit quòd Deus non abominatur potentem, nec pauperem, sed tribuit pauperum iudicium: hoc est, ita iudicia exercet in pauperes sicut in potentes, & econtrario. Vers. 6.

NON AVFERET A IVSTO OCVLOS SVOS. Ecce alterum membrum secundæ distinctionis. in qua manifestè dicit quòd Deus non viuificabit impium, à iusto autem homine non subtrahet oculos suos. Appellat subtrahere oculos, permittere quòd iustus affligatur: sicut appellat non viuificare impium, affligere vitam impij etiam priuando quandoque eum vita. ET REGES IN SOLIO COLLOCAT IN PERPETVVM, ET ILLIC ERIGVNTVR. Iuxta Hebræum habetur, *& Reges ad solium, & fecit sedere eos in perpetuum, & eleuati sunt.* Propositis duarum distinctionũ membris quattuor, declarat illa mixtim, sicut & mixtim proposuerat. & inchoat à primo, videlicet quòd Deus non abominatur potentes, declarando hoc in Regibus quo ad tria primum est quòd facit eos regnare, dicendo, *& Reges ad solium*, subauditur *diligit.* Secundum est quòd facit eos regnare in perpetuũ, tum durante eorum vita, tum in successione filiorũ in regno. Et per hoc significatur quòd non pœnitet Deum fecisse Reges. Tertiũ quòd eleuauit eos successibus prosperis. Vers. 7.

ET SI FVERINT IN CATENIS, ET VINCIANTVR FVNIBVS PAVPERTATIS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Et si ligati in vinculis, capientur in funibus afflictionu* Quum declarauit quòd Deus amat potentes, subiungit quòd etiam eos punit propter eorum iniquitates: vt declaret quòd Deus nõ viuificat impium. & propterea introducit Reges redactos in vincula afflictionis. Et ad differentiam vinculorũ corporeorum exponit vincula funes afflictionis: perinde ac si dixisset, & si fuerint afflicti afflictione tali, vt non possint seipsos liberare à tali afflictione, quẽadmodum vincti nequeunt se à vinculis absoluere. Vers. 8.

INDICABIT EIS OPERA EORVM, ET SCELERA EORVM: QVIA VIOLENTI FVERVNT. Hæc vltima verba legenda potiùs iuxta Hebraicam literam essent. *quia inualuerunt.* & ad iniquitates Regum referuntur. Ipsa afflictio Regum exponitur ab Elihu, quòd est nuncia Dei, indicans quòd inualuerunt scelera Regum. Vers. 9.

REVELABIT QVOQVE AVREM EORVM, VT CORRI Vers. 10.

CORRIPIAT, ET LOQVETVR. Iuxta Hebræum habetur, *Et reuelauit aurem eorum ad castigationem, & dixit quòd reuertantur ab iniquitate.* Ipsamet afflictio interpretatur ab Elihu locutio Dei, & detectio auris Regum, ad hoc vt reuertantur ab iniquitate. Et appellat eam detectionem auris, quia prosperitas sæpe est tanquam velamen auris impediens a perceptione diuini sermonis: impedit enim homines ab obedientia diuinorum præceptorum. hoc enim impedimentum subtrahit afflictio, & propterea dicitur quòd Deus affligendo reuelat aurem eorum.

Vers. 11. SI AVDIERINT, ET OBSERVAVERINT. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Si audient, & seruient.* subauditur *Deo.* hoc est, si audierint diuinam monitionem, & humiliauerint se parendo vniuersorum Domino vt serui. COMPLEBVNT DIES SVOS IN BONO, ET ANNOS SVOS IN GLORIA. Legendum est, *in dulcedinibus.* Cerne impium afflictum, & pœnitentia iustificatum non derelictum à Deo describi.

Impium non derelinqui iustificatum pœnitentiâ.

Vers. 12. SI AVTEM NON AVDIERINT, TRANSIBVNT PER GALIDVM, ET CONSVMENTVR IN STVLTITIA. Parui refer quòd Hebraicè habetur, *in non scire.* Ecce non viuificatio impiorum describitur per interitum gladio quo ad pœnam, & per non scire quo ad culpam: quia videlicet non sapuerunt ad hoc vt pœniteret eos scelerum suorum.

Vers. 13. SIMVLATORES ET CALLIDI PROVOCANT IRAM DEI. Iuxta Hebræum habetur, *Et hypocrita cordis ponent furorem.* Non sat fuit Elihu declarasse in genere potentum qualiter Deus iudicia sua exercet in iustos, & impios, sed descendit ad speciem hypocritarum, non valens se continere à morsu Iobis, quem iam pinxerat hypocritam. Et dicit *hypocrita cordis*, ad differentiam hypocritarum non ex intentione hypocrisis, sed ex facto: quales sunt iniqui, multa tamen bona & religiosa opera efficientes non vt fallant alios, non vt appareant boni: hypocritæ enim cordis & sunt mali, & faciunt bona vt appareant & habeantur boni. Ponunt autem furorem diuinum supra se prouocando celerem vindictam diuinam. dicit enim hoc contra Iobem in ætate virili percussum à Deo: vt subiuncta clariùs insinuant. NEQVE CLAMABVNT QVVM VINCTI FVERINT. Iuxta Hebræum habetur, *non clamabunt quòd ligauit eos.* Describuntur hypocritæ ligati funibus afflictioni (quemadmodum descripti sunt Reges) sed non propterea recurrentes ad Deum, agnoscendo & confitendo quòd Deus ligauit eos propter ipsorum iniquitates. & ideo pœna eorum subditur,

Hypocrita cordis qui.

Hypocrita ligari funibus afflictionis qui.

Vers. 14. MORIETVR IN TEMPESTATE ANIMA EORVM: ET VITA EORVM INTER EFFOEMINATOS. Iuxta Hebræum habetur, *Morietur in pueritijs anima eorum, & vita eorum in præparationibus.* Accelerationem mortis hypocritarum describit. & quod priùs dicit in pueritiis, declarat subiungendo in præparationibus. describitur siquidem immatura ætas à præparationibus, eo quòd homines in ætate virili vacant ad hoc vt parent & sibi & filiis & familiæ opportuna. Idem autem significatur per animam & vitam. mordet siquidem Iobem, qui dicebat se iam morti propinquum.

Vers. 15. ERIPIET DE ANGVSTIA SVA PAVPEREM, ET REVELABIT IN OPPRESSIONE AVREM EIVS. Ad perficiendum proposita membra distinctionum, declarat (summariè tamen) Deum sic se habere erga pauperem, quemadmodum erga potentes. Et ad duo capita colligit Dei officia erga pauperem. alterum est detegere aurem eius mediante oppressione: alterum est liberare eum ab afflictione. ambo enim hæc descripta sunt circa Reges, & ideo intelligenda sunt, vt suprà scriptum est.

Deum æquè se habere erga pauperes, & erga potentes.

Vers. 16. IGITVR SALVABIT TE DE ORE ANGVSTO LATISSIME, ET NON HABENTE FVNDAMENTVM SVBTER SE. Iuxta Hebræum habetur, *Et etiam fecit incitare te ab ore angustatoris, latum, non angustum pro ea.* Postquam Elihu credidit se confutasse illa Iobis verba, *reputabit me inimicum sibi*, intendit consequenter confutare alia subiuncta, videlicet *posuit in nervo pedem meum.* & continuando sermonem incœptum à iudiciis Dei erga potentem & pauperem, erga iustum & impium, & in specie hypocritam, descendit ad indiuiduum, Iobem scilicet: & præmia priùs, deinde documenta proponit. Quum itaque dixisset tam de potentibus, quàm de pauperibus quòd Deus corripit eos pro iniquitatibus eorum inuitando ad pœnitudinem, & si resipuerint, ducent in bonis dies suos, applicat hæc ad Iobem, dicendo, *& etiam Deus fecit te incitare ad resipiscendum ab ore angustatoris*, hoc est, tanquam loquens tibi per os angustatoris. hoc est, loquendo tibi angustando te tot afflictionibus, beneficium quod Deus confert tam potenti, quàm pauperi detegendo per afflictionem aurem eorum contulit etiam tibi. Simile quoque præmium subiungitur, dicendo, *pro ea afflictione*, seu angustia, *erit tibi latum, non angustum.* hoc est, latitudo absque angustia aliqua. hoc est enim præmium quod promittit pœnitenti. Et per hoc manifestè significatur liberatio ab omni afflictionis angustia. Et quia non sufficit liberari à malis, sed opus est assequi bona prosperitatis, adiungit. REQVIES AVTEM MENSÆ TVÆ ERIT PLENA PINGVEDINE. Iuxta Hebræum habetur, *& descendet mensa tua plena pinguedinis.* Dictio interpretata *descendet*, significat descendere, non qualitercunque, sed cum quadam suauitate. Et significatur per hoc quòd adueniet Iobi pedetentim opulentia tanquam suauiter descendens à Deo. non enim promittit quòd statim redibit ad opulentiam.

Vers. 17. CAVSA TVA QVASI IMPII IVDICATA EST. Iuxta Hebræum habetur, *Et officium impij implesti.* Dictio interpretata *officium*, significat id quod congruit alicui, verbi gratia, id quod congruit ciui, id quod congruit Principi, id quod congruit vxori, & sic de aliis: & propterea interpretata est *officium.* nam sensus est, & tu Iob impleuisti quod congruit impio. hic enim sensus optimè redditur, dicendo, *& officium impij impleuisti*, fecisti plenè opera impij. Et hinc inchoat documenta ad arguendum Iobem de illis verbis, *posuit in catena pedem meum.* intellexerat enim Elihu metaphoram Iobis quòd per hoc significat legem Dei. & quoniam interpretatus est quòd Iob querula voce assimilauerit præcepta Dei catenæ, seu compedi, ideo sub specie documentorum vtilium valde homini proponit præcepta Dei pertinentia ad Principem, seu iudicem ciuitatis, qualis fuerat Iob. CAVSAM ET IVDICIVM RECIPIES. Iuxta Hebræum habetur, *officium & iudicium sustentabunt.* Si ad cor redieris, non solùm sanitatem & opu-

lentiam assequeris, sed etiam ex eo quòd implesti officium impij : vtilitas hæc proueniet quòd officium & iudicium sustentabunt te ne cadas: habebis semper præ oculis officium Principis quo fungeris, & ius quod debes dicere, & sic sustentaberis.

Vers. 18. NON TE ERGO SVPERET IRA VT ALIQVEM OPPRIMAS. Iuxta Hebræum habetur, *Quia ira, ne quando incitet te in percussione.* Adiungit antedictæ sustentationis rationem ex parte Dei, quia ira (hoc est, iustitia vindicatiua) subaudi, manet apud Deum. & effectum iræ subiungit ne quando percussione incitet te, ad instar iumentorum quæ incitantur ad ambulandum percussionibus. NEC MVLTITVDO DONORVM INCLINET TE. Iuxta Hebræum habetur, *& multitudo precy non faciet declinare te.* Documentum alterum valde necessarium iudici adiungitur, vt non corrumpatur multitudine pecuniæ. & ratio subiungitur,

Ira, de iustitia vindicatiua.

Vers. 19. DEPONE MAGNITVDINEM TVAM ABSQVE TRIBVLATIONE, ET OMNES ROBVSTOS FORTITVDINE. Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid æstimabit diuitias tuas, non in auro & omnibus fortitudinibus potentiæ.* Ex parte Dei reddit rationem, quia Deus non æstimabit diuitias tuas, siue in auro, siue in quibuscunque facultatibus consistentes, sed puniet te si pecunia corrumperis.

Vers. 20. NE PROTRAHAS NOCTEM, VT ASCENDANT POPVLI PRO EIS. Iuxta Hebræum habetur, *Non cupies noctem, ad incidendum populos pro eis.* Documentum tertium, tyrannici principatus cupidinem prohibens, proponit *ne cupias noctem* (hoc est, occulte) operari ad diuisionem populorum vt vsurpes loca eorum, hoc est, principatus quos populi obtinent liberi.

Nocte, pro occultè.

Vers. 21. CAVE NE DECLINES AD INIQVITATEM: HANC ENIM COEPISTI SEQVI POST MISERIAM. Iuxta Hebræum habetur, *Caue ne te vertas ad iniquitatem: quia super hoc elegisti ab afflictione.* Postremum documentum vniuersale est, monens ne redeat ad quacunque iniquitatem: quia super hoc (scilicet pœnitudine iniquitatis) elegisti liberari ab afflictione. alloquitur enim Iobem ac resipuisset.

Vers. 22. ECCE DEVS EXCELSVS IN FORTITVDINE SVA. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce El faciet inualescere in potentia sua.* Promittit Elihu Iobi resipiscenti, in promptu fore Deum vtentem sua potentia ad faciendum inualescere bonum corporis Iobis successibus prosperis. Et addidit hanc promissionem, quia Iob dixerat plagam suam incurabilem. ET NVLLVS EI SIMILIS IN LEGISLATORIBVS. Iuxta Hebræum habetur, *quis sicut ipse Doctor?* Documenta omnia antedicta non sua, sed Dei esse dicens Elihu, manifestat quorsum hæc dixerit, videlicet ad insinuandum quòd Deus legem suam dedit non quasi catenam ad vinciendum homines, sed tanquam doctrinam ad instruendum homines.

Doctor, de Deo.

Vers. 23. QVIS POTERIT SCRVTARI VIAS EIVS? Iuxta Hebræum habetur, *Quis præcepit super eum viam eius?* Probat quod dixerat, videlicet quis sicut ipse Doctor. Probat autem primò ex eo quòd est Doctor supremus, vtpote carens præceptore instruente eum viam eius. Doctor enim qui pendet ex alio, habet similem : qui autem à nullius pendet instructione, caret simili. AVT QVIS AVDET EI DICERE. Patui refert quòd Hebraicè habetur, *& quis dixit, Operatus es iniquitatem.* Probat secundò idem ex eo quòd caret dicente sibi, *Operatus es iniquitatem.* Doctor enim dupliciter dependere potest, vel quo ad instructionem, vel quo ad authoritatem. & propterea Elihu vtramque dependentiam excludit à Deo doctore : & quo ad instructionem quidem dixit, *quis præcepit super eum viam eius?* quo ad authoritatem verò dicit, *& quis dixit, operatus es iniquitatem?* Supremus enim Doctor inter homines, quia habet superiorem (puta Regem) vel parem (puta collegam) in officio regiminis, potest reprehendi, & habet à quo potest audire, *operatus es iniquitatem.* Deus autem non solùm est supremus docendo, sed etiam principando : & propterea non potest quis ei dicere, *operatus es iniquitatem.* Et insinuatur per hanc superioritatem quòd voluntas Dei est ipsa lex : & propterea non potest Deus operari iniquitatem. operando enim quod vult, operatur legitimè : & ideo nullus potest ei dicere, *operatus es iniquitatem.*

Vers. 24. MEMENTO QVOD IGNORES OPVS EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Memento quòd magnificabis opus eius.* Incipit Elihu arguere Iobem quo ad vltimò recitata verba, *obseruauit omnes semitas meas.* & quia verba hæc tam vera, quàm sancta sunt, & irreprehensibilia, ideo Elihu non reprehendit verba hæc, sed quia Iob dixerat hæc verba ad sui iustificationem (quòd videlicet Deus nihil in ipso Iobe relinquebat impune, & tamen ipse non affligebatur propter iniquitatem) & ista ratio dicendi hæc verba, sonat quòd Iob putauit se plenè intellexisse operationem Dei qua obseruat omnes vias Iobis (alioquin ipse Iob non censuisset causam suam iustam) ideo Elihu in toto residuo sermonis sui intendit arguere Iobem præsumptionis, quòd reputet se plenè cognoscere operationem Dei, qua obseruat vniuersa studia & opera nostra. & ad hoc affert argumentum ab operibus Dei quæ facit coram omnibus hominibus. Ac si apertiùs argueret sic tu non plenè cognoscis opera Dei quæ ad sensum vident omnes homines; ergo multo minus cognoscis operationem Dei qua obseruat omnia studia & opera tua : quia ista operatio est spiritualis & secreta valde. Ad vim itaque huius argumenti prosequendam affert Elihu opera Dei in nubibus, pluuiis, tonitruis, coruscationibus, ventis, motu Solis, &c. Ait ergo, *memento quòd magnificabis opus eius.* vis argumenti proponitur, dicendo, *memento quòd magnificabis* (hoc est, quòd confiteris te magnipensurum) adeò opus Dei, vt dicas te non plenè cognoscere illud.

Opus hic Dei quod.

Vers. 25. DE QVO CECINERVNT VIRI. OMNES HOMINES VIDENT EVM, VNVSQVISQVE INTVETVR PROCVL. Iuxta Hebræum habetur, *quòd viderunt homines. Omnes homines viderunt illud : homo intuebitur à longè.* Manifestat de quo Dei opere loquitur, videlicet de opere exposito oculis hominum, sic quòd omnes homines vident illud, vident autem à longè. per has enim conditiones describitur opus Dei in nubibus, tonitruis, coruscationibus, & huiusmodi. hæc enim patent hominibus : & videntur ab vniuersis, & videntur à longè.

Vers. 26. ECCE DEVS MAGNVS VINCENS SCIENTIAM NOSTRAM : NVMERVS ANNORVM EIVS INÆSTIMABILIS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Ecce El magnus & nesciemus : numeri annorum eius,*

eius, & non inuestigatio. Propositurus opera Dei patentia omnibus non plene cognita ab hominibus, inchoat ab ipsius Dei fortitudine, magnitudine atque duratione ignota nobis. & est sermo de notitia perfecta: valde siquidem imperfectè cognoscit homo diuina.

Vers. 27. & 28. QVI AVFERT STILLAS PLVVIÆ, ET EFFVNDIT IMBRES AD INSTAR GVRGITVM. QVI DE NVBIBVS FLVVNT, QVÆ PRÆTEXERVNT CVNCTA DESVPER. Iuxta Hebræum habetur, *Quia faciet deficere stillas aquarum, stillabunt pluuia ad nubem eius. Quas stillabunt cœli, effundent super hominem multum.* Opus Dei describitur quod sæpe videmus, videlicet quòd pluuiæ grossæ deficiunt citò: incipit enim describere huiusmodi pluuias à celeri defectu, dicendo, *quia faciet deficere stillas aquarum.* Et prosequitur describendo ipsas aquas à modo, dicens, *stillabunt pluuia*, hoc est, pluendo. & à materia, dicens *ad nubem eius*: materia enim pluuiæ est nubes parens Deo. & ab efficiente, dicens, *quas stillabunt cœli*: virtus enim supernorum corporum efficit pluuiam. & à grossitudine, dicendo, *effundent.* & à loco habitato super quem cadit pluuia, dicendo, *super hominem multum.* Quanuis rectius hæc vltima particula referatur ad festinationem: vt significetur tam festina huiusmodi pluuia vt præoccupet homines multos in agris & in itinere. Hoc est primum Dei opus patens omnibus quod proponitur non plenè intellectum.

Opus Dei proponitur. Primò.

Vers. 29. & 30. SI VOLVERIT EXTENDERE NVBES QVASI TENTORIVM SVVM, ET FVLGVRARE LVMINE SVO DESVPER: CARDINES QVOQVE MARIS OPERIET. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam num intelliget extensiones nubis, tumultum umbraculi eius? Ecce expandit super illam lucem suam, & radices maris operuit.* Alterum opus Dei subiungitur quo nubes cum tonitruis extensæ operiunt montes tanquam manentes, & non cum veloci defectu, vt in primo opere. Introducendo autem hoc alterum opus, dicit etiam, *num intelliget* (proculdubio homo) ad manifestandum quorsum hæc affert: videlicet ad hoc quòd hæc Dei opera non sunt intellecta ab hominibus. Descriptio autem operis non est obscura. clarè enim significatur extensio nubium in tumultu tonitruorum quæ fiunt in vmbraculo Dei. ipsa nubium extensio appellatur vmbraculum Dei, eo quòd ad instar vmbraculi super nos paret Deo. Describitur quoque extensio hæc vtrinque. ex parte quidem superiore, dicendo, *ecce expandit super eam* (scilicet nubem) *lucem suam*, hoc est, lucem Solis, quæ expansa deluper scribitur eo quòd tota occultatur nubibus extensis. ex parte verò inferiori, dicendo, *& operuit nubibus radices maris*, hoc est, montes. Et appellat montes radices maris, quia intra montes generantur aquæ fluminum, quarum congregatio appellatur *mare.*

Secundò.

Vmbraculum Dei, de nubium extensione.

Radices maris, de montibus.

Mare, id est, congregatio aquarum.

Vers. 31. PER HOC ENIM IVDICAT POPVLOS, ET DAT ESCAS MVLTITVDINI. Patui refert quòd iuxta Hebræum verba sunt futuri temporis, & Pronomen est pluralis numeri. sensus enim est manifestus. Ad explicandum enim quòd opera hæc naturalia ordinantur à Deo ad diuersos fines, dicit quia in eis (pluuiis videlicet, & nubibus) quandoque iudicat populos puniendo eos, & quandoque dat cibum multitudini: nam quandoque priuant frugibus & fructibus, quandoque autem largiuntur.

Vers. 32. & 33. IN MANIBVS ABSCONDIT LVCEM, ET PRÆCIPIT EI VT RVRSVS ADVENIAT. ANNVNTIAT DE EA AMICO SVO, QVÒD POSSESSIO EIVS SIT, ET AD EAM POSSIT ASCENDERE. Iuxta Hebræum habetur, *Super nubes operuit lucem, & præcepit super eam ad obuiandum. Annuntiabit super eum socio eius, acquisitionem etiam super ascendente.* Proponit tertio loco opus Dei in congregandis nubibus, incipiens à congregatis, dicendo, *super nubes operuit lucem.* tegitur enim solaris lux nubibus ne nobis appareat, manens super nubes. Deinde subiungit modum quo congregantur nubes, vtendo metaphora sociorum sibi inuicem obuiantium de mandato superioris. describit enim nubes quasi socios obuiantes sibi inuicem, præcipiente Deo ipsam obuiationem, annuntiando socio vt obuiet alteri, & præterea hæc annuntiando acquisitionem super ascendente multitudine vaporum multiplicante nubes. Ait enim, *& præcepit super eam* (nubem) *ad obuiandum*, hoc est, vt obuiet alteri nubi. *annuntiabit super eum* (scilicet nubem: apud Hebræos enim nubes modò significatur in masculino genere, & modò in fœminino) *socio eius*, alteri videlicet nubi, vt obuiet socio, *acquisitionem etiam*, hoc est, multiplicationem etiam subsequi annuntiat, *super ascendente* vaporum multitudine. Et verè hoc modo videmus congregari nubes, videlicet quòd nubes iam genitæ obuiant sibi inuicem, & ex multitudine ascendentium vaporum multiplicantur.

Tertiò.

CAPVT XXXVII.

Vers. 1. VPER HOC EXPAVIT COR MEVM, ET EMOTVM EST. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam ad hoc tremet cor meum, & saltabit è loco suo.* Subiuncturus Eliha opus Dei in coruscationibus, tonitruis & fulminibus, describit cor suum tremens tam vehementer vt quasi saltet è loco suo, ad explicandum effectum tonitruorum in timore hominum: ab hoc enim effectu incipit. & propterea consequenter adiungit, Vers. 2. AVDITE AVDITIONEM IN TERRORE VOCIS EIVS, ET SONVM DE ORE ILLIVS PROCEDENTEM. Iuxta Hebræum habetur, *Audite audiendo in tremitu vocem eius, & loquelam ex ore eius exibit.* subauditur *qua*, & *loquelam* quæ *ex ore*, &c. Alios inuitat ad audiendum cum tremore vocem Dei per tonitruum, & tanquam sermonem Dei egredientem ex ore eius. Rationem proprij tremoris declarat esse relationem ad Deum loquentem per tonitrua, inuitando alios ad audiendum cum tremore tonitrua relatiuè ad Deum. Et dixit, hoc ne mollis, seu muliebris animi censeretur timens tonitrua. intendit enim per hæc declarare quòd timor iste relatiuè ad Deum est rationabilis.

Vers. 3. SVBTER OMNES COELOS IPSE CONSIDERAT. Iuxta Hebræum habetur, *Subter omnes cœlos directio eius.* Fulmen describitur ab ipsius fulminis directione subter omnes cœlos. dirigitur enim fulmen ad loca infima aëris, & propterea dicitur, *subter omnes cœlos.* loca enim quæ fulminibus percutiuntur, quamuis relatiuè ad nos sint superiora, relatiuè tamen ad cœlos (inter quos Hebraico sermone comprehenditur

aër) sunt in infima parte cœlorum. ET LVMEN ILLIVS SVPER TERMINOS TERRÆ. Iuxta Hebræum habetur, *& lux eius super alas terræ.* De luce fulguris est sermo. describitur enim lux fulguris super alas terræ, hoc est, apparens in loco in quo volant aues. ad sensum enim videmus apparere huiusmodi coruscationes in illa aëris parte, in qua solent aues volare.

Lux fulguris.

Vers. 4. POST EVM RVGIET SONITVS, TONABIT VOCE MAGNITVDINIS SVÆ. Iuxta Hebræum habetur, *Post eum clamabit vox, commouebit eos in voce altitudinis suæ.* Post apparentiam fulguris describitur vox clamans (hoc est, tonitruum) magno sonitu. Hebræi enim tonitrua appellant voces. Dictio autem interpretata *commouebit*, significat commotionem, seu excitationem, non qualemcunque, sed quæ fit à sonantibus tympanis excitantibus multitudine siue ad arma, siue ab obuiandum alicui imminenti periculo, & similia. Sonitus ergo tonitrui efficacia describitur, dicendo, *commouebit eos homines in voce altitudinis suæ*, hoc est, tanquam vox ex celsitudine cui obuiari non potest prodiens. ET NON INVESTIGABITVR QVVM AVDITA FVERIT VOX EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *& non faciet tardare eos quòd faciet audire vocem suam.* Dixerat post fulgur clamare vocem: declarat illud *post*, dicendo quòd non faciet tardare homines post visum fulgur, expectando quòd faciat audire vocem suam. statim enim post visum fulgur auditur tonitruum.

Vox clamans, id est, tonitruum.

Et tu prudens Lector intellige hunc ordinem relatiuè ad visum & auditum, & non secundùm res ipsas: quoniam (vt superiùs etiam diximus) tonitruum fit prius quàm fulgur, nos autem prius videmus fulgur, quam audiamus tonitruum.

Vers. 5. TONABIT DEVS IN VOCE SVA MIRABILITER, QVI FACIT MAGNA ET INSCRVTABILIA. Iuxta Hebræum habetur, *Commouebit eos El in voce sua, mirabilia faciente, magnitudines, & non scimus.* Actiones fulminum ascribit Deo, & primò ipsam commotionem hominum, dicendo, *commouebit eos El*, Deus fortis, in voce sua, in tonitruo tanquam voce sua. deinde operationem mirabilium quæ fiunt per fulmina, dicendo, *mirabilia faciente.* narrantur enim valde miranda opera fulminum, puta quòd consumit id quod intus in ouo est, illæso cortice, & similia. Mirabilibus quoque adiungit magnitudines: quoniam non solùm mirabilia, sed etiam magna efficit fulmen, scindendo magnas turres, & alia eiusmodi. Demúmque concludit nostram ignorantiam, dicendo, *& non scimus*, non plenè cognoscemus operationem Dei per huiusmodi fulmina.

Fulminum miranda.

Vers. 6. QVI PRÆCIPIT NIVI VT DESCENDAT IN TERRAM. Iuxta Hebræum habetur, *Quia niui dicet: Esto in terra.* A tonitruis, coruscationibus & fulminibus transit ad niues & continuatas pluuias. Coniunctio *quia* refertur ad subiunctum finem, propter quem Deus præcipit niui & pluuiæ. introducit enim Deum dicentem niui & pluuiæ, ad insinuandum quòd solo imperio Deus efficit: ipse enim dixit & facta sunt. Quid autem dicit, manifestatur: videlicet *esto super terram.* Et hoc idem intellige dici pluuiæ grossæ ac continuæ: de qua subiungitur, ET HYEMIS PLVVIIS ET IMBRI FORTITVDINIS SVÆ. Iuxta Hebræum habetur, *& imbri pluuiæ, & imbri pluuiarum fortitudinis suæ.* Et intellige per imbrem pluuiam grossam: nam huiusmodi pluuiam significat dictio Hebraica bis interpretata *imbri.* Grossa igitur pluuia significatur, & continua, adiungendo genitiuum *pluuiæ, & pluuiarum.* ad significandum enim continuitatem dicitur, *& imber pluuiæ*, repetendo imbrem pluuiarum. introducit siquidem Deum dicentem quandoque niui, quandoque pluuiæ grossæ ac continuæ, esto super terram. Quod autem subditur *fortitudinis suæ*, tam ad niuem, quàm ad pluuiam spectat. ingens siquidem vtriusque copia significatur per hoc quòd est à diuina fortitudine.

Niues & pluuia.

Imber, de grossa pluuia.

Vers. 7. QVI IN MANV OMNIVM HOMINVM SIGNAT, VT NOVERINT SINGVLI OPERA SVA. Iuxta Hebræum habetur, *In manu omnis hominis sigillabit, vt sciant omnes homines operis eius*, hoc est, aliquid operis eius. Effectus siquidem vehementis niuis ac pluuiæ describitur prius quo ad homines, & deinde quo ad animalia agrestia. Et quo ad homines quidem dicitur quòd Deus *sigillabit*, hoc est, ad instar sigillantis claudet, in manu omnis hominis, hoc est, executionem eorum quæ sunt in potestate hominum, vt cognoscant omnes homines aliquid diuini operis. nam siue multitudo fuerit niuis, siue multitudo grossæ ac continuæ pluuiæ, impediuntur homines non solùm ab agricultura & militia, sed etiam ab itinere & ab executione innumerabilium negotiorum. De agrestibus verò animalibus subiungitur, Vers. 8. INGREDIETVR BESTIA LATIBVLVM SVVM, ET IN ANTRO SVO MORABITVR. Sententia clara est.

Vers. 9. AB INTERIORIBVS EGREDIETVR TEMPESTAS, ET AB ARCTVRO FRIGVS. Iuxta Hebræum habetur, *Ab aula veniet Auster, & à sparsionibus frigus.* Transit ad ventos Australem & Septentrionalem. per aulam siquidem intelligit polum antarcticum, eo quòd occultatur nobis, quemadmodum aula palatij non patet: polum verò arcticum vocat spartiones, eo quòd eius sidera sparsa sunt apud intuitum nostrum. Meridionalis autem ventus proprio nomine significatur, dicendo *Auster*: Septentrionalis verò ab effectu, dicendo *frigus*, frigefacit enim ventus ille.

Aula, de polo antarctico.

Sparsiones de arctico polo.

Vers. 10. FLANTE DEO CONCRESCIT GELV, ET RVRSVM LATISSIME FVNDVNTVR AQVÆ. Iuxta Hebræum habetur, *A flatu El dabitur gelu, latitudo aquarum in stillatione.* Vtriusque venti effectus describitur. Vterque appellatur flatus Dei fortis. & quatenus Deus flat à Septentrione, dat gelu: quatenus verò flat à Meridie, dat latitudinem aquarum in stillatione niuium quas liquefacit.

Vers. 11. FRVMENTVM DESIDERAT NVBES, ET NVBES SPARGVNT LVMEN SVVM. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam in claritate fatigabit nubem, spargit nubem lux eius.* Transit ad opera Dei per lucem cœlestem, in qua præcipuum tenet locum Sol: quamuis litera nunquam nominet *solem*, sed *lucem.* Primum autem opus quod attribuitur cœlesti luci, est purificare aërem à nubibus. Et describitur hæc purificatio duabus actionibus, fatigando videlicet, & spargendo. vigor enim cœlestis lucis consumendo attenuat nubes, & propterea metaphoricè dicitur fatigare eas: attenuatas autem etiam consumendo spargit, pro quanto & intercisè consumit, & pellit eas ad resolutionem.

Opera Dei per lucem cœlestem.

Vers. 12. QVÆ LVSTRANT CVNCTA PER CIRCVMITVM, QVOCVNQVE EAS VOLVNTAS GVBERNANTIS DVXERIT. Iuxta Hebræum habetur, *Et ipse circungyrationibus se voluit in ingenijs eius.* Pronomen *ipse* demonstrat cœlestem lucem, præcipuè in astris erraticis: quoniam in illis præcipuè apparet quòd circungyrationibus voluuntur. De vniuerso tamen astrorum ordine verificantur hæc & subiuncta. ad sensum enim videmus astra omnia volui circungyrationibus: solo polo excepto, qui immobilis semper appareret. Ingenia autem appellantur tum duodecim signa Zodiaci, tùm signa alia extra Zodiacum: vt vtraque vrsa, & orion, &c. Appellantur autem ingenia, eo quòd valde ingeniosè fabricata sunt huiusmodi sidera quæ signa, seu figuras cœlestes appellamus. Et quoniam erratica astra voluuntur circungyrationibus in signis Zodiaci, ideo de ipsis præcipuè videtur hoc dici. AD OMNE QVOD PRÆCEPERIT ILLIS. Iuxta Hebræum habetur, *ad opus eorum, omne quod præcipiet eis.* Dixerat *& ipse*, in numero singulari, dicit modò *ad opus eorum*: vt intelligamus quòd non de vno cœlesti corpore lucente, sed de multis loquitur. Et reuolutionem astrorum circungyrantium in figuris suis, dicit ordinari ad opus eorum omne quodcunque præceperit Deus eis. Nota *opus eorum*; quia ad differentiam operum non naturaliter conuenientium astris hoc dicitur. intendit enim in toto hoc tractatu Elihu naturalia opera attribuere Deo, vt suprà scripta clarè testantur. SVPER FACIEM ORBIS TERRARVM. Ad limitandum de quo astrorum opere loquitur, adiungit, *super faciem orbis terrarum* ad differentiam operis astrorum in visceribus terræ, & in elementis, quæ non fiunt super faciem terræ quam habitamus.

Ingenia, de duodecim signis Zodiaci, & alijs extra Zodiacum, cur.

Vers. 13. SIVE IN VNA TRIBV, SIVE IN TERRA SVA, SIVE IN QVOCVNQVE LOCO MISERICORDIÆ SVÆ EAS IVSSERIT INVENIRI. Iuxta Hebræum habetur, *Si in virga, si in terra sua, si in gratia faciet inuenire eum.* Pronomen *eum* demonstrat ordinem astrorum quæ reuoluuntur circumgyrando, &c. Et dicit quòd Deus faciet inuenire eum ad exequendum opus super terram quod præcipiet eis, cum tanta efficacia quòd *si in virga* (hoc est, ad opus iustitiæ) præcipiet, faciet inuenire eum obsequentissimum: & *si in gratia* (hoc est, ad opus gratiæ) præcipiet, faciet inuenire eum obsequentissimum: & *si in terra sua* (hoc est, ad feracitatem terræ, quia est sua, hoc est, ipsius Dei) præcipiet, faciet inuenire eum obsequentissimum. Aduerte prudens Lector quòd Elihu ad tres fines summat opera naturalia circa terram quatenus sunt à prouidentia diuina, videlicet ad virgam, ad gratiam, ad terram suam. Et virga quidem siue castigationis, siue punitionis, iustitiæ opera comprehendit. & propterea tam virga, quàm gratia ad merita hominum referuntur: virga quidem ad castigandum, seu puniendum homines pro peccatis eorum, gratia verò ad benignè conferendum bona hominibus iustis. Deus enim nec iustis debitor est, sed benemerentibus benignus gratuitò est, & scribitur, ac dicitur à sapientibus. Medius autem interponitur finis, dicendo, *si in terra sua.* quum scilicet Deus non propter hominum merita, sed vt prouideat terræ suæ, hoc est, vt terram, quam ipse fecit, cuiúsve curam habet, gubernet prout decet dominum gubernare res suas.

In virga, pro ad opus iustitiæ. In gratia, pro ad opus gratiæ. In terra, pro ad feracitatẽ terræ.

AVSCVLTA HÆC IOB: STA, ET CONSIDERA MIRABILIA DEI. Nomen est *El.* Explicaturus humanam ignorantiam operum diuinorum mirabilium apparentium in cœlis, excitat Iobem ad auscultandum, ac standum: hoc est, ad instar stantis attendendum, & demum ad intelligendum subiuncta opera Dei fortis admiratione digna. Vers. 14.

NVNQVID SCIS QVANDO PRÆCEPIT DEVS PLVVIIS, VT OSTENDERENT LVCEM NVBIVM EIVS? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid scies ponente Eloah super eos, & faciendo illustrare lumen nubis suæ?* Pronomen *eos* demonstrat astra circumgyrantia: nubes autem eius, congeries est vaporum quæ appellatur *cometes*, & describitur non ab inflammatione, sed à lumine, tanquam illuminetur à cœlestibus astris: quoniam lumen cometis quamuis igneum sit, caussatur tamen ab astro, seu sidere, cuius apparet quasi coma. Primum itaque mirabile opus cœlestis lucis apparens omnibus, affertur cometes minus cognitus, dicendo, *Nunquid scies Eloah*, Deo gubernante, ponente super eos, hoc est, ordinante & disponente astra, & faciendo illustrare lumen nubis suæ, quæ dicitur *cometes?* quasi dicat, minimè. Dispositionem qua astra efficiunt cometem, ignorari ab hominibus dicit, & multitudo opinionum testatur quòd diuinando loquimur de cometis caussa, & effectu. Vers. 15.

Cometes.

NVNQVID NOSTI SEMITAS NVBIVM MAGNAS, ET PERFECTAS SCIENTIAS? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid scies super expansiones nubis: mirabilia perfecte scientijs?* Alterum mirabile apparens in cœlis affertur non solùm ignotum, sed etiam admirandum viris doctissimis, & est via lactea, quæ tanquam nubes clara apparet in cœlis. circa illam enim etiam Aristoteles deliraſſe videtur. Ait itaque, *nunquid scies super expansiones nubis* (apparens enim nubes illa expanditur in longum per vniuersum certum circulum cœli, nunquam mutando locum, vt ad sensum videmus) mirabilia etiam hominil perfecto scientiis? quasi dicat, minimè scies. Et tu prudens Lector collige effectus quatuor cœlestis lucis propositos, videlicet consumere nubes, circumgyrando exequi prouidentiam Dei super terram, efficere cometem, & viam lacteam. Vers. 16.

Via lactea apparens in cœlo.

NONNE VESTIMENTA TVA CALIDA SVNT, QVVM PERFLATA FVERIT TERRA AVSTRO? Vers. 17.

TV FORSITAN CVM EO FABRICATVS ES COELOS. Iuxta Hebræum habetur, *Qui vestibus tuis calidis faciendo quiescere terram à meridie. Extendes cum eo ad cœlos.* Æstuantem in agricultura fatigatum hominem alloquitur, interrogatiuè proponendo ei, an concutret cum Deo ad faciendum extensionem quæ fit ad cœlos: apertissimè ex fatigatione hominis in cultu terræ, confutans vires hominis relatas ad opera Dei. Et intendit per hoc ad literam manifestare Iobi quòd quemadmodum vires hominis manifestè deficiunt incomparabiliter relatæ ad opera Dei, ita intellectus hominis deficit à notitia operum Dei. Homo itaque æstuans hora meridiana propter agriculturæ laborem, atque fatigatus dans illa hora quietem terræ, quiescendo paululum ab opere æstiuo tempore, describitur ex eo quòd calet non solùm corpore, sed vestibus. Vers. 18.

Fatigatio à faciendo quiescere terram, descripta.

bus. fatigatio autem describitur à faciendo quiescere terram: quiescente enim homine fatigato quiescit & terra æstus autem meridiani temporis qui in diebus longioribus est, describitur à plaga meridionali: propter similitudinem enim effectus significatur tempus caloris à loco vnde venit calor. Ait itaque increpando ac manifestè conuincendo Iobem in persona humani generis. *qui vestibus tuis calidis es faciendo quiescere terram à meridie* (hoc est, à tempore æstus) *extende sine cum Deo ad cœlos*: Reuoca ad memoriam scripta in principio Geneſis iuxta Hebraicam veritatem (videlicet, quòd Deus fecit extensionem à primo mobili vsque ad elementum aquæ) & intelliges quid significatur hìc dicendo, *extendes cum eo ad cœlos*. est enim extensio illa continuatio corporum diaphanorum à primo mobili vsque ad hæc infima. QVI SOLIDISSIMI QVASI ÆRE FVSI SVNT. Iuxta Hebræum habetur, *fortes sicut speculum fusum*. Ad differentiam sphærarum elementarium ignis & aëris (quæ etiam vocantur cœli apud Hebræos) dicitur de cœlestibus corporibus, *fortes sicut speculum fusum*, hoc est, speculum æreum quod fusorio opere sit. Soliditas fortitudine, perspicuitas per speculum, planicies per fusionem insinuatur corporum cœlestium: & Præpositio *ad*, accumulationem significat. Ita quòd sensus est, extende sine cum eo etiam ad cœlos fortes sicut speculum fusum, vt tanto excellentius opus Dei describeret. humanarum verò virium infirmitatem describit à fatigatione in agricultura: quia agricultura est prima inter hominum artes, vtpote quæ etiam in statu innocentiæ indicta fuit homini, & quam primum exercuit Noe egressus de arca.

Agricultura inter hominũ artes prima.

Vers. 19. * OSTENDE NOBIS QVID DICAMVS ILLI. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Fac scire nos quid dicemus ei*. Completa argumenti ratiocinatione aduersùs Iobem tanquam præsumentem arrogare sibi notitiam diuini operis quo Deus obseruauit omnes vias eius, irridendo dicit Iobi, *fac nos scire quid dicemus Deo*. Et ad literam tendit directè aduersus Iobis desiderium proponendi causam suam coram tribunali diuino, cum fiducia obtinendi sententiam pro se: vt manifestè dixerat *in cap.* 23. Quod vt plenè intelligas, perpende quòd (vt subiuncta testantur) præsupponit Elihu ex supradictis operibus Dei occultatis humano generi, homines habere occasionem proponendi causam coram trinali diuino: causam, inquam, eo quòd iniustè cum humano agi videtur genere, occultando hominibus opera Dei sensibilia. Et ad proponendum hanc litem coram Deo, dicit Elihu Iobi, *fac nos scire quid dicemus ei*: acsi apertiùs dixisset, tu qui arrogas tibi scientiam defendendi causam tuam coram tribunali Dei, & vincendi, fac nos scire quid dicendum est Deo à nobis in hac communi causa ignorantiæ humanæ, ad hoc vt vincamus, & obtineamus sententiam à Deo pro nobis: huc enim tendunt iuxta Hebraicam veritatem subiuncta. NOS QVIPPE INVOLVIMVR TENEBRIS. Iuxta Hebræum habetur, *non ordinabimus à facie obscuritatis*. Non irridendo, sed seriò dicit hæc. *Ordinare* significat disponere litem, & causæ meritò texere. profitetur enim Elihu quòd nos (in persona reliquorum hominum) non sumus imitaturi te Iobem ad proponendum coram Deo litem, *à facie obscuritatis*, hoc est, à persequente nos obscuritate notitiæ diuinorum operum. Et rationem subiungit. QVIS NARRABIT EI QVÆ LOQVAR? Vers. 20. Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid narrabitur ei quia loquar?* Et est ordo literæ: nunquid quia loquar ordinando litem, ideo narrabitur ei? quasi dicat, nequaquam. Vanam ordinationem litis insinuat esse, ex hoc quòd quantumcunque dixero non defertur causa ad iudicium diuini tribunalis. ETIAM SI LOQVVTVS FVERIT HOMO DEVORABITVR. Iuxta Hebræum habetur, *nunquid dixit vir quia destruetur?* Et est ordo literæ. nunquid quia destruetur homo, ideo dixit vir? quasi dicat, minimè. Et est sensus, nunquid ordinauit aliquis litem ex hoc quòd homo obnoxius est corruptioni. Altera est hæc probatio à simili, quòd quemadmodum non litigandum ducimus coram Deo de infirmitate ac corruptione corporum nostrorum, ita non est litigandum de obscuritate cui subiacet intellectus noster.

Ordinare, pro disponere.

AT NVNC NON VIDENT LVCEM: SVBITÒ Vers. 21. AER COGETVR IN NVBES, ET VENTVS TRANSIENS FVGABIT EAS. Iuxta Hebræum habetur, *Et nunc non viderunt lucem, fruſtatim ipsa in cœlis: & ventus transiuit, & mundauit eos*. Soluit Elihu quæstionem, quare scilicet non est locus querelæ ob operum Dei occultationem. Et ad veritatem insinuandam affert similitudinem ex diuerso modo quo videmus solem in diuersis dispositionibus cœlorum. quando enim in aëre sunt nubes fruſtatim, tunc videmus solem tanquam per fruſta: partim enim videmus, & partim non videmus, quia ipsa Solis lux fruſtatim apparet tunc in cœlis. quando verò transiens ventus mundauerit cœlos à fruſtis nubium, tunc clarè totum videmus solem. Iuxta hanc similitudinem dicit nos in præsenti vita non videre Deum nisi fruſtatim (hoc est, partim cognoscendo, & partim ignorando lumen diuinorum operum) post præsentem verò vitam munda iam à corpore anima videbit Deum clarè. Hæc est sententia Elihu. cuius similitudinem primò proponit, dicendo, & nunc existentibus fruſtis nubis in cœlo, non viderunt homines lucem solarem integrè. Et declarando illud nunc simul cum ratione non videndi, subiungit, *fruſtatim ipsa in cœlis*, hoc est, quia per fruſta apparet ipsa lux in cœlis. Deinde subiungit alteram partem, dicendo, *& ventus transiuit, & mundauit eos*, cœlos à nubibus.

Opera Dei hominibus occulta.

Deum in præsenti vita videri nè posse nisi fruſtatim.

AB AQVILONE AVRVM VENIT, ET A DEO FORMIDOLOSA LAVDATIO. Iuxta Hebræum habetur, *A siniſtra aurum veniet, super Eloah formidato ornamentis*. Dictio interpretata *siniſtra*, propriè significat siniſtram: quia tamen Hebræi Septentrionalem partem appellant *siniſtram*, ideo interpretes transtulerunt *ab Aquilone*. Sed quocunque modo legatur, sensus in idem redit. applicat siquidem Elihu allatam similitudinem ad propositum intellectus humani relatiuè ad cognoscendum Deum: & priùs applicat secundam partem, & deinde primam. Secunda autem pars fuit quòd ventus transiuit, & mundauit cœlos vt videretur clarè sol: applicando hoc ad nos dicit, à siniſtra aurum veniet super Eloah: hoc est, à morte emerget anima hominis munda vt aurum super Eloah, non absolutè, sed vt videndo: hoc est, emerget munda vt aurum Vers. 22.

relatiuè

relatiuè ad videndum Eloah, Deum gubernatorem ac iudicem omnium.

Vbi prudens Lector aduerte quòd duo simul officia exercet Elihu. Alterum quòd intendit confutare Iobem qui dixerat *in cap.* 23. quòd afflictio eius reddebat animam ipsius mundam tanquam aurum: hac siquidem occasione similitudine auri vtitur Elihu, dicendo quòd non afflictio, sed mors reddit animam hominis mundam tanquam aurum. Alterum est quòd Elihu sectabatur illos qui negant miserias & pœnas alterius vitæ: putantes quidem animas hominum esse immortales, sed per mortem mundari à fœcibus corporeis, & emergere felices. isti enim sunt qui *in Psalmo* 35. introducuntur, dicentes, *filij hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt, inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, quoniam apud te est fons vitæ*, &c. Et in hoc Elihu consentit verbis Iobis *in tertio cap.* propositis de quiete animarum eorum qui moriuntur infantes, quiete, inquam, cum Regibus & consulibus terræ, &c. Aptè quoque mors describitur per *sinistram*, siue Aquilonem, siue sinistrum intelligas: quoniam morimur frigore, quemadmodum viuimus calido: frigus enim Aquiloni attribuitur. & similiter nihil sinistrius morte, quæ priuat hominem totius vitæ successibus quantumcunque prosperis. Quod autem adiungitur, *formidato ornamentis*, insinuat Dei excellentiam, quòd scilicet anima munda à corpore videbit quidem Eloah, sed non tanquam socium, sed in tanto ornatu, vt timendus sit ab omnibus. ad instar siquidem magni Principis sedentis cum magno apparatu ornamentorum ita vt non solùm admirationis, sed etiam stuporis timorem inferat, describitur Deus videndus: & ideo nominatur Eloah formidatus ornamentis. Et per hanc metaphoram significatur plenitudo omnium nobilitatum ac perfectionum relucens in Deo cum tanta eminentia, vt venerationem maximam inferat videntibus.

Psalm. 35. 8, 9, 10.

Mors per sinistram descripta.

Dei excellentia.

Eloah formidatus ornamentis, cur.

Vers. 23. DIGNE EVM INVENIRE NON POSSVMVS. Iuxta Hebræum habetur, *Saddai, non inuenimus eum.* Applicat primam partem similitudinis ad propositum. & loco lucis frustatim apparentis in cœlis, dicit *Saddai*; & loco eius quod dixerat, *& nunc non viderunt lucem*, dicit, *non inuenimus eum.* Ratio itaque quare intellectus humani inquisitio non peruenit ad hoc vt inueniat Deum coram, redditur, quia Deus est Saddai, hoc est, vincens omnia, ac per hoc vincens inuestigationem nostram. hoc enim facit vt tanquam frustatim opera eius cognoscamus. MAGNVS FORTITVDINE ET IVDICIO ET IVSTITIA: ET ENARRARI NON POTEST. Iuxta Hebræum habetur, *magnus potentia, & iudicio, & multitudine iustitiæ non affliget.* Quamuis, inquit Elihu, frustatim non inuenerimus Deum vt haberemus eum coram, cognoscimus tamen quòd est magnus & potentia, & iudicio, & multitudine iustitiæ executiuæ. & propterea quantum est ex parte sua non affliget: hoc est, non affliget hominem non merentem affligi, quia ei placet affligere illum. Et dicit hoc directè contra Iobem, qui *in cap.* 23. attribuerat afflictionem suam voluntati Dei. contra hoc enim directè dicit Elihu quòd Deus non solùm est magnus potentia (vt possit facere quicquid vult) sed est magnus iudicio, & multitudine exequendæ iustitiæ: & propterea quantum est ex parte sua non affliget, sed iudicio duntaxat, & iustitia exigente.

Deus quare inueniri non possit in hac vita, nisi ex parte.

IDEO TIMEBVNT EVM VIRI, ET NON AVDEBVNT CONTEMPLARI OMNES, QVI SIBI VIDENTVR ESSE SAPIENTES. Iuxta Hebræum habetur, *Ideo timebunt eum homines, non videbit omnes sapientes corde.* Sæpe Hebræi vtuntur singulari cum plurali: & ideo hîc scribitur, *omnes sapientes non videbit*, pro *non videbunt.* Ratio autem constructionis eorum redditur ex sensu: aiunt enim sensum esse quòd nullus sapiens videbit. Concludit itaque Elihu ex Dei conditionibus declaratis quòd ideo timebunt eum homines, quia videlicet est magnus potentia, iudicio, & multitudine iustitiæ: & ideo, quia scilicet est Saddai, non videbit eum quicunque sapiens corde, hoc est, non perueniet inuestigando ad hoc vt videat eum. Et sic concludit contra ipsum Iobem, quem putabat Elihu non timere Deum, & cupientem videre Deum ad proponendam causam suam coram tribunali eius. Vers. 24.

Aduerte prudens Lector quòd argumentum Elihu contra Iobem quo ad hoc quòd Iob profitebatur se nosse quòd Deo scrutante eum ipse erat iustus, validum est infra limites naturalis notitiæ sistendo: delicta enim quis intelligit? Nec scio excusare Iobem, nisi dicendo quòd Iob ex diuina reuelatione cognouerat quòd afflictio eius illata ei fuit, non propter peccata, sed ad probationem: quod verba ipsius superiùs insinuant, dum dicit quòd Deus præsciebat quòd ipse Iob non esset peccaturus in hac afflictione *in cap.* 10. quòd mundatur vt aurum *in cap.* 23. contra hanc siquidem notitiam non militat argumentum Elihu ex hoc quòd opera Dei sunt nobis occulta.

CAPVT XXXVIII.

RESPONDENS AVTEM DOMINVS. Iuxta Hebræum habetur, *Et respondit Iehouah Iob de turbine.* Hactenus locuti sunt homines, nunc incipit loqui Deus. Et introducitur respondens non cuicunque, sed Iobi, eo quòd Iob direxerat sermonem suum ad Deum: vt patet *in cap.* 13. introducitur enim Deus tandem respondens Iobi prouocanti eum. Et nominatur *Iehouah*, eo quòd quatenus dat esse rebus loquitur subiuncta. Describitur autem respondens *de turbine*, ad insinuandum quòd respondet ad instar Principis increpantis cum indignatione. ET DIXIT. Modus quo Deus dixit subiuncta Iobi, non est scriptus. rationi tamen consentaneum est quòd fuerit sermo iste tam prolixus, in somnis, vel in ecstasi, apparente Iobi Deo in forma indignati increpando eum, dicendo subiuncta. Vers. 1.

Deus Iehouah cur.

QVIS EST ISTE INVOLVENS SENTENTIAS SERMONIBVS IMPERITIS? Iuxta Hebræum habetur, *Quis iste, obscurans consilium in verbis absque scire.* Antequam increpet Iobem, dicit Iobi de Elihu qui tam longo sermone locutus fuerat in fauorem Dei, *quis iste.* Non interrogando, sed arguendo dicit, *quis iste*, ad insinuandum quòd ipse Deus non misit eum ad loquendum in fauorem sui: ad insinuandum quòd quantum ad officium loquendi pro Deo, non approbatur ab ipso Deo, sed reprobatur, dicit, Vers. 2.

quis

quus ille. Ratio autem reprobationis subiungitur, dicendo, *obscurans consilium in sermonibus absque scire.* De diuino consilio circa præmia & pœnas hominum est sermo: & dicitur quòd Elihu obscurat illud sermonibus absque scire illud. Relege dicta ab Elihu, & perpendes veritatem hanc. Elihu siquidem multos vetos sermones protulit: tum quòd Deus nouiter loquitur non mutatus ipse, sed mutatione interueniente in nobis: tum quòd Deus nulli facit iniustitiam: tum quòd opera Dei sunt occulta hominibus, sic quòd partim cognoscuntur, & partim ignorantur. sed sermones isti quantuncunque veri, quia fuerunt absque notitia diuini consilij circa præmia & pœnas hominum, ideo tendunt ad obscurandum diuinum consilium circa præmia & pœnas hominum. Consilium siquidem diuinum quod ab æterno concluſit apud seipsum, & in tempore reuelauit, est retribuere præmia & pœnas hominum in vitam alteram: & hoc loquendo de præmio & pœnis simpliciter & absolutè, verissimum est. Elihu autem sermones reddunt hominibus obscurum hoc consilium, quoniam ad inferendum oppositum proferuntur, videlicet ad asserendum quòd aduersitates & prosperitates præsentis vitæ, sunt simpliciter & absolutè pœnæ pro peccato, & præmia pro iustitia hominum. meritò ergo reprobatur Elihu locutus in fauorem Dei. Oportuit autem ante increpationem Iobis reprobare Elihu locutum pro Deo, ad ostendendum excellentiam vt Deus loqueretur. ex hoc enim quod Elihu qui pro Deo locutus fuerat, male gessit officium pro Deo, oportuit Deum ipsum respondere pro seipso Iobi: & propter hanc rationem reuelat Iobi reprobationem Elihu.

Elihu reprobatur locutus pro Deo.

Hanc expositionem excogitani, secutus intelligentes hæc verba dicta de Elihu: sed quia in capitulo vltimo respondens Iob Deo resumit hæc verba, ideo hæc Dei verba de ipso Iobe dici intelligo. ita quòd Deus ad Iobem loqui incipit de ipso Iobe in tertia persona, arguendo ipsum de insciti quidem verborum in genere, sed de damno diuini consilij obscurati in specie. Antequam enim descendat ad ipsa verba in specie, arguendo manifestat nocumentum illatum ex verbis Iobis consilio diuino, videlicet quòd verba eius sine scientia dicta obscurant diuinum consilium de præmio & pœna humanarum actionum. verba enim Iobis multa (vt infra patebit) fuerunt scandalosa, vtpote habentia speciem mali: & propterea quantum in ipsis erat, reddebant obscuram veritatem diuini consilij quam profitebatur Iob: scandalizati enim impediuntur & retrahuntur à doctrina scandalizantis. Et quia in verbis Iobis scandalum nascebatur ex arrogantia scientiæ qua homo caret (scientiæ videlicet sufficientis ad disputandum cum Deo, scientiæque peccatorum propriorum imputatorum ipsi Iobi à diuina iustitia) ideo dicitur in verbis *in non scire*, seu absque scientia.

Vers. 3.

ACCINGE SICVT VIR LVMBOS TVOS. Deficit Aduerbium *nunc*: legendum est, *Accinge nunc sicut vir lumbos tuos.* Dictio interpretata *vir*, significat virum qualificatum, puta virum strenum. Deus indignati more inuitat Iobem, & irridendo eum dicit ei, *accinge nunc sicut vir strenuus lumbos tuos.* perinde ac si dixisset, arma nunc te armis tuis sicut vir strenuus ad committendum duellum mecum. cingere enim lumbos ad instar viri strenui, est præassumptis armis defensiuis accommodare ensem lateri. ad duellum siquidem literarium quòd ipse Iob proposuerat veniens Deus, improperando Iobi strenuitatem eius dicit, accinge nunc sicut vir strenuus lumbos tuos, & veni ad duellum. dicenti enim Iobi in cap. 13. *cupio disputare cum Deo*, respondet Deus, *accinge nunc*, ecce tempus duelli à te concupiti: ecce venio ad literarium duellum tecum, accinge nunc lumbos, arma te scientiæ tuæ armis. INTERROGABO TE, ET RESPONDE MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *interrogabo te, & fac scire me.* Iob in dicto capitulo non solùm dixit, disputare cum Deo vellem, sed etiam obtulit Deo optionem vt vel arguentis, vel respondentis officium eligeret, dicendo, *Voca, & ego respondebo, vel loquar, & responde mihi:* & ante hæc verba præmisit, *noui quòd ego iustificabor.* Ad hæc itaque Deus respondet eligendo officium arguentis, dicens, *interrogabo te.* Et increpando cum ironia arrogantiam vincendi, subiungit, *& fac scire me*, hoc est, & doce me. Perpende hîc prudens Lector peccatum Iobis, contra quod Deus tanquam indignatus loquitur: vt simul intelligas quò tendit tam prolixus Dei sermo. in istis siquidem primis verbis proponitur peccatum Iobis commissum, dicendo illa verba scripta *in c.* 13. peccauit siquidē Iob specie arrogantiæ: non dico quòd peccauit arrogantia, sed quòd peccauit specie arrogantiæ. Declaro singula. non peccauit arrogantia, arrogando sibi scientiam non solùm parem, sed prævalentem scientiæ Dei: hoc enim tam stultum atque blasphemum est, vt nec cogitabile sit. peccauit autem specie arrogantiæ: quia verba eius præ se ferunt arrogantiam, quia verba eius suapte natura sunt verba arrogantis. qui enim cupit disputare cum aliquo, & dat ei opinionem arguendi, vel respondendi, dicendo quòd vincet, proculdubio verba ipsa sonant arrogantiam tantæ scientiæ, vt superet disputando, quantuncunque intentio dicentis hæc verba non sit arrogare sibi tantam scientiam. Contra illud igitur præceptum ab omni specie mali abstinete vos, peccauit Iob, officium arrogantis in verbis suis exercens. quod peccatum tanto grauius fuit, quanto relatiuè ad Deum verba arrogantiæ dicta sunt.

Peccat Iob specie arrogantiæ.

At si dixeris quòd Deus intuetur cor, & vidit quo animo Iob verba illa dixit, respondebimus quòd Deus non reprehendit intentionem, sed verba publica habentia speciem arrogantiæ scientiæ tantæ quòd disputando cum Deo obtineret in causa sua. scandalosa siquidem erant hæc verba: & propterea non possunt excusari à peccato. Hoc est igitur peccatum Iobis quod hic reprehenditur, & propterea irridendo improperat ei Deus, *& fac scire me.* Et quia disputatio suapte natura inter pares est (vt ipsemet Iob confessus fuit *in cap.* 16. in cuius signum Doctores dedignantur disputare cum non Doctoribus) ex hoc ipso quòd Iob obtulit se disputaturum cum Deo, nonnullam paruipensionis Dei speciem incurrit: ita quòd peccatum eius non solùm offendit eminentiam scientiæ diuinæ, sed annexam habuit offensionem excellentiæ Dei. Et hinc colligitur quò tendit sermo diuinus qui subiungitur. tendit siquidem ad confutandum arrogantiam scientiæ, & paruipensionem

Vir dictio, de viro qualificato.

pensionem excellentiæ Dei: verba enim Iobis vtriusque mali speciem habebant.

A confutatione itaque vtriusque inchoat,
Vers. 4. dicendo: VBI ERAS QVANDO PONEBAM FVNDAMENTA TERRÆ? Iuxta Hebræum habetur, *Vbi fuisti fundante me terram?* Quia corpus hominis ex terra constat, & habitatio hominis in terra est, conuincitur homo quòd non erat fundante Deo terram: & ex hoc directè confutatur parui pensio Dei. Dicit autem, *fundante me terram*; hoc est, à fundamentis construente me terram. intendit enim describere seipsum ad instar artificis ædificantis domum fecisse terram non secundùm partem, sed totam: & propterea dicit, *fundante* (hoc est, à fundamentis construente) *me terram.* INDICA MIHI, SI HABES INTELLIGENTIAM. Iuxta Hebræum habetur, *annuntia (si nosti) intelligentiam.* Ad confutandam arrogatam scientiam, dicit, *annuntia intelligentiam, si nosti.* hoc est, si tanta polles scientia, annuntia intelligentiam huius quæsiti: videlicet, vbi fuisti fundante me terram. quasi dicat, cùm non possis intelligere vbi fueris (nisi in mente mea) agnosce teipsum.

Vers. 5. QVIS POSVIT MENSVRAS EIVS, SI NOSTI? Legendum est, *quia scies?* Vt dictum est, constructio terræ describitur ad instar ædificandæ domus: cuius primò decernitur quantitas secundùm omnes dimensiones. ad hoc enim spectat quod dicitur, *quis posuit mensuras eius*, scilicet terræ mensuras secundùm longitudinem, latitudinem & profunditatem? quis decreuit & dedit terræ certam longitudinem, certam latitudinem, certam profunditatem? Solius enim opificis summi opus est hoc, consequens ad certas mensuras totius vniuersi. si enim Deus fecisset vniuersum maius, aut minus, terram quoque secundùm omnes dimensiones fecisset maiorem, aut minorem: quoniam debet esse proportionata Vniuerso. Adiungit autem, *quia scies*, vt intelligamus quòd ad confutandum arrogantiam scientiæ hæc dicit. Et est sensus, quia verba tua arrogant scientiam ad disputandum mecum. & propterea vtitur verbo futuri temporis: disputatio enim imminebat. VEL QVIS TETENDIT SVPER EAM LINEAM? Positis mensuris domus, extendit artifex lineam, seu filum ad rectè ædificandum, & iuxta hanc similitudinem dicit Deus, *vel quis extendit super eam* (id est, terram ædificandam) *filum*, tanquam regulam ædificationis. Et ad literam describitur creatio terræ similis ædificationi domus: ad insinuandum quòd terra facta est ab agente à proposito, quòd facta est à Deo vt artifice, quòd facta est secundùm singulas eius conditiones artificiosè. Ipsa itaque moderatio corporeæ molis generabilis & corruptibilis, qua grauissima portio eius directa est ad locum Vniuersi infimum, linea fuit in constructione terræ.

Vers. 6. SVPER QVO BASES ILLIVS SOLIDATÆ SVNT? Legendum est, *defixæ*, seu, *suffundata sunt?* dictio enim Hebraica significat *pone in fundo.* In ædificatione siquidem domus foditur terra, faciendo fossam quousque inueniatur solidum quid, super quod fundamenta domus iaciantur. ad hanc siquidem similitudinem dicitur, *super quo bases terræ defixæ*, seu *suffundatæ sunt*, quod est dicere, super quo sustentatur terra. & hoc proculdubio est centrum mundi. AVT QVIS DEMISIT LAPIDEM ANGVLAREM EIVS? Parui refert quod Hebraicè habetur, *vel quis iecit lapidem ad angulum eius?* Primus lapis qui iacitur ædificando domum, est lapis ad angulum in imo fundamenti. ad cuius similitudinem dicitur de terra, Quis iecit lapidem ad angulum eius, hoc est, quis fundauit terram: iacens enim primum lapidem est fundator. Et sic quod primum proposuerat quasi indistinctè, dicendo fundante me terram, declarauit distinguendo per partes quattuor, videlicet mensuras, lineam, soliditatem & lapidem primum. Et quia ipsa fundatio terræ assimilata iactui primi lapidis non præcessit constructionem totius terræ; quemadmodum iactus primi lapidis præcedit integritatem ædificij (terra enim tota simul creata est) ideo iactus primi lapidis in creatione terræ fuit creatio terræ ab imo vsque ad summum. partes enim in centro sunt tanquam lapis primus relatiuè ad partes superiores: vtpote tanquam partes immediatè super fundamentum positæ ad sustentandum alias.

Vers. 7. QVVM ME LAVDARENT SIMVL ASTRA MATVTINA, ET IVBILARENT OMNES FILII DEI. Iuxta Hebræum habetur, *Cantantibus simul stellis manè, & iubilauerunt omnes filij Elohim.* Non est in Hebræo Pronomen *me*, & genitiui casus est *manè*, & dictio interpretata *iubilauerunt*, significat sonum festiuum. prosequitur enim metaphoram ædificationis palatij, alludendo consuetudini qua consueuerunt adesse musici cum festiuo tam cantu, quàm sono, quando Princeps iacit primum palatij lapidem: consueuit enim actus ille fieri cum magna celebritate & festiuitate. ad hanc similitudinem dicit Deus iecisse se primum lapidem, cantantibus astris manè, & festiuo sono gaudentibus omnibus filiis Elohim.

Cætus astrorum quomodo verificetur in terræ creatione.

Sed occurrit hîc quæstio quadruplex. Prima est, quomodo verificatur cantus astrorum in creatione terræ: quum scriptum sit tum quòd terra creata est simul cum cœlo, dicente Moyse, *In principio creauit Deus cœlum & terram:* tum quòd stellæ creatæ sunt post terram, dicente eodem quòd factæ sunt quarto die. Secunda est, quare potius fit mentio stellarum manè, quàm aliarum. Tertia est, quid secundùm veritatem fuerit tam cantus stellarum, quam sonus festiuus filiorum Elohim. Quarta est, qui sint filij Elohim.

Stellarũ manè quare potius fiat mẽtio, quàm aliarum.

Cantus stellarum quid fuerit, quidque sonus festiuus filiorum Elohim.

Filij Elohim qui.

Solutio primæ est quòd cœlum, terra & astra creata sunt simul tempore, sed non simul natura. cœlum enim cum astris creatum est prius secundùm ordinem naturæ, quam terra, secundùm autem ordinem temporis creata sunt simul. quum dicitur itaque, *in principio creauit Deus cœlum & terram*, significatur quòd simul tempore creata sunt: quum autem hîc introducuntur in fundatione terræ astra cantantia, significatur ordo naturæ, quòd prius naturæ ordine sunt astra, quàm terra. Ad id verò quod obiicitur ex opere quartæ diei, respondetur quòd non est ibi sermo de astris quo ad substantiam, sed quo ad officia quædam, vt ibidem declarauimus: hîc autem significantur astra secundùm substantiam priora terrâ secundùm naturæ ordinem.

Solutio secũdæ est quòd per stellas manè, circunloquendo significatur motus primus, qui est motus primi mobilis, qui appellatur motus diur-

quis iste. Ratio autem reprobationis subiungitur, dicendo, *obscurans consilium in sermonibus absque scire*. De diuino consilio circa præmia & pœnas hominum est sermo: & dicitur quòd Elihu obscurat illud sermonibus absque scire illud. Relege dicta ab Elihu, & perpendes veritatem hanc. Elihu siquidem multos vetos sermones protulit: tum quòd Deus nouiter loquitur non mutatus ipse, sed mutatione interueniente in nobis: tum quòd Deus nulli facit iniustitiam: tum quòd opera Dei sunt occulta hominibus, sic quòd partim cognoscuntur, & partim ignorantur. sed sermones isti quantuncunque veri, quia fuerunt absque notitia diuini consilij circa præmia & pœnas hominum, ideo tendunt ad obscurandum diuinum consilium circa præmia & pœnas hominum. Consilium siquidem diuinum quod ab æterno concluſit apud seipsum, & in tempore reuelauit, est reseruare præmia & pœnas hominum in vitam alteram: & hoc loquendo de præmio & pœnis simpliciter & absolute, veritissimum est. Elihu autem sermones reddunt hominibus obscurum hoc consilium, quoniam ad inferendum oppositum proferuntur, videlicet ad asserendum quòd aduersitates & prosperitates præsentis vitæ, sunt simpliciter & absolutè pœnæ pro peccato, & præmia pro iustitia hominum. meritò ergo reprobatur Elihu locutus in fauorem Dei. Oportuit autem ante increpationem Iobis reprobare Elihu locutum pro Deo, ad insinuandum necessitatem vt Deus loqueretur. ex hoc enim quod Elihu qui pro Deo locutus fuerat, male gessit officium pro Deo, oportuit Deum ipsum respondere pro seipso Iobi: & propter hanc rationem reuelat Iobi reprobationem Elihu.

Elihu reprobatur locutus pro Deo.

Hanc expositionem excogitauit, secutus intelligentes hæc verba dicta de Elihu: sed quia in capitulo vltimo respondens Iob Deo resumit hæc verba, ideo hæc Dei verba de ipso Iobe dici intelligo. ita quòd Deus ad Iobem loqui incipit de ipso Iobe in tertia persona, arguendo ipsum de insciti quidem verborum in genere, sed de damno diuini consilij obscurati in specie. Antequam enim descendat ad ipsa verba in specie, arguendo manifestat nocumentum illatum ex verbis Iobis consilio diuino, videlicet quòd verba eius sine scientia dicta obscurant diuinum consilium de præmio & pœna humanarum actionum. verba enim Iobis multa (vt infra patebit) fuerunt scandalosa, vtpote habentia speciem mali: & propterea quantum in ipsis erat, reddebant obscuram veritatem diuini consilij quam profitebatur Iob: scandalizati enim impediuntur & retrahuntur à doctrina scandalizantis. Et quia in verbis Iobis scandalum nascebatur ex arrogantia scientiæ qua homo caret (scientiæ videlicet sufficientis ad disputandum cum Deo, scientiæque peccatorum propriorum imputatorum ipsi Iobi à diuina iustitia) ideo dicitur in verbis *in non scire*, seu absque scientia.

Vers. 3.

ACCINGE SICVT VIR LVMBOS TVOS. Deficit Aduerbium *nunc*: legendum est, *Accinge nunc sicut vir lumbos tuos*. Dictio interpretata *vir*, significat virum qualificatum, puta virum strenuum. Deus indignati more inuitat Iobem, & irridendo eum dicit ei, *accinge nunc sicut vir strenuus lumbos tuos*. perinde ac si dixisset, arma nunc te armis tuis sicut vir strenuus ad committendum duellum mecum. accingere enim lumbos ad instar viri strenui, est præassumptis armis defensiuis accommodare ensem lateri. ad duellum siquidem literarium quòd ipse Iob proposuerat veniens Deus, improperando Iobi strenuitatem eius dicit, accinge nunc sicut vir strenuus lumbos tuos, & veni ad duellum. dicenti enim Iobi in cap. 13. *cupio disputare cum Deo*, respondet Deus, *accinge nunc*, ecce tempus duelli à te concupiti: ecce venio ad literarium duellum tecum, accinge nunc lumbos, arma te scientiæ tuæ armis. INTERROGABO TE, ET RESPONDE MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *interrogabo te, & fac scire me*. Iob in dicto capitulo non solùm dixit, disputare cum Deo vellem, sed etiam obtulit Deo optionem vt vel arguentis, vel respondentis officium eligeret, dicendo, *Voca, & ego respondebo, vel loquar, & responde mihi*: & ante hæc verba præmisit, *noui quod ego iustificabo*. Ad hæc itaque Deus respondet eligendo officium arguentis, dicens, *interrogabo te*. Et increpando cum ironia arrogantiam vincendi, subiungit, *& fac scire me*, hoc est, & doce me. Perpende hîc prudens Lector peccatum Iobis, contra quod Deus tanquam indignatus loquitur: vt simul intelligas quò tendit tam prolixus Dei sermo. in istis siquidem primis verbis proponitur peccatum Iobis commissum, dicendo illa verba scripta in c. 13. peccauit siquidē Iob specie arrogantiæ: non dico quòd peccauit arrogantia, sed quòd peccauit specie arrogantiæ. Declaro singula. non peccauit arrogantia, arrogando sibi scientiam non solùm parem, sed prævalentem scientiæ Dei: hoc enim tam stultum atque blasphemum est, vt nec cogitabile sit. peccauit autem specie arrogantiæ: quia verba eius præ se ferunt arrogantiam, quia verba eius suapte natura sunt verba arrogantis. qui enim cupit disputare cum aliquo, & dat ei opinionem arguendi, vel respondendi, dicendo quòd vincet, proculdubio verba ipsa sonant arrogantiam tantæ scientiæ, vt superet disputando, quantuncunque intentio dicentis hæc verba non sit arrogare sibi tantam scientiam. Contra illud igitur præceptum ab omni specie mali abstinete vos, peccauit Iob, officium arrogantis in verbis suis exercens. quod peccatum tanto grauius fuit, quanto relatiuè ad Deum verba arrogantiæ dicta sunt.

Vir dictio, de viro qualificato.

Peccat Iob specie arrogantiæ.

At si dixeris quòd Deus intuetur cor, & vidit quo animo Iob verba illa dixit, respondebimus quòd Deus non reprehendit intentionem, sed verba publica habentia speciem arrogantiæ scientiæ tantæ quòd disputando cum Deo obtineret in causa sua. scandalosa siquidem erant hæc verba: & propterea non possunt excusari à peccato. Hoc est igitur peccatum Iobis quod hic reprehenditur, & propterea irridendo improperat ei Deus, *& fac scire me*. Et quia disputatio suapte natura inter pares est (vt ipsemet Iob confessus fuit *in cap.* 16. in cuius signum Doctores dedignantur disputare cum non Doctoribus) ex hoc ipso quòd Iob obtulit se disputaturum cum Deo, nonnullam paruipensionis Dei speciem incurrit: ita quòd peccatum eius non solùm offendit eminentiam scientiæ diuinæ, sed annexam habuit offensionem excellentiæ Dei. Et hinc colligitur quò tendit sermo diuinus qui subiungitur. tendit siquidem ad confutandum arrogantiam scientiæ, & paruipensionem

pensionem excellentiæ Dei: verba enim Iobis vtriusque mali speciem habebant.

A confutatione itaque vtriusque inchoat,
Vers. 4. dicendo: VBI ERAS QVANDO PONEBAM FVNDAMENTA TERRÆ? Iuxta Hebræum habetur, *Vbi fuisti fundante me terram?* Quia corpus hominis ex terra constat, & habitatio hominis in terra est, conuincitur homo quòd non erat fundante Deo terram: & ex hoc directè confutatur paruipensio Dei. Dicit autem, *fundante me terram*; hoc est, à fundamentis construente me terram. intendit enim describere seipsum ad instar artificis ædificantis domum fecisse terram non secundùm partem, sed totam: & propterea dicit, *fundante* (hoc est, à fundamentis construente) *me terram.* INDICA MIHI, SI HABES INTELLIGENTIAM. Iuxta Hebræum habetur, *annuntia (si nosti) intelligentiam.* Ad confutandam arrogatam scientiam, dicit, *annuntia intelligentiam, si nosti:* hoc est, si tanta polles scientia, annuntia intelligentiam huius quæsiti: videlicet, vbi fuisti fundante me terram. quasi dicat, cùm non possis intelligere vbi fueris (nisi in mente mea) agnosce teipsum.

Vers. 5. QVIS POSVIT MENSVRAS EIVS, SI NOSTI? Legendum est, *quia scies?* Vt dictum est, constructio terræ describitur ad instar ædificandæ domus: cuius primò decernitur quantitas secundùm omnes dimensiones. ad hoc enim spectat quod dicitur, *quis posuit mensuras eius*, scilicet terræ mensuras secundùm longitudinem, latitudinem & profunditatem? quis decreuit & dedit terræ certam longitudinem, certam latitudinem, certam profunditatem? Solius enim opificis summi opus est hoc, consequens ad certas mensuras totius vniuersi. si enim Deus fecisset vniuersum maius, aut minus, terram quoque secundùm omnes dimensiones fecisset maiorem, aut minorem: quoniam debet esse proportionata Vniuerso. Adiungit autem; *quia scies*, vt intelligamus quòd ad confutandum arrogantiam scientiæ hæc dicit. Et est sensus, quia verba tua arrogant scientiam ad disputandum mecum. & propterea vtitur verbo futuri temporis: disputatio enim imminebat. VEL QVIS TETENDIT SVPER EAM LINEAM? Positis mensuris domus, extendit artifex lineam, seu filum ad rectè ædificandum, & iuxta hanc similitudinem dicit Deus, *vel quis extendit super eam* (id est, terram ædificandam) *filum*, tanquam regulam ædificationis. Et ad literam describitur creatio terræ similis ædificationi domus: ad insinuandum quòd terra facta est ab agente à proposito, quòd facta est à Deo vt artifice, quòd facta est secundùm singulas eius conditiones artificiosè. Ipsa itaque moderatio corporeæ molis generabilis & corruptibilis, qua grauissima portio eius directa est ad locum Vniuersi infimum, linea fuit in constructione terræ.

Vers. 6. SVPER QVO BASES ILLIVS SOLIDATÆ SVNT? Legendum est, *defixæ*, seu, *suffundatæ sunt?* dictio enim Hebraica significat *pone in fundo.* In ædificatione siquidem domus foditur terra, faciendo fossam quousque inueniatur solidum quid, super quod fundamenta domus iaciantur. ad hanc siquidem similitudinem dicitur, *super quo bases terræ defixæ*, seu *suffundatæ sunt*, quod est dicere, super quo sustentatur terra. & hoc proculdubio est centrum mundi. AVT QVIS DEMISIT LAPIDEM ANGVLAREM EIVS? Parui refert quod Hebraice habetur, *vel quis iecit lapidem ad angulum eius?* Primus lapis qui iacitur ædificando domum, est lapis ad angulum in imo fundamenti. ad cuius similitudinem dicitur de terra, Quis iecit lapidem ad angulum eius, hoc est, quis fundauit terram: iacens enim primum lapidem est fundator. Et sic quod primum proposuerat quasi indistinctè, dicendo fundante me terram, declarauit distinguendo per partes quattuor, videlicet mensuras, lineam, soliditatem & lapidem primum. Et quia ipsa fundatio terræ assimilata iactui primi lapidis non præcessit constructionem totius terræ; quemadmodum iactus primi lapidis præcedit integritatem ædificij (terra enim tota simul creata est) ideo iactus primi lapidis in creatione terræ fuit creatio terræ ab imo vsque ad summum. partes enim in centro sunt tanquam lapis primus relatiuè ad partes superiores: vtpote tanquam partes immediatè super fundamentum positæ ad sustentandum alias.

QVVM ME LAVDARENT SIMVL ASTRA MATVTINA, ET IVBILARENT OMNES FILII DEI. Iuxta Hebræum habetur; *Cantantibus simul stellis manè, & iubilauerunt omnes filij Elohim.* Non est in Hebræo Pronomen *me*, & genitiui casus est *manè*, & dictio interpretata *iubilauerunt*, significat sonum festiuum. prosequitur enim metaphoram ædificationis palatij, alludendo consuetudini qua consueuerunt adesse musici cum festiuo tam cantu, quàm sono, quando Princeps iacit primum palatij lapidem: consueuit enim actus ille fieri cum magna celebritate & festiuitate. ad hanc similitudinem dicit Deus iecisse se primum lapidem, cantantibus astris manè, & festiuo sono gaudentibus omnibus filiis Elohim. Vers. 7.

Cætus astrorum quomodo verificetur in terra creatione.

Sed occurrit hîc quæstio quadruplex. Prima est, quomodo verificatur cantus astrorum in creatione terræ: quum scriptum sit tum quòd terra creata est simul cum cœlo, dicente Moyse, *In principio creauit Deus cœlum & terram*: tum quòd stellæ creatæ sunt post terram, dicente eodem quòd factæ sunt quarto die. Secunda est, quare potius fit mentio stellarum manè, quàm aliarum. Tertia est, quid secundùm veritatem fuerit tam cantus stellarum quam sonus festiuus filiorum Elohim. Quarta est, qui sint filij Elohim.

Stellarũ manè quare potius fiat mẽtio, quàm aliarum.

Cantus stellarum quid fuerit, quidque sonus festiuus filiorum Elohim.

Filij Elohim qui.

Solutio primæ est quòd cœlum, terra & astra creata sunt simul tempore, sed non simul natura. cœlum enim cum astris creatum est prius secundùm ordinem naturæ, quàm terra, secundùm autem ordinem temporis creata sunt simul. quum dicitur itaque, *in principio creauit Deus cœlum & terram*, significatur quòd simul tempore creata sunt: quum autem hîc introducuntur in fundatione terræ astra cantantia, significatur ordo naturæ, quòd prius naturæ ordine sunt astra, quàm terra. Ad id verò quod obiicitur ex opere quartæ diei, respondetur quòd non est ibi sermo de astris quo ad substantiam, sed quo ad officia quædam, vt ibidem declarauimus: hîc autem significantur astra secundùm substantiam priora terrâ secundùm naturæ ordinem.

Solutio secũdæ est quòd per stellas manè, circunloquendo significatur motus primus, qui est motus primi mobilis, qui appellatur motus diur-

nus quo mouentur astra omnia ab Oriente in Occidentem, & propterea significatur à stellis manè: hoc est, à motu stellarum quo mouentur à manè, hoc est, ab Oriente. per hoc enim insinuatur ratio faciendi terram relatiuè ad cœlestia corpora. Ex hoc enim quòd cœlum est mobile circulariter, opottuit esse terram: quia oportuit esse centrum naturale, circa quod cœlum moueretur. solus autem primus motus communis est cœlis omnibus: & propterea illius tanquam præcipui & communissimi fit mentio per stellas manè.

Solutio tertiæ est quòd per cantum & sonum astrorum in creatione terræ significatur consecutio boni proprij: hoc est, quòd astra consequuntur proprium bonum ex terra vt naturali centro circa quod mouentur. operatio enim astrorum est bonum eorum, quia vnaquæque res naturalis perficitur suo proprio opere. & astrorum operatio per motum exercetur circularem circa terram vt centrum: ideo cantantia ac personantia introducuntur in creatione terræ tanquam gaudentia, quia assequuntur proprium bonum habendo centrum circa quod moueantur.

Astra per filios Elohim significata.

Et hinc patet solutio quartæ, quòd per filios Elohim significantur astra omnia: quoniam motus omnium astrorum proprij sunt etiam circa terram tanquam centrum. nam tam motus planetarum, quam octauæ sphæræ ab Occidente in Oriens est circa terram vt centrum: & propterea materia gaudij astris omnibus fuit fundatio terræ. Appellantur autem *astra*, filij Elohim, hoc est, Dei gubernantis: quoniam nihil per accidens, nihil inordinati circa opera eorum permittitur, sed sunt sub gubernatione Dei tanquam filij. qua etiam metaphora vsus est postea Aristoteles *in sua Metaphysica.*

Vers. 8. QVIS CONCLVSIT OSTIIS MARE, QVANDO ERVMPEBAT QVASI DE VVLVA PROCIDENS? Sententia redditur: sed quoniam materia ardua est, & verba sunt Dei, referenda est Hebraica litera, *Et obstruxit in ostijs mare, in exire suo, de vulua exibit.* Transit à terra ad mare. vt autem hæc faciliùs intelligas, reuoca ad mentem scripta in principio Geneseos de productione maris, videlicet quòd elementum aquæ creatum est super terram, cooperiendo illam vndique, & quòd dixit Deus, *congregentur aqua in locum vnum, & appareat arida*, &c. Hoc idem mysterium narratur hîc sub metaphoris. nam eleuata terra super aquas maris, appellatur ostia & ferræ: & congregatio aquarum in locum vnum ad hoc vt appareat arida, appellatur exitus de vulua. Ita quòd locus in quo creatum fuit elementum aquæ, appellatur *vulua*: eo quòd quemadmodum vulua est locus in quo concipitur ac primò fit proles, ita locus ille, quia primus naturalis est locus elementi aquæ, ideo appellatur *vulua*. Itaque ex hac parabola discimus quòd quemadmodum proles habet duo loca naturalia (alterum in quo primò fit, & hoc est *vulua*: alterum post egressum de vulua) ita elementum aquæ habet pro suo primo naturali loco situm super totam terram, & tanquam pro loco secundario habet locum in quo est mare. Continuatur itaque litera, dicendo, & *obstruxit*, cum præcedenti, quum dixerat, *quis iecit lapidem.* adiungitur enim illimet relatiuo, *& obstruxit ostijs mare, quis iecit*, &c. & *obstruxit.* ad insinuandum quòd hoc refertur ad idem, videlicet vbi fuisti quando ego feci terram, & obstruxi mare, &c. Tanquam violenta describitur detentio maris ne operiat terram, dicendo, *& obstruxit in ostijs*, (hoc est, apponendo ostia ad concludendum) *mare* ne exeat ad operiendum terram iterum. significatur enim per hanc obstructionem quòd non penitus naturalis est locus iste maris elemento aquæ. Tempus autem obstructionis explicatur, dicendo, *in exire suo.* Et ne relinquatur ambiguum de quo exire est sermo, declaratur subiungendo, *de vulua exibit.* perinde ac si dixisset, quis apposuit ostia mari exeunte ipso de vulua, hoc est, de loco suo primo naturali in quo factum fuit? tunc enim obstruxit Deus mare ostiis terræ eleuatæ super illud.

Ostia & ferra maris qua.

Exitus de vulua, ideſt, congregatio aquarum in locum vnum. Vulua, de loco in quo creatum eſt elementũ aqua.

Vers. 9. QVVM PONEREM NVBEM VESTIMENTVM EIVS, ET CALIGINE ILLVD QVASI PANNIS INFANTIÆ OBVOLVEREM. Prosequutio est metaphoræ prolis egressæ de vulua. induitur enim & fasciatur: iuxta hanc enim metaphoram describitur mare indutum nube, & fasciatum caligine. Et significatur per hoc ad literam eleuatio mixtorum imperfectorum (qualia sunt nubes & caligo) secuta obstructionem maris. Et dicitur hoc ad differentiam elementi aquæ positi in suo primo loco. tunc enim nec nube, nec caligine tegebatur, quia nullum tunc mixtum erat: sed congregata aqua in locum vnum, eleuati sunt vapores ab ipsis aquis in nubes & caliginem.

Vers. 10. CIRCVNDEDI ILLVD TERMINIS MEIS. Iuxta Hebræum habetur, *Et fregi super eo statutum meum, & posui vectem & ostia.* Manifestat Deus quòd naturale statutum de locis elementorum à se factum, ipsemet fregit congregando aquas in locum vnum, & eleuando terram. naturalis siquidem elementorum ordo erat vt aquæ cooperirent vndique terram, secundùm quem situm creauerat Deus in principio elementa pura: & propterea dicit se fregisse statutum suum de naturalibus purorum elementorum locis. Nec hinc intelligas ordinem temporis, sed ordinem naturæ: quoniam aquæ elementum non priùs secundùm tempus, sed priùs secundùm naturam fuit purum elementum operiens elementum terræ: & postea fuit tam aqua, quàm terra in ista dispositione, in qua vtrumque conspicimus, propter mixta diuersorum generum quæ puris existentibus elementis non essent. Et tu prudens Lector hinc habes quòd locus maris non est omnino naturalis locus elementi aquæ, sed habet aliquid præternaturale. hoc enim sonat sermo iste diuinus, dicendo, *& fregi super eo statutum meum*, hoc probat ratio naturalis ordinis elementorum. Et secundùm rectam Philosophiam dicendum esset quòd quia tam terra, quàm aqua est elementum mixtum, ideo vtriusque loca habent aliquid præternaturale relatiuè ad loca purorum elementorum. terra enim secundùm aliquas partes eleuata est supra locum terræ puri elementi: aqua verò depressa ac pulsa est secundùm multas sui partes à loco naturali aquæ puri elementi.

Modus autem quo Deus fregit statutum super elemento aquæ, explicatur, dicendo, *& posui vectem & ostia*, hoc est, ostia firmata vecte, quæ (vt diximus) sunt partes terræ eleuatæ supra mare. hæ enim concludunt mare ne operiat

riat terram, quemadmodum ostia bene firmata retinent conclusos ne possint exire.

Vers. 11. ET DIXI: HVCVSQVE VENIES, ET NON PROCEDES AMPLIVS: ET HIC CONFRINGES TVMENTES FLVCTVS TVOS. Sententia redditur, & clara est. ad manifestandum enim quæ sint ostia vecte firmata, describuntur partes terræ terminantes mare: quas non potest mare transgredi, eo quòd celsiores sunt: & propterea ad eas colliduntur fluctus maris.

Vers. 12. NVNQVID POST ORTVM TVVM PRÆCEPISTI DILVCVLO. Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid à diebus tuis præcepisti manè.* & datiui casus est *manè.* Perpende ordinem sermonis diuini. primò quæsiuit, *vbi fuisti quando fundabam terram, & obstruxi mare:* modò consequenter quærit, *nunquid à diebus tuis.* Primùm confutauit pro tempore quo homo nõ erat: modò confutat pro tempore quo homo iam est, dicendo, *nunquid à diebus tuis.* Rursus de creatione terræ loquutus est absolutè, de aqua verò loquutus est relatiuè ad mixta: prosequitur consequenter de diuisione diei à nocte relatiuè ad politicam vitam hominum. Et intentio huius particulæ est quòd Deus ordinauit diem ad hominum vitam ciuilem, in qua iniqui puniuntur sic quòd occultè iniqui absconduntur se adueniente die, audaces autem qui non se occultant, puniuntur. hæc est sententia huius particulæ iuxta Hebraicum contextum. Ait itaque, *nunquid à diebus tuis* (hoc est, vmquam) præcepisti manè, hoc est, vt fieret manè, quod succedit nocti, quod est prima pars diei. OSTENDISTI AVRORÆ LOCVM SVVM? Aurora initium est manè: locus autem auroræ diuersus est diuersis temporibus secundùm latitudinem à tropico cancri ad tropicum capricorni. & diuersimodè in loco durat secundùm diuersitatem signorum ascendentium. ascendentibus enim signis rectè meantibus quæ sunt à cancro vsque ad sagittarium, auroræ longæ sunt: breues autem, existente sole in aliis signis obliquè ascendentibus. & propterea de loco auroræ dicitur homini, *nunquid indicasti aurore locum suum.* Et in his duobus confutatur tum potentia, tum scientia hominis.

Aduerte prudens Lector non solùm finem, seu vtilitatem præcepti quæ subiungitur, sed ante omnia rem præceptam, videlicet distinctionem diei à nocte, significatam, dicendo, *præcepisti manè, ostendisti aurore locum suum.* nam distinctio diei à nocte, non solùm excedit humanum imperium, sed etiam humanam scientiam: quia causa distinctionis diei à nocte, est certa ac determinata quantitas distantiæ terræ à sole qui mouetur circa terram. quum enim nox nil aliud sit, quàm vmbra terræ, perspicuum est quòd si sol esset propinquus terræ, illuminaret semper terram ex omni parte, & nulla fieret vmbra terræ, ac per hoc nulla nox. Quare autem sol & terra distent tanta quantitate distantiæ, & non maiore, vel minore, excedit vires humanæ notitiæ. Hoc est ergo primum mirabile in re de qua dicitur, *nunquid præcepisti*, &c.

Vers. 13. NVNQVID TENVISTI CONCVTIENS EXTREMA TERRÆ, ET EXCVSSISTI IMPIOS EX EA? Iuxta Hebræum habetur, *Ad apprehendendum alas terræ, & excutientur impij ex ea.* Vbi clarè vides quòd non est altera particula, sed prosecutio inchoatæ. describitur enim aurora progrediens ad apprehendendum superiores partes aëris prope terram, in quibus consueuerunt volare aues: partes enim illæ illustrantur prius quàm terræ solum oriente sole. Et appellantur alæ terræ, quia aues terræ per illas volare solent. *Ala terræ, de Aurora.*

Et quia illa hora fugiunt impij qui nocte operantur mala (iuxta scripta superiùs *in c.* 24.) ideo subiungitur, *& excutientur impij ex ea.* Effectus primæ partis diei describitur excussio impiorum de terra, quod ad literam verificatur de terra ciuiliter habitata: quoniam ij tunc occultant seipsos timentes gladium politici regiminis.

RESTITVETVR VT LVTVM SIGNACVLVM, ET STABIT SICVT VESTIMENTVM. Iuxta Hebræum habetur, *Vertet se sicut lutum sigillum, & statuent se sicut vestimentum.* Quales sunt impij de quibus loquitur, describit duabus similitudinibus. Altera est quòd multitudo eorum simul seipsos sustentat, quemadmodum lutum quum vertitur. quum enim vertitur lutum, fit aceruus, seu tumulus, sic quòd indifferenter pars super partem ponitur, indifferenter pars partem sustentat. iuxta hanc similitudinem describitur sigillum, hoc est, coniuratio secreta impiorum, quòd vertunt seipsos sicut lutum, hoc est, ad indifferenter sustentandum seipsos sicut partes luti voluuntur. Altera est quòd statuent seipsos sicut vestimentum. vestimentum enim accommodatur corpori quod vestitur: & coniuncti simul impij statuunt vt quilibet accommodet se alteri, vt quilibet sit velut vestis alterius, ità vt nulla oriatur discordia inter eos. Vers. 14. *Impij duabus similitudinibus descripti.*

AVFERETVR AB IMPIIS LVX SVA, ET BRACHIVM EXCELSVM CONFRINGETVR. Patui refert quòd legendum esset, *Et prohibebitur ab impijs lux eorum,* altera verò particula integrè redditur. Modus quo excutiuntur impij adueniente die, explicatur dicendo duo. Alterum quòd prohibebitur ab impiis lux eorum. lux impiorum nox, est idonea ad maleficia: & quia lux diurna tollit noctem, ideo prohibere dicitur lucem impiorum. Alterum est quòd brachium excelsum frangetur. quo significatur punitio impiorum, qui sunt velut brachium excelsum, hoc est, qui audent in die operati mala. Vtrique itaque impij excutiuntur à diurna luce: illis tollendo commoditatem faciendi malum, istos autem puniendo. Vers. 15. *Impij quomodo excutiantur adueniente die.* *Lux impiorum, nox.* *Punitio impiorum significata.*

NVNQVID INGRESSVS ES PROFVNDVM MARIS, ET IN NOVISSIMIS ABYSSI DEAMBVLASTI? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid veniisti vsque ad tricas maris, & in inquisitione abyssi iuisti?* Transit ad iter in mari, & priùs relatiuè ad profundum maris, deinde relatiuè ad superficiem eiusdem, confutando per primum potentiam, & per secundum scientiam hominis. Duo itaque loca sub aquis inaccessibilia describuntur. alter est in quo concurrentibus è diuersis meatibus aquis fit aquarum commixtio, altera alteram intersecante. huiusmodi enim intricatio aquarum Hebraica dictione significatur. Alter est profunditas voraginum existentium in mari: & hic appellatur abyssus, ille verò tricæ. Vers. 16. *Iter in superficie aquarũ.* *Loca sub aquis inaccessibilia descripta.*

NVNQVID APERTÆ SVNT TIBI PORTÆ MORTIS, ET OSTIA TENEBROSA VIDISTI? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid patefacta sunt tibi porta mortis, & portas vmbra mortis videbis?* Nauiganti homini in superficie maris, duo occulta describuntur: alterum portæ mortis, alte- Vers. 17.

Nauiganti duo occulta. Porta mortis, & porta vmbra mortis differunt.

rum portæ vmbræ mortis. Differentia inter portas mortis & portas vmbræ mortis, consistit in hoc quòd portæ mortis sunt pericula maris ducentia ad mortem: portæ verò vmbræ mortis sunt pericula maris præferentia imminentem mortem, non tamen ducentia ad illam. Vtriusque periculi tempus si non lateret nauigantes, securi nauigarent: sed quia latet eos, incidunt in illa.

Vers. 18. & 19. NVNQVID CONSIDERASTI LATITVDINEM TERRÆ? INDICA MIHI SI NOSTI OMNIA. IN QVA VIA LVX HABITET, ET TENEBRARVM QVIS LOCVS SIT. Iuxta Hebræum habetur, *Intellexisti vsque ad latitudines terræ? annuntia si nosti totam ipsam. Vbi ista via habitabit lumen: & obscuritatis, vbi iste locus eius.* Itineri in superficie aquarum iungit iter in superficie terræ: iter, inquam, humanæ mentis cum reali itinere luminis diurni & obscuritatis nocturnæ super faciem terræ. Et sonat litera quòd eundo per vniuersam terram, non inuenitur ab homine locus certus luminis diurni, aut obscuritatis nocturnæ, quia non potest accipi terminus in quo firmetur tam lumen, quàm obscuritas. Hæc est sententia huius particulæ. An itaque, *intellexisti*, quamuis non videris corporeis oculis, *vsque ad latitudines terræ*, hoc est, vsque ad loca terræ sub æquinoctiali: ibi enim est maxima latitudo terræ sphæricæ. & ideo si nosti totam ipsam terram (quamuis hoc sit difficile) annuntia *vbi ista via*, vbi determinata via ad locum in quo habitat lumen diurnum quod est circa vos, quod recedit à vobis: & similiter annuntia de obscuritate nocturna, quæ est etiam apud vos, & recedit à vobis, *vbi iste* (hoc est, determinatus) *locus eius*. ambo enim quandoque accedunt ad nos homines, & quandoque recedunt à nobis.

Iter in superficie terræ.

Vers. 20. VT DVCAS VNVSQVODQVE AD TERMINOS SVOS, ET INTELLIGAS SEMITAS DOMVS EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Quia capies illud ad terminum suum, & quia intelliges viæ domus eius.* Ironia est. lumen enim non potest capi in certo termino, nec possunt intelligi viæ ad domum eius: quum domo, in qua quasi habitando firmetur, careat.

Deus cur petat ab homine vt annuntiet, quod sciri nequit.

Sed & hinc oritur quæstio, cur petit Deus ab homine vt annuntiet quod nec annuntiari, nec sciri potest. quod enim non est, non potest sciri: certum est autem quòd lumen diurnum quod succedit obscuritati nocturnæ, est in continuo motu, continuè oritur & occidit, nunquam firmatur: ac per hoc nullam habet domum in qua habitet: cur ergo petit Deus ab homine vt lustrata intellectu vniuersa terra, annuntiet certum locum domus, & viæ ad domum luminis & obscuritatis, quæ in terra fiori succedunt? Solutio est quod Deus quærendo certum locum, declarat simul quòd non inuenitur: vt ex hoc intelligeremus quòd quærit ab homine vt annuntiet causam propriam quare motus tam luminis, quàm obscuritatis super terram, caret termino: est enim mirabile quòd aliquid moueatur in terra absque termino. Nec putes satisfieri huic quæstioni, dicendo quia motus Solis circa terram est perpetuus: hoc enim est quod quæritur, quare motus Solis circa terram continuatur absque termino, quare est sine termino. Philosophi enim ex communibus & opinatis rationem reddunt, hic autem quæritur ratio certa ac propria ex communibus quidem, quia motores cœlorum assequuntur perfectionem suam mouendo cœlos, quia in hoc assimilantur Deo in efficientia rerum: opinatis verò, quia nulla ratione demonstratiua certificata est perpetuitas motus cœlorum. Confutatur itaque humana scientia circa vicissitudines diei & noctis continuas quo ad certam & propriam rationem.

Vers. 21. SCIEBAS TVNC QVOD NASCITVRVS ESSES, ET NVMERVM DIERVM TVORVM NOVERAS? Iuxta Hebræum habetur, *Sciuisti quòd tunc nasceris, & numerum dierum tuorum multorum*? Recole quòd ad hominem à diebus suis dirigitur sermo: & propterea homo in materno vtero interrogatur, *Sciuisti quòd tunc* (hoc est, tali hora) *nasceris*? quasi dicat, minime. & similiter interrogatur, *Sciuisti numerum dierum tuorum multorum*, hoc est, multitudinem dierum tuorum quibus viues? incertus enim est homini dies mortis eius. ad cõfutandam siquidem humanam scientiam hæc dicuntur, consequenter ad causam vicissitudinis continuæ diei & noctis ignotam.

Dies mortis homini incertus.

Vers. 22. NVNQVID INGRESSVS ES THESAVROS NIVIS, AVT THESAVROS GRANDINIS ASPEXISTI? Legendum est; *Nunquid venisti ad thesauros niuis, & thesauros grandinis videbis*? Transit ab iis quæ in mari & terra fiunt, ad ea quæ fiunt in regione aëris media: in qua scilicet generantur pluuiæ, niues, grandines, tores, &c. regio enim illa thesauro assimilatur niuis & grandinis, tanquam reconditas seruet niues & grandines. Metaphoricus tamen sermo est: quoniam secundùm rei veritatem non reconduntur ibi actualiter niues & grandines: sed virtualiter duntaxat continentur ibi, & quamprimum generantur descendunt ad terram. Et quoniam virtus generatiua niuis & grandinis, relatiuè ad Deum est semper parata ac in promptu habens niues & grandines, perinde ac si actualiter contineret illas, ideo appellantur hîc thesauri seruantes ad Dei nutum niues & grandines. Propter quod subiungitur, Vers. 23. QVÆ PRÆPARAVI IN TEMPVS HOSTIS, ET IN DIEM PVGNÆ ET BELLI. Iuxta Hebræum legendum esset *prohibui*. Et est sensus. quos thesauros prohibui expendi, seruando eos ad tempus angustiæ, seu ad tempus hostile, ad diem pugnæ bellicæ tanquam arma offensiua. describit enim seipsum Deus tanquam hostiliter pugnaturum quandoque cum hominibus iniquis; & ad huiusmodi pugnam dicit se seruare thesauros grandinis: vt experientia testata est tempore Iosuæ. Et per hoc declarat potentiam prouidentiæ suæ ad vtendum niue & grandine tanquam armis iustitiæ suæ.

Tempus hostile.

Thesauri niuis & grandinis.

Regio aëris media thesauro niuis & grandinis assimilata.

Vers. 24. PER QVAM VIAM SPARGITVR LVX, DIVIDITVR ÆSTVS SVPER TERRAM? Iuxta Hebræum habetur, *Vbi ista via diuidetur lux, sparget Eurum super terram*. Ad confutationem scientiæ spectat hæc quæstio. quam vt intelligas, scito quòd lux Solis orientis quandoque diuiditur in nostro hemisphærio, quando scilicet alicubi causat ventum Subsolanum: nam tunc alicubi lucet clarè, & alicubi obscuratur, propter caliginem, seu nubem quam ventus ille efficit, immo & ad se trahit. Quærit itaque ab homine. Vbi ista (hoc est, certa & determinata) via est qua lux Solis diuiditur in claram & obscuram

Ventus Orientalis causa qua.

obſcuram, quando ſparget Eurum (Orientalem ventum) ſuper terram? Significanter autem dicit ſuper terram ſpargi à ſole ventum Orientalem, eo quòd (vt Phyſici tradunt) ventus ille à Superis demittitur ad terram, & ab ea reflectitur, & præterea trahere ad ſe nubes dicitur reflexione.

Verſ. 25. QVIS DEDIT VEHEMENTISSIMO IMBRI CVRSVM, ET VIAM SONANTIS TONITRVI. Iuxta Hebræum habetur, *Quis diuiſit ad alluuionem canalem, & viam ad fulgur vocum?* Theſauris niuis ac grandinis adiunxit in ſuperioribus cauſam venti Orientalis, & conſequenter adiungit pluuiæ principium in eadem regione ſimul cum tonitruis & coruſcationibus. Aſſimilat autem locum generationis pluuiæ canali ad alluuionem, hoc eſt, canali tam vaſto, vt niſi diuideretur, cauſaret alluuionem terræ. quandoque ſiquidem eſt in regione aëris media, fœcunditas aquarum tanta, vt ſi in ſola terra quam habitamus plueret, alluuio fieret in terra. Et de aëre in huiuſmodi diſpoſitione exiſtente dicit Deus, *Quis diuiſit ad alluuionem canalem*, hoc eſt, canalem qui alluuionem cauſaret niſi diuideretur: & ſimiliter quis diuiſit *viam vocum*, hoc eſt, tonitruorum, *ad fulgur*: ſcinditur enim nubes in coruſcationibus: dicuntur enim hæc ad confutandam potentiam hominis.

Pluuia principium cum tonitruis & coruſcationibus.

Generationis pluuiæ locus canali ſimilatus.

Verſ. 26. VT PLVERET SVPER TERRAM ABSQVE HOMINE IN DESERTO VBI NVLLVS MORTALIVM COMMORATVR. Ecce diuiſio canalis cœleſtis ordinata deſcribitur ad communicandum pluuiam terræ deſertæ in qua nullus eſt homo: vt intelligamus quòd non propter hominem duntaxat Deus diſponit pluuias.

Pluuia in terra deſerta.

Verſ. 27. VT IMPLERET INVIAM ET DESOLATAM. Non ſolùm prouidet de pluuia, ſed prouidet vſque ad ſatietatem terræ deſertæ. ET PRODVCERET HERBAS VIRENTES. Legendum eſſet, *& ad faciendum germinare germen herbarum*, non propter hominem, ſed propter animalia.

Verſ. 28. QVIS EST PLVVIÆ PATER? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid eſt pluuia pater?* & eſt caſus dativi *pluuiæ*. Deinde immediatè ſequitur, VEL

Verſ. 29. QVIS GENVIT STILLAS RORIS? DE VENTRE CVIVS EXIVIT GELV? ET GELV COELORVM QVIS GENVIT ILLVD? Iſtæ quatuor interrogationes, quærendo patrem, ſeu matrem iſtorum (videlicet pluuiæ, roris & gelu) tendunt ad partem negatiuam intimandam: vt prima teſtatur interrogatio, nam quærendo, nunquid eſt pluuiæ pater, tendit ad aſſerendum quòd non: & ſimiliter eadem eſt ratio de ſubiunctis. Et intendit per hæc manifeſtare alterum eſſe modum generandi hæc, à modo quo generantur animalia & arbores. generantur ſiquidem animalia ſic quòd homo generatur ab homine, & leo à leone, & ſimiliter oliua ab oliua: non ſic autem fiunt iſta. pluuia enim nó generatur à pluuia, nec ros generatur à rore, neque gelu à gelu. & propterea pars negatiua iſtorum interrogatorum vera eſt. Et conſequens fuit vt ſermoni de niuibus, grandinibus & pluuiis, adiungeretur modus diuerſus quo iſta generantur in media aëris regione, videlicet abſque patre, abſque matre, abſque ſemine. vt ſciremus alium eſſe modum generandi in ſuperioribus, & alium quem videmus in animalibus & plantis. commendatur enim hinc diuina ſapientia, quæ diuerſos modos generandi excogitauit, & fecit hic & ibi.

Bis autem fit mentio gelu, quia primum ſignificat gelu aquarum quod fit apud nos. ſecundum autem gelu deſcendens de cœlo, quale eſt gelu grandinis & niuis.

Gelu in terra, & deſcendens de cœlo.

IN SIMILITVDINEM LAPIDIS AQVÆ DVRANTVR. Iuxta Hebræum habetur, *Sicut lapis aquæ abſcondent ſe.* Ad manifeſtandum partem negatiuam ſupradictam affert Deus ſignum à gelu quod apud nos fit: vt ex hoc intelligamus quòd in media aëris regione non eſt generatio vniuoca. Affert autem ſigna duo. Alterum ex aquis congelatis tam vehementer vt duteſcant ſicut lapis: abſcondunt enim ſeipſas aquæ in huiuſmodi congelatione. Et aſſimilatur occultationi ſuiipſius congelatio relata ad materiam: tanquam aqua timens frigus abſcondat ſeipſam ſub tegmine lapideo: pro quanto retenta ſecundùm veritatem ſubſtantia aquæ fluidam naturam occultat. ET SVPERFICIES ABYSSI CONSTRINGITVR. Iuxta Hebræum habetur, *& facies abyſſi apprehendent ſe.* Alterum ſignum affertur ex profundarum aquarum congelatione in ſuperficie, hoc eſt, in partibus ſuperioribus. ad ſenſum enim videmus huiuſmodi congelationes quæ deſcribuntur fieri apprehendentibus ſeſe inuicem faciebus, hoc eſt, ſupremis partibus. Et verè ſic eſt: quoniam nulla illarum fluit, ſed cum altera firmatur, tanquam altera alteram teneat ne fluat.

Lapis aquæ.

Verſ. 30.

Verſ. 31. NVNQVID CONIVNGERE VALEBIS MICANTES STELLAS PLEIADES. Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid ligabis vincula Chima.* Hebraicam dictionem reliquimus: & eſt genitiui caſus. aiunt autem eſſe nomen ſtellarum quas Pleiades, ſeu Vergilias vocamus. Et quadrat interpretatio ligationi & vinculis: quoniam (vt tradunt Aſtrologi) nullæ ſeptem ſtellæ ſunt ſibiinuicem tam propinquæ, vt ſunt iſtæ ſeptem, quas *Vergilias* vocamus: propterea enim à colligatione deſcribuntur. AVT GYRVM ARCTVRI POTERIS DISSIPARE? Iuxta Hebræum habetur, *vel tractus Cheſil aperies?* Hebraica dictio eſt *Cheſil*, & eſt ſimiliter genitiui caſus. & à multis interpretatur Orionis, quod eſt nomen non vnius ſtellæ, ſed ſideris, ſeu imaginis cœleſtis, habentis multa notabilia aſtra multum inter ſe diſtantia: & propterea deſcribitur ab aperiendo tractus eius, intelligendo per *aperire*, *diſſoluere*. Tendere enim videtur particula hæc ad negandum homini contrarias actiones circa aſtra. & quia prius dixerat, *nunquid ligabis vincula*, conſequenter proponit contrariam actionem, *vel aperies* (hoc eſt, ſolues) *tractus Orionis*, propter hoc quòd ſtellæ eius ſunt multum ſparſæ, ſicut per oppoſitum ſtellæ Pleiades ſunt multum coniunctæ.

Chima, ſtellarum nomen. Pleiades, ſidera, Latinis Vergiliæ.

Cheſil ſideris genus.

Verſ. 31.

Verſ. 32. NVNQVID PRODVCIS LVCIFERVM IN TEMPORE SVO. Dictio interpretata *Lutiferum*, variè interpretatur: alij planetas, alij imaginem quandam cœleſtem meridionalem, alij ſigna Zodiaci intelligunt. Quid autem verius ſit, neſcio: certum tamen eſt quòd cœleſte aliquid ſignificatur proprio tempore ſuper noſtrum hemiſphærium apparens. ET HESPERVM SVPER FINES TERRÆ CONSVRGERE FACIES? Iuxta Hebræum habetur, *& Arcturum ſuper filios eius ducet eos?* Dictio interpretata *Arcturum*, à congregando deriuatur, & ſignificare dicitur ſtellam quæ vocatur Arcturus,

Arcturus, stella. quæ ab Astrologis connumeratur inter stellas primæ magnitudinis: & est iuxta Septentrionem in vrsa maiore, quæ vulgariter appellatur *Plaustrum*. Et relatiuè ad alias stellas eiusdem imaginis, dicitur habere filios: & quasi plaustro vehatur cum filiis, dicitur de congregatione ipsius cum filiis, Nunquid duces eos quemadmodum ducitur plaustrum.

Vers. 33. NVNQVID NOSTI ORDINEM COELI. Legendum esset *statuta*. scire enim statuta quibus reguntur cœli in motibus & actionibus suis, excedit vires humanæ scientiæ. ET PONES RATIONEM EIVS IN TERRA. Iuxta Hebræum habetur, *nunquid ponet dominium eius in terra*? Et est sensus, nunquid constitues quòd homines qui sunt in terra dominentur cœlo? Vnde & statim subiungit duas actiones dominij humani erga cœlestia, comprehendendo Hebraico more inter cœlos aërem.

Vers. 34. NVNQVID ELEVABIS IN NEBVLAM VOCEM TVAM, ET IMPETVS AQVARVM OPERIET TE? Sententia redditur: quanuis non impetus, sed abundantia aquarum Hebraicè scribatur. sententia enim est clara quòd non potest homo præcipere nubibus vt pluant.

Vers. 35. NVNQVID MITTES FVLGVRA, ET IBVNT, ET REVERTENTIA DICENT TIBI, ADSVMVS? Iuxta Hebræum non habetur, *& reuertentia*; sed scribitur, *& dicent tibi, Ecce nos*. Et est ordo literæ, nunquid mittes fulgura, & dicent tibi, Ecce nos, & ibunt. Potestas mittendi fulgura in primis negatur in homine: deinde promptitudo obediendi in fulguribus, & demum executio mandati.

Vers. 36. QVIS POSVIT IN VISCERIBVS HOMINIS SAPIENTIAM? VEL QVIS DEDIT GALLO INTELLIGENTIAM? Iuxta Hebræum habetur, *Quis posuit in renibus scientiam? vel quis dedit cordi intelligentiam*? Dictio interpretata *cordi*, & ab antiquo interprete interpretata *gallo*, neutrius nomen est proprium: sed est nomen significans *conspici*, seu *videri*. perinde ac si diceretur, quis dedit viso, seu respecto? Sed aiunt significari *cor*. ea forte ratione, quia cor est prima animalis pars visa quum generatur animal: vel quia cor est illa pars, ad quam præcipuè spectamus scrutando ea, quæ sunt hominis. Duæ itaque internæ partes nominantur, renes videlicet, & cor. & renibus attribuitur scire, seu sapere (Hebræi enim non distinguunt nomen scientiæ & sapientiæ) cordi autem attribuitur intelligentia. Non solùm autem in hoc Iobis libro, sed etiam in libro Psalmorum attribuitur renibus eruditio: dum *in Psalm.* 15. dicitur, *increpuerunt me renes mei*. Et quia renes secundùm Phylicos officium habent purgandi humorem, ideo tanquam remouentes prohibens conferunt scire & sapere. remouendo enim superfluas humiditates impedientes nostrum tam scire, quàm sapere, conferunt vtrumque: sicut remouens sustentantem trabem, causat motum deorsum rerum grauium, quæ erant superpositæ. Cor verò directè confert intelligere ex parte phantasmatum, pro quanto temperatum cor ministrat spiritus subtiles ac claros phantasiæ in qua intellectus speculatur: largitur enim penetrantis intelligentiæ vim ex parte phantasmatum. Mirabile itaque diuinum opus describitur penes hoc quòd quum cor & renes partes sint hominis spectantes ad vegetatiuam partem qua viuimus communes homini & aliis animalibus dederit Deus cordi & renibus hominis, officia conferendi ad sapere & intelligere.

Psalm. 15. 7.

Vers. 37. QVIS ENARRABIT COELORVM RATIONEM? Iuxta Hebræum habetur, *Quis numerabit cœlos in scientia*? Verè ignoramus in hodiernum vsque diem cœlorum numerum: nec certitudo aliqua de cœlorum numero ab Astrologis habetur. nam & Aristotelis tempore incertum fuisse cœlorum numerum, patet *in* 12. *Metaphysices* eius: & longè incertior redditus est postea à Ptolomæo cum eius Ecentricis & Epicyclis. & propterea meritò dicitur, *Quis numerabit cœlos in scientia*? multi enim numerant eos opinando, sed nullus sciendo. ET CONCENTVM COELI QVIS FACIET DORMIRE? QVANDO FVNDABATVR PVLVIS IN TERRA, ET GLEBÆ COMPINGEBANTVR. Iuxta Hebræum habetur, *& vtres cœlorum quis faciet iacere? Fluente puluere ad fortitudinem, & gleba compingentur*. Transpositam intellige hanc particulam de numero cœlorum, & de quiete pluuiæ. collocari enim secundùm ordinem sententiarum debet ante illam particulam, *quis posuit in renibus*: eo quòd tertia hîc describitur negata hominibus actio imperandi cœlestibus, dicendo, *Quis faciet vtres cœlorum iacere*. Nubes fœcundas assimilat vtribus plenis aqua impositis super humeros effundentis ex eis aquam. & propterea dicit, *Quis faciet vtres iacere*, hoc est, deponi ab humeris effundentium, & iacere, hoc est, quiescere ab effusione. per hanc enim metaphoram significatur cessatio pluuiæ. Tempus autem cessationis pluuiæ desideratum ab hominibus, describitur tum à fluminibus, tum à terra. à fluminibus quidem quando fluunt turbidi ex multitudine pulueris admixti, dicendo, *fluente puluere ad fortitudinem*: vehementia siquidem fluxus turbidæ aquæ per hoc significatur. à terra verò quando glebæ terræ sunt iam compactæ ex pluuia. Hæc enim duo signa sunt pluuiæ sufficientis. & propterea per hoc significatur desiderium hominum quòd cessent pluuiæ: & tamen nullus homo potest efficere vt desinat pluuia.

Cœlorum numerus incertus.

Pluuia cessatio significata.

Vers. 38.

Vers. 39. NVNQVID CAPIES LEÆNÆ PRÆDAM, ET ANIMAM CATVLORVM EIVS IMPLEBIS? Sententia clara est, & affertur ad hoc quòd Deus prouidet leonibus de cibo, ad quod humana prouidentia non potest se extendere. Et duo hîc commemorantur. Alterum de quantitate cibi per modum prædæ. mirum est enim quòd tot animalia dentur in prædam leoni, ita quòd sufficiant ad cibum tantæ multitudinis, quanta est multitudo leonum, quorum quilibet multo eget cibo. Et non solùm sufficientia, sed satietas in litera describitur, dicendo *implebis*: nec fit mentio leænæ, sed leo iuxta Hebræum scribitur. Significanter autem satietas refertur ad appetitum leunculorum ad differentiam leonum. tradunt siquidem Physici quòd leo incontinentissimè vorat, ita quòd biduum, aut triduum postea ducit sine cibo: leunculi autem more puerorum insatiabiles quodammodo, hic describuntur frequenter comedentes.

Leonibus de cibo prouideri à Domino.

Vers. 40. QVANDO CVBANT IN ANTRIS, ET IN SPECVBVS INSIDIANTVR. Iuxta Hebræum habetur, *Quia curuabuntur in habitaculis, sedebunt in umbraculo ad insidias*. Altera leonum conditio

tio ad admirationis cumulum ſpectans adiungitur, videlicet quòd non continuè vagantur pro præda, quanuis indigeant tanto alimento. tradunt enim Phyſici quòd leo non theſaurizat pro craſtina die, nec eſt ſolicitus de craſtino cibo: & propterea deſcribitur hîc quieſcens in habitaculis, in vmbraculis autem inſidiando ſedens, vt moderata quiete multo intelligatur tempore leonis venatio. Et eſt ſenſus quòd leones demittunt ſeipſos tanquam cubantes in habitaculis ſuis, quieſcendo penitus, & quieſcunt in vmbraculis, inſidiando tranſeuntibus, moderatam venationem exercendo multo tempore.

Verſ. 41. QVIS PRÆPARAT CORVO ESCAM SVAM, QVANDO PVLLI EIVS CLAMANT AD DEVM VAGIENTES, EO QVÒD NON HABEANT CIBOS. Iuxta Hebræum habetur, *Quis parabit coruo venationem eius, quia pulli eius ad El clamabunt, errabunt abſque comedere.* Si annotabis verbum *errabunt*, clarè videbis quòd de pullis coruorum vagabundis, & non de exiſtentibus in nido eſt ſermo. & propterea incerto authore rumor de pullis coruorum in nido priuatis paſtu à parentibus quouſque nigreſcant, & quòd interim paſcuntur rore, ſeu muſcis, non ſeruit propoſito. Tam itaque litera hæc, quàm *Pſal.* 147. intelligenda eſt de pullis coruorum vagabundis. tradunt enim Phyſici quòd coruus tædio affectus alendi tot pullos, eiicit ex nido ante tempus debitum aliquem ex pullis: & iſti ante tempus eiecti ſunt, de quibus dicitur quòd pulli corui clamabunt ad El, quia errabunt abſque comedere. non valentes ſiquidem volare, errant vt poſſunt, vociferando quia eſuriunt. Et appetitus ille naturalis manifeſtatus vociferationibus appellatur clamor ad Deum fortem authorem naturæ, eo quòd non clamant ad coruum parentem à quo eiecti ſunt: iuxta quod ſcriptum eſt, *oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Modum autem quo Deus prouidet errantibus coruorum pullis, non inuenio ſcriptum. ex hac tamen litera habetur quòd Deus prouidet illis, dum dicitur, *Quis parabit coruo venationem*, ad aſſerendum quòd non homo, ſed ipſe Deus parat coruis vagabundis eſcam.

Coruis vagabundis Deus eſcam parat.

CAPVT XXXIX.

Verſ. 1. NVMQVID NOSTI TEMPVS PARTVS IBICVM IN PETRIS. Parui refert quòd Hebraicè habetur *petra*, ſeu *rupis*. Quod ideo annotauerim, quia fortè multæ ſunt ſpecies ibicum: & præſens ſermo reſtringitur ad ibices rupis. & hæc dico, & proſequar de ibicibus rupis, præſupponendo quòd Hebraica dictio verè ſignificet ibices: ambigo enim an *iahalim* ſignificet *ibices*. Et ratio dubitandi eſt, quia ibicum magna inuenitur copia in Germania: & conſequenter rationi conſentaneum eſt vt cognoſcatur tempus quo pariunt, & quot menſibus portant in vtero, quorum oppoſita ſcribuntur hîc de *iahalim*: quarum etiam mentio fit ſimul cum ceruis *Prouer. cap.* 5. Attamen communicando in vocabulo cum aliis, nominabimus *ibices*, donec eluceſcat veritas. Eſt autem *ibex* animal quadrupes, & ſpecies capreæ: vaſtis (vt aiunt) cornibus, velociſſimi curſus, & præcipitans ſe è rupe, abſque læſione, excipiendo ſeipſum propriis cornibus in terra. Sed hîc non eſt ſermo de eis niſi quo ad tempus quo pariunt: & ignotum homini deſcribitur tempus illud, dicendo, *numquid noſti tempus partus.* Si diceret, numquid noſti locum, intelligeremus occultum eſſe locum: & propter ea dicendo, *numquid noſti tempus*, inſinuat occultum eſſe tempus. Et quoniam Deus poſtquam introduxit admiranda opera ſua in elementis, introducit admiranda opera ſua in animalibus, inchoando à partibus hominis quas habet homo communes cum aliis animalibus (tenibus videlicet, & corde) relatiuè ad ſcire, & intelligere, & proſequendo in leonibus & coruis relatiuè ad cibum: ideo admiranda Dei opera intelligenda ſunt proponi conſequenter in ibicibus & ceruis relatiuè ad generandum. & in ibicibus quidem proponitur admiratione dignum quòd tempus quo pariunt ibices rupis, ignotum eſt hominibus: de ceruis autem ſubiungitur. VEL PARTVRIENTES CERVAS OBSERVASTI? Non habetur in Hebræo *vel*. In occulto loco pariens cerua deſcribitur, dicendo, *numquid parientes ceruas obſeruabis?* tradunt enim Phyſici quòd cerua paritura vadit ad locum vnico aditu contentum, vt illo vnico cuſtodito, ſecura teneat intus fœtus. Quia igitur naturaliter cerua in latibulo parit, ideo dicitur, *numquid parientes ceruas obſeruabis?* quaſi dicat, minimè. Nec per hoc intelligas impoſſibile eſſe vt obſeruetur: ſed ceruæ partus ſuapte natura inobſeruabilis deſcribitur.

Ibex, capreæ ſpecies.

Offendit in ceruis. Cerua.

Verſ. 2. DINVMERASTI MENSES CONCEPTVS EARVM, ET SCISTI TEMPVS PARTVS EARVM. Iuxta Hebræum habetur, *Numerabis menſes, implebunt.* id eſt, quos implebunt. ET SCIES TEMPVS PARIENDI EARVM? Diſcerne prudens Lector inter propoſita de ibicibus & ceruis: & quia in ſolis ibicibus propoſitum eſt tempus pariendi occultum, ideo particulam hanc ad ſolas ibices referto. declaratur enim conſequenter non ſpectare ad hominem numerare menſes quibus ibex portat in vtero, aut noſſe tempus quo parit. propoſuerat ſiquidem tempus eſſe ignotum: declarat conſequenter per partes ambas (videlicet tempus geſtandi in vtero, & tempus pariendi) neſciri ab hominibus tempus generationis ibicum rupis. tempus enim ceruarum à Phyſicis ſcribitur menſium octo: & propterea de ceruis non poteſt hoc intelligi.

Verſ. 3. INCVRVANTVR AD FOETVM, ET PARIVNT, ET RVGITVS EMITTVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Genuflectent, pullos ſuos ſcindent, dolores eorum mittent.* De propoſitis ceruis parientibus proſequitur, narrando opus Dei admirandum quod in partu ceruarum interuenit. Cerua ſiquidem pariens, antequam pullus eius terram attingat, ſcindit ſecundas (hoc eſt, membranam qua inuoluitur fœtus) & comedit eam, vt Phyſici tradunt: & hinc fœtus læditur, vtpote emiſſus in terram nudus penitus. & propterea hîc dicitur de ceruis parientibus quòd pullos ſuos ſcindent quo ad membranam, & quòd emittent dolores eorum: quia pullorum dolores cauſant emittendo eos in terram ſpoliatos membrana præcomeſta. Genuflexio autem hîc ſcripta, ex imbecillitate inteſtinorum ceruæ procedere vi-

detur. tradunt enim Physici tenue atque imbecille esse intestinum ceruorum, & facilè frangibile.

Vers. 4. SEPARANTVR FILII EARVM, ET PERGVNT AD PASTVM. Iuxta Hebræum habetur, *Sanabuntur filij earum, multiplicabunt ad foras.* Ecce opus admirandum, quòd cerua pariendo contra maternum morem lædit pullum suum, qui tamen sanatur diuina id ordinante prouidentia. Quod autem adiungitur de multiplicatione, spectat ad id quod tradunt Physici, videlicet cerua sæpe ducit ceruulos ad loca extrinseca, & docet eos fugere ad latibula. hoc enim significatur describendo quòd quum sanati fuerint, multiplicabunt ad foras, hoc est, multiplicabunt egressus ad eundum foras, & reuertendum cum ipsa tanquam fugiente. est enim ceruus animal timidum, & propterea à primæua ætate discit fugere. EGREDIVNTVR, ET NON REVERTENTVR AD EAS. Postquam ceruuli didicerunt egredi & fugere, egrediuntur liberi, & non reuertuntur vt priùs reuertebantur cum matribus fugiendo, sed vadunt quò volunt. Et hæc dicta de ceruarum partu, ad confutandam humanam prouidentiam spectant: quemadmodum dicta de ibicibus ad confutandam humanam scientiam.

Ceruus.

Vers. 5. QVIS DIMISIT ONAGRVM LIBERVM? ET VINCVLA ONAGRI QVIS SOLVIT? Transit ad syluestrem asinum, & præpostero ordine scribitur eius libertas: nam priùs soluenda sunt vincula, & deinde mittendus liber. Nec est sensus quòd onager fuerit quandoque ligatus & seruus, sed quòd fortitus est conditionem liberi tam a vinculis, quam a seruitute, ad differentiam asini domestici qui obnoxius est vinculis capistri, & seruituti hominis. ad confutandam enim potentiam hominis, describit Deus quòd non homo, sed ipse dedit hanc libertatem onagro.

Ostendit in onagro. Onager.

Vers. 6. CVI DEDI IN SOLITVDINE DOMVM, ET TABERNACVLA EIVS IN TERRA SALSVGINIS. Iuxta Hebræum habetur, *Cuius posui planitiem domum eius, & tabernacula eius ficcitatem.* Et hoc etiam est mirandum quòd planitiem aridam habet pro domo onager.

Vers. 7. CONTEMNIT MVLTITVDINEM CIVITATIS, CLAMOREM EXACTORIS NON AVDIT. Legendum esset, *Deridebit multitudinem ciuitatis, rumores oppressoris non audiet.* Scribunt Physici onagrum præ cæteris animantibus fugere conuersationem hominum: & propterea hîc dicitur quòd deridebit multitudinem ciuitatis, tanquam pro nihilo habens illam. & ratio subiungitur, quia vitat rumores oppressoris: quia nec audire vult rumores qui in locis habitatis ab hominibus fiunt ab oppressoribus animalium, percutiendo, onerando, pungendo, clamando.

Vers. 8. CIRCVNSPICIT MONTES PASCVÆ SVÆ, ET VIRENTIA QVÆQVE PERQVIRIT. Legendum esset, *Exploratio montium, pascuum eius: & post omnem herbam quæret.* Domus onagri descripta est planicies arida: pascuum autem eius describitur in montibus, explorando & quærendo quamcunque herbam. Et hoc est signum quòd etiam montes illi sunt steriles.

Vers. 9. NVNQVID VOLET RHINOCEROS SERVIRE TIBI. Onagro animali indomabili adiungitur rhinoceros, animal etiam indomitum: qui Hebraicè appellatur *rem*, Græcè autem *rhinoceros*: & vt nomen eius (compositum à naso & cornu) sonat, habet cornu vnum ex naso prodiens, ex quo nomen accepit: Est autẽ (vt Physici scribunt) hostis elephanto; æqualis elephanto secundùm longitudinem corporis, minor autem secundùm altitudinem ceruium. Et priscis temporibus visus Romæ scribitur ductus à Pompeio: nostra autem ætate dum naui veheretur, à Rege Lusitaniæ missus, in via mortuus nunciatus est. De hoc itaque animali ad confutandam humanam potentiam, scribitur libertas ac indomita conditio ad humana seruitia. Et primò quidem proponitur in genere negatio seruitutis, dicendo, *Nunquid volet rhinoceros seruire tibi?* AVT MORABITVR AD PRÆSEPE TVVM? Legendum esset, *nunquid dormiet super præsepium tuum?* Et significatur per hoc quòd nec propriæ commoditatis gratia rhinocetos habitat cum hominibus, in præsepiis scilicet, quæ fiunt ab hominibus.

Ostendit in rhinocerote. Rhinoceros. Nominis ratio, & etymo.

Vers. 10. NVNQVID ALLIGABIS RHINOCEROTA AD ARANDVM LORO TVO. Legendum esset, *in sulco funis sui.* sic enim iacet in Hebræo. Sed sententia in idem redit: quoniam sulcus, arando fit. Et est sensus. Nunquid ad faciendum sulcum alligabis rhinocerota, funem faciendo sinum, hoc est, assuefactum ad funem tanquam suum, quemadmodum bos alligatur assuefactus iugo suo. AVT CONFRINGET GLEBAS VALLIVM POST TE? Iuxta Hebræum habetur, *nunquid agricolabit valles post te?* Opus significatur agriculturæ quod præcedente homine, subsequente verò animali exercetur: cuius vocabulum proprium quia non habemus, vtimur vocabulo respondenti Hebraico verbo derivato à campo.

Vers. 11. NVNQVID FIDVCIAM HABEBIS IN MAGNA FORTITVDINE EIVS, ET DERELINQVES EI LABORES TVOS? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid securus eris in eo, quia multa fortitudo eius, & relinques ei laborem tuum?* Negatis seruitiis rhinocerotis ad agriculturam, adiungitur negatio seruitutis eiusdem ad prælium. & hoc ad differentiam elephantis, qui seruit homini in præliis: propter hoc enim dicit, *Nunquid securus eris in eo*, quemadmodum in elephante vectus ad prælium, & relinques ei laborem tuum tanquam in pugna laboranti prote, quia multa fortitudo eius: scribunt enim quòd pugnat cum elephante. Et hinc insinuatur quòd rhinoceros non domatur, quemadmodum elephas.

Elephas.

Vers. 12. NVNQVID CREDIS EI QVÒD SEMENTEM REDDAT TIBI, ET AREAM TVAM CONGREGET? Negatur demum seruitus rhinocerotis ad portandum onera; & præpostero ordine negatur tam onus fascium culmorum cum spicis ad hoc vt congregentur in area, quàm onus vehendi exculsa iam grana ad horrea, quod hic vocatur reddere homini semen suum. Et hoc ad differentiam videtur dici elephantis: qui quemadmodum gestat propugnaculum pro multis viris, ita repletum multis granis & multis manipulis gestare potest.

Vers. 13. PENNA STRVTHIONIS SIMILIS EST PENNIS HERODII, ET ACCIPITRIS. Iuxta Hebræum longè aliter habetur, *Penna pauonum exultans: nunquid ala struthionis, & pluma eius.* subaudi exultat sicut penna pauonis? Attende prudens Lector quòd in hoc diuino sermone dẽ animalibus, coniunxit Deus hactenus animalia bina tanquam similia quo ad illud de quo fuit sermo. primò enim iunxit leoni corvum

Ostendit in Struthione. Struthio.

relatiue

relatiuè ad indigentiam cibi: deinde ibicibus cornas relatiue ad partum: postea onagris rhinocerotes relatiue ad seruitutem hominis. nunc autem pauonibus singit struthiones relatiue ad pennas: sed non secundùm similitudinem vt in prioribus, sed secundùm dissimilitudinem, vt opposita iuxta se posita magis elucescant. Valde enim distant pauo & struthio secundùm pennas. nam nullum apparet animal tam gaudens ac festiuum pennis sicut pauo, ostentans decorem suum eleuando pennas caudæ: vt ad sensum videmus. quo contra nulla auis infelicior apparet struthione quo ad alas & plumas: quandoquidem alas habet sine volandi facultate, & anno secundo (vt Physici tradunt) & deinceps paulatim plumam perdit in capite, collo, parte inferiore corporis & coxis, ita quòd non habet rediuiuam plumam vt aliæ aues & propterea ex opposito pauonis felicis in pennis, collocatur infelix struthio maxima auium, dicendo, penna quidem pauonum exultans est, nunquid ala struthionis & pluma eius exultans est? quasi dicat, minimè.

Pauo.

Vers. 14. QVANDO DERELINQVIT OVA SVA IN TERRA, TV FORSITAN IN PVLVERE CALEFACIES EA. Iuxta Hebræum habetur, *Quia relinquet terra oua sua, & super puluerem calefiet.* Scribunt Physici struthionem non cubare super oua, sed ponere oua sua sub sabulo in mense Iulij quo parit oua, & beneficio caloris Solis foueri atque gigni ex ouis struthiunculos: & propterea hîc dicitur quòd struthio relinquit terræ oua sua. Et quoniam non multum excauat terram, sed prope superficiem terræ abscondit oua tegens ea sabulo, ideo dicitur quòd super puluerem calefiet, hoc est, calor fouens fiet. Et dicendo *quia*, insinuat quòd ex parte corporis verificatur à Physicis scriptum, videlicet quòd struthio ideo non fouet oua sua, quia perdit plumam qua fouere illa deberet. ex parte autem animæ subiungetur altera ratio, quia Deus facit eam stolidam.

Aduerte prudens Lector quòd hinc apparet verum esse quod pluries retulimus, videlicet apud Hebræos penitè notitiam proprietatum nominum auium. nam Hebraica dictio *hasida*, quæ hîc interpretata est *struthio*, ab Hebræis interpretatur *ciconia*, & hîc, & in multis aliis locis, videlicet *Leuit.9. & Deut.14. & in Psal.* 104. Perspicuum est enim eos hoc in loco errare: nam de ciconia non verificantur ista quæ hîc scribuntur. videmus enim ciconias nidos suos in locis excelsis super turres, seu culmina tectorum habere, & (vt scribunt Physici) pugnare vsque ad mortem pro ouis, seu pullis suis in nido: quorum contraria hîc scribuntur, quæ struthioni liquet conuenire. Et hæc dixerim ne quis putet absque discussione literam hanc fuisse interpretatam voluntariè: cogit enim verificatio eorum quæ hîc scribuntur ad intelligendum significari struthionem in hoc saltem loco nomine *hasida*.

Ciconia.

Vers. 15. OBLIVISCITVR QVÒD PES CONCVLCET EA, AVT BESTIA AGRI CONTERAT. Sententia redditur: imputatur enim struthioni quòd exponit periculo oppressionis & contritionis à pedibus bestiarum oua sua. Et hinc habetur quòd oua sua non in profunda fossa ponit, sed prope (vt dictum est) superficiem terræ: alioquin non subiicerentur periculo vt conculcentur & conterantur à transeuntibus bestiis. Et imputatur hoc obliuioni, eo quòd ad instar obliti periculi operatur.

Vers. 16. DVRATVR AD FILIOS SVOS QVASI NON SINT SVI. Tradunt quoque Physici quòd struthio aspicit quandoque ad locum in quo posuit oua. & hoc imputatur hîc struthioni in crudelitatem, quòd quum videat pullos suos, crudescit ac si non essent sui, quia nec tunc ad fouendum oua, nec postea ad alendos genitos pullos vadit. FRVSTRA LABORAVIT, NVLLO TIMORE COGENTE. Sententia redditur. inexcusabilis dicitur struthio, deserendo curam filiorum, eo quòd si timore aliquo fugeret, & curam pullorum relinqueret, excusari videretur: sed quòd absque timore aliquo deserat, signum est quòd labor eius ad generandum fuerit vanus relatiuè ad eam: hoc est, signum est quòd habeat pro vano proprium laborem, non curando ducere ipsum ad perfectionem. & propterea subditur,

Vers. 17. PRIVAVIT ENIM EAM DEVS SAPIENTIA, NEC DEDIT ILLI INTELLIGENTIAM. Iuxta Hebræum habetur, *Quia obliuisci fecit Eloah sapientiam, & non diuisit ei intelligentiam.* Scribit Plinius struthionem tantæ esse stoliditatis vt abscondito inter frutices collo, putet se totam latere. stoliditas itaque struthionis describitur ratio tot admirandorum defectuum. Et Deo gubernatori atque distributori naturalium donorum ascribitur quòd fecit struthionem non obliuiosam, sed obliuiosam sapientiæ, hoc est, non vtentem memoria ad sapiendum: recordatur enim struthio ouorum suorum, & ideo aspicit ad locum in quo sunt: sed non recordatur ad sapiendum, hoc est, ad prouidendum. Et ratio subiungitur, quia non diuisit ei Deus intelligentiam: hoc est, quia distribuendo animalibus participationem intellectus in naturalibus instinctibus & æstimationibus & industriis, non dedit ei intelligentiæ participationem quam impartitus est aliis auibus, sed multum stoliditatis. Ascribitur autem Deo distributio imperfectionum, ad commendandam excellentiam diuinæ prouidentiæ: penes hoc quòd ex proposito efficit perfecta & imperfecta, turpia & pulchra, vt vniuersum sit perfectum. ad confutandam enim humanam prouidentiam quæ semper nititur facere perfecta & pulchra, afferuntur hæc de pauonis & struthionis pennis: & similiter de struthionis defectibus, & equi perfectionibus.

Vers. 18. QVVM TEMPVS FVERIT, IN ALTVM ALAS ERIGIT: DERIDET EQVVM, ET ASCENSOREM EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Sicut tempus in altum se eleuabit, deridebit equum & equitem eius.* Ad cumulum admirandorum Dei operum in struthione, describitur demum vastitas struthionis, quòd est videlicet tam grandis, vt quando se in altum erigit, celsior sit equite sedente super equum. Hinc enim apparet quòd inter aues est grandissima. & si in struthionibus apud nos non videmus tantam magnitudinem, scito quòd in struthionibus Aphricæ & Athiopiæ scribunt hoc verificari. Admirandum autem videtur quòd maxima auium tot sit priuata bonis communicatis auibus aliis.

Vers. 19. NVNQVID PRÆBEBIS EQVO FORTITVDINEM. Dictio interpretata *fortitudinem*, vires validas valdè sonat, quales videmus in equis idoneis ad prælium. transit siquidem ad admiranda bona apparentia in equis. Vbi aduerte quòd

Ostendit in equo.

ab inchoato ordine non digreditur Deus in hoc sermone, sed struthione vtitur bis. quo ad pennas siquidem vtitur struthione è regione pauonis: è regione verò tantorum defectuum struthionis affert equi perfectiones. struthio enim animal medium inter volatile & gressibile apparet: & ideo hinc è regione volatilium, inde autem è regione gressibilium collocatur. Et quia celsitudine excedit equum cum equite eius, ideo par fuit vt equus è regione ipsius præponeretur? AVT CIRCVNDABIS COLLO EIVS HINNITVM? Iuxta Hebræum habetur, *nunquid vesties collum eius arduum?* Ceruix equi describitur ardua, ita quòd totum collum erigatur, & propterea indutum arduo describitur. hæc enim est conditio boni ad prælium equi: ad quam iuba densa tanquam colli indumentum cointelligitur scribi indumenti nomine: nam signum quoque est densa iuba, bonitatis equi.

Equus.
Equi boni conditiones.

Vers. 20. NVNQVID SVSCITABIS EVM QVASI LOCVSTAS? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid facies tremere eum sicut locustam?* Duæ optimi equi conditiones simul describuntur, non ab homine, sed à Deo collatæ. Altera est tremor membrorum, hoc est, commotio membrorum instar trementium. de quo tremore non solùm Physici, sed etiam Virgilius *Georg.* 3. scribit,

—*Tam, si qua sonum procul arma dedere,*
Stare loco nescit: micat auribus, & tremit artus.

Et quoniam indicium fortitudinis scribunt esse huiusmodi tremorem, ideo conuenienter adiungitur *sicut locusta.* est enim sensus, nunquid facies tremere equum qui saltat sicut locusta? ne intelligeres tremorem equi esse tremorem debilitatis, sed robusti ad saltandum. & hæc est altera conditio. GLORIA NARIVM EIVS TERROR. Iuxta Hebræum habetur, *decor narium eius timor.* Incertum apud me est an sola tenuitas apertarum narium requisita ad bonitatem equi significetur timoris nomine: an (quod potiùs crediderim) pallor, seu motus quidam in naribus concomitans tremorem membrorum describatur decor narium, hoc est, tanquam ornamentum naturale narium equi. rationi siquidem consentaneum est vt calore collecto intus membra commouente, nares tenues atque exangues pallescant, vel aliquo motu simili motui timentium moueantur tunc quanto magis postea feruescunt, dicente Poëta ibidem,

Collectumque fremens volvit sub naribus ignem:

vt ad sensum videtur sub naribus inflammati equi.

Vers. 21. TERRAM VNGVLA FODIT. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Cauabunt in valle.* Inter alias conditiones boni equi supputatur cauare pede tellurem. EXVLTAT AVDACTER. Iuxta Hebræum habetur, *& lætabitur in viribus.* Ad sensum enim apparet equum bonum lætari in virium suarum fortitudine: nam quasi exultans videtur ingressurus prælium. IN OCCVRSVM PERGIT ARMATIS. Sententia redditur, & est clara.

Vers. 22. CONTEMNIT PAVOREM. Litera hæc manca est: nam iuxta Hebræum scribuntur duo, *Deridebit pauorem, & non terrebitur.* Deinde immediatè sequitur, *& non reuertetur à facie gladij.* Sententiæ manifestæ sunt, & continua experientia probatæ.

Vers. 23. SVPER IPSVM SONABIT PHARETRA: VIBRABIT HASTA, ET CLYPEVS. Iuxta Hebræum habetur, *Super ipsum cantabit pharetra: fulgor lanceæ & spiculi.* Inter quattuor armorum genera non solùm intrepidus, sed pugnans equus describitur, videlicet gladios, seu enses, multitudinem sagittarum (quarum copia describitur à pharetra: quarum sonus describitur tanquam cantus, hoc est, delectabilis equis) lanceas: quæ describuntur fulgentes, eo quòd earum ferrum politum fulgorem emittit, qui tamen non facit declinare equos. Quod autem quartò subiungitur spiculum, fulgidum quoque est: & inter arma offensiua numeratur. Quod tamen à multis creditur æreus clypeus, magnum reddens splendorem. quodcunque autem intelligas, ad magnanimitatem equi perseuerantem in prælio commendandam spectat.

FERVENS ET FREMENS SORBET TERRAM, Vers. 24.
NEC REPVTAT TVBÆ SONARE CLANGOREM. Iuxta Hebræum habetur, *In fremitu & ira fodiet terram, & non credet quòd vox' cornu.* Dictio interpretata *fodiet*, anceps est ad *fodiet*, vel *sorbebit.* & vtrunque verificatur: fodere quidem propriè, sorbere autem metaphoricè. Præpostero siquidem ordine, sed solito, priùs descriptus est equus intrepidè pugnans in prælio: & deinde describitur magnanimitas eius prope prælium, tanquam ratio quòd intrepidus perseueret in prælio. De equo igitur expectante imminens prælium, dicitur quòd in fremitu extrà & ira intus, expectando prælium fodiet terram vngula, vel sorbebit terram: hoc est, ita fremit & excandescit acsi absorpturus sit terram, hoc est, terrestres hostes. iuxta prouerbium enim humanum loquitur. Et similiter iuxta prouerbium humanum subiungit, *& non credit quòd vox cornu.* auiditas siquidem magna rei quæ differtur, describi solet sic, videlicet non credit quòd erit. auido enim repræsentatur dilatio tanquam negatio. Et iuxta hunc loquendi modum auiditas equi ad prælium describitur, dicendo quòd *non credet quod vox cornu*, citans ad prælium erit. Et nomine *cornu* cuiuscunque materiæ tubam intellige.

& Cornu notio.

VBI AVDIERIT BVCCINAM, DICIT: VAH. Vers. 25.
Sententia redditur, dummodo vocem hilaritatis intelligas quasi prolatam ab equo audiente tubam citantem ad prælium, cuius nomen proprium non habemus. equus enim gaudens non sonat vah, sed suam quandam gaudentis interiectionem. PROCVL ODORATVR BELLVM, EXHORTATIONEM DVCVM ET VLVLATVM EXERCITVS. Dictio interpretata *exhortationem*, sonat *rumores.* Describitur enim equus expectans imminens prælium, olfactu cognoscens à longè apparatum belli in rumoribus Principum, & tumultu bellico. nam vbi legimus *vlulatum exercitus*, Hebraicè significatur sonitus, seu clamor bellicus. Hoc autem quod dicitur de olfactu equi, non est absurdum verificari ad literam: nam quemadmodum canis insequens ceruum dum ad triuium venerit, & nesciens qua via ceruus iuerit, olfactu discernit vias, ita indita facultas odorandi à longè tumultum bellicum equo sit. huiusmodi enim sensibilia per accidens (pertinentia ad hoc, vel illud animal) cognoscere à longe, mirabiliter distributum ab authore naturæ videmus.

NVNQVID PER SAPIENTIAM TVAM PLVMESCIT ACCIPITER, EXPANDENS ALAS SVAS Vers. 26.
AD AVSTRVM? Parui refert quòd dictio interpretata

pretata *sapientiam*, sonat *intelligentiam*, in idem enim sententia redit. In accipitris autem nomine non fiat vis inquisitiua de qua accipitris specie, aut si de vniuerso genere accipitrum est sermo. Sat siquidem est intelligere quòd de vocata mutatione plumarum, seu pennarum est sermo: mutaturus enim accipiter plumas, ad meridiem expandit alas, vt calore aperiente poros, facilius plumescat.

Ostendit in accipitre. Accipiter.

Vers. 27. NVNQVID AD PRÆCEPTVM TVVM ELEVABITVR AQVILA. Vere iungendo animalia bina progreditur vniuersus hic sermo: nam & accipitri adiungit aquilarum genus, cuius prima conditio describitur *eleuatio*, eò quòd supra omnes aues eleuatur ascendendo. ET IN ARDVIS PONET NIDVM SVVM? Iuxta Hebræum habetur, *& quòd eleuabit nidum suum*: hoc est, in locis excelsis faciet nidum.

Ostendit in aquila.

Aquila conditiones.

Vers. 28. IN PETRIS MANET: IN PRÆRVPTIS SILICIBVS COMMORATVR, ATQVE INACCESSIS RVPIBVS. Iuxta Hebræum habetur, *Rupem habitabit, & dormiet super dentem petræ, & arce.* Dictio interpretata *arce*, non significat arcem fabricatam arte, sed locum excelsum naturâ munitum tanquam arcem. Habitatio itaque aquilæ describitur in excelsa petra, ita quòd etiam quiescit super dentem petræ, hoc est, super petras tanquam dentes, hoc est, scissas ab aliis. Addunt autem Physici quòd aquila in huiusmodi locis apponit cespitem, vel linum, vel pellem aliquam, ne frangantur acumina suorum vnguium: quemadmodum etiam nutrientes falcones, apponunt pannum, vel corium super lignum in quo pedes falconis sustentantur.

Arx, de loco excelso naturâ munito.

Vers. 29. INDE CONTEMPLATVR ESCAM, ET DE LONGE OCVLI EIVS PROSPICIVNT. Ratio quare huiusmodi excelsa loca eligat, creditur quia inde potest aspicere longè, & explorare cibum. Si enim super arborem se collocaret, impediretur prospectus à frondibus ipsius arboris: in summitatibus autem præruptarum rupium liberum habet intuendi spatium.

Vers. 30. PVLLI EIVS LAMBVNT SANGVINEM. Dictio interpretata *lambunt*, ab aliis interpretatur *sorbebunt*, ab aliis *polluens se*, ab aliis *tegent se*. Sed quicquid intelligas, significatur quòd non horrent sanguinem, sed sanguineo cibo vescuntur: crudis enim carnibus diuersorum animalium prout occisa sunt aluntur. VBICVNQVE CADAVER FVERIT, STATIM ADEST. Iuxta Hebræum habetur, *& in quo occisi, ibi ipsa.* hoc est, quòd in loco in quo sunt homines occisi, ibi est aquila. Similis est sermo Euangelicus, *vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Verificatur autem secundùm Physicos hoc tum de vna aquilarum specie, reliquis occidentibus priùs quæ comedunt: tum de vulturibus, quos Philosophi multi inter aquilas supputant.

Luc. 17. 37.

Vers. 31. ET ADIECIT DOMINVS, ET LOCVTVS EST AD IOB. Iuxta Hebræum habetur, *Et respondit Iehouah ad Iob, & dixit.* Finitus insinuatur sermo diuinus ad Iobem ad confutandum verborum eius arrogantiam, & tacens insinuatur Iob, tanquam confusus sermone Dei de turbine. & propterea benignùs agens Deus cum Iobe, absque turbine respondet, hoc est, responsionem prosequitur. & propterea significanter introducitur iterum Deus respondens nulla facta mentione turbinis, vt absque indignatione

Iob arguitur à Deo, quòd cum ipso contendere voluerit.

respondens inuitet Iobem iam confusum ad respondendum petendo veniam.

Vers. 32. NVNQVID QVI CONTENDIT CVM DEO, TAM FACILE CONQVIESCIT? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid litigare cum Saddai castigabit.* Et est sensus, nunquid disputatio ista cum Deo erit fructuosa tanquam castigatio filij? longus siquidem sermo Dei præhabitus appellatur disputare cum Saddai, eo quòd inuitatus Deus à Iobead disputandum, assumpsit personam arguentis, & quasi disputando protulit suprascripta. Est itaque sensus, nunquid litigare cum Deo omnipotente prouocato à te castigabit, fructuosæ castigationis vim habebit. fructum siquidem castigationis per hæc verba quærit. VTIQVE QVI ARGVIT DEVM, DEBET ET RESPONDERE EI. Quia Pronomen *ei* in textu Hebraico est fœminini generis, non potest demonstrare Deum. & propterea aliter ordinanda est hæc litera: & legendum est, *arguenti Eloah, respondebit ipsa?* est enim prosecutio interrogationis. Et est sensus. nunquid Eloah (hoc est, Deo iudici) arguenti tam longo sermone Iobem, respondebit ipsamet locutio arguens? quasi dicat, minimè. fœminini siquidem generis est apud Hebræos sermonis nomen. Et quærit per hoc vt Iob respondeat, & diuinus sermo qui est arguens, non sit etiam responsio, non transeat sine responsionis fructu.

Vers. 33. RESPONDENS AVTEM IOB DOMINO, DIXIT. Iuxta Hebræum habetur, *Et respondit Iob ad Iehouah, & dixit.* Deo indignato non ausus est respondere etiam veniam petendo, sed confusus tacuit: Deo autem non indignato & exigenti responsionem, respondet.

Vers. 34. QVI LEVITER LOCVTVS SVM, RESPONDERE QVID POSSVM? Iuxta Hebræum habetur, *Ecce paruipendi, quid respondebo tibi?* Agnoscit Iob peccatum suum in specie paruipendendi Deum; quia verba eius prouocatiua Dei ad disputandum, non solùm speciem arrogantiæ, sed etiam speciem paruipensionis Dei præ se ferunt, vt clarè patet tum ex hoc quòd disputatio debet esse inter pares, tum ex hoc quòd Iob promittebat sibiipsi victoriam si disputaret cum Deo. Quanuis igitur Iob non intentione paruipendendi Deum prouocauerit Deum ad disputandum: quia tamen verba eius speciem habeba nt paruipensionis Dei, agnoscit & confitetur peccatum suum. Petendoque veniam dicit, *Ecce paruipendi*, hoc est, tanquam paruipendens te locutus sum, quid respondebo tibi, ad mei defensionem? quasi dicat, nihil supperit ad excusandum, aut defendendum me, sed pro castigationis tuæ fructu hoc duntaxat respondendum est: videlicet, MANVM MEAM PONAM SVPER OS MEVM. Iuxta Hebræum habetur, *manum meam posui ad os meum.* hoc est, peccatum sermonis mei agnoui, & accusaui. sicut enim percutiens manu pectus suum, accusat peccatum cordis sui, ita manum apponens ori accusat peccatum oris sui: sine memoria enim est mos percutiendi pectus, & labia, petendo veniam à Deo. & propterea dicendo *ad os meum*, manifestat quòd non paruipenderat animo, sed ore.

Agnoscit Iob se locutum temerè.

Vers. 35. VNVM LOCVTVS SVM, QVOD VTINAM NON DIXISSEM: ET ALTERVM, QVIBVS VLTRA NON ADDAM. Iuxta Hebræum habetur, *Semel locutus sum, & non respondebo, & secundò, & non addam.* Non solùm speciem peccati, sed etiam numerum

rum peccatorum suorum confitetur. duo siquidem peccata oris se commisisse in hac prouocatione Dei ad disputandum fatetur: quorum alterum consistit in ipsa prouocatione, dando optionem,& pollicendo sibiipsi victoriam.alterum exercendo ipsam disputationem cum Deo, quum *in eodem 13. cap.* exegit à Deo vt ostenderet sibi quantas haberet iniquitates & peccata: nam & hoc ad speciem parumpendendi Deum spectat. exigit enim à Deo tanquam ab humano iudice obligato ad monstrandum reo quare punit ipsum: vt patet intuenti textum ibi iuxta Hebraicam veritatem. Promittit quoque duo, videlicet & quòd non respondebit excusando peccatum,& quòd non adiiciet vltra committere similia peccata. Et sic venia perfecte petitur,accusando se peccasse tali peccato, & toties, & promittendo nec excusare, nec recidiuare.

CAPVT XL.

Vers. 1. *Deus arguit Iob quod vsus sit iniustitia i suis detraxisse.*

RESPONDENS AVTEM DOMINVS Iob. Iuxta Hebræum habetur, *Et respondit Iehouah ad Iob de turbine, & dixit.* Iterum tanquam indignatus Deus introducitur respondens Iobi, non quia pœnitentem respuerit, sed quia contra aliud Iobis peccatum loquuturus est, reprehensurusque eundem. introducitur autem respondens, quia vere ad dicta Iobis respondet.

Vers. 2. ACCINGE SICVT VIR. Iuxta Hebræum habetur, *Accinge nunc sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & fac sire me.* Repetuntur verba dicta in principio 38. capituli: & sunt verba irrisoria,vt ibi declarauimus.

Vers. 3. NVNQVID IRRITVM FACIES IVDICIVM MEVM, ET CONDEMNABIS ME VT IVSTIFICERIS? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid furore franges iudicium meum: facies impium me vt iustifices?* In *cap.* 18. Iob dixit sociis, & si certe supra me ingrandescetis & arguetis super me vituperium meum, scirè nunc quòd Eloah fecit tortum mihi. In quibus verbis quamuis sub conditione dictis, prorupit Iob ad dicendum quòd Deus iniustum iudicium fecerit. dixit enim hanc sententiam sub conditione, videlicet si sociorum admitteretur sententia quòd aduersitates præsentis vitæ pro peccatis duntaxat darentur à Deo. Vt iustificaret itaque causam suam Iob, prorupit in hanc conditionalem, quòd si mè vituperatis ex afflictione quam patior, scitote quòd Deus iudex fecit mihi tortum. Hæc sunt verba Iobis quæ Deus nunc commemorat, reprehendendo Iobem, dicens, *Nunquid furore franges iudicium meum, facies impium me vt iustifices?* reprehensibilia siquidem sunt Iobis verba, eo quòd irreuerenter locutus est de Deo. quantuis enim vera fuerit conditionalis, & Iob non animo minus honorandi Deum conditionalem illam protulerit, attamen sermo ipse præ se fert irreuerentiam, & speciem habet dehonorationis. Nunquam enim debebat ponere os in Deum,& ex nullo præsupposito debebat inferre quòd Deus fecit iniquum iudicium,verba enim hæc scandalosa sunt, vtpote habentia speciem mali. Et propterea tanquam indignatus Deus illa commemorat, dicendo, Nunquid franges iudicium meum, dicendo iudicium meum iniquum: & consequenter facies me impium (hoc est,iniustum)vt iustifices causam tuam? Hebraica enim litera si ad verbum reddenda esset, sonat *impiabis me*, quod non melius explicatur quàm dicendo, *condemnabis me*, vt antiquus interpres reddidit: qui enim damnatur, declaratur iniquus. Et scito quòd dictio interpretata *furore*,anceps est ad furorem,vel iram.& in vtroque sensu verificari hîc potest: nam legendo, *nunquid furore franges iudicium meum*, commemoratur modus quo Iob protulit verba hæc, videlicet tanquam in furore constitutus aduersùs socios. scribitur enim ibidem quòd Iob tristitia affectus ex sociorum verbis,hæc dixit: tristitia autem mater est iræ atque furoris. Iob enim ibidem postquam dixit, *si errani,error meus mecum erit*, insurgens aduersùs magnificantes se super eum (quod est officium irati) protulit hæc verba. Si verò legitur, *nunquid etiam frangesiudicium meum*, perinde est acsi dixisset, fregisti iudicia sociorum tuorum, nunquid etiam iudicium meum franges.

Vers. 4. ET SI HABES BRACHIVM SICVT DEVS, ET SI VOCE SIMILI TONAS. Iuxta Hebræum habetur, *Et si brachium sicut El tibi, & in voce sicut ipse sonabis.* Conditionalis sermo inchoatur habens prolixum valde consequens, constans ex multis partibus quæ subiungentur Huius autem conditionalis antecedens duas habet partes. altera proponitur, dicendo, *& si tibi brachium sicut El:* altera, *& si sonabis in voce sicut ipse, Deus fortis.* Et vtraque metaphorico constat sermone. per *sonum* enim *vocis*, significatur imperium: per *brachium* verò fortitudo executiua. brachiis enim exequimur: voce autem publica, imperamus. Et dictio interpretata *sonabis*, non plenè reddit Hebraicam significationem: significatur enim sonus non qualiscunque, sed sonus publicè citans ad aliquid communiter agendum. Ait itaque Deus Iobi, & si tibi brachium sicut El, & sonabis in voce sicut ipse El, fac quæ subiungo.

Quæstio. Sed non dissimulanda quæstio hîc oritur, quorsum hæc de imperio & fortitudine Dei aduersùs Iobem? quum Iobis verba reprehensione digna, nihil sonent aduersùs imperium, aut fortitudinem Dei, sed aduersùs iustitiam: immo & de imperio & de fortitudine Dei præclarè locutus inuenitur? *Solutio.* Solutio est quòd hæc Dei verba de suo imperio quo dixit & facta sunt, & sua fortitudine quæ extenditur ad omnia, tendunt aduersùs rationem verborum Iobis: rationem, inquam, non ex qua motus fuit Iob ad dicendum verba illa, sed ex qua procedunt suapte natura verba dehonorantia iudicium Dei. Rationis siquidem ordo exposcit vt si iudicium alicuius Principis mei dehonoro, vt confidam in mea authoritate, meisque viribus ad hoc vt valeam tueri dehonorationem quam intuli. & propterea statim quòd Deus commemorauit Iobi verba præ se ferentia contumeliam Dei, ad suapte natura rationem verborum sermonem transfert, inchoando à radice. aggrauatur siquidem per hoc peccatum Iobis, quòd videlicet stultè protulerit verba, quæ à pari cum Deo imperio & fortitudine suapte natura procedunt. & ideo Deus proponit Iobi, si par es Deo in brachio,& in voce.

Vers. 5. CIRCVNDA TIBI DECOREM, ET IN SVBLIME ERIGERE: ET ESTO GLORIOSVS, ET SPLENDIOSIS

Ostendit Deus suam potentiam in Behemoth Leuiathan.

CIOSIS INDVERE VESTIBVS. Iuxta Hebræum habetur, *Orna nunc celsitudinem & altitudinem: & pulchritudinem, & decorem vesties.* Nullum Pronomen in litera scribitur, nullum verbum passiuum habetur: & propterea litera intelligenda est vt sonat, *orna celsitudinem, & vesties*, subaudi ipsam his tribus indumentis, videlicet altitudine, pulchritudine, & decore. Et hæc est prima pars consequentis inchoatæ conditionalis. Et celsitudinis nomine intelligitur Angelica natura, quæ antonomasticè inter creaturas appellatur *celsitudo*, quia longe excellentioris est naturæ, quam sint creaturæ aliæ. quia enim Deus in primo sermone contra arrogatam scientiam induxerat opera sua mirabilia in creaturis corporeis omnium generum, consequens fuit vt contra arrogatam Deo iniustitiam induceret opera iustitiæ suæ mirabilia in creaturis spiritualibus, quales sunt Angeli. testantur siquidem subiuncta quòd de Dæmonibus est vniuersus sermo de Behemoth & Leuiathan, & propterea par est vt celsitudinis nomine intelligatur ad literam Angelica natura. Et inchoatur a diuinis beneficiis naturæ Angelicæ collatis, tanquam à radice iustitiæ diuinæ contra eos. Ex hoc enim quòd tot donis præuenti narrantur a Deo, manifestatur quòd peccatum eorum exegit vt Deus iustitia vindicatiua vteretur aduersùs eos, vtpote ingratissimos cœlesti Patri, & primos superbos. vnde & inferiùs subditur, quòd ipse fuit *initium viarum Dei.* Dicit autem, *orna, & vesties*, ad insinuandum quòd indumenta hæc ad ornatum spectant naturæ Angelicæ. & hæc tria, quia dona gratiæ sunt, quæ superadditur naturæ, & perficit eam, ideo vestium & ornatus nomine significantur. Dedit siquidem Deus Angelis omnibus donum altitudinis, eleuando eos in filios Dei per donum gratiæ gratum facientis, dicente Domino in Euangelio de Diabolo quod *in veritate non stetit.* dedit & pulchritudinem: quantum enim deturpatur peccatis, tantum pulchret actibus virtutis rationalis creatura. dedit & decorem spei felicitatis æternæ. Et quia conferre hæc proprium est Deo, ideo sensus diuinorum verborum est, si par es Deo in voce & brachio, orna nunc Angelicam naturam altitudine gratiæ, pulchritudine virtutum & decore spei, quemadmodum ego ornaui & indui illam.

Celsitudo, de natura Angelica.

Ioan 7. 44.

Vers. 6. DISPERGE SVPERBOS IN FVRORE TVO, ET CONFVNDE EOS. Iuxta Hebræum habetur, *Sparge iras furoris tui.* Nihil hîc dicitur de superbis, sed altera Deo propria actio inchoatur, punitio videlicet Angelorum qui peccauerunt. Prosequitur enim Deus inchoatam conditionalem. & pro secunda parte consequentis dicit, *sparge iras furoris tui*, si es par Deo in brachio & voce, non solùm ornando indue Angelicam naturam, sed etiam *sparge vindictas furoris tui*, hoc est, iustitiæ exterminatricis contra primos impios atque superbos, aduersus Angelos qui peccauerunt. de quibus subiungitur. ET RESPICIENS OMNEM ARROGANTEM HVMILIA. Iuxta Hebræum habetur, *& vide omnem celsum, & inclina eum.* Dictio interpretata *celsum*, propriè significat celsum: est enim denominatiuum deriuatum à dictione interpretata *celsitudo.* Sed celsitudo in præcedenti particula ad naturam applicata est: hic autem applicatur celsum ad appetitum. non est enim sensus, vide omnem celsum natura: sed est sensus, vide omnem celsum appetitu. Ita quòd nomen *celsi* applicatur ad vitium quod Theologi vocant superbiam. appetens enim seipsum celsum supra vires (siue quo ad rem appetitam, siue quo ad modum appetendi, seu assequendi) peccat peccato superbiæ. Peccatum siquidem Angelorum manifestatur fuisse hoc quòd seipsos exaltare voluerunt, describendo eos puniendos sub nomine celsorum, dicendo, *& vide omnem celsum*, ecce peccatum, *& inclina eum*, ecce pœna respondens culpæ: *qui* enim *se exaltat, humiliabitur.* Et dicendo *omnem*, insinuat multitudinem Angelorum peccasse. Demissio autem, seu inclinatio ista, fuit depositio Angelorum à celsitudine filiorum Dei adoptiuorum, ad quam facti sunt assciti.

Angelorum peccatum, & pœna eius.

Matth. 23. 12.

RESPICE CVNCTOS SVPERBOS, ET CONFVNDE EOS. Iuxta Hebræum repetitur, *Vide omnem celsum, humilia eum.* Peccatum quidem repetitur idem, sed pœna multiplicatur: quia ampliùs humiliati sunt, sublata ab eis etiam spe felicitatis. ET CONTERE IMPIOS IN LOCO SVO. Iuxta Hebræum habetur, *& calca impios in locis eorum.* Tertia pœna superborum Angelorum describitur, & satis aptè: primùm *inclina*, deinde *humilia*, tertiò *calca.* Et priores quidem pœnæ relatiuè ad gratuita, hæc autem tertia ad naturalia spectat. naturalia siquidem insinuantur, dicendo, *in locis eorum*: perinde ac si fuisset dictum, calca impios in naturalibus eorum, in quibus confidebant. calcati siquidem sunt Angeli malt secundum suas naturales vires, dum subiecti sunt quasi sub pedibus aliorum Angelorum vt subsint etiam illis quibus superiores erant. Appellantur autem impij eo quòd peccauerunt in cœlestem Patrem ac patriam: ira quòd superbia eorum fuit contemptus cœlestis Patris per adoptionem, cœlestisque patriæ, ciuilitatis supernaturalis.

Vers. 7.

Angeli impij, &c.

Vers. 8. ABSCONDE EOS IN PVLVERE SIMVL. Quarta Dæmonum pœna describitur ad instar abscónditorum simul in puluere, hoc est, collocatorum sub puluere, sic quòd sint absconditi, quemadmodum res sub terra absconditas. Et per hanc metaphoram insinuatur naturalis potentia Dæmonum impedita penitus. describuntur enim tanquam positi sub puluere terræ, non qualitercunque, sed vt *absconditi*, & *simul.* per hoc enim quòd omnes simul non possunt se liberare ex puluere, describitur impedita potentia eorum etiam pro seipsis. per hoc autem quòd describuntur *absconditi*, insinuatur quòd in profundum puluris peccatorum demissi sunt loco decoris quo donati fuerant a Deo. ET FACIES EORVM DEMERGE IN FOVEAM. Iuxta Hebræum habetur, *facies eorum fascia in abscondito.* Quinta Dæmonum punitio describitur *fasciare facies eorum in abscondito.* & tanguntur hîc duæ pœnæ in naturalibus Dæmonum. Altera est priuatio videndi ea quæ publicè fiunt. ex hoc enim quòd in abscondito describuntur, insinuatur impediri intellectum eorum ab intuitu eorum, quæ publicè fiunt. ex hoc verò quòd fasciatæ describuntur eorum facies, insinuatur pœna altera: videlicet priuatio delectationis de eorum naturali pulchritudine. Sicut enim fasciata facies redditur non delectabilis alicui, nec etiam sibiipsi, ita naturalis pulchri

pulchritudo Dæmonis describitur quòd nec alios Dæmones, nec seipsum delectat, diuina hoc agente iustitia vt non repræsentetur eis vt delectabilis: vt qui delectari pulchritudine supernaturali renuit, priuetur delectatione suæ naturalis pulchritudinis. Collige prudens Lector pœnas has, & confer cum donis suprascriptis, & perpendes respondere pœnas donis.

Vers. 9. ET EGO CONFITEBOR QVOD SALVARE TE POSSIT DEXTERA TVA. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Et etiam ego confitebor tibi quòd saluabit te dextera tua.* Et est sermo de confessione laudis. Ecce quorsum vniuersus hic sermo tendit, videlicet ad æqualitatem potentiæ hominis potentiæ Dei confutandam. ideo enim proposuit conditionalem, si tibi brachium & vox sicut Deo, ornando indue Angelicam naturam, & spargendo iras vide omnem Angelum superbum, & inflige eis pœnas, &c. & etiam ego te faciente ista laudabo te quòd dextera tua saluabit te, quòd non indiges auxilio meo, quòd par es mihi: vt quum te non posse facere hæc videas, agnoscas quantum aberraueris, dicendo verba quæ suapte natura procedunt ab æquali mihi.

Vers. 10. ECCE BEHEMOTH QVEM FECI TECVM FOENVM QVASI BOS COMEDET Iuxta Hebræum habetur, *Ecce nunc Behemoth quos feci tecum, fœnum sicut vacca comedet.* Behemoth nomen est Hebraicum, & est numeri pluralis, & habet singulare suum *Behemah.* & quum pluries in sacra Scriptura legatur tam singulare, quàm plurale, semper inuenitur nomen commune, vt animal, bestia, iumentum. certum est enim quòd est nomen commune bestiis, animalibus ac iumentis: nec alicubi inuenitur pro nomine proprio alicuius animalis. Et propterea literalem sensum prosequendo, appellatione Behemoth Dæmones sub nomine brutorum animalium demonstrantur, dicendo, *Ecce Behemoth.* contextus siquidem ipse insinuat quòd quos prius excelsos, superbos ac impios, humiliatos ac calcatos describserat, eosdem tanquam ad sensum demonstret humiliatos vsque ad viliratem animalium brutorum. Et verè sic est: quoniam inter ordinem creaturarum habentium intellectum & ordinem animalium brutorum, hæc est differentia, quòd rationalis creatura est suapte natura ordinata ad proprium bonum (hoc est, ad hoc, vt sint beatæ:) irrationalia autem non sunt propter se, quia non sunt capacia beatitudinis. quando igitur rationalis aliqua creatura deiicitur ad hanc viliratem quòd non est ampliùs habilis ad beatitudinem, collocatur in ordine brutorum animalium, vt viuat non propter proprium finem qui est felicitas, sed more brutorum absque ordine ad beatitudinem. & quia Dæmones ad huiusmodi statum sunt deiecti, ideo demonstrantur sub nomine animalium brutorum, & in numero plurali, quia multi sunt, & vt multi descripti sunt superbi ac impij. Adiungit autem, *quos feci tecum*, tum quia *qui vivit in æternum, creauit omnia simul*, Eccl. 18. tum quia communis est Angelis & hominibus imago Dei, quia suapte natura sunt capaces beatitudinis. Pronomen enim *te* demonstrat Iobem in persona humani generis. Et meminit Deus quòd ipse fecit Dæmones, eo quòd superiùs dixerat se naturam illorum ornasse ac induisse. nunc autem supplet quòd etiam fecit eos similes homini, hoc est, non malos, sed in naturalibus, ac liberos ad bonum & malum, quemadmodum fecit hominem.

Behemoth nomen commune animalibus brutis.

Creaturarum rationalium & irrationalium differentia quæ.

Eccli. 18. 1. *Imago Dei Angelis & hominibus communis est.*

Significanter autem adiungit Aduerbium *nunc*, dicendo, *Ecce nunc Behemoth.* ad insinuandum quòd qui olim erant excelsi effecti, sunt nunc Behemoth, hoc est, similes animalibus brutis. quod manifestat primum à cibo, dicendo, *fœnum sicut vacca comedet.* ac si apertiùs dixisset, Ecce quos feci tecum ad cibum intellectus & sapientiæ, nunc similes brutis vescentur fœno sicut vacca, hoc est, non valens melius habere alimentum. vacca enim libentius vesceretur viridi herba, quàm fœno. Et fœni nomine opera significantur ipsorum Dæmonum, quibus seipsos pascunt: sunt enim arida, vtpote priuata viriditate cuiusque virtutis. Significanter quoque dicit *comedet*, quia Dæmones opera quidem sua comedunt, sed illis non aluntur. vtuntur enim operibus suis vt cibo, sed non prosunt ipsis. Nec inusitata, sed frequens est apud Hebræos mutatio numeri pluralis in singularem, ita quòd construunt verbum singularis numeri cum nomine numeri pluralis. & est constructio de significato: vel quilibet eorum comedet, vel multitudo eorum comedet. Et sic intellige omnia subiuncta in singulari numero de Behemoth.

Behemoth cibus.

Fœnum, de operibus Dæmonum, quibus seipsos pascunt.

Vers. 11. FORTITVDO EIVS IN LVMBIS EIVS, ET VIRTVS ILLIVS IN VMBILICO VENTRIS EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce nunc vis eius in lumbis eius, & fortitudo eius in umbilicus ventris eius.* Pars corporis appellata *lumbi*, nota est cum suo officio ad venerea: ibi enim seminaria vasa foueri Physici aiunt. Sed quæ corporis pars appelletur *umbilici ventris*, non est clarum: tum, quia vmbilicus qui apparet in ventre hominis perfecti tam maris, quàm fœminæ, nullum officium habere apparet. Dico autem *perfecti*, ad differentiam embrionis, in quo vmbilicus officiosus valde est, ad alendum & pendulum sustendandum fœtum. in præsenti siquidem contextu describuntur partes animalis perfecti: vtpote comedentis fœnum, & habentis ossa ferrea. Tum, quia non vmbilicus, sed vmbilici multi describuntur ventris vnius, dicendo, *in umbilicus ventris eius.* Quocirca de internis vmbilicis fœminæ intelligenda est litera hæc. sunt enim in fœminis vmbilici interni multi quos Græco vocabulo appellant *Cotyledones*, à cotyledone herba habente formam vmbilici: & sunt secundùm Physicos venæ quædã ad venerea. Quemadmodum itaque Behemoth cibus descriptus est contemptiuè, dicendo, *ecce nunc comedet fœnum*, ita contemptiuè describitur fortitudo Behemoth, dicendo, *Ecce nunc vis eius in lumbis eius:* ac si apertiùs dixisset, qui tam excellenti potentiæ ac fortitudine vigebat, ecce nunc deiectus ad tantam infirmitatem vt vires eius sint vires lumborum, & fortitudo eius sit fortitudo vmbilicorum ventris: hoc est, vt vites suas & fortitudinem suam exerceat in venereis, hoc est, procurando venerea in viris ac mulieribus. Et nihilominus significatur fortitudo quæ apparet propter venerea tam in viris, quàm in mulieribus amantibus. viri enim mille subeunt pericula: & de mulieribus verè dicitur,

Fortem animum præstant rebus quas turpiter audent.

Et si hæc contuleris cum subiunctis de testiculis,

Vmbilicus Græcè Cotyledon, quid, & unde.

Behemoth fortitudo.

Fortitudo qua apparet propter venerea.

lis, perpendes quòd non describitur aliquod vnicum naturale corpus per partes nominatas in hac litera: nam aliquæ partes sunt partes masculorum, & aliquæ partes fœminarum, ex quibus non constat vnicum naturale corpus.

Vers. 12. STRINGIT CAVDAM SVAM QVASI CEDRVM. Iuxta Hebræum habetur, *Agitabit citò caudam suam sicut cedrum.* Officium caudæ est tegere posteriorem animalis partem qua feces emittit, ad hoc enim a natura data est. Officium itaque Dæmonis ad tegendum ac protegendum mala, describitur per caudam. & quoniam hoc valde extenditur, amplissimúmque est, & ad superna semper tendens (vt quotidiana experientia testatur) ideo assimilatur cedro. & quia in promptu sunt huiusmodi excusationes, ideo dicitur quòd agitat citò caudam suam quamuis magnam sicut cedrum. NERVI TESTICVLORVM EIVS PERPLEXI SVNT. Patui refert quòd Hebraicè habetur, *nerui testiculorum eius ramificabunt.* aiunt enim dictionem Hebraicam esse verbum futuri temporis, significans aliquid simile ramificationi, qualem videmus in integro vuæ botro ex multis racemis consurgente. apparet enim in illis intricatio & obuolutio. Et quia nerui testiculorum (hoc est, partes neruosæ testiculorum) secundum Physicos vasa sunt seminaria ramificata multis obuolutionibus, ideo officium eorum creditur concoquere semen ad generandum. & propterea officium Diaboli ad generandum sibi filios, describitur per testiculos ramificatos neruis multis intricationibus obuolutis. generat enim peccata, proponendo apparens bonum, & tanquam obuoluens malum multiplicatis atque intricatis tam respectibus, quàm delectationibus, seu tristitiis & appetitibus, seminat morale malum in animis hominum, atque sic generat sibi filios.

Officium Dæmonis describitur.

Causa cedro similata.

Testiculorum nerui.

Vers. 13. OSSA EIVS VELVT FISTVLÆ ÆRIS: CARTILAGO ILLIVS QVASI LAMINÆ FERREÆ. Iuxta Hebræum habetur, *Ossa eius fortitudines æris: ossa eius sicut virga ferri.* Dictio interpretata *ossa*, prima vice sonat ossa magna: secunda autem sonat ossa parua. Officium ossium est sustentare carnes, neruos, venas, & reliqua quæ in animali sunt: & propterea officium Diaboli ad sustentandum corpus iniquitatum describitur per ossa eius tam parua, quàm magna. Et magna quidem ossa verè fortitudinis describuntur, quia tanquam impassibiles reddit animos hominum eorum, qui suo exemplo sustentant iniqua opera: quod vtinam non videremus in Alexandro Cæsare, Catone, &c. ossium verò paruorum multitudo ferreis virgis assimilatur: quoniam inferiores sustentantes iniquitatis corpus habet vt domitores aliorum, quotidiana experientia testante.

Ossium officium quod.

Ossium parvorum multitudo virgis ferreis similata.

Vers. 14. IPSE EST PRINCIPIVM VIARVM DEI. Iuxta Hebræum habetur, *Ipse principium viarum El.* Manifestat clarè de quo loquitur, quem appellauit Behemoth, demonstrando per Pronomen *ipse* vniuersum collegium Behemoth, hoc est, Dæmonum, & describendo ipsum principium viarum El, hoc est, Dei fortis. Antequam aliquis peccaret, vnica via Deus vtebatur fortitudine potentiæ suæ, videlicet benefaciendo duntaxat. nulli enim rationali creaturæ (quæ sola est capax veri boni, & veri mali, se-

Collegiũ Behemoth, id est, Dæmonum.

Celsitudo Dæmonum.

licitatis & miseriæ) Deus inferebat malum: quia Deus non est prius vltor, quàm peccemus: & propterea quia collegium Dæmonum initium fuit peccati, fuit ex hoc initium viarum Dei. hinc enim inchoauit Deus vsum alterius viæ, inchoauit vlcisci: hinc inchoauit vti fortitudine sua ad inferendum malum pœnæ rationalibus creaturis. Describitur itaque Dæmon à principio peccandi: quia ipse videlicet fuit initium peccati, ac per hoc diuersificandi vias Dei. QVI FECIT EVM, APPLICABIT GLADIVM EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *fabor eius appropinquabit gladium suum.* Declarat illam alteram viam, cuius initium fuit Dæmon peccando, esse viam vltionis, vtendo metaphora Principis vtentis gladio ante faciem suam ad vindictam malorum. describitur enim Deus creator Dæmonum, habens quidem gladium suum etiam antequam peccarent Dæmones, sed non vtens illo: sed post peccatum Dæmonis, vsus est Deus gladio suo. describitur enim vsus gladij appropinquatione gladij, hoc est, applicatione gladij ad incidendum. Hæc est vltio, hæc est, altera via cuius principium fuit primò peccatis.

Deus creator Dæmonum.

HVIC MONTES HERBAS FERVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Quia germen montes ferent ei.* Coniunctio *quia*, vsque ad calcem sermonis de Behemoth suspenditur. postquam enim descriptum est Dæmonum collegium tanquam animal potens & forte, declarando officia sua ex partibus eius, declaratur consequenter fructus eius in humano genere sub metaphoris multis. Et quoniam primò commemorata fuit celsitudo Dæmonum, ideo par est vt primus fructus in hominibus describatur in montibus, hoc est, hominibus, super alios eleuatis. & propterea dicitur quòd montes (hoc est, eleuati super alios) ferunt ei germen: quoniam operantur quasi germinantes ei. Nec hoc ideo dicitur vt significentur Principes omnes mali, sed ad insinuandum quòd communiter sunt mali, quamuis aliqui inueniantur boni. nam secundùm Dominicam sententiam diuites difficile ingrediuntur regnum cœlorum: multo ergo difficiliùs Principes. Significanter autem de montibus scribitur quòd ferunt germen ei: quia non solùm germinant ei, sed etiam portat ei germen curiarum suarum. rectè siquidem à Diogene diffinita est curia quòd est locus ad decipiendum & prævalendum: quod vtinam esset falsum. OMNES BESTIÆ AGRI LVDENT IBI. Patui refert quòd Hebraicè habetur, *videbunt ibi.* Bestiæ agrestes, liberæ à quacunque vinculorum specie, à nullóque domitæ, homines absque iugo diuinæ legis (qui scilicet liberè peccant timore Dei posthabito) significant: qui gaudent & arrident ibi, hoc est, in montibus ferentibus germen Diabolo. aptè siquidem homines absque timore Dei adiunguntur Principibus malis arridentes, vt liberis liberi socientur: vel, vt rectiùs loquar, quia licentia effrænium fouetur authoritate & exemplo iniquorum Principum.

Vers. 15.

Collegij Dæmonum fructus in genere humano.

Diues.

Principes.

Curia.

SVB VMBRA DORMIT IN SECRETO CALAMI, IN LOCIS HVMENTIBVS. Patui refert quòd Hebraicè habetur, *Sub vmbris iacebit, in abscondito canna & limo.* Post descriptum fructum Diaboli in Principibus & hominibus absque iugo, describitur fructus eiusdem in homini-

Vers. 16.

Collegij Dæmonũ fructus in delictis.

Vmbra, pro delitijs.

bus delicatis : vmbræ enim pro delitiis sumuntur. Describitur autem iacens sub vmbris, eo quòd tanquam quieto inte possidens habet delitiis vacantes. Quod autem adiungitur, *in abscondito canna* (hoc est, in vmbra cannarum) insinuat speciatim delitias hypocritarum assimilatorum cannis, vacuis intus, frondescentibus autem foris. quietissime siquidem tanquam in abscondito iacet in delitiis istorum. Limus autem ex aqua & terra compositus, venereos significat, ex iis quæ terræ & aquæ sunt fotos; sine Cerere siquidem & Baccho friget ventus: in iis autem manifestè iacet Behemoth.

Hypocrita cannis similati.

Limus, de venereis.

Vers. 17. PROTEGVNT VMBRÆ VMBRAM EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *Tegent eum vmbra, vmbra eius.* Genitiuus singularis est *vmbra eius.* Consueuerunt Principes multiplicare vmbracula: ita quòd supra vmbraculum paruum tanquam vmbraculum proprium, collocant vmbraculum magnum in excelso amplum valde: & sic vmbræ vmbraculi magni tegunt vmbram vmbraculi proprij. Et per hoc insinuatur quòd in delitiis super delitias, in multiplicatis delitiis quiescit, ita quòd ipsa multiplicatio delitiarum parit ei quietem. CIRCVNDABVNT EVM SALICES TORRENTIS. Homines studiosi ad complacendum, non Deo, sed hominibus, describuntur per salices: quarum vires omnes ad infructuosam vegetationem expenduntur. & isti tanquam circundantes quiescentem in adulationibus & blandis obsequiis, describuntur: quod non eget expositione, sed lamentabili fletu.

Salices, de hominibus qui placere non Deo, sed hominibus studeut.

Vers. 18. ECCE ABSORBEBIT FLVVIVM, ET NON MIRABITVR. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce rapiet fluuium, & non festinabit.* Post fructum in deliciis, describitur fructus in communi cursu hominum assimilatorum flumini, hoc est, qui flumine passionum animi aguntur. hi enim tanquam aqua semper fluens sunt in vita sua: & nequaquam seipsos sistunt ratione ac virtute, sed, vt dictum est, passionibus animi (amore & odio, delectatione & tristitia, spe, metu atque ira) aguntur in vniuersis operibus suis. horum ingentem multitudinem quasi fluuium rapi à Diabolo describit. Et adiungendo, *& non festinabit*, insinuat quòd absque multa auiditate Diabolus hanc rapinam exercet. festinatio enim auiditatis est signum ac effectus: & per oppositum *non festinare* significat minorem auiditatem. Et dicitur hoc ad insinuandum quòd facilis est Diabolo rapina huiusmodi multitudinis. ET HABET FIDVCIAM QVOD INFLVAT IORDANIS IN OS EIVS. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *confidet quòd educet Iarden ad os suum.* Hinc patet quòd de raptu ad potandum metaphora fluuij præmissa est: adiungitur enim illi eductio Iordanis ad os Behemoth. Tam in veteri, quam in nouo Testamento Iordanis fluuius spectat ad populum Dei. nam Mosaicæ legis tempore Iordanis Israëlitas hinc & inde habebat: erant enim duæ tribus & dimidia vltra Iordanem. nouem autem & dimidia habitabant citrà. in Testamento verò nouo Iordanis initium fuit Baptismi, ex quo nascitur Christianus populus: in Iordane enim consecrauit Christus carne propria vniuersas ad Baptismum aquas. Et propterea Deus præuidens omnia, dicit de Diabolo quòd non sat est ei rapere flumen hominum qui passionibus aguntur, sed confidit quòd populum Dei qui lege diuina agitur per Iordanem significatum educat ad os proprium. Et significanter dicit *educat*, ad insinuandum quòd nisi è gremio populi Dei exierit aliquis, non haurietur ad os Diaboli: & vtinam non multos educat ex Iordane.

Collegij Dæmonum fructus in communi cursu hominum.

Festinatio auiditatis signum & effectus.

Iordanis fluuius.

IN OCVLIS EIVS QVASI HAMO CAPIET EVM. Iuxta Hebræum habetur, *In oculis suis tollet eum.* Nihil scribitur de hamo. & vt subiuncta testantur, prædicit Deus modum quo tolletur de imperio mundi huius Diabolus per Christum. De homine siquidem Christo prædicit quòd tollet eum de principatu hominum in oculis eius, hoc est, ipsius Dæmonis, ipso vidente, & non valente se adiuuare. adimpletum siquidem est hoc in descensu Christi ad inferos. Vnde & subiungitur, ET IN FVNIBVS PERFORABIT NARES EIVS. Iuxta Hebræum habetur, *in offendiculis perforabit nares.* hoc est, impingentium perforabit nares. Verè Dæmones impegerunt in mortem Christi, putantes se hominem occidere, impegerunt in propriam seruitutem, redacti in captiuitatem, & tanquam bubuli perforati sunt in naribus ducendi quò non volunt. nunc, inquit Christus, *princeps huius mundi ejicietur foras, & ego traham omnia ad meipsum.* Vers. 19. Ioan. 12. 31, 32.

AN EXTRAHERE POTERIS LEVIATHAN HAMO, ET FVNE LIGABIS LINGVAM EIVS? Iuxta Hebræum habetur, *Extrahes Leuiathan in hamo, & in fune ligabis linguam eius.* Nullum præponitur interrogatiuum in textu Hebraico: sed interpretes addiderunt. Leuiathan nomen esse proprium animalis *in Psalm.* 104. iuxta Hebraicam habetur veritatem. nam ibi legitur, *hoc mare magnum & latum manibus*: subiungendo, *Leuiathan istum plasmasti ad illudendum in ipso.* *In Isaiæ* autem 27. *cap. & hic* Leuiathan introducitur pro Diabolo. ita quòd hactenus sub specie animalium terrestrium, nunc verò sub specie animalis marini appellati *Leuiathan* prosequitur Deus descriptionem Dæmonum. Et intendit secundùm germanum sensum conditiones Dæmonum manifestare sub nomine *Leuiathan.* Quare autem cetus appelletur ab Hebræis *Leuiathan*, quærendum non putant: quia propriorum nominum rationem non esse affirmant. Negant quoque Hebræi interpretari additamentum eorum: sed si interpretandum est, significare copulationem eorum. aiunt enim deduci *à liu'iah*, quod significat copulationem. Vers. 20.

Leuiathan nomen animalis proprium.

Leuiathan etymon.

Incipit autem Deus describere Dæmones relatiuè ad opiniones humanas de ipsis, sub diuersis metaphoris: & quinque opiniones hominum notitia Dæmonum carentium confutat. Nec hæc ego somnio, aut adinueni: sed textus ipse in calce horum docet diuersitatem inter videntes, & non videntes Dæmones. Recitatur itaque in primis opinio eorum qui fingunt, seu reputant Dæmones tanquam pisces hominibus vtiles, hamo captos, & lingua alligata fune. Et per hamum atque alligationem linguæ funditus (hoc est, à radicibus linguæ: talem enim alligationem significat verbum Hebraicum) cultus Dæmonibus exhibendus, sicut & cæteris diis, significatur

tanquam

tanquam trahens eos ad hominum vtilitatem. & propterea fit mentio linguæ: quoniam trahere se dicunt linguam, hoc est, responsa Dæmonum. Ad hominem itaque docentem & tanquam ex aquis extrahentem ad hominum vtilitatem Dæmones tanquam pisces, dicit Deus. extrahens quidem Leuiathan (hoc est, Dæmonem) tanquam piscem ex aquis, hamo cultus trahentis ipsum: & fune superstitionum alligabis à radice linguam eius ad secreta reuelandum.

Leuiathan, seu Dæmon.

Vers. 21. NVNQVID PONES CIRCVLVM IN NARIBVS EIVS, AVT ARMILLA PERFORABIS MAXILLAM EIVS? Iuxta Hebræum habetur, *Nunquid pones iunctum in naribus eius, & in spina perforabis maxillam eius?* Irrisoria verba sunt. quia homo vtitur Dæmone vtili hominibus, vt pisce hamo capto. deridendo dicitur homini, Nunquid etiam perforabis maxillam eius, spina, hoc est, acuto aliquo instrumento, vel iunco ligabis nares eius ad portandum eum mortuum in domum, vt coquatur, sicut portari solent pisces? hoc enim consequens esse deberet ad piscem hamo captum. Et per hoc significatur irrisio cultus exhibiti ab hominibus Diabolo.

Vers. 22. NVNQVID MVLTIPLICABIT AD TE PRECES. Alia recitatur opinio de Dæmonibus, quòd videlicet commercium habent cum hominibus quasi homines, diuersimodè tamen. & quattuor modi tanguntur. Primus est quòd conuersantur cum hominibus supplices: hoc enim tradunt qui quosdam Dæmones quibusdam artibus subiici aiunt hominibus. de his enim dicitur, *Nunquid multiplicabit ad te preces?* manifestando quòd non vere supplicant, sed fingunt se supplicare ad fallendum homines. AVT LOQVETVR TIBI MOLLIA? Legendum esset, *nunquid loquetur tibi mollia?* Secundus modus blande loquendi, seu obsequendi, simili modo describitur & confutatur. sunt enim quidam Dæmones qui blandis obsequiis homines demulcent: sed reuera non sunt obsequia mollia, sed crudelia in perniciem animarum. societas enim Dæmonum cum hominibus perniciosa est.

Dæmones qua ratione agat, cum hominibus vti homines.

Vers. 23. NVNQVID FERIET TECVM PACTVM. Tertius modus per vinculum fœderis describitur. sæpe enim Dæmones paciscuntur cum hominibus, magicis artibus intercedentibus. Et manifestatur hîc quòd non verè paciscuntur, sed simulant se ferire fœdus cum homine. ET ACCIPIES EVM SERVVM SEMPITERNVM? Quartus modus vinculo seruitutis perpetuæ describitur. simulant enim Dæmones quandoque addictos se esse in perpetuos seruos aliquorum: ita quòd facturum se dicit quicquid homo præceperit, sicut seruus facit quicquid præcipit dominus eius. hæc enim omnia figmenta esse manifestat hîc Deus.

Vers. 24. NVNQVID ILLVDES EI QVASI AVI, ET LIGABIS EVM ANCILLIS TVIS? Legendum esset, *puellis tuis.* Tertia opinio de Dæmonibus recitatur eorum, qui in iocum, aut ludum Dæmones ducunt, negando ipsos inueniri.

Esse enim aliquos Manes & subterranea regna,
Et contum & Stygio ranas in gurgite nigras,
Nec pueri credunt.

scripsit Iuuenalis. Isti enim hîc describuntur qui in iocum deducunt Dæmones, sicut auis traditur in ludum puellarum & puerorum. manifestatur enim hîc quòd errant, quòd non est deducenda in iocum res Dæmonum.

CONCIDENT EVM AMICI: DIVIDENT ILLVM NEGOTIATORES. Iuxta Hebræum habetur, *Prandebunt super eum socij. partientur eum inter mercatores.* Quarta opinio de Dæmonibus parum distans à tertia, recitatur tradentium socialiter viuentibus & mercatoribus habendam esse rationem Dæmonum ne committant fraudes, ne violent fidem valde necessariam tum sociis, tum mercatoribus. & quoniam huiusmodi traditio, & adinuentio habetur humana, ad hoc vt socij seruent inter se fidem, & similiter mercatores fideles sint omnibus, ideo iungitur hæc traditio ponentibus rem Dæmonum in iocum. illi enim ad iocum, isti verò ad industriam Dæmonibus vtuntur. Describuntur itaque socij prandentes, hoc est, societatem seruantes super eum, hoc est, tanquam timentes pœnas eius: & similiter inter mercatores diuidendus à præsidentibus reipublicæ, vt seruetur fides. Et hoc ipsum reprehenditur hîc: quia fictè introducunt hæc præsidentes Reipublicæ. Vers. 25.

NVNQVID IMPLEBIS SAGENAS PELLE EIVS, ET GVRGVSTIVM PISCIVM CAPITE ILLIVS? Rectiùs legitur, *Nunquid incides cum gladijs pellem eius, & in gladio piscium caput eius:* Quinta opinio de Dæmonibus scribitur sub metaphora concidentium pellem, & gladio piscium concidentium caput. philosophantes enim apparentia opera Dæmonum quasi pellem Dæmonis, gladiis, hoc est, argumentis concidunt, attribuendo ea naturalibus causis; & authoritate sua tanquam gladio piscium, quo non consueuerunt pisces occidi, sed mortui in diuersas partes secari (talis est enim Philosophorum authoritas: solis enim mortuis, hoc est, Christi vita carentibus efficax est) authoritate, inquam, Philosophorum inciditur caput, hoc est, exterminatur ab vniuerso Dæmonum turba, dum humori melancholico omnia quæ apparent attribuuntur. Manifestatur autem hic simili modo istorum error, dicendo, *Nunquid cum gladijs concides pellem eius, & in gladio piscium caput eius?* quasi dicat, minime. Vers. 26.

PONES SVPER EVM MANVM TVAM: MEMENTO BELLI, NEC VLTRA ADDAS LOQVI. Iuxta Hebræum habetur, *Pone super eum manum tuam: recordare bellum, non addes.* Recitatis opinionibus hominum nescientium quales sunt Dæmones, subiungit Deus monitionem qua clarè apparet fidelibus & Dæmones esse, & esse hostes humani generis, dicendo, *Recordare bellum* quod fuit inter serpentem & primos parentes, & pone manum tuam super eum: hoc est, congredere aduersùs eum, operibus virtutum pugnando cum eo, & expetieris vires eius pugnantis contra te: *& non addes* vltrà repetere aliquam harum opinionum, recordatus antiqui belli, & expertus proprium. Vers. 27.

Dæmones an, & quales sint.

ECCE, SPES EIVS FRVSTRABITVR EVM. Iuxta Hebræum habetur, *Ecce, spes eius mentita est.* Pronomen *eius* demonstrat hominem ignorantem Dæmones, cui dictum est, *pone manum tuam super eum.* in morte enim experietur quòd spes eius mentita est: sperant enim huiusmo- Vers. 28.

huiusmodi homines se nihil passuros à Dæmonibus, & tunc experientur quòd spes eorum mentita est. ET VIDENTIBVS CVNCTIS PRÆCIPITABITVR. Iuxta Hebræum habetur, *nunquid etiam ad conspectores eius proijcietur.* quasi dicat, nequaquam. Aduerte prudens Lector duo in hac sententia. Alterum est id in quo conueniunt omnes ignorantes Dæmones: omnes enim proiiciunt Dæmonem extra ordinem, seu locum eius. nam primæ duæ opiniones vtentes Dæmonibus, vel tanquam piscibus, vel tanquam hominibus, manifestè proiiciunt Dæmones in alium ordinem longè alium à loco eorum: tres quoque aliæ opiniones negantes Dæmones, & vel ad iocum, vel ad industriam eis vtentes, vel in humorem melancholicum resoluentes, manifestè proiiciunt Dæmones. & propterea in hac sententia summatur id quod commune est omnibus recitatis opinionibus, dicendo, *proijcietur.* Altera est distinctio insinuata inter conspectores, & non conspectores eius, id est, Leuiathan. ex hoc enim quòd dicit, *nunquid etiam ad conspectores eius proijcietur*, manifestè insinuat quòd à non conspectoribus eius proiectus est. & quoniam *conspectores eius* sunt qui in reuelata à Deo fide conspiciunt Dæmones, innixi authoritati sacræ Scripturæ, consequens est vt non credentes appellentur *non conspectores eius*, & sint illi à quibus proiicitur, negando eum, vel negando iniquitatem eius. Et intendit per hoc Deus manifestare quòd fideles scientes per fidem Dæmones esse, & esse iniquos, non proiicient eum extra locum suum, sed habebunt eum in hostem humani generis. hic est enim locus & ordo eius, vt belli mentio facta testatur.

CAPVT XLI.

Vers. 1. NON QVASI CRVDELIS SVSCITABO EVM. Iuxta Hebræum habetur, *Non crudelis quia suscitabit eum* Postquam Deus confutauit falsas de Dæmonibus opiniones, & coram fidelibus suis in hostem habendum declarauit, antequam deferibat conditiones eius, tacitæ, immo explicatæ à Iobe *in cap.* 10. obiectioni respondet. Apparet enim quòd mouens tantum hostem aduersùs hominem, crudeliter agat cum homine homo enim exilium est virium, Leuiathan autem maxima viget potentia: & Iob dixerat quòd Deus versus erat ei in crudelem, dando eum in manu Satanæ. Huic itaque obiectioni satisfacit Deus, dicendo de seipso in tertia persona, *non crudelis* (subaudi *est*) quia suscitabit eum, hoc est, quia commonebit eum ad oppugnandum homines. Affirmat Deus quòd ipse mouet Dæmonem: negat autem crudeliter se hoc agere. Et vtrunque manifestat. QVIS ENIM RESISTERE POTEST VVLTVI MEO? Iuxta Hebræum habetur, *& quis ipse in facie mea sisset se?* Ad manifestandum quòd ipse Deus mouet Dæmonem, affert vniuersalem motionem omnium ab ipso Deo. nam dicendo, *& quis ipse in facie mea sistet se*, manifestat quòd nullus potest seipsum sistere in facie Dei, hoc est, nullus potest subterfugere, nullus potest euitare motionem Dei: euitaret enim solus ille qui seipsum sistere posset, quantumcunque Deus moueret. Et per hoc discimus quòd non solùm potestas, sed vsus potestatis cuiuscunque creaturæ est à Deo, quamuis iniquitas vsus non sit à Deo. & propterea non est mirum quòd Deus moueat Dæmones ad vtendum eorum potestate pugnando cum hominibus: nisi enim Deus eos moueret, non possent propria potestate vti.

Vers. 2. ET QVIS ANTE DEDIT MIHI VT REDDAM EI? OMNIA QVÆ SVB COELO SVNT, MEA SVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Quis prauenit me, & reddam sub omni cœlorum mihi ipsum.* Ad manifestandum non crudelitatem, affert summam suam liberalitatem ac benignitatem in omnia. liberalitas enim è regione debiti distinguitur: & propterea excludendo omnem rationem debiti, manifestat se omnia facere liberaliter. Excludit autem debiti rationem, dicendo, *Quis prauenit me, & reddam?* reddere enim actionem significat debitam, consurgentem ex eo quòd aliquis præuenit eum actione aliqua: vt pater præuenit filium beneficio generationis, & sic de aliis beneficis. Deus enim etiam secundùm Philosophos est summè liberalis, eo quòd communicat bonitatem suam, nihil expectans retributionis, vtpote cui nihil potest conferri boni, vel mali. Benignitatem autem suam manifestat extendi etiam ad hæc infima, dicendo quòd quicquid est sub omni cœlorum (hoc est, sub quocunque cœlo) mihi ipsum, hoc est, meum est, ad me spectat tanquam ad proprium dominum ac gubernatorem. Per hoc enim excluditur omnis crudelitatis suspicio. nullus enim sæuit in sua, quæ liberaliter facit, fouet, gubernat. Et verè Deus mouet Dæmones ad oppugnandum homines non vt nocear hominibus, sed vt exerceat homines ad pugnandum pro regno cœlorum etiam cum Dæmonibus, dicente Apostolo, *non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes tenebrarum*, &c. vt victor homo coronetur. Moderatur siquidem Deus vires Dæmonum in bello contra homines, dicente Apostolo, *fidelis Deus qui non permittet vos tentari supra id quod potestis*, &c. Ephes. 6. 12. Cor. 10. 13.

Vers. 3. NON PARCAM EI VERBIS POTENTIBVS, ET AD DEPRECANDVM COMPOSITIS. Iuxta Hebræum habetur, *Non tacebo membra eius, & verbum potentiarum & gratiam dispositionis eius.* Ad vtilitatem fidelium habentium Leuiathan in hostem, proponit Deus se manifestaturum tria de Leuiathan, videlicet membra, potentias & gratiam. horum enim manifestatio valde prodest fidelibus ad cognoscendum opera eius, ad cauendum ab illo, ad diuersa arma assumenda contra illum. Nec mireris proponi gratiam, quia ironia est. quemadmodum enim maledicere Deum appellatur quandoque in sacra Scriptura benedicere Deum, ita horrida dispositio Dæmonum appellatur gratia, sumitur hîc gratia non vt distinguitur è regione iustitiæ, sed vt est nomen venustatis, qua persona dicitur vulgari Italico *aggratiata.* Deus enim in hoc sermone declarat membra Leuiathan, declarat & potentias eius, declarat & dispositionem eius horridam, vt patet legenti & intelligenti subiuncta.

Malitia Leuiathan arguitur iuxta illius membra, potentias & gratiam.

Maledicere Deum, vt benedicere quandoque in Scriptura.

Quis

Vers. 4. *& Gratia sanctio.*

QVIS REVELABIT FACIEM INDVMENTI EIVS. Parti refert quòd Hebraicè verbum præteriti temporis est *reuelauit*; hoc est, detexit. & *facies* sumitur propriè. Ita quòd Deus incipit describere faciem Leuiathan, vtpote primum illius membrum occurrens. Describit autem eam indutam, quia occurrit semper homini sub specie boni. & quoniam difficile est detegere mala apparentia sub specie boni, ideo dicitur, *quis detexit faciem indumenti eius*, hoc est, indutam: quis detexit faciem malam apparentem bonam bonitate vtili, honesta, vel delectabili? ET IN MEDIVM ORIS EIVS QVIS INTRABIT? Iuxta Hebræum habetur, *in duplicitatem freni eius quis veniet?* Maxillas ex quibus intus consurgit facies, describit consequenter, circunloquendo eas à fræno: quia frænum intra maxillas ponitur. Et quia officium maxillarum est amplificare faciem, seu os, ideo media quibus Diabolus vtitur ad amplificandum suggestiones suas, describuntur sub duplicitate, eo quòd infinitis duplicitatibus vtitur ad amplificandum res malas. Et quoniam perniciosum est in diabolicas duplicitates incidere, ideo dicitur, *in duplicitatem freni eius quis veniet?* hoc est, quilibet caueat ne veniat.

Vers. 5. PORTAS VVLTVS EIVS QVIS APERIET? Iuxta Hebræum habetur, *Ostia faciei eius quis aperuit*: Nisi de clausis ostiis esset sermo, nequaquam diceretur, *quis aperuit?* quasi dicat, nullus, aut rarus. Sunt autem faciei ostia, labia. nam labiis clauditur, vel aperitur facies, id est, os. Silentium itaque significatur per clausa oris ostia. Et describitur per hoc tertia fallendi ars diabolica. nam prima est proponere sub specie boni, secunda est inuoluere duplicitatibus, tertia occultare silentio: & ipso claudente labia, quis aperiet quò tendit? PER GYRVM DENTIVM EIVS FORMIDO. Iuxta Hebræum habetur, *circumitus dentium eius formido.* Et est numeri pluralis *circumitus*: describuntur enim circumitus multi. Vtrùm autem duo, vel plures dentium ordines significentur, non explicatur. Dentium officia sunt duo, scindere videlicet cibum, & molere eundem. aliqui enim dentes sunt ad scindendum, & aliqui ad molendum: vnde & *molares* dicuntur. Et ideo per dentes describuntur media ad scindendum bona, & media ad molendum malos libertate peccandi. vtitur enim Diabolus mediis multis, quasi dentibus scindentibus bona opera, & multis mediis ad molendum iam scissos à bonis operibus, molendum libertate peccandi, vt sint suauis eius cibus. Et quoniam multitudo magna, multisque ordinibus distincta tanquam in circumitu est huiusmodi mediorum, ideo timenda nobis describuntur sic ordinata & multiplicata: & propterea dicuntur *timor*, quia timorem incutiunt fidelibus.

Facies ostia, de labijs. Silentium per clausa oris ostia significatum.

Dentium duplex officium.

Molares vnde dicti. Dentium circuitus.

Vers. 6. CORPVS ILLIVS QVASI SCVTA FVSILIA, COMPACTVM SQVAMIS SE PREMENTIBVS. Iuxta Hebræum habetur, *Altus fortitudinibus scutorum, clausus sigillo arcto.* Dixerat *circumitus dentium*: describit consequenter quales sunt, assimilando eos circumitibus vallorum, introducendo vallum ex palis altis & fortibus bene clausum, & quasi arctè sigillatum. Nec fallatis nomine *scutorum*, eo quòd dictio Hebraica appropriata est scutis, significat autem obstacula. quia enim scutis vtimur ad obstandum ictibus, ideo hoc nomen sibi appropriarunt. & propterea hoc in loco pro obstaculis sumuntur, hoc est, pro palis ex quibus fit vallum. Describitur itaque quilibet dentium circumitus ad instar valli, dicendo, *altus fortitudinibus obstaculorum*, hoc est, palorum, clausus sigillo arcto: hoc est, palis non distantibus inter se, sed iunctis tanquam arctissimè sigillatis. Dicit enim hoc ad differentiam vallorum ex palis non contiguis. assimilat enim circumitus dentium Leuiathan vallo alto ex palis fortibus, & contiguis tanquam arctissima coniunctione iunctis.

Dentiũ circuitus quales sint.

Scuta, pro obstaculis.

VNA VNI CONIVNGITVR, ET NE SPIRACVLVM QVIDEM INCEDIT PER EAS. Vers. 7. Iuxta Hebræum habetur, *Vnus in vnum se appropinquant, & ventus non veniet in medio eorum.* Declarat coniunctionem dentium esse talem quòd vnus dens ita est propinquus alteri quòd nec ventus transire potest inter eos. dicit enim hoc ad differentiam habentium dentes aliquantulum inter se distantes, quos appellamus *dentes raros.*

Dentium coniunctio.

Dentes rari, pro distantes.

VNA ALTERI ADHÆREBIT, ET TENENTES SE NEQVAQVAM SEPARABVNTVR. Vers. 8. Iuxta Hebræum habetur, *Vnusquisque in fratre suo adhærebunt: apprehendent se, & non se separabunt.* De circumitibus dentium est sermo. describuntur enim ipsi circumitus contigui inter sese: ita quòd inter circumitum & circumitum non est spatium medium, sed vnus circumitus iungitur alteri tanquam alter alterum apprehendat mutua inseparabilitate concomitante. Et quia coniunctio circumituum est ordinatè disposita, sic quòd molares dentes vnius circumitus iunguntur molaribus alterius circumitus, & similiter alij dentes vnius circumitus iunguntur similibus sibi dentibus in altero circumitu, ideo dicitur, *vnusquisque in fratre suo adhærebunt.* Et significatur per hæc quòd media Diaboli ad scindendum bona, quum sunt iuncta libertati peccandi, sunt valde timenda: vtpote excelsa, fortia, ordinata in circumitu, densa, multiplicata, conformia atque inseparabiliter coniuncta. Et huiusmodi dentium circumitus, quo ad mores quidem, tu videris, & caue: quo ad Ecclesiæ verò vnitatem, videmus nostra ætate Lutheranos tam magnam scissuram cum tanta peccandi licentia effecisse tam citò, vt mirum incredibileque sit & formidandum ne nationes alias scindant.

Scito hic prudens Lector quòd partes & operationes attributæ hîc Leuiathan, nescio an conueniant animali naturali. nam in nostro orbe apparuisse animal habens multos dentium ordines, negat Aristoteles *in secundo de histor. animalium*, recitando tamen scriptum fuisse quòd in India inuenta est bellua habens triplicem dentium ordinem sub & suprà. Relinquo itaque incerta, & sequor certa, exponendo scripta hîc de Leuiathan mystico (hoc est, Diabolo) quem non est dubium describi.

Bellua triplicem habens ordinem dentium.

STERNVTATIO EIVS SPLENDOR IGNIS. Vers. 9. Iuxta Hebræum habetur, *Sternutationibus eius splendebit lumen.* Non recedit à descriptione capitis:

Sternutatio. sternutatio enim emissio est ventositatis ex capite, quemadmodum eructatio est emissio ventositatis ex stomacho. Et significatur per hoc productio vanitatis ex virtute, significatur vitium vanæ gloriæ tanquam lumen splendens per exeuntem vanitatem ex virtute tanquam capite. ET OCVLI EIVS VT PALPEBRÆ DILVCVLI. Per oculos quibus videmus, intellectus, scientia, astutiæ, calliditates & reliqua ad intellectiuam partem spectantia describuntur sicut palpebræ auroræ, & sicut tegmina lucis auroræ, sicut nebulæ tegentes initium diei. non sicut tegmina claræ lucis in manifesto die, sed sicut tegmina lucis dubiæ: qualis est lux initium diei incipiente aurora. Vtitur itaque Diabolus oculis suis ad tegendum lumen fidei carens euidentia, ad obtenebrandam veritatem æterni diei incipientis in hominibus per lumen fidei & virtutum eam concomitantium.

Oculi, de intellectu, scientia, astutijs, calliditatibus, &c.

Vers. 10. DE ORE EIVS LAMPADES PROCEDVNT SICVT TEDÆ IGNIS ACCENSÆ. Iuxta Hebræum habetur, *De ore eius titiones ibunt, scintillæ ignis euadent.* Loco verborum quæ ore proferimus, describuntur tanquam verba ex ore Diaboli titiones accensi & scintillæ, sed diuersimode: nam titiones euntes, scintillæ verò euadentes describuntur. Principia siquidem ignium cuiusuis cupiditatis, per hæc significantur. accensus enim titio datur & vehitur ad inchoandum ignem in strue lignorum: scintilla quoque initium est ignis in materia arida, quotidiano exercitio excudente scintillam de lapide. Vtriusque enim generis principia ex diabolico ore procedunt: tam quum ex proposito ab hominibus huiusmodi verba dicuntur, & tanquam titiones eunt, quàm quum huiusmodi verba tanquam euadentia ex vinculis detinentium prodeunt. quanuis enim præter intentionem fortè loquentis dicantur, non tamen præter intentionem Diaboli huiusmodi scintillæ euadunt.

Vers. 11. DE NARIBVS EIVS PROCEDIT FVMVS, SICVT OLLÆ SVCCENSÆ ATQVE FERVENTIS. Iuxta Hebræum habetur, *De naribus eius egredietur fumus, sicut olla bullientis & caldarij.* Familiare est Hebræis significare iram, seu furorem ex naso. & propterea iræ vitium describitur egredi de naribus Diaboli tanquam fumus, vel ollæ, vel caldarij bullientis. fumant enim irati fumo delectante eos, tanquam consurgente ex alimentis quæ coquuntur in olla, vel caldario. pascitur siquidem & delectatur irati animus vindicta, diuersimodè commensurata vel ollæ, vel caldario, minoti, vel maioti occasioni.

Ira, seu furor ex naso.

Vers. 12. HALITVS EIVS PRVNAS ARDERE FACIT, ET FLAMMA DE ORE EIVS EGREDITVR. Iuxta Hebræum habetur, *Flatus eius carbones accendet, & flamma de ore eius egredietur.* Aduerte quòd quia ore vtimur ad officia duo (videlicet ad loquendum, & ad respirandum) ideo bis introducitur os. & primò quidem quo ad officium loquendi, nunc autem quo ad officium respirandi. & attribuuntur duo flatui oris eius, accendere carbones (hoc est, dispositos ad ignem cuiusuis concupiscentiæ accendere) & flammas magnas proferre. Ita quod colligendo quatuor modos proferendi ignem ex ore Diaboli (videlicet vel per modum scintillæ, vel per modum titionis, vel per modum flatus accendentis carbones, vel per modum flatus ad magnam flammam (discimus non solùm principia, sed etiam promouentia & perficientia diuersos humanorum amorum ignes exire ex ore Diaboli.

Oris duplex vsus.

IN COLLO EIVS MORABITVR FORTITVDO. Vers. 13. Dictio interpretata *morabitur*, significat *dormier.* plus enim quàm morari dicitur: quoniam quiete manere tanquam dormiens describitur fortitudo in collo eius. colli siquidem officium est tenere caput in loco suo: & quanto maius est caput, tanto fortius oportet esse collum. Media ergo quibus Diabolus vtitur ad hoc vt quisque seruet celsitudinem suam, colli nomine significantur. Et verissimè fortitudo non moratur, sed absque omni pauore quiescit in huiusmodi: quilibet enim cuiuscunque gradus, ordinis, aut conditionis existat, & sustinet quæcunque & intrepidus audet pugnare ad sustinendum id celsitudinis (quanuis minimæ) quod habet, vel habere videtur. ET FACIEM EIVS PRÆCEDIT EGESTAS. Iuxta Hebræum habetur, *& ante eum lætabitur mœstitia.* Promissio Diabolica describitur tanquam præcedens ante faciem eius: describitur autem in gaudio & lætitia tam ingenti, vt etiam omnis mœstitia vertatur in gaudium. Et verè huius mundi delectationes omnes promittit Diabolus per vitia diuersa assequendas, & omni mœstitiæ delectationem aliquam nititur apponere, vt omnes trahat ad se.

Colli officia.

Promissio Diabolica gaudij [illegible] &c.

MEMBRA CARNIVM EIVS COHÆRENTIA SIBI. Iuxta Hebræum habetur, *Frusta carnis eius cohæserunt.* Carnis mollities, media ad reddendum homines molles delectationibus præcipuè tactus & gustus significat: & fiulta eius diuersas delectationibus partes insinuant. Et describuntur cohærentia, quia & delectationes gustus cohærent delectationibus tactus, nec ab illis discrepant delectationes aliorum sensuum, sed cohærent dulces cantus ac soni, suauésque odores & pulchra. MITTET CONTRA EVM FVLMINA, ET AD LOCVM ALIVM NON FERENTVR. Iuxta Hebræum habetur, *forteficet super eum, non mouebitur.* De carne Leuiathan dictum, *forteficet super eum* (hoc est, multiplicabitur valde super eum) & tamen *non mouebitur*, hoc est, non ægrè feret multiplicationem carnis. describitur enim insatiabilitas delectationis carnalis: quantuncunque enim multiplicetur, lassari quidem possunt, sed non satiari.

Vers. 14. *Carnis mollities.*

COR EIVS INDVRABITVR TANQVAM LAPIS, ET STRINGETVR TANQVAM MALLEATORIS INCVS. Iuxta Hebræum habetur, *Cor eius durebit sicut petra, & durebit sicut molaris inferior.* Quia cor est prima animalis pars, ex qua ad alias vita deriuatur, præter hoc quòd voluntas Diaboli obstinata ac immobilis à malo describitur, immobilitas quoque eorum qui sunt intimi Diabolo velut cor eius (qui sunt duces aliorum ad malum,) describitur ad instar duritiei petræ non qualiscunque, sed petræ molaris inferioris, quæ non solùm dura, sed immobilis est.

Vers. 15.

QVVM SVBLATVS FVERIT, TIMEBVNT ANGELI, ET TERRITI PVRGABVNTVR. Iuxta Hebræum habetur, *Ab altitudine eius timebunt fortes,*

Vers. 16.

tes, ab inundationibus minuent se. Descriptis membris Leuiathan, describitur eius potentia in bello aduersùs homines vera virtute præditos: & in primis introducitur tanquam aggrediens. Et duo effectus narrantur: nam à celsitudine eius describitur timor fortium, & ab inundationibus eius diminutio fortium. aggrediente siquidem Diabolo celsitudine potentiæ fideles Christi, timor nascitur etiam in cordibus fortium: quoniam agnoscunt se impares ad prælium cum tanto hoste. Et quia multi succumbunt quum magni multiplicantur impetus internarum, vel externarum oppugnationum similium inundationibus aquarum, ideo dicitur quòd ab inundationibus minuent se.

Leuiathã potentia.

Vers. 17. QVVM APPREHENDERIT EVM GLADIVS, SVSTINERE NON POTERIT: NEQVE HASTA, NEQVE THORAX. Iuxta Hebræum habetur, *Fac attingere eum gladio, non surget: lancea, thorace & lorica.* Ordinat Deus prælium inter Leuiathan & hominem, & dicit homini vt acceptis armis suis defensiuis, & offensiuis, vtatur eis, & armatus lorica ac thorace faciat tum ensem, tum lanceam attingere Leuiathan, non tamen Leuiathan surget, hoc est, quantuncunque percutias eum ense, aut lancea, non tamen surget à quiete sua, pro nihilo habens huiusmodi percussiones. Et rationem subiungendo dicit, REPVTABIT IN FOENVM FERRVM, IN LIGNVM PVTRIDVM ÆS. Ratio quare non se mouet attactu ensis, aut lanceæ, est, quia æstimat ferrum acsi esset fœnum, & æs ac si esset lignum putridum.

Prælium inter Leuiathã & hominem.

Vers. 18.

Aduerte hic prudens Lector quòd quum prælium inter homines & Dæmones non committatur ex parte hominum nisi armis virtutum, dubium occurrit an ista arma hominum aduersùs Dæmones sub metaphora corporalium armorum descripta, sint actus virtutum quatenus sunt ab hominibus, an sint actus donorum Dei quæ collata sunt hominibus aduersùs Dæmones. Et est ratio dubij, quia hîc dicitur quòd Diabolus pro nihilo habet vniuersa hæc arma: certum est autem, quòd non habet pro nihilo potestatem datam hominibus super dæmonia: Christus enim in Euangelio dedit potestatem Apostolis super omnia dæmonia, &c.

Arma hominum aduersus Dæmones quæ.

Solutio est, quòd dupliciter loqui possimus de prælio Dæmonum cum hominibus, vel relatiuè ad vniuersitatem prælij, vel relatiuè ad aliquam particularem pugnam. Et quòd Dæmones pro nihilo habent non solùm actus virtutum charitatis, humilitatis, castitatis, &c. sed etiam actus potestatis hominibus collatæ super Dæmones: pro nihilo, inquam, habent relatiuè ad vniuersitatem prælij, pro quanto non desistunt continuè pugnare: relatiuè verò ad aliquam particularem pugnam, oportet eos succumbere potestati hominum super Dæmones. quanuis pro nihilo habeant virtutum actus tanquam non lædentes eos: habent enim ea tanquam arma defensiua hominis, & non offensiua ipsius Dæmonis. Et si perspicaciùs initium ac finem sermonis diuini intuitus fueris, perpendes quòd hic est sermo de actibus virtutum, quæ sunt tanquam arma humana (enses, lanceæ, sagittæ, iacula, &c.) & non de potestate super Dæmones, quæ sunt tanquam arma diuina. In principio namque dicit Deus homini, fac attingere eum gladio, &c. dicendo, *fac attingere eum gladio*, vsum humanorum armorum significat. & similiter in fine dicet quòd non est ei comparabilis aliquis super pulueremi: ad differentiam potestatis Angelicæ & diuinæ, cui Dæmones subiiciuntur, etiam quando per hominem diuina potestate subiicietur Dæmon. Actus itaque virtutum intelligè per hæc & alia subiuncta arma pro nihilo haberi à Dæmonibus in prælio, eo quòd per hoc non cessant præliari, & per hoc non læduntur, quanuis persistentes in virtutibus per hoc seipsos tueantur.

Vers. 19. NON FVGABIT EVM VIR SAGITTARIVS. Sententia redditur. IN STIPVLAM VERSI SVNT EI LAPIDES FVNDÆ. Enumerantur diuersa armorum genera.

Vers. 20. QVASI STIPVLAM ÆSTIMABIT MALLEVM. Iuxta Hebræum habetur, *Sicut stipula reputata sunt iacula*, seu tela. accumulantur enim arma. ET DERIDEBIT VIBRANTEM HASTAM. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *& ridebit ad tremitum spiculi.* ipsa enim vibratio spiculi appellatur *tremitus.* Applica prudens Lector ad virtutum actus arma hæc.

Vers. 21. SVB IPSO ERVNT RADII SOLIS, ET STERNET SIBI AVRVM QVASI LVTVM. Iuxta Hebræum rectiùs scribitur, *Sub ipso acumina testæ: pauimentabit acutum super lutum.* Describendo membra & potentias Leuiathan, inseruit Deus quid ante Leuiathan præcedit, & ideo consequenter describit quid sub eo, & quid post eum. Sub eo autem gradiente describuntur acumina, hoc est, acuta saxa quasi rupes ex terra ad impediendum progressum eius. Et duo officia describuntur aduersùs hæc acumina, alterum est frangere ea quasi acumina testarum: alterum adiecto luto tanquam pauimentum sternere inter acuta. Significantur autem per acumina immobilia, viri maxima sanctitate firmati, dati nobis à Deo ad impediendum progressum Dæmonum. Sed hos quoque Diabolus tanquam sub se habeat ratione corruptibilis carnis, frangit morte corporali quasi acumina testarum: nec sufficit ei procurare mortem eorum, sed lutum diuitiarum gloriæ aliorúmque temporalium bonorum adiicit ad sternendum sibi quasi pauimentum ne ab acutis impediatur gressus eius. Vtinam abusus horum non strauisset pauimentum Diabolo, plus inferens Diabolum cordibus, quàm acumina Sanctorum retrahant.

Acumina immobilia, de viris sanctis, data ad impediendum progressum Dæmonum.

Vers. 22. FERVESCERI FACIET QVASI OLLAM PROFVNDVM MARIS, ET PONET QVASI QVVM VNGVENTA BVLLIVNT. Iuxta Hebræum habetur, *Faciet feruere sicut ollam profundum: mare ponet sicut aroma.* Progressus Leuiathan describitur commouendo profundum maris sicut ollam bullientem, & ponendo superficiem maris sicut aromata. Commotio maris naturaliter à superficie tendit sensim ad profundum, vtpote à ventis facta. Hæc autem commotio profundi ideo assimilatur ollæ bullienti, quia incipit à fundo, sicut feruor ollæ incipit ab imis. Significantur autem per profundum (quod inter partes maris minimum habet inquietudinis) viri dediti quieti vitæ contem

Leuiathan progressus describitur.

Profundum de viris quieti vitæ contemplatiuæ deditis.

contemplatiuæ : ad quos commotiones huius sæculi quæ à ventis diuersarum vanitatum fiunt, ratò perueniunt. istos enim Diabolus tentationibus suis facit feruere tanquam ollam : eo quòd quasi ab imis excitat eos internis phantasiis & appetitibus, in seipsis valde periculosis. Ponitur autem superiores maris sicut aroma : dum Ecclesiastica apparentia in qua nauigamus, aromatibus redolet mundi huius, & non in odorem vnguentorum Christi, sed in odorem vnguentorum mundi huius (gloriæ scilicet, honoris, gradus, commoditatum, &c.) curritur.

Vers. 23. POST EVM LVCEBIT SEMITA. Ecce, describitur quid post eum. & via post eum describitur splendens : quia sectatores Diaboli comitatur splendor gloriæ, honorum, diuitiarum, & huiusmodi. ÆSTIMABIT ABYSSVM QVASI SENESCENTEM. Iuxta Hebræum habetur, *æstimabit voraginem in decrepitum.* Descriptis membris & potentijs Leuiathan, describit consequenter gratiam eius per antiphrasim, inchoando a miseria pœnæ eius significatæ per voraginem æternæ damnationis. Et tam infelix describitur quod reputat suam æternam miseriam, sicut homo reputat ætatem decrepitam, tanquam imbecillitatem naturaliter subeundam : quod est dictu, quòd parum, aut nihil æstimat eam, attendens ad malè faciendum quantum potest.

Gratia Leuiathan describitur per antiphrasim.

Vers. 24. NON EST SVPER TERRAM POTESTAS QVÆ COMPARETVR EI. Iuxta Hebræum habetur, *Non super puluerem comparabitur ei.* Super puluerem dicitur, ad describendam non solùm diuinæ angelicæque potestatis, sed etiam immortalis hominis : homo enim immortalis (qualis nunc est Christus) non est iam in puluere : quia non potest verti in puluerem. Soli ergo & omnes homines qui verti possunt in puluerem, comprehenduntur, dicendo, *non super puluerem comparabitur ei.* Et hoc ad cumulum miseriæ eius describitur. est enim sensus quod nullum mortalem hominem reputat comparabilem sibi : quum tamen cum vnus mortalis homo vicerit, Christus videlicet. QVI FACTVS EST VT NVLLVM TIMERET. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *qui factus est in non timore.* Ad culmen miseriæ illius adiicitur quòd factus est (proculdubio ex propria iniquitate) in non timore, hoc est, absque timore tam creaturarum, quàm Dei. non enim ex timore Dei omittit aliquid, sed ex impotentia, vel ex aliquo pectoris respectu.

Vers. 25. OMNE SVBLIME VIDET. Parui refert quòd Hebraicè legendum esset, *Omnem celsum videbit.* Inexcusabilis describitur quòd absque timore est. excusari siquidem videretur si nesciret esse celsiores ipso : sed videndo omnem celsum, & nullum timendo, inexcusabilis & vituperabilis redditur. Potest nihilominus intelligi de videre practico, de aspectu affectiuo, vt sit sensus quòd omnem excelsum videbit ad machinandum contra excelsum omnem : ita quòd non solùm est absque timore cuiuscunque, sed etiam machinatur aduersùs omnem excelsum, aduersùs honorem, gloriam, obedientiam, regnumque Dei & Sanctorum. Vterque sensus verus est, sed secundus magis ad literam : nam sequitur, *ipse est rex super vniuersos filios superbiæ.* Ecce, quis est Leuiathan, de quo tam prolixus est habitus sermo. ipse (inquit Deus) est rex super omnes filios altitudinis, seu superbiæ, princeps eorum qui supra se nituntur ire. Diabolus describitur tanquam rex gubernans eos, ac per hoc regnum Diaboli describitur regnum superbiæ, regnum superborum. quo contrà Christus dixit mundo, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Discurre prudens Lector per hæc omnia descripta de Diabolo : & scrutare teipsum per singula intus & extrà, vt percipias quid, seu quæ habuit, vel habet in te Diabolus. ad hoc enim Deus dignatus est describere tot eius partes, vt etiam Iob perciperet quòd in seipso Diabolus multa habebat, & non sic audacter proferret se iustum : solus enim Christus dicere potest, *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Fuit quoque & ratio altera describendi partes Diaboli, videlicet vt diuina authoritate crederemus quòd mala opera hominum fiunt ab hominibus instigante Diabolo, quòd negantes Dæmones negant. In quorum numero fuisse socios Iobis & Elihu, apparet ex hoc quòd tam præmia bonorum operum, quàm pœnas malorum operum hominum, in hac duntaxat vita discerni à iustitia diuina dicebant. & Iobe attribuente impietati Dæmonum afflictionem suam, Elihu dixit in cap. 34. *An dicendum regi Belial, impius nobilibus?* appellando nobiles substantias spirituales : astruens per hoc substantias spirituales omnes esse bonas : quod etiam Bildad *in cap. 25* astruere videtur.

Regnū Diaboli regnum superbiæ, superborumque.

Matth. 11. 29.

Ioan. 14. 30.

Nobiles, de substantijs spiritualibus.

CAPVT XLII.

Vers. 1. RESPONDIT IOB AD IEHOVAH, EL DIXIT. Non tacet hac vice reprehensus Iob quemadmodum tacuerat prima vice, quia plenius illuminatus fuerat, vt subiuncta eius verba testantur, dicendo, *Nunc oculus meus vidit te.*

Vers. 2. SCIO QVIA OMNIA POTES, ET NVLLA TE LATET COGITATIO. Iuxta Hebræum habetur, *Noui quòd potens poteris, & non prohibebitur à te cogitatio.* Respondet Iob ad reprehensionem diuinam in principio 40. capituli scriptam, videlicet, *si brachium tibi sicut El, & in voce sonabis sicut ipse*, & reliqua subiuncta ibi de potentia diuina. fatetur enim se agnouisse potentiam diuinam incomparabilem tum quo ad posse, dicendo, *noui quod potens poteris* : tum quo ad omnem executionem, dicendo, *& non prohibebitur à te cogitatio*, hoc est, nullum impedimentum apponi potest prohibens cogitationem tuam impleri. Et per hoc fatetur se suscipere diuinam illam reprehensionem.

Vers. 3. QVIS EST ISTE, QVI CELAT CONSILIVM ABSQVE SCIENTIA. Parui refert quòd Hebraicè habetur, *Quis ille faciens celare consilium in non scire.* Supplet Iob quòd minus responderat Deo in prima reprehensione. nam in principio capituli 38. reprehensurus Deus Iobem de arrogata scientia, inchoat ab his verbis manifestantibus nocumentum illatum

domino

diuino consilio ex verbis arrogantibus ipsius Iobis. & quia Iob non responderat ad hoc, agnoscendo hanc circunstantiam peccati sui, ideo nunc magis illuminatus dicit, *noui quia iste faciens celare consilium in non scire*, noui meipsum peccasse etiam in hoc quòd verbis arrogantibus scientiam qua careo feci occultari consilium diuinum de præmio & pœna humanarum actionum. Et hunc esse sensum germanum literæ huius, insinuat contextus subiunctorum. IDEO INSIPIENTER LOCVTVS SVM, ET QVÆ VLTRA MODVM EXCEDVNT SCIENTIAM MEAM. Iuxta Hebræum habetur, *ideo annuntiaui, & non intelligam, mirabilia pra me, & non sciam.* Ideo cognoscendo peccatum meum, fateor quòd annuntiaui, & non intelligam. hoc est, annuntiaui quæ nunquam intelligam. Et exponendo illa, dicit *mirabilia pra me.* (hoc est, mirabilia supra inquisitionem meam.) *& non sciam*, hoc, est quæ nunquam sciam.

Agnoscit Iob se insipienter locutum.

Si quæris quæ sunt ista mirabilia quæ Iob annuntiauit, & nescisti: reuoca ad memoriam arrogatam suis verbis scientiam, & videbis quæ sunt illa mirabilia. arrogauerat siquidem sibi inquisitionem, immo notitiam imputatorum sibi peccatorum à Deo, quum dixit in cap. 13. *quantas habeo iniquitates*, &c. arrogauit sibi in eodem capitulo tantam peccati proprij notitiam relatiuè ad pœnam apud tribunal diuinum, vt disputare & vincere consideret etiam cum Deo disputante. mirabilia siquidem sunt hæc, & superant valde intelligentiam atque scientiam humanam. Et hæc annuntiata à Iobe (vtpote scandalosa) celabant veritatem diuini consilij apud audientes, qui suapte natura retrahuntur à doctrina scandalizantis eos. Iob siquidem veritatem diuini consilij quo ad conclusionem de merito & pœna humanarum actionum docebat: sed cum admixto scandalo verborum arrogantium talis tantæque scientiæ diuinorum, quæ excedunt humani ingenij facultatem. & propterea celabat alios veritatem diuini consilij ex parte verborum arrogantium. Fatetur itaque se agnouisse hanc circunstantiam peccati sui.

Vers. 4. AVDI, ET EGO LOQVAR: INTERROGABO TE, RESPONDE MIHI. Iuxta Hebræum habetur, *Audi obsecro, & ego loquar: interrogabo te, & fac scire me.* Respondet consequenter ad repetita Dei verba, videlicet, *accinge nunc sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, fac me scire.* nam & in principio capituli 38. & in principio capituli 40. Deus arguendo Iobem irrisoriè hæc dixerat. Respondet itaque humiliter Iob obsecrando vt non tanquam par, non tanquam disputans, sed tanquam Doctor (non qualiscunque, sed faciens scire) audiat interrogantem discipulum. Et describendo Deum quòd docet faciendo scire, discernit Deum à Doctoribus humanis. homo enim docens, argumenta & rationes proponit ac ordinat, non tamen se extendit ad efficaciam internam, ad efficiendum quòd audiens sciat: hoc enim proprium interni Doctoris est vt faciat interrogantem scire.

Vers. 5. AVDITV AVRIS AVDIVI TE: NVNC AVTEM OCVLVS MEVS VIDET TE. Legendum est, *vidit te.* Disparitas prioris reuelationis & istius describitur, comparando illam auditioni, istam verò visioni: & quanto visio præstat auditioni, tanto hæc reuelatio præponitur priori. Manifestat autem hoc, tum ad reddendam rationem, quare nunc, & non priùs agnouerit distinctè peccata sua, & distinctè veniam petierit: tum ad obtinendum gratiam petitam, videlicet, *interrogabo te, fac me scire.* ex nouo siquidem beneficio (videlicet, quia oculus meus nunc vidit te) supplicat vt perseueret in conferendo beneficia internæ doctrinæ. Nec intelligas absolutè, sed comparatiuè dictum esse, *& nunc oculus meus vidit te*, hoc est, non dicit absolutè *vidit te*, sed quòd comparatiuè ad priores reuelationes ista reuelatio est visio, illæ auditiones.

Sed oritur hîc quæstio, quia Deus in hac reuelatione non descripsit seipsum, sed descripsit Diabolum, quo fit vt Iob debuisset dicere, & nunc oculus meus vidit Diabolum, & tamen dixit Deo, *& nunc oculus meus vidit te.* Solutio est quòd quanto magis homo proficit in agnitione suorum defectuum, tanto magis accedit ad notitiam Dei: oppositа enim iuxta se posita magis elucescunt. & quia descriptio partium Diaboli fuerat fructuosa in animo Iobis ad discernendum & abominandum in seipso partes Diaboli, ideo ad tantam ascendit munditiam cordis, vt tam eleuatè agnosceret Deum vt diceret, *& nunc oculus meus iam* purgatus *vidit te.* Propter quod consequenter subiungit, IDCIRCO ME REPREHENDO, ET AGO POENITENTIAM IN FAVILLA ET CINERE. Iuxta Hebræum habetur, *Ideo abominabor, & agam pœnitentiam super puluerem & cinerem.* Quia vidi te videndo partes Diaboli in me, ideo abominabor deinceps diabolicas partes omnes, & agam pœnitentiam de admissis peccatis, iustificando me tam impudenter, ponendo os in Deum, super puluerem & cinerem, hoc est, exterioribus signis pœnitentiæ ædificando quos scandalizaui verbis meis. per hanc enim promissionem intelligimus quòd Iob pœnitentiam egit, sic quòd prouidit scandalo quòd dederat iis qui audierant verba eius scandalosa.

Quæstio.

Soluitur.

Vers. 6.

Vers. 7. POSTQVAM AVTEM LOCVTVS EST DOMINVS VERBA HÆC AD IOBEM. Dictio interpretata *Dominus*, est nomen *Iehouah.* Finitum est colloquium inter Deum & Iobem. Quantum autem interualluum temporis fuerit post colloquium hoc vsque ad subiunctum Dei sermonem ad Eliphaz, non est scriptum: verisimile tamen est quòd modicum temporis interceserit, videlicet antequam reuerterentur ad propria illi tres socij Iobis. ex eo enim quòd nihil dicitur de recessu eorum, sed insinuatur potiùs quòd adhuc erant simul illi tres, intelligimus quòd antequam recederent hoc fuit. DIXIT AD ELIPHAZ THEMANITEM. deficit, *Iehouah.* Eliphaz primus erat inter Iobis socios, & summus Deus scribitur locutus ei, sed non explicatur modus quo locutus est. Crediderim ego quòd apparuerit ei dormienti, loquens in somnio, dicendo subiuncta. nam & sic apparuit socero Iacob: vt scribitur *Genes.* 31. IRATVS EST FVROR MEVS IN TE. Cerne disparitatem. Iobem arguendo, Deus loquitur quidem de turbine, hoc est, tanquam turbatus: arguendo verò

Eliphaz,

Eliphaz, furorem ſuum iratum dicit, eo quòd Iob peccauerat in modo loquendi, ſocij verò Iobis peccauerant in re dicta. propterea enim commotus ad vindictam furor Dei (hoc eſt, iuſtitia Dei punitiua) deſcribitur: longè enim maius peccatum eſt errare in re dicta, quam in modo loquendi. ET IN DVOS AMICOS TVOS. Parum refert quòd Hebraice habetur, & *in duos ſocios tuos*. Dicendo *in duos*, manifeſtè ſiletur Elihu, qui quarto loco locutus fuerat. Vnde habes quòd Elihu nec inter ſocios ſupputatur, nec dignus eſt habitus reſponſione Iobis, nec reprehenſione Dei, immo nec reconciliatione. QVONIAM NON ESTIS LOCVTI CORAM ME RECTVM. Iuxta Hebræum habetur, *quia non eſtis locuti mihi rectitudinem ſicut ſeruus meus Iob*. Superiùs ſæpe repetitus iſte loquendi modus, inſinuat quòd ſenſus eſt, quia non eſtis locuti in fauorem meum rectitudinem, ſicut ſeruus meus Iob. Quæſtio enim inter iſtos fuerat de præmio & pœna actionum humanarum ſecundum diuinam iuſtitiam. & propterea omnes locuti ſunt in fauorem diuini iudicij, diuinæque prouidentiæ: ſed ſententias tam diſcordes vt ſocij declinauerint à recta ſententia, Iob verò rectam protulerit ſententiam. Si enim perſpecta fuerit vniuerſa diſputatio, perpendemus quòd ſocij Iobis mala præſentis vitæ adæquarunt peccatis vt pœnas, bona verò adæquarunt iuſtitiæ vt præmia ſecundum diuinum iudicium: Iob verò vtrumque falſum eſſe dixit, aſſerendo quòd mala præſentis vitæ diſtribuuntur quandoque à Deo pluſquam peccata mereantur, & quòd bona præſentis vitæ ſæpe negantur iuſtis. Et quia ſententia Iobis recta eſt ac conſona prouidentiæ diuinæ, ſententia autem ſociorum diſſonat a diuina prouidentia, atque iuſtitia reſeruante pœnas & præmia ſimpliciter & abſolutè ad futuram vitam, ideo veriſſimè dicitur, *non eſtis locuti mihi rectitudinem ſicut ſeruus meus Iob*.

Iob præfertur amicis.

Verſ. 8. SVMITE ERGO VOBIS SEPTEM TAVROS, ET SEPTEM ARIETES. Legendum eſt, *Et nunc ſumite vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & facietis aſcendere holocauſtum pro vobis*. Verè benignus Deus. hinc merita peccatorum reuelat, in furore commoto, inde autem remedium reconciliationis docet holocauſtum per manus Iobis offerendum ab eis. erant enim iſti ibidem hoſpitati: & propterea monentur vt ſimul eant ad Iobem cum animalibus offerendis in holocauſtum. quod deſcribitur ab aſcenſu, eo quòd totum per fumalem euaporationem aſcendebat ad ſuperna, nihilque eius comedebatur à quocunque. IOB AVTEM SERVVS MEVS ORABIT PRO VOBIS. Decernitur Iob ad Sacerdotis fungendum officio, offerendo holocauſta, & intercedendo pro ſociis. vult enim Deus quòd iſti humilient ſeipſos ad petendum hæc officia à Iobe. FACIEM EIVS SVSCIPIAM VT NON VOBIS IMPVTETVR STVLTITIA. Iuxta Hebræum habetur, *quia ſi faciem eius eleuabo in non facere vobiſcum ignominiam*. Eleuare faciem eſt honorare, ſeu lætificare offerentem, ſeu orantem: ſicut è contra, confuſi facies deprimitur. Dicit autem *ſi*, perinde ac diciſſet *forte*, non certificans eos de venia, ſed ſub quadam ambiguitate relinquendo veniam, vt magis accenderentur ad appetendum eam. Quod autem dicit *in non facere vobiſcum ignominiam*, effectum furoris commoti ſignificat, quòd videlicet ignominia quam ipſi merentur, non fiet, ſi eleuata fuerit ſacrificantis ac orantis pro eis Iobis facies. QVIA NON ESTIS LOCVTI MIHI RECTITVDINEM SICVT SERVVS MEVS IOB. Meritum ignominiæ, illud idem exprimitur quod dictum fuerat meritum furoris commoti ad vindictam: vt intelligeretur agi de peccati eorum pœna delenda penitus.

Iob orat pro illis.

Eleuare, aut deprimere faciem, quid.

ABIERVNTQVE ELIPHAZ THEMANITES, ET BILDAD SVHITES, ET ZOPHAR NAHAMATHITES, ET FECERVNT SICVT LOCVTVS FVERAT AD EOS DOMINVS. Nomen eſt *Iehouah*. Et dicitur ad eos, quia ad Eliphaz in perſona ſociorum omnium locutus fuerat Deus. ET SVSCEPIT DOMINVS FACIEM IOB. Iuxta Hebræum habetur, *& eleuauit Iehouah faciem Iob*. Quod ſub dubio reuelatum fuerat, nunc aſſeritur factum. Quale autem ſignum eleuationis monſtratum fuerit, ſubiungitur, dicendo, DOMINVS QVOQVE CONVERSVS EST AD POENITENTIAM IOB, QVVM ORARET ILLE PRO AMICIS SVIS. Iuxta Hebræum habetur, *Et Iehouah reſtituit reſtitutionem Iobis, orante illo pro ſocijs ſuis*. Ecce euidens coram omnibus ſignum eleuationis faciei Iobis, quòd ipſo orante pro ſociis. Deus reſtituit reſtitutionem eius, hoc eſt, redintegrauit ſanitatem eius: eſt enim genitiui caſus *Iob*. & propterea reſtitutio perſonæ eius ſignificatur mirabiliter facta tunc in actu orandi & ſacrificandi pro ſociis. ET ADDIDIT DOMINVS. nomen eſt *Iehouah*. OMNIA QVÆ FVERANT IOBI IN DVPLVM. Iſta additio non ſcribitur facta tunc: ſed quia ex merito charitatis Iobis intercedentis pro ſociis ſecuta eſt, ideo præmittitur hîc. ex merito ſiquidem illius charitatis habuit ſanitatem corporis tunc, & meritum habendi res duplices in ſucceſſu temporis. Excipe tamen ab omnibus duplicibus filios & filias: vt infrà patebit.

Verſ. 9.

Verſ. 10.

VENERVNT AVTEM AD EVM OMNES FRATRES EIVS, ET OMNES SORORES EIVS, ET OMNES QVI NOVERANT EVM PRIVS, ET COMEDERVNT CVM EO PANEM IN DOMO EIVS. Audito miraculo ſanitatis, fratres, ſorores, & noti, qui reliquerant eum (vt *in cap.* 30. patet) venerunt ad eum. ET MOVERVNT SVPER EVM CAPVT. Iuxta Hebræum habetur, *& mouit ſunt ad eum*. Nihil dicitur de capite, & motus compaſſionis ſignificatur. qui enim tanto tempore inhumani ac duri fuerant, deſcribuntur tandem mori humanitatis affectu ad Iobem. Vnde & conſequenter adiungitur, ET CONSOLATI SVNT EVM SVPER OMNI MALVM QVOD ADDVXERAT DOMINVS SVPER EVM. Et eſt nomen *Iehouah*. ET DEDERVNT EI VNVSQVISQVE OVEM VNAM, ET INAVREM AVREAM VNAM. Dictio interpretata *ouem*, à multis interpretatur *nummus*, incertæ tamen nobis quantitatis. Sue itaque nummum vnum, ſiue pecudem vnam intelligas, munuſculum fuit.

Verſ. 11.

ET DOMINVS BENEDIXIT NOVISSIMO IOBIS MAGIS, QVAM PRINCIPIO EIVS. Et hîc quoque nomen ſcribitur tetragrammaton. Benedicere autem Dei, eſt bene facere & multiplicare. vnde & ſubiunguntur, *duplicata omnia*: vt

Verſ. 12.

Benedicere Dei, pro bene facere, & multiplicare

vt patet conferenti numerum hîc subiunctum numero scripto *in cap.1.* ET FVERVNT EI QVATTVORDECIM MILLIA OVIVM, ET SEX MILLIA CHAMELORVM, ET MILLE IVGA BOVM, ET MILLE ASINÆ.

Vers.13. ET FVERVNT EI SEPTEM FILII, ET TRES FILIÆ. Non fuit duplicatus numerus filiorum, aut filiarum: sed quot amiserat, totidem genuit. Ratio autem quare non fuerunt duplicati filij, & filiæ, in promptu est: quia videlicet duplicatæ non fuissent hæreditariæ facultates si duplicati fuissent hæredes: non enim ditiores fuissent, quàm priùs.

Vers.14. *Filiarum Iob nomina propria.* ET VOCAVIT NOMEN VNIVS DIEM, ET NOMEN SECVNDÆ CASSIAM, ET NOMEN TERTIÆ CORNVSTIBII. Interpres vsurpauit sibi authoritatem mutandi nomina propria: legendum itaque est primæ nomen *Iemima*, secundæ verò *Cheziba*, nomen autem tertiæ *Cerenhapuch*. Hæc sunt nomina propria filiarum.

Vers.15. *Earum commendatio à pulchritudine.* NON SVNT AVTEM INVENTÆ MVLIERES SPECIOSÆ SICVT FILIÆ IOB IN VNIVERSA TERRA. De terra illa intelligo: nisi hyperbolicè commendetur pulchritudo filiarum Iobis, ad cumulum diuinæ beneficentiæ. DEDITQVE EIS PATER EARVM HÆREDITATEM INTER FRATRES EARVM. Iuxta Hebræum habetur, *hæreditatem in medio fratrum suorum.* Describitur enim quòd non emisit filias in regionem aliam, non dedit eas vxores alienigenis, sed indigenis, ex eo quòd hæreditatem filiabus dedit in medio fratrum suorum: vt sic non priuaretur gaudio filiarum præsentium, sed mutua esset consolatio filiarum cum patre & fratribus iugiter conuersando.

VIXIT AVTEM IOB POST HÆC FLAGELLA. Vers.16. *Iob vixit CXL. annos post hæc flagella.* Parui refert quòd legendum esset, *Et vixit Iob post sic centum & quaraginta annos.* Hinc appareret & quòd Iob non erat senex quando afflictus fuit, & quòd antiquioris æui fuerit, quàm Moyses, illo videlicet tempore, quo homines viuebant annis ducentis, quo tempore fuit pater Abrahæ. ET VIDIT FILIOS SVOS ET FILIOS FILIORVM SVORVM VSQVE AD QVARTAM GENERATIONEM. vt omni ex parte accumulata prosperitas cognoscatur. *Vidit filios & filios filiorum vsque ad quartam generationem.*

ET MORTVVS EST SENEX ET PLENVS DIERVM. Vers.17. *Tandem plenus dierum, animã creatori suo reddidit.* Parui refert quòd legendum esset, *Et mortuus est Iob, senex & satur dierum.* Describitur in morte *senex*, ad insinuandum quòd ætas illa ducentorum annorum, vel circa, non fuit miraculi, sed naturalis senectutis. Describitur quoque *satur dierum*, vt cognoscamus quòd non in principio senij, aut in medio senectutis, sed in calce dierum vitæ suæ naturalis mortuus est. sic enim satur fuit dierum: quemadmodum fructus arboris quum dies omnes impleuerit maturationis suæ, satur est dierum.

Et sic finitur liber Iob, ad laudem & gloriam Dei, Romæ vltima Martij, anno salutis millesimo quingentesimo trigesimotertio; ætatis verò meæ anno sexagesimoquinto. Amen.

INDEX

Rerum & Verborum notabilium, quæ hoc secundo Tomo continentur.

Prior numerus paginam, posterior columnam, litteræ, a, eiusdem columnæ initium, b, medium, c, finem designant.

A

A Commentariis, Hebraicè recordator, quis. 261.2.b 300.1.a
A seculo, quid. 31.1.c
Abdias vnus è duodecim Prophetis. 214.1.a
Abdon Dux. 58.1.c
Abel quid, apud Hebræos. 86.1.c
Abesan Dux. 58.1.c

Abia.

Abia prædicit duplicem pœnam Israëlis. 208.1.b
an vere prædixerit tempus obitus pueri Ieroboam. ibid.c
Abia regnat super Iudam. 209.1
Abia sperans in Domino, & orans occidit Ieroboam. 318.2
Abia intelligentiâ pollebat plusquam fratres sui. ibid.1.a
Abia moritur. 207.2
succedit Roboam. 318.2
Abiæ duo officia prudentiæ. ibid.1.a

Abiathar.

Abiathar fugit ad Dauidem. 115.1
Abiathar priuatur sacerdotio. 176.2
Abiathar an dignus esset morte. 178.1.a
Abiathar electus antea, cur hic numeretur inter Sacerdotes. 180.1.c

Abiectio.

Abiectio Iudæorum & gentium electio. 168.1
Abigail prudens & pulchra. 119.2.b
Abimelech occisis septuaginta fratribus suis constituitur Rex. 52.2.a,b

Abinadab.

Abinadab cuius Tribus fuerit. 87.1.b
Abinadab, Leuita. 140.1.b
Abisag puella senem Dauid calefacit. 174.1

Abner.

Abner transfugit ad Dauidem. 133.1.a
Abner fornicatur cum concubina Saulis. 134.1.b

Abominatio.

Abominatio Iob. 418.2.a
Abominationes pro idolis. 269.2.c

Absalon.

Absalon fugit. 151.1
Absalon reuocatur astu mulierum. 153.1
Absalon animos populi sibi conciliat. 155.1
Absalon aspirat ad regnum viuente patre. ibid.b
cupit sibi committi auditionem causarum. ibid.c
fingit adimpletionem voti vt possit perficere coniurationem. 156.1.a
concumbit cum concubinis patris. 157.1
Absalon prælio victus in quercu pendens interimitur. 160.1
eum Dauid accepto nuncio plangit. ibid.
Absalon an habuerit filios. 161.1.b
Absalone mortuo ius primogenituræ deuoluitur in Adoniam. 174.2.b

Absconsio.

Abscondit Rachab exploratores. 3.1.b
Absconsionis modus. ibid.
Absque silentio, pro continuè. 505.2.b
Absque videbo, phrasis Hebraica, pro præter illud quod ego videbo. 520.2.c

Abstinentia.

Abstinentia ab vsu coniugij notata. 77.1.b

Abstraho.

Abstrahentes non mentiri. 412.1.b

Abundantia.

Abundantia aquæ in Iordane. 6.1.b

Acceptio.

Acceptio personarum excluſa à Domino. 518.2.c

Accipiter.

Accipiter. 543.1.a

Achab.

Achab idololatra. 211.2.c
grauius peccat, quàm Ieroboam. 212.1.a
Achab vincit Regem Syriæ obsidentem Samariam. 219.1
Achab increpatus ab Elia agit pœnitentiam. 221.2
Achab quomodo potuit esse in Samaria, & in vinea Naboth. 222.2.a
Achab & Iosaphat contra Ramoth Galaad. 223.2
Achab vulneratus in bello simulat languorem, cur. 225.2.c 134.1.b

Achan.

Achan propter anathema lapidatur. 10.2

Index Rerum,

Achan propter furtum lapidatur iussu Domini, & combustus est. 12.1.c
Achan an prius lapidatus, an combustus. ibid.
eius filij, & filiæ an fuerint combusti. ibid.
Achan quare duplici pœna affectus. ibid.

Achaz.

Achaz consecrat filium per ignem. 256.2
Achaz combussit filios suos, quomodo. 343.1.b
traditur Syris. ibid.c
seruit idolis. 344.1
eo mortuo succedit Ezechias. ibid.
Achaz Hebr. Rex Israël, cur. ibid b
Achaz contra legem Moysis ordinat vt populus oret versus Orientem. 345.2.b

Achis.

Achis hîc quis. 123.1.c
Achis Philisthinus iurat in summo vero Deo. 126. 2.c

Achitophel.

Achitophel consilium dissipatur à Deo. 158.2
Achitophel suspendit seipsum. ibid.

Actio.

Actio luminis nomine significata. 488.1.b
Actiones sensibiles ad manifestandum futura Dei opera ordinatæ. 252. .b
Actionum diuinarum duo proponuntur genera. 418.2.c

Acumen.

Acumina immobilia, de viris sanctis, datis ad impediendam progressum Dæmonum. 553.1.b
ad Astra configunt multi quærentes Deum. 230.1
Ad semper, pro sempiternitate vitæ hominis. 454. 1.b
Adarezer vincitur. 299.2
Addere ad videndum, & videre differunt. 104.1.a

Adeps.

Adeps potentium quid. 130.2.b
Adhuc, pro vltra. 511.2.b

Adiutor.

Adiutores fortitudinis, de Dæmonibus. 435.2.a

Adolescens.

Adolescens per puerum paruum intellectus. 179. 1.c
Adon Dominus omnis terræ. 6.1.b
Adonai, id est, Domini mei. 11.1.a

Adonias.

Adonias occupat regnum inscio patre. 174.1
Adonias petens Abisag in vxorem, contra vitam propriam loquitur, quomodo. 177.2.b
Adonisedec, id est, Dominus iustitiæ, titulus Regis Ierusalem. 20.1.a

Adoratio.

Adoratio, pro honoratione. 177.1.b
Adoratio quomodo hic capienda. 236.2.c

Aduersa, Aduersor.

Aduersa vnde. 417.2.b
Aduersantes Deo frangi super eum. 79.1.c

Aduersarius.

Aduersarius Satanæ nomine significatus. 403.2.b
Æduram lapidatur. 204.1

Adulter, Adulterium.

Adulter describitur. 485.2.c
Adultera per mulierem alteram significata. 55. 2.b
Adulterium. 507.1.b
Adulterium Dauidis cum Bethsabee. 147.2
Adulterium & homicidium suapte natura contemnunt præcepta diuina. 149.1.c

Ædifico, Ædificatio.

Ædificare solitudines, quid. 411.1.c
Ædificatio domuum Domini, & Salomonis quot annis durauerit. 197.1.c
Ædificatio murorum Ierusalèm. 371.1
Ædificationem murorum Ierusalem Sanaballat & Tobias prohibent. 375.1.b
rursus impeditur ædificatio. 378.1
in Ædificatione templi diuina interuenit authoritas, cur. 311.2.c
in Ædificatione templi quæ Dauid, eiúsque Principes obtulerint. 314.1

Ægritudo.

Ægritudo per castigationem significata. 514.2.c
Ægritudines per panem putrefactionis cibi intellectæ. 422.2.a
Ægritudinum multarum hominis causa quæ. 416. 2.b

Æmulus.

Æmulus, de serpente æneo. 260.2.c

Æquitas.

Æquitas iudicij diuini ostenditur ab Elihu. 517. 2.b

Aër.

Aër cœli nomine significatus. 405.2.b 490.2.b
Aër puluerulentus condolentiæ signum. 408.1.c
Aër antiquis vacuus. 424.1.b
Aër per vacuum significatus. 483.2.c
Aëris media regio thesauro niuis & grandinis assimilata. 536.2.b

Æs.

Æs vbi gignatur. 495.1.b

Ætas.

Ætas sedecim annorum quomodo significata. 232. 1.b
Ætas puerilis eunti in tenebris similata. 499.1.c

Affectus.

Affectus pedis nomine significatus. 483.1.a

Affirmatio.

Affirmationi æquiualet interrogatio. 219.1.c

Afflictio

Afflictio vituperij nomine significata. 466.2.a
Afflictionis hominis triplex causa. 431.1.a
Afflictionis ratio ex parte Iobis. 481.2.c
Afflictionis ratio ex parte Dei. 483.1.b
Afflictiones Iob. 428.1.b 504.1.a

Aggrauatio.

Aggrauatio prælij in Saulem quomodo facta. 128. 1.c

Aggregator.

Aggregator, de Iosua. 9.2.b

Aggressio.

Aggressio improuisa, magna vincendi ratio. 16. 1.c

Agnus.

Agni iugulatio, actio sacrificij Paschatis. 348. 2.a

Agricultura.

Agricultura inter hominum artes prima. 530. 1.b
Ahialon Dux. 58.1.c
Aia maternus amor erga filios crucifixos. 166. 2.c

Ala.

Alæ terræ, de aurora. 535.2.a

Alienigena.

Alienigenæ ſeparantur. 389.1.

Altare.

Altare lapideum Domino Deo erectum in Hebal. 14.1.b
Altare extructum in terra Rubenitarum, Gaditarum,& dimidiæ Tribus Menaſſis. 28.2.a
Altare, pro teſtis. 29.2.b
Altare Gedeonis *Domini pax.* 47.1.c
Altare extra tabernaculum quandoque ædificatum. 88.1.c
Altare thymiamatis quomodo aureum. 193.1.a
Altare holocauſtorum ædificatur ante templum. 362.1.a
Altari reuerentia exhibetur à Salomone. 178.1.c
Altaria multa ſummo Deo extructa à tempore Abrahæ. 217.1.b

Aman.

Aman charus Regi. 394.2.c
Aman Iudæorum interitum impetrat ab Aſſuero. 395.1
Aman exaltatum à Rege, Mardochæus non adorat. 395.1.a
Aman ſuſpenditur. 398.1.b
eius bona traduntur Reginæ Eſther. ibid.2

Amaritudo, Amarus.

Amaritudo vitæ. 427.2.c
Amari animo qui. 412.2.b

Amaſias.

Amaſias occidit occiſores patris. 253.1
percutit Edom. ibid.
capitur à Ioa. ibid.
Amaſias occidit interfectorem patris ſui. 341.2.a
percutit Idumæos. ibid.
occiditur. ibid.
adorat idola. ibid.c

Amicitia, Amicus.

Amicitia ſimulata Zebul cum Ghahal. 53.2.a
Amici Iob arguuntur quòd verba ipſius Iob interpretentur in deterius. 425.1.b
Amici Iob in ſermonibus deprehenſi. 424.2.c

Ammon, Ammonitæ.

Ammoni occiſo ſuccedit Ioſia pius. 269.1
Ammonem Abſalon celebrato conuiuio occidit. 151.1
Ammonitæ obſidentes Iabes Galaad percutiuntur à Saule ſpiritu Dei accenſo. 95.1.
Ammonitæ, & Syri debellantur à Dauide. 146.2. 300.1

Amor.

Amor mirabilis Dauid erga Ionatham. 131.1.a
Amor mulieris quò ducat. 148.1.c
Amor maternus Aiæ erga filios crucifixos. 166.2.c
Amoris muliebris vis quanta. 62.2.b

Amorrhæi.

Amorrhæi pugnantes contra Gabaonitas, vincuntur à Ioſue. 16.1
quinque Reges ſuſpenduntur. ibid.
Amorrhæi tributarij ſeruantur. 36.2.b

Amplitudo.

Amplitudo animi Salomonis, quaſi arena maris. 181.1.b

Anathema.

Anathema, pro deſtructione. 10.1.b 35.2.c
Anathema quandocunque domus, vel ciuitas decreta apud Iſraëlitas,omnes ſine diſcretione interimebantur. 69.1.c

Angelus.

Angelus Domini apparet Ioſuæ. 8.2.b
Angelus iſte quis. ibid.
Angelus in perſona Dei loquitur. 9.1.a
Angelus exprobrat populo quòd fœdus fecerint cum Chananæis. 36.2
Angelus Dei Iſraëlitas prouocat ad pœnitentiam. ibid.c
Angelus in perſona Dei loquitur. 37.1.a
Dei beneficia refert. ibid.
Angelus apparet Gedeoni. 45.2.b
Angelus Iehouah nominatur,cur. 46.1.b
vocatur Elohim. ibid.2.c
Angelus peſte deſtruens populum Iſraël, in quo loco apparuerit Dauidi. 173.1.b
Angelus, pro ſubſtantia ſpirituali. 515.1.a
Angeli officium in annuntiando. ibid.
Angeli ſupplicatio pro homine. ibid.c
Angeli per filios Dei ſignificati. 403.2.b
Angeli cuſtodes quotidie, Satan aliquando ſolùm ad Deum venire dicuntur. ibid.c
Angeli ſerui, & nuncij. 416.1.c
Angeli ſancti fallaces. 456.1.b
Angeli Principum nomine intellecti. 518.2.b
Angeli impij, cur. 545.2.b
Angelorum duplex conditio naturalis. 416.1.b
Angelorum peccatum, & pœnæ quæ. 545.2.a

Anguſtia.

Anguſtia ſpiritûs. 427.2.c
Anguſtiæ Iſraëlitarum propter Tribus Benjamin. 70.1.b

Anima.

Anima pro vita. 63.2.b 216.2.b 407.2.b 413.1.b 476.1.a
Anima rationalis per ligamen, vel præſtantiam ſignificata. 417.1.a
Anima ſpiritus immortalis. ibid.b
non tamen teuerſura ad hanc vitam. ibid.c
Anima, pro intentione. 489.1.b
Animæ immortalitas aſſeritur ex Teſtamento veteri. 150.2.a
Animæ immortalitas præſupponitur à Iob. 411.2.b
Animæ perſeuerantia poſt mortem ſine corpore. 417.1.b
Animæ ſtatus poſt reſurrectionem mortuorum. ibid.c
Animæ ſeparatæ ſtatus quis. 454.1.c
Animæ intellectiuæ pœna ad inſtar fractionis ſignificata. 475.2.c
furori bibito ſimilata. ibid.
Animæ defuncti complacentia, aut diſplicentia eius quod quondam habuit. 476.1.a
Animæ damnatæ per habitantes cum gigantibus, id eſt,Dæmonibus,ſignificatæ. 489.1.c
Animæ damnatæ dono ſapientiæ carent. 497.2.b
Animarum defunctorum diuerſi ordines præſuppoſiti. 411.2.c
Animarum quies in alia vita communis omnibus. 412.1.b

Animus.

Animus deliberaratus renuit conſilium. 172.1.c
Animi intima, de renibus. 469.2
Animi paſſiones,
ira. 508.1.a
ſpes. ibid.b
delectatio. ibid.c
metus, ſiue timor. 509.1.b
triſtitia. ibid.2.c
Animo amari qui. 412.2.b

Index Rerum,

Anna.

Anna Elcanæ vxor an comederit,aut biberit. 76. 2.b
non vouit Nazareatum filij quo ad omnia.ibid.c
Anna Elcanæ vxor diu sterilis, impetrat à Deo filium Samuelem, quem offert Domino. 75.1.
Anna quot proles ediderit. 80.1.a
Annæ vultus non ampliùs in diuersum mutari, quomodo. 77.1.b.
Annæ canticum. ibid.2.& seqq.

Annales.

Annales per librum verborum dierum Regum Israel, intellecti. 208.2.a

Annus.

Annus integer cultui muliebri datur. 393.2.b
Anni regni Homri quot, & vnde supputandi.211. 2.b
Anni numeri, id est, pauci. 461.2.c

Antiquus.

Antiquorum authoritati deferendum,cur. 432.1.a

Aod.

Aod secundus iudex Israël. 40.1.c
Aodis mors. 41.1.b
Aphec ciuitas. 252.1.c

Apparitio.

Appatitio Dei coram Samuele. 82.2.a
Apparitio diuina dormienti Nathan. 142.1.a
Apparitio Iob. 415.1.c
Apparitiones Dei. 514.1.b
Vide *Visio.*

Aqua.

Aquæ exuberantia in Iordane. 6.1.b
Aquæ fluentes ex montibus. 42.1.a
Aquæ Iericho malæ,cur. 230.1.c
Aquæ in nubibus ligatæ. 490 1.a
Aquæ iunctæ in vno flumine perplexitatis nomine indicatæ. 496.1.c
Aquæ lapis. 537.1.a
Aquarum congregatio, pro mari, apud Hebræos. 490.2.c

Aquila.

Aquilæ conditiones. 543.1.a

Ara.

Ara Baal destruitur. 47.2.b

Aram.

Aram ciuitas. 39.1.c
Aram, pro Syro, & Aramæo. 147.1.b

Arabes.

Arabes, pro Madianitis. 45.2.a

Aranea.

Araneæ domus, pro tela quam habet aranea. 432. 2.b
Arbah pater gigantum. 21.2.c

Arbor

Arbor sancta Iehouah quæ. 33.1.c
Arbor iniquitatis,pro arbore nociua. 486.2.b
Arbor nociua per arborem iniquitatis significata. ibid.
Arborum parabola quò. 52.1.b

Arca.

Arca præcedens populum in itinere. 5.2.a
Arca distat à populo in transitu Iordanis,cur.ibid.b
Arca quomodo transierit. 7.2.a
Arca capitur. 83.1
Arca iuxta Dagon collocata, Dagon corruit. 84.2. & seqq.
Arca reducitur ab Abinadab. 85.2
Arca vbi esse debeat. 87.1.a
Arca vnde translata. ibid.
Arca Dei veneranda, cur. 139.2.c
Arca reducitur de Cariathiarim. 293.2
reducitur à Leuitis cum canticis. 295.2
Arcæ transitus. 7.1.b
Arcam portantium progrediendi modus in transitu Iordanis. 5.2.c
Arcam præcedunt Sacerdotes cum tubis. 9.1.b
Arcam qui bellatores præcedebant, & qui sequebantur. ibid.2.a
Arcam fatentur Philisthæi esse summi Dei. 85. 1.c
Arcam secundùm legem nunquam videbat populus,imò nec Leuitæ. 86.1.b
Arcâ in templo collocatâ templum impletur caligine. 193.1
Arcâ allatâ Dauid constituit ministros. 296.2

Arcturus.

Arcturus, stella. 538.1.a

Area.

Area præparationis quid. 140.1.c

Argentum.

Argentum fortitudinum, de pretio reconditorum in thesauris. 481.1.a

Arguo.

Arguendi officium reprehenditur. 425.1.a

Arma, Armatus.

Arma hominum aduersùs Dæmonem quæ. 553. 1.b
Armati hîc qui. 9.2.b
Aromim, nomen nationis. 256.2.c

Artifex.

Artifices Salomonis. 317.1

Arx.

Arx Sion ciuitas Dauid dicta, cur. 138.1.c
Arx, de loco excelso naturâ munito. 543.1.b

Asa.

Asa succedit Abiæ. 209.1.339.2
Asa in fine vitæ minore fiducia fuit in Deum. 209. 2.c
Asa hortatur populum ad quærendum Deum, ibid.
in fide vincit Æthiopes. ibid.
Asa inito cum Benadad fœdere corripitur à Deo, 331.2.b
Asa moritur. ibid.
timebat Regem Syriæ. 331.2.b
Asæ Regis cadaueris prima combustio post combustionem corporis Saulis. 332.1.c

Ascensus.

Ascensus pro oblatione victimæ in Scriptura. 325. 2.b

Asinus.

Asini pedum nomine indicati. 503.1.c
Asinis vtebantur Israëlitæ ad equitandum. 1571.c

Aspectus.

Aspectus mulierum periculosus. 147.2.c
Aspectum, & altam staturam non spectare Deum. 104.2.b

Assistentia.

Assistentia Iosuæ pollicita. 2.1.b

Associatus.

Associati iidem qui latrunculi. 235.1.c

Assuerus.

Assuerus in conuiuio potentiam & gloriam suam ostentat. 391.2.c

Assuerus præcipit Iudæis vt suos inimicos interficiant. 398.1
annulum suum tradit Mardochæo. ibid.2.a

Assyri.

Assyri obsidentes Ierusalem qua plaga percussi. 265.2.c

Astra.

Astra per filios Elohim significata. 534.1.b
Astrorum cantus quomodo verificetur in terræ creatione. 533.2.b

Astus, Astutia.

Astu mulieris reuocatur Absalom. 153.1
Astutia sapientum apprehenditur. 419.1.a

Athalia.

Athalia interficit omne semen regium. 247.2
Athalia interficitur. 339.2.b
Athaliæ crudelitas. 338.2.c

Atrium.

Atrium Templi, de Templo in Euangelio. 186.1.c

Aurora.

Aurora per alam terræ intellecta. 535.2.a
Auroræ prima initia, per palpebras auroræ significata. 410.2.a

Aurum.

Aurum clausum, id est, ligatum, quale. 400.1.c
Auri abundantia. 198.2.

Authoritas.

Authoritas & honor Iob belli & pacis tempore. 501.2.c
Authoritati antiquorum deferendum. 432.1.a

Auus.

Aui Israëlitarum seruierunt Diis aliis à vero Deo. 31.1.c

Auxilior.

Auxiliatur Deus secundùm mensuram suæ dispositionis. 56.1.a

Auaritia.

Auaritia Giezi. 237.2.b
Auaritia Principum. 520.1.b
Auaritiæ malum. 457.2.c

Audio, Auditus.

Audire in somno Deum, prophetiæ species. 47.1.c
Auditus & gustus deficiunt in senibus. 163.2.c
Auditus, disciplinæ sensus. 445.2.b

Aula.

Aula, de polo antarctico. 528.2.b

Azarias.

Azarias leprosus moritur. 254.1
succedit Ioatham. ibid.
Azarias & Amasias in principio regni boni, postea mali. 2542.b
Azarias quandiu regnauerit. 255.1.a

Azymus.

Azymorum dies. 348.2.b,c

B

Baalim, idolorum nomen. 39.1.c

Baasa.

Baasa, & Nadab quamdiu regnârint. 210.2.b
Baasa non conuertitur admonitione Iehu. ibid.c
Baasa mortuo succedit Ela. ibid.

Beatitudo.

Beatitudo hominis ex duplici capite. 419.2.a
Beatitudo hominis, quæ, qualis, quando. ibid.b
Beatitudo hominis in præsenti vita ponitur ab Ecclesia. 420.2.c

Bedam, pro Samsone. 95.1.a

Behemoth.

Behemoth nomen commune animalibus brutis. 546.1.b
Behemoth cibus. ibid.2.a
Behemoth fortitudo. ibid.c
Behemoth collegium. 547.1.c
Belial quid nominis. 77.1.a 518.2.b

Bellator.

Bellatores qui præcedebant Arcam, & qui sequebantur. 9.2.a

Bellua.

Bellua triplicem habens ordinem dentium. 551.2.c

Bellum.

Bellum in potestate Dei consistit. 108.1.a
Belli malum, & tribulatio. 49.2.c
Bella hostium Israël iniqua. 101.2.b

Ben-hadad.

Ben-hadad, an proprium. 210.2.b
Ben-hadad exercitus superatur ob blasphemiam Achab. 219.1

Benedico, Benedictio.

Benedicere, de gratiarum actione, & laude Dei. 403.1.c
Benedicere, pro maledicere. 405.1.a
Benedicere Dei, pro benefacere, & multiplicare. 556.2.c
Benedictio, pro gratiarum actione. 118.1.b 154.2.b
Benedictio imprecatiua. 196.1.c
sub Benedictione Dei omne bonum comprehensum. 144.2.b

Beneficium.

Beneficium vitæ per gratiam significatum. 4.1.c
Beneficium lugentium. 418.2.c
Beneficia Israelitis in Deo exhibita. 31.1.c & seqq.
Beneficia Dauidi collata à Deo. 142.2.b
Beniamin lemini nomine significatus. 89.1.c 115.2.b

Benignitas.

Benignitas. 507.2.b
Benignitas Dei notata. 92.1.b
Benignitas Dauidis. 118.2.c
Benignitas diuina erga electos suos commendatur. 149.1.a
Benignitas Dei in Ieroboam, & populum eius. 206.1.a
Benignitas diuina in pascendo Elia relucet. 212.2.b

Bestiæ.

Bestiarum terræ tribulatio. 420.1.b
Bethchoron, & *Bithoron*, quid. 132.2.c

Bethel.

Bethel oppidulum propinquum Haï. 13.2.b
Bethel expugnatur. 34.1
Bethel electa à Ieroboam, & in ea vitulus aureus positus. 230.2.b
בית Beth-el etymon. 68.1.c
Bethsames, luctus grandis, cur. 86.2.a

Bildad.

Bildad hortatur Iobem vt ad Deum meliorémque vitam se conuertat. 411.2.a
Bildad promittit Iobi omnia sibi fore feliciora. ibid.c

Blasphemia.

Blasphemiam Dei Scriptura horret nominare. 222.1.c

Blaſphemiam auditam execrantur Iudæi, quomodo. 262.2.b
Blaſphemiæ quatuor impiorum. 475.1.b
Bochim, ploratorum locus. 37.1.b

Bonum.

Bonum publicum priuato præponendum. 118.1.b
bonum & malum datur à Domino, non propter vllius meritum, ſed pro ſuo arbitrio. 445.1.b
Boni nomine lætum & pulchrum ſignificatur apud Hebræos. 89.2.a
Bona omnia à Deo ſunt. 325.1.a
Bona Aman traduntur Reginæ Eſther. 398.1
Bona & mala à Deo æquè ſuſcipienda. 408.1.b
Bonorum & malorum ſtatus deſcribitur. 433.2.a
Bonorum hominis duplex genus. 475.1.c
Booz accipit Ruch in vxorem. 74.1

Bos.

Boues aratorij per boum paria ſignificati. 402.2.a
Boues pedum nomine intellecti. 503.1.c
Boum paria, de bobus aratoriis. 402.2.a

Brachium.

Brachia contrita, de vniuerſa iuſtitia. 478.2.c

Breuitas.

Breuitas vitæ humanæ. 416.2.c
Breuitas vitæ humanæ declarata. 451.1.a
Bul menſis quis. 186.2.a

C

Cab, nomen menſuræ. 239.2.b
Cadiua comedenda, quæ. 265.1.c

Cæcus.

Cæcus & claudus non ingredientur domum, adag. 138.2.b

Calamitas.

Calamitas. & præda. 420.1.a
Calamitas Iob per ſagittas Saddai ſignificata. 421.2.b
Calamitas Iob demonſtrata. 424.2.b
Caleb poſtulat promiſſam ſibi hæreditatem. 20.2

Calefacio.

Calefacere ſe in dolore, pro augmento doloris. 423.1.a

Caligatio, Caligo.

Caligatio oculorum Heli qualis fuerit. 81.2.c
Caligo, pro nebula. 194.1.c

Callidus.

Callidorum malignorumque infelicitas. 419.1.a
Callidorum excæcatio deſcribitur. ibid.b

Calor.

Calor ſiccitatis nomine ſignatus. 486.2.a

Calumnia, Calumniator.

Calumnia Sibæ in Ionatham. 157.1.c
Calumniatores, de hominibus plenis fraudibus ad Deum clamantibus. 523.1.a

Canale.

Canale, pro tecto. 138.2.a

Cancellarius.

Cancellarius Scribæ nomine ſignificatus. 145.2.c

Canticum.

Canticum & gratiarum actio Debboræ & Barac poſt victoriam. 42.1
Canticum Samuelis pro oratione. 77.2.b
Canticum Dauid pro liberatione ab omnibus inimicis. 268.1
Canticum cantûs nomine ſignificatum. 181.1.c

Cantor.

Cantores Heman, Aſaph, Ethan. 283.1
Cantores ordinantur, ordinantur eorum vices, & ſortes. 307.2

Cantus.

Cantus, pro cantico. 181.1.c
Cantus aſtrorum quomodo verificetur in terræ creatione. 533.2.b
Cantus ſtellarum quid fuerit, quídque ſonus feſtiuus filiorum Elohim. ibid.c

Captiuitas.

Captiuitas Iudæorum in Babylone. 358.1.c
Captiuitas Regum per cingulum in renibus deſcripta. 446.2.b

Caput.

Caput Sebæ traditur Ioab. 164.1
Caput tertij quid. 170.1.c
Caput ſtellarum, de ſuprema ſtellarum ſuperficie. 479.1.b

Carcer.

Carcer foueæ nomine ſignificatus. 78.2.c
Cariathiarim quid. 86.2.c

Caro.

Caro & pellis cum veſtimentis collata. 440.1.a
Carnis mollities. 552.1.b

Caſtigatio.

Caſtigatio, pro ægritudine. 514.2.c

Catalogus.

Catalogus eorum qui muros ædificarant. 374.1

Cataracta.

Cataractæ, pro feneſtris. 240.1.c

Cauda.

Cauda cedro ſimilata. 547.1.a

Cautela.

Cautelæ in bello licitæ. 13.1.a

Celeritas.

Celeritas victoriam parit. 94.1.a
Celeritas vindictæ hyperbolicè. 486.2.b

Celſitudo.

Celſitudo, & fortitudo, materia iactantiæ. 78.1.b
Celſitudo maris quæ. 434.2.c
Celſitudo humanæ proſperitatis maxima deſcribitur. 470.2.b
Celſitudo, de natura Angelica. 545.1.a
Celſitudo Dæmonum. 547.1.c

Cenſus.

Cenſus Salomonis annuus. 198.2
Cenſus Salomonis aureus. 325.2

Cerua, Cernus.

Cerua. 539.2.b
Ceruus. 540.1.b
Chabul terra, de ciuitatibus Galilææ. 197.2.b
Chaleb accipit Hebron in hæreditatem ſibi promiſſam. 20.2.c

Chamelus.

Chameli pedum nomine ſignificati. 503.1.c

Chananæus.

Chananæus tributarius in medio Ephram. 23.1.2
Chananæi terrentur. 7.2.b
Chananæi tributarij filiis Iſraël. 23.1.34.1
Chananæi quare relicti inter Iſraëlitas. 38.2
Chananæi à propriis equis calcati. 44.2.c
Chananæorum timor relatiuè ad præſentiam populi Iſraël. 5.1.2
Chananæorum deletionis cauſa quæ. 19.1.b

Chebron.

Chebron expugnatur. 17.2.b

Chebron ciuitas Tribus Leuiticæ quoad habitandi vsum. 27.1.a
Chebron ciuitas cum ſuburbano fuit vſui Sacerdotum. ibid.b
Cheres mons. 36.2.b
Cherubini opere puerorum facti, cur. 319.1.b
Cheſil, ſideris genus. 537.2.b
Chima, ſtellarum nomen. ibid.
Chittĥim, regionis nomen. 36.1.c
Choreb, mons Elohim dictus, cur. 217.1.a

Chorus.

Chorus menſura quæ. 180.2.c
Chuſi quid. 161.1.c
Chuſi, ſeruus. ibid.2.b

Cibus.

Cibus & potus panis nomine intellectus. 377.2.c 507.2.b

Cinis.

Ciuis, pro puluere. 460.2.c

Circuitus.

Circuitus varij ſpatio ſeptem dierum extra ciuitatem Iericho deſcribuntur. 9.1.a,b,c
Circuitus dentium. 551.1.c

Circumciſio.

Circumcide ſecundò, quid. 7.2.c
Circumciſio ſecunda Ioſuæ. ibid.
Circumciſio fuit in Galgalis. 8.1.b,c
Circumciſionis ſecundæ cauſa quæ. 7.2.c
Circumciſorum triplex genus. 8.1.a

Ciuitas.

Ciuitas in ciuitate, quid. 330.2.b
Ciuitas patrum gubernantium per Eccleſiam, ſeu congregationem Elohim intellecta. 389.1.c
Ciuitates Ephraim quomodo in medio Menaſſis. 23.1.a
Ciuitates refugij ſex. 26.1.b
Ciuitates expugnatæ Iudà duce, & fratre ipſius Simone. 34.2.c
Ciuitates theſaurorum Salomonis quæ. 198.1.b
Ciuitates ædificat Salomon. 324.2

Clamor.

Clamor Dei, pro eius imperio. 490.2.b
Clamor pauperum. 520.1.b
Clamor ſuperborum. 521.1.b
Clamor oppreſſorum abſque agnitione celſitudinis diuinæ, & beneficiorum Dei. ibid.

Clauſus.

Clauſus, pro ſiniſtro. 40.1.b
Clauſus manum dexteram, quid. 68.1.c

Clementia.

Clementia quàm vindicta melior. 121.2.b

Clericus.

Clerici Germaniæ adhuc Ephod vtuntur. 51.1.b

Cœuum.

Cœuum ſempiterni nomine ſignificatum. 197.1.b

Cœlum.

Cœlum, pro aëre. 405.2.b 490.2.b
Cœlum per ſolium Dei ſignificatum. 496.1.c
Cœli officium. 552.2.a
Cœlorum incertus numerus. 538.2.a

Cognitio.

Cognitio, pro actu venereo. 67.1.b
Cole Deum, & expecta malum, adag. 407.2.c

Collegium.

Collegium Behemoth, id eſt, Dæmonum. 547.1.c
Collegij Dæmonum fructus in genere humano. ibid.2.b
fructus in delitiis. ibid.c
fructus in communi curſu hominum. 548.1.b

Collis.

Colles, pro mundo. 455.1.c

Colliſio.

Colliſiones vndarum maris per fracturas maris ſignificatæ. 44.2.a

Colloquium.

Colloquij eleuatio. 428.1.b

Columna.

Columnæ hîc enumeratæ, de quo ædificio intelligendæ. 187.1.b
Columnæ terræ, de partibus terræ inferioribus. 434.2.b
Columnæ cœli, de montibus excelſis. 490.2.b

Combuſtio.

Combuſtio Ieruſalem prima. 35.1.b
Combuſtiones cadauerum Regum apud Iudæos ignotæ. 337.2.c

Comparatio.

Comparatio ſerenitatis, & pluuiæ cum domo ſua, ad quid à Dauide aſſumpta. 169.2.b

Conceptio.

Conceptio coagulationi lactis in caſeum aſſimilata. 439.2.c

Concubina.

Concubina per vxorem quoad thorum intellecta. 66.1.c
Concubinæ, veræ vxores apud Hebræos. 55.2.b
Concubinæ Dauidis incluſæ. 164.1

Conditio.

Conditio humana quadruplex. 435.1.c
Conditiones Dei declarantur. 434.1.c
Conditiones humanæ miſeræ tres deſcribuntur. 451.1.a
Conditiones equi boni. 542.1.a
Conditiones aquilæ. 543.1.a

Confeſſio.

Confeſſio Rahab. 4.1.b

Congregatio.

Congregatio Samuelis cui dicatur, *ad Dominum.* 92.2.a
Congregatio ſecunda virginum. 394.1.c
Congregatio aquarum, pro mari. 490.2.c
Congregatio aquarum maris nomine ſignificata. 527.1.c
Congregatio aquarum in locum vnum, per exitum de vulua intellecta. 534.1.c

Coniugium.

Coniugium inter patruum & neptem in lege Moyſi permittitur. 22.1.a
Coniugium cum ethnicis non prohibitum vniuerſaliter in lege Moyſi. 133.2.b
Coniugia Iudæorum cum alienigenis dirimi, mandat Eſdras. 370.2.b
Coniugia cum alienigenis reprehenduntur. 390.2.c

Coniunctio.

Coniunctio dentium. 551.2.b

Coniuratio.

Coniuratio Iehu contra Ioram. 244.1.b

Conſanguineus.

Conſanguinei Iob torrentibus comparati. 423.2.b

Conſecratio.

Conſecratio Sacerdotis per manus adimpletionem ſignificata. 207.1.c

Consequutum.

Consequutum perseuerans per venenum significatum. 421.2.b

Consiliarius, Consilium.

Consiliariorũ similatio cũ ductis in prædã. 446.2.b
Consilium ad mendacium officiosum, peccatum est. 157.1.b
Consilium Achitophel dissipatur. 158.1
Consilium prauorum dissipatum. 419.1.b
Consilium & festinatio sibi inuicem contrariantur. ibid.
Consilium impij. 464.2.c
Consilij humani vanitas. 205.1.c

Consolatio.

Consolatio Iob in amissione bonorum temporalium. 406.1.c
Consolatio lecti. 428.1.b

Conspectus.

Conspectus mutui negantur esse futuri. 427.1.c

Conspiratio.

Conspiratio Zimri contra Elam. 211.1.b

Consultatio.

Consultationes & interrogationes diuinæ quomodo fiant ignotæ. 166.1.b

Consumo.

Consumere oculos viduæ, pro illi non succurrere. 507.2.b

Conuentus.

Conuentus populi Israël, & vacationes. 31.1.b
Conuentus quomodo se statuerit in conspectu Domini. ibid.

Conuiuium.

Conuiuium Assueri. 191.2.c
Conuiuij portio Sauli adhuc ignoto seruata est. 90.1.b
Conuiuia filiorum Iob. 402.2.b

Copia.

Copiæ auxiliares per riuos fortitudinis intellecti. 264.1.b

Cor.

Cor Leuitarum rectius, quàm cor Sacerdotum. 347.1.b
Cordis dilatatio ex Musica describitur. 105.2.c
Cordis mors. 121.2.b
Cordis hypocritæ qui. 525.1.b
Corde soli Deo seruiendum. 86.2.
Corda solus Deus nouit. 322.1
Coram Domino, quid. 117.2.a
Corallium lapidis species. 199.2.a

Cordiale.

Cordiale, à corde, sorbitiuncula apud Hebræos. 151.2.b.

Cornu.

Cornu notio. 542.b

Corona.

Corona hic quid. 191.1.c 280.1
Coronandi mos apud Hebræos. 248.1.c

Corpus.

Corpus & spiritus differunt. 427.1.a
Corporis fundamentum, pulueris nomine significatum. 416.2.a
Corpora, vel organa generationis, vasis nomine intellecta. 184.1.c
Corpora an contra legem manserint in cruce, vsque quò plueret vltra diem vnum. 167.1.a.
Corpora humana corporibus luteis similata. 448.1.a

Coruus.

Coruis vagabundis Deus escam parat. 539.1.b

Costa.

Costæ in ædificiis quid. 186.2.c

Cotta.

Cotta amiculi genus, quo Clerici vtuntur in templo Dei. 79.2.c
Cotyledon quid, & vnde. 546.2.c

Coxa.

Coxæ domûs pars quæ. 184.2.c

Creatura.

Creaturarum rationalium & irrationalium differentia. 546.1.b

Crimen.

Crimen Salomonis vnde detestabilius. 201.2.b
in Crimine læsæ maiestatis non occidebantur filij innocentes apud Hebr. 253.1.b

Crinis.

Crines septem Samsonis quid. 62.2.b

Crudelitas.

Crudelitas Saulis. 116.1.c
Crudelitas Athaliæ. 338.2.c

Culpa.

Culpæ malum infame. 457.1.c

Cultus.

Cultus externus non placet Deo absque interno. 313.2.b

Cura.

Cura Dei erga Iob. 450.2.b
Cura Dei erga hominem, eiúsque pœnam. 451.2.c

Curro, Currus.

Currere in collo, parabolicè pro superbire. 459.2.b
Currus. 198.2
Currus igneus, cum equis igneis, quo vectus est Elias, qualis, & quàm bene illi congruat. 229.1.c

Cursor.

Cursores veloces in pretio habiti apud Hebræos. 116.1.b
Cursores, pro peditibus militaribus. 247.1.c

Custodia, Custos.

Custodia Dauid quomodo significata. 156.1.c
Custodia maris & cetî, diuinæ prouidentiæ est. 428.1.a
Custodia diuina Iob in puerilitia. 499.1.b
in adolescentia. ibid.c
in ætate virili. ibid.2.b
Custodies custodiam, quid. 176.2.b
Custodes Saulis quomodo soporati à Deo dicantur à Dauide digni morte. 122.1.b
Custodes regij, eorumque officium. 145.2.c
Custodes vatis, qui. 271.2.c

Cyrus.

Cyrus remittit populum in Ierusalem. 357.1
Cyrus à Deo inspiratus redditis vasis templi, remittit populum ad reædificandum Ierusalem. 259.1.c

D

Dæmon.

Dæmon obseruat singula quæ fiunt ab homine. 407.1.a
Dæmon cùm habuerit potestatem in omnia quæ erant Iob, habuit etiam in eius corpus. ibid.2.b
Dæmon flagelli nomine significatus. 436.2.c
Dæmon indicatur nomine impij. ibid.
Dæmon vire & potenz. insultatus. 460.1.b

assimilatus statuenti hominem in scopum sagittariorum. ibid.
Dæmon Leuiathan nomine intellectus. 549.1.a
Dæmonis egressio quæ. 405.1.c
Dæmonis officium descriptum. 547.1.a
Dæmones impotentes ad nocendum sine permissione diuina. 224.2.c
Dæmones, iudices terræ. 437.1.a
Dæmones, impij. ibid.
Dæmones gigantum nomine significati. 489.1.c
Dæmones carent dono sapientiæ. 497.2.b
Dæmones qua ratione agant cum hominibus vti homines. 549.1.b
Dæmones an, & quales sint. ibid.2.c
Dæmonum naturalis potestas circa homines ligara. 405.1.b
Dæmonum opera fœni nomine intellecta. 546.2.b
Dæmonum celsitudo. 547.1.c
Dæmonum creator Deus. ibid.2.b
Dæmonum collegium. ibid.b,c 548.1.b
Dagon apud Hebræos quid, & cuius figuræ. 84.2.b
Dalida meretrix indicat Philisthæis in quo sit Samsonis fortitudo. 62.1
Dalila an fuerit Hebræa, an Peliſtina. ibid.b
Dalila corrupta à quinque satrapis Peliſtinorũ. ibi.
Dalila quid intulerit ligando Samsonem. ibid.c

Damnum.

Damni pœna. 475.2.a
non omnibus æqua. ibid.b
Darius ipse iubet templum extrui. 365.1.c

Dauid.

Dauid in Regem vngitur à Samuele timido. 104.1
Dauid pulcher oculis. 105.1.a
Dauid puer commendatur. ibid.2.b
Dauid spiritu Dei agebatur cõtra Goliath. 107.2.b
Dauid in angustiis conqueritur cum Ionatha. 111.2
Dauid officiosum mendacium docuit Ionathan. 112.1.b
Dauid fugit ab Abimelech. 114.1
comedit sanctos panes necessitate coactus. ibid.
coram Rege Achis insaniam simulat. ibid.
Dauid vocatur Rex terræ, cur. ibid.2.c
Dauid fugit ad Regem Moab. 115.1
Dauid comitatus viris sanctis. ibid.2.a
Dauid quomodo sciuerit quòd à Doeg denunciaretur. 116.2.a
Dauid liberat Ceilam à Philisthæis. ibid.
moratur cum Ziphæis, à quibus proditur. ibid.
percutit fœdus cum Ionatha. ibid.
Dauid Deum per Sacerdotem eo præsente consulit. 117.1.b
Dauid in spelunca latitans præscindit oram chlamidis Saulis, vindictam Deo reseruans. 118.1
Dauid accipit Abigail in vxorem. 119.2
Dauid laudabiliter mutat sententiam. 121.2.b
Dauid dormienti Sauli aufert hastam & scyphum. ibid.1
Dauid quomodo miserit ad explorandum, & vidit. ibid.b
Dauid semper corde & ore coluit Deum. ibid.2.a
Dauid se perdici comparat. 123.1.a
Dauid angustiatus fugit ad Achis. ibid.
occidit Philisthæos. ibid.
Dauid quomodo dubitauerit se occidendum à Saule. ibid.b
quamdiu habitauerit in terra Philistinorum. 124.1.a
Dauid mentitur. ibid.2.c
quomodo excusetur à mendacio pernicioso.
Dauid custos Regis Achis. ibid.
Dauid contra Saulem pugnaturus remittitur à Philisthæis, laudatúrque ab Achis. 126.1
Dauid qua authoritate iusserit occidi interfectorem Saulis. 130.1.a
Dauid cur imprecetur malum montibus. ibid.c
Dauid in Hebron vngitur in Regem. 132.1
Dauid duo officia exhibet iis, qui sepelierant Saulem. ibid.c
Dauid repetit vxorem suam Michol. 133.1
Dauid habuit longum bellum cum domo Saulis, & non cum Isboseth, & quandiu. ibid.b
Dauid solicitabat omnium Tribuum amicos sibi, vt ipse eligeretur in Regem. ibid.2.a
Dauid cur elegerit vxorem ex gente ethnica. ibid.b
Dauid non profert imprecationem, sed meritas pœnas Ioab. 135.1.c
Dauid iubet interfectores lugere interfectum. ibid.2.a
Dauid non quæsiuit turpiter regnum super Israël. 137.2.a
Dauid vngitur super Israël. ibid.
capit arcem Sion. ibid.
percutit Philisthæos. ibid.
Dauid quomodo expugnauerit arcem Sion. 138.2.a
Dauid multas concubinas accepit, & vxores, cur. 139.1.a
Dauid reducens arcam ludit instrumentis. ibid.2
Dauid saltans despicitur à Michol. ibid.
Dauid vestitus habitu simili amictui Leuitarum saltat ante Arcam. 141.1.a
Dauid prohibetur ædificare domũ Domino. 142.1.a
optat promissiones Dei impleri. ibid.
Dauid facit Philistæos sibi tributarios. 144.2
Dauid restituit Miphiboseth filio Ionathæ omnes agros Saulis. 146.1
Dauid assimilat filios Ionathæ propriis filiis, vt seruaret fœdus inter eos. ibid.c
Dauid multorum homicidiorum reus, occidit Vriam. 148.2.a
Dauid sub parabola à Nathan proposita seipsum condemnat. 149.1
Dauid reuocationem sententiæ spectat. 150.1.b
Dauid an peccauerit non puniendo incestum Ammonis cum Thamar. 152.1.b
Dauid an ignoscens Absalon fecerit contra legem diuinam. 155.1.a
Dauid adorans Deum aspicit Sion, in qua erat Arca Dei. 157.1.b
Dauid dat Sibæ mendaci bona Miphiboseth. ibid.
Dauid afflictionem suam, licèt iustam, sperabat sibi imputari ad meritum. ibid.2.c
Dauid fugit, quem persequitur Absalon. 158.2
Dauid reducitur in Ierusalem. 162.1
Dauid iniustitiæ, & ingratitudinis arguitur, vnde pœnam subit. 263.2.b
Dauid præstat iuramentum Ionathæ. 166.1
Dauid quomodo iuramentum seruauerit. ibid.2.b
Dauid tradendo occidi filios Saul, an fecerit contra legem Deut. 24. ibid.c
Dauid à quatuor describitur. 169.2.c
Dauid quo animo cupierit aquam putei Bethlehem. 171.1.b
Dauid dupliciter peccauit numerando populum. 171.2.b
Dauid moritur. 176.2
Dauid cur non puniuerit Ioab tempore regni sui. 177.1.a
Dauid gratus in vno, ingratus verò in altero. ibid.b
Dauid non violauit iusiurandum mandando Salomoni,

moni, vt occideret Semei. ibid.
Dauid peccauit vanitate, & ignorantia numerando populum. 209.1.b
Dauid vngitur in Regem. 289.2
eius fortium Catalogus. ibid.
Dauid saltans irridetur a Michol. 295.2
Dauid inducitur pallio, & Ephod ante Arcam. 296.2
Dauid arcâ allatâ ministros constituit. ibid.
Dauid prohibetur ædificare domum Deo. 298.1
laudat Dauid Deum. ibid.
Dauid populum numerando Deum offendus peste interemit 70. millia hominum. 301.2
cessat pestis oblato holocausto. ibid.
Dauid præparatis necessariis iubet Salomoni vt domum Dei ædificet. 303.1
Dauid senex Regem constituit Salomonem. 305.1
Leuitis officia assignat. ibid.
assignat officia filiis Aaron. 306.2
Dauid hortatur populum & Salomonem ad ædificandum templum. 311.2
templi descriptio, & omnia necessaria. ibid.
Dauid dedit Salomoni pictas similitudines templi. 313.1.b
Dauid eiusque Principes quæ obtulerint in ædificatione templi. 314.1
Dauid an omnium Psalmorum auctor. 346.2.c
Dauidis pater vir augustus describitur. 106.1.c
Dauidis mendacium officiosum. 114.1.b
Dauidis dexteritas & agilitas admiranda. 118.1.c
Dauidis benignitas. ibid.2.c
Dauidis iuramentum factum Sauli. 119.2.c
Dauidis verba ad Sacerdotem, *Applica mihi ephod*, quomodo intelligenda. 127.1.c
Dauidis fletus & ieiunium ob mortem Saulis inimici, & Ionathæ amici. 129.1
occidi iubet qui se occidisse Saulem narrabat. ibid.
Dauidis mirabilis amor erga Ionatham. 131.1.a
Dauidis vxor appellatur vitula, sicut & Samsonis. 133.2.c
Dauidis adulterium cum Bethsabee. 147.2
Dauidis puer moritur. 149.1
Dauidis oratio contra Achitophel. 153.1
Dauidis iudicium de filio viduæ an iustum fuerit. ibid.2.a
Dauidis oratio contra Achitophel. 155.1
Dauidis custodia quomodo significata. 156.1.c
Dauidis temeraria sententia. 157.2.a
Dauidis concubinæ inclusæ. 164.1
Dauidis nouissima verba, per quem locutus est Spiritus sanctus. 168.2.
Dauidis filij. 180.1
Dauidis bina victoria contra Philistæos. 294.2
Dauidis gratiarum actio. 314.1
Dauidi an licuerit admittere debitores in præiudicium creditorum. 115.1.b
Dauidi poscenti victum pro suis Nabal impius denegat. 119.2
Dauidi quomodo licuerit iurare se occisurum innocentes propter Nabal. 120.2.a
Dauidi an licuerit præliari aduersùs degentes in propriis locis à fœculis. 123.2.c
Dauidi mortuo succedit Salomon. 314.1
Dauidem liberat Ionathas. 118.2
Dauidem iustitiam diuinam incitare, tripliciter verificatur. 172.1.b
Dauidem non peccasse nisi in Vria, an Scriptura verè dicat. 209.1.b
ad Dauidem qui transierint cùm adhuc fugeret Saulem, & numerus eorum. 291.2
Debi, pro qua. 497.1.c

Debbora.

Debbora Prophetissa, iudex Israël. 41.1.c
Debbora & Barac aduersùs Sisaram dimicantur. ibid.2.a
Debbora cur omnes Tribus laudet. 44.1.2
Debbora fortitudinem suam semper locat in Domino. ibid.2.c
Debbora seipsam Angelum Dei vocat, & cur. 45.1.a
Debboræ electionis tempus describitur. 43.1.2,b
Debir capitur à Iehoua. 17.2.c

Deceptio, Decipio.

Deceptio exactè cognita, & ordinata à Deo. 224.2.b
Decipere à Deo alienum. ibid.

Declinatio.

Declinatio ad medium portæ, quid. 135.1.b

Decretum.

Decretum iudicij nomine significatum. 59.1.a

Dedicatio.

Dedicatio templi facta ab vnoquoque proportionaliter. 323.2.c

Defectus, Deficientia.

Defectus de pœnis futuræ vitæ. 485.2.b
Deficientiæ, quid. 183.1.c

Delitiæ.

Delitiæ vmbrarum nomine intellectæ. 548.1.2

Demeritum.

Demerita aliquando miraculorum effectum impediunt. 233.1.a

Dens.

Dentes *rari*, pro distantes. 551.2.b
Dentium duplex officium. ibid.1.b
Dentium circuitus. ibid.c
Dentium coniunctio. ibid.2.b

Derelictio.

Derelictio Ezechiæ à Deo, quæ. 352.1.c

Desertio.

Desertio ciuitatum ab Israëlitis, & habitatio earundem à Philisthæis, an vno die contigerint. 128.2.b

Despero.

Desperantes mortem habent pro nihilo. 132.2.a

Destruo.

Destructus meus, Rex Syriæ appellatur à Deo, cur. 221.2.b
Deuir, locus quis. 319.1.b

Deus.

Deus quomodo allocutus sit Iosuam. 1.1.c
Deus reuelat Iosuæ tempus & modum transeundi Iordanem. ibid.2.c
Deus assistentiam suam pollicetur Iosuæ. 2.1.b
Deus mandat duci exercitus, vt libro legis sit assiduus. ibid.c
Deus miraculis ostendit se esse cum Iosue, 5.1
Deus El viuus, cur. 6.1.a
Deus clarè se reuelat Iosuæ. 7.1.b
Deus dederit ne Israëlitis omnem terram, quam promiserat patribus eorum. 27.2.b
Deus tribus nominibus inuocatus. 29.1.b
Deus quatuor prohibet Israëlitis. 30.1.c
Deus quomodo reuelet Prophetis. 34.2.b
Deus auxiliatur secundùm mensuram suæ dispositionis. 36.1.a

Deus in duobus beneficiis laudatur à Debbora & Barac. 42.1.b
Deus humano modo describitur. 55.1.c
Deus laudatur à sanctitate, à Deitate, & à fortitudine. 78.1.a
Deus sæpe mutat sententiam, non autem consilium. 80.2.b
Deus propensior est ad bonum nostrum, quam ad malum pœnæ. ibid.c
Deus prædicit Samueli punitionem Heli. 81.2
Deus interna apparitione Samueli apparuit. 82.2.a
Deus domui Heli iurat. ibid.b
Deus sedens Cherubinorum, cur. 83.2.a
Deus semper vtitur malis ad bonum. 84.2.b
Deus non fuisse se victum demonstrat. ibid.
Deus fulminibus pugnat pro Israëlitis. 88.1.a
Deus consolatur Samuelem. ibid.2.c
Deus attonitos facit Philisthæos. 99.2.c
Deus recordari dicitur secundùm similitudinem effectus. 102.1.a
Deus fortitudo Israël appellatur, cur. 103.2.b
Deus assistit benignitati Dauidis. 122.2.b
Deus cur non responderit Sauli interroganti eum, & tamen respondit interroganti per Magos. 125.1.c
Deus quomodo inimicus Saulis. ibid.2.c
Deus eximit Dauidem a duobus malis. 126.2.a
Deus secundùm quod in se est, ignotus nobis. 140.1.a
Deus sedens Cherubinorũ super Arcam, cur. ibid.
Deus vbique est, nomen verò eius solùm, vbi nominatur. 141.2.b
Deus hìc sæpiùs vocatur, *Domine mi Deus*; Hebraicè verò *Adonai Iehouih*, cur. 143.1.c
Deus an demonstretur per Pronomen *vos*. 144.1.b
Deus dedit Israëlitis omnem regionem vsque ad Euphratem. 145.1.c
Deus nouem mensibus permittit Dauidem in peccato suo. 150.1.b
Deus quandoque condonat peccatum, non remittens pœnam. ibid.
Deus quidem castigat, sed non est facilis ad perimendum. 154.1.b
Deus author pœnæ, non peccati. 157.2.b
Deus frangit consilium bonum ad puniendum. 159.2.a
Deus per Spiritũ sanctũ loquitur in Dauide. 169.1.a
Deus describitur à quatuor officiis. ibid.b
Deus secundùm merita populi mentem Principis disponit. 172.1.c
Deus non continetur in templo. 195.1.b
Deus hæreditario iure dedit terram Israëlitis. ibid. 2.b
Deus secundò apparet Salomoni. 197.1
Deus quomodo allocutus fuerit Salomonẽ. 201.2.c
Deus non prius vlciscitur peccatum, quàm commissum sit. 202.1.c
Deus mali pœnæ author. ibid.2.a
Deus reuelat aliquando rem futuram, non reuelando rationem eius. 203.2.b
Deus ad instar circumuenientis se gessit cum Roboham, & quomodo. 204.2.a
Deus exercuit iudicia sua in Reges Israël. 211.1.c
Deus prouidet necessitati Eliæ, & viduæ. 213.1.b
Deus erudit cum mansuetudine, & patiẽtia. 217.2.c
Deus irascitur ob seruatum Benadad. 219.1
Deus largitur beneficia sua propter sacrificium matutinum. 232.1.a
Deus Prophetis suis magnam authoritatem tribuit. 236.1.b
Deus sine hominum manu liberat Israëlitas à bello, & fama. 240.1
Deus tempore Iehu incepit exequi comminatam punitionem populo Israël. 247.2.b
Deus benignus, etiam in peccatores. 251.2.a
Deus pedetentim procedit puniendo. 256.2.b
Deus timendus, & adorandus. 298.1
Deus quam patiens & longanimis. 259.2.b
Deus notitia practica gubernat singula. 264.2.c
Deus quanti pendat merita Sanctorum, etiam defunctorum. 265.2.b
Deus super Cherubinos equitans repræsentatur. 313.2.b
Deus qua scriptura, & qua vita instruxerit Dauidem de agendis in templo. ibid.c
Deus bonus, & misericors. 321.1
Deus terræ promissionis proprietatem sibi reseruat; Israëlitis verò vsum dedit. 325.1.b
Deus specialiter assistit iudiciis, quæ per vicarios suos exercentur. 334.2.b
Deus pugnat pro Iudæis. 336.2.b
Deus cultos pacti & gratiæ. 384.1.c
Deus quomodo dicatur incitatus. 407.1.b
Deus bona bonis, & mala malis tribuit. 431.2.c
Deus non permittens iudicium. 443.2.c
Deus fortis robore. 434.1.c
Deus faciens res magnas. 435.1.b
Deus & impium & innocentem percutit. 436.2.b
Deus vitæ & mortis auctor. 439.2.c
Deus etiam perfectos affligit, & cur. 440.2.b,c
Deus dat bonum & malum, non propter vllius meritum, sed pro suo arbitrio. 445.1.b
Deus quomodo opera sua efficiat. ibid.1.c
Deus videt omnia extrema terræ, & omnia quæ sub cœlis sunt, excluso errore eorum, qui dicunt Deum videre tantùm sempiterna. 497.2.b
Deus moderatur aquas pluuiales, dirigendò eas cum mensura. ibid.c
Deus solus animi veracis testis. 506.2.b
Deus loquitur immutatus. 514.1.a
quomodo homini loquatur vt erudiat illum. ibid.c
eruditionum eiusmodi fines, seu fructus quatuor. ibid.2.a
Deus quomodo loquatur vt increpet. ibid.b
Deus videns opera & studium hominum. 519.1.b
Deus Doctoris nomine intellectus. 526.1.c
Deus quare inueniri non possit in hac vita, nisi fruitatim. 531.1.b
Deus *Iehouah*, cur. ibid.2.c
Deus cur petat ab homine vt annuntiet quod sciri nequit. 536.1.b
Deus Iobi ostendit sua opera mirabilia in ibicibus. 539.1.c
ostendit in ceruis. ibid.2.b
in onagro. 540.1.b
in rhinocerote. ibid.c
in struthione. ibid.2.c
in equo. 541.2.c
in accipitre. 543.1.a
in aquila. ibid.
Deus Iobi ostendit suam potentiam in Behemoth Leuiathan. 545.1.a
Deus creator Dæmonum. 547.1.b
Dei furor contra Israël. 37.2.c
Dei dicta non omnia scripta in libris Moysis, quæ tamen nouerunt, & scripserunt Authores Scripturæ. 38.1.b
Dei iudicia in specie occulta, non in genere. 68.2.b
Dei apparitio coram Samuele. 82.2.a

Index Rerum,

Dei iudicia proficiscuntur à summa mũditia. 86.1.b
Dei benignitas notata. 92.1.b
Dei responsio ad interrogationem Dauidis quomodo intelligenda sit. 111.1.b
Dei nomen est in templo. 195.2.b
Dei benignitas in Ieroboam,& populum. 206.1.a
Dei misericordia. 298.1
Dei conditiones declarantur. 434.1.c
Dei erga Iobem cura. 450.2.b
Dei erga hominem eiúsque pœnam cura. 451.1.c
eius iudicium,& punitio. ibid.
Dei multiplex ira. ibid.2.b
Dei incomprehensibilis potentia ex ipsius operibus demonstrata. 489.2.b
Dei clamor,pro eius imperio. 490.2.b
Dei imperium per eius clamorẽ significatus. ibid.
Dei apparitiones. 514.1.b
Dei locutionis ad homines modi tres. ibid.c
Dei dominium simplex,& absolutum. 518.2.a
Dei opus hic quod. 526.2.b
Dei vmbraculum,de nubium extensione. 527.1.c
Dei excellentia. 541.1.b
Dei imago Angelis & hominibus communis est. 546.1.c
Dei benedictio, pro beneficio; & multiplicatione. 556.2.c
Deo aduertantes frangi super eum. 79.1.c
Deo non placet cultus externus, absque interno. 313.1.b
Deo non res externæ, sed corda offerentium placent. 315.1.b
Deum facere mala quoad culpam, & quoad pœnam,quomodo intelligendum. 264.2.a
Deum non dare bona hominibus ob propriũm bonum. 477.2.c
nec propter malum aliquod vitandum in seipso, inferre mala hominibus. 478.1.b
Deum æquè se habere erga pauperes, & erga potentes. 525.2.a
Deum in præsenti vita videri non posse nisi fruſtatim. 530.2.b
a Deo omnia bona. 315.1.b

Dextra.

Dextra, de meridie. 482.2.a

Destructio.

Destructio anathematis nomine significata. 10.1.b

Deuteronomion.

Deuteronomium super lapides scribitur. 14.1.c

Diabolus.

Diaboli ostium, decipere. 225.1.b
Diaboli deseripuo. 491.1.a
Diaboli regnum superbiæ regnum, & superborum. 554.2.a

Diacones.

Diacones,de moribus domesticis. 505.2.b

Dico.

Dicere Dei,pro facere. 404.1.a
Dicit, seu loquntur Deus creatutis rationabilibus tripliciter. ibid.b
Dicta Dei nouem in scripta à Moyse. 38.1.b
Dicta Sancti, id est,dicta Dei. 423.1.b
Dictorum rectorum vis. 425.1.a

Dies.

Dies in Ierusalem nunquam excedit 15.horas. 267.2.a
Dies azymorum. 348.2.b,c
Dies hominis sicut dies mercenarij dum operatur. 426.1.b
Dies Iobis nauiculæ textoris assimilatæ. ibid.1.c
Dies obscuritatis,id est,insidiarum. 457.1.c
Dies furoris impij, pro furore quem patitur impius. 473.2.b
Dies antiquitatis qui. 264.1.b
Dies nostri cum vmbra comparati. 432.1.b
Dies mortis homini incertus. 535.2.b
Diei maledicitur,cur. 410.1.c ibid.2.b
Diei & noctis distinctio. 434.2.b

Dignus.

Dignus mortis, de filio mortis. 113.2.b

Dilatatio.

Dilatatio cordis ex Musica describitur. 105.2.c

Diminutio.

Diminutio vitæ, vt non perueniatur ad senectutem,pœna fuit domus Heli.

Dispositio.

Dispositio localis populi sub Iosua. 14.1.a
Dispositio diuina circa res humanas irreprehensibilis. 79.1.b

Disputatio.

Disputatio cum Deo per lites significata. 447.2.b

Dissimulo.

Dissimulare non est peccatum. 104.1.c

Diues.

Diues describitur. 486.2.c
Diuitis perfidia. 487.1.b

Diuina.

Diuinæ potentiæ ac sapientiæ magnitudo ostenditur. 433.1.c
Diuinorum operum notitiam habendi modus quis. 445.2.b

Diuisio.

Diuisio prædæ inter quos fieri iussa à Iosua. 28.1.c

Do.

Da perfectum,quid. 101.1.b
Dare plus est, quàm delegare. 202.1.c
Dothan, ciuitas. 234.2.b

Doctor.

Doctor generis humani per primum hominem significatus. 455.1.c
Doctor,de Deo. 526.1.c

Doctrina.

Doctrina quam profitebantur sapientes, & socij Iob,per tupes significata. 464.2.a
Doctrina,lucis nomine significata. ibid.b
Doctrina de punitione iniquorum tantùm in hac vita,vnitatis nomine significata. 492.2.c

Doeg.

Doëg prodit Danidem. 115.1
Doeg pastor cutialium. ibid.2.c

Doleo, Dolor.

Dolendo parere,id est,dolere in partu. 491.1.a
Dolores,de pœnis sensus 475.2.a

Dominium, Dominor.

Dominium Dei simplex,& absolutum. 518.2.a
Dominari iustitiã, & dominari timore, differunt. 169.1.c

Dominus.

Dominus animat Iosue ad inuadendum terram promissam. 1.2.
Dominus, pro Iehouah. 2.1.a
Dominus vniuersæ terræ qui veneratur in Arca fœderis. 6.1.b
Dominus & seruus naturã pares. 507.2.a
Domini pax,Altare Gedeonis dictum. 47.1.c

Domus.

Domus, pro familia. 119.2.a
Domus Dauid per Messiam salus totius humani generis effecta. 170.1.a
Domus Salomonis in saltu. 186.2
Domus filiæ Pharaonis. ibid.
Domus profana Salomonis describitur. 188.1.a
Domus pro successione. 203.2.a
Domus Ieroboam prædicitur firma, non perpetua. ibid.
Domus magna, & domus Sancti Sanctorum quæ. 318.2.b
Domus Baal destruitur. 339.1
Domus aranearum, pro tela quam habet aranea. 432. 2. b
Domus lapidum hîc quid. 433.1.b
Domus & lectus Iob, de sepulchro, & obscuritate in illo. 463.2.c
Domus parata omni viuenti, de terra tanquam communi matre. 505.1.a
Domûs Ieroboam destructio. 209.1
Domûs Iob inquilini, eius famuli. 467.2.c

Donum.

Donum Spiritûs diuini prosperitati assimilatum. 93.2.b
Donum prophetiæ datur malo Prophetæ. 206. 2. a
Donum prophetiæ non semper aderat Prophetis. 234.1.c

Duellum.

Duellum à militibus tanquam ludus habitum. 131.2.c
Duellum illicitum. 132.1.a

Duo.

Duobus indignius seruitur, quàm vni. 53.1.b

Duratio, Durus.

Duratio regni Dauidis in facie eius, quid. 143.1.b
Durus diei, homo cui durus est dies. 505.1.c
Duri pra me, quid. 136.1.b

Dux.

Dux incredulus conculcatus à turba. 240.1
Duci exercitus mandatur vt libro legis sit assiduus. 2.1.c

E

Eb flumen rapidissimum. 437.1.c
Ecce, id est, nouiter. 435.1.c

Ecclesia.

Ecclesia, seu congregatio Elohim, de ciuitate patrum gubernantium. 389.1.c
Edom Rex officio, non titulo. 231.1.c

Effectus.

Effectus redemptionis descriptus. 469.1.a
Effectus diuini Spiritûs. 91.2.b

Effœminatus.

Effœminati qui. 209.2.b 226.1.b

Egens.

Egentium auxiliatore triplex genus, quibus Iob opem tulit. 414.1.a

Egredior.

Egredi ad ordinationem quid. 40.2.b
Egredi, & ingredi, quid. 109.2.b

El.

El nomen Dei, quatenus fortis. 384.1.b
El, de Deo forti. 418.1.b
El, & Saddai, pro Deo. 431.2.b
El, h. è. Deus fortis. 434.1.a

Ela.

Ela, arbor. 106.2.c
Ela succedit Baasæ. 210.2
Ela ebrius interficitur. 211.1.b
Eleazari Sacerdotis mors. 33.2.c

Elephas.

Elephas. 540.2.b

Eleuatio, Eleuo.

Eleuare, pro ignoscere apud Hebræos. 121.1.a
Eleuare, aut deprimere faciem, quid. 556.1.c
Eleuatio colloquij. 418.1.b
Eleuatio faciei, id est, personæ acceptio. 448.1.b
Eliacim ducitur in Babylonem. 357.1
Elcana quis. 75.2.b

Elias.

Elias pascitur à coruis. 212.1
fugit ad Sarephthanam mulierem. ibid.
oratione eius suscitatur filius hospitæ suæ. ibid.
Elias alloquitur Achab, cur. 212.1.b
Elias ex prompto officio viduæ cognouit, eam esse, ad quam à Deo mittebatur. ibid.2.c
Elias tribus vicibus orat idem ad resuscitandum puerum viduæ. 213.2.a
Elias missus à Deo arguit Achab. ibid.
Elias quamdiu se absconderit ab Achab, tempore siccitatis. ibid.c
Elias ostendit impotentiam Baal, & confusionem Prophetarum eius. 215.1.b
prostrat se in terram, & deinde orat facie intra genua sua, cur. 216.1.b
Elias fugiens Iezabelem pascitur ab Angelo. ibid. 2
Elias quomodo volebat mori, & fugiebat mortem. ibid.b
Elias vigilans simili modo interrogatur, ac dormiens, cur. 218.1.b
Elias vir pilosus, cur. 227.2.b
Elias defenditur à iustitia Dei, & puniuntur volentes ei nocere. ibid.c
eius actiones Angelica directione gubernantur. 228.1.c
Elias diuidit aquas pallio. ibid.2
raptus in cœlum non inuenitur. ibid.
Elias sæpiùs sublatus est à spiritu Dei. 230.1.a
Elias prolata sententia contra Benadad moratur meditans, & deinde fiet, cur. 241.1.a
Elias prædicit interitum Regi Ioram. 337.1
Elias hic quis. ibid.2.b
Eliæ spelunca in monte Choreb. 217.1.c
Eliæ meritis miracula fiebant. 228.2.c
Eliæ & viduæ necessitatibus Deus prouidet. 213. 1. b
Eliæ mandatur, vt descendat in occursum Achab, si inueniendus erat in vinea, quomodo. 222. 2. b
Eliam Angelum esse putabant nuncij Ochoziæ. 227.1.c

Elihu.

Elihu ex sermonibus Iob ostendere nititur eum non esse iustum. 512.2.c
Elihu conuincitur falsi. 521.2.c
Elihu æquitatem iudicij diuini tuetur, argumenta sumens ex longinquo. 524.1.c
Elihu reprobatur locutus pro Deo. 532.1.a
Elimelech moritur. 72.2

Eliphaz.

Eliphaz arguitur falsi. 416.1.a
Eliphaz arguitur falsæ doctrinæ. 420.2.c

Eliſæus.

Eliſæus quomodo inſtitutus Propheta. 218.2.c
Eliſæus comes Eliæ. 218.2
Eliſæus aquas pallio diuidit. ibid.
Eliſæus miracula operabatur non ſine ſpeciali inuocatione Dei. 229.2.c
Eliſæus maledicit pueris, cur. 230.2.b
Eliſæus impetrat aquam a Deo. ibid.
Eliſæus profitetur iuramento. 231.2.b
Eliſæus contra legem arbores fructiferas Moabitarum ſuccidendas dixit, cur. ibid.c
Eliſæus viduæ pauperculæ oleum impetrat. 232.2
hoſpitæ ſuæ filium mortuum ſuſcitat. ibid.
pulmentum amarum dulceſcit. ibid.
nec per ſeipſum alloquitur mulierem. 233.1.c
grati animi ſolicitudine vrgebatur erga Sunamithem. ibid.2.b
Eliſæus prohibet Giezi ſalutationem per viam, cur. 234.2.a
Eliſæus an promiſerit Nahaman, quòd Deus illi ignoſceret. 237.1.a
Eliſæus ferrum mutare facit. 238.1
Eliſæus officioſus etiam erga hoſtes. 239.2.a
Eliſæus moritur. 251.2
Eliſæus ſaluator Iſraël. ibid.b
Eliſæi diuerſus orandi modus ad reſuſcitandum puerum. 235.1.b
Eliſæi meritis vir priuatus externo ſenſu, & motu, conualeſcit. 252.2.b
Eliſæo & puero eius mons plenus equorum, & curruum igneorum apparuit. 239.1.a
Eliſæum irridentes pueri lacerantur ab vrſis. 228.2

Eloah.

Eloah Deus caſtigans, cur. 49.2.a
Eloah nomine Moyſes ſemel tantùm vſus eſt. 409.2.c
Eloah, iudex. ibid.
Eloah vniuerſorum iudex. 415.2.c
Eloah formidatus ornamentis, cur. 531.1.b

Elohim.

Elohim, pro vero Deo, & pro opinato. 144.1.a
Elohim, Deus à iudicio. 418.2.b
Elon arbor quæ. 52.1.b 91.1.b
planitiem eſſe, nonnulli arbitrantur. ibid.

Eloquium.

Eloquium, pro lamentatione. 437.1.c
Elul menſis vltimus Hebræorum in anno ciuili, reſpondens noſtro Auguſto. 379.1.b
Ephr-ratham, quid. 75.2.c

Ephod.

Ephod, quid. 51.1.b
Ephod vſque hodie vtuntur Clerici Germaniæ. ibid.
Ephod veſtimentum ſuperhumerale Leuitis commune. 79.2.c
Ephod, pro habitu Pontificali. 80.2.a

Ephraim.

Ephraim & Manaſſe petunt maiorem hæreditatem. 23.1
Ephraim inſurgit aduersùs Gedeon. 50.1.b
Ephraim non ſignificat hic Tribum, ſed augmentum. 160.2.b
Ephraim ſors, vide *Sors.*
Ephraimitæ inſurgentes in Gedeone mitigantur. 50.1
Ephrathæi aduersùs Iephthe inſurgentes ad vada Iordanis occiduntur, quó vocem *Schibboleth* proferre non poſſent. 58.1.b
Epitheton Moſis, ſeruus Dei. 1.2.b

Equites, Equus.

Equites. 198.2
Equus. 542.1.a
Equi boni conditiones. ibid.
Equi dati Soli à Regibus Iudæ, naturales ne fuerint, an artificiales. 272.2.c
Equorum Salomonis numerus. 181.1

Erro.

Errantium genera,
nobilium. 446.2.c
fortium viribus corporis. ibid.
occultorum valde. 447.1.a
vmbræ mortis, horribilium periculorum quæ latent. ibid.
errantium beneficio multiplicationis ingratæ. ibid.
non contentorum. ibid.b
capitum populi. ibid.
Errare facientium genera,
Conſiliariorum. 446.2.a
Iudicum. ibid.b
Regum. ibid.
Sacerdotum. ibid.
potentum. ibid.
veracium tacentium. ibid.c
ſenum ſine ſapore. ibid.

Erudio.

Deus Erudit cum manſuetudine, & patientia. 217.2.c

Eſſendi verb.

Eſſe in Satan, quid. 163.1.b
Eſſe cum Deo, quid. 480.2.b

Eſdras.

Eſdras Doctor legis ſumptis comitibus aſcendit Ieruſalem cum edicto Artaxerxis. 366.1
qui cum Eſdra aſcenderint Ieruſalem. 368.1.a
prædicato ieiunio orant à Deo dirigi viam ſuam. ibid.
Eſdras dolet populum cum gentibus commiſtum. 369.1
confitetur peccatum populi & ſuum, orans pro omnibus. ibid.
populum peccati pœnitet. 370.1
alienigenas vxores abiicit. ibid.
mandat dirimi coniugia Iudæorum cum alienigenis. ibid.2.c

Eſther.

Eſther cum cæteris ſeruatur puellis in domo Regis. 393.1
Eſther Regina efficitur. ibid.
Eſther regnat pro Vaſthi. 394.1.b
Eſther iubet pro ſe orari. 395.2
Eſther inuitat Regem ad conuiuium. 396.2
Eſther pro Iudæis orat. 397.2
& heri, & nudiuſtertius, de præterito perſeuerante apud Hebræos. 134.2.b

Ethnicus.

Ethnici Principes reuerebantur Prophetas. 241.2.b

Eunuchus.

Eunuchi, miniſtri præcipui Regis. 268.2.b

Eurus.

Eurus, pro vento Orientali, ſiue Subſolano. 454.2.c

Exauditio.

Exauditio ſæpe differtur, & cur. 413.2.a

Excæcatio.

Excæcatio callidorum deſcripta. 419.1.b

Excellentia, Excelsa.

Excellentia Dei. 531.1.b
Excelsa hic quid. 209.2.b

Excorio.

Excoriare holocausta, officium Sacerdotum. 347.1.b

Execro.

Execrandi mos apud Hebræos. 112.2.b

Exemplum.

Exemplum Principis quàm efficax. 354.2.c

Exercitus.

Exercitus Benadad superatur ob blasphemiam Achab. 219.1
Exercitus,astra cœli. 352.2.b

Exitus.

Exitus de vulua,id est, congregatio aquarum in locum vnum. 534.1.c

Exploratores.

Exploratores missi in vrbem Iericho. 3.1.b
quando missi. ibid.c
Exploratores fuerunt nocte & die in Iericho absque molestia. ibid.2.b
Exploratores missi in orbem Iericho, à Rahab meretrice, promissa illi misericordiam, à morte liberantur. ibid.
Exploratores vnde cognouerint victoriam futuram. ibid.
Exploratores non solùm Iericho, sed alias terras Chananæorum lustrasse. 3.1.a
Exploratorum mandata quæ. 3.1.c
Exploratorum tria tacita in fœdere. 4.2.a
Exploratorum fœdus an post, vel ante demissionem ictum fuerit. ibid.
Exploratorum relatio. 3.1.a

Expugnatio.

Expugnatio Hai. 13.2.b
Maccedæ. 17.1.c
Libnæ. ibid.2.a
Lachis. ibid.b
Heglon. ibid.
Chebron. ibid.
Debir. ibid.c
Iabin,& aliorum Regum ac populorum. 18.1.b

Ezechias.

Ezechias confringit serpentem æneum. 260.2
Ezechias præfertur Regibus prioribus, & posterioribus Iudæ,cur. ibid.c
Ezechias maior,quàm Ionas. 261.1.c
Ezechias ægrotans accipit signum sanitatis in horologio. 266.1
quomodo ægrotauerit, & quandiu postea vixerit. ibid.b
recipit munera à Rege Merodach. ibid.
increpatur ob ostentatos thesauros. ibid.
sperans mutationem diuinæ sententiæ, supplicat. ibid.2.a
proponit Deo merita ex diuina gratia, non merita ex propriis viribus. ibid.b
Ezechias pater Danid,cur. ibid.
Ezechias an peccauerit petendo signum. 267.1.b
Ezechias non elegit progressum vmbræ, sed regressum,super quo tria examinantur. ibid.c
Ezechias cur dixerit, *Lene vmbram inclinari.* ibid.2.b
Ezechias instaurat templum Dei. 345.2.c
eius oratio ad Sacerdotes & Leuitas. ibid.
Ezechias iubet offerri holocaustum. 346.2.b
Ezechias orat pro populo. 347.2
Ezechias Sacerdotes & Leuitas constituit. 349.1
Ezechias derelinquitur à Deo,quomodo. 352.1.b
Ezechiæ meritum commemoratur. 266.2.b
Ezechiæ sanitas differtur,cur. ibid.c
Ezechiæ iussu celebratur Phase. 347.2
Ezechiæ vanitas. 451.2.c
Ezechiæ permittit Deus victoriam. 262.2
Ezechiam orantem consolatur Isaias. ibid.
post Ezechiam non surrexit Rex illi similis. 273.1.c
Ezechia orante Angelus percutit Assyrios. 451.1.a

F

Fabula.

FAbula de clausis Israëlitis exploditur. 258.2.a

Fabricatio.

Fabricatio altaris,maris boum, concharum, candelabrorum, mensarum, phialarum, & atrij. 319.2

Facies.

Facies Deuir,quid. 185.1.b
Facies,pro superficie. 490.2.a
Faciei mutatio, pro morte. 454.1.c
Faciei ostia,de labiis. 551.1.b
Faciem vertere ad templum orando non est superstitio. 195.2.c
Faciem eleuare,aut deprimere, quid. 556.1.c

Facio.

Facere transire, pro condonare. 430.2.b
Fecit volare eos,quid. 120.1.b
Factum, deinde facti rationem solet narrare Scriptura. ibid.c
Factum est,pro *fuit*. 265.2.b

Fama.

Fama Salomonis deferebat secum nomen Dei. 198.2.c

Fames.

Fames & vastitas. 420.1.b
Fames trium annorum ob violatam Gabaonitis fidem. 166.1
Famis tribulatio. 419.2.c
Famem septem annorum fugit Sunamitis. 241.1

Familia.

Familia domûs nomine significata. 119.2.2a
Familia Saulis. 288.1

Fatigatio.

Fatigatio à faciendo quiescere terram, descripta. 550.1.a

Felicitas.

Felicitas tribulationis comes. 420.1.c
Felicitas iustorum in vita præsenti. 456.2.c

Fenestræ.

Fenestræ respicientes clausæ quæ. 182.2.b

Festinatio.

Festinatio consilio contraria. 419.1.b
Festinatio pedis electionem deliberatam signat. 506.2.b
Festinatio,auiditatis signum & effectus. 548.1.c

Festum.

Festum dedicationis primi templi fuit mense septimo. 196.2.b
Festum tabernaculorum. 381.2.b
Ficte,id est,sub metaphora. 415.1.b

Fidelitas.

Fidelitas,veritatis nomine significata. 4.1.c

Index Rerum,

Fides.

Fides Rahab. ibid.b
Fides,pro re credita. 143.2.a

Fiducia.

Fiducia in Deum insufficiens sine bonis operibus. 83.1.c
Fiducia hypocritæ domui aranex assimilata. 432.2.b

Filia, Filius.

Filiæ Iob. 403.1.a
Filiarum Iob nomina propria. 557.1.a
earum commendatio à pulchritudine. ibid.
Filius mortis, per dignum mortis intellectus. 113.2.b
Filius Belial,quid. 120.1.b
Filius prohibetur occidi pro peccato patris. ibid.2.b
Filius Dauid ex Bethsabee incircumcisus mortuus. 150.1.c
Filij Israël edunt de fructibus terræ. 8.2.a,b
Filij concubinæ inter hæredes numerabantur apud Hebræos,nisi pater aliter disposuisset. 55.2.b
Filij Israël idololatræ. 87.1.c
Filij Samuel iudicis mali. 88.1
Filij Isai. 104.2.c
Filij boni, qui. 219.1.b
Filij Prophetarum qui,& cur sic appellati. 228.2.b
Filij Prophetarum habebant donum prophetiæ. ibid.
Filij Prophetarum,insani appellati ab impiis. 243.2.c
Filij fideiubentium pro pace, obsides dati Regi Israël. 253.2.b
Filij Iacob & Iudæ,Hesron, Isai,Iesse,Saruiæ, Iair, Ierameel, Caleb. 279.1
Filij Dauidis. 280.1
Filij decem Aman interficiuntur. 399.2.b
dies celebris instituitur in memoriam. ibid.c
Filij Iob,eorumque communia. 402.2.b,c
Filij Dei,de Angelis. 404.2.b
Filij Samuelis, de abundantibus spiritibus claris ac lucidis. 418.1.c
Filij,rami nomine significati. 458.2.b
Filij naturaliter remansuri in paterna domo, remansionis nomine significati. 473.1.c
Filij,nidi nomine significati. 500.2.c
Filij,salutis nomine significati. 503.2.c
Filij Elohim qui. 533.2.c
Filiorum Samuelis triplex peccatum. 88.1.c
Filiorum & nepotum germen promittitur multiplicaturum. 420.2.b

Finis.

Finem ponere, pro complere. 493.1.c

Flagellum.

Flagellum linguæ. 419.2.c
Flagellum,pro Dæmone, flagello Dei. 436.2.c

Flagitium.

Flagitium flagitio an repensare liceat. 67.1.c

Flatus.

Flatus Omnipotentis quid. 510.2.c

Fletus.

Fletus & ieiunium Dauidis ob mortem Saulis inimici,& Ionathæ amici. 129.1

Fluxus.

Fluxus montis Sinai quis. 42.2.b

Fœdus.

Fœdus exploratorum cum Rahab an post,vel ante demissionem actum. 4.2.a
Fœdus populi Israël cum Domino. 33.1.b
Fœdus Dauidis cum Ionatha. 108.2.
Fœdus bis percusserunt Dauid & Ionathas. 117.2.a
Fœdus diuinum, quo Deus promisit Dauidi, Messiam ex eius domo nasciturum, nullo modo impeditum est, nec interceptum. 169.2.c
Fœdus populi cum Deo. 382.1
signatores fœderis. 384.2
quid populus in fœdere Deo promiserit. ibid.
Fœderis exploratorum tria tacita. 4.2.a

Fœnum.

Fœnum, de operibus Dæmonum, quibus seipsos pascunt. 546.2.b

Fornicatio.

Fornicatio Gedeonis & Israëlitarum. 51.1.c
Fornicatio animæ,de idololatria. 244.2.c

Fortitudo.

Fortitudo Debboræ in Domino. 44.2.b
Fortitudo Samsonis donum Dei. 62.2.c
Fortitudo & celsitudo, iactantiæ materia. 78.1.b
Fortitudo,de partibus terræ lapideis. 490.2.c
Fortitudo quæ apparet propter venerea. 546.2.c
Fortitudinis diuinæ opera circa genus humanum quæ. 446.1.a
circa elementa quæ. ibid.b

Fouea.

Fouea,de carcere. 78.2.c

Fractio, Fractura.

Fractio, pro effractore. abstractum pro concreto. 465.1.b
Fracturæ maris, de collisionibus vndarum maris. 44.2.a

Frater.

Fratres,pro filiis fratrum,& amicis ex Iuda. 346.2.b
Fratres Iobis, consanguinei, & affines. 467.2.b

Fructus.

Fructus obseruationis legis quis. 2.1.c
Fructus orationis Ionæ. 271.1.c
Fructus reuersionis ad Deum describitur in specie. 480.2.c
Fructus terræ per virtutem terræ significatus. 509.2.c

Fruges.

Fruges nonæ quando edi poterant. 8.2.a
Fuit,pro factum est. 144.2.c

Fulgur.

Fulguris lux. 518.1.a

Fulmen.

Fulminum miranda. ibid.c

Fundamentum.

Fundamentum corporis, pulueris nomine significatum. 416.2.a

Funis, Funiculus.

Funiculi,quibus Dauid mensus est Moabitas, quid. 145.1.a
Funis, pro terminis. 503.1.a
pro tegmine diuinæ protectionis. ibid.

Furor.

Furor Dei punientis Israël. 37.2.c 39.1.c
Furor Satanæ. 459.2.b
Furor,seu ira ex naso. 552.1.c
Fuscinula apud Hebr.quid. 193.1.b

G

Gabaon, Gabaonitæ.

GAbaon territorium vbi situm. 122.2.b
Gabaonitæ callidi impetrant pacem à Iosue, postea maledicuntur. 14.2

Gabaonitæ ſimulatione longi itineris imponentes Ioſuè & Principibus Iſraëlitarum, medio iuramento ſaluantur. 15.1.b,c
Gabaonitæ, inſecuto murmure, perpetuo famulitio aſtringuntur. ibid.1.b
Gabaonitæ timentes Deum Iſraël. ibid.c
Gabaonitæ abuntur vxore cuiuſdam Leuitæ vſque ad mortem. 66.1
Gad videns dicitur. 346.2.b

Galahad, Galahadita.

Galahad nomen æquiuocum. 55.2.2
Galahaditæ ignominiâ affecti à Tribubus Ephraim,& Manaſſis. 57.2.c

Gedeon.

Gedeon multis ſignis auxilio deſignatur Iſraëlitis. 45.2.b
Gedeon olim electus à Deo ad liberandum populum. 46.1.b
Gedeon altare Deo erigit. 47.1.b
Gedeon cum trecentis viris tradit Deus Madianitas. 48.2
Gedeon præficitur Iſraëlitis. 50.1
Gedeon deuincit Zebee & Salmana. ibid.c
perdit Succhoth & Phanuel. ibid.
Gedeon quomodo carnes ſermonum Succhoth trituerit ſpinis & tribulis. ibid.2.b
Gedeon quintus iudex Iſraël. 51.1.2
Gedeon ex inauribus aliiſque populi donis facit Ephod, quod domui ſuæ & Iſraël fuit in ruinam. ibid.b
quod Ephod fecerit. ibid.c
Gedeon & Iſraëlitæ fornicantur. ibid.
Gedeon Iſraëlitis quadraginta annis præfuit. ibid. 2.b
habuit filios 70.ex vxoribus,& vnum ex concubina. ibid.
moritur. ibid.
Gedeoni Angelus apparet in ſpecie ſenſibili. 45.2.b
Gedeoni datur ſignum in vellere. 48.2.2

Gelu.

Gelu in terra, & deſcendens de cœlo. 537.2.2

Genealogia.

Genealogia Adam vſque ad filios Eſau & Iacob. 278.1.
Genealogia Iudæ. 281.1
Genealogia Simeon. ibid.
Genealogia Ruben, Gad, & dimidiæ Tribus Manaſſe, & eorum habitatio. 282.1
Genealogia filiorum Leui, & Aaron cum habitaculis. 283.1
Genealogia filiorum Iſſachar, Benjamin, Nephthali, Machir. 284.2

Gener.

Gener Regis dotem dabat apud Hebræos. 110.1.2

Generatio.

Generatio prima, de iis qui viuebant annis ferè mille. 432.1.2
Generationis pluuiæ locus canali ſimilatus. 537.1.2

Gens.

Gens in gente, quid. 330.2.c

Genuflexio.

Genuflexio Naamon, an genuflectente Rege in templo Rimmon, fuerit licita. 237.1.b

Germen.

Germen filiorum & nepotum multiplicandum promittitur. 420.2.b

Geſtus.

Geſtus Iob quanti habebantur. 501.2.b
Ghabaha quid. 69.1.b
Ghibha quid. 86.2.c.140.1.b
Ghilgal locus vnde dictus. 8.1.c

Giezi.

Giezi non potuit reſuſcitare puerum Sunamithis, cur. 234.2.b
Giezi lepra percutitur ob accepta munera à Naamon. 235.c
Giezi auaritia. 237.2.b

Gigas.

Gigantes, de Dæmonibus. 489.1.c

Gladius.

Gladius Goliath Deo oblatus. 114.2.c
Gladius hic quid. 419.1.c
Gladius, pro poteſtate exterminatrice. 469.2.b
Gladium non receſſiſſe de domo Dauidis oſtenditur. 149.2.2

Gloria.

Gloria plus eſt quàm inclytum. 315.1.2
Gloria, pro honore. 331.1.2

Goliath.

Goliath occiditur à Dauide fidente in Dei potentia. 106.1
eius gladius oblatus Deo. 114.2.c
Grandendi verbum. 513.1.c

Grando.

Grandinis & niuis theſauri. 536.2.b

Gratia.

Gratia, de beneficio vitæ. 4.1.c
quæ Gratia Dei non receſſit à Dauide, ſicut à Saule. 143.1.2
Gratia miſericordiæ nomine ſignificata. 146.1.b
Gratia diuina humanitatis officia ſequitur. 167. 1.c
Gratia miſericordiæ nomine ſignificata. 195.1.
Gratia Dei ſola peccati remiſſio. 419.2.c
Gratia Leuiathan per antiphraſin deſcripta. 155. 1.b
Gratiæ diuinæ mirabilis celeritas. 149.2.b
Gratiæ ſumptio. 551.1.2
Gratiarum actio, benedictionis nomine intellecta. 128.1.b 154.1.b
Gratiatiarum actio, benedicendi verbo ſignificata. 493.1.c
Gratiarum actio Iob. 406.2.2

Greſſus.

Greſſus, pro ſtudio. 506.1.b

Gubernatio.

Gubernatio manûs nomine ſignificata. 491.1.2
Gubernationis diuinæ modus repræſentatus per vocem ſubmiſſam, & tenuem. 218.2.2

Guſtus.

Guſtus & auditus deficiunt in ſenibus. 163.2.b

H

Habitaculum.

HAbitaculum, de rebus poſſeſſis. 417.2.c

Habitans, Habitator.

Habitantes domos luteas, de hominibus qui habitant corpora tanquam domos luteas. 416.1.c
Habitantes cum gigantibus, id eſt, Dæmonibus, pro animis damnatis. 489.1.c
Habitatores Hieruſalem qui hîc vocati. 287.2
Habitatores Ieruſalem. 386.2.2
extra Ieruſalem qui. ibid.1.b
Hachor appellatiuum, pro turbatione. 12.1.b
Hac, & *hæc*, pro *ſic*, & *ſic*, infinities in Scriptura ponitur. 244.1.2

Index Rerum,

Hæreditas.

Hæreditas Tribus filiorum Iudæ per familias eorum. 22.1.b
Hæreditas, pro re valde æstimanda. 204.2.b

Hai.

Haï explorata. 10.2
Hai expugnata. 12.2
Rex eius suspenditur populo occiso. ibid.
Haï expugnata, & succensa. 13.2.b
Halamoth, instrumentum musicum. 296.1

Hamalec, Hamalecita.

Hamalec pars Edom. 130.1.a
Hamalecites cur finxerit se interfecisse Samuelem. 129.2.b
Hamalecites interfector Saulis, filius Doeg. ibid.c
Hamasa an dederit Dauid principatum, quo priuauit Ioab. 162.2.b
Hamon remittit seruos Dauidis cum ignominia. 146.2.300.1

Harioli.

Harioli & Magi, omnes incantatores. 124.2.b

Hathalia.

Hathalia, filia Homri Regis Israël. 243.1.a 337.1.c
Hazael iubetur inungi. 216.2

Hebræus.

Hebræi primùm summariè, deinde distinctiùs describunt. 81.1.b
Hebræi maius præponunt minori. 99.2.a 147.1.b 207.1.c
Hebræi sæpe omittunt Præpositionem. ibid.
Hebræi extendunt manum supplicaturi. ibid.b
Hebræi interrogatiuè significant negationem. 108.2.a
Hebræi describunt in præterito persecutionem, & salutem in futuro. 121.1.b
Hebræi quantum proni ad generandum. 122.1.a
Hebræi multitudinem singulari numero sæpe exprimunt. 250.2.b
carent superlatiuo. 258.2.c
Hebræi prius genus describunt, deinde species. 268.1.c
Hegla cur sola dicatur vxor Dauidis. 133.2.c
Heglon expugnatur ab Israëlitis. 17.2.b

Heli.

Heli corripitur ob peccatum filiorum suorum. 77.2
Heli præposuit honorem filiorum honori diuino, quomodo. 80.2.b
Heli domûs appellatione, non solùm originem trahentes ab ipso, sed etiam originem trahentes à patre Heli, intelligendi sunt. ibid.c
nullum de domo Heli transire annum ætatis quinquagesimum. 81.1.c
Heli pœnæ. 80.2.c 81.1.b
Heli caligatio oculorum qualis fuerit. 81.2.c
Heli penitus priuatus visu. 83.2.c
Heli sanctæ mentis erat. 84.1.a
non solùm Pontificis, sed etiam iudicis functus est officio. ibid.

Hemisphærium.

Hemisphærium, dimidium cœli. 20.2.b

Herba.

Herba tecti peior viriditate herbarij, & herba agri. 264.2.b
Heri & hodie, de modico tempore. 156.2.a
Heraus induratus à Deo, resistit. 18.1
Hinnon quid apud Hebr. 272.1.c

Hiram.

Hiram dat ligna Salomoni petenti in ædificationem templi. 181.2
Hiram fundit columnas, mare fusile, bases æneas, luteres. 186.2
Hiram mittit ligna & artifices. 294.2

Historia.

Historiæ nõ ordinatè narrantur in Scriptura. 95.1.a
Holda Prophetis. 554.1.c

Holocaustum.

Holocaustum Gedeonis super ligna quercus Baal. 48.2.c
Holocaustum hîc de adipe animalium, cremabatur Deo in modum holocausti. 355.2.c
Holocaustum offerri iubet Ezechias. 546.2.b
Holocausta obtulit Salomon mediis Sacerdotibus. 316.1.c
Homer, Hebræa vox, nomen mensuræ. 8.2.a

Homicida, Homicidium.

Homicida inuoluntarius confugiens ad ciuitatem refugij quomodo recipiendus erat. 267.1.c
quamdiu ibi remanere debeat. ibid.
Homicida describitur. 485.2.c
Homicidium & adulterium suapte natura contemnunt præcepta diuina. 149.1.c
Homicidiorum multorum reus Dauid, occidens Vriam. 148.2.a
in Homicidiis repentinis magna legum clementia. 153.2.b

Homo.

Homo cum Angelis comparatus. 416.1.b
Homo modici iudicij, simplicis nomine significatus. 417.2.a
Homo ad iniquitatem natus. 418.1.b
Homo deductus in miseriam liquefactus cur. 423.2.b
Homo semper viuens. 425.2.c
Homo spectans ad futurum. 426.1.c
Homo cum surculis, seu ramusculis comparatus. 451.1.b
Homo velut vmbra, fugiens. ibid.
Homo quomodo immortalis. 454.1.c
Homo primus, de Doctore generis humani. 455.1.c
Homo abominabilis & putridus. 456.1.c
Homo vermis. 488.2.a
Hominis ægritudinum causa quæ. 416.2.b
Hominis tempus quod. 425.2.b
Hominis dies sicut dies mercenarij dum operatur. 426.1.b
Hominis afflictionis triplex causa. 431.1.a
Hominis comparati cum Deo nulla iustificatio. 433.2.c
Hominis quadruplex conditio. 435.1.c
Hominis status tripliciter distinctus.
Hominis exercentis iustitiam status. 440.2.b
Hominis mors, eiúsque conditio quæ. 452.1.b
Hominis vita monti cadenti & rupi similis. 453.2.b
similis petræ, & dilutæ terræ. ibid.
Hominis perdita vita, cur. ibid.c
Hominis bonorum duplex genus. 475.1.c
Hominis iustitia quomodo non præsit Deo, & illius iniquitas Deo non noceat. 522.1.c
Hominem non redituram eundem, sed postea generari similem. 427.2.b
Homines multa intendunt aliter euenientia. 78.1.c
Homines parui speciosi sunt, non pulchri. 89.2.a
Homines ad quid communiter tendant. 143.2.b
Homines liberi licitè in seruitutem rediguntur apud Hebr. 252.2.c

Homines

Homines pleni fraudibus ad Deum clamantes, per calumniatores significati. 523.1.a
Homines qui placere non Deo, sed hominibus student, per falices significati. 548.1.b
Hominum arma aduersus Dæmonem quæ. 553.1.b
Homri regnum quot annorum fuerit. 211.2.b

Honor. Honoratio.

Honor Iob in consiliis. 501.1.c
post consilium. ibid.
antequam loqueretur. ibid.2.b
Honores & dignitates Iob. 499.2.c
Honoris tanti ratio. 500.1.b
Honoratio per adorationem intellecta. 177.2.b

Hospes.

Hospites sunt honorandi. 90.2.b

Hostia.

Hostia dierum, id est, tempori congrua. 80.1.a

Hostis.

Hostis non expectandus. 147.1.a

Humanitas.

Humanæ prosperitatis celsitudo maxima describitur. 470.2.b
Humanitas. 507.2.b

Humilitas.

Humilitas quantum Deo placita. 103.1.a

Huz.

Huz quid. 401.1.c
Huz terra, vbi sita. ibid.
vnde sic dicta. ibid.2.c

Hyperbole.

Hyperbole ad consilij dati executionem infallibilem denotandam. 158.1.c
Hyperbole ad integram destructionem ciuitatis. 159.1.c
Hyperbole ad manifestandam magnam inquisitionem, quam fecerat Elias in omnibus regnis, & gentibus vicinis. 214.1.c

Hypocrisis, Hypocrita.

Hypocrisis reiicitur. 449.1.a
Hypocritæ spes iunco similata. 432.2.a,b
Hypocritæ fiducia domui aranææ assimilata. ibid.b
Hypocritæ spes vana. 492.2.a
Hypocritæ cordis qui. 525.1.b
Hypocritæ ligati funibus afflictionis qui. ibid.c
Hypocritæ cannis similati. 548.1.a
Hypocritarum maledictio. 458.2.a
Hypocritarum miseratio. 471.2.b

I

Abes Ghilbad ciuitas quæ. 93.1.c
Iabin expugnatur cum aliis plurimis Regibus ac populis. 18.1.b
Iabitæ quomodo alibi dicantur tulisse ossa Saulis de muro, & hîc de platea. 167.1.b

Iactantia.

Iactantia vitanda, cur. 78.1.b
Iactantia ex multitudine pugnatorum. 219.2.b

Iair.

Iaïr Dux succedit Tholæ. 54.2.b
Iaïri mors. ibid.

Ianitor.

Ianitores templi ordinantur. 303.1
Ibex captarum syluestrium species. 118.1 539.2.a
Ichabod nascitur. 83.1

Idolum, Idololatria, Idololatra.

Idola per abominationes significata. 269.2.c
Idololatria quo ritu abdicata ab Israëlitis. 87.2.a
Idololatria Iudæ. 207.2
Idololatria per fornicationem animæ intellecta. 244.2.c
Idololatriam cur hîc Iosua prohibeat. 32.1,c
Idololatræ puniuntur, nec tamen relinquunt suas adinuentiones. 36.2

Idumæa, Idumæi.

Idumæa seruit Dauidi. 144.2
Idumæi aliquando defecerunt à Dauide. 202.1.b
Iebusæi inimici Dauidis, cæci, & claudi appellantur, cur. 138.1.b

Iehouah.

Iehouah nomen tetragrammaton appellatione Domini significatum. 2.2.b
Iehouah pugnat pro Israël. 16.2.c
Iehouah exercituum, quando primùm Deus sit cognominatus. 76.1.b
Iehouah hic quid. 77.1.c
Iehouah, & Elohim, nomine Dei explicati. 215.1.a
Iehouah nomen tetragrammaton. 404.1.a
Iehouah essendi fons. ibid.b

Iehu.

Iehu vngitur in Regem Israël. 243.1
interficit Ioram & Ochoziam. ibid.
præcipitata Iezabel comeditur à canibus. ibid.
Iehu non peccauit interficiendo vniuersam domum Achab. ibid.2.b
Iehu coniuratio contra Ioram. 244.1
Iehu occidit septuaginta filios Achab, & quadraginta fratres eiusdem. 246.1
Iehu facta, non dicta laudat Deus, cur. 247.2.b
Iehu occidit Ochoziam. 358.2.b

Ieiunium.

Ieiunium à Saule præceptum iustum fuit. 100.1.b
Ieiunium & fletus Dauidis ob mortem Saulis inimici, & Ionathæ amici. 129.1
Ieiunium trium dierum. 396.1.c

Iemini.

Iemini, pro Benjamin. 40.1.a 89.1.c 115.2.b

Iephthe.

Iephthe Dux Israëlitarum spiritu Dei accensus occidit Ammonitas: voto coactus occidit filiam suam. 55.1
Iephthe publico mandato è domo patris eiicitur. ibid.2.c
Iephthe iudex factus, primùm ratione agit cum Rege Ammonitarum. ibid. & 56.1.a
quos vbi vicisset, ob votum temere factũ, filiam suam obtulit in holocaustum. 57.1.a,b,c
Iephthe pugnat cum Ephraim. ibid.a
Iephthe moritur. ibid.
Iephthe octauus iudex Israël. 58.1.b
Iephthe succedunt Duces Abesam, Ahialon, & Abdon. ibid.c
Ieremias Propheta. 357.2.c

Iericho.

Iericho vrbe capta seruatur Rachab. 8.2
Iericho vrbis reædificator maledictus. ibid.
Iericho capta funditus deletur. 10.1.b
Iericho reædificatur. 210.2

Ieroboam.

Ieroboam regnat super decem Tribus Israël. 204.1
Ieroboam facit vitulos aureos. ibid.
Ieroboam summi Sacerdotij officium assumpsit. 205.2.c
Ieroboam corripitur à Propheta, quem vult occidere. ibid.

arefacta

arefacta manus eius sanatur orante Propheta. ibid.
Ieroboam eradicandus propter idololatriam. 207.2
Ieroboam moritur. ibid.
Ieroboam fecit peius quàm quicunque alius. ibid. b
Ieroboam Sacerdotes vitulis constituit. 327.1

Ierusalem.

Ierusalem in duarum Tribuum sortes cecidit. 22. 2. b
Ierusalem, pro territorio Ierusalem. 35.1.b
Ierusalem expugnata à Tribu Iuda. ibid.b
Ierusalem à filiis Benjamin habitata. 36.1.b
Ierusalem obsessa petit auxilium à Rege Assyriorum. 256.2
Ierusalem destruitur, Templúmque incenditur à Chaldæis. 358.1.b
Ierusalem instauratâ qui habitauerint in ea. 386.2.b
Ierosolymæ combustio prima. 35.1.b
in Ierusalem non adimpleta omnia maledicta legis, cur. 271.1.2

Iezabel.

Iezabel vxor Achab. 210.2
Iezabel ironicè loquitur Regi Achab. 222.1.2

Ignis.

Ignis deuorat sacrificium in dedicatione. 323.2
Ignis in aëre, creatura Dei, non Dæmonis. 405.2.b
Ignis comburens instar vorantis describitur. ibid.b
Ignis non sufflatus, pro igne non accenso ab homine. 473.1.c

Imago.

Imago, pro similitudine corporea. 415.2.b
Imago Dei Angelis & hominibus communis est. 546.1.c
Imber, de grossa pluuia. 528.2.2

Immolatio.

Immolatio in excelsis non omnino erat licita apud Israëlitas. 179.1.b

Immortalitas.

Immortalitas animæ præsuppositа à Iob. 411.2.b
Impello, pro moueo. 511.1.c

Imperium.

Imperium directiuum, & fortitudo executiua directorum, duo verè coronanda. 190.1.2

Impio.

Impiandi verbum. 436.1.c
Impiare, pro censere impium. 517.2.c
Impinguati equi, hîc qui. 181.1.2

Impius.

Impius, de Dæmone. 436.2.c
Impius somnio similatus. 478.1.2
similatus visioni noctis. ibid.
Impius fugienti pluuiam assimilatus. 473.1.2
Impius hic quis. 477.1.b
Impium seruari in diem perditionis. ibid.2
Impium non derelinqui iustificatum pœnitentia. 525.1.b
Impij consilium. 464.2.c
Impij robur. 465.1.2
Impij terminus. ibid.b
Impij morientis maledictio. ibid.c
Impij miseria post mortem. ibid.2.b
Impij defuncti inchoata opera defectura. ibid.
Impij iniquitas notificata. 471.1.2
Impij malum in accumulationibus rerum. ibid.1.2
Impij pœna. ibid.1.b
Impij malum in solutionibus describitur. ibid.
describitur in commutationibus. ibid.c
Impij tres iniquitates insertæ. ibid.
Impij pars apud Deum quæ. 473.2.b
Impij permittuntur regnare, cur. 275.1.b
Impij duabus similitudinibus descripti. 535.2.b
Impij quomodo excutiantur aduenientе die. ibid.
Impiorum pœna in altera vita. 424.1.c
Impiorum interitus. 433.2.b
Impiorum miseria. 456.2.c
Impiorum miseriæ narrantur. 464.2.b
Impiorum prosperitas, propinquitas ad casum, & momentanea duratio. 470.2.2,c
Impiorum nonnulli quare in finem vsque vitæ prosperentur. 474.2.2
Impiorum mundana felicitas. ibid.b
Impiorum blasphemiæ quatuor relatæ. 475.1.b
Impiorum felicitatis vniuersum bonum quale, declaratur. ibid.
Impiorum perditio. ibid.c
Impiorum punitio. 480.1.b 535.2.c
Impiorum pœna,
damni. 493.2.b
sensûs in parte intellectiua. ibid.
in parte appetitiua. ibid.c
in omnimoda inquietudine. 494.1.b
in plena irrisione. ibid.c
Impiorum lux, de nocte. 535.2.c

Impleo.

Implere manus quid. 64.1.c
Implere manum Domini, quid. 346.2.c

Imprecatio.

Imprecationes non certæ, sed vanæ. 233.2.c
Imprecationes iræ nomine significatæ. 437.2.2
In primogenito suo, id est, in mortem primogeniti sui. 10.1.c
In nouissimo liberorum, id est, in mortem filij sui paruuli. ibid.2.2
In faciebus Israëlitarum non stetisse inimicum, quomodo verificetur. 27.2.c
In manu sua ponere animam suam, quid. 110.2.2
In circuitu templi, & Deuir, quid. 183.1.2
In conspectu Iehouah, quid.
In facie Dei stare, pro orare. 212.1.b
In fine sole, pro in nocte. 505.2.b
In virga, pro ad opus iustitiæ. 529.1.b
In gratia, pro ad opus gratiæ. ibid.
In terra, pro ad feracitatem terræ. ibid.

Incantatio.

Incantatio nulla super animas Sanctorum extenditur. 125.1.b

Incensum.

Incensa, & victimæ pacificæ differunt, relatiuè. 80.2.2

Incestus.

Incestus Ammon cum Thamar sorore Absalon. 151.1

Inclinatio.

Inclinatio manûs Iosuæ ac lanceæ versùs Hai, diuinum mysterium. 14.1.b
Indifferentia quomodo Hebraicè significata. 323. 2.b 231.1.b

Indignatio.

Indignatio Iob. 461.2.c
Indurare, pro roborare. 19.1.2

Infelicitas.

Infelicitas malignorum callidorúmque. 419.1.2

Infernus.

Infernus per terram ad quam, per mortem significatus. 441.1.c

Infernus, de morte. 462.2.c
Inferni duplex nomen. 14.2.a

Ingenium.

Ingenia, de duodecim signis Zodiaci, & aliis extra Zodiacum. cur. 529.1.a
Ingredi, pro venire. 40.1.c

Imperium.

Imperium Dei per eius clamorem significatus. 490.2.b

Inimicus.

Inimici Israelis qui. 28.1.a
Inimici Dei qui. 149.2.c
Inimici Iob. 433.2.b

Iniquitas, Iniquus.

Iniquitas Manasse. 352.2.b
Iniquitas, pro iniquo. 419.1.c
Iniquitas, de peccato quatenus. 430.2.b
Iniquitas & peccata differunt. 449.2.b
Iniquitas radicis nomine significata. 469.2.b
Iniquitas impij notificata. 472.1.a
Iniquitas augetur ex qualitate hominum quibus inferuntur mala. 484.2.b
Iniquitates impij tres. 472.1.c
Iniquitates Iob in specie. 478.1.c
Iniquitates variæ recensentur. 484.2.b
miseriæ inde secutæ describuntur. 485.1.c
Iniquorum triplex genus. 484.2.a
Iniquorum pœna in filiis & progenie in vita, & post mortem. 491.1.b
pœna eorumdem in argento & vestibus, tanquam immobilibus. ibid.c
in immobilibus. ibid.
Iniquorum duplex pœna in altera vita. 506.1.c

Innocentia.

Innocentia & pœnitentia quomodo non prosint homini. 522.1.b

Inobedientia.

Inobedientium Iosuæ puntio executioni mandanda. 3.1.a

Inquilinus.

Inquilini domus Iob, eius famuli. 467.2.c
Inquisitio & intenta ab homine in terra obscura sub aquis. 495.2.a

Insania.

Insania, de vanitate. 302.2.a

Insidiæ.

Insidiæ in bello iusto licitæ. 12.2.c

Instrumentum.

Instrumentum musicum trium chordarum valde differens a sistro, tertij nomine significatum. 109.1.a

Intellectio, Intellectus, Intelligentia.

Intellectionis humanæ & Angelicæ disparitas. 404.1.b
Intellectus, scientia, &c. per oculos intellecta. 552.1.a
Intelligentia, & intellectus ad quid referantur. 317.2.c
Intelligentia Sophar, pro eius sententia & veritate quam intelligebat, & profitebatur. 470.1.b

Intentio.

Intentio animæ nomine indicata. 489.1.b

Intercessor.

Intercessor interpretis nomine intelligitur. 515.1.b

Interfector.

Interfectores Dauid iubet lugere interfectum. 135.2.a

Interitus.

Interitus impiorum. 433.2.b

Interpres.

Interpres, pro mediatore ac intercessore. 515.1.b

Interrogatio.

Interrogationes & consultationes diuinæ quomodo fiant, ignotum. 166.1.b
Intima animi, de rebus. 469.2.a

Intuitus.

Intuitus Iob quanti habebantur. 501.2.c

Inuidia.

Inuidia initium odij describitur. 109.1.b
Vide *Ira.*

Ioab.

Ioab victoriæ suæ nomen ac gloriam in Dauidem transtulit. 150.2.c
Ioab exercitum suum prudenter diuidit. 147.1.b
Ioab callide inducere conatur Dauidem ad reducendum Absalon. 155.1.a
Ioab consolatur Dauidem flentem occisum Absalon. 162.1
Ioab & Semei interficiuntur. 176.2

Ioachaz.

Ioachaz traditur in manus Syrorum cum populo. 251.1
miseretur Deus propter promissiones. ibid.2
Ioachaz ducitur in Ægyptum. 367.1.b
Ioachaz Ioachim frater constituitur Rex Ierusalem. ibid.

Ioachim, Ioachin.

Ioachim constituitur Rex, primo genito eius omisso, cur. 273.2.b
Ioachim moritur. 274.1
succedit Ioachin. ibid.
transfertur hic cum populo Ierusalem in Babylonem. ibid.
substituitur Matthanias, qui & Sedecias. ibid.
Ioachim, & Ioachin, hic filius, iste pater, sola litera m, & n, differunt. ibid.c
Ioachim vinctus vt duceretur Babylonem, occiditur iuxta muros Ierusalem. 357.1.c
Ioachin filius Ioachim Rex Ierusalem. ibid.2.b

Ioas.

Ioas absconsus tandem Rex constituitur. 247.2
Ioas Sacerdotibus non instaurantibus templum aufert pecuniam, & in vsus templi expendit. 249.2.c
Ioas direpto templo Dei moritur. 253.1
Ioas tempore Ioiadæ seruat legem, instaurat templum. 339.2.340.1.a
ad idola declinat mortuo Ioiada. ibid.c
occidit Zachariam. ibid.
septennis a Ioiada Pontifice cum multa solemnitate vngitur in Regem Iuda. 339.1.b
oblationes populi ad instaurandum templum. ibid.b
Ioas occiditur. 341.1.b
Ioas profligit Amasiam. 342.1.b
Ioatham prius vincit Ammonitas. 343.2.b
eo mortuo succedit Achaz. ibid.

Iob.

Iob ex quo genere, incertum. 402.1.a
Iob Arabs, ex Arabia Petrea. ibid.
Iob cur dicatur *timens Deum*, & non, *diligens Deum.* 402.1.c
Iob Princeps terræ Huz. ibid.2.b
Iob sacrificauit pro filiis. 403.1.a
Iob Sacerdos. ibid.b

Iob maledicit diei natiuitatis suæ præsentique vitæ. 408.1.b
non peccauit quòd maledixerit diei. ibid.
Iob vitam suam miseram duobus modis considerat. 409.1.b,
Iob maledictionem vitæ suæ miseræ proponit ex intentione, quasi thema, seu materiam disputationis futuræ inter amicos & se. ibid.
Iob merricè scripsit. ibid.c
Iob vitam suam malam proponit dupliciter. ibid. 2.a
Iob quo sensu cupiat impossibile. ibid.
Iob proponit vitam suam primò, vt materiam tristitiæ, deinde vt materiam timoris. 410.1.b
Iob inquirendo, non asserendo loquitur. ibid.c
Iob mortem suam vitæ præfert, cur. 411.1.c
Iob proponit vitam suam detestabilem ratione timoris annexi. 412.1.c
Iob duo sibi applicat, amaritudinem animi, & laborem timoris. 413.1.b
Iob arguitur ex operibus bonis. ibid.1.
eius opera bona recensentur. ibid.
Iob arguitur lassitudinis animi. 414.1.b
arguitur timiditatis. ibid.
Iob arguitur rapacitatis vitio. 415.1.a
Iob iniquitatis denuo arguitur. 417.1.c
Iob increpatur de lassitudine animi. 419.1.c
Iob longè grauiora se pati ostendit, quàm meritus sit. 421.1.b
Iob conqueritur se ab amicis deseri. 423.2.a
Iob amicos arguit quòd verba ipsius interpretentur in deterius. 425.1.b
Iob humanæ vitæ suasque calamitates varias explicat ibid.1.b
Iob se indispositum ait ad vitam æternam. 426.1.b
Iob strangulationem, & suspendium eligit. 428. 1.c
Iob abominatur se mortalem. ibid.2.a
Iob petit à Deo liberari à miseriis. ibid.b
Iob admiratur Dei erga hominem prouidentiam. ibid.c
Iob fatetur impotentiam suam ad repensandam iniuriam, quam Deo fecerat vt custodi hominis. 249.1.c
Iob de sermone impio arguitur. 431.1.b
Iob lamentatur suam afflictionem. 438.2.a
illius causam a Deo inquirens. ibid.
modus quo traditus est in manus Satanæ recensetur. ibid.
Iob seipsum appellat laborem manuum Dei, cur. 439.2.a
Iob rursum plangit se natum, propter afflictionum exuberantiam. 441.1.a
Iob arguitur mendacij. 442.1.b
Iob cupit pristinæ felicitati restitui. 499.1.a
Iob peccat specie arrogantiæ. 532.2.
Iob arguitur a Deo quod cum ipso contendere voluerit. 543.1.c
Iob agnoscit se locutum temerè. ibid.2.b
Iob arguitur à Deo quòd visus sit iustitiæ ipsius detraxisse. 544.1.b
Iob amicos suos de sermone arguit. 444.1.b
arguit de scientia, siue sapientia. ibid.
Iob tria addit de seipso. ibid.c
Iob amicos suos ex ipsorum verbis confutans, à Deo arguendos asserit. 447.2.b
Iob disputationem cum Deo inchoat. 449.2.a
Iob arguitur iactantiæ. 454.2.b
arguitur iniquitatis, & calliditatis. 455.1.b
impietatis arguitur. ibid.
Iob agnoscit se locutum insipienter. 555.1.a
Iob præfertur amicis. 556.1.b
orat pro illis. ibid.c
Iob vixit CXL. annos post hæc flagella. 557.2.a
vidit filios, & filios filiorum vsque ad quartam generationem. ibid.
tandem plenus dierum animam creatori suo reddidit. ibid.
Iob arguitur incredulitatis. 458.1.c
arguitur inflationis, seu venti. ibid.2.c
Iob dolorem suum plangit. 459.1.b
Iob calamitatem magnitudinis narrat. ibid.c
Iob afflictionum suarum cumulationem multis diruptionibus vnius muri, seu sepis similat. 460.2
qualiter afflictiones ipse susceperit. ibid.
Iob imprecatur corpus suum relinqui inhumatum. 461.1.b
imprecatur animæ quòd non sit locus clamori eius. ibid.
Iob ex afflictionis suæ magnitudine nihil sibi restare præter mortem, contendit. 462.1.a
Iob amicos insipientiæ arguens, ipse futuram præstolatur requiem. ibid.
Iob fideiussionem promissionum petit ab Eliphaz. ibid.c
Iob socios sapientum arguit. ibid.2.b
Iob amicos insipientiæ arguit. 463.1.c
Iob arguitur à Bildad. 464.1.b
Iob amicos crudelitatis arguit. 466.1.b
Iob, à Deo flagellari se immeritò. ibid.2.b
Iob afflictionis suæ magnitudinem ostendit. 467. 1.b
Iob ostendit se ab amicis destitutum. ibid.2.b
Iob super futura resurrectione consolatur seipsum. 468.2.c
Iob patienter ab amicis audiri postulat. 473.2.c
fidei suæ professionem monstrat. 474.1.a
Iob conuellit falsam sociorum consolationem. 477.2.a
Iob arguitur percussus à Deo propter multitudinem iniquitatum. ibid.b
Iob diuinum iudicium inuocat, ostendens se non puniri propter peccata sua. 481.2.b
Iob socios cæcitatis arguit. 484.1.b
Iob bona sua opera enarrat. 500.1.b
manifestat qualiter iudicauerit in criminalibus. ibid.
iustitiæ illius qualis fuerit in causis cognitis. ibid.c.
qualem se habuerit in occultis & ambiguis. ibid.2.b
qualiter in finem exercuerit iudicium & iustitiam, ostenditur. ibid.
Iob fiduciam narrat quam habebat tempore prosperitatis. ibid.c
Iob plangit pristinam illam felicitatem versam sibi in despectionem, & irrisionem. 502.1.a
irrisionum & despectionum earundem ratio ex parte Dei. 504.1.a
Iob innocentiam, & virtutes suas enarrat. 506.1.a
fœdus pangit. ibid.
istius fœderis partes quæ. ibid.b
Iob silentium imponit amicis. 516.2.c
Iob accusatur blasphemiæ, & aliorum criminum. 517.1.b
Iobis vera historia. 402.1.a
Iobis laus & commendatio. ibid.b
Iobis laus à magnitudine. ibid.
Iobis filij & filiæ. ibid.2.b,c 403.1.a

Iobis

Iobis felicitas. 403.1.a
Iobis commendatio nouta. 404.2.b
Iobis perfectio. 406.1.b
Iobis consolatio in amissione bonorum temporalium. ibid c
Iobis gratiarum actio. ibid.2.a
Iobis modestia erga vxorem. 408.1.a
Iobis virtutes arguuntur falsæ. 412.2.b
Iobis visio. 415.1.c
Iobis visionis effectus in pilis. ibid.2.a
Iobis timoris causa quæ. ibid.
Iobis timor. 422.2.b
Iobis consanguinei torrentibus comparati. 423.2.b
Iobis calamitas demonstrata. 424.2.b
Iobis amici in sermonibus reprehensi. ibid.c
Iobis plaga dira. 426.2.c
Iobis dies nauiculæ textoris similatæ. ibid.
Iobis afflictiones. 428.1.b
Iobis magnanimitas arguitur. 431.1.b
Iobis inimici. 433.2.b
Iobis vana pœnitentia describitur. 337.2.c
Iobis spes de vita futura,nõ de præsenti. 448.2.c
Iobis punitio pro iniquitatibus pueritiæ eius, hæreditantis similitudine signata. 450.1.c
Iobis socij, Satanæ ministrorum instar. 459.2.b
Iobis indignatio. 462.1.c
Iobis spes, filij propagaturi eius progeniem. 467.1.c
Iobis fratres,eius consanguinei & affines. ibid.2.b
Iobis propinqui, qui appropinquare sibi soliti. ibid c
Iobis redemptor, Deus viuus, & nouissimus. 468.2.c
Iobis iniquitates in specie. 478.1.c
Iobis pacificatio per humiles oculos, & opera munda. 481.1.c
Iobis sermo parabolæ nomine significatus. 491.2.b
Iobis custodia diuina in pueritia. 499.1.b
in adolescentia. ibid.c
in ætate virili. ibid.2.b
Iobis honores. ibid.c
honoris tanti ratio. 500.1.b
Iobis honor in consilijs. ibid.c
honor illi exhibitus post consilium. ibid.
eius honor antequam loqueretur. ibid.2.b
Iobis gestus quanti habebantur. ibid.
intuitus ipsius quanti. ibid.
Iobis authoritas & honor vtroque tempore enarrantur. ibid.c
Iobis afflictiones. 504.1.a
Iobis filiarum nomina propria. 557.1.a
Iobi resipiscenti felicissima quæque pollicentur à Sophar. 443.1.c
Iobi honores mundi promittuntur. ibid.2.c
Iobi pœnitenti bona promittuntur ab Eliphaz. 480.1.c

Ioiada.

Ioiada solus post Iacob legitur vixisse 130.annos. 340.2.a
Ioiada erat quasi tutor & curator Regis Ioas. ib.b

Ionas.

Ionas Propheta fuit puer Eliæ. 216.2.b
Ionas Propheta, minister Elisæi. 243.2.a
Ionas hîc quis. 254.1.b

Ionathas.

Ionathas fiduciâ in Deum profligat Philisthæos. 78.2.
Ionathas occidendus à patre ob degustatum mel, liberatur a populo. 98.2
Ionathas an fuerit innocens. 101.2.a
Ionathas surgit è conuiuio, cur. 113.1.b
Ionathas moritur. 128.1
Ionathæ ingens amor erga Dauidem. 108.2.c
Ior succedit Iosaphat. 223.2

Ioram.

Ioram filius Achab regnat. 230.2
Ioram filius homicidæ vocatur ab Elisæo, cur. 240.1.a
Ioram idololatra succedit Iosaphat. 337.1.
eius interitus prædicitur ab Isaia. ibid.
Ioram vulneratur a Syris. 338.2.a

Iordanis.

Iordanis in alueum reuertitur. 6.2
Iordanis fluuius. 548.1.c
Iordanem Dei miraculo siccatum transit populus. 5.1.b

Iosaphat.

Iosaphat succedit Asæ. 209.1
Iosaphat & Achab contra Ramoth Galaad. 223.2
Iosaphat mortuo succedit Ior. ibid.
Iosaphat Deo fidenti diuitiæ adsunt, & gloria. 332.1
Iosaphat mittit prædicatores per vniuersam Iudam. ibid.
Iosaphat religiosissimus Princeps. ibid.2.b
Iosaphat iunctus impio Achab, præliaturus quærit verbum Dei. 333.1.a
Iosaphat punitur ob præstitum impio Achab auxilium. 339.1
Iosaphat hortatur iudices & Leuitas. ibid.
Iosaphat cur constituerit iudices ad iudicium diuinum. 334.2.a
Iosaphat vincit Ammonitas, & Moabitas. 335.1
Iosaphat reprehenditur quòd Octoziæ iungatur. ibid.
Iosaphat Rex Iudæ,& Rex Israel appellatur,cur. 337.1.b
Iosaphat laus singularis. 336.2.c
Ioseph ossa sepulta. 53.2.c

Iosias.

Iosias inuento libro Deuteronomij,consulit Dominum per Hcham prophetissam. 270.1
Iosias legit Deuteronomiũ coram populo. 271.2
demolitur idola. ibid.
celebrat Phasc. ibid.
Iosias occiditur. ibid.
succedit Ioachaz. ibid.
quem Pharao captum ducit in Ægyptum. ibid.
substituitur Eleacim, siue Ioacim. ibid.
Iosias subuertit idola. 353.2.b
iubet instaurari templa. ibid.
Deuteronomio inuento ac lecto terretur,consultque Deum. 354.1.b
percutit fœdus coram Deo. ibid.
celebrat Phasc. 355.1
mortuus lugetur à populo. ibid.
arcam è templo extractam curat reduci in templum. ibid.b
Iosias spernit monitum Nechao ex Deo. 356.2.b
vulneratus in prælio moritur. ibid.c
Iosiæ orationis fructus. 271.1.c
Iosiæ, & Ducum eius largitio. 355.2.a

Iosue.

Iosue hortatur tribum Ruben, Gad, & Manasse

ad reducendum fratres. 1.1
Iosue mittit exploratores in Iericho. 3.1
Iosue cum populo siccatis aquis transit Iordanem. 5.1
Iosue castra mouet. 5.1.b
Iosue soluit calceamentum. 7.2
Iosua adorat Deum in Angelo. 8.2.b
Iosua Angelum alloquitur. ibid.c
respondet Angelus. ibid.
Iosua aggregatoris nomine significatus. 9.2.b
Iosua scidit vestimenta sua, &c. 10.2.c
Iosua alloquitur Deum in numero pluralí. 11.1.2
Iosua Altare Deo exigit in monte Hebal. 14.1.b
Iosua loquens Domino, sermonem dirigit ad Solem, & Lunam. 16.2.a
Iosua capit ciuitatem Maccedam. 17.1.c
Iosua expugnat Iabin, cum aliis plurimis Regibus ac populis. 18.1.b
Iosua seruat omnia, quæ Dominus Moysi præceperat. ibid.2.b
Iosua iubetur diuidere terram Israelitis. 19.2. 20.1.b
Iosua dehortatur populum, vt adhæreat gentibus, néve alij quàm soli Deo fidat, qui promissiones suas adimpleuit eis. 29.2
Iosua quot annis præfuerit populo. ibid.c
Iosua morbundus exhortatur filios Israel ad seruanda Dei præcepta. 30.1.a.b
& probibet vt non conueniant cum Gentibus. ibid.
Iosua hortatur Israelitas ad obseruationem legis. 31.1
Iosua cur hic prohibuerit idololatriam. 32.1.c
Iosua & Zorobabel ædificant altare. 362.1.2
impeditur ædificatio. 363.1.2.& ibid
Iosuæ reuelatur tempus & modus transeundi Iordanem. 1.2.c
Iosuæ Deus promittit assistentiam 2.1.b
Iosuæ magnificentia quanta. 7.1.c
Iosuæ lamentatio. 10.2.c
Iosuæ mors. 33.2.b
Iosuæ & coæuorum mors. 37.2.a.b

Ira.

Ira diuina perseuerat, quamuis non purgatur peccatum. 11.2.a
Ira instrumentum virtutis. 93.2.b
Ira pro vindicta. 334.1.c
Ira Dei per spiritum nasi Dei significata. 414.2.c
Ira & inuidia duo extrema vitia. 417.2.b
Ira vitij nomen. 421.1.b
Ira, pro imprecationibus. 437.2.a
Ira Dei multiplex. 451.2.b
Ira, de iustitia diuina. 526.1.a
Ira, seu furor ex naso. 552.1.c
Iratscitur Deus ob reseruatum Benadad. 219.1

Irrisio.

Irrisio Religiosorum. 444.2.b
Irrisio iustorum perfectorum. ibid.
titioni similata. ibid.

Irrito.

Irritare idem quod prouocare. 150.1.a

Isai.

Isai filij quot. 104.2.c

Isaias.

Isaias missus ad Ezechiam quis. 265.2.b

Isboseth.

Isboseth Rex super Israelem. 131.1

Israël.

Israel in peiora recidit. 37.2.b
Israel sociatur gentibus à Domino derelictis, ad ipsius exercitationem. 38.2.c
gentes illæ relictæ paulatim delendæ, cur. ibid.
Israel per extraneos affligitur. 39.1.b. ibid.2.c. 41.1.b,c. 45.1.c. 58.1.a
resipiscens, per Othoniel, Aod, & Samgar liberatur. 39.2.a 40.1.c & 41.1.a
Israel idololatra opprimitur à Madiantis. 45.1
mittitur Gedeoni à Deo liberator. ibid.
signo accepto in vellere certus est de victoria. ibid.
Israel redit ad idololatriam. 51.2.b
Israel percutitur ab Hazaël. 146.1

Israelitæ.

Israelis inimici qui egressi fuerant ad bellum contra Israel. 28.1.a
Israelis duplex pœna vxori Ieroboam prædicitur ab Abra. 208.1.b
Israelitæ sortiti habitationes suas, viuente Mose, qui. 2.2.c
Israelitæ fugiunt coram viris Hai. 10.2.b
Israelitæ semper Deo fideles sub Iosue. 30.1.c
Israelitæ interrogant Deum per Sacerdotem. 34.1.b
Israelitæ duo tantùm peccata commisêre. 37.1.2
pœnitentiam agunt. ibid.b 39.2.a
Israelitæ mortuo iudice reuertuntur ad vomitum. 38.1.c
Israelitæ traduntur inter manus Iabin. 41.1
Israelitæ inermes. 43.1.b
Israelitæ à Madian oppressi. 45.1.c
Israelitæ quomodo reuersi sint de monte Galahad, cùm ibi non essent. 48.2.b
Israelitæ traduntur Philisthæis. 54.2
Israelitæ in idololatriam lapsi traduntur Philisthæis, & Ammonitis. 54.2.b
quibus pœnitentibus eorum Dominus miseretur. 55.1.b
Israelitæ rursum lapsi in idololatriam. 58.1.c
traduntur Philisthæis. ibid.
Israelitæ cæduntur à Philisthæis. 83.1
Israelitæ quo ritu abdicauerint idololatriam. 87.2.a
Israelitæ petendo Regem Deum sunt abominati. 88.2.b
Israelitæ Regem petunt, quare. 95.1.b
Israelitæ petendo Regem peccant, cur. ibid. 2.2
Israelitæ quantum opprimerentur à Philisthæis. 98.1.6
Israelitæ quomodo edebant simul. 105.1.2
Israelitæ cum Saule & filiis occiduntur à Philisthæis. 128.1
Israelitæ cur dissentiebant circa electionem Regis. 133.1.c
Israelitæ asinis vtebantur ad equitandum. 157.1.c
Israelitæ versa facie ad templum orabant. 194.2.c
Israelitæ tribus vicibus in anno tenebantur apparere coram Deo. 198.2.b
Israelitæ quatuor differentiis herbarum assimilati. 264.2.c

Israelitæ

Iſraelitæ ſeparantur à coniugiis cum alienigenis. 181.1 b
Iſraelitarum prima pœna quoad facultates. 37. 2. c
ſecunda maior priore. 38.1.a
tertia. ibid.
Iſraelitarum perfecta pœnitentia. 87.2.b
Iſraelitarum punitionis cauſæ tres. 269.2.b
Iſraelitis quatuor prohibentur à Deo. 30.1.c

Iter.

Iter in ſuperficie aquarum. §35.2.c
in ſuperficie terræ. §36.1.a

Iudæus.

Iudæi diebus feſtis conueniebant ad Prophetas. 234.1.b
Iudæi blaſphemiam auditam execrantur, quomodo. 262.2.b
Iudæi inimicos ſuos interficiunt. 399.1.b
Iudæorum captiuitas in Babylone. 358.1.c
Iudæorum libertas conceſſa à Cyro. ibid.2.c

Iudas.

Iudas Dux Iſraelitarum expugnat Chananæos, Adonibezec, Ieruſalem, Dabir. 34.1
Iudas traditur in manus Seſac, & quare. 328.1
Iudæ Tribus, vide *Sors.*
Iuda duce vnà cum fratre ipſius Simeone plurimæ gentium ciuitates expugnantur. 34. 2. c

Iudex.

Iudices Iſrael non habebant dominium, ſed officium tantùm iudicandi. 61.1.a
Iudicum tempus in tria tempora diſtinguitur. 38.1.b
Iudicum liber, vide *Liber.*

Iudicium.

Iudicium, pro decreto. 59.1.a
Iudicium Dauidis iuſtum ne fuerit de filio viduæ. 153.2.a
Iudicium Salomonis de duobus meretricibus. 179.1
Iudicium diuinum in Ochoziam. 243.1 b
Iudicium ſecundùm legem diuinam Deo attribuitur, non lites, quæ non tunt à Deo. 334. 2. b
Iudicium Dei. 451.1.c
Iudicium futurum prædicatur. 469.2.c
Iudicij futuri neceſſitas ex parte impiorum monſtratur. 474.2.b
Iudicia Dei occulta in ſpecie, non in genere. 68. 2. c
Iudicia Dei à ſumma proficiſcuntur munditia. 86. 2. b
Iudiciorum duo officia. 334.2.c
Deus ſpecialiter aſſiſtit Iudiciis, quæ per vicarios ſuos exercentur. ibid.b

Iuncus.

Iunci ſimilitudo. 432.1.c
Iunci ſine limo duplex intellectus. ibid.c
Iunci ſimilitudo in limoſo. ibid.2.c
Iunci parabola ad virum mundum & rectum. 433.1.b

Iuramentum.

Iuramentum ſigno veritatis indicatum. 4.1.b
Iuramentum Saulis fundatum ſuper falſum inexcuſabile. 101.1.a,c
Iuramentum Dauidis Sauli factum. 119.1.c
Iuramentum executorium, quale. 148.1.b
Iuramentum byperbolicæ locutioni adhibere licitum. 149.1.b
Iuramentum quomodo Dauid ſeruauerit. 166. 2. b
Iuramento profitebatur Eliſæus, & quid. 231. 2. b

Iurandi modus.

Iurandi modus, *Viuit anima tua.* 77.2.b
Iurandi modus per execrationem, qualis. 112. 1. c
Iurandi modus per imprecationem. 120. 2. a 239.2.c
Dauidi quomodo licuerit iurare ſe occiſurum innocentes propter Nabal. 120.2.a
Iurandi modus imprecando ſibi malum. 135. 2. b
Iurandi modus per vitam Dei. 212.1.c
Iurant Iſraëlitæ ſe non daturos reliquiis Benjamin filias in vxores. 70.1
Iurantis verba apud Hebræos. 112.1.c

Iuſtifico.

Iuſtificandi verbum. 233.2.c 440.2.b
Iuſtifico, id eſt, iuſtitiam facio. 415.2.c

Iuſtitia.

Iuſtitia Dei vindicatiua more humano deſcribitur. 172.1.a
Iuſtitia vniuerſa per brachia contrita, ſignificata. 478.2.c
Iuſtitia hominis quomodo non proſit Deo, & iniquitas hominis Deo non noceat. 522.1.c
Iuſtitia diuina iræ nomine intellecta. 526.1.a

Iuſtus, Iuſtum.

Iuſti & impij differunt. 444.1.a
Iuſtorum fœlicitas in hac vita. 456.1.c
Iuſtorum perfectorum irriſio. 444.2.b
titioni aſſimilata. ibid.
Iuſtum multum, pro multitudine iuſta. 518.2.b

Iuuenis.

Iuuenes puerorum nomine ſignificati. 129.1.c
Iuuenes pueri apud Hebr. 203.1.a

L

Labium.

LAbia per faciei oſtia intellecta. 551.1.b

Labor.

Labor corporeus, & requies à laboribus corporeis deſcribuntur. 412.1.b
Labor timoris nomine ſignificatus. ibid.2.a

Laborioſus.

Laborioſus quis. ibid.c

Lachis.

Lachis traditur in manus Iſrael. 17.2.a
Lachis ciuitas. 261.1.b
Lachim ciuitas Bethleem. 301.1

Lætitia.

Lætitiæ effectus. 55.1.b

Lamentatio.

Lamentatio Ioſuæ. 10.2.c
Lamentatio ex præſentibus malis naturalis, & irreprehenſibilis. 422.1.a
Lamentatio eloquij nomine ſignificata. 437.1.c

Lapis.

Lapis quomodo audierit dicta Dei ad Ioſuam & populum. 33.2.b

Lapis adiuto: j. 83.1.b
Lapis aquæ 537.2.a
Lapides duodecim erigiuntur in memoriam ſiccati Iordanis. 6.2
Lapides duodec m quomodo, & cur poſiti in Iordane. 7.1.a
Lapides alij duodecim in ipſo Iordanis alueo poſiti. ibid.2.b
Lapides ſtibini qui. 314.1.b
Lapides pretioſi. 495.2.c
Lapides pretioſi per ſapphirum ſignificati. ibid. 2. c
Lapidum d mus hic quid. 433.1.b

Largitio.

Largitio Ioſiæ, & ducum eius. 355.2.a
Latini carent Participio præſentis temporis ſignificante pauperem fieri. 133.1.b

Latrunculi.

Latrunculi & aſſociati, idem. 235.2.c
Latrunculi Hebraicè, Latinè ſonant ſocietates. 274 1.b

Latus.

Latus, pro tabulato. 183.1.b

Laus.

Laus Dei, benedicendi verbo ſignificata. 403. 1. c
Lætis conſolatio. 428.1.b

Lenticula.

Lenticula apud Hebræos, quid. 243.1.c

Leo.

Leo cuſtodit cadauer Prophetæ, quem occiderat, cur. 206.2.b
Leonum varia nomina. 414.2 c
Leonibus de cibo prouideri à Domino. 538. 2. c

Leproſus.

Leproſi deſperantes annunciant prouidentiam Dei Iſraelitis. 240.1

Leuiathan.

Leuiathan nomen animalis proprium. 548.2.b
Leuiathan etymon. ibid.c
Leuiathan, pro Dæmone. 549.1.a
Leuiathan malitia arguitur iuxta illius membra, potentias & gratiam. 55 .2.c
Leuiathan potentia. 553.1.a
Leuiathan progreſſus. ibid.2.c
Leuiathan gratia per antiphraſim deſcripta. 554. 1. b

Leuita.

Leuitæ nunquam Arcam videbant, ſecundùm legem. 86.1.b
Leuitæ populo benedicunt. 347.2
Leuitæ ſupplent officium iugulandi agnos paſchales apud immundos. 348.1.c
Leuitæ decimam decimæ debebant Sacerdotibus. 349.2.b
Leuitis aſſignantur ciuitates 48. cum ſuburbiis. 26.2.b
Vide *Vxor.*

Leuo.

Leuare peccatum, quid. 103.2.a
Leuare pro condonare, phraſi Hebraica. 430. 2. b

Lex.

Lex, pro ſummo. 145.2.a
Lex ex ore Dei, de præceptis moralibus. 480. 2. b
Legis obſeruationis fructus quis. 2.1.c
Legem diuinam complectendi modus quis. 480. 2. b

Liber.

Liber iuſtorum, ſeu rectus, quis. 16.2.b
Liber Iudicum quo tempore ſcriptus. 39.1.b
Liber verborum dierum Salomonis quis, ignotum. 203.2.b
Liber verborum Regum Iſrael, pro Annalibus. 208.1.a
Liber fœderis quis. 271.2.b

Libertas.

Libertas Iudæis conceſſa à Cyro. 318.2.c
Liberum arbitrium ſignificatur. 449.1.b

Libido.

Libido Salomonis notatur. 201.1.c

Libna.

Libna traditur in manus Iſrael. 17.2.a
Libna ciuitas. 242.2.c

Licentiatus.

Licentiati inter Leuitas qui. 288.2

Ligamen.

Ligamen, vel præſtantia, de anima rationali. 407.1.a

Lignum

Ligna *tina* quid. 199 1.c

Linus.

Linus, de venereis. 548.1.a

Lingua.

Linguæ flagellum. 419.2.c
Linteum hic quid. 221.1.b

Lis.

Lites de diſparatione cum Deo. 447.2.c
Litigandi viæ quinque. 436.1.b

Locus.

Locus, in quo Ioſue meruit videre Angelum, ſanctus, ſeu ſanctitas dicitur, & propterea nuditate pedum venerandus. 8.2.c
Locus excelſus in quo ſuſpiciuntur nubes, nubium nomine ſignificatus. 470.2.b
Locus ſapientiæ. 496.2.c
Locus in quo creatum eſt elementum aquæ, vultuæ nomine ſignificatus. 534.1.c
Locus excelſus naturâ munitus per arcem intellectus. 543.1.b
Loci lapidoſi olearum, petræ nomine ſignificati. 499.2 b
Loca inhabitabilia in acutis ſum mitatibus deſcripta. 96.2.b
Loca obſcuriſſima per vmbram mortis intellecta. 519.1.c
Loca ſub aquis inacceſſibilia. 535.2.c

Longitudo.

Longitudo vitæ deſcribitur. 420.2.b

Loquutio.

Loquendi modus honorabilior nominando Deum in numero plurali. 32.2.b
Loquendi mos honorabilis apud Hebræos. 125.2.a
Loqui & videre in vna, pro loqui & videre abſque mutatione. 514.1.a
Loquitur Deus immutatus. ibid.
quomodo homini loquatur vt erudiat illum, ibid.c
Loquutionis Dei ad homines modi tres. ibidem c

Lorica.

Lorica ſquamoſa, quomodo. 106.1.b

Lucerna.

Lucerna, de successione regia. 337.2.a

Luctus.

Luctus quoad tria significatur a Mephibozeth. 163.2.c

Luctûs tempus nobilium mulierum, non modicum credendum est. 148.2.c

Lugentium salus & beneficium 418.2.c

Lumen.

Lumen, pro actione. 488.1 b

Lux.

Lux, de doctrina. 464.2 b

Lux, de prosperitate. 516.1.b

Lux fulguris. 528.1.a

Lux impiorum, nox. 555.2 b

M

Maceda.

Maceda capitur à Iosua. 17.1.c

Machanaim.

Machanaim ciuitas. 131.2.a 132.2.c 160.1.a

Machinatio.

Machinationes diabolicæ prouidentiæ diuinæ subditæ. 224.2.c

Macula.

Macula, pro pœna. 443.2.a

Madianitæ.

Madianitæ, Arabes. 45.2.a

Magnanimitas.

Magnanimitas Iob arguitur. 431.1.b

Magnates.

Magnates qui ditantur ex muneribus. 458.2.b

Magnificatio.

Magnificatio Iosuæ. 7.1.c

Magnitudo.

Magnitudo ægritudinis. 514.2.c

Magnitudo diuinæ potentiæ ac sapientiæ ostenditur. 453.1.b

Magus.

Magi & harioli, omnes incantatores. 124.2.b

Mahacha, cuius Absalom filia. 327.2.c

Mahon ciuitas. 119.2.b

Maledictio.

Maledicere Deum, pro benedicere quandoque in Scriptura. 550.2.c

Maledictio hypocritarum. 459.2.a

Maledictio impij morientis. 465.1.c

Maledictionis verba Iob quomodo intelligenda. 408.2.c

Malignus.

Malignorum callidorúmque infelicitas. 419.1.a

Malitia.

Malitia Leuiathan arguitur iuxta illius membra, potentias & gratiam. 550.2.c

Malogranata quot in catenis, & retibus. 519.2.b

Malus, Malum.

Malus omnis ignorans. 417.2.c

Malum pœnæ, non culpæ suscitat. 149.2.b

Manasse.

Manasse & Ephraim petunt maiorem hæreditatem. 23.1

Manasses impius instaurat idola. 269 1

moritur. ibid.

succedit Amon. ibid.

Manasses instaurat excelsa. 352.2

ducitur captiuus in Babylon ibid. 353.1.a

agens pœnitentiam, regno restituitur. ibid b

Manassæ regna in Ierusalem. 352.1.b

Manassæ iniquitas. ibid.

Mandatum.

Mandatum transeundi Iordanem quo die factum. 2.2 b

Mandata exploratorum, quæ. 3 1.c

Mandatis iniquis non obediendum. 116.1.b

Manna defecit. 8.2.a

Manus.

Manus, pro potestate. 405 1.b 497.2.a

Manus, pro operatione. 445.1.a

Manus, pro gubernatione. 491.1.a

Manus, pro opere. 431.2.a 506.2.c

Mardochæus.

Mardochæus suader Esther vt Regem pro populo deprecetur. 395.2

Mardochæum honorati iubet Rex, quem ipse Aman honorat tristis. 397.1

Mare.

Mare. 490.1.c

Mare salis, pro mari mortuo. 6.2.a

Mare mortuum per mare salis significatum. ibid.

Mare magnum, pro mari Mediterraneo. 30.1.b

Mare Mediterraneum per mare magnum indicatum. 30.1.b

Mare fertile defertibitur. 190 1.b

Mare per aquarum congregationem significatum. 496.2.c

Mare, id est, congregatio aquarum. 527.1.c

Maris & ceti custodia, diuinæ prouidentiæ est. 428.1.a

Maris celsitudo quæ. 434.2.c

Maris radices, de montibus. 527.1.c

Maris ostia & feræ quæ. 534.1.c

Mas, Masculus.

Mares domestici per Dracones indicati. 505.2.b

Masculi nati post egressum de Ægypto quare non circumcisi in via. 8.1.b

Masculorum circumcisorum triplex genus. ib.a

Mater.

Mater faciens tortum, quid. 113.2.a

Mediator.

Mediator interpretis nomine intelligitur. 515.1.b

Megiddo ciuitas. 245.1.c

Melchisedec, id est, Rex iustitiæ. 20.1.a

Melech quid nominis. 225.1.c

Membrum.

Membrorum sensibiles dispositiones inter orandum quomodo Deo placeant. 394.2.c

Mendacium.

Mendacium officiosum Dauid Ionatha docuit. 112.1.b

Mendacium officiosum Dauid. 114.1.b

Mendacium Prophetæ ex Samaria. 206.1.c

Mens.

bonæ Mentis culpam timent, vbi non est. 118. 2. a

Mensis.

Mensis primus, proculdubio mensis, in quo celebratur Pascha. 7.2.b

Mensis septimus mensis festum dicitur apud Hebr. cur. 193.2.c

Mensis quintus apud Hebr. quis. 276.1.a

Menses fixi. 410.1,c

Menses lunares. ibid.

Index Rerum,

Mensura.

Mensura prima quid. 318.2.b

Mentior.

Mentiri Deo, pro peccare in illum 518.2.b

Meridies.

Meridies dextra nomine significata. 482.2.a

Meritum.

Merita Sanctorum, etiam defunctorum quanti pendantur à Deo. 265.2.b

Messias.

Messias Hebraicè vnctio, Latinè Christus dicitur. 79.1.c

Messiæ resurrectio indicata. 469.1.a

Messiæ duplex natura significata. ibid.

Michæas, Michæus.

Michæ iubet matri idolum fieri, cui Sacerdotem Bethlehemitem præficit. 63.2

Michæas prædicit Achab occidendum in prælio. 223.2

Michæas an responderit oppositæ Achabo. 224.1.b

Michæas visione imaginaria vidit Deum. ibid.c

Michæas hic quis. 225.1.c

Michæas resistit 400 pseudo Prophetis. 333.1

Michæas iste an fuerit vnus è 12. Prophetis. ibid.b

Michol.

Michol corde & verbis despicit Dauid. 141.1.c

Michol an non genuerit post irritum Dauidem. ibid.

Militia.

Militia armata Deo grata. 39.1.a

Millo.

Millo, quid. 197.2.c

Ministerium.

Ministerium seruitutis nomine significatum. 198.2.a

Miphiboseth filio Ionathæ restituit Dauid omnes agros Saulis. 146.1

Miraculum.

Miraculi modus prædicitur. 6.1.b

Miracula fiebant meritis Eliæ. 228.2.c

Miracula Elisæi. 229.2.c

Miracula virtus diuina operatur prout vult. 235.2.b

Miraculorum effectum demerita nonnunquam impediunt. 233.1.a

Miraculis ostendit Deus se esse cum Iosue. 5.1

Miscellus, Miser.

Miselli & pauperes qualiter gubernentur. 419.1.b

Miser pupillæ nomine significatus. 507.2.b

Miseratio, Miseria.

Miseratio hypocritarum. 471.2.b

Miseria impiorum. 456.2.c

Miseriæ impiorum enarratæ. 464.2.b

Misericordia.

Misericordia pro gratia. 146.1.b 195.1.a

Misericordia Dei. 198.1

Misericordia. 507.2.b

Mizpam ciuitas. 276.2.c

Moabitæ.

Moabitæ tributum pendebant Regi Israel. 227.1.b

Moabitæ tributarij. 299.2

Moabitarum Rex an pugnauerit contra Israel. 31.2.c

Moderamen.

Moderamen ponderis nomine significatum. 497.2.c

Modestia.

Modestia Iob erga vxorem. 408.1.a

Modius, Modus.

Modius quid. 241.1.a

Modus quo Deus alloquutus est Iosuam. 1.1.c

Modus & tempus transeundi Iordanem reuelatum Iosuæ. 1.2.c

Modus progrediendi Sacerdotum portantium Arcam in transitu Iordanis. 5.2.c

Modus miraculi prædictus. 6.1.b

Modus quo arca transiit. 7.2.a

Modus iurandi per vitam Dei. 212.1.b

Modus loquendi ad significandum se infirmum ad aliquod opus. 242.1.b

Modus suffocandi, quo vius Hazaël in Benadad. ibid.

Modus consecrandi filios Molech. 272.1.c

Modus duplex sciendi. 415.2.b

Modus diuinorum operum notitiam habendi quis. ibid.c

Modus legem diuinam complendi quis. 480.2.b

Modus quo Deus effecit naturalia in sphæram, & modus quo pulchritudine donauit cœlos, differunt. 490.2.c

Modi duo quibus agit Deus. 481.1.a

Mœror.

Mœror per primogenitum mortis significatus. 465.1.c

Mœror comesturus membra pellis, cur. ibid.

Mœroris signa quatuor. 408.1.c

Mola.

Mola, pro scorto publico. 507.1.a

Molares vnde dicti. 551.1.c

Mollities.

Mollities carnis. 552.2.b

Mons.

Mons Israel quis. 18.2.b

Mons Oliueti, mons destructionis, cur. 272.2.b

Montes excelsi de potentatibus. 164.1.a

Montes generabiles & corruptibiles. 434.2.a

Montes excelsi per columnas cœli significati. 490.2.b

Montes per radices maris intellecti. 527.1.c

Mors.

Mors senibus præsens. 30.2.c

Mors Iosuæ. 33.2.b

Mors Eleazari Sacerdotis. ibid.c

Mors Iosuæ & coæuorum. 37.2.a,b

Mors Aod. 481.b

Mors Tholæ. 54.2.b

Mors cordis quæ. 121.2.b

Mors, & orbatio causatæ ab aquis Iericho, quomodo intelligendæ. 230.2.a

Mors est bonum à diuinâ procedens prouidentia. 234.1.c

Mors, & certus dies mortis omni homini constitutus. 451.2.a

Mors hominis, eiusque conditio quæ. 452.1.b

Mors per mutationem facies significata. 454.1.c

Mors repentina describitur. 458.1.b

Mors depicta. 462.1.a

Mors inferni nomine significata. 462.2.c

Mors, per regem terrorum intellecta. 465.2.a

Mors per sinistram descripta. 531.1.b
Mors ineuitabilis nulla exauditur prece. 525.1.b
Mortis dignus apud Hebræos, de mortis filio. 113.2.b
Mortis portæ, & illius vmbræ differunt. 536.1.a
Mortis dies homini incertus ibid.2.b
Mortem in senectute tempore suo futuram 410.2.b

Mortuus.

Mortuorum resurrectio. 453.1.b
a Mortuis resuscitatus primus fuit puer viduæ. 213.2.b

Mos.

Mos execrandi apud Hebræos. 112.2.b
Mos coronandi Regem apud Hebræos. 248.2.c

Moyses.

Moyses seruus Dei. 1 2 b
Moyses moritur. ibid.
Moyses & Iosua, scribæ Israël. 43.1.b

Mulier.

Mulier altera, pro adultera. 55.2.b
Mulieris amor quò ducat. 148.1.c
Mulieres per modum exercitus conueniebant ad ostium tabernaculi, vt cum filiis Heli dormirent. 80.1.b
Mulieres non ibant in processionibus apud Hebr. 141.1.b
Mulieres in Samaria, fame vrgente, comedunt filios. 4238.1
Mulieres domesticæ per filias struthionis significatæ. 505.2.b
Mulierum affectus periculosus. 147.2.c

Multitudo.

Multitudo sæpe singulari numero apud Hebr. significatur. 41.1.2 520.2.2

Mundanus.

Mundani verba propriè celsitudinis multiplicant. 78.1.b

Munditia.

Munditia à menstruo, comes conceptionis. 148.1.2

Mundus, substant.

Mundus collium nomine significatus. 455.1.c

Mundus, adiect.

Mundus manibus, id est, munda habens opera. 463.1.b
Mundum neminem inueniri apud Deum. 456.1.2
Mundorum duo genera. 437.1.c

Munus.

Munus, non pretium dare volebat Saul Samueli. 89.2.b
Munus, pro seruitute apud Hebr. 258.1.b
Munus, pro tributo. 532.2.6

Murus.

Muri Ierusalem ædificantur. 373.1
catalogus eorum qui muros ædificârunt. 374.1
extructo muro applicantur custodes per Nehemiam. 379.2.a
numeratur populus. ibid b,c
populum consolatur Nehemias. 386.2
populus vxores alienigenas abiicit. 382.1
misericordia & beneficia Dei in populum. ibid.
percutit fœdus cum Deo populus. ibid.

Musica.

Musica mitigat & tranquillat animum. 106.2.c
Musica adhibita in sacrificiis. 322.1.a
Musica quid operetur in sacris. 231.2.b

Mutatio.

Mutatio faciei de morte. 454.1.b
Mutationes multæ in Ierusalem. 138 1.b

Mysterium.

Mysterium inclinationis manûs ac lanceæ Iosuæ contra Hai. 141.b

N

Naaman.

NAaman Syrus per Elisæum curatur à lepra. 235.1
Naaman ad quid petat terram ab Elia. 236.2.b

Nabal.

Nabal moritur. 119.2
Nabal durus & malus. ibid.b
Nabal ab ignominia deriuatus. 120.2.b

Naboth.

Naboth ob denegatam Regi Achab vineam lapidatur. 221.2
Naboth vnus erat ex præcipuis ciuibus. 222.1.b
Nadab, & Baasa quandiu regnârint. 210.2.b
Najoth locus quidam in territorio ciuitatis Ramæ. 210.2.c

Nasus.

Nasus respirationis organum. 491.2.c

Nathan.

Nathan interficitur. 247.2
Nathan Propheta dicitur. 346.2.b

Natiuitas.

Natiuitas Samsonis prænuntiatur patri suo Manuæ. 58.1

Natura.

Natura sensitiua communis animalibus & hominibus. 422.1.b

Nauigatio.

Nauiganti duo occulta. 536.1.a
Nauigatio Salomonis in Ophir. 325.1.c

Nazaræatus, Nazaræus.

Nazaræatus Samsonis perpetuitas prænuntiata. 582.1
Nazaræus per spontaneum Doctorem intellectus. 332.2.c
Ne glorietur accinctus, æquè vt discinctus, adag. 219.2.b

Nebula.

Nebula caliginis nomine significata. 194.1.c
Nechao Rex Ægypti. 350 2.a
mittit nuncios ad Iosiam. ibid.

Negligentia.

Negligentia Sacerdotum tempore Ioæ quantum durauerit. 250.1.b

Nehemias.

Nehemias pro populo Israël orat. 372.1
peccata agnoscentium miseretur Deus. ibid.
impetratis literis à Rege Artaxerxe venit Ierosolymam. 373.2.c
Nephthali & Zabulon laudantur. 442.2.a
Nerui testiculorum. 547 1.b
Nidus de filiis. 502 2.c
Nimis, pro valde. 105.2.b 108 2.b
Nisan primus mensis in anno sacro. respondens partim Martio, partim Aprili nostro. 373.1.b

Nix.

Niuis & grandinis thesauri. 536.2.b
Niues & pluuiæ. 528.1.c

Nobilis.

Nobiles comitantes Regem euntem ad concubinam, an peccent. 237.1.b
Nobiles, de substantijs spiritualibus. 554.2.b

Nocendi verb.

Dæmones impotentes ad Nocendum sine permissione diuina. 224.2.a
Noemi reuertitur in Bethlehem. 72.2

Nomen.

Nomen diuinum magnificatum quotiescumque Reges Israël secundùm Deum directi sunt. 144.2.a
Nomina Tribuum, non Patriarcharum hîc significata. 34.2.c
Nomina nebulæ replentis domum Domini explicantur. 194.1.b
Notitiam diuinorum operum habendi modus quis. 445.2.b

Nox.

Nox opportuna ad improuisam aggressionem. 158.2.b
Nox, vmbra mortis. 434.2.c
Noctem in diem ponere, pro priuari somno. 463.2.a
Nocte, pro occultè. 526.1.b

Nubes.

Nubes, de loco excelso in quo suspiciuntur nubes. 470.2.b
Nubes, de loco vbi nubes generantur, & quæ apparent in aëre. 479.2.b
Nubium duplex officium. 490.1.a
Nubium extensio per vmbraculum Dei intellecta. 527.1.c
Nudum nasci, id est, absque opibus & filijs. 406.1.b

Numerus.

Numerus septenarius à Deo consecratus. 216.1.c 236.1.c
Numerus septenarius in lege sacratus. 346.1.c
Numerus reuertentium è captiuitate. 360.2.b
Numerus finitus pro infinito. 434.1.b

Nuncius.

Nuncij prudentia, præuenire iram eius, cui nuntiat. 148.2.b
Nunciis Saulis plus collatum, quàm illi. 111.1.c

O

Obededon.

OBededon, quis. 140.2.b

Obedientia.

Obedientia Deo placita pro holocaustis. 103.1.c
Obedientia iniqua, cùm mandatum est iniquum. 148.2.a

Oblatio.

Oblationes & sacrificia quomodo non prosint Deo. 522.2.b

Obliuio.

Obliuio spem tollit. 313.1.b
Obliuiscentium Deum vix, & spes hypocritæ iunco assimilatæ. 432.2.a

Obscuritas.

Obscuritas *abscondita*, pro inuisibili. 473.1.b
Obscuritas, de iis, quæ sub terra, seu sub aquis. 495.1.b

Obseruatio.

Obseruationis legis fructus quis. 2.1.c

Obsidio.

Obsidio Hammonitarum per Ioab. 147.2.b

Obstaculum.

Obstacula scutorum nomine intellecta. 551.2.a

Occisio.

Occidi quomodo prohibetur filius pro peccato patris. 120.2.b
Occisio tyranni licita, qui non est dominus gentis. 41.1.a

Occupatio.

Occupationes variæ hominum per vagationes significatæ. 246.2.a

Ochozias.

Ochozias ægrotans & consulens Beelzebub corripitur ab Elia. 227.1
Ochozias impius pugnat contra Hazaël. 538.1.a
occiditur à Iehu. ibid.2.b
Ogana, instrumentum musicum. 296.1

Oculus.

Oculi, de omnibus sensibus. 554.2.b
Oculi, de intellectu, scientia, astutijs, calliditatibus, &c. 552.1.a
Oded Propheta. 344.1.b

Odium.

Odium promptum ad occidendum quomodo exprimitur. 152.2.b

Officium.

Officium finitorum quod. 182.1.c
Officium templi quod. 194.2.a
Officium diaboli decipere. 225.1.b
Officium Sacerdotis, & Scribæ Regis quod. 270.1.b
Officium arguendi reprehenditur. 425.1.a
Officium duplex nubium. 490.1.a
Officium Dæmonis detribitur. 547.1.a
Officium ossium. ibid.b
Officium duplex dentium. 551.1.b
Officium colli. 552.2.a
Officia duo iudiciorum. 334.2.c

Oleum.

Oleum tusum quod. 181.2.c
Oleum bonum, de vnguento pretioso, quo Reges vtebantur in regione illa, vbi frequens erat vsus vnctionum. 268.1.c
Omne vinum ad multitudinem, quid. 378.1.b
Onager. 540.1.b

Onus.

Onus, & eleuatio, de vindicta diuina. 245.1.b

Operatio.

Operatio manûs nomine significata. 445.1.a
Opes tabernaculi nomine significatæ. 433.2.b

Oppressio, Oppressus.

Oppressio pauperum. 510.1.b
Oppressi violentiâ. 523.1.a
Oppressorum clamor absque agnitione celsitudinis diuinæ, & beneficiorum Dei. ibid.b

Opus.

Opus diuinum impleri per causas secundas. 20.1.c
Opus Sancti Sanctorum, quod. 284.1
Opus manûs nomine significatum. 431.2.a
Opus naturæ Dei manibus attributum. 439.2.b

Opus manûs nomine significatum. 506.2.c
Opus hic Dei quod. 526.2.b
Opus Dei proponitur. 527.1.a,b
Opera directa Deo referuntur quæ. 78.1.c
Opera Dei quomodo non fuerint directa, triplex expositio. ibid.2
Opera Dei fieri contra rationes rerum. ibid.c
Opera Dei quomodo efficiantur. 445.2.c
Opera fortitudinis diuinæ circa genus humanum quæ. 446.1.a
circa elementa quæ. ibid.b
Opera bona non prodesse homini ad bona præsentis vitæ. 517.2.a
Opera Dei per lucem cœlestem. 528.2.c
Opera Dei hominibus occulta. 530.2.b
Opera Dæmonum per fœnum significata. 546.2.b
Operum immundorum metaphorica descriptio. 437.2.c
Operum diuinorum notitiam habendi modus quis. 445.2.b

Oraculum.

Oraculum in qua parte Templi erat. 185.1.b

Oro, Oratio.

Orare per in facie Dei stare intelligitur. 212.1.c
Oratio Samuelis exauditur. 86.2
Oratio Prophetæ quantum efficax. 87.2.c
Oratio Dauidis contra Achitophel. 155.1
Oratio Ioſiæ. 271.1.c
Oratio Ezechiæ ad Sacerdotes, & Leuitas. 345.1

Ordino, Ordinatio.

Ordinare, pro disponere. 5301.c
Ordinatio continua quid. 317.1.c

Ordo.

Ordo progressûs populi post transitum Iordanis. 7.1.b
Ordo præposterus Hebræis familiaris. 247.2.a 255.1.c 407.1.c 419.2.b
Oreb, & Zeb occiduntur. 48.2
Organi canni ex alabastro. 199.2.a

Orphanus.

Orphanus, pro quacumque miserabili persona. 508.1.b

Os, ossa.

Os basis quid. 191.1.c
eius figura. ibid.2.a
clausura basis qualis. ibid.b
Ossa Ioseph sepulta. 33.2.c
Ossa graduum, quid. 244.1.b
Ossium officium. 547.1.b
Ossium parvorum multitudo virgis ferreis similata. ibid.c

Os, oris.

Os duorum, pars primogeniti, cur. 229.1.a
Oris duplex vsus. 552.1.c
Osee transfertur in Assyrios. 258.1
quandiu regnauerit. ibid.a

Ostia.

Ostia & fossæ maris quæ. 534.1.c

Ouis.

Oues cœlesti igne consumptæ, per viam dirutam indicatæ. 503.2.b
Oues viis dirutis similatæ. ibid.b

Othoniel.

Othoniel ducit Axam filiam Caleb, additâ terrâ irriguâ. 21.2.c 35.2.b
Othoniel primus iudex Israëlis. 39.2.b
Othoniel liberat populum. 38.2

Oza.

Oza caput, percutitur à Deo, fratre incolumi. 140.1.c
Oza occiditur à Deo quòd arca non portaretur à Leuitis. 293.2
Ozæ peccatum factum erroris, quomodo. 140.2.b

Ozias.

Ozias quærit Deum, & vincit Philisthæos. 342.1.c
turres ædificat. ibid.c
superbiâ elatus Deum negligit. 343.1.a
volens adolere incensum percutitur leprâ. ib.b

P

Pactum.

PActum falsi quod, ignotum. 329.1.a

Palatium.

Palatium regale primum apud Hebræos ædificatum à Dauide. 138.2.c

Pallium.

Pallij præcisio Saulis an fuerit culpabilis Dauidi. 118.2.a

Palma.

Palmæ & catenæ templi an incisæ essent in lignis, aut in auro. 318.2.c

Palpebra.

Palpebræ auroræ, pro primis auroræ initiis. 410.2.a

Panis.

Panis facierum quis. 114.2.a
Panis putrefactionis cibi, pro ægritudinibus. 422.2.a
Panis, pro cibo. 507.2.b
Panis nomine, panum multitudo significata. 49.1.b
Panis appellatione quilibet cibus in Scriptura significatur. 275.2.a
Panis nomine cibus & potus comprehenditur. 377.2.c
Panem primum ex pasta faciunt Iudæi pro Sacerdote. 585.1.c
Panes primitiarum qui. 255.2.b
Panes propositionis. 288.1

Parabola.

Parabola arborum quò. 52.1.b
Parabola iuncî ad virum mundum, & rectum. 433.1.b
Parabola, pro sermone Iob. 491.2.b
Parabolæ & sententiæ Salomonis. 180.1
Vide *Similitudines.*

Paratio.

Paratio sicut tempus vitæ quid. 233.2.b
Parationis nomen commune multis materiis apud Hebr. ibid.c

Paratum, Paratus.

Parata, & paratus hîc, quid. 208.2.c
Parati, de pueris meretricijs. 272.1.b

Parens.

Parentum peccata quomodo dicantur puniri in filiis. 475.2.b

Paritas.

Paritas per ministerium manuum diuinarum significata. 518.2.c

Index Rerum,

Pars.

Pars impij apud Deum quid. 473.2.b
Parte,& hæreditate, tam pœna, quàm præmium significata. 506.1.b
Partes terræ lapideæ fortitudinis nomine significatæ. 490.2.c

Parum.

Parum pro nihilo reputatur. 247.1.a

Paſcha.

Paſcha ſolemne in Ieruſalem. 348.1.b
celebratur Paſcha. 366.1.b
Paſcha Ioſiæ celeberrimum. 356.1.b

Paſſio.

Paſſio timoris. 421.2.c
Paſſiones animi. 508.1.a

Paſtor.

Paſtores hîc qui. 114.2.b

Pater.

Pater Dauid vir auguſtus deſcribitur. 106.1.c
Pater,de ſupremo inter artifices. 311.1.a
Patris nomen honorabile apud priſcos. 236. 1.c

Pauimentum.

Pauimenta Templi quot cubitis conſtabant. 183. 1.b
modi quibus medij & ſupremi trabes pauimentorum poſſunt iungi muris templi. ibid.
Pauimentorum latera. 183.2.a

Pauor.

Pauor, potentia pauorem incutiens. 438.1.b

Pauper.

Pauperes & miſelli qualiter gubernentur. 419. 1.b
Pauperum oppreſſio. 520.1.b
clamor. ibid.

Pax.

Pax,de ſalute apud Hebræos. 17.1.b
Pax Iſraëlitis. 26.2
Pax,pro vniuerſo bono. 148.1.b
Pax,vniuerſa bene geſta ſignat. 161.2.b
Pax,bona ſignat apud Hebr. 243.2.c
Pax,pro ſalute apud Hebr. 334.1.b
Pax ad omne bonum extenditur. 434.1.c
Pax, de ſalute vniuerſa apud Hebræos. 460. 1.a
Pax ſpiritualium ſubſtantiarum quomodo ſit effectus terroris diuinæ poteſtatis. 487.2.c
Pacis nomine ſoſpitas,ſalus, & huiuſmodi bonorum collectio ſignificata. 47.1 b
Pacis nomine bona cuncta ſignificabant Hebræi. 106.2.b
Pacis bonum in familia. 474.2.c
Pacificatio Iob per humiles oculos, & opera munda. 481.1.c

Peccatum.

Peccantium ſtatus per errorem,vel ignorantiam. 440.1.c
Peccantium ſtudiosè ſtatus. ibid.2.a
Peccantium genus quintuplex. 443.1 b
Peccatum quandiu non purgatur,perſeuerat materia iuſtitiæ vindicatiuæ. 11.2.a
Peccatum in Deum, & peccatum in hominem differunt. 80.1.c
Peccatum filiorum Heli ad inſtar calcitrantis in ſacrificia deſcriptum. ibid.2.a
Peccatum triplex filiorum Samuelis. 88.1.c
Peccatum Ozæ factum erroris, quomodo. 140. 2.a
Peccatum populi quale fuerit, propter quod Deus permiſerit numerationem eius per Dauidem. 172.1.a
Peccatum Salomonis vnde aggrauatum. 201. 2.c
Peccatum Homri quàm graue. 211.2 b
Peccatum tolli, dupliciter intelligitur. 430. 2.b
Peccatum nullum relinqui impunitum. 450. 2.b
Peccati remiſſio,ſolâ Dei gratia. 429.2.c
Peccata & iniquitas differunt. 449.2.b
Peccata parentum quomodo dicantur puniri in filiis. 475.2.b
Peccata ex contemptu quomodo excludantur ab efficacia aliquid faciendi Deo. 512.2.b

Pedes.

Pedites militares curſorum nomine ſignificati. 247.1.c

Pellis.

Pellis & caro veſtimentis collata. 440.1.a

Pelta.

Pelta,ſcuti ſpecies. 339.1.c

Percuſſio.

Percuſſio manûs nomine ſignificata. 481.2.b

Perditio.

Perditio impiorum. 475.1.c

Perfectio.

Perfectio Iob. 406.1.b

Perfectus.

Perfecti etiam à Deo affliguntur. 440.2.b,c

Perfidia.

Perfidia diuitis. 487.1.b

Periculum.

Pericula latentia deſcribuntur. 465.1.a

Perpetuitas.

Perpetuitas Nazaræatus Samſonis prænuntiatur. 58.2.c

Perplexitas.

Perplexitas,de iunctis aquis in vno flumine.496. 1.c

Perſeuerantia.

Perſeuerantia Samuelis in officio. 81.1.b
Perſeuerantia animæ poſt mortem ſine corpore. 427.1.b

Perſona.

Perſonæ omnes miſerabiles per viduas & pupillos ſignificatæ. 478.2.c
Perſonarum acceptio à Deo excluſa. 518.2.c

Pes.

Pes,pro affectu. 483.1.a
Pedis feſtinatio electionem deliberatam denotat. 506.2.b
Pedes,de chamelis,bobus & aſinis. 503.1.c

Peſtis.

Peſtis ceſſauit tempore oblationis holocauſti. 173.2.b
ex Peſte immiſſa ob peccatum Dauidis nullæ mulieres mortuæ. ibid.1.a

Petitio.

Petitio dura,quæ. 229.1.b

Petra.

Petra Regis pondus publicum. 155.2.c
Petra ad vſum præcipitationis. 253.1.b
Petra,pro lapidoſis locis olearum. 499.2.b

Phasé.

Phasé celebratum. 81.c
Phasé celebratus iussu Ezechiæ. 347.2
Phenenna Elcanæ vxor zelotypiâ tacta. 76.1.c

Philisthym.

Philisthiim quo sine potuerint arcam iuxta Dagon. 84.2.a
Philisthæi fatentur arcam esse summi Dei. 85.1.c
Philisthæi arces aliquas munitas sibi retinent, licèt restituerint ciuitates. 91.2.c
Philisthæi percutiuntur à Saule. 96.1
Philisthæi quomodo fracti, & tamen tumultuantes. 99.2.b
Philisthæi occiduntur. 206.1
Philisthæi vincuntur. 299.2.301.1
Philisthæos facit sibi Dauid tributarios 144.2
Placiditas Israëlis, locus in quo occisus est Saul. 130.1.c

Plaga.

Plaga qua fuerunt percussi Assyrij obsidentes Ierusalem. 265.2.c
Plaga Iobis dira. 426.2.c

Planula.

Planula ferrea tormenti genus. 151.1.b

Platea.

Platea hîc quid. 221.1.a

Pleiades.

Pleiades, sidera, Latinis vergiliæ. 537.2.b

Plena luna.

Plena luna pretiosa, cur. 508.2.a

Pluuia.

Pluuia in terra deserta. 537.1.b
Pluuiæ principium cum tonitruis & coruscationibus. ibid.a
Pluuiæ generationis locus canali similatus. ibid.
Pluuiæ cessatio significata. 538.2.b
Pluuiæ datæ mirabiliter populo, per stillationem cœlorum indicatæ. 42.1.c
Pluuiæ, & niues. 528.1.c

Pœna.

Pœna Israëlitarum prima. 37.2.c
secunda. 38.1.a
tertia. ibid.
Pœna leuis indicat veniale peccatum. 206.2.b
Pœna Israëlis duplex, prædicitur vxori Ieroboam ab Abia. 208.1.b
Pœna impiorum in altera vita. 424.1.c
Pœna maculæ nomine significata. 443.2.a
Pœna impij. 472.1.b
Pœna sensûs. 475.2.a
Pœna sensûs dolorum nomine significata. 475.2.a
Pœna damni. ibid.
non æqua omnibus. ibid.b
Pœna animæ intellectiuæ ad instar fractionis significata. ibid.c
furori bibito similata. ibid.
Pœna iniquorum in filiis & progenie in hac vita, & post mortem. 493.1.b
in argento, & vestibus, tanquam in mobilibus. ibid.c
in immobilibus. ibid.
Pœna impiorum,
damni. 493.2.b
sensûs in parte intellectiua. ibid.
in parte appetitiua. ibid.c
in omnimoda inquietudine. 494.1.b
in plena irritione. ibid.
Pœna & præmium, partis & hæreditatis nomine significata. 506.2.b
Pœna iniquorum duplex in altera vita. 506.1.c
Pœnæ malum quod. 457.1.c 472.1.b
Pœnæ causa quæ. 461.2.a
Pœnæ Heit. 80.2.c 81.1.b
Pœnæ furiæ vitæ defectûs nomine significatæ. 485.2.b

Pœniteo, Pœnitens, Pœnitentia.

Pœnitendi temporis priuatio. 519.1.c
Pœnitenti & fidenti parcit Deus propter promissiones. 94.1
Pœnitentium signa. 220.2.b
Pœnitentia metaphoricè in Deo intelligenda. 38.1.c
Pœnitentia perfecta Israëlitarum. 87.2.b
Pœnitentia Deo attributa metaphoricè. 102.2.b
Pœnitentia & innocentia quomodo non prosint homini. 522.1.b

Polus.

Polus antarcticus aulæ nomine significatus. 528.2.b
Polus arcticus sparsionum nomine intellectus. ibid.a

Pomum.

Poma de rebus pretiosis. 337.1.b
Pomorum nomine pretiosa intelligi. 451.2.b

Pondus.

Pondus, pro moderamine. 499.2.c

Pono.

Ponere fortitudinem super pulueream quid. 480.2.c
Ponendi verbum. 416.2.c

Pons.

Pons solij Salomonis ad quid, & an aureus. 326.1.c

Populus.

Populus quo ordine progrediebatur post transitum Iordanis. 7.1.b
Populus secundùm legem nunquam Arcam videbant, imò nec Leuitæ. 86.1.b
Populus Israëliticus comedit cum sanguine, quomodo. 100.2.a
Populus Israël hæreditas Dei. 196.1.b
Populus furore exardescit in exactorem tributorum. 204.2.c
Populus sumitur pro Rege. 221.2.b
Populus peccati admonitus, conuertitur ad Deum. 328.1
Populus simulachra & lucos demolitur. 349.1
Populus captiuus. 357.1
Populus Iudæorum reducitur in libertatem. 400.2
Populi localis dispositio sub Iosua. 14.2.a
Populi Israëlitici vocationes duæ, & consentus vnus. 31.1.b
Populo Israël benedicitur. 14.2.b

Porta.

Porta ciuitatis apud antiquos locus ciuitatis illustrior, & in quo sedebant senes & iudices. 417.2.c
Portæ mortis, & portæ vmbræ mortis differunt. 536.1.a

Possessio.

Possessio Ruben, Gad, & dimidiæ Tribus Manasse. 19.2

Potentatus, Potentia.

Potentatus per montes excelsos significati. 264.1.a

Potentia Dei incomprehensibilis ex ipsius operibus demonstrata. 489.2.b
Potentia Leuiathan. 553.1.a
Potentiæ diuinæ magnitudo ostenditur. 435.1.b

Potestas.

Potestas manûs nomine significata. 405.1.b.407.2.a
Potestis exterminatrix gladij nomine intellecta. 469.2.c

Præceptum.

Præcepta moralia per legem ex ore Dei significata. 480.2.a

Præcisio.

Præcisio pallij Saulis an fuerit culpabilis Dauidi. 118.2.a

Præda.

Præda & calamitas. 420.1.a
Prædæ diuisio inter quos fieri iussa à Iosua. 28.1.c

Præfectus.

Præfecti thesaurorum ordinantur. 309.1
Præfecti & Principis Dauidis ministrantes. 311.1
Præfecti substantiæ, & ordinarij. ibid.

Prælium.

Prælium Israëlitarum, prælium Dei. 16.2.c
Prælium diuinum aduersùs impium pluuiæ instar describitur. 472.2.c
Prælium inter Leuiathan & hominem. 553.1.b
Prælij aggrauatio in Saulem quomodo facta. 128.1.c

Præparatio.

Præparatio via ad rem. 498.1.c

Præstantia.

Præstantia, de anima rationali. 417.1.a

Pratum.

Prati similitudo. 432.1.c

Prauus.

Prauorum consilium dissipatur. 419.1.b

Pretium.

Pretium reconditorum in thesauris argento fortitudinum significatum. 481.1.a
Pretium sapientiæ. 496.2.c
Primi ad mapum Regis qui fuerint. 300.1.a

Primogenitus.

Primogenitus mortis, id est, mœror. 465.1.c

Principatus.

Principatus scribæ in exercitu qualis. 276.2.b

Princeps.

Princeps laniorum quis. 276.1.b
Princeps indita eget intelligentia. 179.2.a
Princeps hypocrita quis. 520.2.b
Principis mors repentina, cum extinctione principatus. 519.1.b
Principes propensiores sint ad vitam, quàm ad mortem hostium. 145.1.b
Principes & præfecti Salomonis. 180.1
Principes quanta diligentia debeant ædificare templa. 186.2.b
Principes confœderati sociorum nomine indicati. 408.1.b
Principes, de Angelis. 518.2.b
Principes mundi cultus diuinos simulasse, cur. 520.2.i
Principum contritio non extincto principatu. 519.1.b
Principum auaritia. 520.1.b

Principium.

Principium pluuiæ cum tonitruis & coruscationibus. 537.1.a
Pro figura equitatus, Cherubim aurei, quomodo intelligendum. 313.2.b
Probatio Dei. 429.1.c
Problema Samsonis. 60.1
Profundum, de viris quieti vitæ contemplatiuæ deditis. 553.2.c

Progressus.

Progressus populi post transitum Iordanis. 7.1.b
Progressus Leuiathan describitur. 553.2.c

Promissio.

Promissio diabolica in gaudio & lætitia descripta. 552.2.b
Promissiones de terra Chanaan impletæ. 26.1

Propheta.

Prophetæ oratio quàm efficax. 87.1.c
Prophetæ Domini qui. 214.1.b
Prophetis quomodo reuelet Deus. 34.2.b

Prophetia.

Prophetia Ahiæ, & Iacob, de Ephraim prælato Manassi, quomodo adimpleta. 205.1.a
Prophetia de delectione domûs Ieroboam adimpleta. 210.2.a
Prophetia Iehu adimpletur. 211.1.b
Prophetia Moysis de cœlis æreis adimpletur tempore Eliæ. 212.1.b
Prophetiæ donum malo Prophetæ datum. 206.2.a
Prophetiæ donum non semper aderat Prophetis. 234.1.c
Prophetiæ spiritus in quo consistat. 337.1.b
Prophetiam non vendebat Samuel. 84.2.b

Propinquus.

Propinqui Iob, qui appropinquare sibi soliti. 467.2.c

Prosperitas.

Prosperitas spiritûs mouentis Saulem. 93.2.c
Prosperitas quoad diuina, & terrena quæ. 165.2.a
Prosperitas impiorum, propinquitas casuum, & momentanea duratio. 470.2.a
Prosperitas vniuersa veluti vento innixa. 504.2.c
Prosperitas lucis nomine significata. 516.1.b

Prouidentia.

Prouidentia diuina circa bonos & malos. 79.1.b
Prouidentiæ diuinæ mirabile factum. 244.2.b

Prudentia.

Prudentia Saul. 94.1.a

Psallo, Psalmus.

Psallere hîc quid. 1052.2.a
Psalmi sermonum nomine intellecti. 346.2.c

Puellus, Puer, Pueritia.

Puelli Deo dicati in domo Domini manebant apud Israëlitas. 77.2.a
Puer mortuus Sunamithis paulatim ad vitam redit. 235.1.a
Puer Dauidis moritur. 149.1
Puer paruulus, de adolescente. 179.1.c
Pueri significatio multiplex apud Hebræos. 243.2.a
Puerum Deo dicatum vestire parentum erat. 79.2.c
Pueri, pro iuuenibus. 129.1.c
Pueri hîc qui. 204.1.b

Pueri meretricij publicè habebantur tempore Roboam. 208.2.c
Pueris maledicit Eliſæus,cur. 230.2.b
Pueritiæ apud Hebræos, multæ ætates primæ, infantia ſcil.pueritia,& adoleſcentia. 507.2.c

Pugna.

Pugna aduersùs vitia Deo grata. 39.1.a
Pugna Dei aduersùs Regem Iabim pro Iſraël. 43.1.c
Pugna ſtellarum cum Siſara. 44.2.b
Pugna totius Iſraël contra Beniamin, pro vxore Leuitæ,qua abuſi fuerant. 67.2
Pul Rex Aſſur ad quid venerit in terram Iſraël. 255.1.c

Puluis.

Puluis,de fundamento corporis. 416.2.a
Puluis cineris nomine ſignificatus. 460.2.c
Puluis, locus in quo ferrum gignitur. 495.1.b

Punitio.

Punitio inobedientium Ioſuæ. 3.1.a
Punitio Iob pro iniquitatibus pueritiæ eius, hæreditantis ſimilitudine ſignificata. 450.1.c
Punitio Dei. 451.1.c
Punitio impiorum ſignificata. 480.1.b 535.2.c
Punitur populus pro Rege. 221.2.b

Pupillus.

Pupillus,pro miſero. 507.2.b
Pupilli, & viduæ, pro omnibus perſonis miſerabilibus. 478.2.c

Pur.

Pur Perſicè,pro ſorte. 400.1.b

Pythagoras.

Pythagoras ſe olim Euphorbum delirabat. 469.1.c

Q

Quæſtiuncula, An ſenes Beniamitæ periurium incurrerint,prouidendo Beniamitis de filiabus ſuorum in vxores. 70.2.c
an & ſenes, & Beniamitæ peccauerint peccato raptus. ibid.
Quomodo Noëmi hortata eſt Ruth poſt reuerſam alteram nurum, dicendo, *Ecce reuerſa eſt patria tua ad populum ſuum, & ad Eloha ſuos; reuertere poſt eam.* 72.1.c
De Saule & Dauide. 113.1.c
Quæſtiones duæ circa verba & intentionem Dauidis. 124.1.c
Quo pacto verificari poteſt quòd templum perfectum fuerit anno ſexto Darij, & quòd iubente Artaxerxe Darij ſucceſſore ædificatum ſit. 365.2.c
Qualitas ſacrificij Peſach ignota. 373.1.b

Quercus.

Quercus,pro ela arbore. 160.2.b
Qui,pro quia. 414.1.c
Qui interrogant, interrogent in Abela, adag. 165.2.a

Quies.

Quies Regum & Principum poſt hanc vitam,quomodo verificetur. 411.2.c
Quies animarum in alia vita omnibus communis. 412.1.b
Quies à laboribus corporeis deſcribitur. ibid.

Quinquagenarij.

Quinquagenarij ad Eliam miſſi, igne conſumuntur. 227.1.
Quis, pro quicunque. 417.1.c

R

Raana & Rechab quòd occidiſſent Iſboſeth iuſſu Dauidis occiduntur. 130.1.

Rabba.

Rabba obſidetur. 147.2
Rabba deſtruitur. 301.1

Rachab.

Rachab abſcondit exploratores, quæ petit ſibi fieri miſericordiam. 3.1.
Rachab capta vrbe Iericho,ſeruata. 8.2

Radix.

Radix, de iniquitate. 469.1.b
Radices pedum, pro talis, ſeu partibus talaribus. 450.2.b
Radices maris,de montibus. 527.1.c

Rahab.

Rahab an meretrix, vel caupona. 3.2.a
erat vidua. ibid.b
Rahab mentita eſt mendacio officioſo. ibid.
Rahab abſcondit exploratores. ibid.
Rahab fides,timor,& manifeſta confeſſio. 4.1.b
Rahab cum ſuis ſeruatur. 10.1.b,c
Ramah cur cognominata Ramah ſpeculatorum. 75.1.c
Ramoth ciuitas. 244.1.b

Ramus.

Rami, pro filiis. 458.1.b

Rapina.

Rapina rei publicæ. 457.2.c
Rapina rerum priuatorum. ibid.
Rapiendi verbum. 459.2.b

Ratio.

Ratio vincendi in aggreſſione improuiſa. 16.1.c
Rationes viduæ ad reducendum Abſalon. 153.2.b
Reædificatori vrbis Iericho maledicitur. 10.1.c

Rebellio.

Rebellio Sichemitarum contra Abimelech. 52.2.c
Rebellio Deo facta idololatriæ aſſimilata. 103.1.c
Rebellio, quatenus de peccato. 430.2.b
Recens, pro viridi. 62.1.c

Redemptio, Redemptor.

Redemptio populi Iſraël ex Ægypto cum aliis mirabilibus. 143.2.c
Redemptionis effectus deſcribitur. 469.1.2
Redemptor ſanguinis apud Hebræos quid. 153.1.c
Redemptor Iob, Deus vnus, & nouiſſimus. 468.2.c

Refectio.

bis in die Refici, & carnibus veſci, non alienum eſt à ſanctis viris, modò fiat moderate. 212.2.c

Regio.

Regio iuxta Iordanem quæ. 28.1.c
Regio aëris media theſauro niuis grandinis aſſimilata. 536.2.b

Regnum.

Regnum Homri annorum quot. 211.2.b
Regnum Iudæ per reliquias hæreditatis Dei intellectum. 269.2.d
Regnum Iſraël ſine Deo, Sacerdote, Doctore, & lege. 330.1
Regnum Diaboli regnum ſuperbiæ, ſuperborúmque 554.2.a
Regni Salomonis ſciſſio an cauſata fuerit ab eius peccato, an à peccato Dauidis. 201.2.c
Regni Iſrael tranſlatio de Ephraim in Iſſachar. 210.1.c

Relatio exploratorum. 5.1.a
Relicti hic qui intelligendi. 251.2.c

Religio, Religiosus.

Religio non perseuerans non est religio. 289.2
Religiosorum irrisio. 444.1.b
Relinquere, tentare, scire, Deo tribuitur, quomodo. 352.1.c

Reliquiæ.

Reliquiæ hæreditatis Dei, de regno Iudæ. 269. 2.b

Remansio.

Remansio, de filiis naturaliter remansuris in paterna domo. 473.1.c
Remathaim, quid. 75.1.c

Remissio.

Remissio peccati sola Dei gratia. 429.2.c

Ren.

Renes, per intima animi significati. 469.2.a

Requietio.

Requietiones quid. 280.1

Res.

Res diei in die sua, quid. 316.2.b
Res pretiosæ pomorum nomine significatæ. 337. 1.b
Res possessæ habitaculi nomine significatæ. 417.2.c
Res gestas summatim, deinde per partes Scriptura narrat. 336.1.b

Responsio.

Responsio Dei ad interrogationem Dauidis quomodo sit intelligenda. 117.1.b

Resurrectio.

Resurrectio mortuorum. 453.1.b
Resurrectio mortuorum, opus valde arduum. 234. 2.c
Resurrectio Messiæ significata. 469.1.a

Resuscitatio.

Resuscitatio mortui pueri viduæ, per Eliam. 213. 2.b
Rhinoceros. 540.1.c
eius nominis ratio, & etymon. ibid.
Rib-la, pro Antiochia. 273.2.b
Ribeca, Ara fluuiorum. 39.1.c

Riuus.

Riui fortitudinis, de auxiliatibus copiis. 264.1.b

Retentus.

Retentus & derelictus in Israël, quid. 243.2.b
Retentum, quid. 207.2.c

Retiaculum.

Retiaculum hic quid. 320.2.c

Reuelatio.

Reuelatio Dei facta Iosuæ. 1.2.c
alia Reuelatio. 5.2.c
Reuelatio diuina clara, & indubiè percepta ab ipso Iosua. 7.1.b
Reuelatio Dei erga Prophetas. 34.2.b
Reuelatio Dei facta Samueli, visio dicitur. 82.2.a,c
Reuelationes & promissiones diuinæ quomodo intelligendæ, 141.2.c

Reuerentia.

Reuerentia altari exhibita à Salomone. 178.1.c
Reuerentia Regis Israël erga Eliæum. 239.1.c

Reuersio.

Reuersionis fructus ad Deum in specie describitur. 480.2.c

Reus.

Reus damnatus indignus conspectu Regis Babylonis. 275.2.c

Rex, Regina.

Regina Saba. 198.2
Regina Saba inuisit Salomon. 325.2
Rex ciuitatis Hai suspenditur. 14.1.b
Rex Moabitarum an pugnauerit contra Israël. 31.2.c
Rex discutiens, & librans, & demum prouidens, est sicut Angelus Dei. 154.1.c
Rex Dauid luci assimilatur. 167.2.b
Rex Tyri quo titulo dederit aurum Salomoni. 197.2.a
Rex Asæ parum fidit in vero Deo. 210.1.a
Rex Israël in cilicio induitur ad placandum Deum, instructus ab Elisæo. 239.2.c
Rex magnanimus nullius personæ rationem habet. 272.1.b
Rex terrorum, de morte. 465.2.a
Regis Ierusalem titulus Adonisedec. 10.1.a
Regi multitudo vxorum prohibita in lege. 201. 1.b
Reges quinque suspenduntur. 16.1
Reges multi occisi cum Heuæis & Iebusæis. 18.1
Reges percussi à filiis Israël & Iosue. 19.1
Reges quinque oppugnantes Gabaon immoto sole vnius diei spatio, vincuntur. 16.2
absconduntur se in spelunca in Macceda. 17.1.a
inde extracti suspenduntur. ibid.b
Reges citra & vltra Iordanem, quos percusserunt Moyses, & Iosua. 19.1.c
Reges debent esse patres. 95.1.c
Reges in prælio diadema ferebant antiquitus. 151.1.a
Reges Iuda à Salomone vsque ad Sedeciam. 280.1
Reges & Principes post hanc vitam quiescere, quî verificetur. 411.2.c
Regum captiuitas describitur per cingulum in renibus. 446.2.b

Roboam.

Roboam consilium iuuenum secutus, super duas tantùm Tribus regnat. 204.1
Roboam dehortatur Deus ne bellet contra fratres. ibid.
Roboam & exercitus mira obedientia, verbo viri sanctæ opinionis. 205.1.b
Roboam consilium iuuenum secutus, super duas tantùm Tribus regnauit. 326.2
Roboam prohibetur pugnare contra Ieroboam, 327.1
voluntate Dei diuisum regnum Roboam. ibid.
Roboam puer ingenio, & animo. 329.1.b
Robur impij. 465.1.a
Rogel, quid. 174.2.c
Rotunda coronarum quid. 320.2.c

Ruben, Rubenitæ.

Ruben, Gad, & dimidia Tribus Manasse remissi in possessiones ædificant altare in memoriam, propter quod iratus fratribus purgant se. 28.1
Rubenitæ viri multum meditantes. 44.1.b
multitudine gregum opulenti erant. ibid.c

Rupes.

Rupes, de doctrina quam profitebantur sapientes, & socij Iob. 464.2.a

Ruth.

Ruth colligens spicas in agro Booz, inuenit gratiam coram eo. 73.& seq.
Ruth dormiens ad pedes Booz agnoscitur propinqua ei. 73.2

S

Sabei qui. 405.2.a

Sabbatum.

Sabbati transgressores reprehenduntur, & alienigenas accipientes in vxores. 400.1.c ibid.2.c

Sacerdos.

Sacerdotis nomen non est semper Ordinis, sed dignitatis. 146.1.a
Sacerdotes tubas ferunt ante Arcam. 9.1.b
Sacerdotes interficiuntur. 213.2
Sacerdotis Iudæorum colligebant pecunias ab amicis, & conuersantibus cum eis. 250.1.a
Sacerdotes & Leuitæ, qui cum Zorobabel venerunt Ierusalem. 387.2.b
Sacerdotes & Leuitæ, eorúmque officia. 288.1
Sacerdotes apud Israelitas clangebant tubis. 321.2.c
Sacerdotes Gentilium quomodo consecrabantur. 329.1.b
Sacerdotum negligentia quantum dutauerit tempore Ioæ. 250.1.b
Sacerdotum Iudaicorum quatuor officia. 284.1

Sacerdotium.

Sacerdotium an duraerit vsque ad diem captiuitatis terræ. 66.1.b
Sacerdotium Ionathæ, & sculptile Michæ differunt. ibid.

Sacrificium.

Sacrificium offerre nefas erat, vbi non erat tabernaculum Dei. 37.1.b
Sacrificium diei quid. 90.1.b
Sacrificium dictum quid. 112.1.b
Sacrificia in excelso a viris etiam sanctis offerebantur. 90.1.b
Sacrificia & oblationes quomodo non prosint Deo. 522.2.b

Sacrilegium.

Sacrilegia, hîc blasphemiæ. 82.2.b

Sacro.

Sacrare secundùm similitudinem, quid. 273.1.a

Saddai.

Saddai victor, seu omnipotens. 419.2.a
Saddai, omnia vincens. 431.1.c
Saddai, nomen Dei, pro omnipotenti. 442.2.b

Sadoc.

Sadoc à Samuele subrogatur in Pontificem, ejecto Abiathar & stirpe Heli. 81.1.c

Sagitta.

Sagitta Saddai, de calamitate Iob. 421.2.b

Sal.

Sal adhibitum in vase nouo ad sanandas aquas Iericho, cur. 230.1.c
Salem, idem quod Ierusalem. 20.1.a
Salices, de iis qui placere hominibus, non Deo student. 548.1.b

Saliua.

Saliua sanitatis, id est, hominis perfectè sani. 422.1.c
Saliua sanitatis qualis sit. ibid.

Salmanasar.

Salmanasar transfert Israëlem in Assyrios. 260.2

Salomon.

Salomon nascitur. 149.1
Salomon *Dilectus à Deo* nominatur. 150.2.b
Salomon præceptor Dauidis vngitur in Regem. 174.1
Salomon an licitè statuerit confinia Semei. 178.2.b
Salomon duxit filiam Pharaonis in vxorem. 179.1
petit sapientiam à Deo. ibid.
eius iudicium de duabus meretricibus. ibid.
Salomon imponit tributum Israelitis pro viris missis in Libanum. 182.1
Adoniram super hoc tributum deputatur. ibid.b
Salomon orat vt exaudiantur qui in templo orauerint. 193.1
Salomon quomodo steterit ante altare. 194.2.c
Salomon dat oppida Regi Hiram. 197.1
mittit classem pro auro. ibid.
Salomon an peccauerit exigens tributa ab iis, quos non potuerant delere filij Israël. 198.1.b
Salomon mercaturam fecit, quamuis turpis censeatur in Rege. 201.1.b
vnde excusari possit. ibid.
Salomon à tribus aduersariis aggreditur in pœnam peccati. 202.1.a
Salomon succedit Dauidi. 314.1.
Salomon bis vnctus in Regem. 315.2.b
Salomon hortatu Dei, petit ab ipso sapientiam. 316.1
Salomon holocausta obtulit mediis Sacerdotibus. ibid.c
Salomon non fecit Cherubinos decretos in lege Moysis. 319.1.c
Salomon facit catenas in Deuir, & ponit super capita, quomodo. 319.2.b
Salomon infert quæ dicauerat pater in templum Dei, & arcam. 321.1
in arca quid. ibid.
Salomon benedicit congregationi. 322.1
Salomon ædificat ciuitates. 324.2
Salomon an dederit ciuitates Regi Tyri, vel e contra. 324.2.b
Salomon excellebat super alios sapientia, & diuitiis. 400.1.a
Salomon quomodo tantam equorum multitudinem habuerit. ibid.b
Salomonis Principes & præfecti. 180.1
Salomonis equorum numerus. ibid.
sapientia & parabolæ ejusdem. ibid.
Salomonis animi amplitudo, quasi arena maris. 181.1.b
Salomonis census annuus. 198.2
Salomonis fama deferebat secum nomen Dei. ibid.c
Salomonis libido notata. 201.1.c
Salomoni animus in senectute paulatim mollitus, qui in iuuentute Dei cultui adhæserat. ibid.
Salomonis crimen vnde detestabilius. ibid.2.b
Salomonis; peccatum vnde aggrauatum. ibid.2.c
Salomonis dies quibus regnauit in Ierusalem, quot. 203.2.c
Salomonis artifices. 317.1
Salomoni an vnico indicio licuerit occidere fratrem suum. 177.2.c
Salomoni an licuerit coniugium cum filia Pharaonis. 179.1.a
an licuerit dare viginti oppida Galilææ Regi Tyri. 197.1.b
Salomoni colenti idola regnum diuidendum prædicitur. 201.1
Salomonem non derelicturus Deus ambulantem in præceptis ipsius. 182.2
Salomone mortuo regnat Roboam. 201.1

Salus.

Salus pacis nomine significata. 171.1.b 444.1.c
Salus totius humani generis per Messiam effecta est domus Dauid. 170.1.a
Salus dupliciter significata. 252.1.b
Salus lugentium. 418.2.c
Salus vniuersa pacis nomine indicata. 466.1a
Salus, de filiis. 503.2.c

Salutatio.

Salutationis modus Hebræorum. 119.2.b

Samaria, Samaritana.

Samaria capitur. 258.1
Samaritanorum dolus in Nehemiam. 378.2.a

Samgar.

Samgar tertius iudex Israël. 41.1.a
suppetatur inter Israelis saluatores, cur. ibid.b

Samson.

Samson nasciturus ab Angelo prædicitur matri 58.2.a
deinde patri. 59.1.a
natúsque à Domino benedicitur. ibid.
Angelus in specie viri terribilis apparuit. 58.2.b
eius nomen quod. 59.1.b
Samson nascitur. 58.1
Samson ducit Philisthæam in vxorem. 59.2.c
lacerat catulum leonis. ibid.
Samson incensis vulpium caudis segetes Philisthæorum exurit. 60.2
maxilla asini occidit mille Philisthæos. ibid.
Samson defert portas Gazæ in montem. 62.1
Samson lacerat leonem. 60.1.b
Samson parabolam proponit sodalibus. ibid.
Samson per vulpium multitudinem, Philisthæorum segetes incendit. 61.1.a
fractis funibus quibus ligatus erat, mille Philisthæos asini maxilla prostrauit. ibid.2.b
è cuius dente molari aquæ sitienti fluxerunt. ibid.c
Samson obseruantibus eum custodibus, portas Gazæ vrbis in montem detulit. 62.1.b
à Dalilæa autem, cui sæpius illuserat, cognita causa fortitudinis, detentus, excæcatur ab hostibus. ibid.c 61.2.a
quos tamen vnà secum interemit. ibid.b
Samson cur nescisse dicatur quod se scire prædixerat. 63.1.a
Samson Bedæ nomine intellectus. 95.1.a
Samsonis natiuitas prænuntiatur patri suo Manue. 58.1
Samsonis Nazaræatús perpetuitas prænuntiata. ibid.2.b
Samsonis crines septem quid. 62.2.b
Samsonis fortitudo donum Dei. ibid.c

Samuel.

Samuel Deo commodatus ex quo fuit in Annæ vtero. 77.2.b
Samuel quater vocatur à Deo. 81.2
Samuel abiectione sui & suorum non offenditur. 88.1.a
Samuel in templo dormiuit, quomodo. 82.1.a
quomodo nondum nouerat Dominum. ibid.b
Samuel vigilans respondit Deo. ibid.c
Samuel erat fidelis in officio Prophetæ. 83.1.a
Samuel Pontificis officium non vsurpauit orans pro populo. 87.1.c
Samuel non Sacerdos, sed Leuita (Propheta tamen) offert holocaustum, & extra locum tabernaculi. 87.1.c
Samuel, iudex, etiam regnante Saule, quomodo. 88.1.b
Samuel non vendebat prophetiam. 89.2.b
Samuel cur Saulem miserit in Galgala. 92.1.a
Samuel suauiter confirmat Saulem in regno. 94.1.b
Samuel iudex innocens etiam populi testimonio, arguit populum ingratitudinis, quòd Regem petierint. 94.1.c
Samuel exponit se & filios iudicio populi. ibid.
Samuel loquitur vt Propheta. ibid.
Samuel probat quæ dicit per pluuiam, ac tonitrua, tempore inlolito. 95.2.a
Samuel non cessat orare pro populo contemnente se. ibid.c
Samuel quomodo recesserit in creando secundo Rege Israel. 104.2.a
Samuel Prophetis præsidet. 111.1.a
Samuel moritur. 119.2.a
Samuel apparens Sauli non respondet quid facturus esset, sed quid passurus. 125.2.c
Samuel an sit author secundi libri Regum. 315.2.c
Samuel nominis ratio. 77.1.b
Samuelis perseuerantia in officio. 81.2.b
Samuelis congregatio cur dicta, *ad Dominum*. 92.2.a
Samuelis tristitia illum ad iram impulit. 102.2.b
Samueli Deus apparuit interna apparitione. 82.2.a
Samueli Leuitæ non licebat sacrificare, quod tamen facit. 104.1.c
Sanaballat & Tobias murorum ædificationem prohibent. 375.1.b

Sacrificatio, Sanctitas.

Sacrificare, idest, dicare ad cultum Dei. 145.2.b
Sacrificare hic quid. 403.1.b
Sanctificationes, de rebus dicatis Deo in templo. 331.1.c.
Sanctitas Elisæi vnde parierit Sunamithi. 233.1.b

Sanctus.

Sancti Dei fallaces. 456.1.b
Sanctos multos plus pati, quàm meruerint. 421.1.c

Sanctum, Sanctorum.

Sanctum Sanctorum *Deuir* vocatur, cur. 183.1
Sapere, vide *Scire*.

Sapiens, Sapientia.

Sapiens maior erudito. 317.2.a
Sapientum albitria apprehenditur. 419.1.a
Sapientia & parabolæ Salomonis. 180.1
Sapientia Dei intima. 434.1.b
Sapientia auro longe præferenda. 494.2.b
Sapientia non auro emitur. 497.2.a
datur è cœlo. ibid.c
Sapientia interno spiritui magis, quàm tempori tribuenda. 510.1.b
Sapientiæ diuinæ magnitudo ostenditur. 433.1.b
Sapientiæ via. 596.2.b
locus. ibid.
pretium. ibid.
Sapientiæ dono carent animæ damnatæ Dæmones. 497.2.b
Saphir, pro lapidibus pretiosis. 495.2.c
Sarrago quid. 151.2.b

Satan.

Satan, pro aduersario. 401.2.b

Satanas interrogatur à Deo, cur. 404.1.c
eius responsio. ibid.
Satan cur hic dicatur manere coram Domino. 406.2.b
Satanæ furor. 459.2.b

Saul.

Saul eligitur à Deo ad humanas actiones. 89.1.c
Saul quomodo melior fuerit omnibus filiis Israël. ibid.
Saul erat pulcher, cum proceritate membrorum. 89.2.b
Saul munus, non pretium dare volebat Samueli. ibid.
Saul vngitur in Regem. 91.1
signa suæ vnctionis quæ. ibid.
Saul prophetat. ibid.
Saul quomodo captus in Regem. 92.2.c
Saul tres iniurias dissimulat. 94.1.c
Saul Rex ruri laborat. ibid.2.a
Saul publice vngitur in Regem. 94.2.a
Saul inobediens præcepto Dei abiicitur ab ipso. 96.1
Saul quandiu regnauerit. ibid.b
Saul per biennium regnauit sine crimine. 97.1.a
Saul quomodo obtulerit holocaustum. ibid.
Saul quod peccatum commiserit non expectando Samuelem. ibid.c
Saul quomodo congregauerit gentem fortem. 102. 1.a
Saul iussus occidere Amalecitas ad internecionem vsque, prædam & Agar seruat. ibid.
arguitur inobedientiæ à Samuele. ibid.
abiicitur à Deo. ibid.
confitetur peccatum. ibid.
Saul vbi, & quomodo numerauerit milites, iuxta aliquos. ibid.c
Saul gratus erga beneficos sibi, & Israëlitis. ibid.
Saul misericors erga Agar contra mandatum Dei. ibid.1.a
Saul quomodo erexerit sibi fornicem triumphalem. ibid.c
Saul non sibi constat in excusatione ad Samuelem habita. 103.1.b
Saul falsò se excusat. ibid.2.a
Saul spiritu malo corripitur, qui psallente Dauide recedit ab eo. 104.1
Saul quomodo non agnoscebat Dauidem eius armigerum. 108 2.a
Saul nititur occidere Dauidem præfectum militiæ suæ correptus à malo spiritu. ibid.
Saul insaniens odium suum exequitur. 109.1.c
Saul machinatur necem Dauidis. ibid.2.c
Saul iubet Dauidem occidi, quem seruat Ionathas & Michol demittens per fenestram. 110.1
Saul quomodo nudus iacuerit. 111.1.c
Saul sapienter montem cinxit vt caperet Dauid. 118.1 ibid.2.c
Saul agnoscit manum Dei, peccatum suum, & Dauidis innocentiam. ibid.
Saul agnoscit peccatum, & misericordiam sibi à Dauide factam. 122.1
Saul ablatis Magis & ariolis nihilominus pythonissam adit, quæ suscitat ei Samuelem. 124.1
reiicitur à Deo, vnde desperat. ibid.
Saul quomodo nullum responsum obtinuerit à Deo. ibid.2.b
quomodo Pythones quæsierit, qui eos è terra expulerat. ibid.c
quomodo per Pythonem diuinabatur. ibid.c
Saul quomodo adorauit Samuelem. 125.2.b
Saul quomodo detectus saltans ante Arcam. 141.1.c
Saul filij septem suspenduntur. 166.1
Saul cum filiis occiditur à Philisthæis, quos viri Galaad sepeliunt. 289.1
Saulis prudentia. 94.1.a
Saulis præceps iuramentum, fundatum super falsum. 101.1.a
Saulis victoriarum fructus. ibid.2.c
Saulis crudelitas. 116.1.c
Saulis custodes quomodo soporati à Deo dicantur digni morte a Dauide. 122.2.b
Saulis studium erga religionem. 124.2.b
Saulis damnatio, & animi eius mollities. 128.2.a
Sauli quærenti asinas patris Samuel indicat inuentas, eúmque & loco, & cibo honorat. 89.1
Sauli an anima Samuelis, vel Dæmon sub ipsius specie apparuerit. 125.1.b
Sauli interroganti cur Deus non responderit, & tamen respondit interroganti per Magos. ibid.c

Sceptrum.

Sceptrum virgæ nomine significatum. 438.1.b

Scindo, Scissio.

Scindere vestes, & caput tondere, olim internæ tristitiæ signa. 406.1.b
Scissio pallij Samuelis signum scissionis regni Saulis. 103.2.b
Scissio regni Dauidis iusta, & culpabilis, quomodo. 259.2.a

Scio, Scientia.

Scire ad notitiam, sapere ad iudicium refertur. 316. 2.c
Sciendi duplex modus. 445.2.b
Scientia Dei quæ. 442.2.c
Scientia quæ habetur de diuinis per verbum suaue significata. 455.2.b
Scientiæ bonum. 440.2.c
Scorpiones flagella quæ. 204.1.c

Scortum.

Scortum publicum molæ nomine significatum. 507.1.a

Scriba.

Scriba pro Cancellario. 145.2.c
Scribæ Israël, de Moyse & Iosua. 43.1.b

Scriptura

Scriptura priùs rem gestam, deinde causam, & modum narrat. 55.1.c
Scriptura solet narrare rem gestam, deinde modum. 100.1.b
Scriptura multa commemorat nunquam scripta. 118.1.c
Scriptura priùs narrat rem, deinde media ordinata ad illam exequendam. 173.2.b
Scripturæ sacræ Spiritus sanctus auctor. 349.1.b

Scutum

Scutum quodlibet factum à Salomone sexcentorum siclorum auri ductilis. 326.1.b
Scuta, pro obstaculis. 551.2.a

Seba, Sebarim.

Seba separat Israëlem à Dauide. 164.1
Sebæ caput Ioab traditur. ibid.
Sebarim appellatiuum fractiones denotat. 10.2.c

Sedecias.

Sedecias sensibilibus signis suam prophetiam profert. 124.2.c
Sedecias quid nominis, & cur ei hoc nomen impositum. 274.1.c
Sedecias rebellis capitur à Nabuchodonosor. 175.1
exoculatur filiis occisis. ibid.

Index Rerum,

Sedecias patruus Ioachim constituitur Rex Iudæ. 357.2.b
Semei, de Tribu Benjamin. 163.1.b

Semen.

Seminis multi effusio mutat dispositionem humorum, & affectus. 151.2.c

Sempiternitas.

Sempiternitas vitæ humanæ per verba, *ad semper*, signata. 414.1.b
Sempiternum, pro cœlo. 197.1.b

Senectus, Senex.

Senectus, incurabilis morbus. 505.1.b
Senum tempus quam parum. 39.2.a

Sennacherib.

Sennacherib occiditur à filiis, exercitus autem eius ab Angelo. 262.2 351.1
Sennacherib blasphemus inuadit Iudam. 350.2.b
Sennacherib quomodo miserit Rabsacem in Ierusalem. 451.1.b

Sensibile

Sensibile quartum auditum ab Elia, declaratum. 217.1.b
Sensibilium trium primorum cum quarto apparenti Eliæ, differentia. 318.1.a

Sensus.

Sensus omnes, per oculos intellecti. 254.2.b
Sensûs pœna. 475.2.a

Sententia.

Sententia temeraria Danidis. 157.2.a

Sepulchrum.

Sepulchrum, & obscuritas in illo, per domum & lectum, significatum. 463.2.b
Sepulchra Regum distincta à sepulchris vulgi. 272.1.a
Sepultura ossium Ioseph. 33.2.c

Sera.

Seræ & ostia maris quæ. 534.1.c

Sermo.

Sermo Domini quare clarus, & quis. 81.2.b
Sermo Iob parabolæ nomine significatus. 491.2.b
Sermo absque intellectu, de sermone vacuo sententiis. 521.1.b
Sermones pro Psalmis. 346.2.b

Serpens

Serpens æneus æruli nomine significatus. 160.2.b
Serpentis ænei à Moyse fabricati superstitiosa veneratio. ibid.

Serra.

Serra, tormenti genus. 151.1.b

Seruitus, Seruus.

Seruitus, pro ministerio. 198.1.a
Seruus Dei, Mosis epitheton. 1.2.b

Sessio.

Sessio Dei, principatum eius; stare verò aliorum seruitutem eorundem significat. 224.1.a
Si, interrogatiue. 281.1

Siba.

Sibæ mendaci dat Dauid bona Mephiboseth. 157.1
Sibæ calumnia in Ionatham. ibid.c
Sic, pro *hæc*. 144.2.c

Siccitas, Siccum.

Siccitas, pro calore. 486.2.a
Siccum, de terra solita perseuerare in siccitate. 7.2.a
Siceleg incensâ persequitur Dauid succensores, quos occidit, & prædam reducit, eámque ex æquo omnibus diuidit. 127.1
Sichor, fluminis nomen. 19.2.c

Siclus.

Siclus corruptè pro seclo, quot obolorum erat. 89.2.c

Sidus.

Sidera quatuor memorantur. 435.1.a

Signum.

Signum veritatis, pro iuramento. 4.1.b
Signum vnde exploratores cognouerint victoriam futuram. 5.1.a
Signum diuinum ab Isaiâ datum Ezechiæ, in quo consistebat. 265.1.c
Signa pœnitentium. 210.2.b
Signa mœroris quatuor. 408.1.c

Silentium.

Silentium præ dolore. 408.1.a
Silentium prudentiæ. ibid.
Silentium per clausa oris ostia significatum. 551.1.b
Silo ciuitas. 24.1.a

Similitudo.

Similitudo significans salutem Dauidis, & instabilitatem inimicorum eius, expenditur. 121.1.b
Similitudo corporea imaginis nomine significata. 415.2.b

Similitudines.

Amasiæ, & cardui. 253.1.c
Baculi arundinei, & Regis Ægypti. 261.1.c
Canalis, & loci generationis pluuiæ. 537.1.a
Cardui, & Amasiæ. 253.1.c
Corporum humanorum, & luteorum. 448.2.a
Dæmonis, statuentis hominem in scopum sagittariorum. 460.1.b
Dæmonis, & viri potentis. ibid.
Diei manè sereni, cum luce & pluuia. 169.2.b
Dierum Iobis, & nauiculæ textoris. 426.2.c
Dierum nostrorum, & vmbræ. 432.1.b
Domûs, cum serenitate & pluuia, apud Dauidem. 169.2.b
Domûs araneæ, & fiduciæ hypocritæ. 432.2.b
Doni Spiritûs sancti, & prosperitatis. 93.2.b
Fiduciæ hypocritæ, & domûs araneæ. 432.2.b
Furoris bibiti, & pœnæ animæ intellectiuæ. 475.2.c
Idololatriæ, & rebellionis Deo factæ. 102.1.c
Impij, & fugientis pluuiam. 473.2.a
Israëlitarum & quatuor differentiarum herbarum. 164.2.c
Iunci. 432.1.c
Iunci in limoso. ibid.2.c
Iunci, & viri mundi & recti. 433.1.b
Iunci, & spei hypocritæ. 432.2.a,b
Iustorum perfectorum, & titionis. 444.2.b
Loci generationis pluuiæ, & canalis. 537.1.a
Lucernæ in Ierusalem perseuerantis, & successionis in regno Iudæ ex stirpe Dauidis. 203.1.a
Lucis, & Regis Dauid. 167.2.b
Lucis & pluuiæ, cum die manè sereno. 169.2.b
Montis cadentis & rupis, cũ vita hominis. 153.2.b
Nauiculæ textoris, & dierum Iobis. 426.2.c
Obliuiscentium Deum, & vnde. 452.2.a
Ossium paruorum multitudinis, & virgarum ferrearum. 447.1.c
Ouium, & viarum dirutarum. 503.2.b
Pellis & carnis, cum vestimentis. 440.1.a
Petræ & dilutæ terræ, cum vita hominis. 453.2.b
Pluuiam fugientis, & impij. 473.1.a

Pœnæ animæ intellectiuæ,& furoris bibiti.475.2.c
Prati. 432.1.b
Prosperitatis,& doni Spiritûs sancti. 93.2.b
Quatuor differentiarum herbarum, & Israëlitarum. 264.2.c
Rebellionis Deo factæ,& idololatriæ. 103.1.c
Regionis aëris mediæ, & thesauri niuis & grandinis. 536.2.b
Regis Dauid,& lucis. 167.2.b
Regis Ægypti, & baculi arundinei. 261.2.c
Serenitatis & pluuiæ, cum domo sua à Dauide. 169.2.b
Spei hypocritæ, & iunci. 432.2.a,b
Statuentis hominem in scopum sagittariorum, & Dæmonis. 460.1.b
Successionis in regno Iudæ ex stirpe Dauidis, & lucernæ in Ierusalem perseueranti. 205.1.c
Thesauri niuis & grandinis,cum regione aëris media. 536.2.b
Titionis,& iustorum perfectorum. 444.2.b
Vestimentorum, & pellis carnisque. 440.1.a
Viæ,& Deum obliuiscentium. 432.2.a
Viarum dirutarum,& ouium. 503.1.b
Viri mundi & recti,cum iunco. 433.1.b
Viri potentis,& Dæmonis. 460.1.b
Virgarum ferrearum, & ossium paruorum multitudinis. 547.1.c
Vitæ hominis, & montis cadentis, & rupis. 453.2.b
Vitæ hominis,& petræ dilutæque terræ. ibid.
Vitæ humanæ,& vmbræ. 315.1.b
Vmbræ,& vitæ humanæ. ibid.
Vmbræ,& dierum nostrorum. 432.1.b

Simplex.

Simplex,pro homine modici iudicij. 417.2.a

Sinister.

Sinister clausi nomine significatus. 40.1.b
Sinistrâ pro dextra vtebantur Tribus Beniamin. 68.1.c
Sisar profugus occiditur à Iahel vxore Haber Cinæi. 41.2.c
Succhoth ciuitas. 50.1.c

Socius.

Socij,de Principibus confœderatis. 408.1.b
Socij Iob instar ministrorum Satanæ. 459.2.b

Sodales.

Sodales triginta dantur Samsoni à ciuibus. 60.1.b

Sol.

Sol & Luna steterunt, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis. 20.2.a

Solemnitas.

Solemnitas tabernaculorum. 362.2.a
Solemnitas celebrata perfectis vrbis muris. 388.1.b

Solitudo.

Solitudinis ædificatio,quid. 411.1.c

Solium.

Solium Dei,pro cœlo. 490.1.b

Somnium.

Somnium Mardochæi declaratur. 400.2

Sophar.

Sophar correptionem Iobis dicit se auditurum, & quæ sit apud Deum pars impij,multis prosequitur. 470.1.b
Sophar intelligentia,pro eius sententia & veritate quam intelligebat & profitebatur. ibid.

Sors.

Sors Tribus Iudæ,ciuitates & villæ earum. 21.c
Sors Ephraim,ciuitates,& villæ earum. 23.1.a
Sors filiorum Iudæ,& Caleb. 21.1
Sors dimidiæ Tribus Manasse. 23.1
Sors Beniamin assignata. 24.1
Sors Simeon, Zabulon, Issachar, Aser, Nephthali, Dan,Iosue. 25.1
Sors Beniamin. ibid.a
Sors Zabulon. ibid.c
Sors Issachar. ibid.
Sors Asor. ibid.2.a
Sors Nephthalim. ibid.b
Sors Dan. ibid.c
Sors Iosuæ. 26.1.b
Sortes mediæ tribui Manasse & filiabus Salphaad assignantur. 23.1.b
augetur Sors filiorum Ioseph. ibid.2.b
Sortes tribuum Simeon. 25.1.b
Sortes missæ pro continuo igne altaris. 385.2.b
Sortium religiosus vsus per *stare coram summo Deo* significatus. 92.2.b

Sparsio.

Sparsiones,de arctico polo. 528.2.c

Spelunca.

Spelunca Eliæ in monte Choreb. 217.1.c

Spes.

Spes hypocritæ iunco assimilata. 432.2.a,b
Spes impiorum supputatur. 444.1.a
Spes inanis describitur. ibid.
Spes Iobis de vita futura, non de præsenti. 448.2.c
Spes Iob, filij propagaturi progeniem eius. 467.1.c
Spes hypocritæ vana. 492.2.a
Spinandi verbum. 503.2.a

Spiritus.

Spiritus Domini instar indumenti Gedeonis. 8.1.b
Spiritus discordiæ mittitur à Deo inter Abimelech & Sichemitas. 52.2.b
Spiritus diuinus hominem quandoque mouet ad iram. 93.2.b
Spiritus Iehouah quid. 105.1.b
Spiritus malus exagitans Saulem,qualis erat. ibid.
Spiritus melancholicus Saulis quid in eo operabatur. ibid.c
Spiritus sanctus auctor Scripturæ sacræ. 349.1.b
Spiritus nasi Dei,id est,ira Dei. 414.2.c
Spiritus & corpus differunt. 427.1.c
Spiritus quid. 510.2.b
Spiritûs diuini effectus. 91.1.b
Spiritûs angustia. 427.2.c
Spiritûs notio. 462.1.b
Spontaneus Doctor, de Nazaræo. 332.2.c
Stater quid. 241.1.a

Status.

Status bonorum & malorum describitur. 432.2.a
Status animæ post resurrectionum mortuorum. 427.1.c
Status hominis tripliciter distinguitur. 440.1.c
Status peccantium per errorem, siue ignorantiam. ibid.
Status peccantium studiosè. ibid.2.a
Status hominis exercentis iustitiam. ibid.b
Status animæ separatæ quis 454.1.c
Status viuentium,ac morientium describitur,476.2.b

Stella.

Stellarum pugna cum Sisara. 44.2.b

Stellarum caput, de suprema stellarum superficie. 479.1.b
Stellarum manè quare potius fiat mentio, quàm aliarum. 533.2.c
Stellarum cantus quid fuerit, quódve sonus festiuus filiorum Elohim. ibid.

Sternutatio.

Sternutatio. 552.1.a

Stillatio.

Stillatio cœlorum, de pluuiis datis mirabiliter populo Israël. 42.1.c

Struthio.

Struthio. 540.2.c
Struthionis filiæ, id est, domesticæ mulieres. 505.2.b

Studium.

Studium gressûs nomine significatum. 506.2.b
Stultiriam simulare, prudentia est. 115.1.a
Stultus quis. 417.2.b

Substantia.

Substantia spiritualis potest gignere apparitionem falsi. 225.1.a
Substantia, de pane, auro, argento, & omnibus iis, quæ possidentur. 471.2.c
Substantia spiritualis Angeli nomine intelligitur. 515.1.a
Substantiæ spirituales nobilium nomine significatæ. 554.2.b

Successio.

Successio domûs nomine significata. 203.2.a
Successio regia lucernæ nomine intellecta. 337.2.a
Suffire hic quid. 257.1.c
Summum legis nomine significatum. 143.2.a
Sanamithis puer mortuus paulatim ad vitam redit. 235.1.a
Sanamithis petens vitam filij ab Elisæo, tangit eius pedes. ibid.b
Sunamithis famem septem annorum fugit. 241.1
Super verticem fortitudinis illius, quid. 47.2.b
Superborum clamor. 523.1.b

Superficies.

Superficies faciei nomine significata. 490.1.a

Superfuror.

Superfuror, de progressu Dei ad vindictam. 275.1.b
Superlatiuis carent Hebræi. 90.2.b

Superstitio.

Superstitio non est ad templum faciem vertere orando. 195.2.c

Supellex.

Supellex vniuersa valorum nomine significata. 345.1.b

Supremus.

Supremus inter artifices patris nomine significatus. 321.1.a

Supplicatio.

Supplicatio Angeli pro homine. 515.1.c

Supputatio.

Supputatio sigillatim, & in vniuersum, differunt. 137.2.c.
Sur, portæ nomen. 248.1.c
Suscitare Leuiathan, quid. 410.1.c

Syria, Syrus.

Syria tributaria. 299.2
Syri inuadunt Israëlitas. 234.1
Syri & Ammonitæ vincuntur à Dauide. 300.1

T

Tabernaculum

Tabernaculum Moysis de Silo in Nobam translatum. 114.2.b
Tabernaculum Moysis tribus in locis fuit. 297.2
Tabernaculum & tentorium differunt. 298.1
in quem vsum facta. ibid.
Tabernaculum, de opibus. 433.2.b
Tabernaculi appellatione quid intelligendum. 193.2.a
Deus non continetur in Templo. 395.1.b
nomen Dei est in Templo. ibid.
Tabernacula duo. 193.1.c
Tabernacula. 381.2.b
Tabernaculorum solemnitas. 362.2.a
Tabulatum per latus intellectum. 183.1.b
Tantùm verba libiorum dicere, quid. 261.2.b
Tali, seu partes talares per radices pedum significati. 450.2.b
Taurus secundus hic quid. 47.2.a

Tectum, Tegmen.

Tectum canalis nomine significatum. 238.2.a
Tecta Hebræorum pauimentata sub diuo. 147.1.b
Tegmen diuinæ protectionis sunis nomine significatum. 503.1.a

Templum.

Templum non solùm humano opere, sed etiam diuino dicatum ad colendum diuinum nomen. 197.1.b
Templum ad quid ædificatum. 317.1
Templum ædificatur. 318.1
Templum quomodo sit habitaculum Dei, & ad quid. 322.1.b
Templum reædificatur adhortatione Aggæi & Zachariæ. 364.1.c
Templi fabrica & forma. 182.2
Templi munus foris licèt inæqualis, superficies tamen æqualis erat. 183.2.b
ordo laterum ædificatorum in circuitu Templi, quomodo dispositus. ibid.
ad quem vsum hæc latera ædificata ibid.2.c
nullum ostium erat in Templo nisi in eius facie. ibid.c
lapides Templi fuerunt priùs perfecti, & deinde vecti. 184.1.a
nullum latus Templi erat sub diuo. ibid.c
oraculum in qua parte Templi erat. 185.1.b
in Templi ædificatione authoritas diuina interuenit, cur. 213.2.c
in Templi ædificatione quæ Dauid, eiúsque Principes obtulerint. 314.1
ad Templum faciem vertere orando non est superstitio. 195.2.c
in Templo erat locus in quo Ethnici poterant orare. ibid.2.c
Templa quanta diligentia debeant ædificare Principes. 186.2.b
Templa ad quid ædificantur Deo. 317.1.c

Tempus.

Tempus & modus transeundi Iordanem reuelatus Iosuæ. 1.2.c
Tempus Iudicum in tria tempora distinctum. 38.1.b
Tempus senum quàm fuerit parcum. 39.2.a
Tempus belli inter domum Saulis, & domum Dauidis, quod. 133.1.a

Tempus luctûs nobilium mulierum non modicum credendum est. 148.2.c
Tempus hominis quod. 425.2.b
Tempus vitæ hominis quale sit. 426.1.a
Tempus ad glutiendum saliuam propriam, pro tempore minimo. 429.2.b
Tempus minimum per tempus ad glutiendum saliuam propriam significatum. ibid.
Tempus dat sermonem. 510.2.b
largitur sapientiam. ibid.
Tempora eundi in domum Dei secundùm legem tria, Pascha, Pentecoste, & festum tabernaculorum. 76.1.a

Tentorium.

Tentorium,& tabernaculum differunt. 298.1
in quem vsum facta. ibid.
Tentorij nomine, vniuersitas tentoriorum significata. 49.1.b

Terminus.

Terminus impij describitur. 465.1.b
Termini finis nomine significati. 503.1.a

Terra.

Terra solita perseuerare in siccitate, sicci nomine significata. 7.2.a
Terra septem Tribuum describitur. 24.1.c
Terra ad quam per mortem,de inferno. 441.1.c
Terra miseriæ & tenebrarum. ibid.2.b
Terra super nihilo appenta. 489.2.c
Terra viuentium quæ, quæ mortuorum. 496.2.c
Terra veluti communis mater per domum paratam omni viuenti significata. 505.1.a
Terræ motus. 434.2.b 490.2.c
Terræ partes lapideæ fortitudinis nomine significatæ. ibid.
Terræ columnes,vide *Columna.*
Terram reliquarum septem Tribuum qui describant missi. 24.1
Tertium,de instrumento musico. 109.1.a
Testiculorum netui. 547.1.b
Tetis altaris nomine significatus. 29.2.b
Thamar putat posse fieri coniugium cum fratre,ex diuersa matre. 151.2.c

Theraphim.

Theraphim,simulacrorum nomen. 64.1.b 110.2.c distinguitur contra sculptile,& conflatile.65.1.c

Thesaurus.

Thesauri ninis & grandinis. 536.2.b
Thiphsach ciuitas. 255.2.b

Thola.

Thola sextus iudex Israel. 54.2.a
Tholæ Duci succedit Iair. ibid.
Tholæ mors. ibid.b

Thronus.

Thronus,vasa aurea,currus,equites, argenti abundantia. 198.2
Tibia super coxam,quid 61.1.c

Timor.

Timor Rahab. 4.1.b
Timor Chananæorum, relatiuè ad præsentiam populi Israël. 5.1.a
Timor, pater consilij. 83.2.b
Timor,pro labore. 412.2.a
Timor Iob, eiúsque causa quæ. 415.2.a 422.2.b
Timor Domini an sit ipsa sapientia. 498 2.a
Timoris passio. 421.2.c

Titulus.

Titulus Regis Ierusalem, Adonisedec, id est, Dominus iustitiæ. 20.1.a
Titulus erectus ab Absalom qualis. 161.1.b
Tolli peccatum dupliciter intelligitur. 430.2.b

Tonitruum.

Tonitrua,coruscationis via. 498.1.a

Tormentum.

Tormentum igneum ad euertendos muros apud Hebræos. 232.2.a
Tormentorum quatuor genera. 151.2.a

Torrens.

Torrentum conditiones. 423.2.c
Tostum quid. 235.2.b
Toto adhuc, phrasi Hebraica, pro toto tempore, quo adhuc. 491.2.b

Transitus.

Transitus populi per Iordanem. 4.1.b
Transeundi modus describitur. 7.1.b
Transitus Arcæ. ibid.2.a
Transitus filij per ignem, cæremonia idololatriæ. 256.2.b
Translatio regni Israël de Ephraim,in Isachar. 210. 1.c

Tribulatio.

Tribulatio famis. 419.2.c
Tribulatio belli. ibid.
Tribulatio bestiarum terræ. 420 1.b
Tribulationes sequitur felicitas. ibid.c

Tribus.

Tribus Leuiticæ familiæ tres. 26.2.c
eiusdem Tribus partes quatuor. ibid.
Tribus Iuda expugnat Ierusalem. 35.1.b
Tribus Ephraim laudatur. 43.2.b
Tribus Beniamin commendatur. ibid.c
Tribus Manassis scribas producit, vnde laudatur. ibid.
scribæ illi qui. ibid.
Tribus Zabulon laudatur in arte scribendi. 44.1.a
Tribus Israël quot, & quomodo inter se distinctæ. 46.1.c
Tribus Dan mittit exploratores in Lais, qui auferunt idola Michæ, & vrbe succensa illic habitant. 64.2
Tribus Beniamin instaurata ex 400. virginibus in cæde habitatorum Iabes Galaad reseruatis, & ex raptis ducentium choros in Silo virginibus. 70.2.a,b 71.2.a
Tribus Iudæ potentissima omnium Tribuum Israel. 131.1.b
Tribus Iudæ & Beniamin an vna appellentur. 202. 1.a
Tribus duæ contentæ sub titulo Iudæ. 205.1.a
Tribus Iudæ primùm Ierusalem obtinuit. 287.1
Vide *Sors.*
Tribuum Israël vocationes & conuentus. 31.1.b
Tribuum, non Patriarcharum nomina hîc significata. 34.2.c

Tributum.

Tributum imponit Salomon Israëlitis pro viris missis ad Libanum. 181.1.a
Adoniram super hoc tributum deputatur.ibid.b
Tributum,muneris nomine significatum. 332.2.b
in Tributorum exactores exardescit populus. 104. 2.c
Triginta quomodo hic intelligendum. 170.2.c
Triginta septem quomodo dicantur, si tantùm numerati sint triginta sex. 171.2.c

Tristitia.

Tristitia Samuelis illum ad iram impulit. 101.2.b
Tristitiæ effectus. 55.1.b

Triumphale

Triumphale signum constructum à Dauide debellata Syriâ. 145.2.b
Tuba à Sacerdotibus feruntur ante Arcam. 9.1.b
Tumultus ortus inter Iudæos ob penuriam pauperum. 377.1.b
Tyrannum licite occidi, qui non est dominus gentis. 41.1.2

V

V *Acca* reducunt arcam cum muneribus. 85.1
Vacuum, pro aëre. 489.2.c
Va dictio, beatitudinis oppositum. 440.2.b
Vagationes, de variis occupationibus hominum. 426.2.a

Vanitas.

Vanitas consilij humani. 205.1.c
Vanitas infamiæ nomine significata. 302.1.a
Vanitas Ezechiæ. 451.2.c
Vanitas, de doctrina punitionis iniquorum tantum in hac vita. 492.2.c

Vas.

Vas hîc pro corporibus, vel organis generationis. 114.1.c
Vasa aurea. 198.2
Vasa templi reddita à Cyro. 360.1.b
Vasa, de vniuersa supellectile. 345.1.b
Vasorum appellatione quid significetur apud Hebræos. 93.1.b
Vasthi regina recusat venire ad eum. 392.1.c

Vastitas.

Vastitas, & fames. 420.1.b

Vectigal.

Vectigal, seruitus dura, & graue iugum. 204.1.b
Velocitas fugientis, quàm currentis maior. 437.1.c
Venenum pro consequuto perseueranti. 421.2.b
Venerei limi nomine significati. 548.1.a
Venire Angelorum & Satanæ ad Deum, quid. 403.2.b

Ventus.

Ventus visus ab Elia. 217.2.a
Ventus Orientalis, siue Subsolanus, Euri nomine significatus. 454.1.c
Venti Orientalis causa quæ. 536.2.c

Verbum.

Verbum bonum, & verbum diuinum differunt. 281.a
Verbum suaue, de scientia quæ habetur de diuinis. 455.2.c
Verbum, pro re apud Hebræos. 469.2.b
Verba Dauidis ad Sacerdotem, *Applica mihi ephod*, quomodo intelligenda. 117.1.c
Verba secundùm intentionem loquentis intelligenda. 247.1.b
Verba maledictionis Iob quomodo sumenda. 408.2.c

Veritas.

Veritas, pro fidelitate. 4.1.c
Veritatis signum, de iuramento. 4.1.b
Vespa pugnârunt pro Israël. 32.1.b
Vestigium non est pars hominis. 154.2.b

Via.

Via sapientiæ. 496.2.b
Viæ diuisa, de ouibus cœlesti igne comsumptis. 503.2.b
Via lactea apparens in cœlis. 519.2.b
Viæ, id est, progressus. 432.2.a
Viæ litigandi quinque. 436.1.b
Victima pacifica quomodo distributa. 76.1.b

Victoria.

Victoria summo Deo attributa. 69.1.c
Victoria est Dei. 98.2
Victoriæ futuræ signum quod habuerint exploratores. 5.1.a
Victoriæ Saulis, earúmque fructus quis. 101.2.c
Videns, & Propheta differunt. 259.1.a
Vidua, & pupilli pro omnibus personis miserabilibus. 47[illegible].2.b
Vincendi ratio in celeritate aggressionis improuisæ. 16.1.c

Vindicta.

Vindicandi multiplex modus Dei in promptu est. 217.2.b
mirabilia omnia ad vindictam Dei tribus comprehensa. ibid.
diuina patientia, ac mansuetudo in progressu ad vindictam. ibid.c
Vindicta Dei efficax. ibid.
Vindicta diuina oneris & eleuationis nomine significata. 245.1.b
Vindicta iræ nomine significata. 3[illegible].1.c
Vindictæ celeritas per hyperbolem. 48[illegible].2.b

Vinum.

Vinum quòd lætificet Deum, & homines, hyperbole. 52.1.c
Vinum potatum magnam dat confidentiam. 220.1.b
Violentiâ oppressi. 523.1.a

Vir.

Vir, de viro virili. 409.2.b
Vir, de viro præcipuo. 439.1.b
Vir labiorum quis. 442.1.a
Vir cordis, de hominibus qui seruant cor mundum, vel saltem redeunt ad cor. 521.1.b
Vir, de viro qualificato. 532.1.c
Viro passionem repensare passione vxoris inuitæ an liceat. 67.2.a
Viri Belial exterminandi per Messiam significantur. 170.1.b
Viri non clari quomodo significati. 205.2.b
Viri vacui, id est, otiosi. 329.2.a
Viri sancti dati ad impediendum progressum Dæmonum per acumina immobilia intellecti. 553.2.b
Vires virtutis nomine significatæ. 314.2.c
Virga, pro sceptro. 458.1.b

Virgo.

Virgines in Silo capiuntur à Beniamitis. 70.1
Virginum secunda congregatio. 394.1.c

Virtus.

Virtus, pro viribus. 314.2.c
Virtus terræ, pro fructus terræ. 509.2.c
Virtutis opus non relinqui sine præmio. 119.1.b

Vis.

Vis insani amoris muliebris quanta. 61.2.b
Visio Iob. 415.1.c
eius effectus in pilis. ibid.2.a
Vide *Apparitio.*
Visitatio Dei, & probatio. 429.1.c

Vita.

Vita, animæ nomine significata. 216.2.b 407.2.b 423.1.b
Vita humana vmbræ comparata. 315.1.b
Vita humana fugæ similis. 4[illegible].1.b
Vita hominis similis monti cadenti & rupi[illegible]

pœnæ

petræ item, & dilutæ terræ. ibid.
Vita hominis perdita, cur. ibid.c
Vita animæ nomine significata. 476.2.a
Vitæ beneficium gratiæ nomine significatum. 4.1.c
Vitæ diminutio, vt non perueniatur ad senectutem, pœna fuit domus Heli. 80.2.c
Vitæ humanæ breuitas declaratur. 416.2.c 451.1.a
Vitæ breuitatis æquipollentia. 441.1.b
Vitæ longitudo describitur. 420.2.b
Vitæ amaritudo. 427.2.c
Vitæ humanæ sempiternitas, per verba *ad semper*, significata. 454.1.b
Vituperium pro afflictione. 466.2.a

Viuo.

Viuentium, ac morientium status describitur. 476. 2. b
Viuere spectando ad futurum, homini proprium. 426.2.b
Viuit anima tua, modus iurandi. 77.1.b

Vltio.

Vltio diuina quandoque suspenditur. 28.2.c
Vltio iniusta aduersùs occisos in prælio. 135.2.a
Vmbilicus Græcè cotyledon, quid, & vnde. 546.1.c

Vmbra.

Vmbra terræ, de nocte. 434.1.c
Vmbra mortis, de locis obscurissimis. 519.1.c
Vmbræ similitudo cum diebus nostris. 432.1.b
Vmbræ, pro delitiis. 548.1.a
Vmbraculum Dei, de nubium extensione. 527.1.c

Vnctio.

Vnctio Iehu sola impleta est ex tribus vnctionibus mandatis à Deo Eliæ. 243.2.a
Vnctionem Dauidis occultat Samuel propter Saulem. 105.1.b
Vnctiones Saul, & Dauid in Regem differunt. ibid.a
Vngue hic quid. 218.1.c
Vngitur Dauid in Regem à Samuele timido. 104.1
Vngitur Dauid super Israël. 137.2
Vnio domuum Dauid & Saul cur tandiu dilata. 133.2.b
Vnitas non patitur mutationem. 514.1.a
Vniuersa in lege contenta sub quatuor continentur. 176.2.b
Vno peccante Deus irascitur in omnes, cur. 10.2.b 29.1.b
Vocationes populi Israëlitici duæ, & conuentus vnus. 31.1.b

Voluntas.

Voluntas, seu velleitas, impossibilium; electio, possibilium. 409.2.b

Votum.

Votum Iephthe non profectum à spiritu Domini. 56.2.c
an benè, vel malè fecerit illud adimplendo. 57.1.c
Vox clamantis, id est, tonitruum. 528.1.b
Vr ciuitas. 382.2.b

Vrbs.

Vrbes possessionis Iudæ. 21.1
Vrbes refugij. 283.1
Vide *Ciuitas.*
Vrias perfert literas mortis suæ. 147.2
Vsque semper, quid. 143.1.c
Vulnera, de vulneribus capitis. 436.1.a
Vulua, de loco in quo creatum est elementum aquæ. 534.1.c

Vxor.

Vxor quoad thorum, pro concubina. 66.1.c
Vxor Leuitæ à Gabaonitis prodigiosa libidine extincta, & à marito in duodecim partes corpore secto, ad singulas Tribus singulæ portiones missæ. 67.2.b
Vxorum multitudo Regi interdicta in lege. 201. 1. b
Vxor Ieroboam consulit Ahiam de morbo Abiæ filij. 207.2
Vxor mala facilè coniugem ad malum trahit. 242. 2. b
Vxor aliquid viri est. 407.2.b

X

Xerxes Nehemiam alloquitur. 373.1.c

Z

Zabulon, & Nephthali laudati. 44.2.a

Zacharias.

Zacharias quandiu regnauerit. 255.1.a
Zacharias filius Ioiadæ lapidatur in atrio domus Domini iubente Ioas. 340.2.c
hinc diuina vltio. 341.1.a

Zelus.

Zelus Saulis commendatus. 100.2.b
Zophim, quid. 75.1.c
Zorobabel & Iosue ædificant altare. 362.1.a
impeditur ædificatio. 363.1.a & ibid.2.c
Ziphæi produnt Dauidem Sauli. 121.1
Zif mensis quis. 182.2.a 186.2.a

INDICIS FINIS.

Digitized by Google